165
1
" R "
179 -
178

Libro a Silveyra B.r D.n Jph Antonio de Cuero cura

29

R. P. F. JOANNIS
DA
SYLVEIRA
ULYSSIPONENSIS
CARMELITÆ

Regularis Obſervantiæ, Sacræ Theologiæ
Primarii Lectoris Jubilati

COMMENTARIORUM

In Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli

TOMUS SECUNDUS.

In quo multa tractantur de Sacroſancta Euchariſtia, de Beatiſſima Virgine Maria, ac duodecim Apoſtolis.

NUNC PRIMUM PRODIT

1728

VENETIIS, MDCCXXVIII.
TYPIS DOMINICI LOVISA.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

R. P. F. IOANNIS
DA
SYLVEIRA
ULYSSIPONENSIS
CARMELITÆ

Regularis Obſervantiæ, Sacræ Theologiæ
Primarii Lectoris Jubilati

COMMENTARIORUM

In Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli

TOMUS SECUNDUS,

In quo multa tractantur de Sacroſancta Euchariſtia, de Beatiſſima Virgine
Maria, ac duodecim Apoſtolis.

NUNC PRIMUM PRODIT



VENETIIS. MDCCXXVIII
Typis Dominici Lovisa.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

INFINITÆ SAPIENTIÆ

GENITRICI,

SCRIPTURARUM EPILOGO,

Mysteriorumque illarum actuosæ Revelatrici,

Angelorum ac hominum Reginæ,

DICO EGO OPERA MEA.



IN *exordio hujus libri, sacratissima Virgo, appares amicta Sole, Luna calceata, Stellisque coronata; omnis enim splendor ac radius scintillans, qui in hoc Ecclesiæ cœlo habetur, à te prodit & dimanat, utpote omnium scientiarum* Luminare magnum, *ut te appellat Richardus à S. Laurentio,* Luminisque fons, *ut te dicit pius Idiota: Inde noster D. Cyrillus Alexandrinus:* Salve per nos, ò Beata Deipara, Sceptrum rectæ doctrinæ. *A tuo enim lumine sceptrum ac trophæum est veræ doctrinæ, de omni ignorantia, ac errorum caligine.* Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. *Te regius Vates dilectissimam portam super omnia tabernacula proclamat, ut testatur D. Bonavent. Et quorumnam porta es? Explicat Paraphrasis Chaldaica:* Diligit Dominus portas studiosorum. *Tu, ut cœlestis Porta paras ingressum omnibus studiosis, ac doctoribus; aperis, & nemo claudit, claudis, & nemo aperit; etsi in limine hujus Voluminis Te ostentas Luminare magnum, in fine verò Civitatem sanctam, Jerusalem, ut exponit Georgius Metropolitanus Nicomediensis:* Descendentem de cœlo, præparatam & ornatam omni gratiarum, donorum, ac excellentiarum cultu, & apparatu, in salutem pauperum ac miserorum. *Inter quos ad me summè miserum*

ſummèque pauperculum condeſcende, ut cœleſtis civitas, tua affluentia totum Mundum fœcundans, & ut Porta ſupremi Regis, aperi intellectum ad tam ſublime, & abditum ſacramentum, ut ſolaris ſplendor illuſtra intelligentiam ad hoc reconditum ænigma, & ut lux fulgentiſſima oſtende viam per tam implicitum labyrinthum, & ut ſtella irradians ducatum præbe per hoc altum, & profundum revelationum Pelagus, ut quidquid mens cogitet, quidquid lingua loquatur, quidquid calamus ſcribat, totum ſit in laudem, ac gloriam Tui, ac dilectiſſimi Filii tui, mei JESU.



INDEX

Locorum sacræ Scripturæ, quæ in hoc Secundo Tomo Apocalypseos continentur.

Litera C. indicat caput, Q. Quæstionem, N. numerum marginalem.

VETUS TESTAMENTUM.

Ex Lib. Genesis.

Cap. 1. n. 1.  N principio creavit Deus cœlum, & terrã. c. 13 q. 33. n. 270. c. 21. q. 2. n. 21.

2. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi 21. 3. 438

2. Spiritus Domini ferebatur super aquas 14. 2. 14. & 19. 21. 150.

5 Factum est mane & vespere dies unus. 21. 25. 269.

11 Germinet terra herbam virentem, & facientem semen. 13. 33. 260.

16 Fecit Deus duo luminaria magna: Luminare majus, ut præesset diei, Luminare minus ut præesset nocti. 12. 24. 196. & 13. 33. 270. & 21. 32. 497.

20 Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram. 13. 33. 270. & 21. 25. 274.

21 Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam. 13. 17. 136.

Cap. 2. n. 6. Fons ascendebat de terra irrigans universam terram. 21. 11. 91. & 22. 3. 33.

8 Plantaverat autem Dominus Paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat. 12. 81. 685.

11 Nomen uni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum & aurum terræ illius optimum est: 12. 53. 453.

14 Nomen verò fluminis tertii Tygris: ipse vadit contra Assyrios, Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates. 16. 8. 62.

17 In quocumque die comederis ex eo morte morieris. 17. 8. 70.

19 Adduxit Deus ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea. 17. 3. 103.

22 Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem. 17. 24. 202.

23 Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hanc relinquet homo

Cap. 3 n. 1 Patrem, & matrem. 12. 54. 461. Sed, & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Deus. 12. 78. 653.

4 Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quod in quocumque die comederis ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii. 12. 61. 150. & 63. 525. & 13. 14. 114.

6 Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius & comedit deditque viro suo. 17. 14. 108. & 8. 70. 13. 28. 222. 16. 3. 25. 18. 21. 182 & 16. 209.

9 Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei, ubi es. 16. 4. 28.

14 Et ait ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus eris inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris. 12. 61. 509.

15 Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & tu insidiaberis calcaneo ejus. 12. 44. 345. & 65. 540.

16 Multiplicabo ærumnas tuas. & conceptus tuos in dolore paries filios. 15. 14. 118. 20. 19. 182.

18 Spinas, & tribulos germinabit tibi & comedes herbam terræ. 17. 23. 197.

19 Pulvises, & in pulverem reverteris. 12. 60. 502.

20 Vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva, eò quod mater esset cunctorum viventium. 21. 33. 527.

21 Fecit quoque Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas; & induit eos. 16. 12. 89. 18. 19. 155. 21. 29. 422.

22 Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. 22. 3. 33.

23 Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis ut operaretur terram, de qua sumptus est. 12. 61. 508.

24 Collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem. 19 43. 342.

Cap. 4 n. 4 Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. 21. 28. 371.

5 Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain autem non respexit. 18. 14. 117. 21. 30. 456.

8 Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum. 14. 12. 104. 16. 16. 118.

11 Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12. 68. 567.

12 Vagus, & profugus eris super terram. 12. 81. 683. 17. 4. 37.

25 Cognovit quoque Adam uxorem suam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. 21. 35. 582.

26 Iste cœpit invocare nomen Domini. 21. 28. 381.

Cap. 5 n. 24. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus. 12. 46. 373.

27 Et fecit sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni. 12. 80. 673.

Cap. 6 n. 7. Delebo inquit hominem, quem creavi à facie terræ. 21. 33. 533.

9 Noe vir justus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit. 12. 80. 673.

12 Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram: Dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me. 20. 11. 110.

13 Dispergam eos cum terra. 12. 60. 498.

Cap. 7 n. 11. Mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt. 16. 12. 87. 18. 16. 132.

Cap. 8 n. 11. Rursum dimisit columbam ex Arca: At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum olivæ virentibus foliis in ore. 12. 48. 390

20 Ædificavit Noe altare Domino: odoratus est Dominus odorem suavitatis. 21. 26 317

Cap. 9 n. 2. Terror vester, & timor sit super cuncta animantia terræ. 20. 3. 29

3 Omne quod movetur, & vivit erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. 12. 53. 454

5 Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum. 14. 38. 351

13 Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. 19. 33. 248.

21 Bibens Vinum inebriatus est; & nudatus est in tabernaculo suo. 17. 6. 52

26 Benedictus Dominus Deus Sem: dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem. 12. 3. 24. & 13. 27. 220

Cap. 10 n. 8 Porro Chus genuit Nemrod, ipse cœpit esse potens in terra: fuit autem principium regni ejus Babylon. 14. 21. 193

Cap. 11 n. 3. Dixit alter ad proximum suum: Venite faciamus lateres, & coquamus eos igne: habuerunt que lateres pro saxis. 21. 13 284

7 Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguam eorum ut non audiat unusquisque linguam proximi sui. 12. 66. 554

31 Tulit Thare Abram filium suum: & Loth filium Aram filium filii sui de Ur Chaldeorum. 21. 27. 357

Cap. 12 n. 12 Novi quod pulchra sis mulier, & cùm viderint te Ægyptii dicent: uxor illius est, & interficient me, & te reservabunt. Dic ergo quod soror mea sis. 18. 7. 82

14 Viderunt Ægyptii mulierem quod pulchra esset nimis, & nuntiaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illũ. & sublata est mulier in domum Pharaonis. 16. 11. 84

Cap. 13 n. 2 Erat dives valde in possessione auri, & argenti. 15. 10. 38. 18. 20. 160

9 Ecce universa terra coram te est: recede a me obsecro, si ad dexteram ieris, ego ad sinistram pergam. 12. 53. 452

16 Faciam semen tuum sicut pulverem terræ. 12. 18. 151.

Cap. 14. n. 18 At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei Altissimi. 19. 33. 246. & 58. 452

19 Benedictus Abraham Deo excelso qui creavit cœlum & terram, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. 19. 2. 17.

22 Levo manum meam ad Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quod non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt. 12. 38. 295. 16. 16. 117.

23 Quod à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt. 19. 56. 442.

Cap. 15 n. 5 Suspice cœlum, & numera stellas si potes: sic erit semen tuum. 12. 18. 51

10 Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium: Descenderuntque volucres super cadavera. 16. 18. 156

Cap. 16 n. 10 Multiplicans multiplicabo semen tuum. & non numerabitur, præ multitudine, 19. 54. 434

11 Ecce, ait, concepisti, & peperisti filium vocabis nomen ejus Ismael. 19. 54. 435

Cap. 17 n. 1 Ambula coram me, & esto perfectus. 15. 8. 62.

17 Cecidit Abraham in faciem suam, & risit. 19. 49. 389

Cap. 18. n. 1 Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. 19. 21. 148. & 55. 436

2 Cumque elevasset oculos, apparuerunt tres viri stantes prope eum. 15. 21. 177

4 Si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore. 19. 21. 149

6 Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. 19 6. 47

7 Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, & posuit coram eis. 14. 9. 81. & 14. 103

10 Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium uxor tua Sara. 21. 26 324.

11 Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. 19 49. 389

12 Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo. 17. 19. 160

22 Abraham adhuc stabat coram Domino. 15. 13. 111.

Cap. 19 n. 1 Venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis. 14. 34. 312. 15. 14. 119. & 15. 21. 177

4 Viri civitatis vallaverunt domum illius à puero, usque ad senem, omnis populus simul. 20. 11. 111

17 Salve animam tuam, ne stes in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne tu simul pereas. 12. 50. 418

18 Ait Loth: quæso, Domine mi ... est civitas hæc ... parva. 20. 8. 79

24 Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo: & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, & universos habitatores urbium. 14 23. 212. & 16. 5. 42.

30 Mansit autem Loth in spelunca. 20. 14. 120

Cap. 20 n. 7 Redde viro uxorem, quia Prophetа est, & orabit pro te. 15. 12. 108

18 Conclauserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram. 21. 1 214

Cap. 21 n. 33 Plantavit Abrahamus nemus, & invocavit ibi nomen Domini. 15. 10. 81.

Cap.22 n.2 Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum. 20.12.115.
5 Ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus revertemur ad vos. 13.27.219
12 Nunc cognovi, quod timeas Deū. 19.8.66
Cap.23 n.6 Audi nos Domine; Princeps Dei es apud nos. 18.29.230
9 Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet, in extrema parte agri sui: pecunia digna tradatur eam mihi coram vobis. 14.29.266.
16 Quod cùm audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat. 21.38.632.
Cap.24 n.2 Dixitque ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli. 14.9.81
16 Puella decora nimis virgoque pulcherrima, & incognita viro. 17.19.159
67 Qui introduxit eam in tabernaculum matris suæ Saræ, & accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat temperaret. 21.35.583
Cap.25 n.5 Deditque Abraham, cuncta, quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera. 12.38.296
24 Jam tempus pariendi advenerat & ecce gemini in utero reperti sunt. 12.30.233
25 Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellavit eum Jacob. 13.33 269.19.27.195
31 Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua. 17.7.66
Cap.26 n.13 Locupletatus est homo, & ibant proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est 15.10.88
Cap.27 n.53 In me sit ista maledictio. 19.45.361.
15 Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum. 17.7.66.22.4.42
20 Quomodo tam citò invenire potuisti fili mi? Qui respondit: voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi quod volebam. 13.12.103
28 Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini. 19.18.131.& 46.365
34 Auditis Esau sermonibus patris irrugiit clamore magno, & consternatus ait. 8.23.185
40 *Fratri tuo servies.* 22.5.60
Cap.28 n.11 Tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo dormivit in eodem loco. 21.20.175
12 Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam. 19.7.57
20 Si fuerit Dominus mecum, custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum. 19.16.118.21.31.465
Cap.29 n.35 Quarto concepit, & genuit alium filium, dixitque: nunc quoque copulabitur mihi maritus meus: & ob hoc vocavit eum, Judam, cessavitque parere. 21.33.523
Cap.31 n.34 Illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit super. 12.31.242
Cap.32 n.28 Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. 13.33.269
30 Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea ortusque est ei statim Sol. 21.1.16
Cap.35 n. 2 Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini & mutate vestimenta vestra. 17.18.150
5 At ille infodit, & subter terebinthum quæ est post urbem Sichem. 17.17.135
20 Erexit Jacob titulum super sepulchrum Rachel. 20.6.59
Cap.37 Erat cum filiis Balæ, & Zelphæ uxorum Patris sui: accusavitque fratres suos apud Patrem crimine pessimo, 12.68.466
7 Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum. 12 33.251. 20.3.28
Cap.38 n. 15 Quam cùm vidisset Judas suspicatus est esse meretricem operuerat enim vultum suum. 17.18.147
28 Ille egredietur prius: illo verò retrahente manum, egressus est alter. 12.77.643
Cap.39 n.8 Qui nequaquam acquiescens operi dixit ad eam: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo. 19.27.197
9 Nec quidquam est, quod in meo non sit potestate, ut non tradiderit mihi præter te, quæ uxor ejus es. 14.12.109
Cap 40 n. 13 Ille est interpretatio somnii: Tres propagines, tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerii tui. 12. 11.451
Cap.43 n.11 Deferte viro munera, pecuniam quoque duplicatam ferte vobiscum: illam quam invenistis, in sacculo reportate, ne fortè errore factum sit. 13.4.39
34 Major pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet. 14.12.162
Cap.44 n. 5 Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet. 17.16.124.& 152
Cap.45 n.22 Singulis quoque proferri jussit binas stolas: Beniamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis. 17. 19. ...
26 Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis. 21. 34.570
Cap.46 n. 4 Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos. 17.16.122
34 Viri pastores sumus servi tui ab infantia nostra, nos & Patres nostri. 15.10.83
Cap.69 n.5 Simon & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia, in consilium eorum non veniat anima mea. 16.10.73.18.30.258
10 Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. 18.25,200.& 19.49.381.20.26.328
11 Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. 19.58.353
14 Issachar asinus fortis accubans inter terminos, suppositit humerum suum ad portandum. 18.21.174
20 Aser panis pinguis, & præbebit delicias regibus. 11.21.c. 613
22 Filius accrescens Joseph filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. 19.3.20

Ex Libro Exodi.

Cap. 1 n.9 Ecce populus filiorum Israel multus, & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum. 16.13.93
Cap.2 n.2 Et videns eum elegantem, absconditit tribus mensibus: Cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum. 12.27.217
9 Suscepit mulier, & nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis quem illa adoptavit in filium. 12 44.348
10 Vocavit nomen ejus Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum. 21.29.406
Cap.3 n.2 Apparuitque ei Dominus in flamma ignis, de medio rubi: & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur. 13.16.127. 21.23.226.& 27.340
5 Ne appropies huc: solve calceamentum de pedibus tuis. 14.11.118
18 Veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto. 17. 8.70.21.35.592
Cap 4 n.4 Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. 12.40.312
6 Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cum misisset in sinum protulit leprosam instar nivis. 12.40 321
13 Obsecro Domine, mitte quem missurus es. 21.33.536
17 Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. 15.13.112
19 Vade, & revertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. 17.8.70
24 Cumque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. 14.20.177
25 Tulit illico Sepho acutissimam petram & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes. 15.14.119
27 Qui pertexit obviam ei in montem Dei, & osculatus est eum. 12.7.61
Cap. 7. n.1 Ecce constitui te Deum Pharaonis & Aaron frater tuus erit Propheta tuus. 21.25. 282
10 Tulit virgam coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in colubrum, & devoravit Virga Aaron virgas eorum. 12.4.34. & 66.552.16.6.52.
20 Elevans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & servius ejus, quæ versa est in sanguinem. 12.40.318
Cap.8 n.6 Extendit Aaron manum super aquas Ægypti. 12.40.318
8 Vocavit autem Pharao Moysem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas a me. 16.21.171.
Cap.9 n.7 Fecit Dominus verbum hoc altera die: Mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum. 18.11.94
9 Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel. 18.23.199
Cap.12 n.3 Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias & Domos suas. 14.9.80.21.2.25.
5 Erit autem agnus absque macula masculus, juxta quem ritum tolletis. 19.16.113
7 Sumentes de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. 19. 13.160.& 25.177.
8 Edent carnes nocte illa assas igne, & azymos panes. 19.62.480
9 Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni: Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis. 19.16.116.15.7.& 47.370
11 Comedetis festinanter: est enim Phase, id est transitus Domini. 19.16.119
Cap.13 n.21 Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis & per noctem in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore. 19.7.55
Cap.14 n.22 Et ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris: erat enim quasi murus à dextera eorum & læva. 19.41.324
25 Subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. 17.4.39
26 Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equites. 17.34.278
22 Et reversæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare. 12. 16.134.& 66.551
20 Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris: & aquæ erant eis quasi pro muro, à dextris, & à sinistris. 15.5.40. & 10.83.
Cap.15 n.1 Tunc cecinit Moyses, & filii Israel carmen hoc Domino. 12.66.551.19.1.10
1 Cantemus Domino gloriose: Equum & ascensorem dejecit in mare. 19.1.10.& 2. 16
4 Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare. 17.4.39
17 Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo, quod plantaverunt manus tuæ. 12.28.222
20 Sumpsit ergo Maria Prophetissa tympanum in manu sua: egressæ sunt omnes mulieres post eam. 15.10.84
Cap.16 n. 16 Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: Gomor per singula capita. 16.23.186
26 Sex diebus colligite: die autem septimo Sabbatum est Domini idcirco non invenietur. 19.17.121
8 Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. 19.17.121
Cap. 18 n.18 Stulto labore consumeris, & tu & populus iste, qui tecum est: solus illud non poteris sustinere. 16.13.91 21.19.165
Cap.19 n.10 Vade ad populum, & sanctifica illos hodie & cras, & lavent vestimenta sua. 17.4. 39
15 Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris. 14.1.6
16 Et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem: Clamorque buccinæ perstrepebat. 19.22.162
18 Totus autem mons Sina fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne. 18.18.110
Cap.20 n.5 Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes. 21.34.562
18 Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem. 18.12.107
Cap.22 n.8 Si later fur, Dominus domus applicabitur ad Deos. 19.28.205
Cap.23 n.17 Ter in anno apparebit omne masculum coram me Domino Deo suo. 21.15.132
20 Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi. 14.32.297. 20.8.76
Cap.25 n.23 Facies & mensam de lignis setim, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam. 22.2.56
30 Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. 19.52.428
Cap.26 n.34 Et propitiatorium super arcam testamenti, in Sancto Sanctorum. 19.48.373
Cap.28 n.2 Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem. 19.19.139
6 Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto, & bysso retorta. 19.52.417
25 Ipsarum carenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit. 18.1.13
Cap.32 n.1 Fac nobis Deos, qui nos præcedant. 13. 10.89
2 Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. 14.11.99
11 Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti: recordare Abraham, Isaac, & Israel. 21.33.533
34 Tu autem vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi, Angelus meus præcedet te. 19.14.129
Cap.33 n. 3 Dixit Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es: semel ascendam in medio tui, & delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi. 12.75.631.& 17.329
7 Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul. 12.49.405

25 Et ait Moyses: si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. 15.54.220
29 Ego ostendam tibi omne bonum; & vocabo in nomine Domini coram te. 21.28.384
Cap. 33 n. 21 Ecce est locus apud me, & stabis super petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea. 15.9.74
Cap. 34 n. 1. Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti. 12.80.674
29 Et ignorabat, quod cornuta esset facies ejus ex consortio sermonis Domini. 17.26.222. & 19.11.89

Ex Levitico.

Cap. 7 n. 32 ARmus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis. 18.1.6
Cap. 16 n. 5 Suscipiet Aaron ab universa multitudine filiorum Israel duos hœdos pro peccato, & eos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi. 12.2.13
Cap. 19 n. 10 Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum. 16.14.102
Cap. 21 n. 11 Ad omnem mortuum non ingredietur omnino. 14.16.143
Cap. 24 n. 5 Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas: quorum senos altrinsecus super mensam purissimam coram Domino statues. 19 13.98
24 Educ blasphemum extra castra: & ponent omnes, qui audierunt manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. 13 13 108

Ex Numeris.

Cap. 10 n. 35 CUmque elevaretur arca, dicebat Moyses: surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui te oderunt à facie tua. 12.21.172
Cap. 11 n. 5 In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia: anima nostra arida est: nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. 12.76.638, 18.26.210
13 Unde mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? flent contra me dicentes: da nobis carnes. 21.25 281
Cap. 12 n. 10 Ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix. 16.24.192
Cap. 13 n. 3 Elegit singulos de singulis tribubus ex principibus. 12.38.295
33 Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos populus, quem aspeximus proceræ staturæ 12 5.46
Cap. 14 n. 9 Neque timeatis populum terræ hujus quia sicut panem, ita eos possumus devorare: recessit ab eis omne præsidium. 20.8.78
24 Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu, secutus est me inducam in terram hanc, quam circuivit: & semen ejus possidebit eam. 12.73.607
Cap. 16 n. 22 Fortissime Deus, num uno peccante, contra omnes ira tua desævit. 12.62.520
24 Præcipe universo populo, ut separetur à tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron. 16. 6. 51.
26 Recedite à tabernaculis hominum impiorum: & nolite tangere quæ ad eos pertinent. 18.6.52
30 Si novam rem fecerit Dominus ut aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent; & descenderint viventes in infernum. 16.17.124
32 Dirupta est terra sub pedibus eorum; & aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum. 12.41 322.16.11.84 85.12.60.500. & 81. 683. 19.60.464
48 Aaron obtulit thymiama pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. 21.27.356
Cap. 17 n. 8 Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi: turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. 12.4.34
Cap. 20 n. 4 Mortua est ibi Maria, & sepulta est in eodem loco: cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversus Moysen & Aaron. 12.22.178
4 Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, ut & nos & nostra jumenta moriamur. 17.3.26.18.12.92
22 Percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ ita ut populus biberet, & jumenta. 17.16.127
Cap. 21 n. 9 Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, sanabantur. 12.62.519.14.36.334. 21.23.227
Cap. 22 n. 22 Iratus est Deus, stetitque Angelus Domini in via contra Balaam. 16.12.90
28 Aperuit Deus Dominus os asinæ & locuta est quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertio. Respondit Balaam: quia commeruisti, & illusisti mihi. 13.28.223
Cap. 23 n. 7 Veni, & maledic Jacob: propera & detestare Israel. 12.41 323
21 Non est idolum in Jacob, nec videatur simulachrum in Israel. 19.27 178
Cap. 24 n. 27 Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel. 12.18.149
Cap. 25 n. 4 Tolle cunctos principes populi, & suspende eos in patibulis contra solem. 12.65.542
6 Et ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem. 17.10.77
11 Phinees filius Eleazari filii Aaron Sacerdotis, avertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, ut non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 21.34.563
14 Erat autem nomen viri Israelita, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu de cognatione, & tribu Simeonis. 17.3.26.18.11.92
Cap. 26 n. 65 Prædixerat enim Dominus quod omnes morarentur in solitudine; nullusque remansit ex eis nisi Caleb filius Jephone & Josue filius Nun. 19.34.309
Cap. 32 n. 23 Si autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est, quin peccatis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. 14.31.288
Cap. 34 n. 2 Et in possessionem sorte vobis cecidit his finibus terminabitur. 17.26.225

Ex Deuteronomio.

Cap. 6 n. 6 ERunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque consurgens. 13.30.238
Cap. 8 n. 6 Ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus, & timeas eum. 15. 8.63
19 Ne postquam comederis, & satiatus fueris, domos pulchras ædificaveris, & habitaveris in eis, habeasque armenta boum, & ovium greges, argenti, & auri, cunctaraumque rerum copiam. 18:21.170
Cap. 19 n. 19 Reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. 18.9.8
Cap. 20 n. 12 Et nunc Israel audi, quid Dominus Deus tuus petit à te nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus. 15. 8.63
Cap. 22 n. 25 Si in agro reperit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus. 21.7.57
Cap. 26 n. 2 Pro mensura peccati erit plagarum modus, ita dumtaxat. 14.23.210
Cap. 27 n. 9 Attende, & audi Israel: hodie factus es populus Domini Dei tui. 21.34.554
Cap. 28 n. 12 Aperiet Dominus thesaurum suum optimum cœlum, ut tribuat terræ pluviam in tempore suo. 20.17.160.
Cap. 32 n. 2 Concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum quasi imber super herba. 22.1.7
21 Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis. 12.48. 195. & 73. 616. 22. 2. 25
23 Constituit eum super excelsam petram; ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, & oleum de saxo durissimo. 15 20.170
33 Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. 21 14.118.
34 Nonne hæc recondita sunt apud me, & signata in thesauris meis? 20 17.160
Cap. 33 n. 19 Qui innundationem maris quasi lac sugent & thesauros absconditos arenarum. 19.51. 424
Cap. 34 n. 1 Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo in verticem Phasga. 12.2.14
5 Mortuusque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino: & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor. 13.33.271.21.31.485
7 Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt 20.6.160

Ex Josue.

Cap. 6 n. 3 CIrcuite urbem cuncti bellatores, semel per diem: sic facietis sex diebus: septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubileo. 14.24.220
12 Circuivit ergo arca Domini civitatem semel per diem, & reversa in castra ibi mansit. 12.17.144
Cap. 7 n. 19 Fili mi da gloriam Deo Domino Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris ne abscondas. 16.5.78.
21 Vidi inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum. 16.20.16.18.17.158.
Cap. 8 n. 20 Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue, respicientes, & videntes fumum urbis ad cœlum atque ascendere, non potuerunt ultra huc illucque diffugere. 18. 16.131
Cap. 10. n. 12 Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon. 12.7.60
11 Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani, & integro numero: nullusque contra filios Israel mutire ausus est. 19.9.73.
Cap. 11 n. 1 Quæ cum audisset Jabin Rex Asor, misit ad Jobab, Regem Madon, & ad Regem Semeron: Et convenerunt omnes reges isti ad aquas Merom, ut pugnarent contra Israelem. 16.4.31.17.30.247
Cap. 14 n. 1 Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum; quia secutus es Dominum Deum meum. 12.5.46
Cap. 24 n. 29 Post hæc mortuus est Josue filius Nun servus Domini, centum & decem annorum: sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ. 15.9.76

Ex Judicibus.

Cap. 1 n. 2 DIxitque Dominus: Judas ascendet: Ecce tradidi terram in manu ejus. cap. ...
Cap. 3 n. 7 Fecerunt que malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui servientes Baalim, & Astaroth, iratusque Dominus tradidit eos in manus Chusan. 13.30.243
19 Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad Regem: Verbum secretum habeo ad te, o Rex Verbum Dei habeo ad te. 16. 9.69
20 Ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extenditque Aod sinistram manum. 16.1.5
Cap. 4 n. 4 Erat Debora Prophetissa uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma. 12.72.610
8 Si venis mecum vadam: si nolueris venire mecum, non pergam. 14.35.322
19 Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde: quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere: & operuit illum. 12.21.173.17. 16.123
Cap. 6 n. 14 Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel, de manu Madian: scito quod miserim te. 19.59.455
39 Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens: fecitque Dominus nocte illa, ut postulaverat; & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra. 13. 25.203
Cap. 7 n. 7 In trecentis viris, qui lambuerunt aquas liberabo vos, & tradam in manu tua Madian. 2.4.52
Cap. 8 n. 23 Quibus ille ait: non dominabor vestri, nec dominabitur in vos Filius meus, sed dominabitur vobis Dominus. 17.26.228
Cap. 11 n. 38 Cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis flebat virginitatem suam in montibus, & expletis, duobus mensibus, reversa est ad Patrem. 13.27.210
Cap. 13 n. 4 Cave ergo ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula: erit enim Nazaræus ab infantia sua. 14.28.258
Cap. 16 n. 19 At illa dormire eum fecit super genua sua & in sinu suo reclinare caput: vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus. 15. 17.146
21 Quem cum apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus. 19.12.91
30 Multò plures occidit moriens quàm antea vivens occiderat. 21.27.326

Ex Ruth.

Cap. 4 n. 23 TUlit Booz Ruth, & accepit in uxorem, & ingressus est ad eam. 21.7.62

Ex 1. Regum.

Cap. 1 n. 17. VAde in pace; & Deus Israel det tibi petitionem, quam rogasti eum. 14. 15. 136
Cap. 2 n. 5. Donec sterilis peperit plurimos & quæ multos habebat filios infirmata est. 19.4 31
20 Reddat tibi Dominus semen de muliere hac, pro fœnore quod commodasti Domino. 14.15.136
22 Quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi 17.12.95
32 Videbis æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel. 12.71.584
34 Hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees: in die uno morientur ambo. 18.59. 49, 18.13.106
Cap. 4 n. 20 Inierunt in eam dolores partus subiti. In ipso autem momento mortis ejus, dixerunt ei, qui stabant circa eam. 12.52.492
Cap. 7 n. 7 Ascenderunt satrapæ Philistinorum ad Israel. Quod cum audissent filii Israel timuerunt. 12.12.414
Cap. 10 n. 20 Applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors tribus Beniamin. 18.8.66
21 Et applicuit tribum Beniamin, & cognationis ejus, & cecidit cognatio Metri, & prevenit

perwenit usque ad Saul filium Cis. 18. 25. 203
6 Insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & insiliet in te spiritus Domini, & mutaberis in virum alterum. 21. 27.335
Cap. 13 n. 1 Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset: Duobus autem annis regnavit super Israel. 18.29.231
Cap. 14 n. 1. Accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philistinorum. 32.59.491
24 Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis. 14.33.303
Cap. 15 n. 3 Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas eis: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem. 13.24.197
4 Præcepit itaque Saul populo, & recensuit eos quasi agnos: ducenta millia peditum, & decem millia virorum Juda. 14.12.105
6 Dixit Saul Cinæo: Abite, recedite atque descendite ab Amalecine forte involvam te cum eo: tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel. 21.19.165
9 Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus. 12.65.543.14.33.303
11 Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem: quia dereliquit me, & verba mea non implevit opere. 16.1.6
Cap. 16 n. 11 Qui respondit adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves. 12.59.489
11 Erat autem David rufus & pulcher aspectu, & decorus facie. 13.18.162
23 Quandocunque spiritus Dei malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul. 12.37.285.& 14.7.66
Cap. 17 n. 8 Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen, si quiverit pugnare mecum. 12.43.338
32 Non concidat cor cujusquam in eo: ego servus tuus vadam, & pugnabo adversus Philistæum. 12.48.388.
39 Dixit David ad Saul: non possum sic incedere, quia usum non habeo, & deposuit ea. 19.2.18
45 Dixit David: Tu venis ad me cum gladio, & hasta & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminum Israel. 15.11.97.& 17.36.264
49 Tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens, percussit Philistæum in fronte: & infixus est lapis in fronte ejus & cecidit in faciem suam super terram. 12.47.380.21.31.599
Cap. 18 n. 8 Iratus est Saul nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste; dixitque: dederunt David decem millia, & mihi mille dederunt. 19.49.387
10 Postridie autem alterum invasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ: David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies. 12.56.473
11 Tenebat Saul lanceam in manu, & misit eam putans quod configere posset David cum pariete. 12.6.512.
Cap. 19 n. 23 Abiit in Naioth Ramatha: factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat, & prophetabat: & cecinit nudus tota die illa, & nocte. 16.21.172
Cap. 20 n. 33 Arripuit Saul lanceam, & intellexit Jonathas, quòd definitum esset à Patre, ut interficeret David. 12.58.484
Cap. 21 n. 3 Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi, aut quid quid inveneris. 13.59.456
7 Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa. 13.17.139
9 Ecce hic gladius Goliath Philisthæi est involutus pallio: Si hunc vis tollere tolle, 21.26 329
11 Nunquid non iste est David Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros dicentes percussit Saul mille, & David decem millia? 19.49 383
Cap 22 n. 9 Vidi filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob. 12.63.225
Cap. 23 n. 16 Surrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in sylvis. 12.29.229
Cap. 24 n. 5 Dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum. 13.29.235
6 Post hæc percussit David cor suum, eo quod abscidisset oram clamydis Saul. 15.9.67. 18.16.136
13 Ait David, judicet Deus inter me & te, videat & judicet causam meam. 18.29. 208.19.30.401
Cap. 25 n. 22 Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent usque mane mingentem ad parietem. 12.61.512
29 Erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum. 40.17.125
Cap. 28 n. 6 Non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes. 14.16.147
8 Ait illi [Saul] Divina mihi in pythone; & suscita mihi, quem dixero tibi. 28.13.113.
13 Dixitque Rex: noli timere: quid vidisti? & ait Mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes de terra. 17.12.90
Cap. 31 n. 3 Totum pondus belli versum est in Saul: & consecuti sunt eum viri sagittarii, 21.7. 65

Ex 2. Regum.

Cap. 2 n. 24 Filiæ Israel, super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delitiis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. 6.17.n.59
Cap. 3 n. 8 Iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Numquid caput canis ego sum adversus Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui. 18.4.34
29 Sanguis Abner veniat super caput Joab, & super omnem domum patris ejus, ne deficiat de domo Joab, fluxum sanguinis sustinens & leprosus, ac tenens fusum, 19. 3.24
Cap. 5 n. 7 Cœpit autem David arcem Sion, hæc est civitas David. 14.3.23
8 Proposuerat David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domorum fistulas. 12.6.54
Cap. 6 n. 7 Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, percussit eum super temeritate, qui mortuus est. 15.1.3
Cap. 2 n. 1 Factum est autem eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere: misit David Joab, & servos suos cum eo, & universum Israelem, & devastaverunt filios Ammon. 17.11.85
Cap. 12 n. 14 Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc: filius: qui natus est tibi, morte morietur. 16.9.68.17.5.50.& 11.85
24 Misit in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen ejus, Amabilis Domino, eo quod diligere. eum Dominus. 21.25.263
Cap. 13 n. 6 Veniat obsecro, Thamar soror mea, & faciat in oculis meis sorbitiunculas, cibum capiam de manu ejus. 17.15.115
15 Exosam habuit Ammon odio magno nimis, ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antea dilexerat. 17. 35.281
28 Observate cum temulentus fuerit Ammon vino, & dixero vobis percutite eum, & interficite: Fecerunt ergo pueri Absalon, adversus Ammon, sicut præceperat eis. 12.19.151.& 18.21 93
Cap. 14 n. 24 Quando tondebat capillum; semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum cæsaries; ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. 15. 8.64
30 Scitis agrum Joab, juxta agrum meum, habitantem messem hordei: ite igitur, & succendite illum igne. 17.35.287
32 Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse: Obsecro ergo, ut videam faciem regis, quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me. 14 37.344
Cap. 15 n. 16 Egressus est ergo Rex, & universa domus ejus pedibus suis, & dereliquit Rex decem mulieres ad custodiendam domum. 19.3.22
Cap. 18 n. 9 Et cum fuisset ingressus mulus subter densam quercum, & magnam; adhæsit caput ejus quercui: & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insidebat, pertransivit, 16.7.55.20.3.26.& 18.17.140
14 Tulit Joab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon, cum adhuc palpitaret hærens in quercu: cucurrerunt decem viri armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum. 13 3.32
18 Porrò Absalon erexerat sibi titulum, cum adhuc viveret: vocavitque nomine, & appellatur Manus Absalon. 17.33.263
Cap. 21 n. 10 Tollens autem Respha filia Aja, cilicium, substravit sibi supra petram, ab initio messis, donec stillaret aqua super eos. 21. 38.628
Cap. 23 n. 8 David sedens in Cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. 15.21.97.21.35.593

Ex 3. Regum.

Cap. 3 n. 12 Ecce dedit tibi cor sapiens, & intelligens, in tantum ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit. 19.20.143
14 Si ambulaveris in viis meis, sicut ambulavit Pater tuus, longos faciam dies tuos. 35.8.62
Cap. 4 n. 5 Zabud filius Nathan Sacerdos amicus Regis. 19.28.206
Cap. 7 n. 23 Fecit quoque mare fusile decem cubitum à labio usque ad labium. Et stabat super duodecim boves. 25.4.25.& 27
Cap. 8 n. 57 Sit Dominus Deus noster nobiscum sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos. 23.4.40
Cap. 10 n. 18 Fecit Salomon thronum de ebore grandem: & vestivit eum auro fulvo nimis. 12.13.104.14.5.42.15 16.131
27 Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta, & lapidum. 17. 16.125
Cap. 11 n. 4 Depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos: & non erat cor ejus perfectum. 17.16.125
31 Quia non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandavi tibi dissumpens, scindam regnum tuum, & dabo illud servo tuo. 13.24.198
Cap. 17 n. 1 Vivit Dominus in cujus conspectu isto; si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verba. 14.10.90
12 Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho; en colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo. 14. 33.304.21.33.547
14 Hæc dicit Dominus: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque in diem, in qua Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. 12.75.629
16 Ex illa die Hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non immutatus juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. 17.2.19
Cap. 19 n. 2 Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis. Timuit Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. 19.3.23
Cap. 21 n. 4 Proiiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem: & non comedit panem. 20.10.103
2 Da mihi vineam tuam, daboque tibi pro ea vineam meliorem. 12.54.463
20 Inveni, eo quod venumdatus sis ut facere malum in conspectu Domini. 17.36. 300.18.20.6.33.268
27 Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam: & jejunavit, & dormivit in sacco. 17.6.57
Cap. 22 n. 29 Ascendit itaque Rex Israel, & Josaphat Rex Juda in Ramoth Galaad. 17.6.57
34 Vir autem quidam tetendit arcum, & incertum sagittam dirigens, percussit regem Israel inter pulmonem, & stomachum. 13.19.148

Ex 4. Regum.

Cap. 1 n. 10 Si homo Dei sum descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos. 13.27.218
Cap. 2 n. 8 Divisæ sunt aquæ in utramque partem: & transierunt ambo per siccum.
9 Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus, 22.4.40
10 Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti: si autem non videris, non erit, 19.43.349
12 Ecce currus igneus, & equi ignei divisserunt utrumque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum. 17.4.33
13 Et elevavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei: reversusque stetit super ripam. 12. 27.216
Cap. 3 n. 27 Arripiens filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel. 20.19.181
Cap. 4 n. 3 Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca, & ingredere, & claude ostium tuum. 12.75.629
24 Quæ dixit illi: Nunquid petivi filium à Domino meo? Nunquid non dixi, ne illudas me. 12.34.262
29 Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: si occurrerit tibi homo non salutes eum & si salutaverit te quispiam, non respondeas ei. 14. 9.79
Cap. 5 n. 10 Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis. 18.13.109
14 Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli. 13 27.n...
Cap. 6 n. 17 Aperuit Dominus oculos pueri & vidit, & ecce mons plenus equorum, & currum igneorum. 12.77.646
20 Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ. 12. 57.476
28 Da mihi filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus. 16.4.33
32 Nunquid scitis, quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum. 28.13.109

Cap. 9 n.33 Et præcipitaverunt eam ; & aspersus est sanguine paries & equorum ungulæ conculcaverunt eam. 17.35.289
Cap. 10 n.7 Tulerunt filios Regis Achab & occiderunt septuaginta viros , & posuerunt capita eorum in cophinis. 14. 23. 213
Cap. 13 n.14 Elizæus ægrotabat infirmitate qua & mortuus est: descenditque ad eum Joas rex Israel : & flebat coram eo , dicebatque, Pater mi. 18.2.20
Cap. 20 n. 3 Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te corde perfecto. 21.33.538
10 Facile est umbram crescere decem lineis, neque hoc volo , ut fiat sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. 12.8.69
Cap. 22 n.11 Et cum audisset Rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua. 22. 7.83
Cap. 25 n. 9 Succendit domum Domini , & domum Regis : & domos Jerusalem. 21. 36. 610

Ex 2. Paralipomenon.

Cap. 6 n. 1 Dominus dixit ut habitaret in caligine. ... 21.73
Cap. 9 n. 18 Brachiola duo altrinsecus, & duos leones stantes juxta brachiola: 12 4.33
Cap. 9 n.16 De cunctis tribubus Israel , quicumque dederunt cor suum, ut quærerent Deum Israel. 21.33.541
Cap. 17 n. 9 Et docebant populum Juda , habentem signum legis Domini . 14. 17. 160
Cap. 25 n. 6 Rex non egrediatur tecum exercitus Israel , non est enim Dominus cum Israel , & cunctis filiis Ephraim. 21. 1.19
28 Interfecerunt eum ibi. Repottantesque super equos , sepelierunt eum. 16.7.56
Cap. 28 n.18 Et ait : non est tui officii , ut adoleas incensum Domino. 18. 1. 12 & 25 202
19 Iratus Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum , minabatur sacerdotibus: statimque orta est lepra in fronte ejus.13.30.244 & 20.13.121 & 13.30.244

Ex Tobia.

Cap. 11 n. 9 Tunc currit canis , qui simul fuerat in via : & quasi nuntius adveniens blandimento suæ caudæ gaudebat. ....
13 Tunc mens Tobias de felle piscis linivit oculos patris suis , & sustinuit quasi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis ejus , quasi membrana ovi,egredi. 18.16.137
Cap. 12 n.15 Ego sum Raphael Angelus , unus ex septem, qui astamus ante Dominum. 14.34.313
19 Ego cibo invisibili, & potu , qui ab hominibus videri non potest utor. 19. 23. 166 & 21.31.480
Cap. 13 n.21 Portæ Jerusalem ex sapphiro , & smaragdo ædificabuntur, & ex omni lapide pretioso omnis circuitus murorum . 21..229
22 Et per vicos ejus Alleluja cantabitur. 19. 2.12
Cap.14 n. 6 Prope erit interitus Ninive : nunc ergo filii audite me , & nolite manere hic : tuam circa me in uno sepulchro : ex eo dirigite gressus vestros. 19.2.12

Ex Judith.

Cap. 7 n.8 Filii Israel non in lancea nec in sagitta confidunt , sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles. 17. 23. 196
Cap. 8 n. 8 Erat hæc omnibus famosissima , quoniam timebat Dominum valde , nec erat , qui loqueretur de ea verbum malum , 14.7.60
9 Misit ad Presbyteros Chabri: & Charmi ; & venerunt ad illam , & dixit illis. 12. 24.259
Cap. 9 n.1 Ingressa est oratorium suum , & induit se cilicio : posuit cinerem super caput suum : & prosternens se Domino clamabat. 12.6.30
Cap.10 n.17 Cum intrasset ante faciem ejus ; statim captus est in oculis suis Holophernes . 17. 18.149
Cap.12 n.19 Et accepit , & manducavit , & bibit coram eo , quæ paverat illi ancilla ejus . 13.19.148

Cap.13 n.10 Percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus. 13.19.148
Cap. 26 n. 9 Statim orta est lepra in fronte ejus. 13. 30.244

Ex Esther.

Cap. 1 n. 19 Nunquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera , quæ melior est accipiat . 19. 17.120
Cap. 2 n.15 Quæ non quæsivit muliebrem cultum , sed quæcumque voluit Egeus Eunuchus , custos virginum hæc ei ad ornamentum dedit. 19.19.137
19 Cumque secundò quærerentur virgines,& congregarentur , Mardochæus manebat ad januam regis. 14.4.29
Cap. 3 n.1 Post hoc Rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi . 17.14.107
Cap. 5 n. 3 Dixitque ad eam Rex, quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni mei petieris , dabitur tibi. 12.74.623
4 Si regi placet , obsecro , ut veniat ad me hodie & Aman tecum ad convivium . 19.25.176
Cap. 9 n.15 Interfecti sunt in Susan trecenti viri : nec eorum ab illis direpta substantia est. 18. 5.46
Cap.10 n.10 Parvus fons , qui crevit in fluvium & in lucem, solemque conversus est . 12. 11. 91 & 22.1.7
Cap.15 n. 8 Ipsa autem roseo colore vultum perfusa , & gratis , ac nitentibus oculis tristem celabat animum. 17.32.261
16 Vidi te Domine , quasi Angelus Dei , & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ. 14.30.272

Ex Job.

Cap. 1. n. 1 Vir erat in terra Hus nomine Job : & erat vir ille simplex,ac rectus, ac timens Deum. 21.29.400
5 Et sanctificabat illos Job, & consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis. 12.33.252
6 Quadam die cum venissent Filii Dei , & starent coram Domino , affuit inter eos satan . 12.34.259
7 Unde venis? qui respondens ait: Circuivi terram , & perambulavi eam. 20.10.101
8 Nunquid considerasti servum meum Job , quod non sit ei similis in terra: Homo simplex , & rectus , & recedens à malo . 21.25.275
11 Extende paululum manum tuam , & tange cuncta quæ possidet : nisi in faciem benedixerit tibi . 19.61.476 & 21.21.159
12 Egressusque est Sathan à facie Domini . 13. 29.234
13 Cum quadam die filii , & filiæ ejus comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti , nuntius venit ad Job; qui diceret: boves arabant. 18 14. 114 & 18.146
17 Chaldæi fecerunt tres turmas, & irruerunt in camelos . & tulerunt eos . 17.30.250
19 Ventus vehemens irruit à regione deserti: & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos ejus . 12.7. 64 & 35.268
20 Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua: & tonso capite corruens in terram, adoravit, & dixit. 12.81.687
Cap. 2 n. 2 Ut diceret Dominus ad Satan : unde venis ? qui respondens ait : Circuivi terram,& perambulavi eam. 12.8.703
7 Percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus , qui testa faniem radebat, sedens in sterquilinio. 12. 70.583 & 14.25.231 & 21.33.543
Cap. 3 n.4 Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper , & non illustretur lumine : obscurent eum tenebræ , & umbra mortis : occupet eum caligo . 17.6.56
Cap. 4 n.6 Ubi est timor tuus? Quis unquam innocens periit: aut quando recti deleti sunt. 22.11.118
Cap. 7 n. 2 Sicut servus desiderat umbram,& sicut mercenarius præstolatur finem operis sui . 14. 27.248
20 Quare posuisti me contrarium tibi , & factus sum mihi metipsi gravis. 17.17 138
Cap. 11 n.20 Oculi impiorum deficient , & effugium peribit ab eis . 20.7.70
Cap. 12 n.12 In antiquis est sapientia , & in multo tempore prudentia : apud ipsum est sapientia , & fortitudo . 12.46.372 & 15, 17.144
Cap. 14 n.13 Quis mihi hoc tribuat , ut in inferno protegas me & abscondas me , donec pertranseat furor tuus. 28.6.57

Cap. 15 n.27 Operuit faciem ejus crassitudo , & de lateribus ejus aruina dependet. 17.16. 126
Cap. 16 n.16 Saccum consui super cutem meam & operui cinere carnem meam. 17. 26. 222
Cap. 18 n. 7 Arctabuntur gressus virtutis ejus , & præcipitabit eum consilium suum : Immisit enim in rete pedes suos , & in maculis ejus ambulat. 16.25.105
Cap. 19 n.23 Quis mihi tribuat , ut scribantur sermones mei ? quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo , vel celte sculpantur in silice. 21.11.96
25 Scio quod in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum . 20.2.15
Cap. 25 n. 3 Numquid est numerus militum ejus ? & super quem non surget lumen ejus. 12.34.259
Cap. 27 n.6 Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea. 12.68. 563
Cap. 29 n. 7 Quando procedebam ad portam civitatis, & in platea parabam cathedram mihi . 19.36.285
14 Justitia indutus sum , & vestivi me tanquam vestimento , & diademate , judicio meo. 12.4.35
Cap. 30 n.22 Elevasti me , & quasi super ventum ponens , elisisti me. 18.31.243
Cap. 34 n.11 Opus enim hominis reddet ei , & juxta vias singulorum restituet eis . 15. 12.98
18 Qui dicit regi apostata , qui vocat duces impios. 17.24.205
30 Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 12.83.702
Cap. 36 n.16 Salvabit de ore angusto latissimè , & non habente fundamentum subter se. 14.36. 329
Cap. 38 n.35 Nunquid mittes fulgura , & ibunt & revertentia dicent tibi , adsumus? 16.2. 13 & 21. 26.308
Cap. 39 n. 1 Nunquid parturientes cervas observasti? dinumerabis menses conceptus earum : Incurvantur ad fœtum , & pariunt , & rugitus emittunt . 12.29.226
Cap. 40 n.10 Ecce Behemoth , quem feci tecum fœnum , quasi bos comedet . 14, 25.232
16 Sub umbra dormit in secreto calami & in locis humentibus . 12.83.702
Cap. 41 n.16 Cum sublatus fuerit : timebunt Angeli , & territi purgabuntur . 15. 3. 20
17 Cum apprehenderit eum gladius sustinere non poterit, neque hasta, neque thoran .
24 Non est super terram potestas , quæ comparetur ei , qui factus est ut nullum timeret . 12.34.252
Cap.42 n. 7 Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos , quoniam non estis locuti coram me rectum , sicut servus meus Job. 20.8.77 & 21.34.567
10 Dominus quoque conversus ad pœnitentiam Job cum oraret pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia , quæcumque fuerunt Iob duplicia . 22.11.118

Ex Psalmis.

psal. 1 n. 1 Beatus vir , qui non abiit in consilio impiorum , & in via peccatorum non steterit, & in cathedra pestilentiæ non sedit . 12.59.493 & 16.3.23
4 Erit tanquam lignum , quod plantatum est secus decursus aquarum , quod fructum suum dabit in tempore suo. 22. 2. 20
6 Novit Dominus viam justorum , & iter impiorum peribit . 16.14.99
psal. 2 n. 1 Astiterunt Reges terræ . & Principes convenerunt in unum . 18. 15. 124
68 Ego autem constitutus sum Rex ab eo : postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam . 19.50.398
7 Dominus dixit ad me : filius meus tu : ego hodie genui te. 12.12.9.
8 Dabo tibi gentes hæreditatem tuam , & possessionem tuam terminos terræ . 1. 31. 383
9 Reges eos in virga ferrea , & tanquam vas figuli confriges eos. 12.47.377
10 Et nunc Reges , intelligite: Erudimini qui judicatis terram : Servite Domino cum timore . 19.55.418
psal. 4 n. 6 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine , dedisti lætitiam in corde meo. 21.27.344
8 A fructu frumenti , vini & olei , multiplicati sunt . 19.46.362
psal. 5 n.11 Sepulchrum patens est guttur eorum , linguis suis dolose agebant Judæa illos Deus . 13. 2. 17 & 18. 3. 34

psal. 6 n. 7 Lavabo per singulas noctes lectum : Lachrymis meis stratum meum rigabo. 21.10.90

psal. 8 n. 3 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos. 12. 24. 205

psal. 9 n. 7 Inimici defecerunt framex in finem, & civitates eorum destruxisti. 20. 13. 119

15 Contere brachium peccatoris & maligni, quæretur peccatum illius & non invenietur. 16,14.99

psal. 10 n. 3 Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. 12.16.140

7 Pluet super peccatores laqueos ignis & sulphur, & Spiritus procellarum pars calicis eorum. 16.5.43 & 18.10.86

psal. 14 n. 1 Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo. 21.27.344

4 Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus : timentes autem Dominum glorificant. 20.3.24

psal. 16 n. 11 Proiicientes me, nunc circumdederunt me : oculos suos statuerunt declinare in terram. 12.40.309

15 Satiabor cum apparuerit gloria tua. 20. 6.16

psal. 17 n. 14 Et intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. 14. 7. 58

psal. 18 n. 6 In sole posuit tabernaculum suum : & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. 16.15.107 & 19.10.82. & seqq. & 55.437

7 Exultavit ut gigas ad currendam viam, à summo cœlo egressio ejus. 14.28.162

psal. 20 n. 4 Prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis : posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. 12. 16. 137 & 24. 199

psal. 21 n. 17 Circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me. 22. 9.99

21 Erue à framea Deus animam meam ; & de manu canis unicam meam. 12.19.164. & 25.31.484 & 22.9.98

26 Apud te laus mea, in Ecclesia magna vota mea reddam in conspectu timentium eum. 19.29.212

psal. 22 n. 4 Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. 12.47.376

5 Impinguasti in oleo caput meum : & calix meus inebrians, quàm præclarus est. 21. 27.352

psal. 23 n. 1 Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo. 15.9.72

psal. 24 n. 8 Dulcis, & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. 19. 47.371

psal. 26 n. 4 Unam petii à Domino : hanc requiram ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini. 21.26.296

9 Ne avertas faciem tuam à me : ne declines in ira à servo tuo. 19.36.282

psal. 28 n. 1 Afferte Domino Filii Dei afferte filios arietum. 21.37.262

9 Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa. 12.19.226

psal. 30 n. 3 Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias. 12.50.410

psal. 31 n. 9 Nolite fieri, sicut equus, & mulus quibus non est intellectus. 14. 38. 348

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus 21.29.409

psal. 32 n. 1 Exultate justi in Domino : rectos decet collaudatio. 19.7 61

psal. 33 n. 1 Benedicam Domino in omni tempore : semper laus ejus in ore meo. .., 6.42

12 Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. 19.8 65

psal. 34 n. 16 Dissipati sunt, nec compuncti tentaverunt me. 16.28.236

psal. 35 n. 7 Justitia tua, sicut montes Dei : judicia tua abyssus multa. 15.13.107

9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ : & torrente voluptatis tuæ potabis eos. 22, 1. 10

12 Non veniat mihi pes superbiæ : & manus peccatoris non moveat me : ibi ceciderunt omnes. 17 15.290

psal. 36 n. 24 Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. 12. 50.311

32 Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum. 12 [illegible]698

35 Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut Cedros Libani : & transivi, & ecce non erat, quæsivi, & non est inventus locus ejus. 12.60.498 & 17.31.178 & [illegible].19.179

psal. 37 n. 5 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. [illegible] 4. 27

12 Amici mei, & proximi mei, adversum me appropinquaverunt, & steterunt : & qui juxta me erant de longe steterunt. 12. 42.328

psal. 39 n. 7 Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. 12 12.98. 99

psal. 40 n. 4 Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus. 12.24.202

11 Tu autem Domine, miserere mei : & resuscita me, & retribuam eis. 21. 35. 584

psal. 41 n. 3 Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei. 21.12.99

5 Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei. 21. 8.73

psal. 42 n. 4 Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. 19. 17, 123

psal. 43 n. 20 Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis. 18.32.253

psal. 44 n. 1 Eructavit cor meum verbum bonum: Dico ego opera mea regi : lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. 21.11.97 & 33.538

3 Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis: accingere gladio tuo. 21.7.64

4 Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime ; specie tua & pulchritudine tua, intende prospere. 14.15.133 & 19.49.386

7 Virga directionis virga regni tui. 12. 47. 376

8 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 21.27.349

10 Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato : circumdata varietate. 12.22.182 & 14.3.22 & 12.106 & 21.6.53.54

11 Audi filia, & vide & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui. 12.77.642 & 21.26. [illegible]3

13 Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. 21.6,54

14 Omnis gloria ejus ab intus. 17.14.109

psal. 45 n. 5 Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. 12.10.82 & 22.1.6

psal. 46 n. 3 Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. 12. 74.622

psal. 47 n. 13 Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni. 12.10.82 & 19. 27.194

11 Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ : justitia plena est dextera tua. 21.29.407

psal. 48 n. 6 Cur timebo in die mala ? iniquitas calcanei mei circumdabit me. 12. 44.345

12 Homo comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. 13.1.10

psal. 49 n. 14 Immola Deo sacrificium laudis : & redde altissimo vota tua. 19. 9. 71 & 29. 212

psal. 50 n. 5 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. 18.2.17

14 Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. 14.5.40

psal. 54 n. 7 Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ: volabo, & requiescam. 12.74.620. 621 & 14.25.228

16 Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes. 14.36.335

psal. 57 n. 11 Lætabitur justus cum viderit vindictam : manus suas lavabit in sanguine peccatorum. 13.19.149 & 15.9.69 & 18.28. 222

psal. 58 n. 7 Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes. 29. 19. 301

psal. 61 n. 2 Nonne Deo subjecta erit anima mea ? ab ipso enim salutare meum. 21.14.559

4 Quousque irruitis in hominem ? Interficitis universi vos, tanquam pariete inclinato, & maceriæ depulsæ. 12.35.269

5 Veruntamen pretium meum cogitaverunt repellere: cucurri in siti. 19.30.216

10 Verumtamen filii hominum mendaces in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate. 19.32.240

11 Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. 12.79.667

psal. 63 n. 8 Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. 21.26.301

psal. 64 n. 10 Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus. 19 41.374

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : & campi tui replebuntur ubertate. 19.37. 292 & 41.324

14 Induti sunt arietes ovium & valles abundabunt frumento. 12.4.36 & 19.29.215

psal. 65 n. 12 Transivimus per ignem, & aquam : & eduxisti nos in refrigerium. 15. 7. 59

psal. 67 n. 10 Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ. 19. 41. 326 & 37. 404

14 Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri. 17. 8. 241

16 Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus mons pinguis. 19 15.107

19 Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus. 12.48. 392

26 Prævenerant principes conjuncti psallentibus in medio juvenculatum tympanistriarum. 19.7.53 & 15.108

30 A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera. 18.29.232

33 Regna terræ cantate Deo : psallite Domino : psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. 21.17. 146

psal. 68 n. 16 Nequando urgeat supra me puteus os suum. 14.37.340 & 18.31.241

26 Fiat habitatio eorum deserta, & Episcopatum ejus accipiat alter. 18.17. 144

psal. 69 n. 4 Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. 12. 40. 310

psal. 70 n. 16 Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini. 18. 19. 256

psal. 71 n. 3 Suscipiant montes pacem, & colles justitiam. 22.5.69

15 Et vivet & dabitur ei de auro Arabiæ : & adorabunt de ipso semper. 15.17. 143

16 Et erit firmamentum in terra, & super extolletur super Libanum fructus ejus. 19.29.213

psal. 72 n. 9 Posuerant in cœlum os suum : & lingua eorum transivit in terra. 12. 34. 258

16 & 17 Existimabam, ut cognoscerem hoc : Labor est ante me donec introem in Sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum. 15. 21. 175

18 Verumtamen propter dolos posuisti eis : dejecisti eos dum allevarentur. 18.13. 111

psal. 73 n. 14 Tu confregisti capita draconis in aquis : dedisti escam populis Æthiopum. 12. 52.433

13 Tu confregisti in virtute tua mare : contribulasti capita draconis in aqua. 14.43. 30 & 20.19.178

psal. 74 n. 9 Calix in manu Domini vini meri plenus misto. 14. 23. 208 & 18. 10. 85

psal. 75 n. 2 Notus in Judæa Deus: in Israel magnum nomen ejus. 12.20.170

6 Dormierunt somnum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. 12.79.670

9 De cœlo auditum fecisti judicium : terra tremuit, & quievit cum exurgeret in judicium Deus. 15.3.21

psal. 76 n. 19 Etenim sagittæ transeunt : vox tonitrui tui in rota. 16, 2. 12 & 21, 26 308

psal. 77 n. 21 Januas cœli aperuit : dedit illis manna ad manducandum : panem cœli dedit eis : Panem Angelorum manducavit homo. 19. 18. 127 & 23. 166 & 30.215

23 Mandavit nubibus desuper ; & pluit illis manna. 19.33.246

33 Adhuc escæ erant in ore eorum, & ira Dei ascendit super eos. 19.47.359

34 Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur : & diluculo veniebant ad eum. 15.3.16

66 Percussit inimicos suos in posteriora : opprobrium dedit illis. 16.4.28

67 Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda. 21.28.373

68 Elegit tribum Juda montem Sion, quem dilexit. 14.3.19

psal. 78 n. 12 Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum : improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine. 18.9.75

psal. 79 n. 3 Qui sedes super Cherubim manifestare coram Ephraim. 12.83.703 & 14. 31

5 Domine Deus virtutum quousque irasceris super orationem servi tui ? cibabis nos pane lachrymarum. 18.12.102

3 Ut quid destruxit maceriam ejus, & vindemiant eam omnes. 14.35.318

psal. 80 n. 7 Manus ejus in cophino servierunt. In tribulatione invocasti me, & liberavite. 12.76.617

psal. 81 n. 2 Usquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis. 13. 6. 53

psal.82 n.14 Deus meus pone illos ut rotam: & sicut stipulam ante faciem tuam. 17.11.81
psal.83 n. 3 Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. 19.15.109
6 Beatus vir, cujus est auxilium abs te ascensiones in corde suo disposuit. 13. 2. 11
8 Videbitur Deus Deorum in Sion. 14.3 17
psal.84 n.2 Benedixisti Domine terram tuam avertisti captivitatem Jacob. 12.81.681
12 Veritas de terra orta est: & justitia de cœlo prospexit. 14.16.142
psal.85 n.13 Misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam de inferno inferiori. ...
14 Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam. 17.25.226
16 Respice in me, & miserere mei: da imperium tuum puero tuo: & salvum fac filium ancillæ tuæ. 21.25.270
psal.86 n. 2 Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. 14.3.19 & 12.9.74
1 Fundamenta ejus in montibus sanctis. 12. 16 137
4 Memor ero Rahab, & Babylonis scientium me. 15.12.105
7 Sicut lætantium omnium habitatio est in te 12.10.82
psal.88 n.38 Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta, testis in cœlo fidelis. 12.8.66 & 22 175
psal.89 n. 4 Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit. 20.2,22
19 In potentatibus octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor. 12.38.292
psal.90 n. 1 Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur, dicet Domino susceptor meus es tu. 12. 33.249
7 Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. ...
psal.92 n. 1 Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se. 14. 15. 133 & 19. 20. 141
psal.97 n. 1 Salvavit sibi dextera ejus: & brachium sanctum ejus. 12.67.560
psal.99 n. 2 Introite in conspectu ejus in exultatione. 19 1.8
psal.101 n. 5 Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. 19.59.458
10 Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. 21.10.90
12 Dies mei sicut umbra declinaverunt: & ego sicut fœnum arui. 12.81.679
19 Scribantur hæc in generatione altera & populus, qui creabitur, laudabit Dominum. 22.14.134
27 Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. 18.3.27 & 20.1.10
psal.102 n. 4 Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, & miserationibus. 19.37.291 & 50.397
5 Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur, ut aquilæ juventus tua. 12. 73.615
psal.103 n. 2 Confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento. 12. 14. 116
3 Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum. 14. 29. 264
4 Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ministros tuos ignem urentem. 12.14.130
7 Hoc mare magnum, & spatiosum manibus illic reptilia quorum non est numerus, animalia magna cum parvis. 14. 4. 30
psal.105 n.37 Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis. 20.19.181
psal.106 n.16 Quia contrivit portas æreas & vectes ferreos confregit. 19.44.353
17 & 20 Cepit eos de via iniquitatis eorum propter injustitias enim suas humiliati sunt, & appropinquaverunt, usque ad portas mortis. Misit verbum suum, & sanavit eos. 19.49.392
33 Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum. 22.1.8
psal.108 n. 8 Fiant dies ejus pauci, & Episcopatum ejus accipiat alter. 18.17.144
18 Et induit maledictionem sicut vestimentum, & introivit sicut aqua in interiora ejus. 13.4.35
psal.109 n. 1 Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 12.16.135
2 Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum. 19.20.144
3 Ex utero ante luciferum genui te. 12.1.111
4 Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. 19.46 368
psal.112 n. 5 Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat & humilia respicit. 14.32.298 & 15.18.136
psal.113 n. 9 Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. 16.3.22
6 Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum. 12.50.415
psal.114 n. 2 Quia inclinavit aurem suam mihi: & in diebus meis invocabo. 19.6.42
psal.115 n.11 Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax. 14.16.139 & 19.32.239
13 Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. 19 33.24
16 O Domine quia ego servus tuus sum, & filius ancillæ tuæ. 15.11.89
psal.117 n.19 Aperite mihi portas justitiæ: ingressus in eas, confitebor Domino. Hæc porta Domini justi intrabunt per eam. 21. 19.155
psal.118 n.76 Fiat misericordia tua, ut consoletur me omnibus diebus vitæ meæ. 19. 43 340
85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua. 17.15.115
154 Judica judicium meum, & redime me. propter eloquium tuum vivifica me. 18. 29.128
105 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. 2.14.612
psal.124 n. 2 Qui habitat in Jerusalem, montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui. 22.2.18
3 Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum, super sortem Justorum ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. 19.25.213.214 18.4.38
psal.127 n. 1 Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. 19.8.64
3 Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. 12.24.209 & 21.15.131
psal.127 n. 1 Sæpe expugnaverunt me à juventute sua, dicat nunc Israel: sæpe expugnaverunt me: etenim non potuerunt mihi. 12. 1: 6
psal.130 n. 1 Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me. 17 28.235
psal.131 n. 1 Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus: sicut juravit Domino. Votum vovit Deo Jacob. 13.18.139
psal.133 n. 1 Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini. 13.21.163
psal.134 n. 9 Misit signa, & prodigia in medio tui Ægypte. 12.7.4
13 Domine nomen tuum in æternum: Domine memoriale tuum in generationem, & generationem. ....
1 Laudate nomen Domini: Laudate servi Dominum. 19.8.63
psal.135 n. 7 Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus: solem in potestatem dici, & Lunam in potestatem noctis. 19.28.208
psal.137 n. 2 In conspectu Angelorum psallam tibi: Adorabo ad templum sanctum tuum. 14 8 72
psal.138 n. 7 Si Ascendero in cœlum, tu illic es: Si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. 21.22.230
12 Tenebræ non obscurabuntur à te & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus. 15.6.50
15 Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto. 15.6.52
psal.139 n.10 Caput circuitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos. 20. 10. 100
psal.140 n. 5 Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. 12.40.309
7 Audient verba mea, quoniam potuerunt sicut crassitudo terræ erupta est super terram. 12.78.656
10 Cadent in retiaculo ejus peccatores: singulariter sum ego, donec transeam. 21. 30.417
psal.142 n. 2 Non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. 22.14.127
psal.148 n. 5 Domine inclina cœlos, & descende: tange montes, & fumigabunt. 21.5.50
11 Erue me de manu filiorum alienorum quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. 13. 24.195
12 Filiæ eorum compositæ, ut similitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. 17. 18. 149 & 18. 158
psal.144 n. 7 Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt. 16.8.58
psal.145 n. 8 Dominus erigit elisos: Dominus diligit justos. Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet. 18.14.89
psal.147 n.14 Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. 19. 33. 249 & 21. 18.150
psal.148 n. 9 Montes & omnes colles: ligna fructifera, & omnes cedri. Bestiæ & universa pecora. 19.8.61
psal.149 n. 9 Exultationes Dei in faucibus eorum, & gladii ancipites in manibus eorum. 19. 9.72

Ex Proverbiis.

Cap. 1 n. 17 Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. 14 25.225
Cap. 3 n. 9 Honora Deum de tua substantia & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt. 14.15.135
18 Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus, 22. 2. 22
Cap. 5 n. 3 Favus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius. 17.15.117
16 Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. 21.6.70
Cap. 7 n.10 Garrula, & vaga, quietis impatiens nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis. 19.3.20
Cap. 8 n.15 Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. 12. 18. 154
18 Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia. 12. 11. 92 & 19. 41. 225
17 Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenerunt me. 19. 41.325
22 Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio: ab æterno ordinata sum. 12.5.41 & 16.132
24 Nondum erat abyssi, & ego jam concepta eram. 12.14.117 & 32.245
31 Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum. 19.14.104 & 23.165
Cap. 9 n.1 Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum & proposuit mensam suam. 19.46.366
3 Misit ancillas suas, & vocavit ad arcem, & menia civitatis. 19.55.439
17 Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior: & ignoravit, quod ibi sint gigantes. 17 34.280
Cap. 14 n.13 Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat. 18. 12. 100
Cap. 18 n.17 Justus prior est accusator sui: venit amicus ejus, & investigabit eum. 12 68. 564
Cap. 19 n.11 Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria ejus. 14. 25. 226
28 Os impiorum devorat iniquitatem. 17.15. 117
Cap. 20 n.1 Luxuriosa res vinum, & tumultosa ebrietas. 17.20.169
Cap. 23 n.27 Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. 16. 5. 39
Cap. 24 n.32 Novissimè ego egi pœnitentiam, & respexi, ut eligerem disciplinam. 15. 4.29
Cap. 25 n. 2 Gloria Dei est celare verbum & gloria regum investigare sermonem. 19. 36 285
Cap. 26 n. 8 Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem. 17.28.237
11 Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. 22.9.100
Cap. 27 n.14 Qui benedicit proximo suo voce grandi, & de nocte consurgens, maledicenti similis erit. 22. 9. 102
Cap. 30 n. 4 Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus. 19.49.388
18 Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram. 12.83.703
Cap. 31 n.10 Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. 12.10.81
19 Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum. 17. 4. 107
21 Byssus, & purpura indumentum ejus. Fortitudo, & decor indumentum illius. 17. 14.105 & seqq.
29 Multæ filiæ congregaverunt divitias tu, supergressa es universas. 12.15.125 & 46. 369
30 Fallax gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum ipsa laudabitur. 20.7.62

Ex Ecclesiaste.

Cap. 1 n. 4 Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat. 20.16.138
25 Stultorum infinitus est numerus. 12.83.702
28 Qui addit scientiam, addit & laborem. 15. 17.144
Cap. 2 n. 8 Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias Regum, ac Provinciarum. 18.5.43
Cap. 3 n. 4 Tempus flendi, & tempus ridendi tempus plangendi, & tempus saltandi, 21. 10,89
Cap. 4 n. 10 Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem te. 12.50.411.412
Cap. 5 n. 7 Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii. 19.50. 400
Cap. 7 n. 10 Ne sis velox ad iracundiam, quia ira in sinu stultorum requiescit. 16. 13.95
27 Inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est. 16.5.39
31 In tota anima tua time Deum, & sacerdotes ejus sanctifica. 19.28.205
Cap. 9 n. 10 Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus nec ratio erit apud inferos. 18.32.252
Cap. 12 n. 4 Obsurdescent omnes filiæ carminis. 18. 32.257

Ex Cantico Canticorum.

Cap. 1 n. 2 Oleum effusum nomen tuum: ideo adolescentulæ dilexerunt te. 12. 23.192 & 15.20.169 & 21.27.363
3 Trahe me post te: Curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur. 12.13.105 & 17.142 & 20.17.161
4 Nigra sum sed formosa filia Jerusalem. 21.1.18
5 Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi. 19.7.59
7 Si ignores te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos. 19.7.58
9 Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis: collum tuum sicut monilia. 14.15.131
12 Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. 13.16.127
15 Lectulus noster floridus: tigna domorum nostrarum cedrina. 21.4.41
Cap. 2 n. 3 Sub umbra illius, quem desideraveram sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo, introduxit me rex in cellam vinariam. 22.3.30
4 Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem. 19.42 332
6 Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. 12.5.40
12 & 13 Flores apparuerunt in terra nostra: Tempus putationis advenit: Vox turturis audita est in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. 17.14.108
14 Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua. 15.10.87 & 19.44. 354
15 Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. 12.83.706
16 Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. 19.14.105
17 Similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes. 26.20.103
Cap. 3 n. 1 In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. 21.12.103 & 18.377
2 Surgam & circuibo civitatem per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. 11.15.129
3 Num quem diligit anima mea vidistis. 21. 28.384
4 Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. 21. 35. 587
6 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris. 12.23.193
7 Ecce lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. 21.16.136
11 Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius. 12.13.122 & 64.533
Cap. 4 n. 1 Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es: capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. 13.13.121
2 Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. 18.15.130. & 19. 32.90
3 Sicut fragmen mali punici; ita genæ tuæ. 12.1.7
8 Veni de Libano sponsa mea coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum de montibus pardorum: 12.6.52 & 18. 252 & 21. 171 & 44.347 & 76.635 & 21.29.413
9 Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum. 12.14.118
10 Odor unguentorum tuorum super omnia aromata. 14.10.88
12 Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus. 19.10.81
13 Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. 21. 8. 77
15 Fons hortorum, puteus aquarum viventium. 22.14.133
16 Surge Aquilo, veni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius. 12. 11.426
Cap. 5 n. 1 Veniat dilectus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. 14. 22. 202
1 Comedite amici, bibite, & inebriamini, charissimi. 12.51.427
2 Aperi mihi soror mea, amica mea columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore. 12.28.221
2 & 6 Vox dilecti mei pulsantis. Pessulum ostii mei, aperui dilecto meo. 14.3.22
6 Quæsivi & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi. 12.24. 211. & 43. 342
7 Invenerunt me custodes, percusserunt me, & vulneraverunt me: tulerunt pallium meum. 19.19.138
4 Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus. 19.1.11
10 Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus. 19.40.321
13 Genæ illius, sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis. 20.6.61
15 Species ejus ut Libani, electus ut cedri. 15.16.136
11 Caput ejus aurum optimum. 21.26.3
14 Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, 21.34.553
Cap. 6 n. 3 Pulchra es amica mea, suavis & decora, sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. 12.52.438 & 17.2.22
7 Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. 12.15.128. & 20.167 & 14.4.31 & 21.35.587
8 Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ electa genitricis suæ. 12. 19.164 & 80.675
9 Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, 12.16.139 & 23 175 & 177 & 24. 201
13 Anima mea conturbata est propter quadrigas Aminadab. 21.26.323
Cap. 7 n. 1 Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum, 14.7.65 & 19.1.11
2 Umbilicus tuus crater tornatilis: venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. 12.20.169 & 21.8.76 & 22.5.58. & 19.18. 130
5 Comæ capitis ejus, sicut purpura regis vincta canalibus. 14.12.108 & 19.4.33
4 Collum tuum sicut turris eburnea. 12.22. 177 & 15.16.131
8 Ascendam in palmam, & apprehendam fructus. 12.72.609
12 Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. 12.33.249
Cap. 8 n. 1 Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris. 12.31.412
5 Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens. 12.51.423 & 75.627
5 Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua. 18.21.172
6 Pone me ut signaculum super cor tuum ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio. 14.11.69
8 Soror nostra parva, & ubera non habet, faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est. 12.45.359
10 Ego murus, & ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. 12.52.437
14 Fuge dilecte mi assimilare capreæ hinnuloque cervorum. 20.16.141

Ex Sapientia.

Cap. 1 n. 5 Spiritus sanctus disciplinæ, effugiet fictum. 15.5.39
Cap. 2 n. 1 Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis. 13.14.116
8 Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. 13.7.65
13 Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris. 16.16.116
24 Invidia autem diaboli, mors intravit in orbem terrarum. 12.44.350 & 63.431
Cap. 6 n. 6 Horrende & citò apparebit vobis quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. 14.38.347 & 16.22.174
Cap. 7 n. 3 Primam vocem similem omnibus emisi plorans. 17.24.200
11 Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius. 12.15.125
26 Speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius. 22 3.36
Cap. 8 n. 1 Attingit usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. 19. 22. 157
Cap. 9 n. 2 Qui fecisti omnia verbo tuo, & in sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, 15. 2.14
4 Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis quoniam ego servus tuus sum, filius ancillæ tuæ. 12.9.79. & 13.25 201
Cap. 10 n. 13 Descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. 14. 2.13. & 21,32,515
Cap. 11 n. 21 Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. 18.10.85
24 Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 12.74.623
Cap. 12 n. 18 Tu autem Dominator omnium cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos. 15.19.162
Cap. 14 n. 15 Et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia. 13.11.94
Cap. 16 n. 20 Paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem. 12.76.638
Cap. 18 n. 24 In veste poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum, 21.24.240

Ex Ecclesiastico.

Cap. 1 n. 20 Plenitudo sapientiæ timere Deum & plenitudo à fructibus illius. 14.20. 173
22 Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum. 14.20.173
Cap. 6 n. 2 Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus. 17.35.291
Cap. 7 n. 5 Penes regem noli videri sapiens: noli quærere fieri judex. 13.25.195
Cap. 9 n. 7 Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. 17. 10. 75
Cap. 15 n. 3 Cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ potabit illum. 19. 55.439
9 Non est speciosa laus in ore peccatoris. 19. 8.61
10 Quoniam à Deo profecta est sapientia: sapientiæ enim Dei astabit laus. 19.8.62
Cap. 16 n. 3 Melior est enim unus timens Deum quàm mille filii impii. 20.2.22
Cap. 23 n. 28 Oculi Domini multo plus lucidiores super solem circumspicientes omnes vias hominum & hominum corda. 15. 6.51
Cap. 24 n. 5 Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam. 12. 14. 115
7 Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis. 19.7.55 & 21.3.55
23 Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honestatis. 12.18.155
27 Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum. 21.25.284
29 Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient. 19.18.128
Cap. 26 n. 11 Mulier ebriosa ira magna & contumelia, & turpitudo illius. 17.181.78
21 Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei: sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus. 12.17.146
Cap. 27 n. 12 Stultus ut luna mutatur. 12.8.68. & 16. 134. & 24.230
Cap. 31 n. 8 Beatus vir, qui post aurum non abiit nec speravit in pecunia & thesauris. 17. 29. 241
Cap. 42 n. 16 Sol illuminans per omnia, & gloria Domini plenum est opus ejus. 12.22.179
Cap. 43 n. 22 Requiescere super omnem congregationem aquarum, & induere aquis, quasi lorica. 17.34.276
26 Qui navigant mare, narrent pericula ejus & audientes auribus nostris admirabimur. 15.6.48
Cap. 44 n. 20 Abraham magnus, pater multitudinis gentium, non est inventus similis illi, qui conservaret legem excelsi. 14.10.82 & 21.30.413

Ex Isaia.

Cap. 1 n. 21 Quomodo facta est meretrix civitas fidelis plena judicii? justitia habitavit in ea. 17.2.18.& 19.166
23 Principes tui infideles, socii furum omnes diligunt munera, & sequuntur retributiones. 18.13.268
29 Confundantur ab idolis, quibus sacrificarunt, & erubescetis super hortis, quos diligunt. 18.25.198
Cap. 2. n. 2 Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. 21.24.233.
20 In die illa proiiecit homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret. 19.31.231
Cap. 3. n. 1 Ecce Dominator Dominus aufert à Ierusalem, & à Juda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem. 21.19.166
6 Apprehendet vir fratrem suum, & domesticum patris sui, vestimentum tibi est: princeps esto noster. 17.7.65
Cap. 4 n. 6 Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in abscessionem à turbine, ac pluvia. 21.8.78
Cap. 5 n. 14 Propterea dilatavit infernus animam suam & aperuit os suum absque ullo termino: & descenderunt fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique e jus ad eum 18.4.136
26 Elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ. 12.6.4
Cap. 6 n. 2 Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: Seraphim stabant super illud. 12.8.71.& 14.166. & 19.51.407
3 Et clamabant alter ad alterum, & dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. 12.43.343.& 21.5.49
4 Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus impleta est fumo. 12.43.343.& 19.1.7
5 Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. 21.34.575
7 In manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum, & dixit mihi, ecce auferetur iniquitas tua. 12.14.120.& 15.124
8 Audivi vocem Domini, quem mittam, & quis ibit nobis. 18.7.60
Cap. 7 n. 3 Egredere in occursum Achaz: tu, & qui relictus est, Jasub, filius tuus ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri: & dices ad eum. 15.5.41
Cap. 8 n. 4 Voca nomen ejus: accelera spolia detrahere, festina prædari, quia antequam sciat puer vocare patrem, & matrem. 17. 32.336
Cap. 9 n. 1 Primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Nephtali: novissimo aggravata est via maris. 18.22.179
2 Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam habitantibus in regione umbræ mortis, Lux orta est eis. 15.12. 176
5 Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. Parvulus enim natus est nobis. 16.24.193
6 Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius Deus fortis, princeps pacis. 12. 47.377
15 Propheta docens mendacium, ipse est cauda. 12.40.312
Cap. 10 n. 22 Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem, & abbreviationem faciet Dominus. 12.17.92
25 Sufcitabit super eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian, in petra Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in via Ægypti. 12.47.379
Cap. 11 n. 1 Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. 12.18.156. & 35. 245.& 80.676
2 Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis: & replebit eum Spiritus timoris Domini. 14.20.179
8 Delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in caverna reguli. 17. 22. 186.& 19.44.354
12 Levabit signum in nationes, & congregabit dispersos Israel, & dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ. 12.3.26
Cap. 13 n. 2 Super montem caliginosum levate signum exaltate vocem, levate manum, & ingrediantur portas duces. 12.72.602.& 14.3.28
17 Ego sucitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient. 14.23.212
21 Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones & pilosi. c.18.n.5.& 3.22. & 16.134.& 32.256
Cap. 14 n. 12 Quomodo cecidisti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris, qui dicebas in corde tuo: Supra astra Dei exaltabo solium meum & sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: similis ero Altissimo. 12.41. 320.& 48.385.& 12.8.72.& 53.442.443 444. 445. &c. & eodem 12.56.472. & 59.487. & 64.532.533.& 65.537.& 18.13.111.
Cap. 15 n. 1 Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ à petra deserti. 14.1.3
Cap. 19 n. 1 Ascendet Dominus super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. 12.13.109.& 16. 8.63
19 In die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, in signum Domino à facie tribulantis. 19.62.481
Cap. 21 n. 5 Pone mensam: contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite principes. 22.5.59
Cap. 23 n. 11 In oblivione eris ò Tyre, sume citharam circui civitatem meretrix oblivioni, tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit. 18.32.254
Cap. 24 n. 16 Et dixi secretum meum mihi: secretum meum mihi: væ mihi. 21.2[illegible].30
23 Erubescat Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum, in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu seniorum suorum. 20.16.139
Cap. 28 n. 7 Hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate. 17. 6.55.& 20.16.139
21 Irascitur, ut faciat opus suum: alienum opus ejus ut operetur opus suum. 13.20. 153
Cap. 30 n. 26 Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis septempliciter sicut lux septem dierum. 21.1.9
32 Et faciet Dominus super eum in tympanis & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos. 19.62.481
33 Præparata est ex [illegible] ab heri Topheth, à rege præparata, profunda, & dilatata. 20.19. 175
33 Nutrimenta ejus igni, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eum. 19.61.471
Cap. 33 n. 16 Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, Regem in decore sui videbunt oculi ejus. 19.51.405.62.482
20 Oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest. 20.10.99
21 Ibi solummodò magnificus Deus noster. 19. 18.129.& 38.305
24 Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis. 12.68.568
Cap. 35 n. 7 In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami, & junci. 12.49.401
Cap. 37 n. 3 Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi. 12.33.248
29 Cum fureres adversum me, superbia tua ascendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis. 21.21.30
Cap. 38 n. 21 Et jussit Isaias, ut tollerent massam de sicis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur. 18.6.55
Cap. 40 n. 1 Consolamini, consolamini, populo meus dicit Deus vester: loquimini ad cor Jerusalem. 15.18.157
2 Suscepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. 18.9.75
31 Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ. 21.4.39
Cap. 41 n. 41 Annunciate, quæ ventura sunt in futurum & sciemus, quia dii estis vos. 12.35.239
Cap. 42 n. 8 Ego Dominus hoc est nomen meum gloriam meam alteri non dabo. 21.38.631.& 22. 183
Cap. 43 n. 2 Cum transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te. 12.79.661
Cap. 47 n. 2 Tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem tuam. 18.31 244
8 Ego sum, & non est præter me amplius: non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi hæc duo subito, in die una sterilitas, & viduitas. 18.11.96
Cap. 49 n. 5 Et nunc hæc dicit Dominus formans me ex utero servum sibi: parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. 12.20.170. & 21.26.313
18 Omnibus his velut ornamento vestieris. 19.49.384
Cap. 50 n. 4 Ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit mane, mane erigit mihi aurem. 14.17.161
11 Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis. 16. 25.201
Cap. 51 n. 11 Et nunc qui redempti sunt a Domino revertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum. 19.5.37
Cap. 52 n. 2 Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui. 21.10.87
10 Paravit Dominus brachium suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. 12.10.81
11 Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus. 18. 6.52
Cap. 54 n. 11 Ecce sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te saphiris. 12.16.137
Cap. 55 n. 1 Omnes sitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum properate: emite, comedite, venite, emite absque argento. 19.41.327.& 21.12.100.
2 Audite, audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. 19.33.248
Cap. 56 n. 5 Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, & nomen sempiternum dabo eis. 14.14.126
Cap. 57 n. 20 Impii autem, quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus, in conculcationem. 15.6.45.& 16.5.40
Cap. 60 n. 4 Filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent: tunc videbis. 21.31.476
8 Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas. 12.76.634.& 21.33.529.& 34.552
Cap. 61 n. 10 Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. 12.4.37
Cap. 62 n. 1 Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus. 16.15.107.& 21.28. 375
3 Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. 12.6.53.& 19 37.291.& 295
Cap. 63 n. 1 Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. 19.40.313.314.315.& 320
Cap. 64 n. 4 Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te. 22.2.16
Cap. 65 n. 17 Ecce ego creo novos cœlos, & novam terram, & non erunt in memoria priora. 21.1.8
Cap. 66 n. 7 Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus ejus peperit masculum, quis audivit unquam tale. 12.30.231
12 Declinabo super eam, quasi fluvium pacis & quasi torrentem inundantem. 22.1.10

Ex Jeremia.

Cap. 1 n. 5 Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te. 14.14.227
2 Vigilabo ego super verbum meum ut faciam illud. 16.18.137
15 Ollam succensam ego video, & faciem ejus, à facie Aquilonis. 15.7.60.& 16.14. 100
18 Ut murum æneum, & ut columnam ferream, dedi te, ne timeas à facie eorum. 15.16.133
Cap. 2 n. 2 Sanctus Israel Domino primitiæ frugum ejus omnes qui devorant delinquunt, mala venient super eo, dicit Dominus. 14.15.134
Cap. 4 n. 20 Repente vastata sunt tabernacula mea; & subito pelles meæ. 21.29.421
23 Aspexi terram, & ecce vacua erat & non erat homo. 17.7.61
Cap. 5 n. 3 Percussisti eos, & non doluerunt: attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: induraverunt facies suas. 16.23.236.& 17. 7.61
6 Percussit eos leo de silva, lupus ad vesperam vastavit eos, pardus vigilavit super civitates eorum. 18.24 191
Cap. 6 n. 18 Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator: malitiæ vero eorum non sunt consumptæ. 16.28.235
Cap. 7 n. 18 Ut faciant placentas reginæ cœli, & libent diis alienis. 12.5.40
Cap. 9 n. 1 Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die, ac nocte interfectos filiæ populi mei. 21. 10.90
Cap. 11 n. 16 Olivam uberem pulchram fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum. 22.9 [illegible]
Cap. 12 n. 1 Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar de te: quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt. 17.17.143
9 Venite congregamini omnes bestiæ terræ, & properate ad devorandum. 19.54.429
Cap. 13 n. 18 Dic regi, & Dominatrici humiliamini, & sedete. 17.15.301.35.181
Cap. 15 n. 10 Perdam ex eis vocem gaudii, vocem lætitiæ, vocem molæ, & lumen Lucernæ 18. 32.249

Loca Sacræ Scripturæ.

Cap. 30 n. 12 Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. 15.3.15
Cap. 31 n. 21 Statue tibi speculam: pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. 17.23.177
Cap. 32 n. 14 Sume tibi librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est: & pone illos in vase fictili. 13.16.123
18 Qui facis misericordiam in millibus: & reddit iniquitatem patrum in filium filiorum eorum. 20.2.22
30 Erant filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis. 13.30.243.
Cap. 37 n. 8 Male fecerunt viri isti omnia quæcunque perpetraverunt contra Hierer iam Prophetam, mittentes eum in lacum ut moreretur fame. 18.2.19
Cap. 39 n. 6 Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis ejus, & omnes nobiles Juda, occidit Rex Babylonis. 12 34. 257
Cap. 43 n. 12 Amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo, & egredietur in pace. 18. 3.27
Cap. 48 n. 9 Date florem Moab, quia florens egredietur, & civitates ejus desertæ erunt. 12.50. 419
Cap. 50 n. 23 Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ. 20.3.24
29 Reddite ei secundum opus suum juxta omnia, quæ fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est. c.18.n.70
Cap. 51 n. 7 Calix aureus Babylonis in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes. 17.16.119.& 19.164
8 Subitò cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam. 14.21.187
6 Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. 18.6.51
49 Quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra. c.18.n.70

Ex Threnis.

Cap. 1 n. 1 QUomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium. 17.8.61
3 Migravit Judas propter afflictionem & multitudinem servitutis, habitavit inter gentes. 17.17.137
12 Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. 14.35.318
13 De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis. 12.14.120
22 Vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas. 14.15.318
Cap. 2 n. 4 Tetendit arcum suum quasi inimicus: firmavit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne quod pulchrum erat visu. 16. 19.147
12 Matribus suis dixerunt: ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis; cum exhalarent animas in sinum matrum suarum. 13.15.122. & 17. 21.176
18 Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem, ne des requiem tibi. 12.10.90
Cap. 3 n. 12 Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. 12.1.4.& 18.18.147
28 Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se. 21.34.557
Cap. 4. n. 19 Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli: super montes persecuti sunt nos. 12.73.612.& 16.18.139
21 Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis. 19. 56.493
Cap. 5 n. 10 Pellis nostra, quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis. 21.29.420
15 Defecit gaudium cordis nostri: versus in luctum chorus noster. 14.24.222
16 Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccavimus. 18.27.214

Ex Baruch.

Cap. 3 n. 14 O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. 12. 1.23
Cap. 6 n. 7 Lingua ipsorum polita à fabro: ipsa etiam inaurata, & argentata falsa sunt. 17.17.134

Ex Ezechiele.

Cap. 1 n. 4 EGo vidi, ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone: & nubes magna, & ignis involvens. 12.57.478
5 Et in medio ejus similitudo quatuor animalium & hic aspectus eorum similitudo hominis 14.18.166
8 Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. 12.27.203
11 Duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. 14.8.76
20 Spiritus vitæ erat in rotis. 21.28.385
22 Similitudo super capita animalium firmamenti, quasi, & aspectus crystalli. 14. 18.165
Cap. 3 n. 11 Vade, & ingredere ad transmigrationem ad filios populi mei, & loqueris ad eos. 15.1.127
Cap. 4 n. 1 Et tu fili hominis: sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem. 12.81 687
2 Dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. 18.4.37
Cap. 7 n. 10 Egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia. 17.26.227
Cap. 9 n. 2 Et ecce sex viri, & veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem; & unusquisque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum. 13.25.194.& 19.36.204
4 Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium. 21.27.328
6 Omnem autem super quem videritis Thau; ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. 16.19.146
Cap. 14 n. 4 Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel. 17.10.76
Cap. 16 n. 37 Congregabo eos super te undique & denudabo ignominiam tuam, & videbunt turpitudinem tuam. 14.24.221
Cap. 20 n. 46 Stilla ad Africum, & Propheta ad saltum agri meridiani. 15.19.159
Cap. 23 n. 20 Insanivit in libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinarum. 17.11.78
Cap. 24 n. 3 Pone ollam, pone inquam, & mitte in eam aquam. 17.35.274
Cap. 27 n. 30 Ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè: & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur. 18 6.204
Cap. 28 n. 5 In multitudine sapientiæ tuæ negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem. 18.32.264
12 Tu signaculum similitudis plenus sapientia, & perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti. 12.34.261.& 41.328
16 Perdidi te ô Cherub protegens de medio Lapidum ignitorum, & elevatum est cor tuum in decore tuo. 12.42.330
Cap. 29 n. 6 Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. 17.21.185
Cap. 32 n. 18 Detrahe eam ipsam, & filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum. 14.38.337
Cap. 39 n. 6 Et scient, quia ego Dominus, & nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei, & non polluam nomen sanctum meum amplius, & scient gentes, quia ego sanctus Dominus Deus Israel. 20.13.116
13 Et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. 20.14.125
Cap. 40 n. 4 Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi, adductus es huc. 21.17.148
Cap. 43 n. 12 Ista est lex domus in summitate montis, omnis finis ejus per circuitum, Sanctum Sanctorum est: hæc est ergo lex domus. 12.14.122
Cap. 44 n. 3 Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. 19.18.132
Cap. 47 n. 3 Et mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquas usque ad talos, & rursus mensus est mille, & traduxit me. 21. 27.338
12 Orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus per singulos menses. 22.2.20
Cap. 48 n. 13 Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres à Septemtrione. 21.19. 159

Ex Daniele.

Cap. 1 n. 3 CONstituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis. 18.24. 193
7 Imposuit eis præpositus Eunuchorum nomina Danieli Balthasar. 14.5.39
Cap. 2 n. 31 Videbas, & ecce quasi statua una grandis, statua illa magna & sublimis. 21.2.24
32 Caput ejus ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento: porro venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum pars quædam erat ferrea quædam autem fictilis. 12.43.342.& 13.11.91.& 29. 228
34 Donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus fictilibus, & ferreis. 14.31.287
35 Contrita sunt pariter testa, æs argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est. 12 60.498
Cap. 3 n. 1 Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. 17.13.104
4 Præco clamabat valenter: vobis dicitur populis tribubus, & linguis, cadentes adorate statuam auream. 12.8.71
6 Si quis non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis 13.11.95.& 29.229
38 Non est in tempore hoc princeps & dux & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum. 21.33.539
92 Ecce ego video quatuor viros solutos ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. 12.8.67.& 14.2.12.& 19.1.9.
93 Sidrach, Misach, Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini & venite; statimque egressi sunt. 21.27.358
94 Contemplabantur viros illos, quod nihil potestatis habuisset in corporibus eorum & capillus capitis eorum non est adustus. 21.36.610
98 Nabuchodonosor; rex omnibus populis & gentibus, & linguis qui habitant in universa terra, pax vobis. 13.21.194
Cap. 4 n. 5 Cui nomen Balthassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum Deorum in semetipso. 14.5.39
9 Subter eam habitabant animalia, & bestiæ terræ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli. 12.43.340
20 Ecce vigil, & Sanctus de cœlo descendit & clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcedite ramos ejus & excutite folia ejus. 12.60.503.& 18.20.163. & 30.239.& 19.50.402
12 Et alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli infundatur. 18.26.211
14 Donec cognoscant viventes, quod dominatur excelsus in regno hominum. 12.50. 476
16 Cœpit intra seipsum cogitare; quasi una hora, & cogitationes ejus conturbabant eum. 14.16.146
20 Attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vincatur ferro. 12.66.555
22 Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis, donec scias, quod dominatur excelsus. 2. 58.486
24 Peccata tua eleemosynis redime, & forsitan propitiabitur Deus delictis tuis. 18. 22.177
Cap. 5 n. 5 In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum. 17....
7 Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur. 19.50.402
7 Purpura vestietur, & torquem aureum habebit in collo, & tertius in regno meo erit. 17.13.105
27 Appensus est in statera, & inventus est minus habens. 21.21.198
28 Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. 16.26.210
9 Rex Balthasar satis turbatus est, & optimates ejus turbabantur. 12.42.333
30 Eadem nocte interfectus est rex Balthassar Chaldeus & Darius Medus successit in regnum. 14.21.193
Cap. 6 n. 22 Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi. 12. 8.67.& 21.171
Cap. 7 n. 4 Prima, quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit. 20.5.50
7 Et ecce quarta bestia terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis dentes ferreos habens. 13.3.30
3 Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. 13.11.91
21 Vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus. 17.23.188
13 Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis, & usque ad antiquum dierum pervenit, & dedit illi potestatem & honorem, & potestas ejus potestatem æternam. 13.14.115
24 Porro cornua decem, decem reges erunt & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus. 12.38.286
Cap. 8 n. 10 Et magnificatum est usque ad fortitudinem, & dejecit de fortitudine, & stellis conculeavit eas. 12.42.326.& 17.14.288.
12 Et robur datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata, & proiciemetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. 13.13.108

Loca Sacræ Scripturæ.

Cap. 9 n.22 Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres ab exordio precum tuarum. 21.19.148
Cap.10 n.13 Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. 20 29.478
Cap.12 n. 1 In illo tempore consurget Michael princeps magnus, qui stat, pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit: ex quo gentes esse cœperunt. 12.57.478
3 Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam docuerunt multos, quasi stellæ ad perpetuas æternitates. 15.8.153. & 24.199
4 Claude sermonem, signa librum usque ad tempus statutum. 22.7.81
12 Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 20. 14.123
Cap.13 n. 5 Constituti sunt de populo duo senes judices illo anno, qui videbantur judicare populum. 16.8.50
21 Assentire nobiscum, quòd si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc causam emiseris puellas. 12.61.511
28 Venerunt, & duo Presbyteri pleni iniqua cogitatione ad versus Susannam, ut interficerent eam. 13.7 64
42 Clamavit Susanna voce magna: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. 17.34.268
45 Suscitavit Deus Spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen est Daniel. 11.34. 563
51 Et Dixit Daniel: separate illos ab invicem, & judicabo illos. 17.31.429
54 Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. 17.18. 135
Cap.14 n.42 Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo. 16.16.120

Ex Osea.

Cap.1 n. 11 ET congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum. 13.23.183
Cap. 2 n. 5 Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas meas & lanam meam. 18. 5.40. & 20.18.174
8 Ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum & argentum & multiplicavi ei, & aurum. 17.12.95.
84 Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. 12.51. 425
Cap. 4 n.11 Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. 17.10.74
13 Super capita montium sacrificabant & super colles accendebant thymiama sub tus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus. 16.15.109
19 Et ligavit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis. 12.42. 327
Cap. 5 n. 1 Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate, quia vobis judicium est. 17.5.49
10 Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam. 18.31.236
13 Vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem ultorem. 18.22.176
Cap. 6 n.10 In domo Israel vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim: contaminatus est Israel: sed Juda pone mensam tibi. 16. 26.211. & 18.13.142
Cap. 7 n. 1 Revelata est iniquitas Ephraim & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris. 13.20.156
Cap.11 n. 1 Quia puer Israel, & dilexi eum: ex Ægypto vocavi filium meum. 12.12.305
3 Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis. 19.46.363
Cap.12 n.1 Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum tota die: mendacium & vastitatem multiplicat. 27.12.92
7 Chananæa in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. 18.33.268
Cap.13 n.14 Ero mors tua, ô mors, morsus tuus. Infernе. 12.33.281

Ex Joele.

Cap. 1 n.17 COmputruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea. 16. 5. 39
Cap. 2 n.19 Ecce ego mittam vobis frumentum & vinum, & oleum, & replebimini. 19.41.385
Cap. 3 n.8 Consurgent & ascendent gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturavit messis. 14.32.293. & 35.319

Ex Amos.

Cap. 5 n. 10 ODerunt corripientem in porta, & sequentem perfectè abominati sunt. 15.19 165
25 Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi, annis quadraginta in deserto domus Israel, & susceptistis tabernaculum Moloch. 17 28.236
26 Portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. 12.39.303
Cap. 6 n.12. Ecce Dominus mandabit, & percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus. 18.10.88
Cap. 9 n. 9 Ecce ego mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. 18.6.56

Ex Jona.

Cap. 1 n. 12 TOllite me, & mittite in mare: & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis veniet super vos. 14.20.178
1 Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. 13.16.128. & 21.28.392
Cap. 3 n.14 Clamavit Jonas dicens, & quadraginta dies, & Ninive subvertetur. 18.13.107. & 21.27.361
Cap. 4 n. 1 Afflictus est afflictione magna Jonas, & oravit ad Dominum: Domine quæso tolle animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita. 18.28.221
7 Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. 12.65.355

Ex Michæa.

Cap. 2 n. 1 POnam Samariam quasi acervum lapidum cum plantatur vinea. 16.27. 219
7 Et omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem; quia de mercedibus meretricis congregata sunt. 17.2.18
Cap. 3 n. 5 Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. 16.26. 114
10 Principes ejus muneribus justificabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetas ejus in pecunia judicabant. 18. 33.271
Cap. 5 n. 4 Stabit, & parcet in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Dei sui. 17.59. 454
7 Erunt reliquiæ Jacob, in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam: & quasi leo in jumentis silvarum. 15.17.142

Ex Nahum.

Cap. 1 n 15 CElebra Juda festivitates tuas: redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te. 20.3.24
Cap. 2 n. 3 Clypeus fortium ignitus, viri exercitus in coccineis. 17.59. & 13.98
9 Diripite argentum, & aurum, & non est finis divitiarum: ex omnibus vasis desiderabilibus dissipata est, & scissa, & dilacerata. 18.20.164

Ex Habacuc.

Cap. 1 n.13 QUare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se: Et facies homines quasi pisces maris. 20.13.8
16 Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo. 13.10.88
Cap. 2 n. 5 Dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors non adimplebitur. 14. 36.329
9 Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali. 20. 15. 137
Cap. 3 n. 3 Deus ab austro veniet & sanctus de monte Pharan. 12.15.123
4 Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. 17.33.270. & 19.37.298
5 Egrediatur diabolus ante pedes ejus. 20. 1.8
13 Denudasti fundamentum ejus usque ad collum. 20.1.179
18 Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Jesu meo. 18.11.87

Ex Sophonia.

Cap. 1 n.11. COnticuit omnis populus Chanaan: disperierunt omnes involuti argento. 12.79.668

Ex Aggæo.

Cap. 1 n. 6 QUi mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum. 17. 27. 249

Ex Zacharia.

Cap. 2 n. 4 ABsque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum. 21.28. 149
5 Ego ero ei murus ignis in circuitu, & gloria ero in medio ejus. 12.14.121
Cap. 3 n. 9 Septem oculi super lapidem unum. 14. 34.313. & 15.16.130
Cap. 5 n. 7 Ecce talentum plumbi portabatur & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit. Hæc est impietas: & projecit eam in medio amphoræ. 16. 8. 63. & 22. 176
9 Vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & Spiritus in alis earum, & habebant alas quasi milui, & elevaverunt amphoram. 12.74.618. & 619
Cap. 6 n.11 Facies coronas, & pones in capite Jesu Filii Josedec Sacerdotis magni. 19.37.290.
Cap. 7 n. 4 Factum est verbum Domini ad me dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes. 15 22.177
10 Viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari. 13.22.177
Cap. 9 n.16 Salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, quia lapides sancti elevabuntur super terram. 21.28.390
Cap.12 n.10 In plateis plangent eum quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti: in illa die, plangent terræ familiæ, & familia domus David seorsum. 18.9.89. & 23.86
Cap.13 n.6 Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? his plagatus sum in domo eorum, qui deligebant me. 21.31.467

Ex Malachia.

Cap. 1 n. 6 SI Dominus ego sum, ubi est timor meus. 15.12.102
Cap. 2 n. 14 Dominus justificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. 12.54.462
Cap. 4 n. 2 Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. 12. 4.28. & 14.18.262
3 Conculcabis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 14.37. 339

Ex 1. Machabæorum.

Cap. 2 n. 58 ELias dum zelat zelum legis, recepit eum in cœlum. 21.33.515
Cap. 13 n.19. Et misit pueros, & centum talenta, & mentitus est, & non dimisit pueros. 13.7.58

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 7 n. 16 PRæstatem inter homines habemus his corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum. 17.23.189
38 In me vero & in fratribus meis defineat omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. Tunc Rex accensus ira in hunc, super omnes crudelius desæviit. 16.10.74

NOVUM

Cap. 30 n. 12 Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. 15.3.15
Cap. 31 n. 21 Statue tibi speculam: pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam. 17.23.177
Cap. 32 n. 14 Sume tibi librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est: & pone illos in vase fictili. 13.16.123
18 Qui facis misericordiam in millibus: & reddit iniquitatem patrum in filium filiorum eorum. 20.2.22
30 Erant filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis. 13.39.243.
Cap. 37 n. 8 Male fecerunt viri isti omnia quæcunque perpetraverunt contra Hierer iam Prophetam, mittentes eum in lacum ut moreretur fame. 18.2.19
Cap. 39 n. 6 Et occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ in Reblatha in oculis ejus, & omnes nobiles Juda, occidit Rex Babylonis. 12 34. 257
Cap. 43 n. 12 Amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo, & egredietur in pace. 18. 3.27
Cap. 48 n. 9 Date florem Moab, quia florens egredietur, & civitates ejus desertæ erunt. 12.50. 419
Cap. 50 n. 23 Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ. 20.3.24
29 Reddite ei secundum opus suum juxta omnia, quæ fecit, facite illi, quia contra Dominum erecta est. c.18.n.70
Cap. 51 n. 7 Calix aureus Babylonis in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino ejus biberunt gentes. 17.16.119.& 19.164
8 Subitò cecidit Babylon, & contrita est: ululate super eam. 14.21.187
6 Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam. 18.6.51
49 Quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel: sic de Babylone cadent occisi in universa terra. c.18.n.70

Ex Threnis.

Cap. 1 n. 1 QUomodo sedet sola civitas plena populo, facta est quasi vidua domina gentium. 17.8.61
3 Migravit Judas propter afflictionem & multitudinem servitutis, habitavit inter gentes. 17.17.137
12 Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui. 14.35.318
13 De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me: expandit rete pedibus meis. 12.14.120
22 Vindemia eos, sicut vindemiasti me propter omnes iniquitates meas. 14.15.318
Cap. 2 n. 4 Tetendit arcum suum quasi inimicus: firmavit dexteram suam quasi hostis, & occidit omne quod pulchrum erat visu. 16. 19.147
12 Matribus suis dixerunt: ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis; cum exhalarent animas in sinum matrum suarum. 13.15.122. & 17. 21.176
18 Deduc quasi torrentem lachrymas per diem, & noctem, ne des requiem tibi. 12.10.90
Cap. 3 n. 12 Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. 12.1.4.& 18.18.147
28 Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit super se. 21.34.557
Cap. 4 n. 19 Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos. 12.71.612.& 16.18.239
21 Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix: inebriaberis, atque nudaberis. 19. 56.443
Cap. 5 n. 10 Pellis nostra, quasi clibanus exusta est à facie tempestatum famis. 21.29.420
15 Defecit gaudium cordis nostri: versus in luctum chorus noster. 14.24.222
16 Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccavimus. 18.27.214

Ex Baruch.

Cap. 3 n. 14 O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus. 12.3.21
Cap. 6 n. 7 Lingua ipsorum polita à fabro: ipsi etiam inaurata, & argentata falsa sunt. 17.17.114

Ex Ezechiele.

Cap. 1 n. 4 ET vidi, ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone: & nubes magna, & ignis involvens. 12.37.478
5 Et in medio ejus similitudo quatuor animalium & hic aspectus eorum similitudo hominis 14.18.166
8 Manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus. 12.27.203
11 Duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. 14.8.76
20 Spiritus vitæ erat in rotis. 21.28.385
22 Similitudo super capita animalium firmamenti, quasi, & aspectus crystalli. 14. 18.165
Cap. 3 n. 11 Vade, & ingredere ad transmigrationem ad filios populi mei, & loquere ad eos. 15.1.127
Cap. 4 n. 1 Et tu fili hominis: sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem. 12.81 687
2 Dabis contra eam castra, & pones arietes in gyro. 18.4.17
Cap. 7 n. 10 Egressa est contritio, floruit virga, germinavit superbia. 17.26.227
Cap. 9 n. 2 Et ecce sex viri, & veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem; & unusquisque vas interitus in manu ejus: vir quoque unus in medio eorum. 13.25.194.& 19.36.204
4 Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium. 21.27.328
6 Omnem autem super quem videritis Thau; ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. 16.19.146
Cap. 14 n. 4 Hæc dicit Dominus Deus: Homo homo de domo Israel. 17.10.76
Cap. 16 n. 37 Congregabo eos super te undique & enudabo ignominiam tuam, & videbunt turpitudinem tuam. 14.24.221
Cap. 20 n. 46 Stilla ad Africum, & Propheta ad saltum agri meridiani. 15.19.159
Cap. 23 n. 20 Insanivit in libidine super concubitum eorum, quorum carnes sunt ut carnes asinarum. 17.11.78
Cap. 24 n. 3 Pone ollam, pone inquam, & mitte in eam aquam. 17.35.274
Cap. 27 n. 30 Ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè: & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur. 18 6.204
Cap. 28 n. 5 In multitudine sapientiæ tuæ negotiatione tua multiplicasti tibi fortitudinem. 18.32.264
12 Tu signaculum similitudis plenus sapientia, & perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti. 12.34.261.& 41.328
16 Perdidi te ò Cherub protegens de medio Lapidum ignitorum, & elevatum est cor tuum in decore tuo. 12.42.330
Cap. 29 n. 6 Pro eo quod fuisti baculus arundineus domui Israel. 17.21.185
Cap. 32 n. 18 Detrahe eam ipsam, & filias gentium robustarum ad terram ultimam cum his qui descendunt in lacum. 14.38.337
Cap. 39 n. 6 Et scient, quia ego Dominus, & nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei, & non polluam nomen sanctum meum amplius, & scient gentes, quia ego sanctus Dominus Deus Israel. 20.13.116
13 Et erit eis nominata dies, in qua glorificatus sum, ait Dominus Deus. 20.14.125
Cap. 40 n. 4 Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi, adductus es huc. 21.17.148
Cap. 43 n. 12 Ista est lex domus in summitate montis, omnis finis ejus per circuitum, Sanctum Sanctorum est: hæc est ergo lex domus. 12.14.122
Cap. 44 n. 3 Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino. 19.18.132
Cap. 47 n. 3 Et mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquas usque ad talos, & rursus mensus est mille, & traduxit me. 21. 27.338
12 Orietur in ripis ejus ex utroque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus ejus per singulos menses. 22.2.20
Cap. 48 n. 33 Et portæ civitatis ex nominibus tribuum Israel, portæ tres à Septemtrione. 21.19. 159

Ex Daniele.

Cap. 1 n. 3 CONstituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis. 18.24. 193
7 Imposuit eis præpositus Eunuchorum nomina Danieli Balthasar. 14.5.39
Cap. 2 n. 31 Videbas, & ecce quasi statua una grandis, statua illa magna & sublimis. 21.1.24
32 Caput ejus ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento: porro venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ: pedum pars quædam erat ferrea quedam autem fictilis. 12.45.342.& 13.11.91.& 29. 428
34 Donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus fictilibus, & ferreis. 14.31.287
35 Contrita sunt pariter testa, æs argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est. 12 50.498
Cap. 3 n. 1 Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. 17.13.104
4 Præco clamabat valenter: vobis dicitur populis tribubus, & linguis, cadentes adorate statuam auream. 12.8.71
6 Si quis non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis 13.11.95.& 29.229
38 Non est in tempore hoc princeps & dux & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum. 21.33.539
92 Ecce ego video quatuor viros solutos ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei. 12.8.67.& 14.2.12.& 19.1.9.
93 Sidrach, Misach, Abdenago, servi Dei excelsi, egredimini & venite; statimque egressi sunt. 21.27.358
94 Contemplabantur viros illos, quod nihil potestatis habuisset in corporibus eorum & capillus capitis eorum non est adustus. 21.36.610
98 Nabuchodonosor, rex omnibus populis & gentibus, & linguis qui habitant in universa terra, pax vobis. 13.21.194
Cap. 4 n. 5 Cui nomen Balthassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum Deorum in semetipso. 14.5.39
9 Subter eam habitabant animalia, & bestiæ terræ, & in ramis ejus conversabantur voluçres cœli. 12.43.340
10 Ecce vigil, & Sanctus de cœlo descendit & clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcedite ramos ejus & excutite folia ejus. 12.60.503.& 18.20.163. & 30.239.& 19.50.402
12 Et alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli infundatur. 18.26.211
14 Donec cognoscant viventes, quod dominatur excelsus in regno hominum. 12.50. 476
16 Cœpit intra seipsum cogitare; quasi una hora, & cogitationes ejus conturbabant eum. 14.16.146
20 Attamen germen radicum ejus in terra dimittite, & vincatur ferro. 12.66.555
22 Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis & feris erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore cœli infunderis, donec scias, quod dominatur excelsus. 2. 58.486
24 Peccata tua eleemosynis redime, & forsitan propitiabitur Deus delictis tuis. 18. 22.177
Cap. 5 n. 5 In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum. 17....
7 Tunc facies regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur. 19.50.402
7 Purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit. 17.13.105
27 Appensus est in statera, & inventus est minus habens. 21.21.198
28 Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. 16.26.210
9 Rex Balthasar satis turbatus est, & optimates ejus turbabantur. 12.42.333
30 Eadem nocte interfectus est rex Balthassar Chaldeus & Darius Medus successit in regnum. 14.21.193
Cap. 6 n. 22 Deus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi. 12. 8.67.& 21.171
Cap. 7 n. 4 Prima, quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit. 20.5.50
7 Et ecce quarta bestia terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis dentes ferreos habens. 13.3.30
3 Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diversæ inter se. 13.11.91
11 Vidi quoniam interfecta esset bestia, & perisset corpus ejus. 17.23.188
13 Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis, & usque ad antiquum dierum pervenit, & dedit illi potestatem & honorem, & potestas ejus potestas æterna. 13.14.113
24 Porro cornua decem, decem reges erunt & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus. 12.38.286
Cap. 8 n. 10 Et magnificatum est usque ad fortitudinem, & dejecit de fortitudine, & stellis nem, & conculcavit eas. 12.42.326.& 17.34.228.
14 Et roletur datum est ei contra jugi sacrificium, propter peccata, & proficietur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. 13.13.108

Loca Sacræ Scripturæ.

Cap. 9 n.22 Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres ab exordio precum tuarum. 21.19.148
Cap.10 v.13 Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. 20 29.4.8
Cap.12 n. 1 In illo tempore consurget Michael princeps magnus, qui stat, pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit: ex quo gentes esse cœperunt. 12.57.478
3 Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam docuerunt multos, quasi stellæ ad perpetuas æternitates. 15.8.153. & 24.199
4 Claude sermonem, signa librum usque ad tempus statutum. 22.7.81
12 Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque. 20. 14.123
Cap.13 n. 5 Constituti sunt de populo duo senes judices illo anno, qui videbantur judicare populum. 16.8.50
21 Assentire nobiscum, quòd si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc causam emiseris puellas. 12.61.511
28 Venerunt, & duo Presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam, ut interficerent eam. 13.7 64
42 Clamavit Susanna voce magna: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. 17.34.268
45 Suscitavit Deus Spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen est Daniel. . 11.34. 56.
51 Et Dixit Daniel: separate illos ab invicem, & judicabo illos. 17.31.429
54 Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. 17.18. 135
Cap.14 n.42 Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo. 16.16.120

Ex Osea.

Cap.1 n. 11 ET congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum. 13.23.183
Cap. 2 n. 5 Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas meas & lanam meam. 18. 5.40. & 20.18.174
8 Ego dedi ei frumentum & vinum, & oleum & argentum & multiplicavi ei, & aurum. 17.12.95.
84 Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus. 12.51. 425
Cap. 4 n.11 Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. 17.10.74
13 Super capita montium sacrificabant & super colles accendebant thymiama subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus. 16.15.109
19 Et ligavit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis. 12.42. 327
Cap. 5 n. 1 Audite hoc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auscultate, quia vobis judicium est. 17.5.49
10 Facti sunt principes Juda, quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam. 18.31.246
13 Vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum, & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem ultorem. 18.22.176
Cap. 6 n.10 In domo Israel vidi horrendum, ibi fornicationes Ephraim: contaminatus est Israel: sed Juda pone mensam tibi. 15. 26.211. & 18.13.142
Cap. 7 n. 1 Revelata est iniquitas Ephraim & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, latrunculus foris. 13.20.156
Cap.11 n. 1 Quia puer Israel, & dilexi eum: ex Ægypto vocavi filium meum. 12.12.105
3 Ego quasi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis. 19.46.363
Cap.12 n. 1 Ephraim pascit ventum, & sequitur æstum tota die: mendacium & vastitatem multiplicat. 27.12.92
7 Chananæus in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit. 18.33.268
Cap.13 n.14 Ero mors tua, ô mors, morsus tuus, Inferne. 12.33.282

Ex Joele.

Cap. 1 n.17 COmputruerunt jumenta in stercore suo, demolita sunt horrea. 16. 5. 39
Cap. 2 n.19 Ecce ego mittam vobis frumentum & vinum, & oleum, & replebimini. 19.41.384
Cap. 3 n.2 Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Mittite falces, quoniam maturavit messis. 14.32.293. & 35.319

Ex Amos.

Cap. 5 n. 10 ODerunt corripientem in porta, & sequentem perfectè abominati sunt. 15.19 165
25 Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi, annis quadraginta in deserto domus Israel, & suscepistis tabernaculum Moloch. 17 28.236
26 Portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis. 12.39.303
Cap. 6 n.12. Ecce Dominus mandabit, & percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus. 18.10.88
Cap. 9 n. 9 Ecce ego mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. 18.6.56

Ex Jona.

Cap. 1 n. 12 TOllite me, & mittite in mare: & cessabit mare à vobis: scio enim ego, quoniam propter me tempestas hæc grandis veniet super vos. 14.20.178
1 Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. 13.16.128. & 21.28.392
Cap. 3 n.14 Clamavit Jonas [illegible]ne, & quadraginta dies, & Ninive subvertetur. 18.13.107. & 21.27.361
Cap. 4 n. 1 Afflictus est afflictione magna Jonas, & oravit ad Dominum: Domine quæso tolle animam meam à me, quia melior est mihi mors quàm vita. 18.28.221
7 Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit. 12.65.355

Ex Michæa.

Cap. 1 n. 1 POnam Samariam quasi acervum lapidum cum plantatur vinea. 16.27. 219
7 Et omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem; quia de mercedibus meretricis congregata sunt. 17.2.18
Cap. 3 n. 5 Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem. 16.16. 114
10 Principes ejus muneribus justificabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia judicabant. 18. 33.271
Cap. 5 n. 4 Stabit, & parcet in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Dei sui. 17.59. 454
7 Erunt reliquiæ Jacob, in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam: & quasi leo in jumentis silvarum. 15.17.142

Ex Nahum.

Cap. 1 n 15 CElebra Juda festivitates tuas: redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te. 20.3.24
Cap. 2 n. 3 Clypeus fortium ignitus, viri exercitus in coccineis. 17.59. & 13.98
9 Diripite argentum, & aurum, & non est finis divitiarum: ex omnibus vasis desiderabilibus dissipata est, & scissa, & dilacerata. 18.20.164

Ex Habacuc.

Cap. 1 n.13 QUare respicis super iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se: Et facies homines quasi pisces maris. 20.13.8
16 Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo. 13.10.88
Cap. 2 n. 5 Dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors non adimplebitur. 14. 36.349
9 Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali. 20. 15. 137
Cap. 3 n. 3 Deus ab austro veniet & sanctus de monte Pharan. 12.15.123
4 Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus. 17.33.270. & 19.37.298
5 Egrediatur diabolus ante pedes ejus. 20. 1.8
13 Denudasti fundamentum ejus usque ad collum. 20.1'.179
18 Ego autem in Domino gaudebo & exultabo in Deo Jesu meo. 18.11.87

Ex Sophonia.

Cap. 1 n.11. COnticuit omnis populus Chanaan: disperierunt omnes involuti argento. 12.79.668

Ex Aggæo.

Cap. 1 n. 6 QUi mercedes congregavit, misit eas in sæculum pertusum. 17. 27. 249

Ex Zacharia.

Cap. 2 n. 4 ABsque muro habitabitur Jerusalem præ multitudine hominum. 21.28. 149
5 Ego ero ei murus ignis in circuitu, & gloria ero in medio ejus. 12.14.121
Cap. 3 n. 9 Septem oculi super lapidem unum. 14. 34.313. & 15.16.130
Cap. 5 n. 7 Ecce talentum plumbi portabatur & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit. Hæc est impietas: & projecit eam in medio amphoræ. 16. 8. 63. & 22. 176
9 Vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & Spiritus in alis earum, & habebant alas quasi milui, & elevaverunt amphoram. 12.74.618. & 619
Cap. 6 n.11 Facies coronas, & pones in capite Jesu Filii Josedec Sacerdotis magni. 19.37.290.
Cap. 7 n. 4 Factum est verbum Domini ad me dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes. 13 32.177
10 Viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari. 13.22.177
Cap. 9 n.16 Salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, quia lapides sancti elevabuntur super terram. 21.28.390
Cap.12 n.10 In plateis plangent eum quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti: in illa die, plangent terræ familiæ, & familia domus David seorsum. 18.9.89. & 23.86
Cap.13 n.6 Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? his plagatus sum in domo eorum, qui deligebant me. 21.31.467

Ex Malachia.

Cap. 1 n. 6 SI Dominus ego sum, ubi est timor meus. 15.12.102
Cap. 2 n. 14 Dominus justificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti: & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui. 12.54.462
Cap. 4 n. 2 Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus. 12. 4.28. & 14.18 262
3 Conculcabis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum in die, qua ego facio, dicit Dominus exercituum. 14.37. 339

Ex 1. Machabæorum.

Cap. 2 n. 58 ELias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. 21.33.535
Cap. 13 n.19. Et misit pueros, & centum talenta, & mentitus est, & non dimisit pueros. 13.7.58

Ex 2. Machabæorum.

Cap. 7 n. 16 PRotestatem inter homines habes cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum. 17 22.189
39 In me vero & in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum justè superducta est. Tunc Rex accensus ira in nimis, super omnes crudelitates deseviet. 16.10.74

NOVUM TESTAMENTUM.

Ex D. Matthæo,

Cap. 1 n. 16 JAcob autem genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus. 12. 11. 90

Cap. 2 n. 1 Ecce Magi ab oriente venerunt. 21. 50. 437

2 Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. 12.42.332. & 20.44. & 21.29.401

3 Turbatus est Rex Herodes, & omnis Jerosolyma cum illo. 17 31.266

5 Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te exiet Dux qui regat populum meum Israel. 19. 27.194

9 Ecce stella, quam viderant in Oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat. 12.28.218

11 Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & obtulerunt ei aurum thus & myrrham. 19 57.448. & 21.26.323

13 Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem. 20 18.168

15 Accipe puerum, & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. 12.49.402

18 Rachel plorans filios suos: & noluit consolari. 14.27.252

Cap. 3 n. 2 Pœnitentiam agite: appropinquavit regnũ cœlorum. 21.5.43

4 Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camœlorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem erant locustæ. 14.14.58

16 Baptizatus autem Jesus exivit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam. 15. 5.38. & 17.33.270

17 Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. 21.20.174

Cap. 4 n. 1 Ductus est Jesus in desertum ut tentaretur à Diabolo. 12.77.641

10 Vade retro satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. 20.1.10

11 Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei. 12.77.644

18 Et procedens inde vidit duos fratres Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, & vocavit eos, & illi relictis retibus, & Patre secuti sunt eum. 21.26.293

Cap. 5 n. 1 Aperiens os suum docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu. 13.12.101

8 Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. 14.1.5

44 Benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. 18.5.76.77. & 12.53.450

45 Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. 14.5.37

48 Estote perfecti, sicut & pater vester perfectus est. 21.34.554

Cap. 6 n. 2 Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis: te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua. 21.9 83

3 Sit eleemosyna tua in abscondito. 12. 27. 215

10 Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. 16. 23. 185. 21. 26.297

9 Pater noster, qui es in cœlis. 21.26.320

26 De vestimentis quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua, cooperitus est sicut unum ex istis. 14. 12. 110. & 18.14.188

Cap. 7 n. 15 Qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 17. 18.147

23 Tunc confitebor illi, quia nunquam novi vos: discedite à me qui operamini iniquitatem. 16.19.145. & 28.237

17 Omnis arbor bona bonos fructus facit. 21. 30.442

Cap. 8 n. 19 Magister sequar te, quocunque ieris. 14. 13.111

20 Filius hominis non habet ubi reclinet caput. 21.38.430

29 Quid nobis & tibi Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos. 12.17.184

Cap. 9 n. 5 Cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. 21.29.434. & seqq.

10 recumbere, & publicani venientes discumbebant cum Jesu. 21.30.448

14 Accesserunt ad eum discipuli Joannis dicentes: quare nos & Pharisæi jejunamus frequenter; discipuli autem tui non jejunant. 17.30.246. & 19.17.122

20 Accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus: dicebat enim intra se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero. 22.4.42

Cap. 10 n. 2 Duodecim autem nomina Apostolorum sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas, 21.24.242

4 Et Judam Iscariotem. 18.21.174

5 In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum, ne intraveritis. 21. 32.509

10 Nolite possidere aurum, neque argentum. 17.26.227

16 Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. 21.55.265

17 Estote ergo prudentes sicut serpentes. 21. 18.154

42 Quicunque dederit potum uni ex istis minimis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. 14.29.263

Cap. 11 n. 8 Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. 18.3.28

9 Joannem Prophetam, & plusquam Prophetam. 21.31.479

11 A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur. 21.28.370

25 Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelasti ea parvulis. 21.35.592

29 Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. 12.47.375

4 Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, claudi ambulant. 19.12.95

Cap. 12 n. 3 Non legistis, quæ fecerit David quando esuriit, & qui cum eo erant? quomodo intraverit in domum Dei. 15.16.135

39 Magister, volumus à te signum videre, 22. 9.103

40 Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ. 13. 16. 128. 21. 16. 392

44 Et dixit: revertar in domum meam, unde exivi, & veniens invenit eam vacantem. 20.1.9

Cap. 13 n. 22 Solitudo sæculi istius & fallacia divitiarum suffocat verbum. 18.33.266

41 Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem mittent in caminum. 14.35.321

47 Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset educentes. 18.6.558

30 Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos. 20.17.158

35 Nonne hic est filius fabri? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus, & Simon & Judas? 17.16.128

Cap. 14 n. 15 Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli, dicentes, desertus est locus, & hora jam præteriit: dimitte turbas ut eant in castella, & sibi emant escas. 21. 30.449

23 Dimissa turba, ascendit in montem solus orare. 15.10.86

29 Descendens Jesus de navicula ambulabat super aquas Petrus, ut veniret ad Jesum: videns vero ventum validum timuit, & cùm cepisset mergi clamavit. 12.5.47. & 14.13.120. & 15.8.62. & 18.31.242. & 21.24. 245

Cap. 15 n. 22 Miserere mei fili David: Filia mea male à dæmonio vexatur. 12.64.534

14 Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. 21.32.510

24 Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. 21.26.304

27 Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Domini sui. 19.24.171. & 31.403. & 57.451

35 Præcepit turbæ ut discumberent super terram. 21.17.147

Cap. 16 n. 11 Cavete a fermento Pharisæorum qui veniunt ad vos. 16.9.70

16 Tu es Christus filius Dei vivi: Respondens autem Jesus dixit ei: Caro & Sanguis, non revelavit tibi. 21.24.235. & 236

18 Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. 13.430.241. 21. 24.252. & 37.622

21 Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oportebat eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus. 21.24. 253

22 Assumens eum Petrus cœpit increpare illum dicens: absit à te Domine, non erit tibi hoc; qui conversus dixit Petro: Vade post me, satana. 13.30.231. & 14.13. 120. & 12.47.321

25 Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me. 16.23.187. & 19.12. 160

28 Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo. 19.43.345

Cap. 17 n. 1 Assumpsit Jesus Petrum, Jacobum, & Joannem. 14.18.177

2 Resplenduit facies ejus, sicut sol: vestimenta autem ejus alba, sicut nix. 17.14. 111

4 Domine bonum est nos hic esse. 21.16.137

4 Domine si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum. 12.77.645. & 19.94.21.28.386

5 Nubes lucida obumbrabit eos, & vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus. 19.6.45. & 22.162

6 At illi ceciderunt in facies suas. 19. 11. 89

23 Accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma. 21.24.248

Cap. 18 n. 6 Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur. 13.1.10 & 18.31.249

10 Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui est in cœlis. 21.5.48

Cap. 19 n. 28 In regeneratione, neque nubent, neque nubentur. 22.14.135

Cap. 20 n. 21 Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei, possumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis. 21.26. 301. & seqq. & 359. & 31.471

Cap. 21 n. 5 Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus veniet tibi mansuetus, & humilis, sedens super asinam. 13.18.142

12 Intravit Jesus in templum, & ejiciebat omnes ementes, & vendentes de templo, & mensas nummulariorum subvertit. 18. 31.248

15 Videntes autem Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes Osanna filio David, indignati sunt. 18.19.

17 Relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam. 17.11.83

33 Homo erat Pater familias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim. 13.20.154

43 Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus 18.25.200. & 19.11.86

Cap. 22 n. 2 Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 15. 18.158

4 Prandium meum paravi, tauri mei & altilia occisa sunt. 19.24.169. & 25.173. & 17; 15.16.

11 Intravit autem Rex, ut videret discumbentes: vidit hominem non vestitum veste nuptiali. 17.14.110

14 Multi sunt vocati, pauci verò electi. 20. 17.161

34 Pharisæi audientes, quod Jesus silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum. 17.31.248

Cap. 23 n. 4 Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum. 21.19.161

35 Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi. 21.30.458. 14.81.191

37 Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos, & noluisti. 12.4.29

Cap. 24 n. 7 Surget gens contra gentem, & regnum adversus regnum. 16.17.221

22 Nisi breviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro. 17.32.260

28 Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. 13 20.157. 19.56.442

31 Et mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt omnes electos ejus. 21.167

32 Ab arbore fici discite parabolam: cum ramus ejus tener fuerit, & folia ejus nata, scitis quia prope est æstas. 14.22.291

39 Et non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit adventus filii hominis. 20.14.124

Cap. 25 n. 12 At ille respondens ait: nescio vos. 12. 12.91.92

20 Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque. 22.11.117

21 Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. 19.11.88. & 14.102

41 Discedite à me maledicti in ignem æternum. 14.37.243. & 16.10.75

Cap. 26 n. 18 Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: magister dicit: tempus meum prope est, & apud te facio pascha cum discipulis meis. 19.17.125

24 Væ homini illi, per quem scandalum venit. 18.27.218

40 Venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: sic non potuisti una hora vigilare mecum. 21.24.26

45 Dormite jam, & requiescite: ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur. 14.27.253

38 Tristis est anima mea usque ad mortem. 18.14.219

65 Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua. 13.2.19
75 Egressus foras flevit amare. 21.34.571
Cap.27 n. 5 Retulit triginta argenteos, & projecit in templo, & laqueo se suspendit. 13. 29. 228.& c.21.21.199.& 16.18.139
18 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. 12.71.589
22 Quem vultis dimittam vobis, Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus? sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. 13.22.178
25 Sanguis ejus super nos, & super filios nostros. 14.38.350
29 Et posuerunt arundinem in dextera ejus. 17.22.185
6 Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. 18.5.45
33 Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. 18.28.228
39 Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, alter à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. 14.8.75
27 Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesu Rex Judæorum. 13.18.141
54 Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes Jesum viso terræmotu, & his, quæ fiebant timuerunt valde. 13.23.197
Cap.28 n.10 Nolite timere: nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam: ibi me videbunt. 19.26.183
11 Ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt principibus sacerdotum, omnia quæ facta fuerant, & congregati cum senioribus, concilio accepto. 12.71.590
19 Euntes docete omnes gentes Baptizantes eos in nomine Patris, & filii & Spiritus Sancti. 13.30.238

Ex D. Marco.

Cap.1 n. 6 ERat Joannes vestitus de pilis camelorum, & zona pellicea, circa lumbos ejus. 17.2.24
23 Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & clamavit dicens, quid nobis & tibi Jesu Nazarene? 12.39.302
24 Jesu Nazarene venisti ante tempus perdere nos. 21.24.568
Cap. 2 Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 21.30.438
27 Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, imposuit eis nomina Boanerges. 21.26.307
Cap. 5 n. 6 Videns Jesum a longe cucurrit, & adoravit eum. 12.53.441
7 Exclamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi Jesu fili Dei altissimi? Adjuro te, ne me torqueas. 12.64.537. & 73.617. & 13.6.50
8 Exi Spiritus ab homine, & interrogabat eum: quod tibi nomen est. Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus. 13.3.33
Cap. 6 n. 8 Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. 13.2.231.& 17.25.227.& 12.9.95
11 Quicunque non receperint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. 13.5.96
16 Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis surrexit. 13.17.133
25 Volo ut protinus des mihi caput Joannis Baptistæ. 17.33.259
27 Misso speculatore præcepit afferri caput Joannis in disco. 13.9.66
Cap.14 n. 60 Exurgens summus sacerdos. cap.13. q.2 n.19
63 Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, dixit: Quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam, quid vobis videtur? 13.23.186.
71 Ille autem cœpit anathematizare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. 12. 47.381
Cap.15 n. 11 Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barrabam dimitteret eis. 13. 22. 178
26 Et erat titulus causæ ejus scriptus: Jesus Rex Judæorum. 13.18.141
40 Erant autem aspicientes à longe mulieres inter quas erat Magdalena, & Maria jacobi minoris. 21.32.504
Cap.16 n. 7 Ite dicite discipulis ejus, & Petro. 21. 24. 244
9 Surgens Jesus apparuit Magdalenæ de qua ejecerat septem dæmonia. 12.36.273 22.48.393
19 Assumptus est in cœlum.

Ex D. Luca.

Cap.1 n. 6 ERant justi ambo ante Deum. 12. 27. 214
17 Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. 14.19.179
26 Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth. 14. 14.129
27 Ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis Maria. 12.23.191.& 14.5.42.& 30.89
28 Ave Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu. 12.23.190
30 Ne timeas Maria invenisti gratiam apud Deum. 12.23.188.& 190
31 Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum. 19.38.36
35 Spiritus sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi. 12.19.161 & 13.17.132
34 Quod nascetur ex te, Sanctum vocabitur Filius Dei. 21.32.495
46 Magnificat anima mea Dominum. 15.12. 103
49 Fecit mihi magna, qui potens est. 12.11.88
59 Et mansit Maria cum illa, quasi tribus mensibus. 12.9.78
60 Nomen ejus vocabitur Joannes. 12.12.103
66 Quis putas puer iste erit; etenim manus Domini erat cum illo. 17.32.263
68 Benedictus Dominus Deus Israel: quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ. 19.4.31
Cap. 2 n. 14 Gloria in Altissimis Deo. cap.19.q.30. n. 218
21 Vocatum est nomen ejus Jesum quod vocatum est ab Angelo priusquem in utero conciperetur. 12.12.103. & 21.22.12
24 Par turturum, aut duos pullos columbarum, 19.20.145
28 Quod parasti ante faciem omnium populorum lumen ad revelationem gentium. 21.3.34
51 Descendit cum illis Nazareth: & erat subditus illis. 14.13.116 & 19.50.398
Cap. 3 n. 8 Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 21.30.438
Cap. 4 n.41 Exibant autem dæmonia à multis clamantia, & dicentia, quia tu es filius Dei, & non sinebat ea loqui. 21.29.424
Cap. 6 n.12 Exiit in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei. 15.10.86 & 21.29. 414
33 Elegit duodecim quos Apostolos nominavit. 15.2.12
15 Et Simonem, qui vocatur zolotes. 21. 34. 364
24 Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. 20.7.71
Cap. 7 n. 15 Surrexit qui erat mortuus, & dedit illum matri suæ. 12.31.219
37 Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset Jesus in domo Pharisæi. 12.23.189
38 Stans retro lachrymis, cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat eos. 15.4.31 & 8.64 & 18.15.128 & 21.15.130
Cap. 8 n. 2 Maria, quæ vocatur Magdalena, & Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, & Susanna & aliæ multæ, quæ ministrabant ei. 12.23.189
5 Et volucres cœli comederunt illud. 18. num.6
28 Ut vidit Jesum procidit ante illum & exclamans dixit, quid mihi & tibi est Jesu fili Altissimi. 12.53.440
29 Multis temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis & compedibus custoditus, & rupis vinculis agebatur à dæmone in deserta. 12.76.636
30 Quod tibi nomen est? At ille dixit, legio quia intraverant dæmonia multa in eo. 12.37.241 & 20.5.51
31 Rogabant eum ne imperaret illis ut in abyssum irent. 12.61. 507 & 70. 79 & 14 37.340
33 Exierunt dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos. 12.36.282
Cap. 9 n. 3 Nihil tuleritis in via, neque virgam. 13. 29.231
30 Duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyses, & Elias, visi in majestate. 12.77.645
54 Domine si vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumet illos. 21.26.311
Cap.10 n. 2 Messis quidem multa, operarii autem pauci. 14.35.317
18 Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. 12.34.258 & 62. 76 & 65. 537 & 13.6.52
31 Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterivit, similiter, & Levita, cum esset secus locum pertransivit. 13.22.176
Cap.11 n.15 In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 12.34.216
24 Ambulat per loca arida, & inaquosa quærens requiem & non invenions. 20.10. 201
27 Tunc vadit, & assumit septem spiritus nequiores se. 12.30.276
Cap.12 n.20 Anima, habes multa bona posita in annos plurimos requiesce, comede, bibe, epulare. 18.13.118
36 Vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. 21.25.267
Cap.14 n. 5 Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati. 13.4.38
17 Homo quidam fecit cœnam magnam. 19. 24.169 & 25.174 & 53.425 & 57.448
23 Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. 19.22.157.158
Cap.15 n. 4 Reliquit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat. 14.2.9
5 Cùm invenerit, imponit in humeros suos gaudens. 14.8.74 & 19.4.15
10 Adolescentior filius peregre profectus in regionem longinquam, dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. 17.12. 96 & 19.4.35 & 14.18.257. & 15.6.53
13 Ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè. 17.19.155
15 Adhæsit uni civium regionis illius. 12. 36.280
16 Cupiebat saturari de siliquis. 12.15.122
17 In se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. 15.4. 30
21 Pater peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. 18.28 226
22 Proferte stolam primam. 15.5.36
23 Adducite vitulum saginatum, manducemus, & epulemur. 19.26.184 & 46.364
25 Erat autem filius ejus senior in agro, & cum veniret & appropinquaret domui audivit Symphoniam, & chorum & indignatus est. 12.63.530 & 17.8.69
Cap.16 n. 19 Homo quidam erat dives qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie. 17.20.155 & 13.104
20 Et erat quidam mendicus nomine Lazarus qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, & cupiebat saturari de mensa divitis. 13.5.44
22 Factum, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. 12. 48.386
23 Elevans autem oculos, cùm esset in tormentis vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu ejus. 14.37 339
Cap.18 n. 8 Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum. 13.21.165
Cap.19 n. 3 Quærebat videre Jesum, & non poterat, quia statura pusillus erat. 21.12.102
4 Præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum. 22.1.14
5 Hodie salus huic domui à Deo facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. 12.24.198
30 Invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit: Solvite illum, & adducite. 19.22.161 & 21.4.92
43 Quia venient dies in te & inimici tui vallo circumdabunt te, & coangustiabunt te undique. 16.5.44
Cap.21 n. 9 Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri oportet hæc fieri, sed nondum statim finis: surget gens contra gentem. 18.16.133
28 His autem fieri incipientibus levate capita vestra. 19.53.428
Cap.22 n.15 Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. 19.30.217
16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducando illud, donec impleatur in regno Dei. 19.23.187
19 Hoc facite in meam commemorationem. 19.42.330
20 Hic est calix novum testamentum in sanguine meo. 19.56.444 & 57.430
28 Ego dispono vobis regnum, sicut disposuit mihi Pater meus. 19.45.36 & 18.451
29 Alius quidem affirmabat dicens: Vere hic cum illo erat. 16.22.177
31 Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. 12.82.699 & & 19.62.479
32 Ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. 21.24.239 & 253
39 Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum. Secuti sunt illum discipuli ejus. 19.34.251
41 Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, & positis genibus orabat. 15.10.86
36 Qui nunc habet sacculum tollat, & peram & qui non habet vendat tunicam, & emat gladium. 12.56.475
43 Tunc apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum. 21.34.577
44 Factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 15.9.75
61 Conversus Dominus respexit Petrum. 21. 10.88
Cap.23 n. 1 Exurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum: cœperunt autem illum accusare. 13.1.2
3 Ego nullam invenio in eo causam. 13.18. 141
8 Erat cupiens ex multo tempore videre eum. 21.12.102
11 Sprevit autem Jesum Herodes cum exercitibus suis: Cumque illudent ei indutum veste splendida, remisit ad Pilatum, & facti sunt amici Herodes, & Pilatus. 17.11.25.

28 Filiæ Jerusalem, nolite flere super me. 18. 23.187 & 21.25.285
42 Memento mei Domine, cùm veneris in regnum tuum. 12.74.624 17.17.129
43 Hodie mecum eris in Paradiso. 18.22.178. & 22.2.24
Cap.24 n.34 Dicunt eis: surrexit Dominus vere, & apparuit Simoni. 21.24
49 Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto. 19.20.142

Ex D. Joanne.

Cap. 1 n. 4 QUod factum est in ipso vita erat, & vita erat lux hominum. 13. 16. 126
11 In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri. 18. 9.82 & 12.20.169
14 Vidimus gloriam ejus gloriam quasi Unigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. 19. 32.234 & 240
16 De plenitudine ejus nos omnes accepimus. 12.22.179
23 Ego vox clamantis in deserto. 19.2.95
29 Vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei. 14.1.3
36 Ecce Agnus Dei, & audierunt duo discipuli dicentem; & secuti sunt Jesum. 17. 33.269
38 Conversus autem Jesus, videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? 21. 25.269 & 270
39 Dicit eis: venite & videte: Venerunt, & viderunt, & apud eum manserunt die illo: Hora autem erat quasi decima. 21. 25.271
41 Invenit fratrem suum Simonem, & dicit ei: Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus. 21.25.272
42 Tu Vocaberis Cephas. 13.33.267 & 15.2.13
18 Unigenitus, qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis. 21.17.339
43 In crastinum, voluit exire in Galilæam & invenit Philippum, & dicit ei Jesus: sequere me. 21.28.363
45 Quem scripsit Moyses in lege & prophetis inveniemus Jesum. 21.28.380
47 Ecce verus Israelita in quo dolus non est. 14.16.140 & 21.29.409
Cap. 2 n.14 Prope erat Pascha Judæorum: ascendit Jesus Jerosolymam, & invenit in templo vendentes boves, oves & columbas, & nummularios sedentes. 18.31.248
19 Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 19.6.46
Cap. 3 n. 3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. 21.25.274
13 Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo filius hominis. 19.16.119
34 Quem autem misit Deus verba Dei loquitur. 12.2.11
Cap. 4 n. 6 Fatigatus ex itinere sedebat sic super puteum. 14.21.195
18 Quinque viros habuisti, & hunc quem habes non est tuus vir: dicit ei mulier Domine video, quod Propheta es tu. 17. 19. 156
35 Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem. 14.35.317
38 Ego misi vos metere, quæ non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis. 12.29.228
Cap. 5 n.25 Venit hora, & nunc est, quando audient vocem filii Dei. 13.12.104
28 Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei. 21.23.287.
31 Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium non est verum. 21.9.82
46 Si crederetis Moysi, forsitan mihi: de me enim ille scripsit. 13.11.94
Cap. 6 n. 7 Dixit ad Philippum: unde ememus panes. 21.28.378
9 Est puer hic unus, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, sed hæc quid inter tantos. 21.25.280
21 Facite homines discumbere: erat autem fœnum multum in loco. 21.17.147
12 Colligite quæ superaverunt fragmenta. 19.52.419
27 Hunc pater signavit Deus. 13.18.140
28 Quem filius hominis dabit vobis. 21. 22. 212
41 Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. 13.13.97
56 Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. 19.13. 110 & 18. 129 & 25. 77 & 28.180
57 Manet in me, & ego in illo. 19.16.119 & 13.96 & 19.116 & seq. & 13.184
71 Nonne ego vos duodecim elegi & unus ex vobis diabolus est. 13. 2.12
Cap. 7 n.38 Qui in me credit, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 13.19.184

Cap. 8 n.48 Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes. 22.9.103
50 Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & judicet. 21.34.565
59 Tulerunt lapides, ut jacerent in eum. 21. 28.389
Cap. 9 n. 7 Vade, & lavare in Natatoria Siloe. 18.13. 109
Cap.10 n. 1 Qui non intrat per ostium in ovile ovium, ille fur est, & latro. 18.33.269
7 Ego sum ostium: per me si quis introierit salvabitur. 21.19.155
10 Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. 20.2.20
27 Oves meæ vocem meam audient. 14. 2.9
Cap.11 n. 1 Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus. Maria autem erat quæ unxit Dominum. 18.15.128
16 Eamus & nos, & moriamur cum illo. 21. 31.482
39 Ait illis Jesus: Tollite lapidem. 21.38.629
49 Cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit. 18.33.269
Cap.12 n. 1 Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam ubi Lazarus fuerat mortuus quem suscitavit Jesus. Fecerunt ergo ibi ei cœnam: ibi & Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discumbentibus. 19.20.146
13 Acceperunt ergo ramos palmarum, & processerunt obviam ei: Hosanna benedictus, qui venit. 20.44.42
24 Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. 12. 20.169
41 Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo. 21.24.576
22 Philippus dixit Andreæ, Andreas rursum & Philippus dixerunt Jesu. 21.25.277
Cap.13 n. 1 Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus. 19.52.415 & 417
2 Cùm diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas. 19.20.147
27 Post buccellam, introivit in eum satanas. 19.20.147
Cum ergo accepisset buccellam, exivit continuò. 19.52.415
31 Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus. 21.15.126
Cap.14 n. 2 In domo Patris mei mansiones multæ sunt. 21.23.219
21 Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Dixit ei Judas: Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? 21.33.530 & 345
26 Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. 12.13.105
28 Dixit ei Philippus: Domine ostende nobis patrem, & sufficit nobis. 21.28.385
Cap.15 n. 4 Manete in me, & ego in vobis: Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. 21.26.295
15 Jam non dicam vos servos sed amicos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis. 19.38.303 & 21.26.300
19 Quia vos de mundo non estis. 21.33.529
Cap.16 n. 8 Arguet mundum de peccato. cap.15. q.1 num.6
12 Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo: cum venerit ille paracletus veritatis, docebit vos omnem veritatem. 14.16.144
20 Amen, amen dico vobis quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit. 18 23.187
Cap.17 n. 9 Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. 21.27.344
11 Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. 14.14.123 & 21.32.498
Cap.18 n. 8 Tunc respondit Jesus: dixi vobis quia ego sum. 19.45.360
10 Simon Petrus habens gladium eduxit eum & percussit Pontificis servum. 21. 24.235
11 Mitte gladium tuum in vaginam. 12. 56. 471 & 21.32.545
12 Dixit ergo Jesus Petro: mitte gladium tuum in vaginam. 15.1.5
35 Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi. 13 23.185
Cap.19 n.19 Jesus Nazarænus Rex Judæorum. 21. 31. 467
20 Erat scriptum Hebraice, Græcè, & Latinè. 12.3.27
23 Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes. 12.3.26
24 Dixerunt ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit. 13. 21.186
26 Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce mater tua. 21.27.145 & 147
34 Unus militum lancea latus ejus aperuit. 19.49 151
35 Continuò exivit sanguis, & aqua. 19.23. 29

Cap.20 n.12 Vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, unum ad pedes, ubi positum erat corpus Jesu. 19.24.17.
13 Dicit ei ille: mulier, quid ploras? dicit ei quia tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. 12 24.210 & 21. 18.153
14 Vidit Jesum stantem, & nesciebat, quia Jesus esset. 13.53.436
25 Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam. 21. 31.466 & 470
22 Insufflavit in eos, dicens: Accipite Spiritum sanctum. 13.17.132 & 19.20.142
Cap.21 n. 7 Tunica succinxit se: erat enim nudus, & misit se in mare. 15.4.26 & 22.1.22
15 Simon Joannis, diligis me plus his? Pasce agnos meos. 21.15.126 & 24.256
17 Cùm senueris, extendes manus tuas, & alter cinget te, & ducet quo tu non vis. 21.37.623
20 Discipulus, quem diligebat Jesus. 21. 27. 341
21 Domine, hic autem quid? 21.27.341

Ex Actis Apostolorum.

Cap. 1 n. 2 JEsus assumptus est in cœlum. 12. 48. 393
5 Vos autem baptizabimini non post multos hos dies. 21.17.14
11 Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? 21.16.137 & 14.30.272 & 22.13.123
16 Viri fratres, oportet impleri scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus, per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum. 18.17.14
26 Cecidit sors super Matthiam. 21.35.585
Cap. 2 n. 3 Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum: & repleti sunt omnes Spiritu sancto. 15.1.5
13 Alii autem irridentes, dicebant, quia musto pleni sunt isti. 17.20.168
42 Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum & communicatione fractionis panis, & orationibus. 12.4.35
Cap. 4 n.16 Quid faciemus de hominibus istis. 15.13. 110
Cap. 5 n.12 Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in populo. 12. 11.86
15 Ita ut in plateis ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum. 21.24.241
Cap. 6 n. 2 Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem plenos Spiritu sancto. 15. 11. 96
9 Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo surrexerunt autem quidam de synagoga disputantes cum Stephano. 15. 17.145
15 Intuentes autem omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli. 12.24.204 & 21.27.364
Cap. 7 n.42 Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi, annis quadraginta in deserto domus Israel. 17.28.236
43 Tradidit eos Deus servire militiæ Cœli, & suscepistis tabernaculum Moloch, & Sydus Dei vestri Rempham. 18.28.225
55 Video Jesum stantem à dextris Dei: Domine Jesu suscipe Spiritum meum. 20. 15.133 & 21.25.288
Cap. 9 n. 4 Saule, Saule, quid me persequeris? 21.31. 479
8 Surrexit autem Saulus de terra, apertis oculis nihil videbat, ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum, & erat tribus diebus non videns. 17.13.256
15 Vas electionis est mihi iste ut portet nomen meum coram gentibus, & regibus, & filiis Israel. 14.17.159
Cap.10 n. 4 Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ memoratæ sunt in conspectu Dei. 14.29.259
9 Cum esuriret, voluit gustare. 21.12.99
13 Occide, & manducа. 15.1.6 & 19.53.423
38 Unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute qui pertransiit benefaciendo.
Cap.12 n. 1 Eodem tempore misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia 21.26.310
7 Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum dicens. 22.69.573 & 21.31.487
21 Statuto autem die, Herodes vestitus veste Regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: populus autem clamabat Dei voces & non hominis. confestim autem percussit eum Angelus. 17.3.30

Cap.13 n.53 Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Jesum sicut in Psalmo secundo scriptum est: filius meus es tu. 12.12.95
Cap.14 n.10 Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. 21.25.268 & 17.24.203
Cap.16 n.16 Quæ magnum quæstum præstabat Dominis suis, divinando. 21.14.116
Cap.22 n.23 Pulverem jacientibus in aerem. 18. 26. 215
Cap.23 n.23 Claudius Lylius optimo præsidi Felici. 13.7.59

Ex Epistola ad Romanos.

Cap. 1 n. 21 COluerunt, & servierunt creaturæ potiùs quàm creatori, propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ: Nam fœminæ eorum mutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. 16.4.34
Cap. 2 n. 4 Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thezaurizas tibi iram. 15.18.157 & 18.18.148
25 Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem, cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. 12.68.563
Cap. 3 n. 4 Est autem Deus verax: omnis homo mendax. 14.16.139
Cap. 4 n.15 Et lex iram operatur: ubi non est lex nec peccatum. 12.38.289
Cap. 5 n. 1 Justificati ex fide pacem habemus ad Deum. 22.14 131
Cap. 7 n. 8 Per mandatum, peccatum operatur in nobis omnem concupiscentiam. 12.38.288
Cap. 8 n.26 Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 23.11.113
32 Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. 12.67. 558
35 Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames, an nuditas, an Periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est quia propterea mortificamur tota die. 14.25.230
Cap.11 n.33 O altitudo divitiarum, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus. 15.13.107
Cap.12 n.12 Spe gaudentes, in tribulatione patientes. 14.7.63
19 Mihi vindicta, & ego retribuam. 19.21.161
Cap.13 n.13 Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in impudicitiis. 17.6.52
14 Induimini Dominum Jesum Christum. 12.14.114
Cap.15 n.32 Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum. 20. 30. 234

Ex 1. ad Corinthbios.

Cap. 2 n. 9 SIcut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus illum. 14.19.163
Cap. 3 n.11 Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. 21.24.234
13 Unusquisque opus quale sit ignis probabit. 15.7.56
16 Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem templum Dei violaverit, percutiet illum Deus. 18.10.89
Cap. 4 n. 5 Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. 20.15.135
Cap. 5 n. 5 Tradere hominē hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. 12.81.696
7 Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio; sicut estis azymi, etenim Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur, non in fermento veteri. 19.17.124 & 42.331 & 21.25.286
Cap. 6 n. 3 Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia. 18.9.78
Cap. 7 n.29 Hæc itaque dico fratres, tempus breve est, reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui gaudent tanquam non gaudentes. 14.21.194
32 Qui sine uxore est sollicitus est quæ Domini sunt. 14.16.144
34 Mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & Spiritu. 14.10.87
Cap 8 n. 1 Scientia inflat, charitas ædificat. 12. 42. 331
Cap. 9 n.22 Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaciam, omnibus omnia factus. 21. 24.240
24 Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. 15.8.62
Cap.10 n. 1 Omnes Baptizati sunt in nube, & mari. 15.5.33 9.
3 patres nostri bibebant de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus. 13. 33. 267 & 15.9.74 & 12.16. 131
13 Fidelis Deus, qui non patitur tentari super id quod potestis. 13.5.41 & 19.32.232 & 21.21.196
16 Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Corporis Christi est? 22.3.28
Cap.11 n.19 Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant. 20.5.46
20 Convenientibus vobis in unum, jam non est dominicam cœnam manducare. 19. 25.174
22 Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum: aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? laudo vos? in hoc non laudo. 18.10.89
23 Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens. 19.47.367 & 48.373 & 62.479
28 Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 19.20.144
Cap.15 n.41 Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum, stella ab stella differt in claritate: sic & Resurrectio mortuorum. 12.18.150 & 22.2.22
49 Portemus & imaginem cœlestis. 13. 17. 135
51 Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, at non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba: canet enim tuba. 18. 3. 26 & 20.2.15 & 20.16.142

Ex 2. ad Corinthios.

Cap. 1 n. 1 PAulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater. 21.26.314
Cap. 2 n.23 Christi bonus odor sumus, in iis qui fiunt, & in iis, qui pereunt, aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. 20.11.108
Cap. 4 n. 9 Ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii, gloriæ Christi, qui est imago Dei. 21. 32.501
7 Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei. 17.16.120
Cap. 5 n.10 Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi. 20.1.136
Cap.11 n.14 Ipse satanas transfigurat se in Angelum lucis. 16.74.110
33 Per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus. 12.40. 409

Ex Epistola ad Galatas.

Cap. 2 n. 19 CHristo confixus sum cruci: Vivo autem jam non ego; vivit verò in me Christus. 13.16.124
Cap. 3 n. 7 Quicunque enim baptizati estis in Christo, Christum induistis. 12.4.28
29 Si autem Christi secundum promissionem hæredes. 16.11.86
Cap. 4 n.19 Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. 12.29.224 & 31. 238
Cap. 5 n.19 Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria. 17. 4.41
22 Fructus autem spiritus est charitas gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides. 19. 11.86 & 22.2.18
24 Carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis. 15.9.73
Cap. 6 n.27 Ego Stygmata Domini Jesu in corpore porto. 13.16.124

Ex Epistola ad Ephesios.

Cap. 1 n. 4 ELegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus. 14. 16.138
13 In spiritu promissionis sancto. 13.30.236
11 Qui operatur omnia secundum consilium suæ voluntatis. 15.13.108
23 Ipse omnia in omnibus adimpletur. 19. 37.290
Cap. 3 n. 9 Dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus, & potestatibus per Ecclesiam. 21.24.246 & 19.28.202
18 Det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum ejus, & Christum habitare in cordibus vestris. 21.22.209
Cap. 4 n. 9 Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. 12.48.392
30 Nolite contristare Spiritum sanctum Dei. 16.17.185
Cap. 5 n. 2 Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. 21.30.458
18 Declinate vinum in quo est Luxuria. 14 22.199
26 Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ. 15. 5.33
29 Membra sumus corporis ejus, & de carne ejus, & de ossibus ejus. 12.19. 164 & 22.3. 28
32 Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & Ecclesia. 12.3.22
Cap. 6 n.11 Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias inimici. 16.24.190 & 19.59.457
12 Non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem sed adversus principes, & potestates, & adversus mundi rectores. 12.65.539 & 16.26.207
14 State succincti lumbos vestros in virtute, & induite loricam justitiæ. 15.15.126
17 Gladium salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. 17.31.260

Ex Epistola ad Colossenses.

Cap. 1 n.15 QUi est imago Dei invisibilis. 21. 23. 501
Cap. 2 n.15 Expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. 12.62.519
Cap. 3 n. 1 Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est. 21 18.152
3 Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. 20.6.53
5 Avaritia, quæ est idolorum servitus. 21. 107
9 Expoliantes veterem hominem, induentes novum, qui renovatur in agnitionem Dei. 21.29.42
14 Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. 15.17.140

Ex Epistola ad Philippenses.

Cap. 2 n. 6 QUi cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit. 12.9.71
8 Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis propter quod Deus exaltavit illum. 21. 22.211
9 Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur. 19.38.304
15 Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. 21.1.16
Cap. 4 n. 1 Gaudium meum, & corona mea. 19.37 290

Ex 1. ad Thessalonicenses.

Cap. 1 n. 1 DE temporibus autem, non opus habetis, ut scribam vobis; ipsi namque scitis diem Domini, ut furem venturum. 20.2.16
Cap. 3 n. 8 Nunc vivimus, si vos statis in Domino. 21.33.535
Cap. 4 n. 3 Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione. 14.13.12 & 15.132
16 Quoniam ipse Dominus in tuba descendet de cœlo, & rapiemur in nubibus obviam Christo. 12.2.12 & 22.13.129

Ex 2. ad Thessalonicenses.

Cap. 2 n. 3 NE quis vos seducat inanibus verbis. 14. 21.183
7 Mysterium jam operatur iniquitatis ut qui tenet, nunc teneat. 14.17.113 & 17.26 232
4 Extolletur super omne, quod dicitur Deus. 19.50.394
6 Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur tempore suo. 12 2.142
8 Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet Spiritu oris sui. 12.57.477 & 19.60.468
9 Cujus est adventus secundum operationem satanæ, in omni virtute, & signis & prodigiis mendacibus. 13.26.208
10 Eo quòd charitatem veritatis non acceperunt, ut salvi fiant. ideo mittet illis operationem erroris. 13.10.83 & 17. 36. 237

Ex

Loca Sacræ Scripturæ.

Ex Epistola ad Titum.

Cap. 1 n. 11 QUi universas domos subvertunt docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia, 12.53.451

Ex 1. ad Timotheum.

Cap. 2 n. 9 SImiliter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut Margaritis. 17.2.28

Cap. 6 n. 9 Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, quæ mergunt homines in interitum. 15.8.65

Ex 2. ad Timotheum.

Cap. 1 n. 12 SCio, cui credidi, & certus sum, quia potens est Deus depositum meum servare in illum diem. 14.29.267

Cap. 4 n. 7 Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. 14.29.265 & 30.276

Ex Epistola ad Hebræos.

Cap. 1 n. 4 TAntò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. 21.29.409

14 Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi. 12.55.467

Cap. 4 n. 9 Relinquitur Sabbatismus populo Dei: qui enim ingressus est in requiem, &c. 14. 27.250

Cap. 7 n. 2 Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium, neq; finem dierum habens, assimilatus autem Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum. 19.26.182

Cap. 9 n. 19 Accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti. 19.40.321 & seq.

Cap. 10 n. 6 Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. 13.21.160

Cap. 11 n. 24 Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem. 21. 29. 400

36 Alii distenti sunt, alii verò ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt. 21.30.410

Cap. 12 n. 17 Non invenit pœnitentiæ locum quamvis cum lachrymis inquisisset eam. 18.23.185

Cap. 13 n. 16 Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. 19.24.101 & 31.405

Ex Epistola D. Jacobi.

Cap. 1 n. 17 OMne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. 19.133

Cap. 2 n. 6 Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos in judicium. Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos. 13.4.45

Cap. 3 n. 6 Inflammant rotam nativitatis nostræ. 17. 22.185

Ex 1. Petri.

Cap. 1 n. 12 INquem desiderant Angeli prospicere. 19.33.243

Cap. 2 n. 8 Vos estis genus electum regale sacerdotium, gens sancta populus acquisitionis. 21.33.533

13 Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti. 17.23.198

Cap. 5 n. 8 Fratres sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens. 12.44.347 & 58.483

13 Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylonia collecta, & Marcus filius meus. 14.21.190

Ex 2. Petri.

Cap. 1 n. 21 NOn enim voluntate humana allata est aliquando scriptura sacra: Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. 14.7.57

Cap. 2 n. 4 Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in Tartarum tradidit cruciandos in Judicium reservari. 20.12.114

6 Civitatem Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt ponens. 18.17 143

Cap. 3 n. 12 Expectantes adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solvuntur & elementa ignis ardore tabescent. Novos verò cœlos, novam verò terram secundùm promissionem ejus expectamus. 21. 1. 8. & 10

34 Satagite immaculati, & inviolati invenire in pace. 14.16.150

Ex 1. Joannis.

Cap. 1 n. 5 DEus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. 12.14.116

8 Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. 14.16.138

Cap. 2 n. 16 Omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. 16.21.169

18 Filioli novissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc multi Antichristi facti sunt. 12.70.580

Cap. 3 n. 2 Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus. 12.53.450

3 Videbimus eum sicuti est, & omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificet se, sicut ipse sanctus est. 14.2.4

10 In hoc manifesti sunt Filii Dei, & filii diaboli, omnis, qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum. 13.29.233

Ex Juda Apostolo.

Cap. 1 n. 1 JUdas Jesu Christi servus, frater autem Jacobi. 21.32.506

9 Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur. 12.51.464 & 13. 32.102

10 Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant. 13.5.46

13 Hi sunt fluctus feri maris despumantes suas confusiones. 12.70.581

Ex Apocalypsi.

Cap. 1 n. 1 APocalypsis Jesu Christi . . . mittens per Angelum suum servo suo Joanni, quam dedit illi Deus palam facere. 22.6.66 & 10.112

10 Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis: Quod vides scribe, & conversus sum, ut viderem vocem. 21.27.342

14 Capilli candidi, & oculi tanquam flamma ignis, & vox tanquam aquarum multarum: & habebat in dextera sua septem stellas. 12.26.207 & 27.212 & 12.20.165

15 Pedes ejus similes aurichalco sicut in camino ardenti. 21.27.351

16 De ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat. 19.43.343

Cap. 2 n. 1 Angeli Ephesi Ecclesiæ scribe. 21. 27 335

7 Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei. 22.3.33

Cap. 3 n. 20 Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum eo. 21.30.447

Cap. 4 n. 3 Et ecce sedes posita erat in cœlo, & supra sedem sedens: & qui sedebat similis erat lapidi Jaspidis, 21.24.234 & 19.51.407

10 Mittebant coronas suas ante thronum dicentes: dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem. 19.5.38

Cap. 5 n. 3 Et nemo poterat aperire librum neque respicere illum. 21.30.416

7 Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum & cùm accepisset librum. 12.48.387

8 Habentes singuli citharas suas. 15.9.7

Cap. 6 n. 11 Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. 22. 4.43

12 Dictum est illis, ut requiescerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum. 12.70. 580

Cap. 7 n. 3 Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus quoadusq; signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. 14.5.33

9 Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum. 20.17.165

Cap. 9 n. 1 Vidi stellam de cœlo cecidisse & data est illi clavis putei abyssi. 20.1.6

Cap. 12 n. 1 Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole. 21 32.497

6 Mulier fugit in solitudine ubi habebat locum paratum a Deo. 13.3.15

18 Draco sterit super arenam. 14.3.15

Cap. 13 n. 1 Et super cornua decem diademata. 17.26. 224

Cap. 14 n. 1 Ecce Agnus stabat super montem Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & audivi vocem de cœlo. 21.6.52

2 Citharizantium in citharis suis. 15.9.71

14 Ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis. 19.49. 390

Cap. 15 n. 6 Vidi cœlum apertum, & exierunt septem Angeli de templo vestiti lino mundo. 22.4.44

Cap. 17 n. 20 Montes non sunt inventi in loco suo. 17. 23.196

Cap. 18 n. 7 Sedeo regina, vidua non sum, & luctum non videbo. 21.9.81

Cap. 19 n. 7 Uxor ejus præparavit se. 21. 15. 125

10 Cecidi ad pedes ejus ut adorarem eum & dixit mihi: Vide ne feceris. 21.27.335

Cap. 21 n. 2 Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo, à Deo paratam sicut sponsam ornatã viro suo. 12.29.165

COM.

COMMENTARIA IN APOCALYPSIM

CAPUT DUODECIMUM.

Apertis septem sigillis libri signati ab Agno Dei, ut patet ex Cap. 6. num. 1. 3. 5. 7. 9. 11. & cap. 8. num. 1. usque ad c. 11. per totum, *in quibus explicantur contenta in ipsis septem sigillis, nunc devenimus jam ad ipsam materiam contentam in ipso libro signato, quæ habetur ab hoc* Capite 12. *usque ad finem Apocalypseos. Et statim in ejus exordio, ac limine, apparet signum magnum, visum in Cœlo, in cujus explicatione maximè laborant Interpretes; hoc tamen à nobis est auspicandum auspicio ipsius magni signi, ne sine ductu veri signi, ab scopo vero aberremus. Post descriptos magnos belli Duces Ecclesiæ, Eliam, & Enoch pugnantes contra Antichristum, nunc introducitur cum gloriosa victoria, ac triumpho Ecclesia, sub schemate Mulieris, & Draconis concertantium. Draco filium mulieris deglutire, ac devorare conatur, sed ille rapitur ad Deum, & mulier fugit in solitudinem; insequitur Draco, ut eos ad pœnam deposcat in judicio, sed ab Angelo Michaele deiicitur in terram, & Cœlites Deo decantant gloriam. De Ecclesia sub hac Muliere denotata, ut est communis sententia, & etiam est communis sententia sub illa intelligens Beatam Virginem Mariam; multa dicam in quæstionibus.*

Apoc. 12. *num.* 1. Et signum magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.

VERSIONES.

Text. Græcus.	Miraculum magnum apparuit in Cœlo. Signum magnum visum est in
Arias.	Cœlo, Mulier circumamicta Sole.
Syriacus.	Induta Sole, & duodecim stellæ corona super caput ejus.
Aretas.	Mulier stipata Sole.
Arabicus.	Super caput ejus duodecim coronæ ex Stellis.

EXPOSITIO.

1 ET; id est, post narrata in septem sigillis, quæ explicantur usque ad cap. 11. ut dixi in exordio argumenti. *Signum*, est illud quod aliud significat, & mirabile quidem. *Magnum*, non solùm ratione illius figuræ, quæ ipsi Joanni apparebat, & obiiciebatur, sed etiam, & maximè propter rem figuratam, ac significatam. *In Cœlo*, non empyreo, nec sydereo, sed aereo; inde enim hæc mulier volavit in desertum. *Mulier*. Quamvis circa intelligentiam hujus mulieris fuerit aliqua dissensio apud authores, de quo infra q. 2. tamen communiter Patres, & maximè latini per eam intelligunt Ecclesiam, græci verò communiter cum D. Augustino, D. Bernardo, sanctam Virginem Mariam; & frequenter inscriptum, unus & idem locus habet duplicem sensum literalem.

2 Et utraque bene dicitur amicta Sole, quia utraque à vero Sole, qui est Christus, magnis donis illuminatur, ac condecoratur, & utraque etiam *Lunam*, id est, omnem hujus sæculi vanitatem, & instabilitatem sub pedibus calcat. *Et in capite ejus Corona stellarum duodecim*; quia Ecclesia illustrissimo Apostolorum choro maximè præfulget. Vel potest exponi de duodecim præexcellentiis, ac prærogativis Ecclesiæ Christi, tam præ synagoga, quàm præ aliis aliarum sectarum congregationibus, de quo infra quæst. 6. Vel si exponatur de Beata Virgine, quæ est Ecclesiæ Mater, per duodecim stellas interpretantur duodecim prærogativæ gratiarum, quibus beata Virgo præ cæteris sanctis coronatur. Et ut in re tantorum mysteriorum clarius procedamus, primò explicabo visionem de Ecclesia, secundò de Beata Virgine, tertiò de anima Justi. Ascanius Abbas per hanc mulierem intelligit divinam providentiam, ut dicam infra quæst. 36. n. 280.

Ecclesia illustrissimè adornatur.

QVÆSTIO I.

Quare Ecclesia dicitur Signum magnum.

3 ALcazar ait, *quòd Signum hic nihil aliud, quàm rem mirabilem sonat*; Cornelius inquit: *Signum, id est, ostensum prodigium, portentosa visione spectaculum*. Tamen neuter modus explicat exactè cur Joannes hanc visionem signum dicat; & rectè signum vocat, quia præter speciem, & imaginem quam ingerebat sensibus, alterius rei significativum erat. Et magnum dicit non solùm ratione figuræ, quæ ei objiciebatur, mulier nempe amicta Sole, stellis coronata, calcans Lunam, sed & maximè propter rem ipsam figuratam, & significatam.

Ecclesia Sancta.

Quid signi in præsenti.

4 Viegas ad explicationem hujus signi, vult tripliciter signum in sacris Literis usurpari; pro miraculo, pro vexillo, pro seipso. Pro miraculo Psalm. 134. nu. 9. *Misit signa, & prodigia in medio tui, Ægypte*; Act. 5. n. 12. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe*. Ecclesia similiter signum est magnum, id est, quodammodo maximum miraculum à Deo effectum, quis enim non solùm ejus ortum admirabilem, sed & prodigiosum ejus progressum non admirabitur? & quia secundò, sicut signum sumitur aliquando pro vexillo, juxta illud Isai. 5. num. 20. *Elevabit signum in nationibus*; sic Ecclesia signum fuit, id est, vexillum, quod Deus erexit suæ erga homines beneficentiæ, idcircò Ecclesiam condidit, quia homines adamavit; sed & tertiò, cùm signum idem sit, ac scopus, ad quem sagittæ collimant, ut Threnor. 3. n. 12. *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam*; sic Ecclesia scopus est, ad quem omnes fideles attendere debent, & ad quem omnes tyranni, ac Principes, persecutionum suarum sagittas intenderunt: *Et signum magnum* dicitur, utpote, quia persecutionum sagittæ semper in illam collimarunt.

Tripliciter signum.

5 Rectè tamen hæc mulier Ecclesia *in cœlestes orbes* constituitur, amicta Sole, *Luna sub pedibus*, nam quidquid cœleste est, impenetrabile existit; licèt ergo Ecclesia persecutionum tyrannicarum fuerit amplissimus scopus, inter eas stetit securissima, & adversariorum sagittæ minimè eam, ut quid cœleste, penetrare potuerunt.

Ecclesia invicta in persecutionibus.

6 Quod prænotavit regius Vates Psal. 128. n. 1. loquens Ecclesiæ nomine: *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea; dicat nunc Israel. Sæpè expugnaverunt me à juventute mea; etenim non potuerunt mihi*; ubi post D. Augustinum & nostrum Incognitum, sic ait Jacobus de Valentia: *Dicat Ecclesia, dicat nunc Israel; Sæpè expugnaverunt me infideles, & inimici Dei, ac peccatores, & scelerati à juventute mea; nunquid à juventute sua satis impugnatur in Abel per Cain, &c. & Judæi impugnarunt Christum, & Apostolos, & tyranni martyres, & hæreticus catholicos, & Antichristus impugnabit totum Ecclesiam? & ideò dicit: Sæpè expugnaverunt me à juventute mea; usque ad senium suppliciis; veruntamen licèt sæpè me expugnaverint, quia patiebar talia pro fide, & charitate, & ideo non potuerunt mihi prævalere, nec animæ nocere, licèt corpus affligerint.*

Ecclesia persecutionibus numquam potuit expugnari.

7 Christus Dominus ad Ecclesiam ait: *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ*, Cantic. 4. n. 3. ubi illam non comparat cum integro malo punico, quod rudi cortice contectum, nulla venustate commendatur, sed cum fragmine mali punici, quia malum punicum, cùm in multas partes partitur, tantùm abest, quod pulchritudinem suam deperdat, quod tunc magis in car-

Ecclesia in persecutionibus claruit.

carbunculos dehiscens pulchriùs splendescit. In quem locum Beda: *Malum*, inquit, *punicum magnam granorum copiam uno foris cortice includit; quæ quidem integro adhuc malo videri nequeunt, sed fracto, quàm sint innumera, clarescunt; sic etiam Sancta Ecclesia, quo ampliùs eam frangi adversis contigerit, eò clariùs, quot virtutum grana unius fidei tegmine complectatur refert:* vide to. 1. cap. 1. q. 44. n. 327. & seqq. & cap. 11. q. 6. n. 40. 41.

QUÆSTIO II.

Quare hæc mulier *Ecclesia non in terra, sed tantùm in Cœlo apparet.*

8 QUamvis Cœlum multoties pro ipsa Ecclesia sumatur, ut illud Matth. 13. *Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori;* tamen cùm hæc mulier sit Ecclesia, manifestum sit hoc loco, cœlum non ipsam Ecclesiam significare, jam enim Ecclesia in se ipsa apparuisset. Cœlum ergo communiter, tripliciter sumitur; pro aereo, de quo Psal. 8. n. 9. *Volucres cœli;* secundò pro æthereo, seu sydereo in quo stellæ continentur, de quo Eccles. 43. n. 10. *Species cœli gloria stellarum*; tertio pro cœlo empyreo, ubi Deum intuentur Beati, de quo Stephanus Act. 7. nu. 55. *Video cœlos apertos, & filium hominis à dextris Dei.*

Triplex cœlo.

9 In quonam cœlo apparet hæc mulier maximè hic dubitatur? Ferrarius existimat quòd in cœlo empyreo, quia in eo loco mulier apparuit, ex quo draco projectus est in terram, de quo agitur infra in hoc capite; atqui draco projectus est ex cœlo empyreo. Sed hæc sententia supponit falsum, quia hìc non agitur de primo lapsu dæmonis, ut dicam quæstione sequenti, & ibi apertè ostendam.

Pro cœlo empyrio contendit.

10 Sumitur ergo hìc cœlum pro cœlo aereo, ut tenent Viegas, Alcazar, Cornel. Menoch. La Haye, & alii communiter, quia in eo loco hæc mulier apparuit, ex quo aptè, & proportionatè fugit in desertum; aptiùs, & commodiùs ejus fuga repræsentatur ex cœlo aereo, quàm ex empyreo. Nec obstat, quod hæc mulier appareret ornata Sole, & Luna, & stellis; quia, cùm hæc visio fuerit imaginaria, ex *ipso* cœlo aereo species Solis, Lunæ, & stellarum objectæ sunt phantasiæ.

Pro cœlo aereo pugnat.

11 Quæstio principaliter inquirit, cur hæc mulier Ecclesia potiùs apparet in cœlo, quàm in terra? Quia Ecclesia tota cœlestis est, genere nempe, lingua, moribus; genere, ipsa de cœlo descendit; lingua, quia *qui est de terra ..... de terra loquitur*, Joan. 3. nu. 31. *quem autem misit Deus, verba Dei loquitur*, ibidem num. 34. & moribus, quia intentione, opere, & actione semper fertur in cœlum; quod eleganter expressit Tertullian. in Apocalyps. cap. 1. ubi agens de persecutionibus Ecclesiæ ait: *Nihil gens christiana de causa sua deprecatur, quia nec de conditione miratur, scit se peregrinam in terris agere, inter extraneos facilè inimicos; cæterum genus, sedem, gratiam, dignitatem in cœlis habere unum gestit, interdum ne ignorata damnetur.* Tum etiam quia nostra fidelium omnium conversatio in cœlis esse debet, dicente Paulo Ecclesiæ nomine: *Nostra autem conversatio in cœlis est.*

Ecclesia genere lingua & moribus de cœlo.

12 Hinc hæc mulier apparet fœtu gravida, & parit filium, qui rapitur ad Dei thronum, quia ubi Christum in se concepit gens fidelis, statim mente, & affectu rapitur in cœlum, nec potest alibi consistere, nisi in ipso Cœlo. Huc advoco id, quod notat D. Anastasius Sinaita lib. 7. Hexaem. ubi sic loquitur: *Exeuntes de aquis volucres, stupens Isaias clamabat: Qui sunt hi, qui ut nubes volant? Hæ sunt volucres quæ rapiuntur in nubibus obviam Domino in aera*, 1. Thessal. 4. num. 16. verè fideles tanquam volucres de aquis his terrenis nascuntur, tamen non ibi consistunt, nec humi reptant, sed ad superna, utpote divino rore concepto volant, ut venturo Domino in nubibus cœli cum potestate magna, valeant in aere occurrere, ut ab ipso coronentur.

Mens fidelis relinquit terrena, ad superna elevatur.

13 Mandavit Deus Moysi Levitici 16. num. 15. *Suscipiet Aaron ab universa multitudine filiorum Israel duos hœdos pro peccato, & eos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi.* Et quare cùm de justificatione pro peccato agitur, non assumuntur potiùs agni, oves, arietes, & boves, sed tantùm hirci? quia in eis apparuit, ut potissimùm ad tantum negotium eligantur? Hoc hircis valde insitum est, ut semper ad excelsa, & sublimia contendant, & minimè patiuntur in infimis commorari; sic qui per Dei gratiam justificationem suorum peccatorum concipit, non hæreat in terrenis, ac infimis, sed semper ad superiora, ac cœlorum excelsa feratur. D. Hieronym. in cap. 43. Ezechiel. sic ait: *Hircus assumitur, quia animal est semper ad excelsa festinans, & nihil periculi sustinens in præcipitiis; & ibi invenit viam, ubi cæteris animantibus interitus est; undè caprarum & hircorum grex sublimium conversatio dicitur.*

Magnus laus hominis, quod semper excelsa patet.

Magnus ille legislator Moyses, cùm jam promissæ telluris fines attingeret, moriturus ascendit in montem; sic habetur Deuteron. ult. num. 1. *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab supra montem Nebo*; cur magnus Dux non descendit ad inferiora terræ exoptatæ, ad illiusque valles amœnissimos, fluentes lac, & mel, sed tantùm ad alta cacumina montium fertur? Cùm Moyses toto affectu vigilaret ad Deum, inde nesciebat ad inferiora tendere, sed tantùm ad superiora conscendere. D. Gregor. Nyssenus sic in vita Moysis loquitur: *Post hæc omnia*, ejus nempe relata facinora, *ascendit in Montem requietis, non descendit ad inferiores terras, quo turba populi ex promissione respiciebat, nec enim illicitur terrenis, qui cœlestibus invigilavit.*

14

Viri magni fastidiunt terrena, & cœlestia procurant.

QUÆSTIO III.

Quare hæc mulier *Ecclesiam sanctam repræsentat.*

15 ALcazar in præsenti refert, quòd Nazarius in hujus capitis explicatione, opinatur duas fœminas Joanni visas in Cœlo, alteram Sole amictam, alteram in terra gravidam, & doloribus partus prænuntiis pressam; manifestè tamen loquitur Joannes de una sola muliere, idque cæteri omnes Interpretes maximè statuerunt.

16 Et hæc mulier hìc apparens denotat, ac significat sanctam Dei Ecclesiam, ut tenent D. Ambros. Primasius, Andreas Cæsarienses, Haymon, Richardus, Beda, Methodius, Aretas, Albertus Magn. D. Thomas, & alii Patres, quos communi consensu sequuntur omnes ferè Interpretes tam antiqui, quàm recentiores.

17 Tamen multa est controversia, de qua Ecclesia hic sit sermo? Ferrarius contendit, quod hìc agatur de Ecclesia, prout comprehendit utranque rempublicam hominum, & Angelorum, existimat enim, quod ea, quæ hìc dicuntur à vers. 7. & infra, de prælio Michealis cum dracone, ad literam sunt intelligenda de primo lapsu dæmonis, quod non potest stare; primo, quia dicitur *Serpens antiquus*, tunc non erat serpens antiquus, sed novus; secundò, quia Angeli boni Deo decantant gloriam, quia projectus est accusator fratrum suorum, & ob alias multas rationes, quas ad ipsum vers. 7. dabo.

Ecclesia prout comprehendit homines & Angelos.

18 Secundo Alcazar vult hìc fieri sermonem de primitiva Ecclesia in gentibus propagata, & transfert omnia, quæ sequuntur ad gloriam Ecclesiæ Romanæ, cujus hìc, & in sequentibus vult describi victoriam, devicta idololatria, & prostrata *ethnica* Roma. Obest tamen ei, quia latiùs patent mysteria hujus visionis, & hìc revelantur mysteria, quæ sub sigillis paulo ante reseratis erant clausa, quæ latiùs patent, & maximè respiciunt ultima tempora.

Ecclesia primitiva.

19 Tertia sententia est veluti de progressu ipsius Ecclesiæ. Nicolaus de Lyra putat hìc describi impugnationem Ecclesiæ à paganis suo Cosdroa Persarum Rege; mulierem ait esse Ecclesiam, ipsum Cosdroam esse draconem, Heraclium vero Imperatorem esse filium mulieris: *Parum* feliciter collimat qui *aberrat* à scopo; sicut *Glossa* illorum qui hæc transferunt ad Judicia, *S. Paschasii*, & *Arthemii*; de illis hic non est sermo.

Lyrani sententia

20 Communis ergo sententia, quam tradunt Patres citati, Primasius, Andreas Cæsarien. Haymon, Beda, & alii, & sequuntur interpretes recentiores, Viegas, Cornel. Menoch. Tirinus, qui omnes per hanc mulierem intelligunt Ecclesiam, & ut verum dicam,

tam

tam in suo progressu, quàm & maximè sub fine Mundi, de qua passim agitur in hoc Apocal. libro Ecclesia, auxiliante S. Michaele ejus protectore, cum suis Angelis validè, & fortiter pugnabit cum Dracone, id est, Lucifero, ejusque dæmonibus ac membris, ut Antichristo, ejusque sequacibus; quæ pugna hìc explicatur cum allusione ad primum prælium olim gestum in Cœlo ab Angelis, in quo Lucifer cum suis victus deturbatus est in terram.

Ecclesia ab fine Mundi.

21 Quæstio tamen principalis est, cur Ecclesia dicitur mulier, & non potiùs virgo, vel puella? nam mulier pro corrupta aliquando videtur usurpari; tamen mulier ex vi nominis, ut notat D. Hieronymus in cap. 4. Epist. ad Galat. sexum magis, quàm copulam viri significat, ut fusè probat Tertull. lib. de velandis Virginibus: ergo hìc mulier non sumitur pro corrupta, sed pro Virgine purissima, quæ est sponsa, & uxor Christi ut castissima.

Mulier pro Virgine purissima.

22 Et ideò frequenter in Scriptura, mulier vocatur Ecclesia catholica, præcipuè duplici de causa; tum quia viro juncta sit, tum quia fœcunditate in multiplicem prolem diffunditur, Ecclesia enim Christo sponso juncta est, ipsa siquidem est secunda Eva, quæ ex latere Adam Christi, sopore mortis, in Cruce Domini dormientis educta fuit, una militum tamen lancea, latus sacrum aperiente, undè fluxit sanguis, & aqua, quod mysterium esse interpretatur D. Paul. Ephes. 5. num. 32. dicens: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*; id est: Sub hac Matrimonii institutione, mysticè Dei, & Ecclesiæ latet unanimis, & indissolubilis conjuncto; Ecclesia verò quàm fœcunda sit, & quot genuerit, quotque gignat quotidie filios, meridiana luce clarius est.

Ecclesia Christi validè fœcunda.

23 Ecclesiæ Christi amplitudinem, ac fœcunditatem vaticinatur Baruch. 3. num. 24. *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus*; ubi maximè observandum, quòd sex vocabulis hujus loci amplitudo designatur; primò: *Magna est domus Dei*; secundò: *Ingens locus possessionis ejus*; tertiò: *Magnus est*; quartò: *Non habet finem*; quintò: *Excelsus*; sextò: *Et immensus*; quia nimirum totidem sunt loci differentiæ, supra, & infra, ante, & retrò, & dextra, & sinistra; ut undique Ecclesia maximè diffusa, ac dilatata, filiorum multitudine, ostendatur, itaut omni ex parte sit excelsa, immensa & sine fine.

Valde ampla est Ecclesia Christi.

24 Duobus quondam filiis benedixit Noe, Sem in typum Synagogæ, ab eo enim natus est Israel, & Japheth in typum Ecclesiæ, ex quo prognati sunt gentiles; de illius dilatatione nec verbum dixit, dilatationem verò hujus, non solùm appellatione ipsa *Japheth* significavit, nam Japheth idem est, ac *dilatatio*, sed etiam vehementi precatione, ait: *Dilatet Deus Japheth, & habitet in tabernaculis Sem*, Gen. 9. num. 29. ad quæ verba sic habet D. Hieronym. in qq. hebraic. *Quia lata est multitudo credentium, à latitudine nomen, & benedictionem accepit*; ac si comparatione dilatationis Japheth, nulla esset dilatatio *Sem*, & idem dilatatio Japheth tot, & tantis exprimitur, nulla enim fuit dilatatio Synagogæ per comparationem ad Ecclesiam Christi.

Maximè Ecclesia Christi dilatata est

25 Quod maximè confirmatur, quia extensio Synagogæ, seu *Sem*, conclusa est in una natione, in uno Regno, seu terra promissionis, at dilatatio *Japheth*, seu Ecclesiæ Christi, se extendit per totum Orbem, per omnes gentes, ac nationes, usque ad ultimas oras, ac insulas maris; quod egregiè notavit D. Ambros. lib. de Arca & Noe cap. 23. dicens: *Non immeritò latitudo dicitur, quando etiam in alteram partem naturæ, hoc est, maritimam, generatio ejus processit. Verè enim tanquam latitudo non fuit eo contenta, quod in usum hominibus natura præscripserat, hoc est, terræ possessione, verùm etiam introgressa est mare, ad insulas usque processit.*

Ecclesia usque ad ultimas terras & insulas dilatatur.

26 Loquens Isaias de Christo Domino, ait cap. 11. num. 12. *Levabit signum in nationes & congregabit profugos Israel & dispersos Juda colliget à quatuor plagis terræ*; ubi D. Basil. per illud signum, Crucem Domini intelligit, deinde quærit, cur per Crucem Mundus instauratur, ac ad Christi Ecclesiam convocatur? Et respondet: Crucem quatuor partibus distinctam, imaginem esse Orbis quatuor partibus constantis, quia per Crucem Christi à quatuor partibus salvandi vocabantur: *Ut hac significatione*, ait, *omnes Mundi partitiones per eas sanctæ Crucis partes ad salutem dispensentur.* Sic & ait Joan. 19. num. 23. *Milites ergo, cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam*; cur non faciunt duas, vel tres partes, sed quatuor? D. August. tract. 118. in eundem Joannis locum: *Quadripartita*, ait, *vestis Domini Jesu Christi, quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam, toto terrarum Orbe, qui quatuor partibus constat, diffusam, & omnibus ejusdem partibus distributam.*

Christi Ecclesia congregatur ex quatuor orbis partibus

Posuit Pilatus titulum in Cruce Christi: *Et erat scriptum hebraicè, græcè, & latinè*, Joann. 19. numer. 20. cur non uno idiomate, sed tribus scribitur? Noster Divus Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joan. cap. 30. *Omnium enim gentium*, ait, *regnum Christo attributum esse significavit, ut omnes populi tribus, & linguæ ipsi serviant*, Daniel 7. numer. 14. *Titulus igitur iste, per præcipuas linguas, omnium linguarum Jesum futurum Principem prædicabat*; quod Theophylact. in cap. 23. Luc. magis expressit: *Hoc*, ait, *symbolum fuit, quod potentissimi gentium, quales Romani, & sapientissimi, quales græci, & religiosissimi quales hebræi, regno Christi subiiciendi essent.* 27

Christi Regnum per omnes nationes se extendit.

QUÆSTIO IV.

Quare Ecclesia Sancta in hac muliere significata, apparet amicta Sole.

ECclesia sancta, quam hæc mulier adumbrabat, Sole amicta se se ostentat. Sol Christus Deus noster, juxta illud Malach. 4. num. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus*; quem Solem justitiæ Christum Dominum per fidem in Baptismo induit fidelis Ecclesiæ filius, dicente Apostolo Paulo Galat. 3. num. 27. *Quicunque enim baptizati estis in Christo, Christum induistis.* 28

Ecclesia Sole justitiæ Christo induitur, seu circumcingitur; vel, ut legit Aretas: *Sole stipata*; ut sic Christus Ecclesiam suam undique protegat, custodiat, ac servet ab omnibus nocumentis, ut olim suam curam, ac custodiam in Synagogam Christus declarans, ait Matth. 23. num. 27. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* quæ verba verè amantis, custodientis, ac protegentis sunt. Totam tamen hanc custodiam, & protectionem in suam Ecclesiam transtulit Christus, itaut dicatur ab eo undique munita, circumdata, ac stipata, ut à nullo malo valeat penetrari. D. Laurent. Justinian. tract. cujus titulus est, *Amoris fasciculus*, cap. 18. sic ait: *Nunquam sic mater aliqua circa curam infantis sui, sic facta anxia, sicut Dominus circa corporis sui membra; illius nempe ad Judæos vox est:* Quoties, *inquit*, volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti? *Dum milvus per aera volitat, gallinæ pullos capturus, statim gallina sub tegmine alarum suarum eos protegit; sic Ecclesiam suam tuetur, & custodit salvator, eam omninò circumdans, ac circumvestiens*; expende ultima verba: *Circumvestiens*. 29

Ecclesia custoditur ac defenditur à Christo.

Tertiò, & maximè corroboratur supradicta ratio: Quare noster Evangelista, non ait, mulier est, vel fuit, seu erit amicta Sole, sed absolutè, nullam apponens temporis differentiam, ait: *Mulier amicta Sole*; sicut & dixit: *Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*; nullo præfixo temporis articulo, sed simpliciter, & absolutè? Ut inde fiat manifestum, quod Ecclesia, Antichristi, ac draconis persecutione, usque ad finem Mundi, semper refulgebit, amicta Sole justitiæ, illique per charitatem erit unita, ab eoque semper protecta, & custodita, omnique gratiarum genere resplendens, semperque Lunam sub pedibus habebit, omniaque, nempe mutabilia, ac temporalia conculcans, & despiciens, semperque stellis coronabitur, quia nunquam 30

In perpetuum erit Ecclesia splendens Christo unita.

deerunt justi, ac sancti, qui sunt ejus gaudium, ac corona.

31 Non est accessus ab Ecclesiam nisi per Christum

Quartò cùm hæc mulier Ecclesia intra ipsum Solem contineantur, nullus ad eam potest esse accessus, nisi priùs in lucem incurrat, ab ipsoque lumine illustretur, ut sic nobis innuatur, quod nullus ad Ecclesiam potest accedere, nisi per Christum, ac nisi à lumine ejus gratiæ illustretur.

32 Veritas Ecclesiæ in luce manifesta.

Quintò genus vestis, vel amictus, operit, ac tegit membra, & corpus, Sol verò detegit, ac manifestat; cur ergo hujus Virginis amictus, ac vestitus Sol est? Quia tanta est puritas, integritas, ac veritas Ecclesiæ catholicæ, ut tanquam Sole meridiano cunctis manifestetur, nisi caliginosi, ac sinistri sint oculi.

33

Sextò apparet hæc mulier amicta Sole, & in capite ejus corona stellarum duodecim: cùm coronam in capite video, Reginam agnosco, & maximè mirandum, quòd Princeps, & Regina Sole induta dicatur: Rex, & Princeps erat Job, & de se testatur c. 29.num.14. *Justitia indutus sum, & vestivi me tanquam vestimento*; perfectus princeps, decentiùs, ac illustriùs non poterat alio vestiri, quàm justitia, utpote nil illustrius in eo relucere poterat: quando ergo magni principis vestis ex justitia componitur, cur hæc nostra regina, ac princeps non justitia, sed Sole amicta perhibetur? Sol hoc habet singulare, quod ad omnes extendit suos radios, eosque calefacit, ac illuminat, quo maximè nobilitatur princeps; quod notans Christus, Matth.1.num.45.dicebat: *Solem suum facit oriri super bonos, & malos*; Sol paratus est ad omnes fovendos, & à nullo radios suos divertit, sed potius expansis radiis, sicut brachiis, omnes excipit sive magnos, sive parvos. Hoc in hac Principe fœmina notabat D.Bernardus serm.ad illa Apocalyps. verba: *Ea est*, ait, *quæ velut alterum Solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitatis, amplissimo quodam miseretur affectu*. Hæc omnium præstantissima princeps, ac Mundi Regina Ecclesia, hanc naturam à Sole participat, ut omnes sive magnos, sive parvos excipiat, ut eos foveat, & cœlesti alimento reficiat. In hujus rei typum fabricavit Salomon solium suum grande, fecitque *duo altrinsecus brachiola*, 2.Paralip.9.num.18.in suprema parte throni stella stabat, quæ duo prætendebat brachiola, patula, & aperta, quo significabatur Princeps brachiis apertis debere esse, ut omnes excipiat, & amplectatur. Ad hoc respicit D. Chrysostom.serm.4.de feria 5.Passion.dum notat Mundi Principem Jesum, in Crucem ascendentem: *Convenite Christianæ gentes*, ait, *concurrite fidelissimæ nationes*; *Dominus Rex noster non in patibulum, sed in tribunal Crucis ascendit*; *ecce manus, & alas extensas aperuit, ut nos ex omni Orbe congregaret*. Expende ultima verba.

Rex, & Princeps omnes excipiat, & amplexatur.

34 Bonus Præsul dat præmia, & supplicia, juxta subditorum conditionem.

Septimò mulier apparet amicta Sole. Sol varias, ac diversas res producit, juxta dispositionem, ac qualitatem terrarum, ac regionum; in una parte, aurum & argentum, in altera, ferrum, & æs; in una parte producit flores, & fructus suavissimos, in altera verò spinas, & tribulos: sic Pastores, Prælati Ecclesiæ, quibus ipsa maximè vestitur, ac componitur, in quibusdam producant aurum, & argentum, ac fructus, & flores suavissimos, ut suo proportionato præmio condecorentur, in aliis verò spinas & tribulos, ut debito supplicio afficiantur. Aaronis virga constituta in tabernaculo protulit flores, & fructus, ut dicitur Numer.17.num.8. *Invenit germinasse virgam Aaron in domo Levi; turgentibus gemmis eruperant flores, qui solis dilatatis in amygdalas deformati sunt*; tamen eadem virga in Ægypto in præsentia Pharaonis in colubrum conversa est: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum, & devoravit virga Aaron, virgas eorum*, Exod.7.num.10. undè eadem virga tam diversimodè se habet, ut in Ægypto in serpentem vertatur, in tabernaculo verò, flores, & fructus suavissimos proferat? Denotabatur ibi virga boni, ac optimi Præsulis, quæ erga pestiferos serpentes Ægypti, serpens est, ad eos devorandos, ac perdendos, erga verò bonos in tabernaculo ministrantes, lenis, & suavis, flores, & fructus suavissimos producens, ut illis coronentur.

Octavò mulier undique cooperta erat Sole, & quidquid in ea cernebatur, Sol erat, itaut inspicientibus mulier videretur transformata in Solem; quam cogitationem firmat D.Chrysostom.hom.24. in Epist. ad Roman.sub finem, ubi sic ait: *Ad eum modum de amicis dicimus, is illum prorsus indutus est*; *multam dilectionem, irremissumque convictum significantes: indutus igitur id esse videtur, quod indutus est*; cum ergo juxta D.Chrysostom. *indutus, id esse videtur, quod indutus est*; hæc mulier tota censebitur esse Sol, & in Solem transformata. Hæc autem mulier juxta multos doctores superiùs datos, est Ecclesia, imò de primitiva Ecclesia interpretatur Alcazar, cujus fideles in illo exordio, ferventissimo pectore, singulari spiritus munditie, ac puritate ad sacram mensam accedebant; Act. 2.num.42. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*; cùm ergo in illa primitiva Ecclesia fideles, multa reverentia, puritate, ac submissione quotidie cœlesti pabulo reficerentur, inde Ecclesia Christum induta, in ipsum transmutata apparebat, cum dicat Chrysostom. *Indutus id esse videtur, quod indutus est*. Et planè devotissimi illi catholici Christum induerant, & in Christum erant transformati, quando ejus vitam, quantum fas est, repræsentabant, ad imitationemque ejus Mundo crucifixi erant.

35 Per sumptionem Eucharistiæ, Christus transformatur in nos.

Ait regius Vates Psalm.64.num.14. *Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento*; cujus versus primam partem sic transfert D. Hieronym. *Vestientur Agni greges*; non ait quod colles, sed quòd valles abundabunt frumento, sicut enim colles, superbos significant, sic & valles, mites, humiles & modestos, cùm enim hujusmodi abundant, ac replentur cœlesti Christi frumento, sic in Christum transformantur, ut Christiani greges divino Agno induti videantur, cum juxta Chrysostom. *Indutus id esse videtur, quod indutus est*; qui enim verè, ac sincerè corpus, & sanguinem Domini participat, sic in ipsum Dominum transformatur, ac ipso cœlesti Agno induitur, ut in humilitate, modestia, ac sinceritate, quandam speciem ipsius Domini præbere videatur.

36 Humilis fumens Christum, in ipsum transmutatur.

Ait Isaias 61.num.10. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis*; ubi pro vestimento salutis, transferri potest ex hebræo, ut advertit Leo à Castro: *Induit me vestimento Jesu*; *vel, induit me vestimentum Jesum*. Induitur anima vestimentis Jesu, ex quo carnem suam sacratissimam manducandam tradidit, caro enim, qua indutus in Mundo apparuit, vestis, ac pallium ejus est, juxta vaticinium Jacob Gen.49.num.11. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*; ubi per stolam, ac pallium, carnem Christi interpretantur Diodorus, Cajetan. & alii. Et sanè magna est ratio gaudendi, ut significat illud geminatum verbum, *Gaudens, gaudebo*; dum anima Jesu tanquam vestimento fruitur, & carnis ejus particeps fit.

37 In sacra mensa Christum induimur.

Cum inde ad maximam ejus similitudinem evehatur, ait Joan.1.n.12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Cùm homines dicuntur fieri filii Dei, inde maximè consequens est, ut Deo sint similes, quia, ut ait Aristoteles de gener. Animal.cap.19. *Ut filii similes parentibus sint, ratio exigit*. Sed undè homines talem potestatem accipiunt, ut filii Dei fiant, & in Deos transformentur, ac commutentur? D.Thom.Opuscul.58.cap.25.sic ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, id est, Deiformes, & Deo secundùm imaginem similes; nec potest creatura ad majus promoveri, quàm quod suo assimiletur Creatori; assimilatur autem homo Deo, virtute corporis Christi*.

38 Per sumptionem Eucharistiæ, Christo reddimur similes.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quare hæc ſancta mulier Eccleſia Lunam pedibus calcat.

39 Eccleſia ſulcitur à Chriſto. A Lcazar in preſenti Lunam in bonam partem accipit, & per eam interpretatur Chriſti humanitatem, ait enim, quòd hæc mulier ſit Eccleſia; amicta eſt Sole, id eſt Deo; coronatur duodecim ſtellis, id eſt, duodecim Apoſtolis; ex inferiori parte quaſi baſi, & fundamento fulcitur, & innititur Lunæ, id eſt, Chriſti humanitati.

40 Quod autem Lunæ metaphora rectè conveniat Chriſti humanitati, multis oſtendit ipſe Alcazar. Primò, quia ſicut Luna ſuam lucem mutuatur à Sole, ita ſapientiam, gratiam, & gloriam, Chriſtus, ut homo, accipit à Deo, juſtitiæ Sole. Secundò Luna eſt luminare minus, quod præeſt nocti; ita hujus ſæculi nocti præeſt Chriſtus. Tertiò ſicut Luna in plenilunio eſt ingens, & ideo à Jeremia cap. 7. num. 18. vocatur *Regina Cœli*, tamen ſenſim decreſcit, & quaſi evaneſcit; ita Chriſtus exinanivit ſe in præſepio, ac Cruce, ut non eſſet ei ſpecies, neque decor, Iſai. 53. ſed mox inſtar Lunæ rurſum creſcentis reſurgendo, & aſcendendo in cœlum ad ſuam gloriam rediit. Quartò ſtellis Luna natura minor, prærogativa luminis, & influentiarum illas antecellit; ita Chriſtus quatenus homo imminutus ab Angelis, illos omni gratia, & virtute antecellit. Quintò genituras, ac generationes promovet Luna; at Chriſtus nos ſua gratia efficit novas creaturas. Ob hæc, & ſimilia vult Alcazar hìc in Luna ſignificatum Chriſtum, qui totam Eccleſiæ fabricam ſuſtineat, undè de Eccleſia dicitur Cantic. 2. nu. 6. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Chriſti Domini humanitas, eſt veluti cervical, aut fulcrum ſub capite Eccleſiæ illam ſuſtinens, divinitas verò ut dextera eam amplexatur, ut utraque manu fulta non deficiat; quod rectè explicat Orig. hom. 3. ex quatuor, ad illa verba Proverb. 3. *Longitudo dierum in dextera ejus.*

Chriſti humanitas ſuſtentaculum Eccleſiæ.

41 Secundò multi graves auctores, & etiam Alcazar, & ex eo Cornelius, Lunam B. Virg. Mariæ accommodant, nam ſicut Luna eſt humanitas Chriſti, ſic & Luna eſt B. Virgo; & primò Eccleſia, multa quæ primariò de Chriſto dicuntur, ſecundariò B. Virgini accommodat, ut illud Proverb. 8. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio: ab æterno ordinata ſum;* undè ait Petrus Damian. ſerm. de Nativit. Virg. *Quemadmodum nullum eſt aſtrum excepto Sole, adeo pulchrum, ut Luna, ſic ſumma gloria eſt poſt Deum videre Virginem adhærere illi, & in illius protectionis munimine commorari*; & idem ferè habet ſerm. de Aſſumpt. Secundò Luna aſtrorum eſt Regina, ut appellatur ab Horatio in ſæculari carmine, & prima poſt Solem; ſic B. Virgo ſanctorum eſt Regina, & prima poſt Chriſtum. Tertiò ſicut Luna ſuo influxu plantas, & animalia vegetat, ita Virgo ſuo auxilio juſtos, & peccatores juvat. Quartò ſicut Luna hanc mulierem fulcit, & ſuſtentat, ita B. Virgo Eccleſiam ſuis meritis, & precibus veluti ſuſtentat. Quintò ſicut Luna, quæ Poetis Diana eſt, quam præ virginitatis amore dixerunt commercia hominum fugiſſe, & virginibus comitatam, ſilvam petiiſſe, virginum præſes eſt, ita & multò veriùs B. Virgo, quæ omnium virginum primiceria, vexillum extulit virginitatis. Sextò ſicut Luna patitur eclypſim, cùm inter ipſam Lunam, & Solem interponitur terra, ne lux Solis ad eam deferatur, ſic B. Virgo in paſſione filii ſui eclypſata eſt, cùm terreni judæi malitiam ſuam interponentes, illi adimerunt Solem, id eſt, Chriſtum filium ſuum, cujus conſpectu Virgo ſummoperè jucundabatur.

Virgo Maria Eccleſiam munit, & fulcit.

42 Tertiò ſunt qui per Lunam in præſenti intelligunt fideles, fide formata per Baptiſmum, à Luna enim aquea, & humida natura dependet; per eam ergo, fidem illorum, qui lavacro ſancto regenerantur, intelligere poſſumus, & indirectè Eccleſia ſancta Lunam habet ſub pedibus, non ut eam calcans, ſed ut fulcimentum, ac ſuſtentaculum illius; fidelium fide formata fulcitur, ac ſuſtinetur Eccleſia. Sanct. Method. in tractat. quem *Sympoſiacum* inſcripſit: *Cæterùm per Lunam*, ait, *eorum fidem metaphoricè deſignari putamus, qui per regenerationis lavacrum, mala expiati ſunt; ſi quidem humida, & aquea natura ex Luna dependet.*

Fides formale, Eccleſiæ fulcimentum.

Quartò alii Lunam ad Synagogam referunt; ſic ait idem S. Methodius citatus: *Mulier Sole induta, eſt Eccleſia; aſcendit autem ſuper Lunam, quia Synagogam ſub pedibus proſtratam habet.* Ecce tibi Eccleſia Chriſti, ut dominatur omnibus Synagogæ bonis, illamque cum omnibus ſuis rebus, victimis, ac figuris ſub pedibus habet, omniaque illius pedibus conculcat, ac conterit. Epiſcopus Aretas aliter per Lunam, Synagogam interpretatur, poſtquam enim explicuit, quòd per Lunam intelligatur mutatio, diminutio, ac decretio, ſic ſubdit: *Luna cultum deſignans legalem, veluti diminuta fuit, ac ſe ipſa minor effecta; per ſpiritum evangelicum à loco mota.* Eccleſia evangelica vero Sole Juſtitiæ Chriſto amicta naſcente, ipſa Synagoga omninò decrevit, ac diminuta eſt, & totaliter ampliùs non eluxit. 43

Eccleſia naſcente Synagoga omnino decrevit, & non eluxit.

Quintò, & eſt vera, & genuina ſententia, quam etiam tradunt Recentiores, La Haye, Ferrarius, & alii, Lunam accipiunt in malam partem; per eam intelligunt cuncta temporalia, & omnem creaturam mutabilem, quam Eccleſia deſpicit, & pedibus calcat. Hanc ſententiam priùs docuit D. Gregorius Magnus lib. 34. moral. cap. 12. in principio: *In Sole*, ait, *illuſtratio veritatis, in Luna autem, quæ menſtruis ſuppletionibus deficit, mutabilitas temporalis accipitur; ſancta igitur Eccleſia, quia ſuperni luminis ſplendore protegitur, quaſi Luna, & Sole veſtitur, quia verò cuncta temporalia deſpicit, Lunam ſub pedibus premit.* Gloſſa Interlinealis: *Luna ſub pedibus ejus*, id eſt, *omnia terrena, quæ non in eodem ſtatu permanent.* Meritò hæc ſancta mulier Eccleſia apparet amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, quia ſicut per Solem intelligitur Deus, ſic per Lunam temporalia bona; & quanto quis magis Deo unitur, & adhæret, eo magis contemnit, & conterit omnia temporalia. 44

Vera ſententia.

Quò magis quis Deo unitur, eò magis temporalia deſpicit.

In hac conſideratione ait Gloſſa ordinaria; *Luna ſub pedibus ejus.* Licèt mundanis ſuſtentetur Eccleſia, non tamen affectat. Hæc ſancta mulier Eccleſia tanquam ſuſtentaculum, ac fulcimentum habet Lunam ſub pedibus; Luna temporalium bonorum ſymbolum, quia licèt temporalia bona inſerviant ad ſuſtentationem Eccleſiæ, non tamen ſunt in affectu, non enim illius vehementi affectu, ac deſiderio tenetur & rapitur, ſed hujuſmodi terrena bona contemnit, ac ſub pedibus calcat, & inde ei ſunt in ſuſtentationem, hoc enim habent terrena bona, quòd contemnenti inſerviunt ad ſuſtentationem, diligenti verò in devorationem, ac perditionem. 45

Qui terrena deſpicit ab eis ſuſtentatur: diligit, ab eis devoratur.

Exploratores qui miſſi fuerant à Moyſe ad conſiderandam promiſſionis terram, cùm reverterentur, dicunt Moyſi Numerorum 13. numer. 33. *Terra quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos*; at Caledo dixit Moyſes Joſue 14. numero 9. *Terra, quam calcavit pes tuus erit poſſeſſio tua, & filiorum tuorum in æternum, quia ſecutus es Dominum Deum meum*; quomodo eadem terra videbatur exploratoribus devorare habitatores ſuos, & de illa dicitur à Moyſe, quod ſit poſſidenda, & calcanda à Calebo? undè ipſe ſic elevatur tanto dominio ſuper terram, quæ devorat habitatores ſuos? Ratio petenda ex verbis Moyſis dicentis Calebo: *Quia ſecutus es Dominum Deum meum*; at exploratores terreno affectu movebantur, ut ſolùm terrena quærerent, & amarent; qui magno amoris affectu Deum proſequitur & terrena pedibus calcat, hic terræ dominatur, & eam in poſſeſſionem ſuam habet, qui verò terram amat, & quærit, ab ipſa devoratur, & conſumitur, ac perditur. 46

Terrena ſuos amatores devorant, Dei amatores, Dominos recip. unt.

Cùm Petrus agnoviſſet Jeſum in mari, *deſcendens de navicula ambulabat ſuper aquas, ut veniret ad Jeſum; videns verò ventum validum, timuit, & cùm cœpiſſet mer-* 47

ge, *clamavit*, &c. Matth. 14. num. 29. Petrus, dum toto amoris impetu ad Iesum ire contendit, fluctus maris calcat, illosque subjectos habet sub pedibus, at ubi temporalis tempestas gressum amantis retardare cœpit ad Iesum, & de terreno corpore, ac hujus sæculi vita est sollicitus, *timuit*, & *clamavit*, *cùm cœpisset mergi*, *dicens*: *Domine salvum me fac*; jam non ipse tenet subjectos fluctus, quin potiùs à fluctibus teneri & absorberi ipse incipiebat. In quo sanè exprimebatur felicitas eorum, qui toto cordis affectu, Iesum quærunt, tales enim sub pedibus habent mundialia bona sibi subjecta, illorumque dominium in se ostendunt, at alii prorsus absorbentur à mundialibus bonis, qui sub duro flagello illorum amoris, ut misera mancipia, captiva tenentur, terrena enim bona hoc habent, ut absorbeant, & devorent amatores suos, & portent ac sustineant Dei amatores, eorumque nutibus, ac pedibus subjecta sint. D. Augustin. serm. 13. de verbis Domini: *Attendite sæculum quasi mare*, *ventus*, *validus*, & *magna tempestas*: *Unicuique sua cupiditas tempestas est*. *Amas Deum? ambulas super mare*, *sub pedibus tuis est timor sæculi*; *amas sæculum? Absorbebit te*; *amatores suos ne care novit*, *non portare*.

Terrena suos amatores absorbent; Dei amatores portant.

QVÆSTIO VI.

Quare hæc sancta mulier Ecclesia, *duodecim stellis in capite coronatur*.

48 HAs duodecim stellas, post aliquas rationes refert Albertus Magn. ad duodecim gaudia, quorum spe Ecclesia sancta coronatur, & insignitur; quæ duodecim gaudia, ipse sic enumerat: *Primum*, *de visione divinitatis*; *secundum*, *de visione humanitatis*; *tertium*, *de loci spatiositate*; *quartum*, *de speciositate*; *quintum*, *de societate hominis*; *sextum*, *de societate Angelorum*; *septimum*, *de pulchritudine creaturarum*; *octavum*, *de stabilitate earum*; *nonum*, *de evasione pœnarum*; *decimum*, *de inferni clausione*; *undecimum*, *de stola animæ*; *duodecimum*, *de stola corporis*. D. verò Bernardinus alia recenset Ecclesiæ gaudia: *Primum*, & *præcipuum*, ait, *est de plena cognitione*; *secundum*, *de perfecta dilectione*; *tertium*, *de summa apprehensione*; *quartum*, *de corporis claritate*; *quintum*, *de corporis agilitate*; *sextum*, *de corporis subtilitate*; *septimum*, *de corporis impassibilitate*; *octavum*, *de pacis tranquillitate*; *nonum*, *de gratia*, & *venerabili societate*; *decimum*, *de loci varietate*; *undecimum*, *de status immutabilitate*; *duodecimum*, *de plena securitate*.

Ecclesia triúphans duodecim gaudiis coronatur.

49 Graves auctores has duodecim stellas referunt ad omnes virtutes, & dona, quibus Ecclesia sancta coronatur; per duodecim enim stellas, omnes virtutes intelligunt, tum quia duodenarius numerus perfectus est, & universitatem significat, tum quia, non plura sunt astra Zodiaci, per quæ in toto anno decurrit Sol: itaque nihil est sapientiæ, intellectus, consilii, scientiæ, pietatis, ac charitatis, quod Deus suæ Ecclesiæ non contulerit, proindeque mulier hic illarum typus, duodecim stellis coronata est, cùm omnibus sit ditata.

Ecclesia omnibus virtutibus coronatur.

50 Et rectè per stellas, virtutes denotantur, ut ait D. Bernard. serm. 27. in Cantica: *Quomodo stellæ in nocte lucent*, *in die latent*, *sic vera virtus*, *quæ in prosperis non apparet*, *eminet in adversis*. *Illud sanè cautelæ est*, *hoc necessitatis*. Stellæ in claro, ac sereno die se abscondunt, inter tamen noctis tenebras, ac horrores se produnt, ac manifestant, sic & vera virtus quæ in placida, ac favente aura latet, inter turbidos horrores tribulationum, ac persecutionum, lucidos suos radios diffundit. De sanctissima Iudith dicitur cap. 9. n. 1. *Ingressa est oratorium suum*, *induit se cilicio*, *posuit cinerem super caput suum*, & *prosternens se Domino clamabat*, &c. ubi noster legit: *Induit se cilicio*, græcus habet: *Nudavit id*, *quod induebatur*, *cilicium*; id est, cùm illud antea esset aliis vestibus opertum, & obtectum, iam vestibus illis abjectis manifestè apparuit, ostendens cilicium, quo erat induta. Sed cur quod antea sic occultaverat, & abscondérat, modo illud non veretur nudare, & publicare? Antea erat populus in pacifica, ac quietâ tranquillitate, modò verò in multa tribulatione, ac angustia, instante babylonico exercitu cunctis ultimam devastationem, ac desolationem minante, & illud cilicium virtutis monumentum, quod serena, ac felici pace absconderat, in communi omnium dolore, ac angustia manifestat, & publicat, cunctos suo exemplo exhortans ad misericordiam, ac auxilium impetrandum à Deo, cum eorum pœnitentia.

Vera virtus in tribulatione latet, in tribulatione manifestatur.

Communis sententia in hac re est, quam tradunt 51 Andreas Cæsarienf. Ansbertus, Rupertus, Glossa, Albertus Magnus, D. Thomas, & communiter Patres; per duodecim stellas intelligunt duodecim Apostolos, qui, ut stellæ præfulserunt in capite, id est, in Christo, seu in initio Ecclesiæ christianæ. Et meritò Apostoli, Ecclesiæ nascentis dicuntur corona, quia contra prima fidei bella pugnarunt feliciter.

Duodecim stellæ Apostoli.

A divino sponso dicitur Ecclesiæ sanctæ: *Veni de Libano*, *coronaberis de capite Amana*, Cantic. 4. num. 8. Septuaginta, ac Philo Carpath. legunt: *A principio fidei*. Sed cur potiùs corona Ecclesiæ componenda est à principio fidei, quàm ab illius consummatione, ac fine sæculi, cum scriptum sit: *Lauda post vitam*, *magnifica post consummationem*? Meritò tamen coronatur cum illis, qui fuerunt à principio fidei, hi enim fuerunt primi illius bellatores, qui illius prima fundamenta posuerunt, erutis, ac extinctis errorum vepribus, qui tanquam primitiæ omnium creaturarum extiterunt. Procopius ad cap. 16. Isai. *Fuerunt enim Apostoli Ecclesiæ primitiæ*, juxta illud Iacobi 1. n. 18. *Ut simus initium aliquod creaturæ ejus*; Cajet. ibi: *Id est*, *primitiæ quædam creaturarum*; & rectè quidem, quia qui primi fuerunt, tantò gratiùs ornant, quantò primitiæ sunt gratiores. 52

Apostoli Ecclesiæ corona, & præcæteris gratiores.

Ait Isaias 62. num. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini*, & *diadema Regni in manu Dei tui*; loquitur Prophetа, ut explicant D. Hieron. D. Cyrill. Procop. & alii, cum Apostolis, ac sanctis martyribus, qui Ecclesiæ sanctæ, quos illi dedit Deus Pater, fuerunt corona, gloria, ac decor, ut explicat Procopius ibi: *Quidam per Regni ipsius diadema*, *eos intelligunt*, *qui eundem sanguine suo testati sunt*, *quos sua ipse manu seligens Pater filio adjungit*, *velut coronam apponens*; & quæ gloriosior corona Christo, ac sponsæ ejus, quàm tales habere filios, & milites, ut fuerunt Apostoli, qui non solùm sanguinem suum pro ejus fide dederunt, sed alios similiter suo exemplo adhortati sunt, ut pro ea sanguinem suum fuderint? Ex quo liquet, quàm optimo jure martyrum ille antesignanus Stephanus, id est, corona appelletur, qui tot coronas accepit, quot martyribus post se reliquit exempla, vel quia illorum omnium ipse corona fuit; de quo B. Augustf. serm. 95. de diversis, sic ait: *Quando Beatus Stephanus pro Christo*, *primus sanguinem suum fudit*, *quasi corona processit de Cælo*, *ut eam sumerent sequentes in præmio*, *qui præcedentis pietatem imitarentur in prælio*; *impleverunt postmodum terram crebra martyria*; *quicunque posteà sanguinem pro Christi confessione fuderunt*, *illam coronam capiti suo imposuerunt*. 53

Apostoli, ac primi prædicatores Christi ac Ecclesiæ gloria, & honor.

Qui enim in primo prælio fortiter se gerunt, eis totius victoriæ trophæus debetur. Cum Achab à Propheta Dei nomine accepisset denuntiatam victoriam, per pedissequos statim rogat: *Quis incipiet præliari?* 3. Reg. 20. n. 14. quasi de victoria esset certus, si essent, qui belli primas animosè susciperent. Tantum ad victoriam momenti est, in principio rei gerendæ robur ostendere. David Rex nuper creatus, summa opum vi enixè contendit, ut caperet Sionis arcem, proposito etiam præmio ei, qui prior hostem invaderet, 2. Reg. 5. num. 8 *Proposuerat David in die illa præmium*, *qui percussisset Jebusæum*; ut ait ibi Glossa interlinealis: *Ut in principio regni fortitudinem demonstraret*; certa enim illa corona erat, qui in principio strenuè certaret, neque enim felices modò exitus, sed etiam animosa principia coronantur; pro quo multa vide in nostro 2. & 3. ac 4. tom. in Evangelia, in Indice, verbo *Primus*. 54

Optima principia magni facienda, & coronanda.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quare in hac sancta muliere Ecclesia, simul resplendent, Sol, Luna, & stellæ.

55 Difficultas quæstionis.

ECce modò in hac sancta muliere, Sol cum Luna, ac stellis lucem partitur. Si quæras cur modò Sol, qui aliàs singulariter fulgere discupit, stellas micare, & lucere Lunam non vetat, sed simul cum ipsa luce Solis, lux Lunæ, ac stellarum partitur. Quæstio inquirit?

56 Deus omnes benedictione cœlestes dedit Ecclesiæ.

Respondeo & ad literam, quòd hæc sancta mulier Ecclesia apparet amicta Sole, stellis coronata, Luna sub pedibus, ad significandum Ecclesiæ data esse omnia cœlorum ornamenta, nam cœlorum ornamenta, & lumina consistunt in Sole, Luna, & stellis, proindeque hoc ænigmate significatur Ecclesiam esse quid divinum, in quo Deus omnia ornamenta virtutum, ac donorum contulit, nihilque esse divinum, & cœleste, quod ei non dederit, & ideo Paulus ait ad Ephes. 1. num. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo*; ecce nihil deest, sed Deus nobis contulit omnes spirituales benedictiones; & subdit Apostolus: *In Cœlestibus*; subindicavit mysticum Solem, Lunam, & stellas, quibus hæc mulier condecoratur, efficiunt enim hæ benedictiones spirituales, quasi unum perfectissimum cœlorum ornamentum, quod in Sole ostendit, ac stellis mysticè constitit. Addit Paulus: *In Christo*; ostendit præcipuum caput horum ornamentorum esse per Christum, & propter Christum, à quo omnia bona in nos defluxerunt; quæ omnia maximè excitarunt Diaboli invidiam, contra hanc sanctam mulierem Ecclesiam, & inde ipse omni suo veneno perfuso, intendit eam pessundare.

57 Omnia Deus dedit Ecclesiæ.

Et notentur hæc tria in hoc magno hujus mulieris ornamento. Sol denotat verum Solem justitiæ, proindeque significat omnia divina, & ea quæ sunt Dei, quæ Deus contulit homini, & non Angelo; dedit enim Deus humanæ naturæ communicationem divinæ personæ, & in ea omne illud, quod Dei est, quod Angelo non concessit. Secundò, notetur Luna, quæ significat omnia terrena mutabilia, ac caduca, quibus homines maculantur, sicut Luna quando deficit, quæ posita sunt ad pedes hujus mulieris, quæ omnia illa pessundat, conculcat. Ultimò in capite ejus corona stellarum duodecim; per quas duodecim stellas significantur omnes virtutes, quæ sunt in parte superiori, & eminentiori loco, tum quia duodenarius universitatem significat, tum quia tot sunt astra Zodiaci, per quæ toto anni spatio Sol decurrit, & quia duodenario mensium numero totus annus completur, nihil enim est sapientiæ, virtutis, gratiæ, ac doni, quod Ecclesiæ suæ non contulerit. Ecce in hoc ænigmate expressa sunt omnia decora mirabilia, quæ Deus Ecclesiæ suæ contulit, quibus maximè invidia Diaboli stimulata est contra Ecclesiam, ac filios ejus, ut illos devoraret.

58 In Ecclesia quilibet sin officio fungatur.

Secundò, & jam moraliter: Etsi materialis Sol lucem Lunæ, ac stellarum obscuret, tamen in hoc mystico Cœlo hujus mulieris, majora lumina, ut Sol, & Luna, minora, ut stellas non obtenebrant, sed permittitur, quod unumquodque sua luce perfulgeat. In Ecclesia, qui in majori sunt dignitate non debent suffocare minores, nec eos impedire in luce sui muneris, sed unumquodque in suo ordine, sua luce, ac officio fungatur.

59 Fœderatæ unionis vinculum efficax ad bellum peragendum

Tertiò licèt Sol non patiatur quod Luna, ac stellæ in ejus præsentia claros suæ lucis radios emittant, tamen modò non vetat hujusmodi splendores; voluit nunc Sol iste mysticus declinare, ac compescere invidiam, ac fallaciam serpentis antiqui, nam iste pestiferus æraco armabatur contra superiora astra, quibus bellum intulerat, & jam cauda tertiam partem astrorum traxit in terram; inde Sol in Cœlo fixus, de sua singularitate trepidat, & veluti confœderata unione secum advocat Lunam, & stellas, ut ex talis communi consortio periculum devitet, & fortiùs venenosas serpentis fraudes compescat, & securiùs victoriam impetret, nam tale unionis vinculum, magnum fulcimentum est ad prosperitatem. D. Cyrillus latinè datus à Corderio lib. 2. Apolog. cap. 7. *Sol, Lunam stellarum infimam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam, splendoris in granditate conatur; sic & primum mobile cùm sit unum, lationis primariæ communicata vi tute, secum cæteros orbes rapit, ne sit in officio suo singularis.* Expende illud: *Sol, Lunam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam conatur.*

Cum Josue pugnaret contra hostes suos, & Sol jam in occasum vergeret, magna fiducia ad Deum clamat: *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon*, Josue 10. num. 12. ad victoriam consequendam sat erat, quod Sol sisteret, lucem præberet, donec suos hostes Josue persequeretur, eosque omnes ad internecionem deleret; cur ergo non solùm Solem, sed etiam Lunam nominat, sub qua omnes stellas, omnesque cœlorum orbes jussos fuisse gradum sistere, communis est sententia? Sol enim, & Luna, astra sunt nobilissima, ac diei & nocti præsunt, indeque reliqua cœlestia astra, & corpora significant; ad quid ergo Josue, quiescente Sole, Lunam, stellas, & cæteros cœlestes orbes in suo cursu quiescere imperat? Respondent communiter hìc Abulens. Masius, Conimbr. lib. 2. de Cœlo quæst. 2. art. 3. in fine, Menoch. Tirinus, & alii; inde cùm sistit Sol, ut cæteri orbes sisterent ex Dei dispositione, ne constitutus à Mundi creatione, perpetuus ordo inter cœlestes orbes perturbaretur, & dissoluta inter ipsos orbes unione, magna discordia cuncta moverentur, & magna rerum commotio fieret; cùm ergo Josue, ad prælium peragendum, favorem à cœlestibus astris imploraret, unionem concordiæ inter ipsa superiora lumina, toto affectu intendit, & quærit, aliter ipsa non poterant esse in subsidium, ac victoriam. 60 Ex unione ac concordia magnū subsidium ad bellum peragendū

Armabat Deus præstantissimos duces sui populi ad Pharaonem debellandum; veniebat Moyses in Ægyptum, Dei mandatum secutus, ecce obvius ei occurrit frater ejus Aaron, & ambo in oscula, ac amplexus ruunt; sic ait text de Aarone: *Qui perrexit obviam ei in montem Dei, & osculatus est eum*, Exod. 4. nu. 27. quid facitis magni, & præclarissimi viri? vocamini adversùs truculentissimum Ægypti tyrannum, adque durissimum bellum cum eo aggrediendum, & vos fraternis, ac suavibus osculis, ac amplexibus vacatis? qualia hæc arma adversùs Pharaonem? quænam hæc paramenta militaria? Fallar, si quæ sunt alia fortiora arma magnis Principibus, ad devastandos hostes, quàm si suorum populorum unitatem, & concordiam fraternam cogitaverint, & inde illi duo præclarissimi viri ad illud acerbum bellum cum tyranno vinculo, ac auspicio unionis, & pacis se communiunt, osculo nempe & amplexu; undè eleganter ait Paulus Orosius lib. 7. cap. 42. *Omnem catalogum, ut dixi, vel man festorum tyrannorum, vel inobedientium ducum optima Honorius Imperator, religione, & felicitate meruit, magna Constantius Comes industria, & celeritate confecit, meritò sanè, quia in his diebus præcipiente Honorio, & adjuvante Constantio, pax, & unitas, per universam Africam, Ecclesiæ catholicæ reddita est, & corpus Christi, quod nos sumus, redintegrata defcissione sanatum est*; quid elegantiùs? Corroboratur Honorius Imperator adversùs omnes tyrannos, & rebelles hostes, quos penitus confregit, & dissipavit, & quo medio? Eo quod pacem, & unitatem Africanorum fidelium procuraverit, simulq; divisiones fidelium in Africa excussit, & concordiam redintegravit, qua unitate, & concordia posita, gloriosus victor de hostibus est effectus. 61 Unitas & concordia clarissimū auspicium ad debel. laudes hostes.

Ecce quantum valet unitas, ac concordia, ut de hostibus triumphet, eosque destruat, ac perdat; è contra verò divisio, separatio, ac singularitas, omnem ruinam ac malum parat. Cùm Diabolus à Deo accepisset facultatem in Jobi bona, validissimum turbinem excitavit in ejus filios, qui in domo primogeniti convivabantur, repentè enim domus acerrimis ventorum flatibus impetita corruit, illosque oppressit: *Ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit* 62

quatuòr angulòs domus, quæ corruens oppressit liberos ejus, Job. 1. n. 19. & quomodo unus ventus potuit totos quatuor angulos domus illius apprehendere, & concutere? Si domus illa aliis ædificiis esset conjuncta, per quatuòr angulos nequiret concuti, nec penitus posset subrui, at dum *nullus* angulus alteri ædificio adhæret, sed sola, & singularis domus consistit, ventorum turbinibus quassata ruit. O quàm fortiter persisteret, si ejus latera aliarum domorum lateribus essent unita! at dum hæc domus aliarum fugit unionis consortium, omni ventorum impetu quassatur. Huc advoco id, quod subdit Divus Cyrillus supra citatus: *Væ ergo soli, quia cùm instabile pede superbiæ ventilatus ceciderit, societate privatur, sublevans adiutorium non habebit.*

Solus, qui est sine aliorum unione ruit.

QUÆSTIO VIII.

Quare majora luminaria ut Sol, Luna in inferiori sunt loco, minora verò ut stellæ, superius eminent in capite sanctæ hujus Mulieris.

63 APparet mulier Sole amicta, & Luna sub pedibus ejus famulabatur, caput verò micantium stellarum corona redimibat; cur Sol luminum princeps capitis vertice non stet, vel Luna noctis præses, pulchritudine commendata, tempora non exornet, & stellis pedes calceentur? Sol caput exornet, Luna corporis ornamentum ministret, & stellæ dent famulatum pedibus, ut congruus ordo servetur. E contra tamen res accidit in hoc signo magno; stellæ munere, ac lumine inferiores excelsa tenent, Sol vestimentum præbet, & Luna famulatum pedibus.

Ratio dubitandi.

64 Literalis ratio petenda est ex rerum significatione; Sol significat divinam protectionem, quæ totam hanc mulierem Ecclesiam, undique circumdat, protegit, ac munit; pedes verò, per quos significatur affectus, Lunam, id est, terrena, & temporalia conculcant; caput verò, id est, superiorem ejus partem, omnes virtutes per stellas significatæ, ut dixi superiori quæstione, exornant, condecorant, ac coronant.

Literalis ratio.

65 Secundò, & jam moraliter: In hoc naturali Cœlo stellæ micant, in superiori, id est, in octavo Cœlo; Sol fulget in quarto tanquam in medio inter orbes cœlestes, Luna verò in inferiori, ultimo, ac primo cœlo; sic in hac sancta muliere, hæc superna astra suum ordinem servant, stellæ eminent in excelso capitis vertice, Sol tanquam medius vestitum ministrat, Luna verò ultimo pedibus dat calceamentum, in Ecclesia enim non invertitur ordo debitus, sed unusquisque fulget suo loco, & ordine, nec aliquis à sua debita statione excluditur.

In Ecclesia quilibet sit in suo debito ordine.

66 Tertiò Sol & Luna de singularitate fulgent, at stellæ unita congregatione micant. Sol fulgentissimus est, pater, ac fons totius lucis hujus hemisphærii, unicus tamen, ac singularis consistit: *Luna perfecta in æternum, & testis in Cœlo fidelis*, Psal. 88. nu. 38. tamen unica, singularis est; at stellæ, tanquam communitatis ordine unitæ scintillant; & licèt lumine inferiores sint, tamen pro honore communitati debito, illustriorem illæ vindicant locum: hoc ergo ænigmate depinxit Deus, quantus honor debeatur nobili, ac honestæ communitati, nam licèt Sol, & Luna sint magni Principes, ac majora luminaria, & in magno honore habenda, tamen ubi intervenit communitas stellarum, quæ licèt claritate sint minores, excellior illis assignatur locus & gloriam capitis obtinent.

Communitas magis honoranda, quàm quæ libet persona illustris.

67 Mittitur Daniel in lacum leonum, & statim descendit Angelus, qui exactos eorum dentes frænaret: *Deus meus misit Angelum suum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi*, Daniel. 6. num. 22. in fornacem ardentem mittuntur tres pueri, & ad eos in auxilium descendit ipse filius Dei; exclamat Barbarus: *Ecce ego video quatuor viros solutos, ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei*, Daniel. 3. n. 92. Daniel inter egregios præcipuus, in dono prophetiæ præclarus, & dignitate præ cæteris honoratus, & tribus illis pueris ex multis illustrior habetur; cur ergo pro liberando Daniele unus Angelus descendit, cùm ad custodiam trium puerorum, ipsemet filius Dei venit? Numerus personarum discrimen invexit; Leonibus unus Daniel solummodo obiicitur, æstuanti rogo congregatio multorum traditur; in fornace tres communitatem constituebant; in lacu valde præclarus, sed singularis versatur Daniel: ubi ergo honorabilis communitatis, præclaræque congregationis conspicitur forma, excellentioris etiam honoris videtur prærogativa; tres communitatem conficiunt, & filii Dei consortio honorantur, at Daniel licèt dignitatum apicibus percelebris, utpote singularis sine communitatis decore, pro sui custodia uno Angelo exornatur.

Ubi communitatis est prærogativa, veneratio, & honor sit major.

Quartò Mulier prodit, pro vestis ornamento habens Solem, Lunam pedibus conculcans, in capite tamen ejus irradiat corona stellarum duodecim; contra hanc Mulierem armatur draco, sed conatibus irritis, & è Cœlo non detrudet mulierem, etsi Evam detruserit è Paradiso; quænam hujus Mulieris arma? undè ipsa tam inexpugnabilis? Rectus nempe rerum ordo; Luna injustorum, stultorumque ænigma est, qui multis miraculis fœdantur, dicente Eccles. 27. num. 12. *Stultus ut Luna mutatur*; Sol justos significat, & eos qui aliquando eclypsi ac macula peccatorum obnubilantur, licèt resipiscant, at stellæ, quæ nullam maculam, nullamque eclypsim patiuntur, significant majores justos, semper justitia, ac sanctitate fulgentes, undè sic scribit Rupertus apud Glossam: *In capite hujus mulieris, corona stellarum duodecim Patriarchæ: item in initio renascentes ejusdem sanctæ Ecclesiæ, duodecim Apostoli, nobilissimi, ac splendidi dinumerantur*. Ecce recta dispositio, & ordo Ecclesiæ, undè ipsa fit mure inexpugnabilis contra omne draconis venenum; indignus stultus, ut Luna est dejectus, aliqua verò virtute insignitus lucens, ut Sol erectus, & honorifico in loco constitutus, at valdè benemeritus, & multa virtute insignis, & semper fulgens, ut stella, ad culmen dignitatis evehitur, & in supremo fastigio eminet. Ad magnum ornamentum hujus mulieris spectat, non solùm, quòd benemeritus sit exaltatus, sed etiam quod indignus sit dejectus.

68

Respublica fulget & firmatur si indignus dejicitur benemeritus sublimatur.

Promittit Isaias Regi Ezechiæ salutem diuturniorem, & pro signo dat optionem, an velit umbras crescere, vel imminui; tunc sapiens Rex maluit umbras dejici; sic ait: *Facilè est umbram crescere decem lineis; neque hoc volo, ut fiat, sed ut revertatur retrorsum decem gradibus*, 4. Reg. 20. num. 10. Maximè hìc disputant interpretes, an solùm umbra reflexerit, an etiam Sol retrocesserit. Placet nunc Vatablus affirmans: *Miraculum fuit*, ait, *umbram retrocessisse, procedente tamen Sole, nec sequutam esse umbram motum Solis*. Prudens Rex tale signum quærit, non Solem, sed umbram detorqueri; parum erat Solem micante fastigio recedere, si umbræ procederent: *Miraculum fuit umbram retrocessisse, procedente tamen Sole, nec sequutam esse umbram motum Solis*; hoc est enim signum optimi Regis, salutis, ac totius regni, quando virtute conspicui, ut Sol procedunt, & ad altum ascendunt locum Zodiaci, ac dignitatem totius imperii, umbrosi verò, obscurati turpitudine vitiorum retrorsum descendunt, ac in ima dejiciuntur.

69

Salus Reipublicæ, indignus dejectus, benemeritus exaltatus.

Quinto eminentiorem, digniorémque locum sibi stellæ elegerunt, Sole, Lunaque longè ignobiliores; Sol luminum fons, Cœli præses, vestis ad instar corpus tegit; Luna, pulcherrimum sydus, noctis præsul vestigia adorat; at stellæ cùm claritate sint inferiores, dignitate ultimæ, exiguo, mutuaque splendore micantes, sic tumidè extolluntur, ac inflantur, ut primum occupent locum, & caput sibi deberi contendant. Hoc emblema est humanæ Reipublicæ, ut qui minora virtutis splendore sunt lumina, excellentiorem primatum teneant, cùm tamen majora meritorum lumina inferiùs jaceant, & depressiùs habeantur; & inde Sol vestit, Luna sub pedibus, stellæ verò caput exornant, ut gloriam, quam merita denegant, de supereminentiæ pompa acquirant.

70

Abjecti, & humiles majora loca volunt sibi comparare.

Repræ-

71 Repræsentatur Deus Isaiæ 6. num. 2. in præexcelso throno residens, Seraphinorum agminibus stipatus, qui supremum Regem non cadentes, sed stantes venerantur: *Seraphim stabant super illud*; e contra verò videbis, quod Nabuchodonosoris statua coli mandabatur pectore prostrato super terram: *Præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis tribubus, & linguis; cadentes adorate statuam auream*, Daniel. 3. nu. 4. Ecce Seraphim verum divinitatis numen stantes colunt, homines verò divinitatis figmentum in statua, procidentes in terram adorant; nonne satis erat, ut supremus cultus sic deserviret humanæ ambitioni, falsitatis statuæ, erroris invento, ut deferebatur vitæ fonti, divinitatis origini, & omnium rerum causæ; sed ad falsitatis idolum: *Cadentes adorate statuam*; & ad verum Deum stabant Seraphim. Vile simulachrum majorem adorationem exambit, ut ex cultus apparatu, adorationem mutuetur, quam illi divinitatis conditio denegat. D. Hieron. ad citat. Daniel. locum: *Omnem Scripturam sanctam mente percurrens, (nisi tamen me fallit oblivio) nequaquam reperio, quod Sanctorum quisquam Deum cadens adoraverit, sed quicunque idola, & dæmones adoraverit, cadens dicitur adorare, ut in præsenti loco.* Non exigit casum Deus, sed statua, nam cùm Deus veram divinitatem habeat, stantis habitu colitur, at statua cùm divinitatis veritate careat, externis cæremoniis illam mentiri satagit.

Idola majorem adorationem quam verus Deus ambiunt.

72 De meo Jesu loquens Paul. ad Philip. 2. nu. 6. ait: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis;* quantum distat ab hoc ingenio ille pestiferus Lucifer, qui dicebat in corde suo: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, Isai. 14. num. 13. quid est quòd meus Jesus tantum intendit se humiliare, ac dejicere usque ad extremam infirmitatem, & abjectionem Crucis, & mortis, & Lucifer tantum cogitat ascensiones, ut sedeat in monte testamenti in lateribus Aquilonis, ac in supremo Dei solio? Lucifer, cùm natura esset valde alienus à divinitate, quam per rapinam intendebat sibi comparare, celsitudine loci, ac majestate sedis suam ambitionem, ac nequitiam volebat obumbrare, ac tegere, at meus Jesus, cùm non per rapinam, sed per naturam esset æqualis Deo, non dedignatur semetipsum exinanire, & formam servi accipere, & usque ad ultimam abjectionem mortis & Crucis descendere. Theodoretus: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens; & quid est, quod hoc loco dicitur? Sanè, qui per rapinam libertate potitur, nihil servile pati sustinet, ne usurpatæ libertati aliquod præjudicium generet. Quid ergo ille, qui natura Dominus erat, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo? Dispensationis enim mysterium divinitatem non læsit.*

Lucifer superbè alta quærit; Christus D. ad humilia descendit.

QUÆSTIO IX.

Quomodo Joannes existens in terra potuit hoc Signum Magnum *Mariæ in supremo, & alto Cœlo inspicere.*

73 IN supremo & alto Cœlo, ut dicam quæstione sequenti, apparet hoc magnum Mariæ signum; sed quomodo noster Joannes Apostolus existens in terra valuit illud videre, & contemplari? Erat Virgo Maria vestita Sole divinæ sapientiæ, ut esset illius discipula, & nostræ omnium intelligentiæ magistra. Divus Bernardus serm. *in Signum magnum*, sic ait: *Maria Sole perbibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum.* Hâc vice magnitudo, ac celsitudo Marianæ lucis humanum intellectum non hebetavit, ac obstruxit, sed potiùs suo splendore corroboravit, ac acuit, ut illius celsitudinem posset intueri, ac contemplari; ab illius enim luce venit, ut nos illius magnalia possimus tantillùm quærere, & investigare.

Sanctissima Virgo Maria.

74 *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*, Psalm. 86. num. 1. quænam est hæc Sion, cujus portas tantum diligit Dominus? Divus Bonavent. in speculo c. 4. interpretatur sanctissimam Virginem Mariam, cujus portæ ad esse naturæ humanæ fuerunt ejus conceptio, & nativitas, in quibus Deus tantam dilectionis gratiam ei contulit super omnia tabernacula Jacob, super cæteros omnes alios sanctos, quos omnes in gratia ipsa transcendit in sua conceptione, ac nativitate.

Virgini in sua Conceptione, & nativitate data est gratia super Sanctos.

In rem nostram Chaldaicus legit: *Diligit Dominus portas studiosorum*. Appellatur Virgo Maria portę doctorum, ac studentium, quia omnes, qui literas profitentur, maximè in decantandis ejus laudibus se debent totos applicare; vel quia ipsa tanquam tenens scientiarum clavem, aperit portas intellectus, ut ipsi studentes valeant cognoscere, ac intelligere alta, & excelsa mysteria, ac præclara ejus magnalia. 75

Destinavit Dominus suos Apostolos, ac discipulos ut per totum Orbem prædicarent: *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*, Marc. 6. num. 8. ad prædicandum mittuntur Apostoli, & cùm sint ab omnibus denudati, solùm eis permittitur ut secum virgam asportent; & quænam virga est hæc? nisi tantùm sacratissima Virgo Maria, de qua ait Isai. 11. num. 1. *Egredietur virga de radice Jesse*. Et hæc virga eis conceditur in via, per quam ambulent, quę est via mandatorum Dei: *Viam mandatorum tuorum cucurri*, Psalm. 118. num. 48. & hæc virga eis datur, tanquam baculus, ac fulcimentum in ipso itinere, ut illa dirigantur in veram, & sanctam doctrinam, quam prædicent, doceant, & alios in sancta religione instruant. Richard. de Sancto Laurentio lib. 12. de laudibus Virginis: *Maria*, ait, *Virga est prædicationis, quæ sola datur prædicatoribus ad portandum in via, qui enim habere posset hanc virgam comitem, non deesset in in gratia, non doctrina, vel aliquid necessarium.* Virgo Maria virga est prædicationis, ac doctrinæ, & qui secum habet hanc virgam, secum habet gratiam, doctrinam, ac quidquid desiderare valet. 76

Maria studentibus aperit portas intellectus.

Quod etiam ante dixit noster Divus Cyrillus Alexandrin. homil. 6. contra Nestorium: *Salve per nos, o beata Deipara, sceptrum rectè doctrinæ.* Unus eam dicit sceptrum, alter eam appellat baculum, seu virgam prædicationis, & omnes optimo jure loquuntur, nam qui hunc baculum, seu virgam tenet in via prædicationis, ac doctrinæ dandæ, jam sceptrum, & palmam victoriæ obtinet contra omnes errores, & falsitates. 77

Maria sceptrum, ac palma victoriæ contra omnes errores.

Ipsa Virgo Maria, lux est veritatis, & splendoris veræ, & rectæ doctrinæ; ipsa est universalis omnium magistra, qui rectè docent, & verè, ac sanctè prædicant, undè Richard. lib. 2. part. 2. sic ait: *Maria Apostolorum magistra facta est, qui nostri postea magistri facti sunt.* Etsi Joannes Baptista, ut dicitur Joan. 1. num. 7. *Venit ut testimonium perhiberet de lumine;* & ut testatur de eo Divus Lucas 3. num. 3. quòd *venit prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, à sanctissima Maria Virgine doctus, & illuminatus est ad suam prædicationem, ut de eo dixit Petrus Damianus sermone 23. ponderans illud Lucæ 1. numero 56. *Et mansit Maria cum illa quasi tribus mensibus*; sic ait citatus Cardinalis: *Tanto tempore manet cum Elisabeth virginalis integritas, & nunc dulciore colloquio, nunc amplexu feliciore Joannem puerum consecrat, & insignit.* 78

Maria Magistra SS. Apostolorum ac Joannis Baptistæ.

Tu sanctissima Virgo magistra magistrorum me doce, & à filio tuo impetra auxilia, ad illuminandam mentem, ac calamum dirigendum, & tu Domine interventu Matris tuæ: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, ut mecum sit, & mecum laboret*, Sapien. 9. num. 4. *in* scribendis laudibus tuæ sanctissimæ Matris. 79

QUÆSTIO X.

Quare hoc Signum Magnum *Virginis Mariæ apparet in Cœlo, & non in terra.*

TRiplex est Cœlum, aereum, sydereum, & empyreum, ut jam dixi quæst. 2. num. 8 in quonam cœlo apparet hoc Marianum signum? Dicunt fortasse in empyreo; obstat tamen, quia Maria 80

Maria sicut omnes cœlos elevata.

dici.

dicitur, quòd ascenderit super omnes Cœlos, exaltata super omnes choros Angelorum; in quo ergo Cœlo visitur hoc signum? In illo nempe altissimo, quod dicitur thronus sanctissimæ Trinitatis. Richar. de S. Laurent. lib. 12. de laudibus Mariæ serm. de Assumpt. *Visum est*, ait, *illud signum in altiori nempe triumphali illo cœlo, si quod est altius, vel superiori parte empyrei, ubi est thronus divinæ majestatis, quod dicitur Cœlum sanctissimæ Trinitatis, nihil enim creditur altiùs sede Mariæ, quæ ad dexteram Filii sedere dicitur, in throno majestatis.*

81 Ait Salomon Proverb. 3. n. 10. *Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus*; ubi sermo est de sanctissima Virgine Maria, ut magna est vox Patrum, ac interpretum; & tantùm ait Salomon quòd sit procul, & de ultimis finibus; cur non explicat, quinam sint hi ultimi fines, sicut de credentibus ad Christum venientibus expressè dicit Isai. 52. n. 10. *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*; & Jerem. 6. n. 21. *Gens magna consurget à finibus terræ*; sicut ergo credentes dicuntur ad Christum venire ex finibus terræ, cur hæc mulier portans cœlestem panem, non dicitur venire à finibus terræ, sed tantùm maximè exaggeratur venire à finibus remotissimis, ac maximè distantibus? *Procul & ab ultimis finibus*. Quia hæc sanctissima mulier Maria non prodiit à finibus terræ, sed à finibus remotioribus, ac excelsioribus, nempe à finibus supremi, ac altissimi Cœli empyrei. D. Bernard. hom. 2. super *Missus est*, sic ait: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus, non parvum, non mediocre, non de terra, sed de Cœlo; nec de Cœlo proximo terris, pretium fortis hujus mulieris, sed à summo Cœlo egressio ejus.*

Egressio Mariæ à summo Cœlo.

82 Ait noster Joan. Apoc. 12. n. 2. *Vidi sanctam Civitatem Jerusalem, descendentem de Cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo;* quæ verba magni Patres, ut D. August. Rupert. & D. Bernard. de B. Virgine Maria interpretantur, ipsa enim est civitas regalis Æterni Verbi: *Civitas Regis magni*, Psal. 47. n. 3. & quia etiam in ea omnes fideles commorantur: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te*, Psal. 68. n. 7. & dicitur civitas sancta, quia ipsamet sanctitas, eam sanctificavit: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus*, Psal. 45. n. 5. & sponsæ signa defert: *A Deo paratam sicut sponsam*; Luc. 1. nu. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te*. Additur & in rem nostram: *Descendentem de Cœlo*; sed quomodo hoc dicitur? nam solus Christus D. de se potuit testificari: *Descendi de Cœlo*, Joan. 6. nu. 41. Virgo autem Maria genita est in terra ex progenie Adam; quomodo de ea ait text. descendentem de Cœlo?

Maria dicitur descendere de Cœlo

83 Respondet D. August. lib. 20. de Civit. cap. 17. *de Cœlo descendere dicitur civitas ista, quia cœlestis est gratia, qua Deus illam fecit*. Ejusdem speciei est gratia, quæ delet peccatum originale, ac quæ personas justificat in Cœlo, ac terra; ejusdemque naturæ, ac essentiæ est gratia, quæ homines, ac angelicos spiritus Deo associat, ac ejus amicos facit: ergo superfluum videtur verbum, dum peculiariter dicitur Mariana *gratia cœlestis*; tamen magna, & alta consideratione loquitur Magnus August. nam quamvis gratia secundùm suam naturam, & entitatem semper sit unius, & ejusdem speciei, tamen secum optimè hanc differentiam admittit, nam illa, quæ datur hominibus in terra, communiter, ac ordinariè communicatur hominibus infectis peccato originali: *In peccatis concepit me mater mea*; at verò in Cœlis infunditur gratia Angelis, cum ipsismet principiis naturæ, juxta D. August. *Deus erat simul condens naturam, & largiens gratiam*; cum ipsismet principiis naturæ, nullo supposito peccato; quando ergo Deus condidit Mariam, quænam gratia illi data est? illa, quæ communicatur in terra, an illa quæ datur in Cœlo? Ait noster Evang. *Descendentem de Cœlo*; ut explicat D. August. *Cœlestis est gratia, qua Deus illam fecit*; fuit ergo ejus gratia cœlestis, nullo enim præexistente peccato, gratia data est Mariæ cum ipsismet principiis naturæ, ut simul ac fuit concepta, esset sancta, nec inferior esset Angelis, quæ ut eorum Regina creabatur, proindeque

Gratia Mariæ Cœlestis.

Maria sine peccato originali.

rectè ejus gratia singulariter cœlestis nuncupatur.

Et quia de his incidit sermo, meritò in laudem 84
sanctissimæ Virginis Mariæ dicam, quod ipsa virtute, ac sanctitate, puritate illustrior, ac excelsior est omnibus Angelis, ut dicat Albertus Magnus de beata Virgine, cap. 149. *Nec esset inferior Angelis, imò & illorum Regina, & ut Angelis meritò imperaret*; & D. Bonavent. in speculo de B. Virg. cap. 7. ait: *Ei natura angelica est famulata*; non in entitate, & substantia, quia ut sic, natura humana inferior est angelica, etiam in Christo Domino, ut testatur Psalmista 12. *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis*; est ergo Virgo Maria superior angelica natura, quæ ei famulatur, virtute, sanctitate, ac gratia, & donis. Omnibus ergo sanctissima Virgo antecedit, & in hoc sensu de B. Virg. ait D. Epiphan. de laudibus Virg. *Natura erat formosior omni exercitu angelico*; itaut etiam puritate, putior esset ipsismet Angelis.

Maria in gratia superior Angelis.

Quod hoc discursu sic ostendo: Ait D. Thomas 2. 85
2. *Puritas intelligitur per recessum à contrario*; tantò puritas est major, quantò magis distat à contrario suo, peccato nempe, ac inquinamento; Angeli in sua creatione non ita fuerunt distantes, ac remoti à peccato, ut B. Virgo Maria in sua conceptione, nam Angeli in suo primo instanti, non fuerunt confirmati in gratia, & potuerunt tunc peccare, ut de facto multi peccaverunt, ut docent theologi cum D. Tho. 1. part. quæst. 62. & 63. de quo latè Suar. tom. de Ang. lib. 5. cap. 12. num. 6. at Virgo Maria in primo instanti suæ conceptionis, sic fuit à peccato præservata, ut etiam in ipso primo instanti fuerit in gratia confirmata, itaut in illo non potuerit peccare, ut communiter hodie docent theologi, de quo latè Ægid. Lusitan. de Concept. lib. 4. quæst. 4. artic. 1. §. 2. & 3. ergo Virgo Maria purior dicenda videtur, quàm Angeli; nam illa major est puritas, quæ magis recedit à peccato; atqui Angeli in primo instanti suæ creationis potuerunt peccare, Virgo in primo instanti suæ conceptionis non potuit peccare: ergo Virgo puritate antecedit Angelos, proindeque optimè ait D. Epiphan. *Natura erat formosior omni exercitu angelico*; cum ejus natura per gratiam Dei sic fuerit à peccato distans, & remota: de hoc multa infra.

Maria purior ipsismet Angelis.

QVÆSTIO IX.

Quare sanctissima Virgo dicitur Signum, *seu miraculum magnum.*

SIgnum sæpè idem est, ac miraculum, ut dixi quæst. 1. num. 2. juxta illud Actor. 5. num. 12. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia multa in plebe*; & ut ubi in præsenti nostra Vulgata habet: *Signum magnum apparuit in Cœlo*; text. græcus legit: *Miraculum magnum*; & meritò, quia sanctissima Virgo Maria, miraculum miraculorum est. 86

Ipsa Virgo Maria est signum magnum, & miracu- 87
lum magnum, non solùm quia innumera perpetravit miracula, sed etiam ipsa admirabile extitit miraculum; nonne stupendum est miraculum filiam esse hominis, & simul matrem esse Dei? creaturam, & sui Creatoris genitricem? aluisse cum suo lacte eum, qui alit in terris omnia animantia, & in cœlis Angelos? quem Cœli capere non poterant, suo gremio contulisse? genuisse suum genitorem? filiam Adæ, & sine originali peccato conceptam? mulierem in terris progenitam, & Angelis puriorem in carne? ut dixi ad finem superioris quæstionis; meliusque novisse Deum diligere, quàm Seraphici Spiritus? undè meritò D. Epiphanius serm. de Laudibus Mariæ, inquit: *Miraculum est maximè novum, & miraculorum abyssus*; & Sanctus Ignatius martyr Epist. ad Joan. Apost. non solùm eam appellat *miraculum*, sed etiam *prodigium*, & *spectaculum*, sic ait: *Sicut nobis à fide dignis narratur, in Maria Matre Jesu humana natura sanctitati angelicæ copulatur, & hæc talia excitarunt viscera nostra, & coguntvalde desiderare aspectum ejus, si fas est fieri, cœlestis prodigii, & sacratissimi spectaculi*; & D. Damascen. Orat. 1. de Nativit. Mariæ, eam appellat *miraculorum omnium*

Virgo Maria Miraculum omnium miraculorum maximum.

nium miraculum; & D. Bernard. Senens. tom. 3. serm. 11. art. 2. cap. 2. ait: *O stupendum miraculum, & inauditæ altitudinis fastigium, ut à muliere Dei filius quodammodo recognoscere videretur suum esse humanum.*

88 Ex quo, cùm B. Virgo in suo Cantico, sermonem de se instituit, ad Dei omnipotentiam illum dirigit: *Quia fecit mihi magna qui potens est*, Luc. 1. n. 49. cùm vero de nobis loquitur, ad Dei misericordiam recurrit: *Et misericordia ejus à progenie in progenies*, ibid. n. 50. cujus rationem dedi tom. 1. in Evangelia lib. 1. cap. 7. qu. 10. n. 23. quia opera, quæ Deus in nobis exercuit, ex summa misericordia fuerunt, ut nos à nostra sublevaret miseria, hic est enim effectus misericordiæ, ut ait D. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 3. at quæ in Virgine facta sunt, à manu totius omnipotentis Dei venerunt, ita ut fuerit summum Dei opus & ut ait D. Cypr. ibi citatus: *Cumulus omnium miraculorum, quæ unquam omnipotentia divina edidit, aut in omnem æternitatem edet, maximumque, augustissimum, & sacratissimum prodigium.*

Maria magnum miraculū Divinæ omnipotentiæ.

89 Dicitur etiam Virgo Maria *Signum Magnum*. Signum est, quod nos ducit in cognitionem alterius rei, & præter id, quod obiicitur potentiæ cognoscenti, aliud repræsentat; meritò ergo Maria dicitur signum magnum, quia ipsa nos ducit in cognitionem supremæ, & altissimæ Dei majestatis, qui ex ipsa genitus, & natus est.

Maria signum magnum Deum demonstrans.

90 In ultima serie generationis temporalis Christi Domini, scribit D. Matth. 1. n. 16. *Jacob genuit Joseph virum Mariæ, de qua natus est Jesus*; sed cur hic non exprimit Evangelista, quod Jesus natus est ex Maria de Spiritu Sancto, ut in exordio sui Evangelii tantum mysterium exprimat, ac declaret? Satis fuit dicere Christum natum esse ex Maria, quia ab alio non poterat concipere, nisi ab Spiritu Sancto, nec aliud ab ea nasci poterat, nisi tantùm unigenitus Dei filius D. Bernard. homil. 2. super *missus est*, sic ait: *Deus sic elegit matrem, quæ videlicet ineffabiliter, & intacta conciperet, & pareret incorrupta. Porrò Deum hujusmodi decebat nativitas, qua non nisi de Virgine nasceretur. Talis congruebat, & Virgini partus, ut non pareret nisi Deum; voluit itaque, & matrem suam esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet omnium maculas purgaturus. Ac debitum quidem omni jure miraculum istud erat, & ita conceptui partus responderet.*

Maria solum Deum gignere poterat.

91 Etiam Signum Magnum dicitur sacratissima Virgo, quia licèt parva, & humilis videretur Virgo, sic magna facta est, ut totam terram fœcundaret, undè multi ei applicant illud Esther. 10. n. 6. *Parvus fons crevit in fluvium*; & illud Genes. 2. num. 6. *Fons ascendebat de terra, irrigans universam terram*; quomodo unus fons, qui parvus erat, poterat irrigare universam terram? Fons ille præfigurabat Virginem Mariam, quæ licèt una sit, sua intercessione omnem terram gratiis, & donis fœcundat, ut testatur Divus Bernardin. tom. 1. serm. 51. artic. 1. cap. 2. *Figurata fuit*, ait, *Virgo Maria in illo fonte, de quo Gen. 2. qui de terra ascendens irrigabat universam superficiem terræ*; pro quo audiendus est D. Bernard. ser. 4. de Assumpt. *Quis misericordiæ tuæ*, ait, *ò benedicta, longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare? Nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis; latitudo ejus replet Orbem terrarum, ut tua quoque misericordia plena sit omnis terra; sic & sublimitas ejus civitatis supernæ invenit restaurationem, & profundum ejus sedentibus in tenebris, & umbra mortis obtinuit redemptionem.*

Dei para fons gratia rū irrigant universam terram.

92 Ait Isaias 10. num. 22. *Consummatio abbreviata inundabit justitiam*; quæ verba, etsi de Apostolis multi intelligant, ego tamen de Virgine Maria interpretor, ipsa enim est consummatio abbreviata, omniumque gratiarum, donorum, ac virtutum inundans justitiam in omnes gentes, homines, ac nationes, nam, ut ait Divus Bernard. serm. de Nativit. *Hæc est voluntas Dei, quia totum nos habere voluit per manus Mariæ.* Dicitur Proverb. 8. num. 18. *Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia*; opes superbæ, id est, peramplæ, & magnificæ; sic dicitur superba moles, superba palatia, ac ædificia; & ait: *Mecum sunt divitiæ*: Simanchus: *A me sunt*; Septuaginta: *Mihi est possessio multorum*; quia possessio multorum donorum, quæ in nobis datur, ab ipsa Virgine Maria est; & idem est, quòd ipsa dicat: *Mecum sunt divitiæ*; ac quòd ab illa sint: A me sunt, ut dicitur in persona Virginis.

Quod B. Virgo sibi possidet, possessio est multorum.

QUÆSTIO XII.

Utrùm hæc mulier significet sanctissimam Virginem Mariam, non solùm in sensu allegorico, sed etiam literali.

93 MAgna & major pars doctorum per hanc mulierem intelligit Ecclesiam Dei; ex quibus multi, ut D. Ambros. Andreas Cæsar. Ansbert. Haymon, Aretas, Pannon. D. Augustin. lib. 4. de symbolo ad Catechum. cap. 1. de Bernard. serm. *in signum Magnum*, Rupertus, Albertus Magnus, D. Bernard. Richard. de S. Laurent. lib. 12. de laud. Virg. Mariæ, locum interpretantur de sanctissima Virgine Maria, nam, ut ait D. Ambros. beata Virgo mater est, imò caput Ecclesiæ, quia eum peperit, qui caput, & parens est Ecclesiæ.

94 Ribeira, Alcazar, Menoch. Viegas, Magister Joannes de la Haye, & alii dicunt hanc mulierem in sensu literali significare Ecclesiam, in sensu verò allegorico B. Virginem Mariam, veluti per accommodationem, quod ea, quæ hìc dicuntur sint ei adaptanda. Ferrarius verò contendit in sensu literali visionem hujus mulieris esse explicandam de Ecclesia, ac B. Virgine Maria.

95 Pro quo nota, quòd unus, & idem locus Scripturæ potest habere plures sensus literales, ut docent communiter theologi cum D. Thom. 1. p. q. a. 1. ibi Cajetan. Valentia, Molina, Vasq. disput. 17. cap. 2. ubi multos alios doctores refert; ut ait illud Osee 11. num. 1. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; quod juxta multos intelligitur de Israel, & D. Matth. 2. nu. 15. de Christo D. interpretatur; & illud Isai. 53. num. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* quod à multis Patribus ac doctoribus intelligitur de generatione æterna; ab aliis verò de generatione temporali; & illud Psal. 2. num. 7. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; quod à multis Patribus cum Paulo ad Hebr. 1. num. 5. interpretatur de generatione æterna; cùm aliis Patribus, & eodem Paulo ad Hebr. 5. num. 5. de generatione temporali; & tertiò cum aliis Patribus, ac D. Petro Act. 13. n. 33. de resurrectione, dicente Apostolo: *Quoniam Deus adimplevit filiis vestris, resuscitans Jesum, sicut in Psal. 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Idem locus Scripturæ potest habere plures sensus literales.

96 Hoc posito dico, quòd in hac muliere, sub hoc signo juxta literam, non solùm intelligitur Ecclesia, sed etiam sacratissima Virgo Maria, quia uno, & eodem verbo metaphorico, potuit Spiritus Sanctus æqualiter utrunque intendere; aliter non rectè explicatur finis intentus ab Spiritu Sancto in hac revelatione.

Hæc mulier secundùm literā significat Ecclesiam & Deiparam.

97 Quod sic probo primò: Quia Spiritus Sanctus hìc maximè intendit ostendere, quomodo Diabolus serpens antiquus, se habet, & habebit erga homines, eorumque salutem, ac exaltationem; atqui Diabolus, maximè super cæteros homines, exarsit maligna invidia in Virginem Mariam, ac ejus filium Christum Dominum, utpote perexcelsa principia totius Ecclesiæ, ac salutis generis humani; in Christum ut ejus Caput, in Virginem ut singularem illius Patronam, & auxiliatricem: ergo draco non solùm pugnat hìc contra Ecclesiam, sed etiam contra Virginem, ac ejus filium Christum Dominum.

Diaboli invidia exarsit in Christū, & Virg. Mariam.

98 Secundò verba sacra hujus Scripturæ, nec sufficienter, nec cum debita proprietate, exponi possunt nec de sola Ecclesia, vel de sola Virgine Maria; quod ostenditur: Quia illa verba, *Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus*, de sola Ecclesia, ac fidelibus per eam regeneratis intelligi non possunt; illa verò sequentia, *Mulier fugit in solitudinem, ubi habet locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus*

Cum proprietate non possit exponi omnia, nec de sola Ecclesia, nec de sola Virgine.

mille

mille ducentis sexaginta, non sunt vera de Virgine, nec cum proprietate de ea possunt explicari: ergo ista sunt explicanda de Ecclesia, & priora de Beata Virgine; nec id est inconveniens, ut infra ostendam, nam sæpè in Prophetis, & Psalmis, uno, & eodem loco sermo est ad literam de Christo D. qui est caput Ecclesiæ, & de membris ejus, qui sumus nos, ut fit manifestum, Psalm. 39. ubi priora & ultima sunt de Ecclesia, media verò de Christo, n. 7. ut explicat Apostol. Paulus Hebr. 10. n. 5. *Holocaustum, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*; cum multis sequentibus: eodem ergo modo, & hic aliqua sunt de B. Virgine ad literam, & alia sunt de Ecclesia.

99 Diabolus ab initio pugnat contra Ecclesiam, ac Virgine

Tertiò, quia nec sola Virgo, nec sola Ecclesia conflat illud, quod est Diabolo adversarium, & contra quod ille malignus jam usque ab initio suscipit pugnam; hoc autem totum significat mulier hìc descripta: ergo ista mulier, nec solùm stat pro B. Virgine, nec solùm stat pro Ecclesia; & ex alia parte, si hæc mulier beatam Virginem cum suo filio, simul & Ecclesiam comprehendat, est adæquatè illud, quod fuit, & est Diabolo adversarium, & contra quod ille invidus pugnam suscepit, & suscepit: ergo hæc mulier hoc totum comprehendit, & ad literam significat *B.* Virginem, & Ecclesiam.

100 Duplex solutio.

Contra hanc resolutionem dices: Hic liber Apocalypseos est Propheticus; prophetia autem est de futuris, & non de præteritis, quæ autem spectant ad B. Virginem, ac filium ejus Christum D. sunt jam præterita: ergo de illis hìc non agitur. Respondeo, quod ad prophetiam, etiam pertinent præterita, quæ sciri non potuerunt, nisi per revelationem, qualia sunt hæc. Secundò series futurorum ut esset completa, postulabat, ut manifestarentur prima, ac præcipua media totius discursus pugnarum inter Diabolum, & humanum genus; atqui hujusmodi pugna, ob quam maximè Diabolus exarsit, & sua maligna rabie fremit contra nos, ex eo est, quia humanum genus est elevatum ad *unionem hypostaticam*, & ad *habendam æternam gloriæ beatitudinem* in Cœlo, consortio Angelorum, quod factum est per Christum Dominum, in quo natura humana est hypostaticè unita divinæ, & ipse est causa totalis, ac meritoria nostræ salutis; quod etiam per B. Virginem ejus matrem factum est, cujus intercessione, protectione, ac auxilio maximè promovemur in salutem: ergo, ut completa esset narratio futurorum, ac hujus pugnæ, sumendum fuit exordium ex suo principio, quod est beata Virgo, ac Christus D.

101 Maria dicitur mulieris nec existimetur super æternam humanam.

Quæres: Cur Evangelista non exprimit nomen Sanctiss. Virginis Mariæ, sed eam tantùm dicit Mulierem, quæ à mollitie dicitur? quod multum distat à sanctissima Virgine Maria, quæ est mulier fortis, facta navis institoris adducens de longè panem suum. Respondeo quòd Evangelista ex alto mysterio loquitur hic sermone ænigmatico, & ideo non decebat nomen ejus exprimere; & eam dixit mulierem, ad hoc ut ejus sexum & conditionem denotaret, ne supra naturam humanam reputaretur, & quia hæc est perfectissima mulier, in qua sunt non solùm perfectiones omnium mulierum, sed eas omnes maximè superat, ut latè discurrit Richard. de S. Laurent. lib. de laudibus Mariæ, per varias mulieres celebres in Scriptura, Saram, Rebeccam, Judith, Esther, & alias.

102 Jasones, ob reverentiam, nunquam pronuntiavit Mariæ nomen.

Deinde noster Joannes Evangelista tantam reverentiam ac venerationem habuit circa hoc sacratissimum nomen Mariæ, quod licèt alii Evangelistæ multoties nomen Mariæ dixerint, & pronuntiaverint; Matth. 1. num. 16. *Virum Mariæ, de qua natus est Jesus*; & ibidem num. 18. & 20. & cap. 2. num. 11. & Marc. 6. numer. 3. *Nonne hic est faber filius Mariæ*, & Luc. 1. 27. *Nomen Virginis Maria*; tamen noster Joannes Evangelista quantum recordor ex ejus Evangelio, ob singularem venerationem, & reverentiam, sanctissimum Mariæ nomen nunquam dixit, scripsit, ac pronuntiavit, est enim hoc admirabile nomen magnum sacramentum magni nominis. Sanctus Ennodius in natali Sancti Laurent. dict. 15. *Genetricem minit securitas, & sacramentum nominis sui*. Esto securus in asylo Mariani nominis, est enim *sacramentum nominis*. Sub hoc nomine Mariæ, tanquam sub quodam sacramento latet omnis affluentia gratiarum, donorum, ac virtutum, & invocato hoc Mariæ vocabulo, tanquam de quodam sacramento nominis, statim omnis gratia manat. Sic ait Idiota lib. de Contemplatione de Virg. Maria cap. 5. *Omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem*.

Maria, Sacramentum nominis.

Tanta est celsitudo Mariani nominis, ut dicat Cardinalis Petrus Damian. serm. de Annuntiat. *De thesauris divinitatis, Mariæ nomen evolvitur*; ac si ex tanta nominis altitudine Mariæ magnalia sint investiganda. Creatis cunctis animantibus terræ, *Deus adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea*, Genes. 2. n. 7. expende illud, *ut videret*; ut nempe contemplaretur ac rimaret naturam cujusque animalis, ut juxta illius conditionem nomen imponeret; sic in ordine gratiæ de Redemptore nostro dicitur Luc. 2. num. 21. *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*; & de Præcursore Baptista. *Nomen ejus vocabitur Joannes*, Luc. 1. num. 60. utrique ex alta Dei providentia datur nomen, juxta ordinem, ac finem intentum à Deo. Christus dicitur Jesus, ut Salvator, & Redemptor generis humani; Joannes Baptista, ut Præcursor, præparans viam ad gratiam, & salutem: *Sic è thesauris divinitatis Mariæ nomen evolvitur*; juxta finem, & ordinem, ad quem ipsa ordinabatur à suprema Dei sapientia, ut esset nempe Dei mater, filia Dei Patris, sponsa Spiritus Sancti; quæ tam suprema magnalia, ut nullo modo valeant investigari ab intellectu creato, sub hoc Mariæ nomine denotantur, ac designantur.

103 Mariæ nomen è thesauris Divinitatis.

Magnalia quæ non capit intellectus, dicit Mariæ nomen.

QUÆSTIO XIII.

Quare sanctissima Virgo apparet amicta Sole.

104 Maria maximè proxima Divinitati

Respondet primò D. Bernard. in hoc *Signum magnum*: *Maria*, ait, *Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam divinæ sapientiæ, ultra quam credi valeat penetravit abyssum: ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa*. Dicitur Maria amicta Sole, qui significat Deum nostrum, verum justitiæ Solem, Malach. 4. num. 2. nàm sicut vestis maximè inter cætera omnia creata, conjuncta, ac unita est corpori, sic Maria unita, ac conjuncta est Deo, quantum fieri potest absque personali unione; quod rectè explicat Petrus Damian. orat. 1. de Nativit. Mariæ: *Habitat*, ait, *in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis ejusdem non est essentiæ. Habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua unius naturæ habet identitatem; hoc est ergo aurum fulvum nimis, quo thronus est vestitus, quia tali modo Deus Virginem induit, & in Virgine indutus est, ut meliori non posset*. Throni cœlestes Jesu societate fruuntur, sed non eo modo, quo Jesu fruitur Maria, hæc namque ut est mater Jesu, ut est mater filii Dei, sic Deo jungitur, ut meliori modo absque unione hypostatica, jungi non valeat; in cujus rei typum Rex Salomon *fecit thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro flavo nimis*, 3. Reg. 10. num. 16. Thronus iste veri Salomonis, est Virgo Maria, fabricata ex ebore, hoc est, ex summa puritate, ac munditie, & vestitur *auro flavo nimis*; id est, divinitate, ut explicat Damianus, cui maximè est proxima, & conjuncta quantum dari potest absque personali unione.

105 Sapientia Mariæ, valde excelsa.

Secundo iterum premo illa citata verba Bernard. *Quæ profundissimam divinæ Sapientiæ, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum*. Hic Solis amictus, cujus lucidissima, ac splendida claritate, magna hæc sancta mulier Virgo Maria vestitur, atque undique perfunditur, denotat altum arcanum sapientiæ Deiparæ, supra omnem fidem humanam, quæ Lynceis mentis oculis, divinitatis *abyssum penetravit, & ultra quam credi valeat*. Expende verbum, *Abyssum*, quod significat rem magnam, & altam sine fundo, quod suo modo penetravit Deipara Sapientia, *quantum sine per-*

ne personali unione, creaturæ conditio patitur. Cantic. 1. num. 3. ait Divina Sponsa: *Introduxit me Rex in cellaria sua; exultabimus, & lætabimur in te*; Chaldæus apud Cornelium, per cellaria intelligit *secretarium* divinitatis, divinæque Sapientiæ; quæ verba ex persona Deiparæ sic elucidat Rupertus. *Et quæ sunt*, ait, *illa cellaria Regis Dei? Nimirum sacra mysteria, quæcunque continentur in Scripturis sanctis, nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriavit; qui enim verbum suum, quod erat, & est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit?* Inde Deipara se ostendit introductam in secretarium divinitatis, divinæque Sapientiæ, quia verbum suum, quod erat, in corde suo totum mihi infudit: *Quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit?* Ait Salvator suis discipulis Joann. 14. num. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*; quod Divinus Spiritus præstitit per se ipsum, & per sui vicariam Virginem Mariam. Ad quod tendit Divus Laurent. Justinian. serm. de Nativitat. Sanctæ Mariæ: *Verbum*, ait, *sibi in genetricem elegit, utpote superabundanti jam benedictione præventam, jamque Sancti Spiritus magisterio deputatam.* Inde pro tanto ejus magisterio maximè exultant, & lætantur animæ fideles, utpote memores uberum, ac diffusionis doctrinæ ejus: vide supra q. 9. in fine.

Totum verbum, quod est in corde Dei, infusum est Mariæ.

106 Tertiò idem Bernard citato loco: *Illo nimirum igne*, ait, nempe Sole justitiæ, *Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur; longè verò aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi*; nonne qui igne ipso concluditur, ignis esse videtur? nonne, qui Sole ipso circumamicitur, Sol esse censetur? si ergo mulier Sole circumamicta, ipso igne circumfunditur, & tanquam ipso igne concluditur & velut ignis apparebit, proindeque hæc mulier, velut Sol justitiæ Christus potuit videri. Divus Ildephonsus sermon. 1. de Assumption. divinitatis, quasi vallo obsessam contemplans, ait: *Mariam, velut ignis ferrum, Spiritus Sanctus totam decoxit, incanduit, & ignivit; itaut in ea Spiritus Sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei.* Valde opportunè ad mentem nostram: Immisso in ferro igne, nullam sui speciem ferrum habet; quidquid spectatur, & tangitur, ignis est, ea dumtaxat, quæ apparent, ac ostenduntur velut ignis sunt. Si quid in Maria Sole divino circumamicta cernatur exteriùs, Christus quasi æstimabitur. Sic ait Divus Chrysostomus hom. 24. in Epistola ad Romanos: *Homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est*; non enim foris homo, sed hominis vestimentum apparet, ac proinde ab eo, quod videtur, reputatur homo; sic & Maria vestita Sole, quæ est quædam veluti pictura divinitatis. Verba Angeli Luc. 2. num. 31. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; legit Divus Athanasius. *Virtus Altissimi adumbrabit tibi*; Expende verbum, *Adumbrabit*; hoc est, imaginabit, ut veluti quædam imago patrem repræsentans, cum summa puritate parturiat divinam prolem.

Maria ita sublimis ut quodam modo Christus videatur.

Maria veluti Deus repræsentat.

107 Quartò Aretas: *Fortassis ad hoc, quod significatur, magis consequens fuisset dicere, non quod mulier fuisset circumdata Sole, sed quod circumdedisset potiùs Solem in utero inclusum; sed ut ostendat quod etiam is, qui utero gestabatur Dominus, & sua, & quamvis creatura eminentior erat perfectione, ait ipsum circumdedisse Matrem.* Cum ergo hæc mulier amicta Sole denotet Virginem Mariam, dum Verbum Patris in utero suo gestat, videtur, quod potiùs Joannes debebat dicere, se vidisse mulierem, quæ Solem circumdabat, juxta Jerem. 31. num. 22. *Fœmina circumdabit virum*; cur ergo potiùs inverso ordine dixit à se visam fœminam Sole amictam? Quia licèt Christus circumdatus sit à Virgine Matre in utero, ipse tamen eam undique circumdat, & protegit, ut dicam quæst. seq.

Christus inculsus in utero Mariæ, eam undique protegit.

108 Quintò Maria Virgo apparet amicta Sole. Sol pacis symbolum est, nam, ut ait D. Chrysost. hom. 16. de recipiendo Severiano: *Sicut Cœlum splendor Solis, ita cœlestia fulgor pacis illuminat*; sicut enim Sol expellit horrores tenebrarum, sic & pax horrores belli, odii, ac discordiæ dissipat. O quàm desiderabile nomen pacis! religionis enim christianæ stabile est fundamentum. Ecce cur Maria, Sole circumvestitur; ipsa enim tota pacifica est, & quæ pacem Mundo attulit. De ea sic loquitur Petrus Damian. serm. 3. de Nativit. Virgin. *Per Evam*, ait, *potus mortis porrigitur, per Mariam vitæ, & pacis poculum exhibetur.* Poculum salutis in filio suo hominibus Virgo ministravit, ut pacem cum Deo homines haberent, & cum Deo pacem in humano genere stabilivit.

Sole vestitur Maria, ut in signũ pacis data.

Sextò amicta apparet sacratissima Virgo Sole splendidissimo, caput ejus duodecim stellis ornatur; at etiam ipsa Virgo Christum amicuit, & quo genere vestis? De nube nempe confecto, de carne sua, quæ non est aliud, nisi nubes quædam lucidissima; quod disco ex D. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. *Illa autem*, ait, *columna nubis specie quidem præcedebat filios Israel; imperio autem repræsentabat Jesum Dominum venturum in nube levi, sicut dixit Isaias 19. num. 1. id est, in Virgine Maria, quæ nubes erat secundùm hæreditatem, quæ levis erat secundùm virginitatis integritatem*; *venit in nube levi Christus in Ægyptum, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc sæculum, in nube venit, quem nubecula corporis obumbrat, sed levis erat caro, quam nulla sua gravabant delicta.* Vestem de nube carnis conflatam Christus à Virgine accepit; recompensare oportet acceptum; aliumne ex nube amictum Christus dedit matri? Minimè, sed multò liberaliorem, ex radiis ipsius Solis compositum. In tantum Christus Dominus æstimavit amictum ex carne, ac sanguine Virginis compositum, ut pro illo eam exornaverit radiis, ac fulgoribus Solis divinitatis, ut verè, ac realiter Dei mater existeret, & ut talis ab omnibus esset venerata, & super omnem puram creaturam exaltata. D. Bernard. serm. de Nativit. Virginis: *Quantum*, ait, *invenisti gratiam apud Deum, in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris; vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria majestatis; vestis Solem nube, & Sole ipsa vestiris.*

109

Maximè Christus æstimavit carnem, & sanguinem ex Virgine

Septimò cur Virgo sacratissima non alio vestitu apparet amicta, nisi tantùm Sole, in quo Deus posuit suum tabernaculum? cur non vestitu deaurato circumdata varietate, ut aliàs conspicitur? cur ergo Sole vestitam se exhibet. Sol symbolum est misericordiæ omnibus benefaciens, *oritur enim super bonos, & malos*, Matth. 5. num. 54. ut omnes illuminet, omnibus consulat, ac fœcundet. Ecce cur Joannes eam circumamictam intuetur; quia Deiparæ Virgini cùm sit ipsa mater misericordiæ, non alius amictus, nisi misericordiæ congruebat. D. Bernard de verbis Apostoli: *Est etenim Maria, quæ velut alterum Solem induit sibi, quemadmodum enim ille super bonos, & malos oritur indifferenter, sic ipsa quoque præterita non despicit merita, sed omnibus exorabilem, omnibus clementissimam se præbet, omnium denique necessitates amicissimo quodam miseratur affectu.*

110

Virgo sic plena est misericordiæ, ut amicta sit misericordia.

Sic regius Vates Psalm. 109. num. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te*; quæ verba, etsi multi Patres de generatione temporali exponunt Tertul. Justinus, Hesychius, Hieronym. August. Prosper, & plures alii Commentatores apud Lorinum; quæ verba ex Hebr. sic legit Cajetanus: *De vulva auroræ tibi erit ros nativitatis tuæ*; & advertit Lorinus, quod etiam verti potest: *Ex misericordia*, seu, *miseratus*; ac si idem sit Christum Deum ex utero Mariæ generari, ac nasci, ut: *Ex misericordia generari, ac nasci*; si ingenita est pietas, ac misericordia Mariæ, quod idem sit nasci ex illa, ac ex misericordia nasci; sic & filius Deus cum pia matris indole, Matris pietatem arripuit, hausit, expressit, ut dicatur *miserans, & miseratus*. Ad hoc tendit Richard. de S. Laurent. lib. 2. de laudib. Mariæ: *Ipsa est*, ait, *causa salutis generis humani, & quædam ratio, post filium suum, omnium, quæ facta sunt, & quæ futura sunt.* Cum Mundus multis morbis ægrotaret, Deipara post filium suum, *causa salutis* exti-

111

Idem est quòd Christus fuerit natus ex Maria, ac quòd ex Misericordia fuerit natus.

tit;

tit; exinde B. Virgo appellatur *Ratio* omnium, quę in re misericordiæ hactenus à filio Deo facta sunt, & deinceps facienda; quasi B. Virgo sit filio Deo *Ratio*, ipsaque abundè sufficiens, ob quam omnium misereatur, omnibus det veniam, & largiùs gratiam, & misericordiam impertiatur.

112 Cant. 3. num. 11. dicitur: *Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.* Invitat sponsa filias Sion ad sui sponsi spectaculum, eo fine, ut eas in illius admirationem, amorem, ac cultum rapiat, indeque eum non alio nomine dicit, nisi *Salomonem*, id est, pacificum nuncupat, eo quod ipse pacem, id est, salutem, gaudium, gloriam & omne bonum esset allaturus; & undè in tanta pace, ac felicitate erat videndus? *In diademate, quo coronavit illum mater sua*; quod explicans Cardinal. Hugo, sic ait: *Coronavit eum noverca, Pater, & Mater. Noverca Synagoga, Mater Virgo, Pater ejus Deus. Noverca coronavit eum corona spinea, & miseriæ, mater corona Justitiæ, Pater corona gloriæ.* Aptiùs tamen hanc coronam à Matre datam explicat Divus Ambros. lib. de Institut. Virg. cap. 16. *Virgo Deipara,* ait, *eum concepit, & peperit, & coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit.* Christus à Deo Patre *corona gloriæ* coronatur, at mater Virgo filium Deum de suis purissimis visceribus concipiens, in eoque impensè exprimens suæ benignitatis indolem, *coronam capiti ejus æternæ pietatis imposuit.* Itaque Christus à Patre habet gloriam, & majestatem, à Matre pietatem, & misericordiam; inde ergo rectè Virgo Maria apparet amicta Sole misericordiæ, ipsa enim carnem suæ misericordiæ circumdedit filium Dei, Verbum Patris in utero suo.

Christus à Virgine habet Coronam pietatis.

QUÆSTIO XIV.

Ex eo quod sanctissima Virgo Maria apparet amicta Sole, *indè rectè ejus pura, & immaculata conceptio demonstratur.*

113 IN hoc signo, seu miraculo magno, ut alii legunt, semper Virgo Maria apparet amicta Sole; in omni instanti, in omni momento sanctissima Virgo Maria semper prodiit vestita, ac amicta vero Sole justitiæ, qui est Deus noster, ut sæpè jam dixi ex Malachia 4. ne pro aliquo tempore intelligatur hæc mulier absque eo, quod pareret filium n. 2. & absque eo quod ei darentur alæ aquilæ magnæ num. 14. at pro nullo instanti, ac momento potest considerari hæc sancta mulier, quod non sit undique vestita, ac circumamicta lumine, ac splendore veri Solis justitiæ, illius scilicet gratiæ, & sanctitatis.

Virgo Maria semper pura & immaculata.

114 Cùm homo ex putredine in peccatis concepturus sit, ut ab illis mundetur, ac purificetur, ait Apostol. Rom. 13. n. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum*; ut ita tali indumento gratiæ Christi Jesu, in nobis abstergatur macula peccati, nullaque illius scissura, ac fœditas appareat. D. Ambros. lib. 1. in Luc. c. 5. *Hic te vestit Christus benedictione, ne qua tibi noceat scissura peccati*: ergo sic B. Virgo à primo instanti, ac momento suæ conceptionis, ita fuit induta Christo Jesu & sic *apparuit mulier amicta Sole, ne qua illi noceat scissura peccati*; cùm semper à primo instanti fuerit plena luce gratiæ, puritatis, ac sanctitatis.

In Maria nulla fuit scissura peccati.

115 Quæ de se ait: *Ego ex ore Altissimi prodivi*, Eccles. 24. num. 5. quæ verba magna doctorum pars cum Ecclesia de B. Virgine interpretantur, & ait: *Ego ex ore Altissimi prodivi*; hoc est: Non eo modo, quo filii Adam concipiuntur ex visceribus maternis, sed ut sunt ea, quæ ex ore divino veniunt, sic ego prodivi. Alii, ut ex peccatorum visceribus gignuntur, & sic peccati labe infecti nascuntur, ego verò, ut ex ore, ac spiraculo Altissimi prodiens, nihil quod in me abstergatur, admisi. Quò forsitan spectat D. Epiph. orat. de Assumpt. Mariæ, de ejus conceptione differens: *Anna verò*, ait, *gravida effecta, Cœlum, & thronum cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam.* Ecce concipitur ab Anna Sancta Virgo Maria, ut Cœlum, ac thronus cherubicus; quæ omnia, ut non ex præsupposita materia, sed ex purissimo, ac candidissimo Dei ore processerunt, sic & Maria, quantum ad hoc, quod nullam maculam incurreret, nullumque infectæ materiæ saporem haberet, quasi ex ore Dei processit.

In Maria nulla est peccati originalis macula.

Secunda ratio principalis ad quæstionem: Virgo Maria in hoc signo magno undique apparet luminis splendore circumdata, utpote *amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*; ecce Maria undique luce plena, proindeque à principio vitæ suæ, usque ad illius finem nulla in ea est obscuritas peccati. Sic mihi quæro, ex quanam parte in ea extitit aliqua culpæ obtenebratio, ut rectè notavit D. Bernardus serm. in *Signum magnum*, ubi ait: *Fuit luce undique circumfusa*; quo altissima quædam participatio divinæ puritatis in hac sanctissima Virgine declaratur. De Deo canit regius Vates Psal. 103. num. 2. *Amictus lumine sicut vestimento*; seu, ut legit D. Ambr. *Circumdatus luce, sicut vestimento*; quo ostenditur maximus, ac infinitus splendor divinitatis, ut notat noster Incognitus, nullas admittens nec leves umbras, seu circumstantias peccati, sed omnes excludens; & inde ait Joannes Epistol. 1. cap. 1. num. 5. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ*: ergo cùm Deus amictus sit lumine, ipse lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ; cùm ergo etiam sanctissima Virgo amicta sit lumine Solis, etiam ipsa quædam lux gratiæ, ac sanctitatis est, proindeque in ea non sunt tenebræ ullæ peccati. 116

Maria semper in luce gratiæ sine tenebris peccati.

Valdè antelucana extitit in Maria lux gratiæ, antequam tenebræ peccati advenirent, ipsa enim de se ait Proverb. 8. nu. 24. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram*; Abyssus significat tenebras, ac magnam tenebrarum confusionem: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*, Gen. 1. n. 2. ante adventum tenebrarum jam Maria concepta erat, & ideò tenebræ ullæ non potuerunt eam comprehendere. Sic ait Richard. de S. Laurent. lib. 11. de laudibus Mariæ, nomine ejus loquens: *Etsi contra me vigilare vellet princeps tenebrarum, multo magis supervigilavit filius meus splendor lucis æternæ, ut à sua luce præventa, omnes tenebras excluderem.* 117

Lux gratiæ evigilavit in Maria, ante tenebras peccati.

Vis scire quàm antelucanus fuerit filius erga Virginem Mariam, ut ipsam sanctitate ac gratia repleret? pondera, quòd tripliciter Deipara vocatur à filio suo, mater, soror, & sponsa; mater dicitur: *Sugentem ubera Matris meæ*, Cantic. 8. n. 1. soror & sponsa: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa*, Cantic. 4. n. 9. & iterum: *Hortus conclusus soror mea, sponsa*, ibidem nu. 12. Tot titulis Christus hanc sanctissimam Virginem honoravit; nonne sat erat, eam dicere matrem, & sponsam, quæ eodem honoris ac dignitatis titulo, cum sponso suo gaudet? Beda: *Soror dicitur propter conjunctionem carnis; sponsa verò, quia cœlestis thalami eam sibi fœdere junxit.* Optimè quidem in rem nostram dicam: Sponsa tempore conjungitur cum sponso, nam ut jam adulta copulatur sponso, at mater, & soror in primo instanti conceptionis, ac generationis, mater cum filio, soror cum fratre intimè unitur, & conjungitur arctissimo consanguinitatis vinculo; ut ergo denotetur, quòd non solùm tempore, sed etiam in primo instanti Virgo intimè conjuncta est cum filio suo, ideò non solùm dicitur sponsa, sed etiam mater, & soror æterni Verbi. 118

Maria dicitur soror Christi utpote ei cognata ab instanti suæ conceptionis.

Tertia ratio ad quæstionem principalem: Apparet hæc sanctissima Virgo *amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*: *Undique Maria Virgo*, ut ait D. Bernard. *in Signum magnum* jam citatus, *undique circumfusa luce; pulchritudo in circumferentia.* In circumferentia ejus eximia est pulchritudo, ac elegantia divinæ gratiæ; quod eleganti discursu probat D. Bernard. nam aliis sanctis datur ignis, & calor divinæ gratiæ in aliqua certa, & determinata parte, ut à peccatis mundentur, vel ut in eis peccata impediantur, at in Maria Virgine calor, ac ignis veri Solis justitiæ est ex omni parte, ex omnique circumferentia. 119

Maria tota pulchra ex omni circumferentia.

Ignis,

120 Ignis cœlestis datus est Isaiæ in labiis, ut bene, ac rectè loqueretur: *In manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit mihi. Ecce auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*, cap. 6. n. 7. Jeremiæ datur in ossibus ad doctrinam, ac eruditionem: *Misit ignem in ossibus meis, & erudivit me*, Threnor. 1. nu. 13. David in fonte, ac origine concupiscentiæ: *Igne me examinasti; Vrerenes meos, ac cor meum*, Psal. 16. n. 3. & Psal. 25. n. 2. Angelis verò datur in pedibus, ut magna promptitudine munus ministrorum exequantur: *Tu Cherub extentus in medio lapidum ignitorum ambulasti*, Ezechiel 28. n. 14. *Qui facis ministros tuos ignem urentem*, Psal. 103. nu. 4. at unica, & sola Virgo Maria extitit, utpote mater divini Verbi, quæ ex omni parte, ac circumferentia circumamicta, ac munita fuit igne, ac calore gratiæ divini Solis justitiæ, ut Diaboli vermes nullum ad eam possent invenire aditum. Sic ait D. Bernard. proximè citatus: *Illo igne Prophetæ labia purgantur, illo igne Seraphim accenduntur. Longè verò aliter Maria meruit undique circumfundi, & veluti ipso igne concludi*; dum igne Solis tota amicta, ac circumdata conspicitur.

Maria ex omni parte munita igne Divinæ Gratiæ.

121 Et confirmatur: Ait Deus per Zachariam Prophetam 2. n. 5. *Ego ero ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio ejus*. Litera respicit Jerusalem, allegoria verò Virginem Mariam; de illa ait Deus: *Ero ei gloria in medio ejus, & tanquam murus ignis in circuitu*; seu ut legit Chaldaicus, *velut murus igneus illam per circuitum ambiens*. In medio ejus tanquam centrum gloriæ extitit divinum Verbum, quando in die incarnationis, *Verbum caro factum est*, Joan. 1. n. 14. & inde ei fuit in circumferentia tanquam murus ignis, eam ambiens, muniens, ac custodiens gratia sua, cùm illa esset electa in matrem ejus. Et cur dicitur potiùs quod erit ei murus ignis, quàm ferreus, æneus, ac lapideus? Refert Plinius in sua naturali historia lib. 14. quòd quamvis leo sit omnium animantium ferocissimus, ita ut rugitu suo bestias agri faciat abire in fugam, tamen ad intuitum ignis sic vires ejus franguntur, ut ipse non valeat subsistere, sed omni conatu ab ignis præsentia fugam arripiat. Leo valdè fortis Diabolus est, qui magno impetu intendit animas nostras deprædari; de illo ait D. Petrus c. 5. n. 8. *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret*; ad quod ipse armatur contra nos tum peccato originali, tum etiam actuali; at nullo ex his valuit invadere Virginem Mariam, nam *murus ignis in circuitu*, ad cujus conspectum omnes ejus vires hebetantur, ac franguntur, ut tanquam leo totus avertens se in fugam det. Huc advoco id, quod ad prædictum Prophetæ locum ait Theodoret. *Mea benignitate ei ero murus, qui transiri, & transcendi non possit; hanc enim vocavi murum ignis, nam sicut pyra ingens transiliri nequit, sic vinci non potest, quæ gratia Dei custoditur*.

Diabolus non potuit in Virgine prædam facere, sed fugit ab ejus præsentia.

122 Ait Ezechiel. 43. n. 11. *Ista est lex domus in summitate montis: Omnis finis ejus per circuitum, Sanctum Sanctorum est; hæc est ergo lex domus*. Explicat Propheta divinam legem promulgatam circa domum ædificatam in vertice, ac summitate omnium montium, ita ut sit sancta, ac pura, & in justitia fundata, itaut omnes fines ejus per circuitum, sint *Sanctum Sanctorum*; expende: *Per circuitum*; ex omni nempe ambitu, circumferentia, ac parte. Et quænam est Domus *in summitate Montis*, justitiæ, ac sanctitatis? Ipsemet Propheta Isaias explicat respiciens tempora incarnationis divini Verbi cap. 2. n. 2. *Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium*. Hugo Cardinalis post D. Hieronym. interpretatur, quod sanctiss. Virgo Maria sit domus Dei fundata in vertice totius perfectionis, ac sanctitatis; sic ait ille: *Beata semper Virgo est domus Domini*; ergo in favorem hujus domus Dei lex est constituta, ut omnes fines ejus sint pleni sanctitate. *Hæc est lex domus Domini*; nam cùm ipsa crearetur ut Deus in medio ejus, in utero ejus habitaret, inde consequens fuit, *ut omnis finis ejus per circuitum Sancta Sanctorum esset*: ergo si per circuitum, nullus patuit locus, nulla fuit rimula, sive in ejus conceptione, sive vita, sive ejus fine, quæ non esset Sanctum Sanctorum. Rectè ait doctissimus Idiota lib. de Maria Virg. cap. 2. *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, sive mortalis, sive venialis, sive originalis, non est in te, nec unquam fuit, nec erit*: vide multa alia infra.

Maria in omni circumferentia Sanctæ Sanctorum.

QUÆSTIO XV.

Cùm Virgo Maria induta Sole appareat, inde ejus sublimitas, ac altitudo meritorum investigatur.

123 SAnctissima Virgo Dei genitrix hìc *Sole amicta* apparet, & tamen de ea prophetizans Habacuc Propheta ait: *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan*, Virgo Maria interpretatur à D. Athanasio q. 117. & sic ait: *& Sanctus de monte opaco, & denso. Mons autem ibi dicitur Virgo Maria*; eundem sensum sequuntur Euthymius, Theophyl. Rupert. Agellius; quomodo ergo, si Beata Virgo Maria est mons umbrosus, opacus, & condensus, ipsa hìc introducitur lumine, ac radiis Solis induta? lux enim omnem opacitatem, ac condensitatem excludit, & depellit. O ingens, & præclara celsitudo Mariæ! Mons umbrosus tot, ac tantis virtutibus, & donis supernaturalibus, ut à nullo intellectu creato valeat conspici, ac deprehendi; vestitur tamen Sole justitiæ, nam hic ingens mons solùm à divino Sole, ac lumine valet totus apprehendi, ac circumdari, & radiis ipsius divinitatis potest discooperiri, ac manifestari.

Celsitudo Mariæ solo divino lumine intelligitur, ac comprehenditur.

124 Ad nostram quæstionem principalem: Testatur de se Isa. 6. n. 6. *Volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum*; ecce Seraphini meritum plæclarum, calculum ignitum de altari una manu gestare; ecce prophetæ singulare privilegium, summis labiis contingere. Seraphim in illa superna curia omnium cœlestium spirituum vertex, & Isaias Prophetarum primus, ac apex, summatim tantùm, & veluti externè, divino igne illustrantur; Seraphim una manu, & externè calculum tangit, qui Prophetæ labiis extrinsecùs admovetur, *ut illo mundentur*; at Virgo Maria luminis abyssо immersa, & quodammodo concluſa tota ex omni parte illo adimpletur, & circumdatur. D. Bernard. ferm. in signum magnum, sic ait: *Illo nimirum igne Prophetæ labia purgantur, illo Seraphim accenduntur; longè verò aliter Maria meruit, non veluti summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi*. In cœlestibus Angelorum supremi Spiritus, Seraphim scilicet, & in terris, magni Prophetæ Sanctorum optimates illo cœlesti igne illuminantur, accenduntur, Deum felicissimè possident, cujus ardentissimo amore flagrant, dum illum ex una parte, manu, vel labiis extrinsecè tangunt: *Illo nimirum Prophetæ labia purgantur, illo Seraphim accenduntur*; at Maria Virgo non manu, vel labiis, sed ex toto, ac ex omni parte intimissimè, ac plenissimè illo divino igne gratiæ, & amoris flagrat, & repletur, ac perfunditur, ut plus divini amoris, gratiæ, ac cœlestium donorum illi datum intelligas, quàm communicatur omnibus sanctis in Cœlo, & in terra: *Aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi*; quod etiam magis explicat ipse Bernard. cit. ferm. jam supra datus: *Ut quantùm fine personali unione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa*.

Plus gratiæ, & gloriæ in sola Maria quàm in omnibus Sanctis.

Ait sanctus Methodius ferm. de Deipara: *Salve amoris Dei Patris thesaurus*; sicut in thesauro terreni Regis servantur omnia illius bona, ex quo depromuntur, ut per suos servos distribuantur, sic nostro theologizandi modo, ex thesauro divini amoris proferuntur omnia, quæ Deus suis servis communicat, omnia enim opera sua ipse diligit: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti*, Sapient. 10. num. 25. & cum Deus *dividat singula singulis prout vult*, 1. Corinth. 12. n. 11. creavit Seraphim amore ardentes, Cherubim scientia plenos, Angelos fecit suos ministros tanquam ignem urentem; inter homines, quosdam constituit

Maria Virgo thesaurus amoris Dei.

Pro-

Prophetas, alios Apostolos, & Evangelistas, alios doctores, alios alia dignitate fulgentes; quæ omnia ut prolata ex thesauro divini amoris Deus divisit, & distribuit per servos suos *dividens singula singulis prout vult*; at uni tantùm Virgini Mariæ totum ipsum thesaurum divini amoris cum omnibus suis donis in gradu perfectissimo, ac eminentissimo largitus est Deus, ita ut de ea dicere possimus illud Proverb. 31. vers. 9. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*; Septuaginta legunt: *Multæ filiæ acquisierunt divitias; multæ fecerunt virtutem: Tu autem excellis, vel eminens, & supergressa es universas*; Hebraicus: *Multæ filiæ fecerunt virtutem, strenuitatem, fortitudinem, gloriam, opes, & tu ascendisti super universas istas*; quę verba de B. Virg. Maria exponunt D. Bernard. tom. 2. serm. de B. Virgin. D. Hieron. serm. de Assumpt. D. Bernardin. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 10. D. Bonavent. in speculo cap. 2. & cap. 8. & cap. 10. ubi ait: *Supergressa est Maria cunctas filias; supergressa est in natura, supergressa est in gratia, supergressa est in gloria universas filias; id est, universas animas, & universas intelligentias*; utpote cùm ipsa sit, ut ait D. Methodius, *amoris Dei Patris thesaurus*.

126 Ait Aristoteles lib. 4. Ethicorum: *Amare, est velle alicui bonum*; & inde vulgariter dicitur: *Probatio amoris, exhibitio est operis*; undè rectè ait D. Thomas 1. part. quæst. 20. artic. 4. in corpore: *Deum diligere magis aliquem, nihil aliud est, quàm ei majus bonum velle, voluntas enim Dei est causa bonitatis in rebus*; atqui nullæ puræ creaturæ, imò omnibus puris creaturis collectivè sumptis, non communicavit tantum donum, ac communicavit B. Virgini Mariæ, in eo quòd esset mater Dei, nam maternitas Dei est quædam dignitas incomparabilis, & incomprehensibilis, ipsa enim est quædam consanguinitas cum Deo, eique summè & arctissimè proxima; per ipsam B. Virgo elevata & facta est quasi ordinis divini, ita ut sicut Deus Pater ait unigenito filio suo: *Ego hodie genui te*, in substantia meæ divinitatis; ita etiam B. Virgo eidem filio Dei potest dicere: Ego genui te in substantia meæ humanitatis; undè ait D. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. *Virgo ex hoc, quod est Mater Dei, habet quandam dignitatem infinitam, ex bono infinito, quod est Deus, & ex hac parte non potest fieri aliquid melius ea, sicut non potest aliquid melius esse Deo*. Ergo cum tanta hac dignitate super omnes puras creaturas communicata sunt Virgini Mariæ dona, ac magnalia super omnes puras creaturas, ita ut B. Virgo valeat dicere de ipsa maternitatis dignitate illud Sap. 4. vers. 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa*; quod optimè probat Rupert. lib. 1. in Cantic. ad cap. 1. vers. 3. sic in persona Virginis Mariæ loquitur: *Qui enim Verbum suum quod est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo mihi omnia donavit?*

Maria Virgo ex maternitate habet quandam infinitatē

Sicut Maria Virgo ex maternitate habet dignitatē super creaturas; sic & dona

127 Et nota, quod sanctissima Virgo Maria non dicitur à D. Methodio, thesaurus amoris Dei, sed *thesaurus amoris Dei Patris*, quia Deus eam tanquam unicam filiam dilexit, dotavit, ac ditavit tantis donis gratiæ, & gloriæ, ut ergà nostrum intellectum quodammodo quandam immensitatem habeat, ut eam non possimus mensurare, nec dicere, nec investigare. D. Anselm. lib. de excellentia Virgin. capit. 8. sic ait: *Quid ampliùs dicere possumus Domina? Immensitatem quippe gratiæ, & gloriæ, & celsitudinis tuæ considerare incipienti, & sensus deficit, & lingua fatiscit*.

Mariana gratiæ, & gloriæ quædam immensitas tribuitur.

128 Confirmatur noster scopus principalis hujus quæstionis, quia Virgo Maria immenso gratiarum, & meritorum culmine, supergreditur omnes, qui æternam salutem consequuntur; quos describens Salomon Cantic. 6. num. 7. & 8. ait: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea*; ubi tres ordines hierarchicos constituit salvandorum, scilicet Reginas, concubinas, adolescentulas. Per Reginas intelligit animas perfectas in consummatione virtutis, quæ Christo vero sponso intimè uniuntur; per concubinas, proficientes, qui Christo jam sunt uniti; per adolescentes, incipientes, qui relicto Mundo, Mundo, Christo incipiunt adhærere; super has omnes animas ait Christus: *Una est perfecta mea, columba mea*; utpote in omni consummatione virtutis, gratiæ, & gloriæ perfecta, & ut sine amaritudine fellis peccati *columba mea*. Hæc tradit Pfellus apud Theodoretum, & subdit: *Inter tot animas omnium hominum, qui salvantur, ut electa concubina est una sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater, puella Maria, quæ puritate perfecta Cherubim, & Seraphim antecellit*; vide tom. 1. Apocal. cap. 1. q. 62. n. 535. 536. & tom. 3. in Evang. cap. 16. q. 18. per totam.

Virgo Maria super omnes electorum.

Ex quibus infero, quòd sicut plus gratiæ, virtutis, ac sanctitatis est in sola B. Virgine Maria, quàm in omnibus sanctis simul sumptis, ut etiam dicam infra qu. 22. ita etiam per solam B. Virginem Mariam plura Deus beneficia concessit, pluraque miracula est operatus, quàm per omnes sanctos simul sumptos. Quis valet numerare beneficia, ac miracula, quibus Deus per Virginem omnes Orbis nationes ditavit? Petrus Courcier de hac re edidit justum volumen quod dicitur: *Negotium sæculorum, Maria*; in quo scripta referuntur ferè 20. millia miracula, nam si omnia scriberentur, dici potest illud, quod ait Joannes de Christi operibus cap. 21. n. 25. *Quæ si per singula scribantur nec ipsum arbitror Mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros*; nam cùm Maria magis Deo sit grata, quàm omnes sancti simul sumpti, inde plura dona, pluraque miracula per eam solam est operatus super omnes sanctos simul sumptos.

129 Per solam Virginem plura beneficia, quam per omnes Sanctos.

QUÆSTIO XVI.

Quare sanctissima Virgo Maria Lunam sub pedibus habet.

130 SI per hanc mulierem Ecclesiam intelligas, graves doctores per Lunam beatam Virginem Mariam interpretantur ob varias rationes, ut dixi supra q. 5. num. 41. cùm verò modò in expositione, quam sequimur, hæc mulier denotet Virginem Mariam, quid modò Luna significet, inquirit quæstio. Et quid magnum, Lunam hanc astrorum infimam, & terris viciniorem pedibus Virginis substerni, quam, inquit D. Bernard. serm. in *sign. magn. Super Angelorum choros, Super Cherubim quoque, & Seraphim exaltatam, nefas est dubitare?*

Maria super omne creaturas.

131 Primò respondeo ad quæstionem: Si Deus, cuncta, quæ condidit approbavit, videns quòd essent bona, cur Virgo sanctissima sui Creatoris opus videtur non approbare, sed tanquam contemnens sub pedibus conterit? cur Lunam luminare majus, sic pedibus calcat? Luna symbolum inconstantiæ, ipsa enim causa æstus, & reciprocationes maris, facitque ut adeo mare sit instabile, ut singulis senis horis, nunc affluat, nunc refluat: ecce cur Lunam Maria sub pedibus calcat; ut cognoscamus, eam omnis instabilitatis esse expertem, omnique mutabilitate superiorem. Et meritò talis firmitas, ac constantia in hac muliere amicta Sole cernitur, nam sicut Sol lutum indurare solet, sic verus Sol justitiæ, veniens in Maria, ipsam vestiens, ac muniens, cordi ejus tantam firmitatem indidit, ut quodammodo evaderet ad constantiam, ac soliditatem petræ, ad imitationem filii sui. Guerricus Abbas serm. de Annuntiat. *Si petra Christus, ut ait Apostolus 1. Corinth. 10. num. 4. non degenerat à Matre filius, quando & ipsa nomine petræ censetur.* Et sic firma, ac stabilis fuit Maria, ut non solùm habuerit firmitatem Angelorum, sed etiam superaverit. D. Hier. vel Sophron. serm. de Assumpt. sic ait: *Etsi mirabilis est eorum sanctorum Angelorum virtus firmitas perpetuitatis, mirabilior tamen in Maria, quam obumbravit virtus Altissimi.*

Maria Virgo constans, ac firma.

132 Secundò D. Isidor. in c. 7. Josue, ait: *Luna Mundi speciem tenet, quia sicut Luna mensibus completionibus deficit, ita hic Mundus ad completionem temporum currens, quotidianis defectibus cadit.* Totus hic Mundus cum omnibus suis divitiis, & dignitatibus; tibi, o Deipara, subditus famulatur, undè illud de increata Sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, Proverb. 8. numer. 22. meritò beatissimæ Virgini

gini aptari potest, præcipuè juxta Septuaginta legentes: *Dominus præfecit me*; ubi pro, creare, legunt *præficere*; de more latinorum, apud quos creare aliquem Ducem, vel Principem, est præficere, seu præponere; & sic legit Div. Athanas. ad decreta Synodi Nissænæ: *Dominus præfecit me operibus suis*: Servus igitur est Mundus; creavit me seu præfecit me initium viarum suarum; id est: Dominus me creavit seu præfecit omnibus creaturis, quæ per me, tanquam per viam regiam tendunt in ipsum, quarum omnium creaturarum, ego ut princeps, & Regina primatum teneo.

133 Tertiò Luna temporalium rerum symbolum, propter eorum defectum; quid enim his instabilius, quę de manu in manum quotidie transeunt, nec sciunt diu in eodem statu permanere? Ecce miraculum magnum: Mulier amicta Sole Lunam pedibus calcans, utpote omnia terrena, & temporalia contemnens. Richard. de S. Laurentio lib. 4. de laudibus Virg. *Maria*, ait, *paupertatis fuit amatrix, & in lege ubi temporalia promittebantur, dicitur de ea, quod habebat Lunam sub pedibus; id est, omnem gloriam Mundi, & omnia mutabilia sine affectu*. Expende illud: *In lege ubi temporalia promittebantur*; hoc enim magna admiratione dignum, quòd ex hebræorum populo, cui temporalia in præmium dabantur, ei passim dicebatur: *Si audieritis vocem meam, fructus terræ comedetis*; & inde in tali populo rarus erat divitiarum contemptus, & quod tunc Virgo Beata omnes divitias contemneret, ac sub pedibus calcaret, valdè mirum; cui rei Virgo purissima magnum præstitit monumentum, nam aurum, thus, & mirrham oblata à Magis, Math. 2. ut paupertatis amatrix in pauperes distribuit, ut ex Abul. Cano, & aliis dixi to. 1. in Evangel. lib. 2. c. 5. q. 15.

Virgo Maria temporalia bona contemnebat.

134 Quartò Luna stultorum ænigma. Sic dicitur Ecclesiast. 27. n. 12. *Stultus sicut Luna mutatur*; inde etiam Luna Diaboli emblema, qui omnium stultorum magister, ac instigator, ob suam ambitionem præsumptuosam è Cœlo cecidit: *Michael, & Angeli ejus prædiabantur cum dracone, & projectus est draco magnus*; nunc tamen sub pedibus Mariæ conculcatur, & conteritur, ut inde deprehendas dæmonem ab Angelis profligari, conculcari verò, ac conteri ab una sanctissima Virg. Maria. D. Bernard. in *Signum magnum*: *Verus*, ait, *ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui verè mutatus ut Luna, sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus, miseram patitur servitutem*. Angeli, ac alii Sancti decertant, ac oppugnant Diabolum; sub Mariæ pedibus conteritur, ac deprimitur, *& miseram patitur servitutem*. Suam dilectam sponsam divinus sponsus comparans ait: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea*, Cantic. 1. num. 8. Dei equitatum virgam Moysis exponit Rupert. Abbas ibi: *Equitatus meus virga una fuit: Virga Moysis, & Aaron*. Tamen profundè expendendum; cur sponsa non assimilatur virgæ omni tempore, sed tantùm dum persequitur Pharaonis currus? *In curribus Pharaonis*. Moyses à Deo missus, multis flagellavit Pharaonem, ut illius obduratus animus mitesceret, inde virga percussum flumen vertitur in sanguinem, ranarum agmina prodeunt, bris diffunditur, grandines ruunt, & totus aer tenebræi pertransirent, ingressi sunt persequentes Ægyptes cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis, Exod. 14. n. 28. ecce cur divina sponsa Virgo Maria non assimilatur equitatui, seu virgæ Moysis, dum flagellat, ac verberat Ægyptios, sed dum eorum currus absorbet; quia etsi ab aliis sanctis dæmon vulneretur, ac percutiatur, à Virgine Maria omninò evertitur, ac destruitur, ut ampliùs non appareat. Rupertus: *Rectè ergo virga*, ait, *talis dicitur equitatus Domini, quo contra tot currus, & equites sola sufficit, & victoriam peregit*. Alii dæmones flagellant; at verò ipsi à Virgine Maria omnino perduntur.

Diabolus, & si ab aliis impugnetur, à Virgine Maria destruitur, & evertitur.

135 Quinto Luna, cùm in corpore suo quasdam maculas patiatur, & multos defectus, ac obscuritates passim admittat, depravatæ naturæ lapsus, ac defectus designat; inde meritò Virgo Maria ut triumphatrix, Lunam sub pedibus calcat, quia de omni vitio, ac peccato tam actuali, quàm originali, ipsa gloriosè triumphavit, ut à nullo defectu, nec leviter potuerit attingi. D. Bernard. serm. in *Signum magnum*: *Omnis defectus*, ait, *sub ea, & quicquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis, ut meritò Luna sub pedibus ejus esse dicatur*. Hanc cogitationem perbelle corroborat Richard. à S. Laurentio lib. 4. de laudibus Mariæ Titul. *Dominus quorundam tenet*; sic ait: *Ratione potentiæ dicitur, quòd Luna, id est, antonomasticè ille stultus, Diabolus, scilicet, qui ut Luna mutatus est, à claritate in obscuritatem, sub pedibus ejus, id est ei plenariè subjectus est*. Expende illud, *plenariè subjectus est*; quoniam neque originali, neque actuali luce unquam infecta est Maria; & ita de inferni principe, ac potestate plenariè triumphavit; & ita in hoc symbolo Joannis, supponitur fœminæ Luna, ut sit scabellum ejus, præsertim si acumina deorsum convertantur, quæ est verior pictura, ut notat Alcazar in Commentario, ut sit tanquam suppedaneum, ut hostes devicti victori inserviunt: Et sic dorsum principis turcarum Bajazeti erat tanquam suppedaneum suo victori Tamburlano, cum in equo ascendebat; quo ovantis cumulatissimum genus significatur, sicut & servitutis genus abjectissimum, juxta illud Psalm 109. numero 2. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; ubi Genebrard. ac meliores interpretes sic exponunt: *Metaphora est ad extremam, ac turpissimam subjectionem*. Non utcunque Beata Virgo de superbissimo tyranno triumphavit, sed ita gloriosè, ut nulla major victoria referri possit à pura creatura, quæ ipsius adversarii caput, Genes. 2. numero 15. contrivit, id est, omnium malorum seminarium originariam labem, ut exponunt Suarez tom. 2. ad 3. part. disp. 3. sect. 5. §. *Possumus ergo*, Salazar de Concept. cap. 19. numero 14. vide supra.

Maria Virgo superior omni macula.

Maria Virgo immaculata, & pura sua conceptione.

Gloriosè Virgo de Diabolo triumphavit.

Sexto cur Luna Mariam Virginem undique non circumdat, cum in Cantic. dicatur *Pulchra ut Luna, electa ut Sol*? Extra dubium est, quòd Luna corruptioni corporum dominatur; ecce cur Maria non solùm vestitur Sole, sed & Luna sub pedibus ejus est, ut innuatur corpus ejus immaculatum, nequaquam corruptioni fuisse obnoxium, sed ei omnino dominari, cum glorificatum, ac gloriosum ascendisset in Cœlum. Cardinalis Joannes Vitalis in speculo tit. de Assumptione B. Mariæ Virg. *Luna autem*, ait, *cujuslibet mutabilitatis sub pedibus est, quia & corpore, & anima glorificata extitit*. 136

Maria, anima & corpore glorificata.

Septimò sanctorum capitibus mediæ Lunæ, honoris gratia imponuntur, tamen Virginis pedibus Luna subiicitur; quid hoc, quod coronantur sancti mediis Lunis, & quod ipsa Luna sternitur pedibus Mariæ? an quia sanctorum fastigium est Virginis fundamentum? ad quod pertinere videtur illud Davidis Psalm. 86. numero 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*; quem locum de Beata Virgine interpretantur graves Interpretes, noster Incognit. Cardinalis Hugo, & ibi innuere videtur Div. August. Dicitur: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*; quia B. Virgo originem duxit à Regibus, Prophetis, ac Patriarchis, ut exponit Honorius de laudibus Virgin. vel quia sanctissima Virgo fundata est in summitate montium totius puritatis, innocentiæ, ac sanctitatis, ut exponit Benzonius in prædict. Psalm. Dicimus tamen cum Mendoza tom. 2. in lib. Reg. c. 4. ad n. 11. Annot. 11. sect. 2. n. 22. quod Luna sub pedibus Virginis constituitur, quia ibi ejus pedes collocantur, ubi aliorum sanctorum capita inferuntur; ibi exordiri Deiparæ virtutes, ubi aliorum fastigiantur. Magno gaudio exultabat David Psal. 20. n. 1. *In virtute tua lætabitur Rex*, & vers. 4. subdit: *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*; tibi verò, ò Sanctissima Deipara, non unus lapis pretiosus capiti imponitur, sed plurimi pedibus tuis subiiciuntur, juxta illud Isai. 54. num. 11. *Ecce sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphy-*

137

Sit virtus Mariæ inchoatur, ubi aliorum Sanctorum est consummatio.

Japhyris; sic & fundamenta civitatis cœlestis Jerusalem, per quam jam diximus ex D. Augustino, ac Bonavent. B. Virg. Mariam denotari, dicuntur, *omni lapide pretioso ornata*, Apocal. 21. nu. 19. quia etsi in aliis summitates virtutum lapide pretioso coronentur, ibi tamen apparent fundamenta, & principia Mariæ, quia ibi ejus virtus inchoatur, ubi aliorum est perfecta consummatio. Octavò Luna inter omnia astra citissimè suum cursum peragit, nam illum uno mense implet, quem Sol uno integro anno; inde Luna sub pedibus Mariæ prosternitur, quia ejus gressus ad subveniendum omni cœlesti astro velociores sunt: vide supra q. 13. n. 110. & seqq.

Maria velocissima ad subveniendum.

138 Octavò: *Apparet Maria amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus;* ut omnium illuminatrix Sole vestitur, ut indicet, ac manifestet cœlestium penetralia nobis viatoribus; Luna sub pedibus, tanquam lucem dans degentibus in hoc tenebroso sæculo, itaut supernis, ac perfectioribus se habeat ut Solem, inferioribus verò ut Lunam. D. Chrysost. ad illa verba Genes. 1. nu. 16. *Ut præsint diei, ac nocti;* sic ait: *Quid est in præfecturas diei, & præfecturas noctis? hoc est, ut Luna dispellat tenebras, & hominum generi lumine suo præbeat commoditates utendi suis studiis, tunc enim viator fidentiùs iter facit, & sua quique studia metu posito, aggrediuntur.* Proh Deus immortalis! quantis in hoc tenebroso sæculo hæc vita nostra periculis patet! quot sunt in ea metus nocturni, quot occulti hostes, & quot mortis horrores! Verùm inter hos nocturnos timores data est Maria Luna fulgentissima, cujus lumine quisquis viator est, securè iter facere, & conficere potest, ejus splendor lucis, ex se nunquam deest, sed semper illuminat.

Luce, ac splendore Mariæ omnia pericula superantur.

139 Canticor. 6. nu. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* cur Maria auroræ, & Lunæ similis exhibetur, cum Soli comparetur? ubi adest Sol, Luna non lucet, aurora non comparet: ergo minùs aptè Soli comparatur, si auroræ, & Lunæ confertur. Perbelle quidem, ut exprimatur universale Mariæ patrocinium; nam Sol fulgentissima lux refulget tantùm in die, minimè verò nocte, ac primo mane; Luna præclara lucet nocte, non verò die, nec elucente mane; Aurora irradiat primo diluculo, non verò die, nec nocte, ut notavit Innocent. Papa serm 2. de Assumpt. *Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, Sol in die*; rectè ergo Maria Virgo dicitur Sol, Luna, aurora, quia nullum est instans, vel momentum excogitari valet, in quo ejus auxilium valde opportunè non omnibus adsit, sive sit die, sive nocte, sive elucente die.

Mariæ patrocinium in omni momento adest.

140 Væ viatori, qui sine hac luce, qui sine hujus Lunæ radiis viam aggreditur. Psal. 10. n. 2. dicitur: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde*; in græco legitur: *Ut sagittent in nocte*, seu *obscura Luna*; nulla sanctitas, nulla cordis rectitudo inimicorum sagittas effugiet, nisi favor refulgeat Marianæ Lunæ; tunc Diaboli rectos corde devinci, ac expugnari putant, si hujus vitæ iter faciant in nocte, seu obscurata Luna, id est, Luna non lucente, si vitam ducant sine Maria illuminatrice, nam luce ejus patrocinii portus est securus, ejus verò luce recedente, naufragium certum.

Miserè perit, qui patrocinio Virginis destituitur.

QUÆSTIO XVII.

Quare cum Luna Ecclesiam sanctam repræsentet, pedibus Virginis Mariæ subjacet.

141 COmmunis est multorum sententia Lunam Ecclesiam Dei repræsentare; & quomodo hoc fieri potest, quod Luna, quæ est inconstantiæ symbolum, valeat repræsentare Ecclesiam, quæ fundata est super firmam petram? Quia Ecclesia veluti Luna, modò tentationibus, ac pressuris decrescere videtur, ac minui, modò devictis malignis hostibus innovari, ac surgere, quod maximè fiet in novissimis temporibus, quia tunc videbitur maximè deprimi; sed mox cum magna victoria prævalebit, ut semper, ac beatissimè regnet. Deinde merito Ecclesia Luna adumbratur, quia sicut Luna à Sole, sic Ecclesia à Christo, quidquid decoris, ac luminis habet, accipit. Philo Carpath. in c. 5. Cant. *Lunæ comparatur Ecclesia*, ait, *propter quod, quidquid habet divini luminis, id à justitiæ Sole illo immobili, atque divino, quandiu sese illi rectè offert, accipit: dicitur etiam eadem Soli non absimilis, ob rectæ fidei splendorem, summumque decorem illius fulgentissimi, atque illius optimi Solis justitiæ, à quo quidquid vitalis splendoris, atque divinæ lucis sponsæ inest, emicat, ac effulget.*

Tota lux Ecclesiæ à Christo.

Cur Ecclesia Lunæ comparatur.

142 Quæstio ergo inquirit: Cur Luna symbolum Ecclesiæ, pedibus B. Mariæ jacet humilis? Respondet primò D. Bernard. serm. in *Sign. magn.* sic: *Jam si Ecclesia Lunæ intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendet, sed ab eo, qui dicit:* Sine me nihil potestis facere; *habes mediatricem evidenter expressam:* Mulier, *inquit*, amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus. *Amplectamur Mariæ vestigia, & devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur.* Ecclesia supplex ad pedes Mariæ provolvitur, ut eam feliciter ore exoret, ejus opem implorans; sed cur potiùs ad mediatricem Matrem, quàm ad mediatorem ejus filium Deum, nos ducit Bernardus sub cujus pedibus Ecclesia humilis procumbit? *Fidelis & potens*, ait Divus Bernardus *Mediator Dei, & hominum Christus; sed divinam in eo reverentur homines majestatem; absorpta videtur in deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata; non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & judicium, opus est enim mediatore ad mediatorem illum: non alter nobis utilior, quàm Maria.* In Christo Jesu nostro mediatore, etsi est humanitas, *absorpta est in deitatem*; in qua relucet misericordia, & justitia: consultissimè ergo Ecclesia apparet sub pedibus Mariæ, cujus viscera plena sunt misericordiæ, & à qua sola plenitudo misericordiæ diffunditur. Ait ipsa sanctissima Virgo: *Introduxit me Rex in cellaria sua*, Cantic. 1. num. 3. *in cellaria*, hoc est, in penetralia, ubi Regum thesauri reconduntur, undè respondent sodales: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum*; quia ex eo quòd ipsa sit introducta in omnes thesauros gratiæ, sanctitatis, ac donorum, inde maximè lætantur: *Memores uberum tuorum*; quæ lac misericordiæ, ac pietatis, ac consolationis in omnes diffundunt, ut exponit Guillelm. Parisiens.

Ecclesia humiliter Mariam exorat.

Maria Mediatoris Mediatrix.

143 Secundò ideo Ecclesia est ad pedes Mariæ Virginis, vel ut eam reverentiùs adoret, vel ut ad imitationem expressiùs ejus vestigia recognoscat. Ait Rupertus Abbas lib. 1. de operibus Spiritus Sancti cap. 8. *Beata Virgo prioris Ecclesiæ pars optima, Dei Patris sponsa esse meruit, ut exemplar quoque fuerit junioris Ecclesiæ, Sponsæ filii Dei, filii sui*; etsi beatissima Virgo fuerit illustrissima, ac præclarissima pars antiquæ Ecclesiæ Synagogæ, tamen Ecclesiæ evangelicæ constituta est exemplar, nam cùm Deus fabricaret Ecclesiam suam evangelicam in summa perfectione, ei apposuit exemplar summæ perfectionis, ut est Virgo Maria prototypon totius nostræ Ecclesiæ, & inde Ecclesia subjacet ad pedes Mariæ tanquam respiciens ad suum exemplar, ad imitandum.

Maria Virgo exemplar Ecclesiæ evangelicæ.

144 Tertiò ad pedes Mariæ provoluta est Ecclesia tanquam ejus opem, & patrocinium implorans adversùs suos hostes, & adversarios, ut illius auxilio destruantur, ac dissipentur. Ad expugnandam civitatem Jericho, *circuivit arca Domini civitatem*, Josue 6. n. 11. quam portabant Sacerdotes; & subditur nu. 14. & 15. *Sic fecerunt sex diebus; die autem septimo, muri illico corruerunt*; sex diebus asportatur arca juxta muros, cur ipsi non corruunt prima, vel secunda, seu sexta die, & civitas ipsa expugnatur, sed tantùm die septima? Satis notum est arcam fœderis Ecclesiam catholicam adumbrare, in ea enim reconditur cœleste manna divini panis, ac tabulæ legis sacræ Scripturæ; sic etiam notum est, sabbatum, in quo Deus requievit B. V. M. adumbrare; licèt enim Jerichuntini cum suis muris, turribus, ac militum copiis per sex dies resistunt arcæ figuræ, ac typo Ecclesiæ, tamen cum adfuit umbra Mariæ, statim corruunt, ac prosternuntur, & Ecclesiæ ligatis manibus colla subiciunt: vide infra q. 12. n. 171. & seq.

Præsentia, ac patrocinio Mariæ Ecclesia de hostibus triumphat.

Quar-

145 Quartò quid est, quòd Luna totam Ecclesiam repræsentans sub pedibus Virginis Mariæ ostenditur?

Tota Ecclesia militans, ac triumphans subiicitur Mariæ.

Quia tota Ecclesia triumphans, ac militans B. Virginis Mariæ pedibus subiicitur, tum quia ipsa Virgo, immenso gratiarum, ac meritorum culmine totam Ecclesiam triumphantem, ac militantem supergreditur, ut jam dixi supra q. 15. tum etiam quia ipsa sanctissima Virgo, Cœli, terræque Regina unicè, & singulariter facta est, cui tota domus Ecclesiæ triumphantis, & militantis attribuitur.

146 Ait Ecclesiasticus 26. n. 21. *Sicut Sol oriens in Mundo, in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.* Mulierem bonam beatam Mariam intelligit Hugo Cardinalis; sed quæ Mariæ domus propria? quæ hominibus, & Angelis plena facta est à Deo in Cœlo, & in terra. Et est Virgo Maria in in domo sua in Ecclesia triumphanti, ac militanti, sicut Sol in Mundo, qui totum ipsum illustrat, ac benignè replet; sic Deipara in utraque Ecclesia, Cœli, & terræ, eam mirificè illustrat, ac præsentia sua condecorat, ac lætificat. Sic ait Carthusian. lib. 1. de laudibus Mariæ c. 4. *Domus bonæ mulieris*, ait, *est sancta Ecclesia, tam militans Virgini gloriosæ commissa, quàm triumphans ex Angelis, & hominibus constituta; itaque sicut Sol materialis suo splendore totum illuminat, & prærornat hemisphærium nostrum, sic felicissima Virgo omnium optima mulierum, universam decorat, illustrat, lætificat militantem, triumphantemque Ecclesiam.*

Maria in utraque Ecclesia veluti Sol.

147 Habitant in Ecclesia triumphanti, & militanti homines justi, & Angeli, sed uni Mariæ, hæc tota domus attribuitur; & quantum sit ejus jus in hanc domum peracutè explicat D. Epiphanius oratione de laudibus Mariæ, dicens: *Virgo Maria invenitur esse cœlestis sponsa, & mater, quæ donorum Spiritualium nomine, Spiritum Sanctum accepit, dotis verò gratia, cœlum unà cum Paradiso.* Et cœlum, & Paradisus, hoc est, & triumphantis, & militantis Ecclesiæ domus datur Mariæ in dotis gratiam, ut pateat, quàm stricto jure approprietur Mariæ tota cœlestis domus, in qua sit tanquam in suis, quæ enim ad domum pertinent, adeo propria sunt uxoris, ut sine ejus consensu nulli possint concedi à marito; sic sine interventu, ac consensu Mariæ, nil cœlestis gratiæ datur fidelibus.

Magnũ jus habet Maria in utraque Ecclesia.

QUÆSTIO XVIII.

Quare sanctissima Virgo Maria stellis coronatur.

148 STellæ significant virtutes justorum, ut dixi supra q. 6. n.... Significant etiam merita Apostolorum, ac omnium sanctorum, ut dicam quæst. seq. ad initium, inde meritò Virgo Maria stellis coronatur, utpote meritis, ac virtutibus omnium sanctorum, super quæ omnia maximè Virgo Maria præcellit.

149 Et maximè, cùm ipsa per stellas significetur, dixit Propheta Balaamus: *Orietur stella ex Jacob, consurget virga ex Israel*, Num. 24. n. 17. hæc stella, Virgo Maria est, supremæ claritatis, ac radii genitrix. Beda ibi, *Stella ex Jacob, id est, Maria. Stella in Cœlo sita est, & exit claritas ab illa; sic ex Maria claritas, id est, Christus ortus est.* Sed quomodo in eodem vaticinio Virgo Maria, dicitur stella, & virga? Stella in Cœlo figitur, virga è terræ visceribus assurgit; etsi Mariam, amico sexu conveniunt, quia si Maria, quà Mulier, è terra est, quà tamen splendidissimi radii genitrix, è cœlo est, & inter astrorum lumina, supremum obtinet principatum. Et profundè pondera quod dicitur: *Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel*; cùm è contra videbatur dicendum: Orietur stella ex Israel, & consurget virga ex Jacob; nam Jacob nomen terrenum, ideſt, *supplantator*, hoc est *sub planta*; terra autem supplantata est Israel; id-est, videns Deum, Genes. 32. dicitur ergo *stella ex Jacob*, ideſt, ex terrestri, *virga ex Israel*, ideſt, ex cœlesti, ut sic Mariam consideres cœlestem; & quamvis in ea videas terrenum corpus, sic tamen in ipsa datur quid terrenum, ut in ea simul quid divinum invenias, cùm ab ea tanquam à suprema stella cœli

In Mariæ compositione simul Cœlum, & terra conveniunt.

Maria stella & corona tanquam cœli Domina, & Regina.

processerit lumen æternum; & ideo omnes stellæ Cœli, sub duodenario numero comprehensæ conveniunt ad eam coronandam tanquam omnium dominam, ac Reginam.

Secundò stella symbolum gloriæ, & gaudiorum 150
juxta illud Pauli 1. Corinth. 15. num. 41. *Stella ab stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum.* Beata Virgo Maria in morte filii sui coronata fuit gladio dolorum, ac angustiarum, ut ponderat Div. Amadæus homil. 5. de laudibus Mariæ: *Currit*, ait, *non solùm in gaudio consolationum, verùm in abundantia passionum cernebat verum Salomonem mater ejus, in diademate, quo coronavit eum noverca Synagoga, & ipsa coronata corona tribulationis post eum incedebat; stabat autem juxta Crucem.* In morte filii sui gladius dolorum pertransivit animam beatæ Virginis, juxta vaticinium Simeonis, Luc. 2. num. 35. si ergo Deipara in passione filii coronata fuit acutis gladiolis pœnarum, ac dolorum, consequens ergo ut splendidis stellarum radiis gaudiorum, ac gloriæ esset coronata in æterna betitudine.

Dolorum cõsequētia gaudium, & exultatio.

Tertiò gentes ad Deum conversæ, stellæ dici me- 151
ruerunt. Abrahæ semen sub stellarum, & arenæ nomine pollicetur: *Faciam semen tuum sicut pulverem terræ*, Genes. 13. num. 16. quæ arena populum hebræorum signat, qui instar pulveris vento dispellendus erat. De ejus semine etiam dicitur: *Suscipe cœlum, & numera stellas si potes; sic erit semen tuum*, Genes. 15. num. 5. Stella innuit populum christianum, propter illius cœlestem vitam, cœlestesque mores, & quantum stella præstat pulveri, tantum christianus populus hebræo. Ad hoc spectat Oleaster ad cap. 13. Genes. citatum, ubi ait: *Hìc Dominus ostendit Abrahæ, quales filii ejus sint futuri, erant nempe terreni, similiter qualiter in Orbem dispellendi, quemadmodum pulvis, quem ventus propellit à facie terræ: Aliud tamen erat ejus semen, sicut stellæ Cœli, cujus conversatio in cœlis, quasi nil terrenum saperet, sed alios illuminet, sicut astra de Cœlo terram.* Gentes ergo ad Deum conversæ, sunt stellæ, quibus tanquam diademate caput Virginis præcingitur; sic ait Rupertus in cap. 4. Cantic. *Coronabitur Virgo, quia credent gentes, in fructum ventris sui, & eorum credentium salus & corona Virginis erit.* Omnium salus orationi, ac intercessioni Virginis Mariæ debetur, nam si Abraham ob fidem dictus est Pater gentium, si gentium mater ob eandem fidem Sara nuncupata est, quanto majori jure hoc nomen Maria meretur? Pro hac veritate stat Rupertus lib. 7. in Cantic. *An non*, ait, *tu mater nostra, quæ vitam, & salutem peperisti? Si Abraham, aut Pater gentium, aut Sara mater gentium dicitur propter fidem, quanto magis tu, ò fidelissima fidelium mater es omnium nostrum?*

Gentibus conversis in stellas, Virginis caput coronatur.

Quartò ecce nunc à nostro Joanne Virginis caput 152
conspicitur stellis coronatum, à Salomone verò feris pardorum in montibus; sic dicitur Canticorum 4. num. 8. *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum;* nulla ibi stellarum mentio, sed tantùm ferarum: quomodo ergo noster Vates videt Mariam Virginem stellis coronatam? Quis leonum & stellarum nexus? quæ cohærentia? Adverte peccatores formas ferarum induere, ut latè tradit Divus Chrysostomus homil. 23. ad populum Antiochenum ubi post multa ait: *O homo peccator tanquam asinus recalcitres, lascivias ut taurus, tanquam equus post mulieres hinnias, ventri tanquam ursus indulgeas, & ut mulus carnem impingues, & malam memoriam teneas tanquam Camelus, rapias ut lupus, ut serpens irascaris, ferias ut scorpius;* & multa alia prosequitur sanctus Doctor. Peccatores varias ferarum formas referunt, sed his feris jam protectione Virginis Mariæ in stellas mutatis, caput ejus coronatur. Huic cogitationi subscribit Richardus de sancto Laurentio lib. 3. de laudibus Virginis: *Ipsa*, ait, *de cubilibus leonum, de montibus pardorum dicitur coronari; & nota quòd Apocalyps. 12. dicitur Maria coronari de stellis: hìc promittit ei filium, quod coronabitur*

Peccatores feræ, meritis Mariæ mutantur in stellas, quibus ipsa coronatur.

de feris; & quid est hoc? nisi quòd ferè per gratiam, & orationes Mariæ sunt stellæ, ut conveniant capiti tantæ Reginæ, ut de stellis ei corona videatur exhibita, quæ de feris fuerit promissa; & hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Si quis peccator leonem, pardum ursum crudelitate, & vafritie referat, accedat ad Mariam, & tunc feritate depositа, spiritualis firmamenti stella fiet, quę æternaliter in cœlo fulgebit.

153 Quinto Sol, & Luna, luminaria magna; Sol Virginem Mariam vestit, sub pedibus ejus Luna est; quomodo ergo caput ejus stellis nobiliùs coronatur? Stellæ sunt justi, & sancti: *Quasi stellæ in perpetuas æternitates*, Daniel.12. n.3. ideò ergo hujusmodi stellæ tanquam coronæ fulgent in capite Mariæ, non quasi eam coronent, & ornamentum ei conferant, sed quod ab ipsa coronentur, ab eaque justi ornamentum accipiant. D.Bernard. in *Signum magn. Dignum planè*, ait, *stellis coronari caput, quod ipsis longè clariùs micans ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis; quidni coronent sydera, quam Sol vestit!*

154 Omnes victoriæ, coronæ, ac palmæ uni Virgini Mariæ referendæ sunt. D. Epiphan. orat. de laudib. Mariæ: *Ave virorum, mulierumque Regina, & tutela: Ave Domina sceptrum fidelibus tuis impetrans*; quidquid enim triumphale, & regium in hominibus conspicitur, absque dubio ex impetratione Mariæ obtinetur, undè ipsa Virgo de se ait Proverb.8. n.15. *Per me*; seu ut habet Hebraic. *In me Reges regnant*; Pagnin. *Per me Principes habebunt principatum*; quod non solùm de temporali, sed etiam de spirituali interpretatur, ut communis tenet sententia.

Justorum coronæ Virgini Matris adscribendæ.

155 In persona beatæ Virginis ait Ecclesiastic.24.nu.23. *Ego quasi vitis fructificavi*; græcus, *germinavi suavitatem odoris*: *& flores mei fructus honoris, & honestatis*; Tigurina: *Ego quasi vitis odorum emisi gratiam, & flores mei fructus gloriæ sunt, & divitiarum*; Syrus: *Ego sicut vitis decorata pulchritudine, & frondes mei, frondes splendoris, & decoris*. Vinea est Virgo Maria; & quosnam fructus profert? forsitan ut vinea Nabotho procurata à Jezabel, quæ dedit fructum mortis, & laboris? 3. Reg.21.n.19. *Minimè*; quos ergo fructus parturit hęc vinea Mariæ? Suavitates nempe, quæ cunctos fideles replent honore, honestate, divitiis, ac splendore, & decore omnium dignitatum, ac principatuum. D. Ildephons. serm.1. de Assumpt. *Idcirco*, ait, *filii perpendite Matrem Domini, quæ quasi vitis fructificavit suavitatem odoris, & protulit cunctis gentibus fructus honestatis, & gratiæ.* Expende illud: *Protulit cunctis gentibus fructus honestatis & gratiæ*; non dicitur uni, vel alteri, non uni turpitudinem, & alteri honestatem, sed omnibus profert honestatem, & gratiam, gloriam, & honorem.

Ex Maria Virgine fructus honoris, & honestatis, quo omnes coronantur.

156 Ait Isaias 11.n.1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.* Ecce tibi ex eadem præclarissima radice esse, simul & nobilissima virga, & suavissimus flos ascendent; & cur simul hæc ab eadem radice pullulant? Virga ut proferat fructum salutis, flos verò, quo omnes coronentur, omnesque eo coronam gloriæ & honoris sibimetipsis imponant. Div. Basil. Sel. orat.39. *Quæ lingua*, ait, *tam vocalis, quæ pro Mariæ dignitate hymnos personet? siquidem per eam bonis magnis affecti sumus; quo laudum flore debitam illi plectemus Coronam? ex ipsa enim flos Jesse germinavit, genusque nostrum gloria, & honore coronavit.* Omnium trophæa, coronæ, ac victoriæ Mariæ Virgini adscribendæ sunt, ut statim dicam quæstione seq. ex Ubertino apud Carthusian.

Ex Maria flos, quo omnes coronantur.

QUÆSTIO XIX.

Quare sanctissima Virgo Maria coronatur duodecim stellis, nec pluribus, nec paucioribus.

157 PRimò Gerson.super *Magnificat.*Alphabet.82.lit.Q. & R.per has duodecim stellas interpretatur duodecim choros Angelorum; Rupert. hic duodecim Patriarchas, seu duodecim Tribus; Ansbertus, Albert. Magn.& communiter Patres duodecim Apostolos. Nec mirum quod Maria caput suum hominibus, ac Angelis ornet; cum ut eos reddat fulgentiores, tum quia omnes ejus interventu gratiam acceperunt. *Fecit Salomon thronum de ebore grandem; & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, & inde*, 3.Reg.10.nu.20. Habebat quidem duodecim leunculi à throno firmamentum, in quo stare possent, sic & similiter in eis præfigurati duodecim Patriarchæ, vel duodecim Apostoli; quod idem dico de duodecim choris Angelorum, qui omnes à diviniſſimo throno Mariæ, vel ejus interventu robur, ac firmitatem acceperunt, qua stantes in virtute fulgerent. Quidquid in omnibus sanctis, ac etiam ipsis Apostolis relucet virtutis, totum ad Mariæ intercessionem, ac patrocinium referendum est. Ait Ubertinus apud Carthusian. lib.4. de laudibus Mariæ art.16. *Ipsa dignissima Virgo singulariter totum mysticum corpus cum vero Christi corpore suo portavit in utero, & in continuis cordis sui doloribus assimilata doloribus sui filii parturivit; cui attribuitur tota corona duodecim Apostolorum, quoniam meritis ejus fuerunt vocati, atque per ejus institutionem edocti; per ejus quoque suspiria, & orationes Spiritu Sancto repleti, undè & Virgini sanctæ singulariter attribuitur tota per Apostolos facta Mundi victoria.*

158 Secundò valde mirabile, ac supra rationem est, quòd tot stellæ coronam capitis Mariæ componant, cùm unica stella sufficiens fuerit, ad adducendos ex Oriente Magos ad Christum justitiæ Solem in Bethlehem, unicusque lapis pretiosus componat diadema quo justus coronatur, Psal.8. cur ergo ad componendam coronam Virginis, non unica stella, non unicus lapis sufficiens est, sed duodecim stellæ coadunantur ad conficiendum ejus diadema? Sic Maria alios omnes sanctos superat, ut ad ejus prærogativas explicandas non unica stella, sed duodecim necessariæ sint, cum Virgo Maria omnes alios sanctos justitia superet; sic ait D. Bernard. serm. in *Sign. magn. Nos quidem pro modulo nostræ exiguitatis non incongruum forsitan stellas illas, ut prærogativas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Mihi sanè singularis rutilat fulgor; primò quidem in Mariæ generatione; secundò in angelica salutatione; tertiò in Spiritus superventione; quartò in Filii Dei inenarrabili conceptione; quintò quòd virginitatis sit primiceria; sextò quod sine corruptione fœcunda; septimò quòd sine gravamine gravida; octavò sine dolore puerpera; nonò manſuetudo pudoris; decimò devotio humilitatis; undecimò magnanimas credulitatis; duodecimò martyrium cordis*; quod multa elegantia prosequitur sanctus Pater, & multis illustrat Richard. de S. Laurent. lib.3. de laudib.Mariæ tit.12. *Privilegia Mariæ.*

Virgo Maria omnes Sanctos in prærogativis superat.

159 D. Bernardin. ex his duodecim stellis, alias duodecim prærogativas adumbratas intelligit, quas sic enumerat. Prima nobilitas, 2. Est præservatio, 3. Meritum. 4. Potestas. 5. Superexcellentia, 6. Dominatio, 7. Regnum, 8. Dispensatio, 9. Consummatio, 10. Ornatus, 11. Retributio, 12. Incomprehensibilitas. Ex his duodecim stellis aliqui pii, & devoti desiderantes laudare, & honorare B. Virginem, licèt eam laudare nunquam valeamus, cùm ex ea ortus sit Christus Deus noster, tantam tamen Dominam piè volentes honorare cum corona his duodecim stellis expressa, recitant ter *Pater noster*, & duodecim *Ave Maria*; ter recitatur *Pater noster*, ad honorem Sanctissimæ Trinitatis, duodecim *Ave Maria*, ad honorem Virginis, & ipsius prærogativas supra numeratas, sive ejus virtutes, quarum prima est Fides, 2. Spes, 3. Charitas, 4. Religio, 5. Humilitas, 6. Virginitas, 7. Fortitudo, 8. Paupertas, 9. Charitas fraterna, 10. Obedientia, 11. Misericordia, 12. Modestia; & sic recitant primum *Pater noster*, cum quatuor *Ave*; secundum *Pater noster*, cum aliis quatuor *Ave*, & tertium *Pater* cum quatuor reliquis.

Aliæ Virginis prærogativæ.

Pia corona recitatur in laudem Virginis.

160 Tertiò corona in capite Virginis ex duodecim fulgentibus stellis denotat omnes gratias, virtutes, prærogativas, ac omnia dona, quæ Deus B. Virgin. Mariæ contulit, duodenarius enim numerus perfectus est, & universitatem significat, quia non plura sunt astra Zodiaci, per quæ in toto anno decurrit Sol; sic omne astrum donorum, gratiarum, virtutum,

Omnia dona gratiarum ad virtutum in B. Virgine.

tum, ac prærogativarum, per quas verus Sol justitiæ, Christus Deus noster discurrit, illuminans in hoc Mundo suos electos; has omnes uni Virgini Mariæ dedit, & liberaliter communicavit in perfectissimo gradu.

161 Ingreditur Angelus ad Virginem, & ait salutans eam: *Ave gratia plena*, Luc. 1. n. 28. eam plenam gratia appellat; quod explicans S. Athanasius serm. de Deipara, ait: *Ut gratia plena appellata sit, utpote, quæ omni gratia abundaret*; & magis in rem nostram D. Bernardin. Senens. tom. 1. serm. 6. art. 5. c. 10. sic ait: *Excepto Christo, tanta gratia Virgini à Domino data est, quantum uni puræ creaturæ dari possibile esset*. Tanta gratia Virgini Mariæ data est, ut pura creatura majoris gratiæ non sit capax, cùm tanta ei data sit; quo posito -

Maria tãta gratia data est, quanta possibilis est dari puræ creaturæ.

162 Magna supereſt difficultas: Angelus salutans ait illi: *Ave gratia plena*; deinde subdit Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, Luc. 1. n. 35. profectò videtur, quòd non sit *gratia plena*; quæ ulteriorem à Spiritu Sancto gratiæ plenitudinem expectat; aut si plena jam est, vacare videtur Spiritus Sancti superventus ab Angelo promissus, nisi fortè sit quædam arcana plenitudinis exaggeratio, aliter planè profundit qui mittit in plenum. D. Basil. apud Catenam, exponens illa verba Mariæ: *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo*; sic profundè scribit de Marianæ gratiæ ineffabili immensitate: *Virgo sancta totam sibi hauserat Spiritus gratiam*. Ipsa Virgo plena gratiæ erat, at Spiritus Sanctus supervenit in eam, veluti ejus facultates amplians & extendens super vires, ac capacitates humanas: *Ut totam sibi hauriat Spiritus gratiam*; ut nihil sit gratiæ, ac cœlestis doni, quod in ea non sit, nam ultra *totum*, nihil adhuc supereſt, alioqui non esset *totum*, si aliquid supereſt. Ecce arcanum pelagus gratiarum Mariæ, quod quamvis ipsa dicatur *gratia plena*, adhuc expectat munificum Spiritus Sancti superventum: *Ut totam sibi hauriat spiritus gratiam*; quia tanta gratia ei communicata est, *quantum uni puræ creaturæ dari possibile est*.

Quomodo dicatur Virgo, totã gratiam Spiritus S. hausisse.

163 Quod maximè confirmatur; quia ex hac gratiarum, ac sanctitatum plenitudine, B. Virg. Mariæ collata, perillustre Spiritus Divini nomen, *Sancti*, sibi gloriosè mutuaverit, ut præclarè expendit Rupert. ad c. 1. Matth. *Spiritus Sanctus*, ait, *maximè in hoc filio suo nominatur, quia quod in ea natum est (ait Angelus) de Spiritu Sancto est; ante hoc Spiritus Dei, sive Spiritus Domini dicebatur*; *nec facilè in omni serie veteris testamenti reperies hoc insigne vocabulum, Spiritum Sanctum. Ab hoc loco ferè primùm sonuit in auribus nostris hoc reverendum, & insigne vocabulum proprium atque absolutum, Spiritus Sanctus*; *quam ob causam, nisi quia maximè ex hoc opere, quod in Maria operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quod verè sanctus sit?* Antea dicebatur Spiritus Dei, Spiritus Domini, Genes. 1. n. 2. nunc verò superveniens in Mariam dicitur Spiritus Sanctus, quia nunc maximè ejus sanctitas manifestatur, ac declaratur, dum Virginem tanta sanctitate ditavit, ac replevit; nam, ut ait S. Athanas. serm. de Deipara: *Spiritus Sanctus in Virginem descendit cum omnibus suis essentialibus virtutibus, quæ illi per rationem divini principatus adsunt, imbuens eam in gratia*. Ad alios Sanctos descendit Spiritus S. communicans unam, vel alteram virtutem; at verò ad Virginem cum omnibus suis essentialibus virtutibus.

Ex Maria sanctitate Spiritus Domini Sanctus publicatur.

164 Et quid mirum, quòd sanctissima Virgo, tot gratiarum donis fuerit locupletata, cùm summè fuerit dilecta à Filio suo Jesu Christo, vero Dei Filio, qui ex ore Davidis ad Deum Patrem suum orat: *Erue à framea, Deus, animam meam, & de manu canis unicam meam*, Psal. 21. n. 2. postulat: *Erue à framea*; hoc est, à gladio, & incursu inimicorum, qui sunt tanquam canes rabidi; & ait: *Animam meam*; Septuaginta: *Unigenitam*; & hoc loco, Anima, & unica tanquam synonima ponuntur. Sanè *unica* dicitur sua cuique anima, spiritus, & vita. Per animam, & unicam D. August. apud Lorinum, Deiparam mysticè interpretatur, quæ sic dilecta fuit à Christo Filio suo, tanquam ipsius anima. Christus ostendens magnitudinem suæ dilectionis erga suam sponsam Ecclesiam, prout includit omnes suos fideles, eam comparat cum suo corpore: *Nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis ejus, & de carne ejus, & de ossibus ejus*, ad Ephesios 5. n. 29. & 30. Anima ut nobilior corpore, in multo majori æstimatione, ac amore habetur, quàm ipsum corpus; sic & Virgo sanctissima in multo majori æstimatione, ac amore est apud filium suum, quàm tota Ecclesia, & inde dicitur *unica*, utpote summè dilecta, locupletata, ac exaltata super omnes puras creaturas, ita ut in tanta præeminentia sit ipsa unica. Cant. 6. nu. 8. *Una est Columba mea, perfecta mea*; Græcus: *Unica est columba*; ad quæ verba Honorius: *Tu una omnium transcendis merita, & ideo præ omnibus sola dilecta, columba mea, in qua transfudi spiritus charismata, perfecta mea, quam perfudi perfectione per virtutum munera*.

Virgo sic dilecta à Christo, ut anima sua.

QUÆSTIO XX.

Quare in manu Christi septem apparent stellæ, in capite verò Virginis duodecim.

165 Alit noster Joannes Apocalyps. 1. n. 13. quòd vidit similem filio hominis; scilicet Christum D. in medio septem candelabrorum aureorum: *Et habebat in dextera sua septem stellas*; *& facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua*; at nunc in nostro Apocalypseos loco, ait: *Signum magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*; *& habebat in utero*, &c. cur ergo in manu Filii Dei septem scintillant stellæ, in capite verò Virginis duodecim? & hoc dubium jam attigi; cap. 1. q. 62.

Difficultas quæritur.

166 Respondeo primò, quòd septem stellæ in manu, significant ea omnia, quæ Christus, ut verus Pastor, ac Pontifex, cujus personam ipse hic agebat, suis dat, ac communicat: septem namque sunt Sacramenta Ecclesiæ, septemque dona Spiritus Sancti, septemque principales virtutes, tres theologales, Fides, Spes, Charitas, & quatuor cardinales, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia; ad quas omnes morales reducuntur. Deinde septem sunt, quę Deus suis electis communicat in patria; tres animæ dotes, scilicet, Visio, Comprehensio, & Fruitio; & quatuor corporis dotes, videlicet Impassibilitas, Claritas, Agilitas, & Subtilitas, quæ latè theologi explicant cum D. Thoma in 4. dist. 49. qu. 4. art. 1. ad 4. dona ergo gratiæ, ac gloriæ, virtutum, ac meritorum, quæ Deus suis electis tam Angelis, quàm hominibus confert, septenario numero, qui quandam universitatem denotat, significantur, & ideò in manu Christi septem fulgent stellæ, *quibus è manu* Domini, justi coronantur; at in Capite Virginis Mariæ resplendet corona duodecim stellarum, quæ duodecim stellæ significant omnia dona gratiæ, gloriæ, virtutum, ac meritorum, quibus mirabiliter ejus corona irradiat, ac insignitur, duodenarius enim numerus, quandam universitatem denotat, ut dixi superiori quæst. nu. 100. Sed cur majori numero dona gratiæ, & gloriæ, ac meritorum B. Virg. denotantur, quàm omnium aliorum sanctorum hominum, & Angelorum? Quia in una sola Virgine Maria, majores sunt splendores gratiæ, gloriæ, justitiæ, ac sanctitatis, quàm in universa collectione omnium sanctorum, & Angelorum; & ideo corona quæ fulget in manu Christi, qua omnes electi condecorantur, septem stellis componitur; at corona B. Virg. Mariæ ex duodecim stellis conflatur, quia illa sola plus habet gratię, ac virtutum, & meritorum, quàm omnes alii electi, simul in unum congregati.

In Virgine Maria plus gratiæ, & gloriæ qui in omnibus Sanctis, & Angelis collectivè.

Secundò Filio hominis fulgentes stellæ ministrant, dexteramque adornant: *Et habebat in dextera sua septem stellas*. Ejusdem etiam Matri fulgentissimæ subministrant astra, & circumdant non dexteram, sed tempora: *In capite ejus corona stellarum duodecim*. Profectò capitis vextex manu est elatior; cur ergo si materi, ac filio inserviunt stellæ ad pompam, & ornatum, quomodo in Maria in eminentiori loco fulgent, in filio verò in depressiori? Bona pace filii, ea pro

167

Devoti, ac servientes Mariæ, magnam excellentiam & perfectionem coparant.

Mariæ laude se offert ratio, ut ait M. Emmanuel Nazera tom. 1. in Josue, Tract. Appendice de Maria, §. 24. num. 114. quòd Matri, & filio lumina sunt ad ornatum; astra septem in manu non matri, sed filio ministrant, duodecim verò & in capite matri addicuntur; sic Deus voluit matrem suam honorare, ut ea quæ ad matrem spectant, eique ministrant, quòd in alto lucis vertice fulgeant. Dicitur Cantic. 6. numero 7. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: Una est columba mea, perfecta mea: una est matris suæ electa genetrici suæ.* Reginæ illæ dicuntur, quæ tanquam sponsæ dantur in matrimonium supremo Regi; cur ergo hæ non decantantur ut singulariter electæ, & perfectæ ut columbæ, sed tantùm ea, quæ est matri, ac genitrici electa, ut perfecta columba proponitur? quia si per sponsum intelligitur Christus, etiam per matrem & genitricem denotatur Virgo Maria, ut docent Rupert. Guillelm. & alii; inde in honorem matris suę ordinat sapientia Dei, ut non dicantur puræ, perfectæ in omni re, quæ ipsi supremo Regi tanquam sponsæ uniuntur, sed quæ electæ sunt, ut ejus matri adhæreant, eique in obsequium, ac ministerium inserviant; sic tantum complacent divinæ providentiæ, qui ejus Matri adhærent, ut exinde de eis tanta perfectionis excellentia decantetur. Richard. de S. Laurent. lib. 3. de laud. Virg. Mariæ: *O felix anima, quæ eligitur ut adhæreat matri, ac genitrici Domini mei Jesu Christi, & inde tantam puritatem, ac sanctitatem haurit, ut sit veluti columba, & perfecta in omni virtute, & justitia.*

168 Tertio cùm Christus D. se per se solum ostentat, in manu habet septem stellas, at verò cùm in utero Virginis apparet, duodecim stellis coronatus prodit: *Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, & habebat in utero*; cur ergo hìc Dei filius in materno utero habitans, Sole, Luna, & stellis redimitur, in primo verò capite, paucioribus refulget astris? Tunc videt Joannes filium hominis, sed non in virgineo utero inhabitantem, & inde paucioribus stellis concomitatus prodit, at verò nunc conspicatus est eum, mundissimum pectus incolentem, & ideo mysterio, ac numero augentur stellæ, per matrem namque plures Cęlo acquisivit Verbum, quos non acquisierat sine matre. Stellæ justos in cœlesti gloria fulgentes denotant.

Plures Deo quodammodo per Mariæ meritum adduxit, quàm per se solum.

169 Postquam Filius Dei ingressus est uterum Marianum, ad eam ipse loquitur: *Venter tuus sicut acervus tritici*, Cant. 7. n. 2. sed quomodo ipse Filius Dei confertur cum acervo tritici, cùm ipse se granum frumenti appellet? Jo: 12. n. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*; si unum granum frumenti, quomodo acervus tritici? In quantum hoc granum frumenti in terram ventris Mariæ Virginis non descendit, unum solum erat, at verò postquam in illum ingressus, sic in fructu multiplicatur, ut fiat acervus tritici. Richard. de S. Laurent. lib. 4. de laudibus Virg. Mariæ: *Nisi granum istud in uterum virginalem velut in terram fertilem, & bene excultam, exercitio Spiritus Sancti, prius cecidisset per incarnationem, & post hoc in Cruce mortuum fuisset, ipsum solum mansisset: sed per ista duo, granum unicum factus est acervus magnus.*

Gentium vocatio intervertu Mariæ facta.

170 Dum Christus Dominus in utero Mariano formabatur, ei loquitur Æternus Pater dicens Isai. 49. n. 5. *Et nunc hæc dicit Dominus formans me ab utero servum sibi*; & statim loquens subdit, & dicit: *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob, & fæces Israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque in extremum terræ.* Ecce negotia, quæ in Virgineo utero, inter Deum Patrem, & Filium tractabantur, quod non solùm erat datus ad conversionem Israelis, sed etiam omnium gentium; & quomodo jam Deus non est contentus suo populo judaico, cum Deus olim de illo maximè gloriaretur? Psalm. 75. num. 2. *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus*; quomodo nunc non vult tantùm in Judæa contineri, sed in omnium gentium salutem diffundi? Quandiu Deus erat solus in sua sublimitate, valdè ei gloriosum erat in Judæa prædicari: *Notus in Judæa Deus*, at verò postquam ipse in utero Mariano formam servi accepit, in omnium gentium vocationem, ac salutem parabatur. Marianus uterus extitit officina, in qua fabricata sunt arma ad Diabolum destruendum, & ad salutem gentibus dandam. Proclus orat. 4. in die Natalis Christi: *Concurrant*, ait, *Reges quod Rex gloriæ pro regali trabea fasciis involutus sit. Accurrant Principes, quod Princeps ille pacis virginali officina, corporis arma cudens, eaque incontaminata deitate durans, iisdem Diabolum interemit.*

Per Deiparã gẽtes vocavit Deus.

Virgo officina salutis a Diabolum interimẽdũ.

QUÆSTIO XXI.

Quare stellæ non alio ordine, sed tantùm in modum coronæ apparent in capite Virginis.

171 POterant stellæ, in capite Virginis, in modum trianguli, vel pyramidis apparere; cur tantùm in modum coronæ se exhibent, quæ victoriam, ac trophæum denotat? Quia ex Mariæ patrocinio, ac afflatu semper in nobis corona victoriæ, ac triumphi nascitur. Cant. 4. n. 8. dicitur: *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano; veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Noti sunt hi montes, qui in terræ promissionis confinio siti, latè adsurgunt; sed cur Deus Deiparam ab ipsis per arduis montibus, quos *leonum* montes appellat, ad regiam, & triumphalem coronam vocat? & quomodo mitissima Virgo, pacatissima puella, dulcissima Deipara, melleam undique faventiam gratè spirans, *de cubilibus leonum*, ad triumphum, ac triumphalem coronam vocatur? Rupertus postquam explicat de corona, ac victoria, quam ipsa Virgo reportavit de leonibus infernalibus, dum ab omni morsu peccati extitit libera, explicat de corona, ac victoria, quam christiani principes intuitu, ac patrocinio Virginis obtinent de suis ferocissimis inimicis, quæ victoria cum ipsi Deiparæ sit attribuenda, etiam ipsa illa coronatur; sic ait cit. Rupert. lib. 3 in Cantic. *Credent in fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit. Itaque coronaberis, ut in Cœlis Regina sanctorum, & in terris Regina sis regnorum; atque in hoc intuitu, Reges, atque Imperatores coronis te coronabunt.* Expende, *in hoc intuitu*, seu patrocinio, coronas suas obtinebunt, & eas tibi referentes te coronabunt.

Ex Mariæ afflatu, victoria in nobis.

Omnis nostra victoria, Mariæ tribuenda.

De magno hebrææ gentis Duce, Moyse, refertur Num. 10. nu. 35. *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyses: Surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant qui te oderunt à facie tua.* Valde vulgare, & notum est, in typo, arcam Dei præcessisse eis, quibus omnia in figura contingebant, indeque notissimum in arca Virginem Mariam adumbrari, cujus umbra valdè efficax ad arcendos, fugandos, & detriumphandos hostes, & ideo cùm elevaretur arca, & non antea, clamabat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*; ac si valde esset consequens, ut ex elevata arca in auxilio populi, simul pro eo Dominus surgeret ad adversarios perdendos; undè meritò de Deipara, ait D. August. serm. de Nativit. B. Virg. *Virtus pugnantium, palma victorum.* Languet militaris ars sine vigore, quem Maria non spirat; quæ sic roborat suos, ut ipsa sit *pugnantium virtus, & palma victorum*; quod Georgius Nicomediensis, serm. 6. luculenter edisserit, sic illam obnixè invocans: *Siste suffragiis tuis commota in populum tuum bella; vindica potenti virtute gregem in te confidentem, nullum auxilio tuo firmius trophæum opponimus.* Profundo stylo loquitur Nicomediensis, nam Deiparæ *auxilium*, præpropere jam est *trophæum*, quia dum *auxilium* Marianum, ferocientibus licèt adversariis *opponitur*, præcoqua virtute, non solùm *auxilium* est, sed pugnæ victoria, triumphus, & triumphale sumptuosissimum trophæum, nullum enim firmius potest esse trophæum, quàm ubi tuum opponitur auxilium: *Nullum auxilio tuo firmius trophæum opponimus.*

172

Auxilium Mariæ hostibus opponendum velut palma, & trophæum.

Cum Sisara militiæ Chananæorum strenuus Princeps ab Israelitis fugeret, ad Jahelis tabernaculum con-

173

confugit, dixitque ad eam: *Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valdè; quæ aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere*, Judic.4.n.19. quo illum cautè perimere valuit; itaque ait Josephus: *Cum Sisara lac avidius gustasset, insomnum solutus est, & sic facilè obtrucatus lactis urbano lenocinio*. Verè S.Ambros.lib. de viduis ait: *Debora prælii prophetavit eventum, Barac justus produxit exercitum, Jabel cœpit triumphum*. Non vacat mystico sacramento, quod perillustre hoc triumphi facinus mulier perpetraverit. Adumbravit Mariam, quæ Diaboli caput, ac infernalis militiæ principem, lacte peremit, ut tradit Andreas eremita in Cod. MS. de excellenti dignitate Virginis, sic dicens: *Jabel Sisaram occidit hostem populi Dei, porrecto lacte: Tu quoque* (ô Deipara) *inimicum nostrum tuæ clementiæ dulcedine suffocasti*; quod non solùm de hoste invisibili intelligo, sed etiam de visibili, qui benigno, ac lacteo patrocinio Virginis Mariæ interficitur, ac perimitur, de eoque glorioſus victoriæ triumphus habetur: vide supra, quæst.17.n.144.

Auxilio Mariæ triumphus victoriæ.

QUÆSTIO XXII.

Quare simul in Maria resplendent Sol, Luna, & stellæ.

174 SUfficientissimum splendorem ex Sole, quo tota circumtegebatur, mulier hæc sanctissima mutuabat; quid enim Sole splendidius? cur ergo ornatur adhuc caput ejus luminosissimis syderibus, non uno, vel altero, sed duodecim? & quasi stellæ satis lucis non emitterent, nec fulgor earum ad ejus pedes non pertineret, Luna fulgentissima sub pedibus ejus datur? quid hoc est, maximè cùm Sol micantiùs ardet? Luna, & sydera abscondi solent; quomodo ergo Sol, Luna, & sydera simul in Maria fulgent?

Difficultas quæstionis.

175 Respondeo primò: Quia Sol, Luna, & stellæ apud veteres sunt symbola æternitatis, ut notavit Pierius lib.44. Hierogl. & ideo dicitur Psalm.88.num. 38. *Thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in Cœlo fidelis*; nam Sol, Luna, & stellæ semper perseverant, & non deficiunt. Inde Virgo Maria, Sole, Luna, & stellis exornatur, quia cunctæ virtutes, gratiæ dona, in B. Virgine semper habuerunt perennem perseverantiam, ac consistentiam, ex omni circumstantia, ac ex quacunque parte considerentur, & ideo ipsa Cant.6. nu. 9. dicitur: *Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*; *nimirum propter donum perseverantiæ*; ut ad hæc verba explicat Div. Bernard. serm.60. ex parvis; & tantum in omnibus virtutibus, ac virginitate, & puritate perseveravit sanctissima Virgo, ut æternitas virginitatis dicta sit à suo devoto, ac pio cultore Sancto Ildephonso, de Virginitate Mariæ, c.10. *Hæc fœmina*, ait, *sanctificationis vas est, æternitas virginitatis est, Mater Dei est, sacrarium Sancti Spiritus est, templum singulariter amicum factoris sui est*.

Virginitas ac virtutes Mariæ per severantes.

176 Secundò omnia cœlestia lumina, Sol, Luna, & stellæ convolant, & in unum uniuntur, ut Virginem Mariam componant, & exornent, ut omnibus sit manifestum, nihil in Maria, nisi lumen, nihilque omnino caliginis in ea esse; inde, in hac consideratione sippus Presbyter serm. de laudibus Mariæ; sic eam salutans, ait: *Ave Fons lucis, omnem hominem illuminantis; Ave Solis ortus, qui nullus ferre potest occasum*. Efichius eam cognominat *matrem lucis*; S. Thomas de Villanova, concione de Annuntiat. ait: *Tolle Solem, quid est in Mundo, nisi tenebræ? Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo?* Pulchrè de his stellis, ac hoc Sole ad Mariam dirigens sermonem loquitur D. Bernard. serm.7. de Maria dicens: *In capite ejus corona stellarum duodecim; dignum sanè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornat eas potius, quàm ornatur ab eis; quidnam coronent sydera, quam Sol vestit?*

In Maria totum est lux, & splendor.

177 Tertiò Virgo Maria vestitur Sole, Luna, & stellis, ut ejus pietas misericordia, ac benignitas in cunctos denotetur, nam sicut Sol, Luna, & stellæ, pro omni differentia temporis, sive die, vel nocte, seu diluculo indefectibiliter habent suas influentias; sic pietas, ac misericordia Mariæ incessanter pro omni momento, ac consideratione est in suos. Cantic.6 n. 9. dicitur: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol*. Auroræ, Soli, Lunæ simul comparatur, ut omnes ad ejus auxilium perenne confugiant, ut jam explicavi supra q.16. nu. 139. & ut omnes ejus misericordiam implorent; nam, ut benè ait Innocentius Papa III. ser. de Assumpt. *Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, Sol in die; nox autem est culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia: qui ergo jacet in nocte culpæ, respiciat Lunam, deprecetur Mariam; qui ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecetur Mariam;* addi poterat, ut similitudinem absolveret: Qui in die gratiæ vivit, respiciat Solem, deprecetur Mariam; nullus est enim, sive peccator, sive pœnitens, sive justus, cui B.Virgo ad æternam vitam, facem, & auxilium non præferat; hinc dicitur Cant.7. nu.4. de Virgine in persona Christi: *Collum tuum sicut turris eburnea;* nam sicut per collum vitales spiritus à capite descendunt in corpus, sic per Virginem à capite Christi, virtutes, & gratiæ in ejus corpus mysticum transfunduntur; ideo D. Bernardus serm. in Nativit. Mariæ appellat Mariam, *aquæductum gratiarum Dei*, ipsa est enim omnium gratiarum influxus dispensatrix, undè subdit Sanct. Doctor. *Non timeo dicere, quòd omnium gratiarum influxus quandam jurisdictionem habuerit hæc Virgo, de cujus utero, tanquam de quodam Oceano, divinitatis rivi, & flumina emanabant omnium gratiarum*.

Vestitus misericordiæ maximè convenit Virgini Mariæ.

Influxus gratiæ per Mariam in nos defecdit.

178 Quartò apparet Maria vestita Sole, stellis coronata, & Luna sub pedibus ejus: ecce quæ diversimodè lucent, in Maria videntur unita; ipsa non solùm Solis lucem spargit, sed etiam facem reluminat Lunæ. A Maria non tantummodo gratia Solis, sed etiam Lunæ fulgor diffunditur. In Luna Mariæ pedibus substrata, bona sublunaria designantur; in Sole Christus, justitiæ splendor. Ad quem Maria accedit, simul secum defert gratiam æterni Solis, & cumulum bonorum temporalium: *Omnia bona, ô christiane, tibi cum Maria Virgine veniunt*. Præclarè Rupert. sic ait: *Dicitur amicta Sole, ex quo Christum verum justitiæ Solem accepit in repromissione; Luna sub pedibus ejus, id est, temporalium bonorum claritas sub administratione ejus*. Outinam hoc saperent, ac intelligerent terrenarum rerum ambitiosi, ut toto animi affectu, ac devotione Mariæ Virgini inservirent, quocunque enim ipsa movetur, ac gressus suos dirigit, secum asportat vestitum suum justitiæ Solis, ac Lunam sub pedibus, ut à Sole diffundat radios gratiæ, & à Luna administrationem temporalium. Cùm populus esset in Cades, *mortua est ibi Maria, & sepulta in eodem loco*, Numer.20. nu.1. quid factum est ex absentia Mariæ? statim explicat text. *Cumque indigeret aqua populus, convenerunt adversùs Moysen, & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt:* Ubi Mariæ absentia intervenit, statim in populo est indigentia, & seditiosus tumultus contra Moysen. Carthusian. Numer. 20. artic.34. *Defuncta Maria fœmina sancta, populus indigut aqua, & incidit in magna peccata*. Sine Maria, nec temporalia abundant, nec virtutes florent; in Mariæ consortio, cœlesti protectione, populus aquæ torrentibus potabatur, & virtutibus micabat. Maria illa soror Moysis, typus erat Deiparæ Virginis, ex cujus patrocinio bonorum fertilis est vena, & fons inexhaustus virtutum. D. Bernard. *in Sign. magn. Omnibus*, ait, *omnia facta est, omnibus misericordiæ signum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi*. Omnia bona à Virgine Maria dimanant, ita ut sit ipsa justorum clypeus, virtutis fomentum, peccatorum auxilium, & in cunctis, opportunum remedium universis.

Spirituale, ac temporale donum ex Mariæ patrocinio.

Ex Maria absentia deficit spirituale, & temporale bonum.

179 Quintò cùm Sol rutilat, Luna, & astra abscondantur; quid ergo est, quòd modò Sol, Luna, & sydera simul fulgent? Sol in Maria non minus, ac antea splendidus, sed minus absersus; dum ergo Maria Sole vestitur, Luna, & astra mirificè lucent, nam quidquid est Marianæ gloriæ ornamentum, Lucæ, ac stellis concessum est in augmentum. Dum Maria pro sua ingenti gloria Sole vestitur, alia cœlestia lumina-

Gloria Mariæ nostrum est ineremëti.

minaria non obfuscantur, sed potiùs tunc de beneficio gloriæ Marianæ splendidiùs nitent. D. Bernard. in *Sign. magn. Dignum*, ait, *planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clariùs micans, ornat eas potiùs quàm ornetur ab eis; quidni coronant sydera, quam Sol vestit?* Astra dum Marianæ pompæ famulantur, lucrosè inserviunt, potiùs namque ornantur, quàm ornent: Maria ergo Sole vestitur, & fulgidiùs astra lucent, ut non solùm à Phœbo obfuscentur, sed potiùs, quòd majoris lucis tributo nobilitentur, omnis enim splendor gloriæ, quæ est in creaturis, à Maria relucet, ac resultat gloria. Ecclesiastic. 42. num. 6. dicitur: *Sol illuminans, super omnia respexit: Gloria Domini plenum est opus ejus.* Hoc opus plenum gloria Domini est sanctissima Virgo Maria, ut explicat Richard. de S. Laurentio, lib. 10: de laudibus B. Mariæ: *Inter omnia hujus artificis* (Dei) *opera, Maria speciale est opus, de quo dicitur: Gloria Domini plenum est opus ejus; quam ad hoc fecit, ut quod de priori artificio fuerat, reformaretur;* quod etiam docet Div. Bonavent. in speculo Virg. c. 7. Sol ergo justitiæ Christus Deus noster respexit super omnia opera sua, suum speciale opus Virg. Mariam, totum plenum gloria, & majestate sua; quid inde

De gloria Mariæ, omnes cœlites participant.

factum est? Sicut de Verbo Incarnato dicitur: *Plenum gratiæ, & veritatis*; & statim subditur Joan. 1. n. 16. *De plenitudine ejus nos omnes accipimus;* sic etiam ad imitationem filii sui, nos omnes ex plenitudine gloriæ Mariæ, per ejus patrocinium, & intercessionem divitiis gloriæ condecoramur. Alb. Magn. homil. super *Missus est*, sic ait, *Maria plena gratiæ, de cujus plenitudine omnes filii Adæ pauperes, & egeni divites facti sunt.*

180 Sextò omnia cœlestia lumina, Sol, Luna, & stellæ in unum adunantur in Maria, ad denotandam ejus gloriam in cœlestibus, quæ tanta est, & sic exuperat nostrum intellectum, ut à nulla creatura valeat comprehendi, undè ait D. Joannes Damasc. Orat. 1. de Dormit. *O præclarissimum opus excelsum! quid hoc tibi affert, ut cum Deo præsens sis? nam cum omnibus quoque aliis numine divino afflatis, Dei famulis, istud divino numine concessum sit; at infinitum tamen Dei servorum, ac matris discrimen est.* Gloria Deiparæ, respectu ad Cęli proceres tanta est, ut *infinitum discrimen*, Damascenus inter utrunque agnoscat, nam dignitas maternitatis Dei, quandam infinitatem importat super dignitates aliorum procerum; inde Beatæ Deiparæ gloria, cùm correspondeat gratiæ maternitatis, quæ quantum dici fas est, quandam suo modo infinitatem importat, exinde luculenter Damascenus *infinitum discrimen* tradit inter opulentiam Marianæ gloriæ, ac aliorum gloriæ censum.

Infinitum discrimen inter gloriã Mariæ, ac aliorum servorum Dei.

181 In hac consideratione ait D. Ildephons. lib. de Virgine Maria c. 12. *Gloria, quæ eam de hoc Mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem; de qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te gloria Dei.* Esto beata gloria, quæ Deiparam de hoc Mundo migrantem excepit, *finem nesciat*, alioquin à beatitudinis excellentia desciceret, tamen quo pacto *principium ignorat*, quæ cum ejus ex hac vita migratione cœpit? an Beatæ Deiparæ gloria sine principio incępit? O arcanum Marianæ gloriæ, quæ sic planè incępit, ut æternitatem inceptione æmuletur, illiusque vestigia sequatur, & sic humanum captum transcendit, illamque non valet mens nostra considerare, utpote *principium ignoret, finem nesciat*; & inde potiùs ignoratione æstimanda est, & humana admiratione veneranda; *quia gloriosa dicta sunt de te gloria Dei.* Porro talem, tamque ineffabilem gloriam decebat eam, quæ vera Dei mater est, & Dei gloria verè nuncupatur.

Tanta est gloria Mariæ, ut dicatur quod principia ignorat, finẽ nesciat.

182 Ait regius Vates Psalm. 44. n. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate;* quæ verba de gloria Deiparæ interpretantur S. Athanasius serm. de Deipara, S. Ildephonsus serm. 1. & 2. de Assumptione, Petrus Damian. serm. de Assumpt. Georgius Nicom. orat. de oblatione Deiparæ. Et optimè Regina Cœli Virgo Maria dicitur sedere à dextris supremi Regis filii, nam ut ait D. Bernardin. to. 3. serm. 11. art. 3. *Sicut benedictus Jesus sedet à dextris Patris, id est, in superioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis filii sui Jesu juxta ipsum in throno sublimata consedit.* Christus Deus in empyrea cœli gloria, à dextris Dei Patris gloriosè sedet; Dei mater sedet etiam ad dexteram Filii Dei, quæ est in pura creatura nobilioris glorificationis meta, nam Christus Filius Dei dicitur sedere *ad dexteram Dei*, Marc. 16. num. 19. hoc est, in altissima, suprema, ac honorifica gloria, qua potitur, & sedet *in superioribus bonis paternis*, utpote verus filius Dei; sic & Deipara, ut vera Dei mater, maternitatis privilegio fruens, sedet ad dexteram filii sui, hoc est, *in potioribus bonis filii sui Jesu*, qui est filius Dei, cujus altitudinis gloriam, nec cogitando pura creatura valet assequi, cùm sint hæc *potiora bona*, à Patre Deo, Deo filio communicata, & per sessionem à dextris exposita, & explicata; quæ cum sint *potiora bona* filii Dei, matri Dei Virgini Mariæ in hac à *dextris* etiam sessione, quantum fas est, communicata, & declarata.

Deipara sedet à dextris Filii sui in potioribus ejus bonis.

Ait Isaias 42. n. 8. *Ego Dominus; hoc est nomen meum;* 183
gloriam meam alteri non dabo. Communiter hæc gloria putatur laus, seu honor, cujus statim meminit Vates; tamen Richard. à Sancto Laurentio, lib. 4. de laudibus B. Virg. sic in rem nostram scribit: Isai. 42. *dicit Deus Pater: Gloriam meam, id est, Filium meum, quàm Mariæ; quia Soli Mariæ hoc privilegium debebatur.* Itaque ait Deus Pater: *Gloriam meam*; id est, laudem, & honorem meum, *alteri non dabo*; sic intelligendum; alteri præter Virg. Mariam non est dandus; Gloria patris est filius, qui filius nulli alteri est datus nisi tantùm Virg. Mariæ: ergo etiam suo modo communicata est ei gloria patris, cùm verus utriusque sit filius quæ est summa Deiparæ gloria, laus, & honor, undè Joannes Geometra hymno 1. sic ait: *Gaude, quæ Regem genuisti sola polorum, cœlitumque tibi est à Triade alter honos.* Ex genito filio Dei tantum est fastigium gratiæ, & gloriæ Virginis Mariæ, ut *tibi sit à Triade alter honos;* laus & honos Trinitatis ex genito Filio, & procedente Spiritu Sancto tantus est, ut excellat super reliquorum cœlitum junctim honores. *O Virgo, Tibi est à Triade alter honos;* nam ex Filio Dei à te genito, Spiritu Sancto cooperante, tibi est tanta gloria, & honos, ut omnes cœlites simul sumptos superes, & excedas.

Deus Pater, alteri præter Virginẽ gloriã suam non dat.

QUÆSTIO XXIII.

Quare in corpore Virginis Mariæ fulget Sol; stellæ verò scintillant in capite ut eminentiori loco.

SImilem difficultatem supra excitavi de hac mu- 184
liere, prout significat Ecclesiam qu. 8. nunc verò in laudem Virg. Mariæ eandem difficultatem repetimus; & maximè expensione dignum, quòd hæc mulier appareat vestita Sole, & stellis coronata Sol inter omnia astra præstantissimus; cur ergo ei præstantior non assignatur locus, ut mulier vestiatur stellis, & coronetur Sole? cur ex Sole talis corona non fabricatur?

Difficultas quæstionis.

Respondeo primò, quòd Sol Christum D. verum 185
justitiæ Solem significat; stellæ verò Virginis virtutes; sic loquitur D. Bern. serm. in *Signum magn. Dignum planè stellis coronari caput*, & subdit: *Speciali quodam splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, devotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis.* Benè ergo non Sole, sed stellis circumcingitur caput; quamvis enim in sanctissima Dei Genitrice, ob maternitatem Dei, multæ, & præclarę prærogativæ, ac dona refulserint, ut communiter docent Patres, & dixi modò in hoc libro, & to. 1. ac 2. in Evang. tamen in Cœlis, die suæ triumphalis assumptionis, non ei imponitur corona præcisè, ac solummodo ob maternitatem talis filii, sed ob radiantes stellas suarum virtutum, non enim coronatur ex favore ob filium, sed ex justitia ob præclara merita.

Virgo coronatur in Cœlis non ex favore, sed ex justitia.

Secundò Virgo Maria vestitur Sole, ob suam sin- 186
gularem puritatem, ac sanctitatem, quæ tanta est, ut etiam in ipsa luce meridiana, nullus etiam minutissimus defectus in ea videri, ac introspici valeat; stellis

coro-

coronatur, quia ipsa est stella maris, oppressos naufragantes in hoc sæculo ducens ad portum salutis, ac vitæ. D. Epiphan. hæres. 78. sic ait: *Beata Maria non fortuitò, aut solùm placito, sed divina dispensatione accepit. Interpretatur stella maris: Oportet universos Christicolas, inter fluctus hujus sæculi confugere ad Mariam, quæ supremo rerum cardine, Deo proxima est; quod qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis adversariorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prosperè veniet ad quietis æternæ portum.* Solaris ergo vestitus dona, & merita Virginis denotat, stellata verò corona, ducatum quem miseris naufragantibus præbet, indicat; & huic piissimæ, ac misericordi matri, sic in corde est, miseris subvenire, ut hoc tanquam quid maximè sublime, ac æstimabile in capite, ut in superiori loco constituat, ac collocet, cùm cætera sua depressiùs in vestitu innuat.

Virgo super omnia sua æstimat subvenire miseris.

187 Tertiò Maria idem valet, ac stella Maris, ut dixi ex D. Epiphan. & etiam docet D. Hieronym. lib. 1. de nom. Hebraic. in Exod. stella ergo denotat nomen Mariæ, inde stella supremum capitis verticem tenet, cum ejus præclara merita, ac dona in solari vestitu denotentur, nam inter omnia illius magnalia, sanctissimum Mariæ nomen, altissimum fastigium occupat, cùm sub illo, tanquam sub quodam sigillo, omnia excelsa illius contineri videantur. Sic ait Sanctus Ennodius in natali S. Laurent. dict. 15. *Dei genitricem munit securitas, & sacramentum nominis sui*; invocato nomine Mariæ, citò nobis securitas est, auxilio divino maturante, ac ex impetrata per ejus intercessionem gratia, veluti, ut ita dicam, ex quodam *sacramento* Mariani nominis, quod sub se gratiam, ac cætera dona continet; undè de hoc sacratissimo Mariæ nomine agens Idiota sic scribit libro Contemplat. de Virgin. Maria cap. 5. *Omnis lingua confiteatur hujus sanctissimi nominis gratiam, gloriam, & virtutem.*

Maria nomen veluti quoddam Sacramentum.

188 D. Chrysologus serm. 146. *Mariæ nomen, Prophetiæ germanum est, hoc Virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc collegium sanctitatis: meritò ergo matris Christi nomen est hoc maternum*; scilicet augustum Mariæ nomen, Dei matrem decet divinæ maternitatis jure. Pro quo singula verba Chrysologi expendamus: *Mariæ nomen Prophetiæ germanum.* Est Mariæ nomen quoddam arcanum: *Prophetiæ germanum*; nam, ut ait Petrus Damian. serm. 13. *Juxta sui præsagium nominis*; & eleganter D. Ambros. de Institut. Virgin. c. 5. *Speciale Maria Domini nomen invenit, quòd significet, Deus ex genere meo*; undè consultissimè Angelus cum ad Mariam Virginem mittitur eam salutans ait illi: *Ave gratia plena Dominus tecum.* Cùm nuntii novitate Virgo turbaretur, subdit Angelus: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium*, Luc. 1. num. 30. cur Angelus, quando eam primò nominat gratia plenam, ibi nomen Mariæ non apponit, sed tunc subticet, & illud tantùm profert, cùm ait: *Ne timeas Maria*; *ecce concipies in utero*? Sic est Mariæ nomen divinæ incarnationis cognatum, ut tunc dicatur, quando ipsum incarnationis mysterium jam proponitur, ac prædicitur propinquum; sic Marianum nomen auspicium divinæ maternitatis est, ut tunc dicatur, quando ipsa divina maternitas aperitur; Maria enim *significat Deus ex genere meo.*

Maria juxta sui nominis præsagium significat Deus ex genere meo.

189 *Virginitatis insigne*; quod Dei maternitatem notanter ostendit, & insigniter condecorat, nam quæ sola Virgo ex toto erat, summam puritatem gignere poterat, ut ait Div. Ildephons. lib. de Virg. Maria. Ingreditur Jesus domum Pharisæi, *& ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi attulit alabastrum unguenti*, Luc. 7. n. 37. posteà verò scribit idem Evangelista cap. 8. n. 2. & 3. quod cùm Jesus per varia loca prædicaret regnum Dei, aliquæ piæ mulieres eum sequebantur, *Maria quæ vocatur Magdalene..., & Joanna uxor Chusæ Procuratoris Herodis, & Susanna, & aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Alta indagine inquirunt interpretes, cur Mariæ nomen tacetur in primo loco, in secundo verò exprimitur? in primo loco, nomine communi mulier dicitur, in secundo, proprio Mariæ vocabulo refertur? si eadem erat mulier in civitate peccatrix, & quæ Christum sequebatur, cur nomen ejus Maria in uno loco tacetur, & in altero exprimitur? O magnum arcanum reverentiæ Mariani nominis! sic ab omni peccati contagio est alienum, cum omnique justitia, ac sanctitate confœderatum, ac conjunctum, quòd dum mulier peccatrix scribitur, proprium nomen Mariæ supprimitur, at verò dum opus sanctum, pium, ac religiosum commemoratur, ibi Mariæ nomen habetur. Richardus de S. Laurent. cap. 2. *Ita enim*, ait, *nomini Mariæ Virginitas, ac sanctitas inseparabiliter sunt adjuncta, quòd, cùm agit B. Lucas cap. 7. de pœnitentia Magdalenæ, propter ejus nominis reverentiam, non ausus fuit Mariam, sed mulierem nominare; & paulò post, scilicet cap. 8. cùm dicit eam justificatam à Domino de suis facultatibus illi ministrare, vocat Mariam.*

Maria nomen maximè conjunctum cum sanctitate, ac puritate.

Sic subdit Chrysologus: *Hoc pudicitiæ decus, hoc* 190
indicium castitatis. Ubi nomen Mariæ proponitur, ibi sanctitas, puritas involvitur, ac denotatur cum omni gratia, ac dono cœlesti. Missus Angelus à Deo ad Virginem dixit ei: *Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*, Luc. 1. num. 28. & cur in auspicio salutationis, nomen Mariæ tacet, ac dissimulat, illudque postmodum interponit dicens: *Ne timeas Maria*? Perbellè Albert. Magn. in cap. 1. Luc. sic ait: *Omittit Angelus interponere nomen, Maria, quia in dicto temporis nominandum erat, postquam gratiæ ejus fuerant explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur.* Magna Virginis salutatio à fausto Mariæ nomine non inchoatur, sed à gratiæ pleni tudine; & consultissimè sanè, prævio eloquio appellatur ab Angelo *gratia plena, benedicta in mulieribus*, ut gratiarum plenitudo, & sanctitatum cumulus, quibus Mariæ nomen refertum est, ad significationis intelligentiam præmitterentur, aliàs gratiarum, ac prærogativarum amplitudo, quibus ubertim nomen exundat, non intelligeretur; undè Angelus in salutationis auspicio sacrosanctum *Mariæ* nomen non profert, sed *postquam gratiæ ejus fuerant explanatæ, sine quibus tam plenæ significationis nomen non intelligeretur.*

Ad intelligendum Mariæ nomen, gratia præmittitur.

Hoc Dei sacrificium, collegium sanctitatis. Tanta est 191
efficacia Mariani nominis, ut veluti quoddam sacrificium de præbenda gratia apud Deum æmuletur. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, & nomen Virginis Maria; & ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena*, Luc. 1. n. 26. 27. & 28. Consultò Evangelista non statim in hujus narrationis vestibulo perillustre Mariæ nomen publicat, sed dum illi virginitatem præmisit, illique succedentem gratiam subdidit; quod pulchrè adnotavit Richard. his verbis, lib. 1. de Maria cap. 2. *Et nomen Virginis Maria: benè autem immediatè jungitur Mariæ virginitas, eò quòd non solùm nomine præferat, sed aliis præbeat gratiam sanctitatis.* Nomen Mariæ inter gratiam, & Virginitatem ponitur, quia cunctis præbet cœlestia dona.

Mariæ nomen gratiam cunctis præbet.

Oleum effusum nomen tuum, Cantic. 1. num. 2. quod 192
de nomine sanctissimæ Virginis Mariæ interpretatur Rupertus: *Effusum ergo est oleum, ideſt, nomen tuum, quia processit de secreto substantiæ tuæ, verbum tuæ fortitudinis cum suavitate miserationis.* Pro eo, quod nostra Vulgata habet, *oleum effusum nomen tuum*, Arabicus vertit, *nomen tuum unguentum suave effusum.* O sanctissima Virgo, tuum Marianum nomen unguentum est effusum, peccatoribus dans medicinam, & sanitatem, justis perennem vitam, & salutem, eosque in suavissimos justitiæ, & sanctitatis fructus germinare faciens, & omnibus cœlestibus spiritibus dulcedinem ac jucunditatem præbens, ac diffundens, D. Bonavent. in Ruth. 4. nu. 11. *O celeberrimi nominis Maria; quomodo posset nomen tuum non esse celebre, quæ etiam devotè nominari non potes, sine nominantis utilitate? O magna, ò pia, ò multum laudabilis Maria! Tu nec nomi-*

Maria nomen salutiferum, ac utile.

nari

nari potes, quin accedas, nec cogitari quidem quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus tibi insita, piæ memoriæ portas ingrederis. Ecce quàm augustè salutare Mariæ nomen, & quàm opulenta gratiarum usura nominandum.

193 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi, ex aromatibus mirrhæ, & thuris?* Cantic. 3. n. 6. Vox est, ut docent D. Gregorius Nyssen. D. Ambros. Theodoretus, Angelorum cùm B. Virgo Maria Cœlorum palatia ingrederetur; sed quomodo Angeli empyrei Cœli Reginam ignorant, cùm Angeli frequenter cum sanctissima Virgine Maria habuissent colloquia? Gabriel Angelus, cùm incarnationis nuntium defert, Angeli in præsepio, in Ægypto, ac ejus itinere; cur ergo Angeli non solùm hoc loco, sed etiam sæpè in Cantic. avidè scisciantur: *Quæ est ista?* Non quod suam Reginam nesciant, sed quòd devoto obsequio desiderent, gratum Mariæ nomen in Cœlo sibi responderi, ejusque auditione delectari, nam non tantùm in terris, sed etiam in Cœlis dulcissimum *Mariæ* vocabulum, festo cunctorum obsequio & beatis laudibus lætanter celebratur. Richardus à S. Laur. lib. 1. *Quæ est ista*, &c. *Forsitan, quia dulce Mariæ nomen sibi desiderant responderi; sicut enim antiquis Patribus, Isaiæ, & cæteris, nomen Domini in desiderio erat, ut scilicet inter homines nominaretur Christus, & qui notus erat in Cœlo effunderetur in terris, sic Angeli Mariæ nomen desiderabant nominari, & in notitiam effundi, ut non intra terræ terminos clauderetur, sed etiam celebre haberetur in Cœlis.* Ideò Angeli dissimulant nomen Mariæ scire, ut dulcissimè illud audiant.

Angeli dissimulãt nomen Mariæ scire, ut illud dulce audiant.

QUÆSTIO XXIV.

Quare hæc Mulier in hoc Signo magno amicta Sole, & stellis coronata, virum justum, ac sanctum significat.

194 IN sensu mystico, per hanc illustrissimam mulierem, in hoc Signo magno, animam justi interpretantur Victorin. Rupert. D. Bonavent. Hugo, & alii, ut ex dicendis patebit, quod profundiùs per singulas circumstantias est examinandum.

Anima justi.

195 *Signum magnum apparuit in Cœlo.* Quare hæc mulier, seu anima Justi, dum syderibus fulget, Lunam terit, Sole vestitur, Signum magnum nuncupatur? Cardinalis Hugo: *Signum enim*, ait, *aliud effert sensui, aliud repræsentat intellectui; sic vita sanctorum, oculis corporis non repræsentat, nisi miseriam, sed oculis mentis repræsentat æternam gloriam.* Vita Sanctorum, est veluti quoddam signum, nam oculis corporis objicit labores, miserias, ac languores, oculis verò mentis gloriam, & lumen æternum.

Vita Sanctorũ aliud oculis corporis, aliud menti objicit.

196 Deinde Luna, una est è duobus luminaribus magnis, quæ Deus creavit: *Fecit Deus duo luminaria magna*, Genes. 1. & tamen sub pedibus conculcatur, stellæ verò ita sublimantur, ut in capite constituantur; quidnam id denotat? Luna quamvis sit luminare magnum, suos patitur defectus, proindeque Principes sæculi significat multis criminum maculis infectos, scintillantes verò stellæ benemeritos adumbrant, ut ex Div. Bernard. supra dixi; hoc autem, quod est potentes sæculi pedibus conterere, fulgentes meritis tanquam stellas ad caput sublevare, hujus terrenæ habitationis non est, sed tantùm cœlestis Palatii, & inde appositè dicitur: *Signum magnum apparuit in Cœlo*; in quo solùm talis rerum dispositio invenitur.

In Cœlo, & non in terra potentes sæculi deprimuntur, & benemeriti sublevantur.

197 *Amicta Sole.* Genus vestis, vel amictus operit membra, ac tegit, Sol verò detegit, ac manifestat; cur ergo hujus sanctæ animæ amictus Sol est? Quia pudicitia, ac continentia, quæ Sole significatur, omnibus manifesta esse debet, adeo ut parum sit aliquem purum, castumque esse, nisi etiam videatur, & puritatem ipsam vita, moribusque, incessu, & verbis præferat, & probet. Ad hoc spectat illud, quod dixit Tertull. de cultu fœminarum, ubi c. 13. agens de operibus indubitatæ pudicitiæ, ait: *Hæc sunt, quæ nos luminaria Mundi faciunt, bona scilicet nostra; pudicitiæ christianæ satis non est esse, verùm & videri.*

Vera pudicitia aliorum oculis patet.

Deinde Mulier apparet *amicta Sole, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* In stellis Majores designari tenet Rupert. apud Glossam; ita ait: *In capite hujus mulieris corona stellarum, duodecim Patriarchæ, itemque in initio renascentis ejusdem duodecim Apostoli notissimi, ac splendidi dinumerantur.* Rectè hæc mulier dicitur Signum magnum, nam inde maximè magnitudo hujus mulieris ostenditur, quod cum splendidissimis Majoribus orta dignoscatur, ex suis meritis amictum Solis comparavit; in stellata corona fulgent Majores, quos si consideres, invenies Abrahamum sanctitate celebrem, Isaacum obedientia mirabilem, Jacobum laboribus invincibilem, Davidem pœnitentia, ac moribus commendabilem, & inde summum ejus elogium est, quòd cùm à tot luminibus exorta prodeat, ex suis tamen meritis Solarem fulgorem comparavit; syderibus Majorum, ex suo Solem addidit: *Amicta Sole* dicitur; de progenitorum gloria nitet corona stellata, progenitorum gloriam solaribus radiis vincit, vestita ex propriis. Cùm Christus Dominus Zachæi domum ingrederetur, ait illi Dominus: *Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse filius sit Abrahæ*, Luc. 19. num. 9. cur Zachæus hìc filius Abrahæ nominatur? ut inde maximè ejus gloria prædicetur. Patris exempla ad magna filium impellebant, tamen filii opera, patris facinora superant. Abrahamus tres Angelos, Zachæus verò Angelorum Dominum hospitio suscipit, indeque filius illustrior, non tantùm ex parentum elogiis, sed etiam ex propriis factis. D. Bruno serm. in dedicatione Ecclesiæ sic ait: *Abrahæ nati quique filii sunt, quicunque Abraham imitantur, & Abrahæ opera faciunt: & Abraham quidem Angelos, Zachæus verò Angelorum Dominum hospitio suscipit.*

198

Ex gloriosa familia pronatis majorum laudibus addere tenentur.

In capite ejus corona stellarum duodecim. D. Bonaventura lib. de gloria Paradisi cap. 2. per hanc mulierem intelligit animam doctoris justitiæ, & sapientiæ divinæ, qui tanquam Sol resplendet in Mundo, & habet plenam pietatem, quæ per Lunam, utpotè valdè humidam denotatur; corona verò stellarum significat aureolam doctorum, undè eorum stellæ sunt duodecim, quia duodenarius numerus est abundans, & perfectus. Ex quo intelligitur, quòd doctrina sacræ Scripturæ sit abundantissima, ac valdè perfecta omni justitia. Tamen aureola virginum solùm ex floribus contexitur, martyrum lapidibus pretiosis; quomodo ergo ea, quæ est doctorum, componitur ex stellis quæ flores, & lapides pretiosos latè superat? Videtur sanè, quòd doctorum laureola in Cœlis, aliis est perfectior, & excellentior; sic innuit citat. D. Bonavent. *Aureola*, ait, *datur tribus oneribus operum; prima datur virginibus, & hæc florea est, martyribus, & hæc est gemmea, doctoribus, & hæc est stellata; aureola florida datur virginibus, quia honore virginitatis floruerunt, undè & Psalm. 8. dicitur de Virgine virginum Christo, & agno, quem sequuntur: Gloria & honore coronasti eum; aureola gemmea datur martyribus, quia instar lapidis fortissimi, & pretiosi fuerunt, undè dicitur Psal. 22. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso; aureola stellata doctoribus, quia divina docuerunt, undè dicitur Daniel. 12. num. 3. Qui docti fuerunt fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam edocuerunt multos, quasi stellæ ad perpetuas æternitates; stella superior est floribus, & lapidibus pretiosis, inde & hæc corona illustrior.*

199

Aureola Doctorum in Cœlis excellentior aureolis aliorũ.

QUÆSTIO XXV.

Quare hæc mulier virum justum, & sanctum significans, Lunam pedibus calcat.

LUna symbolum est rerum temporalium propter sui augmentum, & diminutionem; & quid est, quod sub pedibus animæ justi tenetur? Rupert. *Hoc ergo laudi est sanctis Patribus, quòd divites quidem fuerunt*

200

Justi divitias dominantur, & earũ amore non tenentur.

fuerunt, ſicut ſacræ hiſtoriæ tradunt, ſed ipſas divitias non paſſi ſunt affectibus dominari, ſed ipſi dominati ſunt divitiis, eas diſpenſando, ut poſcebat uſus privatus, ac publicus. Patres, licèt ditiſſimi fuerint, ipſis divitiis dominabantur, & earum amore minimè tenebantur, & eas diſtribuebant prout uſus rerum privatus, ac publicus prudentiſſimè exigebat.

201 Secundò venuſtatem animæ ſanctæ comparat Spiritus S. cum pulchritudine Lunæ: *Pulchra ut Luna*, Cantic. 6. nu. 9. & ſi pulchra ut Luna, quomodo pedibus ſuis eam calcat? ut inde diſcas venuſtatem corporis eſſe contemnendam, nihilque æſtimandam illius pulchritudinem: *Pulchra ut Luna* anima ſancta eſt, ſed quæ Solem veſtit, Lunam pedibus calcat, digna namque eſt, ut Sole veſtiatur, quæ pulchritudinem negligit, formæ decorem contemnit.

Pulchritudo corporis contemnenda.

202 Tertiò in Luna viri Juſti exprimuntur, ut vult Victorin. citand. ſed quid juſto cum Luna inconſtantiæ ſymbolo, cui etiam ſtultus comparatur? Eccleſ. 27. *Stultus ut Luna mutatur.* Verum hoc eſt, tamen Luna habet diminutiones, & obſcuritates, quæ ibi non conſiſtunt, ſed ſemper ad augmentum, ac plenitudinem tendunt, ac properant. Ecce cur Sancti Lunæ aſſimilari poſſunt; nam ſive minuantur aliquo lapſu, ſive laborum tolerantia, hoc eis in augmentum proficit. S. Victor. Martyr: *Luna ſignificat caſus corporum, & debitum mortis, quæ deficere nunquam poteſt; nam quemadmodum minuitur vita, ſic & augetur, neque in totum extincta eſt ſpes dormientium, ſed habent in tenebris lucem, ſicut ſtellæ.* Expende illud: *Minuitur vita, ſic & augetur*; nulla enim diminutio ſanctis contingit, quæ non eis proficiat in augmentum. Ait regius Vates Pſal. 40. nu. 4. *Univerſum ſtratum ejus verſaſti in infirmitate ejus*; hoc eſt: Univerſum ſtratum, ſeu accubitum, quo animus jacebat in medio ſuæ voluptatis, ac concupiſcentiæ ſuæ, tanquam in ſuaviſſimo ſtratu, tu verſaſti, ſeu mutaſti in duritiem ægritudinum, ac laborum, ut animus exiens à ſua concupiſcentia, per viam ſalutis incedat. Div. Gregorius lib. 32. Moral. c. 15. rectè dicit: *Univerſum ſtratum ejus, verſaſti in infirmitate ejus; ac ſi diceret: Omne quod hic ſibi paravit ad requiem, hoc ei mutaſti ad perturbationem. Quod pio quidem Dei conſilio agitur, ut hujus peregrinationis tempore, electorum vita turbetur, via quippe eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus, & idcirco hìc occultò judicio, frequenter perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus.*

Labores ſic Sanctis contingũt, ut eis proficiant in augmentũ.

203 Quartò quid eſt, quòd cùm mulier Solis fulgoribus, ac radiantibus ſtellis exornatur, antiquus ſerpens ejus greſſibus inſidiatur, ſub ſpecie Lunæ, quæ eſt ſtultitiæ ænigma, imprudentiæ exemplar: *Stultus ut Luna mutatur*, Eccleſiaſt. 27. ſic frequenter contingit; quantò quis magis ſapientia fulgurat, virtute irradiat, tanto magis ſtultus contra eum armatur, eique inſidias prætendit. Pulchrè D. Bernardus ſerm. in *Signum magnum*. *Unicus ille ſtultus, & totius ſtultitiæ princeps, qui verè mutatus, ut Luna ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus, miſeram patitur ſervitutem. Cujus planè calcaneo in multis verſutiis inſidiatus eſt, ſed ſine cauſa.* Cùm mulier reſplendet Sole, irradiat ſtellis ſapientiæ, virtutis, ac doctrinæ, tunc à Luna ſtultiſſima, ideſt à Dæmone, qui *Sapientiam perdidit* maximè inſidiatur: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*; ſic frequenter accidit, ut inſipiens inſidietur ſapienti, ac ſplendentem ejus lucem maximè infuſcare, ac extinguere intendit, ejuſque ingenium obrodere, ac lucem minuere, totis viribus contendit.

Stultus contra ſapientem armatur, eique inſidias prætendit.

204 Poſt adventum Spiritus S. Apoſtoli, diſcipuli, ſeptemque Diaconi illuſtriſſimi electi, Chriſtum prædicabant, & diſputantes judæos confundebant, tamen ſtultitia phariſaica potiſſimè armatur contra Stephanum, per falſos teſtes, quem lapidavit, ita ut ipſe primus fuerit, qui pro Chriſto vitam, ac ſanguinem profuderit; & cur tam duriſſimè Phariſæi contra eum potiſſimè inſurgunt? De Stephano dicitur Actor. 6. num. 15. *Intuentes eum omnes, qui ſedebant in conſilio, viderunt faciem ejus tanquam faciem Angeli*; D. Auguſtin. ſerm 99. de diverſis: *Facies Stephani radiabat inſtar Solis, & inde factum eſt, ut diſputantes cum Stephano, non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur*, ibidem num. 10. & ideò ſummiſerunt viros, qui falſum teſtimonium dicerent contra eum. Cùm Stephanus irradiat, ac fulgurat virtute, ſapientia, & doctrina, ut non poſſent ei reſiſtere, contra eum multas inſidias molitur, ac machinatur ſtultitia, ac nequitia phariſaica. D. Chryſoſt. hom. 15. in Acta: *Quoniam*, ait, *legis cognitione ſuperior erat, illiſque intolerabilis erat.*

Inſipiens inſidiatur ſapienti, ac ſapientiam cum fulgurat.

Cùm judæi odio, ac invidia obcœcati, illuſtres Chriſti virtutes, ac clariſſima miracula, venenato ore obſcurare intenderent, ut iniquitatis linguam occluderet Dominus, infantium, ac lactentium ora laxavit ad ſui gloriam, & laudem; Pſal. 8. num. 3. dicitur: *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos*; cur non potiùs ad ſui gloriam certificandam adducit Dominus mortuos excitatos, mutos loquentes, & dæmoniacos liberatos? facilius eſt puerum falli, quàm demortuum vitæ reſtitui; ſi ergo mortuorum excitationem criminantur, & puerorum laudes contemnent. Adeò frequens eſt, ut ingenio tardi, & ſapientia, in gloriis aliorum, præclara facta, ſtudioſiùs obſcurent, & contentioſiùs abrodant, ut etiam ipſi æmuli, qui glorioſa facta, magnifica opera denigrare contendunt, cùm audiunt verò rudes, & ineruditos, fauſtis acclamationibus virtutem proclamare, etiam ipſi obmuteſcunt, & magnum reputant miraculum, quòd etiam nulla malignitate valeat dehoneſtari. Euthymius ibi: *In aliis miraculis*, ait, *ſuſpicati ſunt judæi, quod caperet Chriſtus, & falleret eorum oculos, infantium verò laudatione omnis aberat ſuſpicio.* 205

Valde mirabile, ſi quod rudes, & tardi aliorum gloriam conſtean-tur.

QUÆSTIO XXVI.

Quare noſter Evangeliſta deſcribens ornamentum hujus mulieris, tacuit faciei pulchritudinem, elegantiam oculorum, colorem capillorum.

MUlier hæc deſcribitur amicta Sole, ſtellis coronata, & Lunam pedibus calcans; ſi hæc mulier tantæ erat majeſtatis, cur quibus veſtimentis induta erat pretioſis non memoratur? quibuſnam caput, ac faciem componebat, omninò tacetur? Sol, Luna, ac ſtellæ, quibus mulier erat exornata, ejus virtutes, ac dona denotabant, inde omnem artificioſum cultum, ac veſtium pompam exhorruit, nam præter virtutes, quibus condecorabatur, omnem alium rerum nitorem contempſit, & parvipendit, & ideo illa tanquam ab ea contempta prætermittuntur. 206

Sola virtutes imitanda, cætera aſpernãda.

Quæſtio tamen eſt: Cur Joannes deſcribens externum hujus mulieris cultum, quod Sole eſſet amicta, Luna tanquam calceamento utens, & caput Stellis coronatum, cur etiam non commemorat cinnorum colorem, oculorum elegantiam, genarum pulchritudinem, ut ſimilem filio hominis intuens dicebat Apocal. 1. num. 14. *Capilli erant candidi, & oculi tanquam flamma ignis, & vox tanquam aquarum multarum; habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & facies ejus ſicut Sol lucet in virtute ſua?* ſi hìc tam attentus omnia ſpeciatim notavit, quomodo ibi ſic præterit? forſitan ornatus ſplendor oculos hebetavit? Minimè, nam filii hominis facies luciditſſimo Sole fulgurabat, & tamen Joannes velut aquila, omnia apertis oculis ibi aſpexit; cur ergo hìc non videt? Solutionem colligo ex his, quæ docet D. Gregorius lib. 34. Moral. cap. 7. ubi ſic ait: *Quia ſuperni luminis protegitur ſplendore*; mulier ergo ſancta Solis velamine pudicè faciem cooperit, & oris gratiam abſcondit, inde Joannes, qui elegantem faciem filii hominis deſcribit, virginis vultum non vidit, quia ut pudicitiæ ſpeculum adhuc inter immortales ſpiritus degens hominis oculos eſt averſata: *Quia ſuperni luminis protegitur ſplendore*; inde Evangeliſta non valuit oris venuſtatem deſcribere, nec contemplari, utpote, quia ob pudicitiam erat velata. 207

Et inde fortaſſe dicitur: *Signum magnum*, ſeu miraculum 208

culum magnum apparuit in cœlo; & quodnam hoc signum magnum, seu miraculum magnum? *Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus ejus*. Adeo rarum, & insolitum est fœminam pomposo ornatu amictam faciem oculis subtrahere, ut hoc non in terra, sed in cœlo fiat, ac ibi etiam, ut ingens signum, ac miraculum publicetur.

209 Hac mente regius Vates dicebat Psal. 127. num. 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*; scilicet uxor tua, sit quasi vitis ligaminibus, ac pedamentis obligata, abundans fructibus, tamen inter latera domus tuæ concluſa, ut foras, ac in publicum non exeat, ac abeat. Audiens Judith Principum decretum circa urbis traditionem, *misit ad Presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam*, Judith. 8. n. 10. in tanto negotio non ipsa ivit ad eos, nec illos quæsivit, sed ad se vocavit Presbyteros; quod ut benè notat Sanchez, modestiæ minùs, & urbanitatis habere videbatur; sed cur bona fœmina ubi ad suam sententiam trahere repugnantes principes moliebatur, non magis comis & urbana ad illos properavit, ut sic magis eos devinceret, ac in suam sententiam traheret? Zelo castitatis voluit potiùs urbanitatis leges contemnere, quàm pudicitiæ, ac castitatis regulas violare, & ideo in tanto rerum discrimine, non ad eos tendit, sed illos ad se vocat. Lyran. *Quod autem*, ait, *non ivit ad illos, non fuit ex defectu humilitatis, sed ex zelo castitatis*.

Mulier pudica non exit foras, nec apparet in alienum oculis.

210 Dum Magdalena fleret ad Jesu monumentum, à quo ipsum ablatum credebat, vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu; *Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: quia tulerunt Dominum meum. Hæc cùm dixisset, conversa est retrorsum*, Joan. 20. num. 12. Vehementer mulier exoptabat corpus Jesu, & etiam scire ubi illud positum fuerat; quomodo ergo cum Angelis interrogantibus tam breviter absolvit colloquium, quos nec salutat, nec affatur, sed brevi dato responso, statim illis terga vertit? cur non magis cum Angelis urbana immoratur? cur ab illis de suo dilecto non inquirit, an fortè aliquid scirent? Timebat prudens fœmina amori sui puritati, ac pudicitiæ, si etiam cum Angelis dilataret officiosa colloquia, volens potiùs præterire urbanitatem, quàm quid admitteret, quod suum amorem retardaret, vel quod cautelæ suæ puritatis minus aptum videretur. Origenes in præsenti homil. *Nolo*, ait, *Angelos videre, nolo cum Angelis manere; si cœperint mihi multa narrare, si voluero illis ad omnia respondere, timeo, ne amorem meum magis impediant, quàm expediant*. Expende illud: *Nolo Angelos videre*; sic erat mulier castitatis amatrix, ut nec Angelos vellet videre.

Pudica mulier nec ab Angelis vult videri.

211 Anima sancta sui dilecti amore vulnerata, ait magno affectu: *Quæsivi, & non inveni illum*, Cant. 5. n. 6. à custodia inurbana male multatur Virgo; quod ipsa dolens, sic queritur, n. 7. *Percusserunt me, & vulneraverunt me*; quomodo Christus D. magnus princeps, sic patitur tot injuriis suam dilectam affici, ut non solùm eam percusserint, sed & insuper vulneraverint, & pallium ejus abstulerint? cùm maximè ipse nos exhortetur: *Pulsate, & aperietur vobis*, Luc. 11. n. 9. Bonus Jesus vult quæri à sua dilecta, non per vicos, & plateas, sed in domo, & in abscondito lectulo. D. Hieron. epist. 21. ad Eustoch. *Zelotypus*, ait, *est Jesus; non vult ab aliis videri faciem tuam*; & ideò dum foras prodit, ut faciem ostendat, cautelam pudoris terit bona Virgo. Tertull. lib. de veland. virgin. c. 14. *Ipsa enim*, ait, *concupiscentia non latendi, pudica non est; patitur aliquod, quod virginis non est studium placendi utique viris*, &c.

Mulieris virgo in publicum egressa.

QUÆSTIO XXVII.

Quare manus hujus sanctæ mulieris non exprimuntur, sed omnino tacentur.

212 MUlier hæc perfectissima erat, totamque integritatem humani corporis habebat, proindeque manus; quomodo ergo Joannes de illis nullam

Difficultas quæstionis.

facit mentionem, cùm valdè curiosè hoc in simili filio hominis notaret Apocal. 1. n. 16. *Habebat in dextera sua stellas septem*; si hoc tam attentè consideravit in filio hominis, cur hoc sic prætermittit in hac muliere?

Resp. primò, quòd manus mulieris erant absconditæ sub tegumento Solis. De quatuor illis suis mysteriosis animalibus, ait Ezech. 1. n. 8. *Et manus hominis sub pennis eorum*; explicant D. Gregor. Theodor. & ex eis, Prado, Cornel. Manus, inquiunt, significant eorum efficaciam, & operationem sub alis absconditam & invisibilem, nam, ut ait D. Dionys. de cœlesti Hierarchia cap. 15. *Alis significatur cœlestis vitæ cursus, quo ad superna feruntur, terreni corporis sarcina liberi*; proindeque manus tegebant sub pennis, quia sub alta Dei contemplatione, qua ad cœlestia ferebantur, contemptis terrenis, omnia opera recondebant: Sic & hæc sancta mulier, manus suas abscondebat sub Sole, hoc est, omnia opera sua sub alta meditatione, ac contemplatione veri Solis justitiæ recondebat, ad quem omnia sua dirigebat, ad ipsumque omni affectu ferebantur, habens Lunam, hoc est omnia terrena sub pedibus. 213

Opera nostra bona, absconden da.

Secundo per manus significantur opera, quæ sic humanos obtutus, etiam aquilinos, latent, & soli Deo patent, ut ab eo solùm possint videri, & introspici. Magnis encomiis celebrat Lucas cap. 1. n. 6. Joannis Baptistæ parentes; sic ait: *Erant justi ambo ante Deum*; quid est ante Deum habere justitiam? an hominum conspectu Zacharias, & Elisabeth justi non fuerunt? Absit, nam sine dubio multa justitia, sanctitate, ac virtute pollebant apud homines, ut inde in multa æstimatione haberentur; cur ergo Evangelista, cùm eos laudat, non de justitia apud homines, sed apud Deum celebrat? Quia perfectio, integritas, ac sinceritas eorum justitiæ non hominibus, sed soli Deo patebat, qui intima cordis agnoscit, nam apud homines sæpè est simulata, & ficta sanctitas, apud Deum vera, & integra; inde Div. Lucas celebrans parentum Baptistæ sanctitatem, solùm de ea, quæ erat apud Deum agit, cui tantùm patebat. Pulchè Titus Bostrensis ad hunc locum dicens: *Justum esse ante Deum, id donum solidæ perfectæque laudis est, qui hominum corda exactè perspecta habet, etenim secundùm externam faciem, multi coram hominibus habentur justi, qui tamen propter latens in pectore venenum non sunt ejusmodi*. 214

Vera sanctitas soli Deo patet.

Tertiò filius hominis, qui est Christus, in manu ostendit septem stellas; mulier seu anima justi manus abscondit; Christus in manu se exhibet, cum septem stellis, tanquam suis electis ostendens præmium, & coronam repositam in gloria, ut intuitu tanti præmii sui, maximè moveantur, ac provocentur ad merita, ac bona opera, at mulier manus, seu bona opera sua abscondit ab hominum conspectu, soli Deo placere intendens, ut ipse Dominus docuit Matth. 6. nu. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*. Itaque Dominus alliciens ostendit præmia in manu, mulier ut illud obtineat manus absondit, quæ est via certa, & secura ad assequendam mercedem. 215

Deus ostendit præmia; justus ut obtineat, opera abscondat.

Ab optimo parente Elia postulat Elisæus duplicem spiritum: *Obsecro ut fiat in me duplex spiritus tuus*, 4. Reg. 2. n. 9. cui annuens Elias, duplicatum spiritum promittens, ait: *Si videris me quando tollar à te, erit tibi, quod petisti*; cumque Elias flammeo curru, atque igneis equis elevaretur in cœlum, clamat discipulus: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & Auriga ejus*; ibid. num. 12. ac si diceret: Ubi est ille tuus duplex spiritus, quem mihi promisisti, si te viderem abeuntem, nam ego te video? Tunc Elias dat illi pallium suum, quod *Eliseus elevavit*, ibid. num. 13. Theotridus Abbas serm. de veneratione sanctorum, existimat, quòd in hoc Eliæ pallio, duplicem spiritum ejus acceperit Elisæus: *Eliæ pallium*, ait, *Eliseo duplicavit spiritum*; tamen est expendendum, quid habeat pallium Eliæ cum spiritu ejus: Pallium fragilis, ac debilis pellis erat, spiritus Eliæ fortis, & robustus, resistens Regibus in faciem suam; cur ergo 216

tantus

tantus spiritus, tanquam pallio involutus communicatur discipulo? Theodoret. qu. 7. Petrus Damianus serm. 2. in nativit. S. Joannis Baptistæ, Anast. Nyssen. quæst. 55. dicunt duplicem Eliæ spiritum impletum fuisse in Elisæo in miraculorum exhibitione, nam, ut ait Damian. *Elisæus viginti quatuor miracula fecit, cùm Elias fecerit duodecim dumtaxat.* Angelomus: *Quòd duplex fuit spiritus Prophetiæ, & miraculorum*; Sed ad quid Elisæus duplicem spiritum Eliæ, tanquam pallio tectum, involutum accepit? Cùm in illo spiritu includeretur virtus sanctitatis & prophetiæ, ac potestatis miraculorum, oportebat talem virtutem esse absconditam, & opertam, ut in discipulo permaneret, nam virtus si publicatur, marcescit, si verò obtegitur perdurabilis, ac perseverans manet, & ideo magnus Parens Elias, ut duplicatus spiritus in discipulo permaneret, tanquam pallio tectum, & absconditum tradidit, ne evulgatus, ac manifestatus periret, & desineret esse.

Virtus ut perseveret sit abscondita, & tecta.

217 Cùm impio edicto crudelis Pharao præciperet, omnes hebræorum pueros in flumine perire, accidit ut nasceretur Moyses, quem mater ob ejus elegantem aspectum maximè occultare intendit, ut dicitur Exod. 2. num. 2. & 3. *Et videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus*; *cumque jam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* In his maximè notandum, quod dum mater tribus mensibus puerum abscondit, ipse tutus, & securus est ab omni periculo, at dum mater eum manifestat forsitan aliis, ob ejus pulchritudinem, statim eum cogitat committere morti, & undis: O imperita mater! cur tam celeriter de morte infantis cogitas? quid amplius à crudeli tyranno expectare potes, quàm tui dilecti pignoris crudelem mortem? cur ergo tanto discrimini puerum exponis, ex quo indubitanter naufragium eveniet? Dum Moysis pulchritudo abscondita fuit, & in intimis domus penetralibus occultata, secura, & immunis extitit à morte, ac fluminis undis, at dum à domo exiit, & foras prodiit, in certum periculum, ac in damnum imminens venit, ut ejus mater abjectis pietatis visceribus, tortoris officium obire videretur: Sic & certè in re spiritus contingit; dum virtutis pulchritudo celatur, cu- dita manet, si verò in lucem exit in interitum vadit. Eleganter Origen. homil. 2. in Exod. *Denique refert Scriptura*, ait, *quòd de tribu Levi quædam genuit masculum, & videns infantem esse elegantem, occultavit eum tribus mensibus. Vide si non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne justitiam nostram coram hominibus faciamus, sed clauso ostio oremus Patrem in occulto, & quod facit dextera nostra, nesciat sinistra; nisi enim in occulto fuerit, diripietur, ab Ægyptiis invadetur, in flumen jactabitur, undis, & fluctibus submergetur:* vide tom. 1. cap. 6. quæst. 17. n. 169. & seq. & nostros tomos in Evangel. in Indice verbum *Hyprocr.* vel *gloria vana*.

Virtus abscondita secura, si manifesta, perit.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare ad virtutem hujus mulieris indicandam, duodecim stellæ radiant in capite ejus; ad Christum verò demonstrandum, una tantùm mittitur stella.

218 ECce duodecim stellæ radiant è vertice hujus cœlestis fœminæ, & tamen è vertice Christi Dom. existentis in Mundo, una sola stella fulgurat; cur Deus tot stellis exornat fœminam, quando in nativitate sua unam Persarum Regibus stellam misit? *Stella*, ait D. Matth. 2. n. 9. *quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi puer erat*; quam quæstionem jam tractavi tom. 1. in Evangel. lib. 2. cap. 4. qu. 14. quæ hic iterum repetenda est ex his, & quæ ibi dixi, & ex aliis.

Difficultas quæstionis.

219 Resp. primò, quòd stellæ mulieri, seu animæ justi dantur ad ornatum gloriæ, magis vero ad ductum viæ. D. Chrysolog. serm. 157. *Vidimus*, ait, *stellam in Oriente, stellam non legiferam, sed significam.* Dum sumus in via, quò nobis pauciores creaturæ affulgent, nosque concomitantur, eò certiùs, & securiùs ad cœlestia tendimus, & ideo Magis, non multæ stellæ, sed una tantùm datur in ostensionem viæ, ut securiùs, & expeditiùs ad Christum veniant.

Quò pauciores creaturæ affulgent, eò certiùs tendimus ad cœlestia.

Secundò Deus multò liberalior, ac magnificentior est erga nos quàm erga semetipsum; ad exornandam ejus sponsam Ecclesiam, atque animam justi, duodecim stellæ designantur, ad Christum D. verum Deum, & hominem manifestandum, una tantùm in obsequium deputatur stella. Tertiò quamvis Deus in nativitate filii sui, omnem multitudinem stellarum dare poterat in signum, una tamen stella contentus est, rem appendens non per potentiam, sed per tempus, ac occasionem, cui una tantùm stella sufficiens erat; ad virtutem mulieris indicandam, multæ stellæ requiruntur. 220

Christus liberalior nobis, quàm sibi.

Quartò illa stella dabatur Magis in via, mulieri vero duodecim in cœlo: *Signum magnum apparuit in cœlo*; & dona, quæ conferuntur in cœlo longè, lateque superant ea, quæ sunt in via; in via tribus justis datur una stella, in cœlo verò uni justo duodecim: ea omnia, quæ sunt in via per comparationem, ad ea quæ manent in cœlo, sunt tanquam micæ, ac guttæ. Ad hoc spectat illa divini sponsi vox Cant. 5. num. 2. *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Expende ea, quæ Dominus proponit, ut ab sponsa suscipiatur, ait enim: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*; solas guttulas roris proponit, intendens ut sibi ostium aperiatur? cur solæ guttulæ memorantur? Abundantiùs loquebatur David Psal. 35. n. 9. dicens: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*; hìc torrens, illic guttula datur; cur non magis semper torrens inundat? cur qui torrentes habet, guttulas exhibet? Torrentes sunt in patria, at in hoc sæculo gutta est, & mica parva est, quam ex Deo percipere possunt Sancti. Sic loquitur D. Gregorius Nyssenus homil. 2. in Cantic. *Non potest enim fieri, ut ingressus fuerit eorum, quæ vires humanas superant, nec cadunt sub contemplationem; deveniat ad imbrem aliquem, aut torrentem cognitionis: sed præclarè cum eo cogetur, si quibusdam exilibus cognitionibus irroret eum veritas, quarum unusquisque, quantum capere potest, hauriens ex occultis thesauris, nobis quidem fiunt fluvii pleni aquis, si rei autem spectetur veritas, sunt guttæ roris.* 221

Quæ in hac vita datur, sunt parva & veluti micæ, respectu eorum quæ in cœlo manent.

Quintò Deus in præmio parat multò majora, quàm nos ei in obsequium exhibemus. Una stella ad nostrum erga Deum sufficit obsequium, ut nos verò in beatitudine ex meritis coronemur, ex duodecim stellis diadema componitur. Transacto mari rubro cecinit Moyses de Israelitis loquens cum Deo: *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ*, Exod. 15. n. 17. Israelitæ non manent in Ægypto, sed ducuntur ad terram promissionis fluentem lacte, & melle; & cur ad illam terram montibus plenam transeunt? Origen. hom. 7. in Exod. *Non vult nos Deus in Ægypto plantare, nec in dejectis, & humilibus locis, sed in monte hereditatis suæ vult plantare*; addit Richard. Pannon. *Ubi & patres eorum Deo holocausta offerebant.* Transeunt in illam terram possidendam, ut domini, quia ex eo, quod Patres eorum paucas victimas Deo obtulerunt, inde ipsi ad hæreditatem Dei transeunt, & fiunt hæredes possessionis Dei; *Hæreditatis tuæ*, ac totius regni illius dominatum obtinent. *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ*; quod ad gloriam beatitudinis referunt Lippoman. & alii; & dicitur, *quod firmaverunt manus tuæ*, ut ex tanto artifice illius firmitas, magnitudo, ac amplitudo in donis cognoscatur; *quia*, ut ait citat. Richard. *Patres eorum in terra illa ædificaverunt altare Domino, & Jacob lapidem in titulum; ipse parat perenne sanctuarium, cum omni æternæ gloriæ magnitudine.* Considera supremam Dei magnificentiam; pro paucis victimis dat sanctuarium, pro altari totum regnum in hæreditatem, 222

Deus multò majora dat in præmiis, quàm ea quæ damus in obsequium.

tem, & pro rudibus lapidibus proponit coronam in gloria, ex omni lapide pretioso: vide tom. 1. cap. 3. qu.24. num.201. & qu.16. num. 136.

Apoc.12. nu.2. Et in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.

VERSIONES.

Syriacus. Et cùm in ventre haberet, clamabat, & parturiebat, & cruciabatur ad pariendum.

Arabicus. Et erat ferens in utero suo & dolens cruciabatur, ut pareret.

Arias. Clamat doloribus partus detenta, & cruciata parere.

Primas. Erat prægnans.

EXPOSITIO.

223 ET *in utero habens*. Hebraismus est, & idem valet, ac prægnans, & gravida. *Clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat*. Sub hac metaphora mulieris parturientis, intelligitur Ecclesia, maximè in extremis temporibus, quia tunc ob acerbissimas persecutiones, & immanissimos persecutores, magnis doloribus, & ærumnis, ac angustiis, quasi parturiens filios, ideſt, fideles Deo pariet. Juxta Græcorum scholia beata Virgo, *cruciatur ut pariat*; non in partu, quia in illo fuit expers omnis doloris, sed cùm gravida esset propter desiderium, & sollicitudinem, quam pro filio nascituro gerebat.

Virgo desiderans partum.

QUÆSTIO XXIX.

Quare hæc sancta mulier Ecclesia tam diros cruciatus sustinet in suo partu.

224 SErmo est in præsenti juxta communem sententiam, de Ecclesia, quæ in fine Mundi, ob acerbissimas Antichristi persecutiones, & immensas Dæmonum nequitias, impedimenta undique injicientium, nonnisi maximis laboribus, ærumnis, ac adversitatibus pariet Christo filios suos. Et benè clamat, ut *parturiens, & cruciabitur ut pariat*; tam ut filios suos jam natos perseverantes faciat in Christo, quàm ut de filiis Mundi, & Diaboli, filios Deo efficiat, Christum in eis pariens: & cum magno fundamento dictum est, quòd cruciatur, cùm scriptum sit, omnes qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem patientur; sic Paulus vivum Ecclesiæ membrum parturire se testatur ad Galat.4. nu.19. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*; loquitur Apostolus cum eis, qui à fide defecerant, quos ipse multo labore iterum reduxerat, donec in eis formaretur fides Christi.

Ecclesia sancta in ultimis temporibus.

225 Ad hoc respicit Sapiens Proverb.5. n.19. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus*; quæ verba licèt in sensu literali communiter intelligantur de mutuo amore inter conjuges, tamen mysticè à Beda interpretantur de Ecclesia, nam cerva bellum gerit cum serpentibus, investigat eorum cavernas, & narium spiritu extrahit eos renitentes, ac interficit, ut docent Plin. lib.8. c.32. Laert. lib. 6. sic Ecclesia hæreticos persequitur, & è cavernis suorum errorum renitentes extrahit, & extinguit odore fidei.

Ecclesia hæreticos interficit & persequitur.

226 In rem nostram: Valde notum est cervas esse difficiles in partu, quod commemoratur Job 39. num.1. *Nunquid parturientes cervas observasti? dinumerasti menses conceptus earum? incurvantur ad fœtus, & rugitus emittunt*; cætera animalia optimè se componunt, incurvantur enim præ dolore, & in terram prosternuntur, ut fœtus suos emittant, quod faciunt maximo cum dolore. Ad quod respicit regius Vates Psal. 28. n.8. *Vox Domini præparantis cervos*; Aquila, & Symmach. *Parturiens faciens cervos*; Chaldaic. *Parturire faciens cervos*. Cervæ enim matricem habent angustam, quæ pavore tonitrui dilatatur, ut facilius pariant, hinc ut colligitur ex Aristot. lib.6. de histor. animal. cap.29. Cervæ intimè amant suos fœtus, utpote quos tanto dolore, & nisu enixæ sunt; & partus similiter redamant matres suas. Nonne Ecclesia tibi videtur ad sonitū tonitrui peperisse? nam propter metum Judæorum in cœnaculo concluſa in die Pentecostes, facto repentè de cœlo sono, tanquam advenientis spiritus vehementis, foras egressa Christi fidem liberè prædicavit, & per Apostolorum voces multa millia hominum Christo peperit. Sed quia de extremo Mundi tempore loquitur Joannes, Ecclesia tunc veluti cerva erit, difficilis in partu, multos dolores, ac angustias sustinens in convertendis Judæis, ac aliis gentibus, quos per magnos labores virorum apostolicorum Christo pariet, utpote eos intimè diligens. Ad quod tendit D. Ambros. in præsenti: *Quomodo infans in utero coagulatur, humanamque formam accipit, atque spiramentum, similiter & Ecclesia infideles quosque, quos in utero gestat, eos prædicando tamdiu nutrit, usque dum humanam formam accipiant, ideſt, usque dum in Christum credant, atque animam spiritualem accipiant, quæ in baptismo datur, cùm efficiuntur filii Dei, undè clamare in doloribus dicitur, & cruciari.*

Cum multis doloribus Ecclesia parit filios Christo.

Victorinus in præsenti hæc verba refert ad antiquos Patres, qui pro venturi Christi expectatione, magno desiderii cruciatu afficiebantur; sic ait: *Mulier autem amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, habens coronam stellarum duodecim, parturiens in doloribus suis; antiqua Ecclesia est Patrum, quæ gemitus, & tormenta habuit desiderii sui, usquequò fructum ex plebe sua videret Christum.* Quid elegantius? cùm totam suam in Christi adventu repositam salutem scirent Patres illi antiqui, sic in tanti boni expectatione ingentes cruciatus sustinebant, & omnia implebant gemitibus. Pro certo habe, quod acutissima sint vehementis desiderii spicula. 227

Vehemens desiderium alicujus rei maximè torquet.

Ait Christus D. suis Apostolis Joan.4. n.38. *Ego misi vos metere, quæ non laborastis. Alii laboraverunt, & vos in labores eorum introistis*; quænam hujus sententiæ veritas? Antiqui Patres conjugii gaudio potiti sunt, bona terræ comederunt in divitiis magni, in victoriis illustres, in regnis clari, in filiorum copia fœcundi, sepulti in senectute bona, at verò Apostoli in fame, & siti, in frigore, & nuditate tentati sunt, excruciati sunt, ferro, flammisque extincti: quomodo ergo hi præ aliis dicuntur non laborasse? an crux suavior, quàm mollis lectus? an pauperies mitior, quàm rerum abundantia? an mortis cruciatus lætior, ac jucundior, quàm terra manans lacte, & melle? Antiqui Patres valde solliciti de sua salute, ac perfectè credentes, maximè vexabantur Salvatoris desiderio; & in hujus comparatione nullus est alius labor mortis, cruciatus, ac paupertatis, ipsum enim vehemens desiderium plus torquet, quàm quilibet cruciatus à tyrannis crudeliter excogitatus. Rupert. in præsenti: *Illi credentes*, ait, *& sperantes credendo, & spectando fidem, & spem suam in propagationem carnis suæ, tanquam in bona terra gratiæ Dei committentes, seminarunt, euntes, & flentes, & semina sua mittentes. Et ecce nunc alii metunt, nempe vos Apostoli, qui promissionum, quæ ad eos facta sunt, præsentem habetis effectum*; inde ipsi non laborasse dicuntur, sed introire in ea, quæ alii laboraverunt, quia *præsentem habetis effectum*. 228

Desiderii, ac expectatio alicujus rei, vehementissimè cruciat.

Fugitivus David à Saule, latebat in remotioribus agris in terræ speluncis, quo properavit Jonathas, ut alloqueretur Amicum, dicitur enim 1. Reg. 23. n.10. *Surrexit Jonathas filius Saul, & abiit ad David in sylvis*; cur Jonathas tam ardenter tendit ad David, quem optimè sciebat, quod pater ejus durissimè illum adversabatur? cur non timet bonus Princeps, quod si ejus pater agnoverit, vehementer in ipsum indignabitur? Inde potius elegit incidere in odium patris sui, quàm pati desiderium Davidis, quem ut animam suam diligebat. Ad citata verba ait Theodor. q. 54. *Cùm Pater ejus spiraret eadem, & eum venari cuperet, non tulit stimulum desiderii, sed venit ubi David degebat*. Expende illud, *stimulum desiderii*; quippe Jonathas pro absente Davide, eo stimulo desiderii agebatur, tantoque amore in ipsum ferebatur pro eo custodiendo 229

Desiderii stimulus vehementer angit.

à mor-

à mortis periculo, ita ut maximè cogeretur ire ad videndum amicum, eique aperiendas parentis insidias adversùs eum, habet enim desiderium ea spicula, quibus animum cruciat.

QUÆSTIO XXX.

Quare à Joanne proponitur Ecclesia, ut sustinens ingentes partus dolores, quos omnes eam effugisse dicitur ab Isaia.

230 HÆc sancta mulier Ecclesia, *in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat*; si tot, & tantos dolores sustinet, cur hujusmodi partus non intendit fugere? Imò Ecclesia toto conatu per suos prædicatores, ac viros apostolicos parere spiritualiter filios Christo desiderat, docens, quòd præeligenda sit salus, & conversio proximorum, licèt cum multo labore, ac dolore nostro eveniat. Rupert. *Illa parturiendo*, ait, *quidem clamat, quia dolet, sed nimirum sic mavult dolere, quàm sano utero sterilis permanere.*

Salus proximorum procuranda, etiam cum multo nostro dolore.

231 Tota quæstio est; quomodo Joannes ait in præsenti de hac sancta muliere Ecclesia: *In utero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat?* Nota illud *cruciabatur ut pariat*; verte nunc oculos ad Isaiam 66. n. 7. *Antequam parturiret peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum; quis audivit unquam tale? & quis vidit huic simile?* quæ verba sic transferunt Septuaginta: *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum; quis audivit tale? quis vidit tale?* Ecce à Joanne dicitur mulier cœlestis, nempe Ecclesia, ingentes sustinere cruciatus, ut pariat, ab Isaia eadem dicitur omnes & cruciatus, & dolores partus effugisse; quomodo fieri potest, ut utrùmque verum sit? eadem Ecclesia potest dici cruciari, ut pariat, & nullos perpeti cruciatus?

Difficultas quæstionis.

232 Equidem Joannes considerabat Ecclesiam laborantem ad partum, nullis adhuc filiis ornatam, & sic solos videns labores absque fructu, & ideo rectè dixit Ecclesiam cruciari, ut pariat, nemini enim dubium est, quin summi labores, & dolores ab Apostolis, ac viris apostolicis fuerint exantlati in lucrandis animabus, ac in gentium conversione; Isaias autem considerabat Ecclesiam parientem innumera filiorum examina, quorum conversione, ac multitudine, sic apostolici dolores minuebantur, & in gaudium mutabantur, ut posset dici nullos cruciatus fuisse in tali partu, undè meritò ait Eusebius Gallican. homil. in Dom. 3. post Pascha. *Pariebant igitur Apostoli in dolore, quia propter hunc talem partum occidebantur, & cruciabantur, multos dolores, multasque angustias patiebantur. Beatus iste partus, quo tanta soboles tam nobilium filiorum germinavit.* Simul putat Apostolorum partum plenum doloribus, & beatum, quippe doloris plenus erat, si sollicitudo apostolica per se consideretur; beatus tamen, & sine dolore, imò suavitate plenus, dum ex illo tanta soboles, tam nobilium filiorum examina objiciuntur menti.

Apostolicus labor ex conversione gentium, convertitur in gaudium.

233 In hujus rei typum Rebecca, quæ magno desiderio filiorum tenebatur, cùm concepisset, ac videret, quòd parvuli collidebantur in utero ejus, præ dolore, ac angustia, dicebat: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* undè præ agonia, ac anxietate, ut notat Abulens. oraculum consuluit; tamen ait Text. Gen. 25. n. 24. *Jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero reperti sunt*; quod, ut notat Thom. Anglicus, pro magno gaudio mulieris dicitur, cùm non unus filius, sed gemini reperiantur in quibus feminaria sunt gentium. Rebecca in partu magnis doloribus afficitur, tamen inde ex copiosa filiorum multitudine, magno gaudio repletur; in quo præfigurabat Ecclesiam, quæ licèt dum parturit filios Christo, multos dolores, cruciatus, ac labores sustineat, tamen ex ampla natorum numerositate, magno gaudio perfunditur. Ad quod spectans D. Zeno serm. 8. de Paschate, cùm novellæ Christi plantationes de baptismatis fonte ascendebant, sic ait: *Nova res, ut jure spirituali unusquisque nascatur; ultrò currite ad matrem quæ tunc non laborat, si quos parturit innumerare non possit.*

Ecclesia etiã laborat in partu, sobolis multitudine gaudet.

Apostolus Paulus scribens ad Rom. 15. nu. 32. ait: *Ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, & refrigerer vobiscum*; quid ais, ò Doctor gentium, quod venies Romam ad te refrigerandum, ac refocillandum à tuis laboribus? Romæ durissimi labores tibi sunt destinati, carceres, vincula, flagella, gladius, mors; quomodo in his gaudium, oblectamentum, ac refocillatio? vincula & carceres gaudium? flagella oblectamentum? gladius, & mors refocillatio? Quamvis omnia illa durissima essent, cùm tamen Apostolus suorum profectum, ac salutem videret, inde se refocillari, ac recreari ab omnibus suis laboribus existimabat. D. Thom. *Refrigerer vobiscum, idest ex vobis refrigerium tribulationum mearum accipiam.* 234

Gaudium Apostolicũ labor, ex quo perfectus animarum.

QUÆSTIO XXXI.

Quare dicitur, quòd beatissima Virgo cruciabatur ut pariat, *cùm in suo augustissimo Salvatoris partu, nullum habuisset dolorem.*

SUperiùs ex multorum Patrum, ac doctorum sententia explicavimus, quòd in hoc signo magno, mulier amicta Sole, sit sanctissima Virgo Maria; quomodo dicitur de ea, quòd *cruciabatur ut pariat*, cùm certissimum dogma sit, quòd sanctissima Virgo in suo felicissimo nostri Salvatoris partu, nullum experta fuisset dolorem? 235

Difficultas quæstionis.

Respondent primò Cornelius, Estius, & alii, quòd Virgo cruciabatur, ut pareret, non dolore partus, sed vehementi desiderio, ac affectu pariendi, & videndi Christum Salvatorem Mundi. Pro cujus rei confirmatione noto, quòd non dicitur, cruciabatur in partu, sed ut pareret, ac proinde ante partum cruciabatur, affectu, ac desiderio Christum natum videndi; & hæc interpretatio est maximè cohærens, ac genuina. 236

Virgo desiderabat parere, ac videre Salvatorem.

Secundò græcorum scholia apud Estium: Quia vexabatur sanctissima Virgo, *ne* fortè sponsus ejus in aliquam adulterii suspicionem veniret, & quia cùm jam gravida esset, & tempus partus instaret, cogebatur proficisci in Bethleem; valde molestissimum erat purissimæ Virgini foras exire, & per itinera incedere: vide supra q. 26. n. 209. & seq. 237

Molestum Virgini foras exire.

Tertiò multi & graves doctores: Quia cùm Virgo Maria mater Christi est, etiam omnium fidelium mater est constituta, inde ipsa cruciatur, seu anxiatur, ut hos omnes filios suos Christo parturiat; quo sensu dicebat Paul. ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis.* Hic ergo Mariæ cruciatus, indicat maximum ejus desiderium, ac affectum, ut peccator sit justus, & impius pietati nascatur, & ut innocens fiat perseverans, ut transeat in gloriam, & inde ipsa ut pia mater clamans cruciatur ob renascentium pervicaciam, undè meritò ipsa stellis coronatur, quia nempe hujus mulieris gloria est, quòd peccatores Deo parturiat, sic Paulus vocat fratres suos in Christo coronam suam ad Philipp. 4. n. 1. *Fratres*, ait, *mihi charissimi, & desideratissimi, corona mea.* Virgo Maria pro magna corona habet, filios Deo spiritualiter parturire. 238

Virgo Maria magno affectu, ac dolore nos Deo, & cœlo parit.

Quartò graves authores hoc referunt ad dolores, & cruciatus, quos Virgo sustinuit, cùm patientem filium suum viderit, nam, ut lib. 4. de laudib. Mariæ, tit. *Christus dicitur vir*, ait Richard. de S. Laurentio: *Vel major creditur tunc fuisse cruciatus mentis ejus, quàm cruciatus mulieris corporeus parturientis*; & Simon Metaph. de dormit. Deiparæ, ait, quod in passione filii sui, non solùm semel tota Deipara cruciabatur, ob quemcunque singularem dolorem corporis Jesu, verùm etiam una Christi plaga, innumera Mariæ vulnera erant; sic ait ipse: *Hæc omnia illam transverberabant profundiùs, quàm illi clavi, & pro una filii plaga, innumeris ipsa plagis fauciabatur*; de quo multa dixi to. 3. in Evang. lib. 3. c. ult. his ergo cruciatibus, doloribus, ac angustiis peperit filium, meruitque redivivum tenere. Vidua Naim filium defunctum lachrymis prosequebatur, quibus permotus Jesus ipsum revocat ad vitam, & redivivum *dedit illum matri suæ*, Luc. 7. n. 15. 239

Ingens Virginis dolor in morte filii sui.

suscitavit Jesus amicum Lazarum, Joan. 11. n. 43. & non dicitur dedisse illum sororibus, suscitavit puellam filiam Principis Synagogæ, Luc. 8. n. 55. nec ibi dicitur, quod illam parentibus suis dederit, cur ergo hic juvenis notanter dicitur datus à Jesu matri suæ? Crediderim matrem illam viduam vehementiori fuisse in luctu pro filio, & ideo specialiter meruisse illum habere redivivum; ex quo ait Div. Basilius Seleucus orat. 10. *Viduæ lachrymæ unigenitum Dei filium hodie traxerunt ad restituendam unigenito vitam.* Non sic alii doluerunt pro defunctis suis, ut sanctissima Virgo Maria doluit, & lachrymata est pro filio, & ideo hæc præ aliis meruit filium redivivum accipere; quò spectat Rupert. lib. 7. de divin. offic. c. 25. *Perpendere gestit*, ait, *christiana devotio, quantus torrens gaudii repentè inundans, locumque vulneris replens, animam Mariæ ferro doloris confossam inebriavit, cùm redivivus filius, illi ante omnes fortasse mortales, materno Virginem non defraudans honore victoriam suam annuntiavit.*

Virginis Mariæ lachrymæ meruerunt filium tenere redivivum.

240 Quinto hæc mulier in hoc signo magno, *cruciabatur ut pariat*; non dicitur quòd cruciabatur in partu, ut communiter accidit, sed *ut pariat*, veluti antecedenter ad partum; non erant ei dolores, ac anxietates, dum puerum ex visceribus emittebat, sed dum eum clausum in utero retinebat. Contrarium aliis matribus evenit, quæ maximè doloribus opprimuntur, dum pueri à maternis visceribus evehuntur, ut in lucem exeant, at hæc mulier non clamat cùm pariat, sed dum puerum in utero habet. Hæc mulier erat sanctissima Virgo Maria, partus verò Christus Jesus omnium divinorum bonorum fons, & origo; & hoc habet anima divino spiramine afflata, quòd dum cœlestia dona in se retinet, maximè inflammatur, ac angitur præ desiderio, ac affectu, ut talia aliis communicentur, eorumque participes fiant alii, at dum foras prodeunt, in aliosque derivantur, ut eorum sint consortes, maximè talis anima jucundatur, ac suaviter delectatur. Glos. Interlin. *Clamabat*, ait, *cupiens alios generare; significatur intensum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente.* Aptiùs D. Ambros. *Cruciatur, ut pariat, cùm luget eos, quos in peccatis jacere conspicit, sicut Paulus Apostolus infirmantibus discipulis loquitur, dicens: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Dolores, quos hæc mulier sustinet, non sunt materiales dolores, sed inflammata desideria spiritualia, ut Dei, quem in utero suo habet, alii sint participes, ut peccator justificetur, & ut sanctus sanctificetur adhuc.

Anima sancta inflammatur desiderio, ut cœlestia dona aliis communicentur.

241 Ait anima sancta loquens ad suum Sponsum Christum D. *Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te?* Cantic. 8. n. 1. Vehementi desiderio exoptat suum fratrem sugere lac de maternis uberibus, ut ipse cœlesti lacte repletus foris, ac in via communi inveniatur; & cur non potiùs in domo matris, ut dulcedine lactis potati ipsa peculiariter fruatur, ac delectetur? cur non in domo materna, in qua ipse hauserat lac, vult eum habere, sed tantùm foris? Bene agnoverat ipsa ingenium sui charissimi fratris, qui copiam cœlestium donorum sibi communicatam nolebat in una peculiari domo continere, sed foris in omnes exundare, ut omnes tantorum donorum ubertate replerentur, ac divites fierent. D. Ambros. ad hunc locum: *Vide illum intus, quando legis, quòd in sinu est Patris; cognosce illum foris, quando nos quærit, ut redimat.*

Divini Spiritus est sua dona aliis communicare.

242 Vulgaris est historia, quòd cùm Jacob cum uxore sua Rachele fugeret in Mesopotamiam à facie Laban, ipsa *furata est idola patris sui*; cumque Laban idola non invenisset in domo sua, persecutus est eos; tunc Rachel industria, ac sagacitate, *abscondit idola subter stramenta cameli*, Genes. 31. num. 34. Eleganter Oleaster ponderat evidens fuisse argumentum, quod illa essent idola, in eo quod absconduntur, nam si essent dii veri, non daretur anxietas, ad hoc ut absconderentur, sed potiùs ut communicarentur, & si Rachel esset plena Deo vero, toto affectu intenderet non illum abscondere patri suo, sed potiùs quòd pater illum haberet, ut eum verè coleret, ac adoraret, at cùm sint mendacia, maximè volunt abscondi, & occultari. Oleaster: *Furata est Rachel idola, quæ erant patris sui; hoc certum de hac dictione habemus, quòd videlicet significent imagines hominum, & quod loquantur.* Ecce quid significant, & loquuntur imagines hominum, abscondi, & occultari; at imago veri Dei manifestari in omnium vitam, & salutem maximè intendit.

Humana abscondo tur, quia pudenda sunt, divina publicantur, ut communicentur.

QUÆSTIO XXXII.

Quomodo hæc sancta mulier Virgo Maria ostenditur in cœlo, in utero habens cum fructu nuptiarum, si in cœlo non nubent, neque nubentur.

243 QUomodo hæc sancta mulier nobis proponitur in cœlo habens in utero, & tamen non exprimitur quando fuerit desponsata, siquidem in cœlo, teste Domino: *Neque nubent, neque nubentur*, Matth. 22. nu. 30. quomodo ergo hæc mulier ostenditur cum nuptiarum fructu, si in cœlo nuptiæ non sunt? Hæc fœmina Maria erat, quæ ut Spiritui S. nupta erat, ut filium Dei in utero haberet, sic nunquam poterat intelligi, nec in cœlo, nec in terra, absque eo quod nupta esset cum ordine, ac respectu ad uterum suum, in quo Dei filius carnem sumeret, nullum enim est instans excogitabile in Maria, in quo non intelligatur ut sui creatoris mater, juxta mentem D. Chrysolog. serm. 144. ubi ait: *Maria mater vocatur, & quando non Maria mater?* ergo nullum excogitari potest momentum, in quo divinissima maternitate non sit exornata.

Maria Virgo semper mater.

244 Ait Isaias nu. 1. *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascender;* ex eadem radice prodeunt virga, & flos; & quænam hæc virga, & quisnam hic flos? D. Ambros. de benedict. Patriarch. cap. 4. *Virga Maria, flos Mariæ Christus est*; videbatur ergo à Propheta dicendum: Egredietur virga de radice Jesse, & ex virga egredietur flos, ut communis & naturalis ordo postulat; quomodo ergo ait: *Egredietur virga & flos, ex eadem radice?* Virga Maria, & sic hæc sacratissima Virga egressa est à sua radice, ut simul secum asportaret suum florem Christum Jesum, quia ut genitrix illius prodibat, ac egrediebatur: *Et quando non Maria mater?*

Virgo Maria ut mater, processit ex sua radice.

245 Dicitur Proverb. 8. n. 24. 25. *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram; ante colles ego parturiebar*; quæ verba Ecclesia sancta adaptat B. V. Mariæ, in Epistola festivitatis conceptionis, ac nativitatis, & communiter sequuntur omnes Interpretes, Card. Hugo, Jansen. Salazar, Cornel. & alii; dicitur ergo, quòd ante omnes abyssos, profunditates scilicet, ac voragines aquarum, ipsa ab æterno concepta fuit in mente, & prædestinatione Dei. Et subdit Text. *Ante colles, ego parturiebar*; Aquila, Theodoret. vertunt: *Ante colles per partum erupi*; alii ex radice græca, *in partum exivi*; & cur simul in eodem signo æternitatis, dicitur concepta in mente divina, ac erumpens, & exiens in partum? quia ab æterno in illo signo sanctissima Virgo Maria non solùm prædestinata est à Deo, ut esset sancta, sed ut mater totius sanctitatis, ac dans in partu ipsum Verbum æternum incarnatum: *Et quando non Maria mater?*

Maria ut mater concepta.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare hæc sancta mulier animam justi significans, tantis doloribus cruciatur, ut pariat.

246 HÆc mulier magno pompatico apparatu, illustris apparet, Sole vestita, Luna pedibus calcata, & capite duodecim stellis coronata; & statim subditur: *Clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat*; quomodo cum tam magnifico, ac pomposo apparatu, tot sunt dolores parturientis? quæ licèt celsa magnitudo, pro sua appendice habet semper dolores, ac labores, magnosque cruciatus.

Magnitudo pro appendice habet labores.

247 Quæstio tamen præsens est; quomodo hæc mulier quæ juxta multos Patres superiùs allatos, significat animam justi, tot doloribus parturientis cruciatur ut pariat? Cruciatur tamen animi justi præ desiderio, ut Deo pariat filios spirituales; sed cur,

ut

ut tales filios spirituales Deo pariat? num sat erat eos parere? ad quid tot cruciatibus intervenientibus? Quia justus non quomodolibet aliorum salutem desiderat, sed cum multa anxietate, ac dolore, quæ omnia debet sustinere, ut eos Deo, ac cœlo pariat filios. Albert. Magn. sic ait: *Cruciatur*, scilicet justus, *vigilando, orando, prædicando, jejunando, ut pariat, id est, Christo filios; quasi diceret: Torquetur desiderio, & fervore convertendi peccatores, etiam exteriori afflictione:* vide supra q. 33. n. 248.

248 Secundò quando hæc mulier erat habens in utero, & fœcunda facta est, non legitur quòd præ cruciatibus clamasset, sed cum parere vult, ac fœtum emittere, ut jam natura perfectum, ac completum, tunc præ doloribus *clamat parturiens, & cruciatur ut pariat;* quid est hoc, nisi quòd facile est bonum concipere mentem, facileque illud inchoare, at verò illud perficere, absolvere, & consummare valde difficile? quod multis doloribus, ac cruciatibus opere adimpletur, ut optimè observavit D. Gregor. Magn. lib. 12. Moral. cap. 4. explicans illud Cantic. 7. num. 12. *Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*; non tantùm quærit anima sancta flores, sed fructus, non tantùm initia bonorum operum, sed illorum consummationem; sic ait Sanctus Pater: *Non tam intuendum est, si vineæ floreant, quàm si flores ad fructuum partum convalescant, quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret; etiam facile est proponere bonum, & illud inchoare, sed perficere difficilius*; nam tunc potissimè caro contra spiritum insurgit, Mundus, & Diabolus bellum excitant, cum conceptum desiderium in opus prodire incipit. Et cum magno mysterio proponitur verbum *parturiens*, quod significat cum dolore parere, ad significandum, quod cum multo dolore, ac sudore bona proposita deducuntur in actum, quia sæpè contingit id, quod Isaias deplorat 37. n. 3. *Venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi;* at cùm ex Dei gratia virtus pariendi adest, non meminit pressuræ propter gaudium.

Facile bonum proponere & inchoare, difficile illud perficere.

249 Tertiò per hos clamores, & cruciatus parturientis, benè intelligit Rupertus tentationes, & labores, quos justi anima patitur, dum est in corpore; sed inter tot molestias, ac persecutiones, illud ponitur ad solatium, nimirum, *in utero habens*; quid significat in utero habens? Habet quidem anima justi, quæ tentationibus premitur, Deum tanquam sibi datum, aut filium ex legitimo thoro conceptum. Eleganter Rupertus lib. 3. de vict. cap. 11. sic ait: *Quid habens, & undè habens? habens, inquit, semen in quo benedicentur omnes gentes: & hoc habens ex creatore Deo creatura rationalis, tanquam proprio vitro uxor legitima.* O felix anima, quæ tentationum & laborum novit sustinere pressuras! ob quas Deum facit suum, & ipsum ut bonum proprium habet, ut decantat regius Vates Psal. 90. n. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino: Susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* Verba sunt hominis, in arcto positi, qui multiplices sustinebat adversariorum impetus, inter quos ipse maximè agitatus inveniebatur, veluti damula inter voces, ac spicula venatorum, dum hinc, & illinc agitatur; & tunc clamat ad Dominum dicens: *Susceptor meus es, tu Deus meus;* & cur sic loquitur Deus meus, & non potiùs Deus noster? nisi quia hoc est privilegium eorum, qui ab hostibus impugnantur, ut Deum suum peculiarirer habeant, tanquam si ex sufferentia, ac jure suorum laborum, Deus specialiter ad eos pertineat, in protectionem, ac refugium. D. Bernardus serm. 3. ad illa verba: *Cur non Deus noster? quia in creatione, & in redemptione, cæterisque communibus beneficiis, est Deus omnium, sed in tentationibus suis, tanquam proprium eum habent singuli electorum; sic enim paratus est suscipere cadentem, & eripere fugientem, ut videri posset relictis omnibus aliis, ei soli operam dare.*

Qui multis tentatur, ac vexatur Deus habet peculiariter suum.

250 Quarto ait Joannes in præsenti: *Signum magnum, seu miraculum magnum apparuit in cœlo; mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim, & in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pariat*; & quodnam hoc miraculum, seu signum magnum, quòd cùm mulier tot præclaris luminibus pompaticè esset exornata, desideriis tamen cœlestium maximè inflammata urgeretur? Glossa moralis: *Cruciatur ut pariat; per hoc significatur intensum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente.* Ecce signum magnum, & omnibus sæculis invisum portentum, quod mulier potiatur illustrissimis temporalibus luminibus, & æternorum desideria foveat in pectore, & quòd mundiali pompa sit ornatissima, & quòd cœlestia suspiret in mente, quasi hæc duo sibi quodammodo contrarientur, humanis videlicet exundare, & virtutum desideriis ardere. Ex quo conjice quantum humana spiritualibus obsistunt; quia dum mulier solaribus radiis, stellarum luminibus, Lunæ luce exornatur, doloribus cruciatur ut pariat: *Per hoc significatur intensum desiderium implendi in opere, quod concepit in mente;* at degens in deserto denudata omni mundiali apparatu, nullo dolore premitur: dum ergo ipsa tam radiante fastu undique circumdata, ac cincta apparet, desiderium, quòd animo conceperat, à tanto splendoro tantisper impediebatur in lucem edere, ac opere exequi, at verò, postquam omnem ornatum deposuit, & à tot hujus sæculi luminibus est orbata, tunc feliciter, ac valde suaviter, se totam consecrat devotioni, ac dedicata vivit pietati. Richardus apud Glossam: *Ad spiritualem conversionem, ut solis divinis intendat, recedit.*

Maximè temporalia impediunt affectum æternorum bonorum.

Joseph senectutis filius, somnia à se visa, sincero animo patri, coram fratribus refert: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*, Genes. 37. numero 7. An verò illius significatum cognoverit, penitus ignoratur; illud tamen apertè agnoscitur, quod in execrabilem invidiam, & immortale fratrum odium inciderit: *Ita ut consestim ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari, & polymita*; & tandem ut captivus venditur in Ægyptum, ubi per varios casus conjectus est in carcerem, in quo etiam duo Pharaonis servi detinebantur, qui cùm somnia à se visa ei narassent, ille eis veritatem aperuit, & futuros eventus optimè prædixit; Genes. 40. numero 12. *Hæc est interpretatio somnii: tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, & dabis ei calicem juxta officium tuum, sicut antefacere consueveras*; similiter & verum eventum socio prædixit. Ecce Joseph proprii somnii non profert interpretationem, qui tamen aliorum prædicit eventum; quænam hujus rei causa? forsitan quia homines obcæcantur in propriis, qui in alienis acutissimi sunt? Minimè quidem; quæ ergo causa? Somnium non cognovit, dum in domo patris ab eo summè diligebatur, ac veste polymita exornatus erat, at in carcere ferè omnibus denudatus, ærumnis affectus, vinculis, ac compedibus ligatus detinebatur; in carcere nudus, ac ab humanis rebus, mundialibusque negotiis spoliatus, somniorum fit interpres, & mysteriorum conjector, qui, prospera aspirante fortuna, sua non penetraverat somnia, dum splendido ornatu fulgidus, præ reliquis à patre diligebatur. Ecce quomodo pomposa affluentia hujus sæculi, mentem impedit ad alta mysteria, quæ si ab hujusmodi sit libera, maximè ad illa volat. Joannes Fierus: *Quem fratres irrisoriè somniatorem nominaverant, nunc incarceratus, somnia interpretandi gratiam accepit.* 251

Ille solum valet agnoscere Mysteria alta, qui contemnit caduca.

Erat Job in domo sua vir valde magnus inter omnes Orientales, & cùm filii ejus facerent convivia per domos suas, unusquisque in die suo, Job in alta, ac profunda oratione erat pro eis, *& sanctificabat illos, & consurgens diluculo offerebat holocausta pro singulis*, Job. 1. n. 5. Inter tot orationes, ac holocausta nullum habemus cœleste mysterium, quod Job dixisset, ac docuisset, ut postea vidimus factum cum tribus amicis suis, quibus superna, & alta arcana aperuit. Quando Job orabat, ac offerebat holocausta 252

pro filiis, erat valde magnificus, ac plenus copia boum, ovium, camelorum, equorum, ac cæterorum omnium bonorum, at cum amicis suis erat in sterquilinio, ab omnibus denudatus, & orbatus; nudus ergo ab omnibus, agnovit cœlestia mysteria, ita ut diceret, & doceret, ad quæ impeditur dum multa temporalium copia erat plenus, ac circumdatus, ut inde agnoscas illuminari sæpiùs mentem ad indaganda divina, ad quæ abundantia rerum humanarum impeditur. Olympiod. in Catena Græca: *Qui inter holocausta Deum orabat, postea cum amicis ex ore Dei loquebatur*; quando nempe nudus in sterquilinio cum eis agebat alta mysteria eructans.

Copia temporalium impedit mentē ad cœlestia nuditas verò ad illa acuit.

Apoc. 12. *n.* 3. Visum est aliud signum in Cœlo, & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus suis septem diademata.

VERSIONES.

Arabicus. Apparuit etiam aliud signum; ecce enim serpens rubeus, ingens.
Syriacus. Ecce draco magnus ignitus.
Oecum. Super cornua ipsius diademata septem.
Vatabl. In capitibus suis diademata septem.

EXPOSITIO.

253 *Visum est aliud signum*; nempe res mirabilis, & prodigiosa, quid magnum, & extraordinarium denotans. Et dicitur *aliud signum*, ut valde diversum à priori. *In cœlo:* tum quia Diabolus à multis in idolis colitur, quasi Deus residens *in cœlo*; vel in cœlo aereo, in quo ipse dominatur, & quia cùm mulier apparet in cœlo aereo, in eo erat etiam draco insidians ejus partui. *Et ecce Draco.* Particula, *Ecce*, rem magnam, & notatu dignam designat. *Draco magnus*; Diabolus scilicet, draco per ferociam, magnus per superbiam, & potestatem, nam, ut dicitur Job. 41. n. 24. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei.* Et iste draco dicitur *Rufus*, quia est homicida, Joan. 8. n. 44. nam Adam & Evæ, omnibusque ejus posteris fuit causa mortis, & per suos ministros infideles, & hæreticos, multos fideles affecit martyrio, ac plures eodem afficiet per Antichristum in fine Mundi.

254 *Habens capita septem*; quæ sunt septem peccata capitalia, septem scilicet spiritus nequitiæ, utpote superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, iræ, gulæ, acediæ. *Et cornua decem.* A dracone septem capitibus efformato prodeunt decem cornua, quibus ipse armatur ad impugnandum, ac ad stimulandum homines, ad transgressionem legis naturalis, quæ in decem præceptis Decalogi continetur; & sic intelligenda decem cornua in septem capitibus, ut unumquodque caput tot habeat cornua, quot ad illud vitium capitale spectat transgressio divinorum mandatorum, de quo infra q. 38. *Et in capitibus ejus diademata septem.* Quibus denotatur, quod per septem vitia capitalia, Diabolus principatur in Mundo, & regnat in suis, ut latius explicabo in quæstionibus, nam dicam quod hæc visio est omnino distincta ab ea, quæ habetur c. 13. & 17. nam in his est sermo de Antichristo, in præsenti verò de Diabolo.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare in præsenti Diabolus dicitur draco magnus.

255 Hic per draconem Diabolum communiter intelligunt interpretes, Ansbert. Beda, Alber. Mag. Hugo, & alii. An verò hic per draconem accipienda sit tota dæmoniorum respublica, atque collectio, quod dicatur habere capita septem, & cornua decem, ut vult Alcazar, an verò solus Lucifer, ut contendunt Cornel. & alii; lis pro hac sententia secunda, adjudicanda videtur, ut probant dicta, & confirmant sequentia verba nu. 4. *Et cauda trahebat tertiam partem stellarum cœli*, nu. 9. *Projectus est draco ille magnus.* Et Angeli cum illo missi sunt; hæc enim ostendunt in dracone sermonem esse de Lucifero primario dæmoniorum, ut ab aliis distincto, quos seduxit ipse.

Draco hic sumitur pro Lucifero.

Ad quæstionem: Nomine draconis hìc intelligitur serpens, ut patet ex n. 15. quia invidia, ac superbia sua adjunxit tergiversationes, & technas, ac insidias, ut in Paradiso; per allegoriam verò hic *draco* appellatur, propter suam arrogantiam, superbiam, invidiam, crudelitatem, ac violentiam, in quibus eminet draco. *Magnus* autem dicitur, non quòd reperiantur dracones magni, ut ille serpens de quo Plinius lib. 8. c. 14. qui erat oblongus centum pedes, & ut alii, qui in India dicuntur deglutire integros tauros, & cervos, sed quia hoc dracone qui alas habet, superbia, invidia, arrogantia, crudelitate, atque violentia nullus unquam major repertus est ad naturæ præstantiam, quæ sicut in veritate dum stetit, fecit illum inter Angelos magnum, ita dum à veritate defecit illum magnatem inter dæmonia, dæmoniorumque Principem constituit, undè blasphemi illi, de Christo dicebant: *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, Luc. 11. n. 15. Proindeque Lucifer, statim ac contra Deum prævaricatus est, draco magnus factus est, tum tota præstantia naturæ in malum commutatæ, tum præstantia superbiæ, atque nequitiæ, quibus malorum Princeps, ac caput factus est. 256

Diabolus superbia, invidia, ac malevolētia draco.

Secundò, sicut dracones alati reperiuntur, qui inde in sublime feruntur, sic etiam dæmon est de genere alatorum draconum, ob suam superbiam, quæ supra omnem creaturam voluit ascendere. Tertiò, quia dracones reperiuntur in calidioribus regionibus; sic præcipuè dracones in adolescentia, quæ ætas vegetior est, & ardentior, libidinis, aliarumque passionum facibus infestant. Quartò dracones habitant potissimùm circa turrim Babel in desertis antiquæ illius Babylonis, ingentesque ibi reperiuntur; sic isti dracones Babel, id est, mentis perturbationem, atque confusionem amant, & efficiunt, ibique potissimum habitant, indeque dæmon Rex Babylonis appellatur, ut docet D. Greg. Magn. l. 7. Moral. c. 16. ubi expendens, quomodo Nabuchodonosor filios Sedeciæ ante oculos ejus, & omnes nobiles Judæorum trucidare fecit, sic ait: *Occidit Rex Babylonis filios Sedeciæ, & oculos ejus fodit, ut refertur* Hierem. 39. n. 6. *Rex Babylonis est antiquus hostis, possessor intimæ confusionis, qui priùs filios ante intuentis oculos trucidat; quia sæpè bona opera interficit, ut hæc se omittere ipse qui captus est dolens cernat; & ad hoc quandoque eo peccati usu perducitur, ut ipso quoque rationis lumine privetur.* 257

Diabolus stimulat adolescentes ad lasciviam.

In omnibus confusionem generat.

Quintò Divus Bernardinus Senens. tom. 2. serm. 29. art. 7. mysticè per draconem, detractorem interpretatur; sed quæ combinatio inter utrumque? nam draco voracissimum est animal, & non latenter, sed palam in adversarium suum grassatur, venenumque suum in ipsum evomit, tamen cùm draco sit astutissimus, simul sæpè se exanimem, ac mortuum fingit, ut incautos devoret. Ecce cur draconi rectè assimilatur detractor, ipse enim omni malitia refertus est, & ideo meritò draconi comparatur, quod est animal astutissimum, lingua enim detractoris, maximè versatur cum studio fallendi, ac decipiendi, & ideo se sæpè fingit tanquam humilem, ac mortuum: *Et cauda sua trahebat tertiam partem stellarum*; quia in fulgentissimas stellas detractor intendit effundere suum venenum: *Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terram*, Psalm. 72. num. 9. Sextò Lucifer hic dicitur draco, ab ore verò Christi, sicut fulgur denuntiatur: *Videbam*, ait, *Satanam sicut fulgur, de cœlo cadentem*, Luc. 10. n. 18. quomodo utrumque cohæret? fulgur, non substantiam, sed apparentiam habet lucis: hæc est conditio iniquorum Satanæ, quòd exteriùs habeant virtutis splendorem, interiùs verò venenum draconis. 258

Detractor in fulgentissimas stellas intendit effundere suum venenum.

Iniqui exterius habent splendorē virtutis interiùs venenum.

Sextò dicitur Job. 1. num. 6. *Quadam die, cùm venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, affuit inter eos Satan.* Ecce Diabolus in propria persona venit 259

in con-

in concilium angelicum, ut immissa tentationum tempestate pugnaret contra Job; at idemmet Diabolus, dùm exiit in pugnam contra hanc mulierem amictam Sole, draconis specie venit indutus; cur ergo Diabolus in pugnam egreditur contra Job detecta facie, contra mulierem, draconis figura? Contra Job sævo, ac crudeli bello omnium tentationum, ac tribulationum decertabat Diabolus, at contra mulierem progrediebatur ad bellum, *habens capita septem, & in capitibus suis septem diademata*; per quæ juxta graves auctores intelligitur septem Imperia, eorumque septem diademata, quæ septem Mundi ætatibus floruerunt, ut infra referam. Ecce cur Diabolus contra Job progreditur detecta facie, adversùs verò mulierem, mutato vultu, ac forma. Malignitas Diaboli contra justos, ac sanctos apertè pugnare non verecundatur; at omnia regna, imperia, ac principatus sibi soli velle usurpare, adeo turpe, & execrabile est, ut impudens Diabolus multùm verecundia, ac rubore afficiatur, indeque si cum illis omnibus insignitus appareat, septem diademata asportans, mutata facie, alienoque vultu prodit, ac exit.

Diabolus verecundatur, dum omnes Principatus ambit.

260 Septimò mira est antipathia draconis, & elephantis; hæc duo animalia, sese invicem gravi odio insectantur, dracones enim sunt tantæ fortitudinis, ut spira caudæ, circumligatis elephantis cruribus, hoc grave animal præceps ad terram ruat, draconemque uno eodemque tempore etiam secum elidat; de quo audiendus est Divus Ambrosius lib. 3. in Hexaemeron. cap. 9. hoc certamen describens: *Draco*, ait, *elephantem ligat, cujus ruina mors victoris est; & ideo summè in utrunque certatur; ille ut pedem alliget, in quo casus victi sibi nocere non possit, iste ne posteriore extremus pede, aut calce capiatur angusto, sui, vel ipse non se queat retorquere, & draconem gravi proterere vestigio, vel sequentis elephantis auxilium non habeat.* Draco elephantem suo amplexu ambit, noxioque nodo constringit, ac interficit, & elephas sua gravi mole cadens draconem enecat. Ecce cur draco Diabolus à Joanne merito nuncupatur; quia quemadmodum draco bellum cum elephante gerit, & ruina elephantis mors est draconis, ita dæmon Christum aggressus, & per suos ministros eum interficiens, ab eodem moriente oppressus fuit, juxta illud Oseæ 13. num. 14. *Ero mors tua, o mors: morsus tuus ero inferne*; ubi mortis nomine, non solùm mors ipsa, sed etiam Diabolus mortis causa accipiendus est. Eusebius lib. 4. de demonstr. Evang. cap. 12. hunc locum de Christo intelligit, quia sua morte victoriam de morte, & Diabolo retulit, & momordit infernum, dum seipsum, & Patres secum resurgentes, à faucibus inferni eripuit, & ad vitam revocavit. Divus Gregor. homil. 12. in Evangelia sic scribit: *Quia in electis suis, funditus occidit mortem, mors mortis extitit; ait ergo, ero mors tua o mors; ac si apertè dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua o mors; ero morsus tuus, o inferne, quia sublatis eis, ex parte te transfigo*; similia habet D. Cyprian. in Symbolo Apost.

Diabolus Christum aggredies, ab eo opprimitur.

261 Octavò qui speciem draconis usurpavit Satanas, qui Angeli natura resplenduit, & Cherub extitit sapientia plenus, ac magnis luminibus condecoratus, ut dicitur Ezechiel. 28. n. 12. & 14. *Tu signaculum similitudinis, tu Cherub extentus, & perfectus decore*; si ergo Cherubica natura erat insignitus, quomodo in serpentinam degeneravit naturam, ut simpliciter serpens dicatur? Quia licèt angelica natura fuisset nobilitatus, citissimè tamen eam obscuravit, & diu deinceps serpentina malitia depravatur: temporis ergo longitudo indecorum nomen indidit, ut brevitas gloriosum nomen delevit; ideo non annumeratur Angelis, sed serpentibus, qui exiguo temporis spatio virtutibus ornatur, & longissimis temporibus serpentis malitia repletur. Haymon apud Glossam: *Per Draconem*, ait, *Diabolus intelligitur, qui apertè quoscunque potest deglutire non cessat; & quia diu est, ex quo hominibus nocet.* Quantumvis Angelus, inter Angelos non censetur, sed numero serpentum adscribitur, quia diu serpentinas artes amplexatur, & citissimè

Quod exiguo temporis spatio duraverit, idem est, ac si non fuisset.

cœleste ingenium obscuravit; non est hominis nomine dignus qui diu naturam vitiis depravavit, & instar bruti omni libidine immergitur.

Precibus Elisæus impetrat à Deo filium viduæ Sunamitidis, qui cùm esset in lucem datus, flore ætatis, morte superveniente, subripitur; mater morte impatiens, magno lachrymarum imbre profuso Prophetam adit, in hæc verba prorumpens, 4. Reg. 4. n. 28. quæ dixit illi: *Nunquid petivi filium à Domino meo? nunquid non dixi tibi ne illudas me?* Ultima verba Septuaginta transferunt: *Nonne dixi tibi: Non decipies?* Vatablus: *Ne fallas me?* quomodo mulier gratitudinis oblita, sic Prophetam criminatur, quòd ipsa delusa, ac decepta fuerit ab eo? nonne ipse depulit sterilitatis opprobrium, & virilem sexum impetravit? quomodo ergo mulier hoc fallaciam, ac deceptionem dicit? nam ipsa verè filium petivit; in quo fallacia, ac deceptio? Valde prudenter mulier se queritur elusam, ac deceptam; filium accepit, ut brevissimè auferendum: quod ergo exiguo adeo tempore floruit, meritò delusio, ac deceptio oculorum appellatur, & sic reputatur tanquam si nunquam fuisset. Abulensis quæst. 43. *Filium citò moriturum, & non dari filium, sunt æqualia, cùm nihil, & inutile æquiparentur; & si non datus fuisset filius isti mulieri, Elisæus mentiretur, & ipsa posset dicere se illusam: ita nunc cùm datus fuisset filius ei, qui citò mortuus est, poterat dicere Elisæum mentium fuisse, & se esse delusam.* 262

Bonum datum, ac citò ablatum idem est, ac si non fuisset.

Post mortem Josue, consuluerunt filii Israel Dominum, quisnam futurus esset eorum dux, ac princeps belli contra Chananæum; *Dixitque Dominus: Judas ascendet*, Judith. 1. num. 2. Communis vox Interpretum est, quod hìc ponitur Judas non pro aliqua determinata persona, sed pro tribu Juda: ita Divus Augustinus quæstione 2. Procopius, Richardus, Hugo, Lyranus, cum hebræis, Abulensis quæstion. 2. & 4. Cajetanus, & alii. Ex tribu Juda eligitur Dux, cur tamen ejus nomen supprimitur? Hugo & alii citati, existimant Calebum, utpote in re militari maximè peritum, omnique virtute conspicuum, electum fuisse in Ducem, ac principem populi. Sed inde merito dubitabis; cur cum cæteris judicibus non annumeratur, & cur ejus nomen literis non exprimitur? Respondet citatus Hugo, quòd brevi ac exiguo tempore, tali munere functus est, & ideo ejus nomen silentio involvitur, & sic ait: *Creditur Caleb, qui fuit de tribu Juda, populo præfuisse; sed pro modicitate temporis, nec rectoribus, nec judicibus annumeratus est.* Cum cæteris judicibus non computatur Caleb pro brevitate temporis officii sui, quæ enim brevissimè transeunt, ac si non fuissent, reputantur. 263

Officium breviter durans reputatur pro non esse.

QUÆSTIO XXXV.

Quare draco iste rufus, seu ignitus apparuit, & non alio colore perfusus.

At noster Joannes in præsenti: *Visum est aliud signum in cœlo: Draco magnus, & rufus.* Cùm ait: *Visum est aliud signum*; à primo nempe diversum, ac distinctum, primum enim fuit signum salutis, & clementiæ, secundùm perditionis, ac damnationis; primum bonitatis, ac misericordiæ Dei, secundùm malitiæ Diaboli, & invidiæ: Semper misericordia Dei primatum tenet. Et ait Evangelista: *Ecce draco magnus, & rufus.* Valde notanter appositit illam particulam *Ecce*; poterat dicere: Visum est aliud signum in cœlo; draco magnus, & rufus; tamen ex alta consideratione apponit particulam *Ecce*, ut indicaret draconem inferni, semper esse promptissimum, ac paratissimum ad omnibus nocendum. Albertus Magnus: *Nota*, ait, *ecce, est adverbium demonstrandi, in quo notatur, quòd semper præsto est ad nocendum.* 264

Diabolus ad nocendum promptissimus.

Tamen notatu dignissimum est, quòd Joannes hęc duo signa referens ait, vers. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus*; deinde vers. hoc 3. *Visum est aliud signum in cœlo: Et ecce draco magnus rufus.* Joannes referens hæc 265

deo signa, priùs describit Mariam totius cœli splendore fulgentem, & undequaque solaribus radiis circumsceptam, ita ut in ea nullus detur tenebris locus, & postea cruentum, & sævum draconem describit; cur draco non apparuit priùs quàm mulier, aut cur non simul cum ea? Quia cùm hæc mulier typus esset Mariæ omnium creaturarum cœli, & terræ Reginæ, & draco dæmonem denotaret serpentem pestiferum, & antiquum, qui protoparentes decipiens, totum humanum genus culpæ veneno infecit, oportuit, ut Maria totius cœli claritate priùs fulgeret, quàm dæmoni veniret in mentem, quod posset eam macula peccati inquinare; quomodo poterat Angelorum, ac hominum Regina tantis splendoribus præfulgens, à tenebrarum principe obscurari?

266 Ad quæstionem: Diabolus in præsenti comparatur draconi, non cuilibet, sed *rufo*, seu *igneo*, ut vertit Syrus. Cùm dracones inveniantur nigri, & alii cinerei, & alii fulvi, cur iste draco rufus est? Tum, ut dicunt Viegas, & Alcazar, ob vafritiem, sunt enim rufi serpentes cæteris callidiores, & exitialiores; tum etiam ob crudelitatem, & sævitiam: ille erat homicida ab initio, ut dixit Dom. Joan. 8. nu. 44. An verò dicatur rufus, seu ignitus, eo quòd sint dracones, qui ignem vomunt, ut habet Lessæus in sua Scotia, non probo, sed ob crudelitatem.

267 Diabolus prævidens finem Mundi crudelius desæviet. Et sic ait Primasius: *Draco rufus, id est, cruentus, & sævus*; & peculiariter, cùm hoc, respiciantur ultima tempora, ideo draco, seu Diabolus rufus, seu ignitus apparet, quia quanto propinquiùs finem Mundi videt, tanto crudeliùs infert persecutiones. Patrocinatur D. Isidorus lib. 1. de summo bono: *Dæmon*, ait, *triplici acumine præscientiæ, scilicet subtilitate naturæ, experientia temporum, revelatione superiorum potestatum præditus, quantò propinquiùs finem Mundi videt, tantò crudeliùs persecutiones exercet, ut qui se continuò damnandum conspicit, socios sibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicetur.*

258 Et quando Diabolus à sua crudelitate, ac perversitate cessavit, cùm ipse sit sævus, ac crudelis inimicus cum tota sua dæmoniorum caterva, ita ut quilibet ex eis, totas suas vires adhibeat ad hominem vexandum, ac persequendum? Dicitur Job. 1. n. 19. *Repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos*; & quomodo unus ventus veniens ab una regione deserti, concussit quatuor angulos domus simul? quis unquam vidit tale? & quamvis concedamus, quod Dæmon in vento veniret, ad quid necessarium erat quatuor angulos concutere, cùm si unum angulum ventus impeteret ad ruinam, tota domus corrueret, opprimens filios Jobi? Non unus, sed multi dæmones, qui sunt illa capita istius draconis concurrebant, quorum tanta est aviditas in hominibus perdendis, ut nullus segnior esse vellet, sed præ sua crudelitate, omnes ex æquo universos angulos domus concutiebant; quod pulchrè notat Orig. hom. 1. in Job: *Super unum angulum*, ait, *poterat quatere, cur per omnes quatuor angulos tetigit? Ut ostenderet ferociam, atque animum suum homicidialem, nam omnes dæmones, mox ut relaxati sunt, & permissionem acceperunt, continuò omnes generaliter, ab omnibus partibus super domum irruerunt festinantes, atque adversùm invicem rapientes, qui primus hoc homicidium perpetraret, ingentem unusquisque eorum sibi reputans dolorem, si prior illo alter procederet ad ejus perditionem.* Tanta est singulis dæmonibus sævitia in homines, ut in hoc nullus patiatur videri segnior altero, ingentemque sibi dolorem illatum putet, si minùs possit nocere. Omnes simul currunt, & concurrunt in hominem, hoc sibi quisquam magnum reputans, si nullus præcedat, ac præcurrat.

Maxima dæmonum aviditas in hominibus perdendis.

269 Quod optimè explanat D. Basilius, in Psalm. 61. n. 4. ad illa verba: *Quousque vexatis in hominem? interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ*, Magna quidem dæmonis rabies, & crudelitas, quod omnes in unum hominem exurgant, omnesque in eum irruant; sed inde major eorum rabies demonstratur, quod omnes illi unum hominem interficiant: *Interficitis universi vos*. Vos universi interficitis, seu, ut explicatiùs habet Chaldaic. *Cuncti evaditis homicidæ*; ubi ingeniosè addubitat D. Augustinus: Quomodo tot hostium turmæ, tot inimicorum myriades unum hominem solum possunt interficere? Sanè ab uno interfectus jam reliquos non timebat, nam reliqui omnes jam non habent, quem occidant; cur ergo dicuntur cuncti occidere? Rationem hujus reddunt ipsius Augustini verba, ubi sic habent: *Quousque apponitis super hominem?* Quibus expendendum est verbum, *appono*; hoc est simul, & juxta pono, non enim dæmonum rabies patitur, ut alicujus telum adversùs hominem præponatur, ut aliquis eorum ocyor currens, præponat hastæ suæ vim super hominem: omnes simul irruunt, omnium tela simul posita, & appositа apparent, præpositum nullum, quia nullus est, qui in perdendo homine cedat alteri primas.

Dæmones maximè crudeles in homine, & in hoc uni non vult cedere alteri.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare draco iste in præsenti septem exhibet capita.

270 IN limine quæstionis, illud notandum, quòd ubi primùm apparuit sanctissima Virgo Maria, amicta Sole, statim conspicitur draco iste, id est, Lucifer princeps dæmoniorum cum septem capitibus, sub quibus multi intelligunt universitatem dæmoniorum; nam septenarius numerus universitatem quandam significat, ut sæpè dixi, & dicam in hac quæstione: quomodo argo adversùs unam virginem tot dæmones, cùm unus tantùm, & unico serpentino capite exiret in bellum contra primos parentes? Quia hæc unica Virgo terribilior est ipsis malignis spiritibus, quàm omnis sanctorum chorus, & ideo omnes dæmones conglomerantur ad eam impugnandam; cujus rei pulchram rationem, dat Richar. de S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virg. *Ipsa dicitur*, ait, *terribilis ut castrorum acies ordinata, Cantic. 6. ipsa enim tantùm est dæmonibus terribilis, quantùm Angelis, & sanctis extitit venerabilis; id est: Sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Angelorum, Virginum, & omnium qui ordinati contra Diabolum pugnarunt; nam quia omnium sanctorum privilegia habet in se congesta, undè dicitur Cantic. 7. num. 13. Omnia poma nova, & vetera servavi tibi dilecte mi; ita terribilis est omnibus dæmonibus, sicut universa collectio sanctorum aliorum.*

Maria terribilior dæmonibus, quam universa collectio Sanctorum

Ad nostram quæstionem, quæ inquirit: Cur iste draco in præsenti habet septem capita? Cornelius, 271
Ribeira, & alii contendunt, quòd in isto dracone septem capita sint septem Reges, è quibus unus, isque præcipuus erit Antichristus; sex reliqui erunt illius percussores, illumque alii per plura, alii per pauciora fæcùla anteibunt. At hæc sententia confundit ea, quæ hic dicuntur, cum illis, quæ referuntur c. 13. n. 1. & c. 17. in quibus proponitur bestia ascendens de mari, habens capita septem, & cornua decem, quæ juxta communem sententiam est Antichristus; ad quid toties ejusdem rei erit repetitio? & ad quid toties eadem erunt inculcanda, & sine ullo ordine, & multa confusione? & præcipuè, ut dicitur cap. 13. num. 2. *Draco dedit potestatem, & virtutem bestiæ*; ergo draco distinctus est ab ipsa bestia; sanè draco non sibimetipsi dabit virtutem, & potestatem.

Impugnatur eorum sententia.

Et ideo dicimus, quod in præsenti, sub isto dra- 272
cone intelligitur Lucifer princeps dæmoniorum, ut jam dixi, qui cùm se vidisset dejectum è Cœlo, maximè se armavit ob suam invidiam contra Christi D. excellentiam, ac contra genus humanum, ob gratiam acceptam à Christo; & ut homines dejiceret, ac perfunderet, ad arma veluti sua intrinseca recurrit, excogitans septem vitia capitalia, quæ sunt septem capita iniquitatum, ut dixi in expositione, & cornua decem, decem nempe tentationes fortissimas ad transgredienda decem præcepta Decalogi, ac legis naturalis, tunc cap. 13. se convertit ad sua instrumenta, & arma veluti extrinseca, ad tyrannos, & præcipuè ad Antichristum, ac ejus sequaces, per quos persecutus est, & persequetur Christum, & ejus Ecclesiam.

Vera, & genuina sententia.

Aliqui

273 Aliqui auctores per hæc septem capita omnes dæmones, seu universitatem dæmonum intelligunt, nam septenario numero universitas significatur, ut testatur D. Gregor. Magn. in Catena D. Thom. juxta illud Marc. 16. n. 9. *Surgens Jesus apparuit Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia*; per quæ, ait, universa peccata significantur, cùm enim septem diebus, omne tempus comprehendatur, inde rectè septenario numero universitas significatur: Hanc tamen opinionem jam impugnavi supra q. 34. in limine n. 255.

274 Septem capita, septem vitia capitalia. Vera ergo sententia est, quòd per septem capita draconis, intelliguntur septem nefarii spiritus, quos sancti Patres dæmoni adscribunt, scilicet, spiritus superbiæ, avaritiæ, luxuriæ, invidiæ, iræ, gulæ, acediæ; hæc enim septem vitia ab his septem draconis capitibus nascuntur, & cum sint omnium vitiorum, ac malorum fontes, Patres capitalia appellant, de quo D. Gregor. lib. 31. Moral. cap. 31. Cassian. collation. 5. ca. 2. qui addit eis cenodoxiam, id est, inanem gloriam.

275 Et quamvis Scriptura, capita hæc non describat, ut dicunt Alcazar, Cornelius, Ferrarius suspicari licet fuisse ea horum septem animalium, scilicet leonis, tigridis, ursi, viperæ, lupi, serpentis, & asini; dæmon enim, dum tentat, nunc caput, & vultum superbi leonis nobis ostendit, nunc serpentis invidi, nunc viperæ iratæ, nunc asini ignavi, nunc lupi guloſi, nunc tigridis avaræ, nunc ursi luxurioſi. Ad sensum moralem nunc veniamus.

Quænam capita hujus Draconis?

276 Et secundò aliqui graves auctores, quos tacito nomine refert Magister Joannes de la Haye per septem capita, interpretantur septem spiritus malignos, qui opponuntur contra septem dona Spiritus Sancti; Luc. 11. n. 26. *Tunc vadit, & assumit septem spiritus nequiores se*; & hi sunt: Primus, spiritus insipientiæ, contra sapientiam; secundus, spiritus stultitiæ, contra intellectum; tertius, spiritus imprudentiæ, contra consilium; quartus, spiritus ignaviæ contra fortitudinem; quintus, spiritus ignorantiæ, contra scientiam; sextus, spiritus impietatis contra pietatem; septimus, spiritus temeritatis, contra timorem.

Septem spiritus maligni contra septem dona Spiritus Sancti

277 Tertiò D. Antonin. 1. part. sum 13. titul. 6. per hæc septem capita, intelligit septem tentationum genera; prima tentatio dicitur importuna, qua scilicet Diabolus continuè, & frequenter ad malum instigat, ut vires tentati debilitet; secunda, tentatio dicitur dubia, qua animus, vel mens tentati dubitatione involvitur, circa aliquid flendum, & hac pulsatus fuit Moyses ad aquas contradictionis; tertia tentatio dicitur subita, quando mens veluti ex improviso rapitur, & hac commotus fuit Aaron, quando petente populo, ut ei faceret Deos, fecit vitulum, Exo. 32. quare tentatio dicitur occulta, quando ratio deliberare non potest propter occultationem rei, qualis fuit tentatio discipulorum, quando contendebant quis eorum esset major, Luc. 22. tentatio 5. violenta dicitur, quando mens propter quandam violentiam movetur ad consensum, & hac devictus Petrus, ut mortem fugeret, Christum negavit, Matth. 26. Tentatio 6. dicitur perplexa, quæ variis vitiis animum agitat, in hanc & illam partem, ut minus malum eligatur; & hac permotus fuit Jephte, qui ut votum servaret pro adepta victoria, filiam in sacrificium obtulit, Judic. 11. Tentatio 7. dicitur fraudulenta, qua mens per quandam dolosam æstimationem seducitur; & hac seductus fuit vir Dei, qui missus à Judæa ad increpandum Jeroboam de idololatria, prohibetur à Deo, ne ibi comederet, scilicet in Samaria; invitatus à quodam mentiente, assentiens illi, ibi comedit, 3. Reg. 12.

Septem genera tionum, quibus diabolus nos aggreditur.

278 Quartò D. Bernardin. tom. 2. serm. 29. art. 2. c. 1. cum ipse, ut supra retuli, per hunc draconem intelligat detractorem, seu calumniatorem, ait quod septem capita septem sunt genera detractionis, quibus dracones utuntur; 1. draconis caput, est modus detrahendi occultus, quando tacetur bonum proximi sui, quod si manifestaret, in gloriam Dei cederet; 2. caput est negativus detrahendi modus, quod tunc fit quando quis negat alterius bonum; 3. draconis caput, est modus depravativus, quando scilicet detractor alterius bonum invertit, vel convertit in malum, dicendo ex tali bono secuta fuisse mala, vel factum esse ob malum finem, seu vanam gloriam; 4. draconis caput, modus est venativus, cùm bona immiscentur malis, vel mala cum bonis, ut cùm detractor aliquem priùs laudat, ut postea crudeliùs detrahendo, in eum invehatur; 5. draconis caput, est modus publicativus, cùm occulta proximorum mala contra ordinem charitatis, propalantur, ac manifestantur; de quo ordine dicitur Matth. 18. nu. 15. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. 6. draconis caput est modus augmentativus, & aggravativus, cùm detractor aggravat, vel exaggerat mala, quæ de proximo cognovit, vel audivit; 7. draconis caput est modus inventivus, id est, quando detractor falsa crimina imponit, & hoc vel verbis communibus, vel derisoribus, vel simulatis vocibus, & etiam aliquando signis, ac nutibus ab eo fit.

Septem detractionis genera quibus calumniator alios offendit.

Quintò Abbas Ascanius in sua Glossa magna lit. ad Gen. ad illa verba: *Factum est vesperè, & manè dies quartus*, tit. *Contra Astromaticos*, per mulierem amictam Sole, intelligit divinam providentiam; & rectè est amicta Sole, quia claritas ejus fulget apud omnes gentes, & Lunam pedibus calcat, quia omnia sublunaria ejus potestati subsunt, stellis coronatur, quia Cœli gloriam ejus narrant, & prædicant; contra hanc exiit draco, sive Lucifer in bellum, quia per suam superbiam ausus est dicere: *In Cœlum ascendam, & similis ero Altissimo*, Isai. 14. & quia prædicere futura divinitatem proximè ostendit, ac demonstrat, juxta illud Isai. 41. n. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos*; & ideo intendit futura prævidere, ac demonstrare divinando. Et prodit septem capitibus, quia septem sunt divinationis genera, ut ait cit. Abbas; primum divinationis genus dicitur Manticies, ex permistione elementorum; secundum Aruspicium nuncupatur, ab animalibus *in aere trucidatis* depromptum; tertium Augurium dicitur ab avibus huc, & illuc volantibus; quartum Maleficium dicitur, & ex variis tribus componitur; quintum Sortilegium, secundùm varii generis sortes multiplex; sextum Præstigium ex phantasticis illusionibus desumptum; septimum Divinatio astrologica, quæ ex astrorum intuitione, futura prænosci, ac prædici posse, mortalibus mendacibus persuasit. Ad præscindenda tot horrenda draconis capita, consule eundem Abbatem, ubi plures rationes, ac auctoritates ex Sanctis Patribus colligit. 279

Septem divinationis genera, diaboli capita.

Ecce quot vitiis, ac peccatis implicantur, qui sub jugo Diaboli vivunt, ac serviunt. Prodigus ille filius profectus in regionem longinquam, ubi consumpsit totam suam substantiam vivendo luxuriosè, in miseram devenit egestatem, cui, ut subveniret, *adhæsit uni civium regionis illius*, Luc. 15. n. 15. scire cupis, quis esset iste civis regionis illius, qui tantum porcos habebat, & adeò rigidè suum villicum vexabat, ut ipse cuperet saturare ventrem de siliquis, & nemo illi daret? Crediderim fuisse Diabolum, in regione enim pessimis florente moribus, certissima est Diaboli inhabitatio. Ait Asterius in Catena Græca D. Lucæ: *Istius regionis adeo remotæ, atque separatæ, incola est Diabolus, etenim peccatorum civitas, civem habet, & gubernatorem Diabolum.* 280

Ut dicitur Luc. 8. cap. 23. impetrata à Jesu facultate, *exierunt dæmonia ab homine, & intraverunt in porcos*, &c. & cur Jesus dæmonum annuit votis, ut illis permitteret ingressum in porcos? Ut fieret manifestum, quòd illi, qui in corde suo parant ingressum Diabolo, in porcina vitia degenerant. Titus Bostrensis in Catena Græca ad cap. 15. D. Luc. *Eis Dominus, ait, concessit, ut ostenderet porcos, vel porcina indole homines, & ad terram conversos, atque in peccatorum passionibus volutatos, dæmonum amicos esse. Qualisunque igitur porcus est moribus, dæmonum fit hospitium.* 281

Qui dat ingressum diabolo in multa degenerat vitia.

QUÆSTIO XXXVII.

Quare serpens antiquus in Paradiso, uno tantùm capite apparuit, hic verò septem.

282 Ex Christi præsentia, Diaboli vires frangumtur.

QUæstio in præsentiarum est; quare ipse draco in Paradiso apparuit, unum tantùm caput habens, nunc autem capita & cornua multiplicat, & quando tunc simplex venerat ad primos parentes, cur modo non nisi multiplex accedit? Ad primos parentes venit ante Christi adventum, modò verò accedit adversùs fœminam, Ecclesiam nempe habentem Christum in suis visceribus, cujus præsentia Ecclesia maximè erat munita, ac corroborata, & ideo ejus fortitudinem draco timens, multiplicat capita, ac vires, & multiplicatis capitibus, ac viribus miserè prosternitur.

283 Adstiterat dæmoniacus Jesu, ut habetur Luc. 8. num. 30. cui dixit Dominus: *Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio; quia intraverunt dæmonia multa in eo.* Interrogat nomen ejus Jesu, ut ostendat multos dæmones in unum illum hominem venisse; sed ad quid tam magnus, & amplus dæmonum numerus, cum ad primos parentes in statu gratiæ, & innocentiæ, unus tantùm Diabolus venerit? Ecce primus homo in tanto honore, ac decore creatus, ad unius serpentis sibilum, miserè ruit, at verò post Christi adventum, sic ejus præsentia homo roboratur, ut quamvis in eum irruat ampla dæmonum conglomeratio, à tot rabidissimis hostibus unus homo non potuerit perdi, quem Christi virtus tuebatur. D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Quam interrogationem*, ait, *Jesus non quasi ex ignorantia necessariò adhibuit, sed nos docuit quàm multis humanum corpus carnificibus dæmonibus traditum non perierit; quandoquidem dæmonum multitudo in unum armata, tollere non valuerit, occultioreque virtute stetit ille restititque contra excitatas à dæmonibus procellas.*

Ex Christi præsentia, homo corroboratur adversùs dæmonem.

284 Cùm Jesus transiret fretum Gerasenorum, occurrunt ei duo habentes dæmonia de monumentis, & clamant dicentes: *Quid nobis, & tibi Jesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos?* Matth. 8. num. 29. & undè hi pessimi spiritus, sic Dei filium agnoscunt, ejusque virtutem fatentur? & deinde quænam erant ista tormenta, quibus illi spiritus agitabantur? Ex Christi adventu, ac præsentia salus hominum parabatur, & dæmonum vires frangebantur, ut non possent in hominem prævalere; ex eorum ergo viribus imminutis filium Dei agnoscebant, & inde magnis tormentis semetipsos vexari fatebantur. Origenes homil. 3. in Exod. *Ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum.*

A Christi præsentia cuperorum salus, & inde Diaboli tormenta.

285 Maximè Saulem dæmon vexabat, in cujus remedium adducitur David, de quo sic scribitur 1. Reg. 16. num. 23. *Quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus*; undè David tam exitialis, ac contrarius Diabolo? & quid erat in Davide, ut eum tantum timeret Diabolus, ut celeriter ab eo fugeret? Erat Jesus in lumbis David, cujus umbra, ac habitus deterrebat universos dæmonum exercitus, ut minimè subsisterent, sed in fugam se darent. D. Basil. Seleuc. orat. 14. *Christi Pater*, ait, *fuit David, unaque cum regia dignitate, dominicæ incarnationis promissiones accepit; ubi Christi memoria, dæmonum est pernicies.*

Christi memoria Dæmonū est pernicies.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quare draco decem cornua habebat, & quid significent.

286 VIegas, Alcazar, Cornel. & alii existimant decem cornua draconis, id est, Luciferi, esse decem Reges; cornu enim symbolum est roboris, & regni, ut dicitur Daniel. 7. num. 24. ubi circa similia ait Angelus Danieli: *Porro cornua decem, decem reges erunt; & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit*; ubi expresè dicitur, quod decem cornua, sint decem reges, qui dominabuntur in Orbe, quando veniet Antichristus, è quibus tres occidet Antichristus, undè reliqui septem timore periculi, sponte ipsi se subdent, & cum eo tanquam dæmonis instrumenta, christianos, & Ecclesiam pessundare, & evertere conabuntur.

At hæc sententia jam quæst. 37. nu. 272. manet rejecta, quia confundit ea, quæ hìc dicuntur de Luciferо, cum his, quæ scribuntur cap. 13. sequenti de bestia ascendente de mari cum septem capitibus, ac decem cornibus, quæ bestia denotat Antichristum, ut est communis sententia, & ideo draco iste non est exponendus de Antichristo: vide citatum locum. 287 Impugnatur suprà dicta sententia.

Dico cum Andrea Cæsarien. quod draco iste est Lucifer septiceps, cum septem nempe capitalibus vitiis efformatus, ex quo inde erumpunt decem cornua, decem scilicet tentationes, seu instigationes ad transgressionem legis Dei naturalis, quæ est in decem præceptis Decalogi; & quia in cornibus est tota penè capitum bestiarum vis, sic tota vis, & conatus dæmonum, est ad persuadendum hominibus transgressionem illorum decem mandatorum, proindeque nequitia Diaboli, septem capitibus, seu septem capitalibus vitiis non fuit contenta, sed cum illis decem cornua, seu decem tentationes ad legem Dei naturalem solvendam elegit, & adarmavit; & sic draco cum septem capitibus, & decem cornibus factus est ad prævaricationem, ac peccata contra Dei præcepta introducenda; Rom. 7. n. 8. *Per mandatum, peccatum operatur in nobis omnem concupiscentiam, sine lege enim peccatum mortuum est*; & ad Rom. 5. n. 13. dicitur: *Peccatum non imputatur, cum lex non est*; & ad Rom. 4. n. 15. *Lex iram operatur, ubi enim non est lex, nec prævaricatio*; his ergo decem cornibus draco se armat contra homines ad prævaricationem, & transgressionem decem mandatorum Dei. 288 Decem cornua instigationes contra decem Decalogi præcepta.

Dices: Valde difficilè, decem cornua septem capitibus accommodantur. Tamen, ut sæpè diximus in his visionibus, non est spectandum symbolum materiale, materialiter sumptum, sed spectandum formaliter, ut scilicet assumptum est ad significandum, quod voluit Deus revelare. Ad dubium præsens Alcazar, & Cornelius dicunt: *Solùm caput primum draconis habebat cornua decem, reliqua verò tantùm habebant suum diadema, quod etiam habebat caput primarium.* Tamen dico, quòd decem cornua in uno, vel alte draconis capite poni non possunt, sed in omnibus distribui debent, prout tale vitium capitale se ordinat ad transgressionem decem mandatorum; v. g. superbia, quæ, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 162. art. 4. oritur ex falsa præsumptione propriæ excellentiæ, ac æstimationis, opponitur contra tria præcepta Decalogi, amorem scilicet Dei, venerationem sancti nominis ejus, ac honorem illius festivitatum, ac solemnitatum; & sic unumquodque caput tot habeat cornua, quot ad illud vitium capitale spectant divina mandata, pro quorum transgressione Diabolus in hominibus operatur. 289 Quomodo decem cornua aptāda sint capitibus septem?

Ad moralem sensum; & primò: Cur tot cornua? nonne cuilibet capiti sufficere debebat unum, sicut rhynoceroti? vel ut communiter habent animalia, unumquodque duo, ita quatuordecim erant ponenda? Hic draco, ut supra dixi ex D. Bernardin. denotat detractorem, decem verò cornua indicant pugnam adversùs decem Decalogi præcepta, & inde draco, seu calumniator habet decem cornua, quia detractor non adversùs unum, vel alterum Dei præceptum militat, sed adversùs omnia insurgit, & se opponit. D. Bernardin. tom. 2. serm 29. cap. 7. art. 2. *Per hos*, ait, *septem detrahendi modos ostendit omnia præcepta Dei tam tria primæ tabulæ, quæ pertinent ad Deum, quàm septem secundæ tabulæ, quæ pertinent ad proximum, quia ex his detrahendi modis, sequuntur prævaricationes decem præceptorum Dei, undè sequitur esse decem cornua.* 290 Detractor adversus decem præcepta militat.

Secundò Eusebius Gallicanus serm. 3. post Pascha, sic ait: *Draco iste magnus, & rufus, Diabolus est, qui in specie serpentis primum hominem decepit, & tunc quidem propter sanguinem martyrum, quem fundere non cessat, rufus apparet. Hic autem septem capita habere perhibetur, septem scilicet capitalia, quæ de matre super-* 291

Unum vitium aliud parturit, & generat.

superbiæ exorta sunt, ex quibus quasi ex principiis omnia alia vitia oriuntur. Decem verò cornua, omnia alia vitia sunt, quæ ab his capitibus derivantur, quæ quoniam multa sunt, eum numerum ponere voluit, in quo omnes numeri continentur, non enim numerus progreditur ultra decem, sed in se revolutus, omnes alios numeros complet. Numerus denarius universitatem quandam significat, propter rationem assignatam ab Eusebio, ac proinde à septem capitibus, seu septem capitalibus vitiis, prodeunt omnia alia vitia, ac peccata, quibus Diabolus suam nequitiam, ac malitiam in homines transfundit, ut eos prævaricatores Dei faciat, ac in gehennam pertrahat.

292 Tertiò Glossa ordinaria: *Cornua decem; id est, regna, & divitias, quibus principes legis Decalogum impugnant.* Tamen difficile videtur, quòd cornibus divitiæ significentur, nam cornu symbolum fortitudinis est, quid autem opibus infirmius, ac debilius? de una manu frequenter transeunt in aliam. Cornu arrogantiæ signum, inde rectè Glossa comparat divitias cornibus, nam divitiæ maximè tumorem, ac superbiam generant, undè Psal. 89. nu. 10. ubi habetur: *Amplius eorum labor, & dolor*; pro *amplius*, aliqui legunt, *abundantia divitiarum*; Vatabl. verò, *superbia*; Montan. *fastus*; ut ex hoc discas, maximam esse connexionem inter divitias, arrogantiam, & superbiam.

Divites superbi.

293 Quartò, ut dixi in limine hujus quæstionis, per hæc decem cornua intelliguntur decem reges juxta multos, & graves auctores ibi citatos. An Reges tauris similes, qui alios reges cornu petant, & bello pertant? & cur tanta in eis cornua, ut regum bella notata videas? Rupert. auctore: *Quis nescit*, ait, *de Mundi Regibus, quantis semper fuerint odiis inquieti?* Et quidem ubi nulla Respublica florere visa est; iterum ait Rupertus ad cap. 17. Apocalyps. n. 9. *Nunquam eam in sua pace florere permiserunt, bellis omnia devastantes.* Præ invidia non permittit unus Rex, ut alius multùm polleat regnis, divitiis, potestate, & ideo multo certamine eum intendit premere.

Unus Rex alteri invidet suam amplam fortunam.

294 Abrahamus, hoste devicto, & bello confecto redit victor, Gen. 14. n. 15. & captam prædam largè deponit apud Baram Regem Sodomorum, ne partem capiat satis jurat; Numer. 22. *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quod non accipiam ex omnibus quæ tua sunt*; & cur tam generosè, omnia reiicit Abrahamus, & saltem aliquid non accipit, pro monumento, ac signo tantæ victoriæ? Abrahamus maximè prudens optimè sciebat, quod frequenter invidia miscet fraudem, & vim adversùs fortunatos homines, & ideo timuit, ne præda susceptæ, & ipse pecuniosior factus, aliquem dolum, & vim pateretur, dum alii invidentes multa molimina belli, ac necis in eum machinarentur, ideo pro quiete, ac pace vitæ, omnia dimisit; si enim Abrahamus accepisset prædam, ait D. August. *Rex, & sui ex hoc facilè invidierent divitiis Abrahæ, & per consequens ad ipsarum oblationem, & ad ipsius occisionem citiùs incitarentur.*

Dives sibi parat aliorum invidiam.

295 Deo jubente mittit Moyses homines, qui promissionis terram, ac situs, & gentium mores minutè notent, & considerent, Num. 13. n. 3. *Singulos*, ait, *de singulis tribubus*; cur non potiùs eliguntur hujusmodi exploratores ex regali tribu Juda, vel ex Levitica tribu, utpote sacerdotali? nam hæ duæ tribus maximè præeminebant; & si ex una tribu omnes exploratores procederent, maximè uniti, ac concordes essent, quod maximè expediens erat ad tantam rem. Tamen Moyses prudentissimè elegit singulos ex singulis tribubus, ne aliqua dissensio, ac commotio orta ex invidia, fieret in populo, dum ad negotium investigationis terræ promissionis, quædam tribus eligebantur, & aliæ ab exploratorum albo expugnebantur. Id sentit Abulen. q. 16. *Elegit Moyses singulos ex singulis tribubus, & causa præcipua fuit ad tollendam invidiam, nam hac subcrescente multæ divisiones, ac concertationes fierent in populo.*

Dolent homines alios filios esse prælatos.

296 Ut testatur Moyses, Gen. 25. n. 5. *Dedit Abraham cuncta, quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum, largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret*; ad quid facit Abrahamus talem divisionem? nonne melius erat, quòd fratres simul eodem in loco, ac terra viverent, ut simul mutuò se foverent, ac adjuvarent? ad quid eos sic separavit inter se? Abrahamus Isaac filio suo largitus fuerat amplissimam hæreditatem, filius verò ancillarum multa minora dedit; inde rerum prudès senex bene sciens, quòd divitiarum augmentum, magni odii est fomentum, & inæqualis partitio bonorum, viam ad lites, & contentiones parat, inde facit hanc divisionem inter suos filios, ne hæredem Isaacum divitiis locupletem, invidiæ facibus, alii fratres peterent. Huic sententiæ subscribit Abulens. ibidem q. 2. *Cùm separati se non viderent, nec invidendi, nec malignandi locus esset*; quare si quis velit invidiam fugere, procul abeat ab oculis videntibus, & invidentibus.

Augmentum divitiarum, fomentum odii & invidiæ.

QUÆSTIO XXXIX.

Quare in capitibus hujus draconis erant diademata septem.

297 COmmuniter auctores recentiores dicunt, hoc additum esse ad ostendendam potestatem regiam, in septem regibus, qui futuri sunt de corpore Antichristi; at hoc jam superiori quæstione rejecimus, ubi probavi in his septem capitibus sermonem non esse de septem Regibus.

298 His ergo coronis denotatur, quòd per septem vitia capitalia Diabolus principatur in Mundo, & regnat in suis. Diabolus nullum jus, ac imperium habet in homines, nisi quatenus homines se illi subjiciunt eique serviunt per septem capitalia vitia, undè bene dicebat D. Augustin. de symbolo ad Catechumen: *Scitote*, ait, *vos cum callido antiquo, & veternoso inimico suscipere certamen; non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non jure vos attrahat in servitutem suam*; opera enim nostra mala superbiæ, invidiæ, luxuriæ, &c. dant jus Diabolo in nobis, & unumquodque ex his capitibus portat suum diadema, quia unumquodque sufficit, ut homo se subdat sub potestate Diaboli.

Per vitia Diabolus regnat in Mundo.

299 Et jam moraliter; Glossa: *In capite ejus septem diademata, id est, multa, quia per spiritus malignos sibi subjectos, frequenter debellat plurimos.* Septem diademata, *id est, multa*, quia quodlibet peccatum multa secum adducit, hinc rectè ait Lyran. *In capitibus septem diademata, quæ sunt signa regia*; quia unumquodque peccatum, nunquam solùm incedit, sed tanquam regnum, ac principatum tenens, multis aliis tanquam satellitibus stipatur, ac concomitatur. Huc spectat Cassianus Collation. 12. c. 6. *Castitatem offendit superbus, avarus, iratus, gulæ deditus, accedia torpens*; & D. Ambros. ad Virg. lapsam ait: *Qui graviora peccaverit, in cætera facilè prolabitur.*

Unum peccatum vix solum incedit, sed tanquã Rex multis stipatur.

300 D. Bernardin. Senen. citatus superiori quæst. cap. 7. art. 2. cum per hunc draconem, detractorem intelligat, super capita sua gestat diademata tanquam in signum victoriæ, ac triumphi, quia adeo impius est detractor, ut de detractione sua, quasi de præclarè gestis glorietur, & triumphet; sic ait D. Bernardin. *Et in capitibus suis diademata multa, multa gloria de septuplici modo detrahendi, per quem proximus infamatur, cui dicitur Psal. 51. Quid gloriaris in malitia? Sicut enim confessio de peccato initium est salutis, sic de malitia gloriari, est consummatio perditionis æternæ; & hoc est peccatum consummatum, Jacob. 2. quod generat mortem.*

Detractor de sua detractione gloriatur.

301 Quæres tamen: Ex quanam materia hujusmodi coronæ erant fabricatæ? nam corona illius mulieris, quæ Sole amicta erat, ex stellis componebatur, corona verò justorum, ex lapide pretioso; hæc ergo diademata draconis, ex quonam erant contexta? Ex turpitudine omnis malitiæ, nequitiæ, prævaricationis; pro quo audiendus est D. Augustin. in serm. Comm. serm. 4. *Quid pravius? quid malignius? quid adversario nostro nequius? qui posuit in Cœlo bellum, in Paradiso fraudem, odium inter primos fratres, & in omni opere nostro zizania seminavit; nam in concupiscentia posuit gulam, in generatione luxuriam, in exercitatione venationem, in conversatione invidiam, in gubernatione avaritiam, in correctione iram, in præsulatu, sive dominatione superbiam, in*

Omnium mala à Diabolo coronæ.

corde posuit cogitationes malas, in ore posuit locutiones falsas, in membris operationes iniquas, in vigilando movet ad parva opera, in somniando ad turpia; lætos movet ad dissolutionem, tristes autem ad desperationem: sed ut brevius loquar, omnia mala Mundi sua sunt pravitate commissa. Omnia totius Mundi mala, peccata, vitia, ac turpitudines Diabolo conficiunt coronam, nam licèt hæc septem capita, capitalia vitia superbiæ, iræ, invidiæ, &c. denotent, tamen unumquodque ex his vitiis omnia alia peccata secum adducit, & connectit.

302 Scribit D. Marcus 1. num. 23. *Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamavit dicens, quid nobis, & tibi, Jesu Nazarene? venisti perdere nos?* Unus erat iste immundus spiritus, & tanquam de pluribus perditis queritur apud Christum: *Venisti perdere nos*; Et cur de pluribus queritur, quando ipse flagellatus unus est? nam in text. dicitur: *Erat homo in spiritu immundo*; & tamen statim ut de pluribus loquitur: *Quid nobis, & tibi? venisti perdere nos?* Etsi unus spiritus, tanquam unum capitale vitium, videbatur præcipuè ingressus, tamen secum simul adduxerat multos alios spiritus nequam, qui ad multa alia vitia, ac peccata provocabant, & ideo in uno à Christo prostrato, cæteri videbantur superari, ac in perditum ire. D. Chrysostom. homil. 5. in Marc. sic commentatur: *Qui dicit: Quid nobis & tibi? unus est, & de pluribus confitetur, in eo enim, quod vincitur, intelligit & suos secum esse superatos.*

Unus immundus spiritus secum multos adducit.

303 Referens Amos cap. 5. num. 26. idololatrias à populo peractas in deserto, ait: *Portastis tabernaculum Moloch Deo vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sydus Dei vestri Remphan figuras, quas fecistis vobis*; à Moyse solùm scribitur vitulus fabricatus in deserto, quomodo Deus conqueritur, quòd adoraverunt idola Ægyptiorum Moloch, & Remphan, cùm nullum tale legatur ab eis cultum? Cùm Israelitæ gulæ, ac ventri indulgentes, fabricaverint vitulum, inde unusquisque pro suo captu Deum fingebat, ac omni idololatriæ vitio, ac turpitudini operam dabat, ac si idem sit in unum vitium incidere, ac omnia perpetrare. Noster D. Cyril. Alexandr. ibi: *Conspicuum, ac velut commune idolum vitulus erat; multa porrò, & alia ab unoquoque ficta sunt, semel enim ad veterem errorem conversi, & à semita pietatis in Deum detorti, singuli quod sibi placebat pro antiqua consuetudine in Ægypto numen fabricabant, & formabant.*

Unum vitium alia secum adducit

Apoc. 12. n. 4. Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum Cœli, & misit eas in terram; & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset filium ejus devoraret.

VERSIONES.

Arabicus. Is porrò traxit sua cauda tertiam partem stellarum, quæ sunt in Cœlo, projeritque eas in terram.

Syriacus. Et cauda ejus trahit tertiam.

Primas. Dejecit eas in terram, & draco stetit in conspectu, quæ paritura erat, ut cum peperisset, natum ejus comederet.

Arias. Draco stetit ante mulierem futuram parere.

EXPOSITIO.

304 *Et cauda ejus trahebat.* Alludit hic Joannes ad primum Angelum, qui dicitur Lucifer; ac proindè draco ipse, seu Lucifer, sua cauda, nempe blandè, ac fraudulenter suadendo, & sollicitando *trahebat tertiam partem stellarum*, hoc est Angelorum; quæ tertia pars hic non est sumenda numericè, sed pro ingenti, ac magna multitudine. *Misit eas in terram*; hoc est de excelso cœlorum loco traxit in ima, ac inferiores partes. Denotatur, quod sicut Lucifer ruit in exordio, ita & modo facit, per falsa blandimenta seduxit multos, & ex eminenti loco sanctitatis, ac virtutis, & doctrinæ, in quo tanquam stellæ fulgebant, dejicit in terram, in terrenas nempe cupiditates, iniquitates, ac falsitates.

Textus interpretatur de Ecclesia.

Et Draco; scilicet Lucifer. *Stetit ante mulierem.* Ex diametro sese opponit contra Ecclesiam sanctam. *Quæ erat paritura* filium suum, populum christianum qui frequenter nomine filii denotatur, ut infra dicam juxta illud Osee: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Et stabat draco, *ut cùm peperisset, filium ejus devoraret*; detruderet in sua vitia, ac turpitudinem. Draco, nempe Diabolus, non contentus est tantùm perdidisse jam genitos, & educatos viros, sed omni conatu dat operam, ut filios, quos Ecclesia maximè in illis extremis temporibus Christo sponso suo paritura est, devoret, & perdat. Cur autem dixit potiùs filium, quàm filios, infra dicam. 305

Draco stetit. Hæc etiam verba optimè conveniunt sanctissimæ Virg. Mariæ Christum D. parituræ, quia mox, ut de ea natus est Christus D. statim Diabolus per suum ministrum Herodem conatus est eum occidere; & ut notat Arias Montanus in apparatu, Herodes Syriacè, idem valet, ac draco ignitus, nam ubi nos habemus, vers. 3. *Draco magnus rufus*, Syrus legit, *Draco magnus ignitus.* 306 Beata Virgo Maria.

QUÆSTIO XL.

Quare, cùm draco haberet septem capita, & cornua decem, nec capitibus, nec cornibus, sed tantùm cauda trahebat stellas in terram.

DRaco iste, hìc non ponitur pro Antichristo, ut dicunt Ribeira, Cornel. & Menoch. sed pro ipsomet Lucifero, seu Diabolo, de quo hìc agitur, ut dixi supra q. 36. n. 272. nam de Antichristo sermo est cap. 13. sequenti. 307

Quæstio præsens est, quòd cùm draco, seu Diabolus exeat in campum, ac bellum contra stellas cœlites, quodnam ejus instrumentum bellicum? Cauda sanè, qua projecit de Cœlo in terram stellas. At ipse draco habebat capita septem, quæ sunt septem spiritus nequissimi, vel septem capitalia vitia, & cornua decem, ad militandum contra decem Decalogi præcepta; quomodo non dicitur hìc adversùs stellas militare, cornibusque eas ventilare, vel ex tot capitibus, multiplicato ore, acutissimis dentibus, eas confringere, ac comminuere? quomodo ergo solùm cauda ad trahendas ex Cœlo stellas, utitur. 308

Respondeo primò, quòd per caudam quædam fraudulenta, & blanditiæ suasoria adulatio, & assentatio significatur; etenim communiter in animalibus cauda symbolum est fraudulentæ suasionis, ac pestiferæ adulationis, cauda enim animalia blandiuntur, & se tota hominibus ingerunt, ut patet ex Tobia 11. nu. 9. & ideo cauda utitur ad trahenda de Cœlo sydera; nam qui blanditur durum bellum infert, & dum adulando extollit, persequendo deprimit. Lyran. in præsenti: *Et cauda ejus, id est, exercitus sequens eum, trahebat tertiam partem stellarum*; ipsa ejus cauda, blanditia nempe, ac adulatio, erat veluti quidam exercitus sequens eum, superans, ac vincens magnam partem exercitus Angelorum, Ps. 16. n. 11. *Projicientes me nunc circumdederunt me*; Symmachus legit: *Beatificantes me, illico circumdederunt me*; ut scilicet blanditiæ verborum mihi bellum inferrent, ac undique circumseptum captivum tenerent. Ex Psal. 140. n. 5. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*; in Hebræo legitur: *Unguentum primum*; id est excellentissimum impiorum, *ne frangat caput meum*. Mollia quippe adulantium verba unguenta sunt, non quæ fovent, sed quæ caput frangunt. 309 Blanditiæ verborum adulationi trahit efficaciem.

Et confirmatur: Quia rectè ait Divus Augustin. in Psalm. 59. *duo sunt genera persecutorum, scilicet vituperantium, & laudantium; sed plus persequatur lingua adulatoris, quàm manus persequentis*; ac si majorem stragem faciant adulantium verba, quàm sæva tyrannorum crudelitas. Ait David Psalm. 69. num. 4. *Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala*; ac si dicat: Qui meam perniciem capiunt, repellantur, & suis conatibus dejiciantur, & immediatè subdit: 310

dit: *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi: Euge, euge;* cùm superiùs ageretur de adversariis, ac persecutoribus, nullam celeritatis particulam apposuit, maximè verò secundo loco: *Avertantur statim*; quia ibi juxta multos de blandientibus adulatoribus loquebatur: *Qui dicunt mihi: Euge, euge*; ac si magis ab adulantium oleo timeret, quàm à persequentium jaculis. Ingeniosè Cardinalis Hugo, advertens, quod illud verbum, *Euge, euge* adulantium est, sic ait: *Notandum est, quòd cum oravit pro conversione, apertè persequentium tempus non determinavit, sed simpliciter dixit: Avertantur retrorsum; sed cùm orat pro conversione adulantium, addit, statim, in quo innuit, quod plus debemus desiderare liberari ab adulatoribus, quàm à persequentibus, quia nobis periculosior persecutio seductoris, quàm apertè sævientis.*

311 Simulatio potens ad deiiciẽdos fortissimos

Secundo quonam bellico instrumento usus est draco ad tantam stragem edendam? Cauda nempe fuit, quæ licèt tanti roboris sit, ut ea circumvolvens fortissimum elephantem, prosternet. Sed quid unus elephas cum tot syderibus? quomodo ergo ea debellare potuit? Cauda fraudulentæ simulationis symbolum est; sicut enim cauda turpitudo obtegitur, sic & simulatione malitia. Ecce quàm potens est simulatio ad aliorum etiam fortissimorum perniciem inferendam. D. Bernard. *Cauda ejus*, ait, *est simulata deceptio, quæ tegit malitiam, sicut cauda turpitudinem.*

312 Hæreticus maximè nocivus, ac conculcandus.

Tertiò draco cauda trahebat tertiam partem stellarum. Cauda denotantur hæretici, falsi Prophetæ, ac Diaboli ministri, juxta illud Isaiæ 19.num.15. *Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Et merito sanè, quia instar canis adulatur suis, eadem instar Scorpionis venenum suæ impietatis instillat. Primas. sic ait: *Cauda Prophetæ iniqui sunt, per quos sibi mimicus nequitiam implet, hinc Isaias dicit: Propheta docens mendacium, ipse est cauda, & qui eorum doctrinis inhærent, in terram præcipitari dicuntur.* Aliam hujus rei rationem dat D. Hieron. ad cit. locum Isaiæ: *Caudam appellans*, ait, *non homines, sed jumenta hæreticos esse demonstrat, quia hoc membro utuntur, ad stercora protegenda, & arcenda parva animalia*; cum ergo hæretici in cauda draconis denotati, sint tam maligni, ac nocivi, maximè à nobis sunt prosternendi, ac conculcandi. Hinc cum Virga Moysis versa esset in Colubrum, ait Deus illi: *Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus*, Exod. 4.num.4. quæ iterùm versa est in virgam; & cur potiùs mandat Deus apprehendere caudam, quàm caput, vel fauces? Quia in cauda tota ejus malitia, ac nequitia denotatur; & inde apprehende, ut fiat virga in manu tua ad talem malitiam puniendam, ac delendam, & extirpandam.

313 Diabolus id quod non potest apertè, occultè perficit.

Quartò draco septem habebat capita, & decem cornua; quare ergo tot capitibus, ac cornibus erectis, adversùs sydera non mittit, sed tantùm cauda? Capita & cornua maximè manifesta, ac aperta sunt in animali, non sic vero cauda, quæ à tergo maximè occultatur, & Diabolus id, quod apertè, & manifestè non potest facere, occultè, & cum vafritie perficit. Richard. Victor. *Diabolus*, ait, *damnandam partem animarum etiam illarum, quæ sunt stellæ Cæli, per conversationem in alto manere, & aliis per bona opera videntur lucere, dum non potest per apertam sevitiam, per occultam fraudulentiam, quæ figuratur in cauda, seducit, quas in terram mittit, dum delectatione terrenorum accendit.*

314 Luxuria magnos præcipitat & culmine.

Quintò: Quare cauda tanti casus è Cœlo in Infernum est instrumentum? Draconis cauda signatur luxuria, quæ inter omnia vitia, est quid vilissimum, & abjectissimum, ac maximè fœdum, & immundum; sic & cauda præ cæteris corporis partibus hoc habet, ut sit maximè vilis, abjecta, fœtida, & immunda, & ideo tot sydera prolicit, quia libido innumeros prosternit, ac in infernum præcipitat. D. Bernard. tom.3. in serm. extraordinariis serm. 12. *Est Mundo nocivum*, vitium nempe luxuriæ, *quia Cœlorum habitatores demisit, ut dicitur in Apocalyps. Draco trahebat tertiam partem stellarum, quia luxuriosus corruptioni subjicitur; non enim est aliud vitium, per quod Mundus tantùm subjiciatur Diabolo, nam non parcit dominis, pauperibus, & divitibus; in servis & parvis eadem libido dominatur*, &c.

315 Cupiditas divitiarum Sanctos viros dejecit.

Sextò quænam virtus inest in cauda draconis, quòd illa trahebat tertiam partem stellarum? Nota; draconis cauda ut plurimum notis aureis, & argenteis est depicta: non ergo mirum, quod cauda tot stellas trahat è cœlo; maximè allicit Sanctos viros auri splendor, ac argenti pulchritudo, ut eos in terram, ac varia crimina præcipitet. Adest Patron. Cardin. Joannes Vitalis in speculo sacræ Scripturæ, titul. *Divitiæ*: *Cauda draconis*, ait, *est aurea, & argentea, per quam trahit secum in terram morientium, & Inferorum viros, qui videntur spirituales, & tamen eis, nempe divitiis consentiunt.*

316

Septimò septem draco habebat capita; cur his non præcipitat in terram tantam stellarum multitudinem sed tantùm cauda. Sicut caput denotat principium, sic & cauda finem, inde draco cauda trahebat tantam syderum copiam, quia licèt Diabolus in principio, ac discursu vitæ, tentando caput erigat contra hominem, maximè tamen in cauda, ac fine vitæ, scilicet morte, conatur hominem perdere, & deiicere, undè ut benè ait D. Bernard. tract. de modo bene vivendi, ad sororem: *Amplius tentat Diabolus hominem in fine, & hoc est, quod in principio serpenti dictum est: Et insidiaberis calcaneo ejus.*

Diabolus maximè tentat in fine vitæ.

317 Draco multos deiicit, nec unũ valet erigere.

Octavò draco cauda sua trahebat magnam multitudinem stellarum in profundum; at poterit ipse ex tot, ac tantis saltem unam stellam retrogrediendo, ab imo ad supera reddere? Minimè sanè. O ingenium impotens proficiendi! post stragem functus est officio suo vigor animosus draconis; solùm valuit proficere ruinæ, non vero exaltationi, solumque didicit Cœlum lucibus orbare, minimè vero reaccendere; ille enim tantum mille nocendi artes noscit, nec unam verò, quæ sit ad veram sanitatem, hoc enim solius est Dei, quod si deiicit, erigit, si percutit, sanat.

318 Mundus malis opprimit, sed non tollit, hoc solius est Dei.

Ex Dei mandato *percussit Moyses aquam fluminis, quæ versa est in sanguinem*, Exod.7.num.20. *fecerunt que similiter malefici incantationibus suis*; similiter *extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti*; *fecerunt que malefici per incantationes suas similiter*, Exod.8.num. 6. & 7. Moyses & malefici Ægyptiorum has plagas inferunt, magno tamen discrimine; quia Moyses, ut Dei minister, vitreos latices usque ad fluxum sanguinis premit, sed iterum in liquorem ingenitum restituit, oratione sua, ut testatur Philo lib.1.de vita Moysis; parvulas ranas è paludibus eruit, sed clamore suo ad Deum, eas recedere fecit, Exod.8.num.13. at malefici, etsi talia mala in Ægyptios induxerunt, minimè eos à talibus liberare valuerunt. Tales sunt ministri mundani; aquas vertent in sanguinem, ut alii miserè perimant, ranas pullulare facient, ut vestros eruant oculos; at talia extinguere, cruorem in clementiam imbris diluere, terram à ranis quiescere, hoc hominum non est, sed tantùm ad Dei ministros spectat.

319 Curia regalis infert lepram, sed non sanitatem; hoc ad Deum spectat.

Naaman supremus Regis Syriæ administer turpem morbum lepræ ex favore contraxit; & cùm in regali curia nullum medicinæ remedium daretur, tunc Rex Syriæ cupidus salutis familiaris sui, cùm agnovisset ab ancilla Israelitica suggerente, ægritudini Principis promptissimam opem suppetere in Israel, interventu Prophetæ Elisæi, datis epistolis, eum mittit ad Regem Israel, qui cum audisset postulatum, *scidit vestimenta sua, & ait: Numquid Deus ego sum, ut occidere possim, & vivificare? quia iste misit ad me, ut curem hominem à lepra sua*, 4.Reg.5. num. 7. Nota, quod ait: *Numquid ego Deus sum, ut occidere possim, & vivificare?* quia solus Deus potest occidere, & vivificare, at homines valent occidere, & non vivificare. Ad nostrum scopum: Malum lepræ, quod blandiente aura, ac Favonio, regalis curia intulerat, sanare non valuit; hæc enim vicissitudo morbi, & salutis, ad solum Deum spectat. Ait Deus ad Moysen, quem initiabat in Deum Ægypti: *Mitte manum tuam in sinum tuum*, quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis. *Retrahe*, ait, *manum tuam in sinum tuum: retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ*, Exod.4.n.6.

Ecce veri Numinis splendor, quia quos morbo percutit, sanat eosdem, & ex eodem sinu, plagam, & medelam exhibet. Observa verborum stylum: *Retrahe manum tuam in sinum tuum*; videbatur dicendum: Retrahe manum tuam è sinu tuo; quippe quam in sinum immiserat, protuleratque leprosam, & inde ex sinu nulla spes salutis haberi poterat. Tamen Deus voluit eidem sinui medicinam deberi à quo morbus scabiosus obrepserat, quippe divinum est artificium eodem instrumento infortunium, & fortunam parari.

QUÆSTIO XLI.

Quare stellæ devolvuntur in terram; Lucifer verò suo casu ad ima detruditur.

320 Alt noster Text. in præsenti, quòd draco *cauda sua trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram.* Stellæ usque ad telluris superficiem deiiciuntur, at verò ipsemet draconis casus magno pondere ad profundum, ac ima impellitur, nam sic cum eo loquitur Isaias 14.num.12. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui manè oriebaris*; & tanquam insultans Propheta ait ad eum: *Ad infernum detraberis in profundum laci*, ibid.num.15. Quæstio ergo hæc insurgit ex discrimine inter stellarum, & Luciferi lapsus; cur ergo si stellæ detrahuntur ad terram, Lucifer ruit ad ima? sine dubio majorem casum denotat ad profundiora inferni detrudi, quàm ad terram prolabi; cur ergo si in his omnibus simile invenitur peccati pondus, diversum tamen describitur præcipitium?

Difficultas quæstionis.

321 Respondeo, quòd Lucifer præ cæteris spiritibus angelicis, luminum splendore præcellebat; de eo ait Ezechiel.28.num.12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore*; cùm ergo ipse inter ipsas cœlestes spirituales stellas majori radiorum lumine coruscaret, augustiorique virtutum pompa, oculos intuentium alliceret, inde à mari culmine ruens ad profundiora laci corruit, aliæ verò stellæ angustiori lumine præditæ, dum prolabuntur, terram attingunt. Lyran. sic ait: *Lucifer, id est, pulchrior inter Angelos, sicut Lucifer quæ est stella matutina, pulchrior est inter stellas.* Qui ab alto culmine ruunt graviori casu prolabuntur, ac præcipitantur.

Qui ab alto culmine labitur, in majorem ruinam cadit.

322 Ambitionis flamma contra Aaronem inardescunt Core, Dathan, & Abiron, & ideo miserè pœnas solvunt, ut disprupta terra, ad ima devolvantur: *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos, cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in infernum, operti humo*, Num.16.num.31. Non vulgari disperierunt sententia, sed stupenda ad infernum descenderunt pœna, ut similem in altera gente non invenias, quòd *descenderunt vivi in infernum*; quæ ergo ratio tam mirabilis præcipitii? Gens illa in qua extabant principes Core, Dathan, & Abiron, maximè erat Deo probata, nobilitata, ac sublimata prodigiis, miraculis, ac favoribus, itaut sicco vestigio mare transiret, perenntibus dignissimo naufragio omnibus Ægyptiis: *Ingressi sunt filii Israel per medium sicci maris*, Exod. 14. nu.22. undè eleganter ait D. Zeno serm. 2. in Exod. *Per mare pedibus ambulasti, ut pateceris in terra naufragium*; ac si dicat: Dum in virtute stabat per marinos vortices, sicco pede mare transivit, at dum ab illa eminentia virtutum, prodigiorum, ac miraculorum divinæ benignitatis cadit, sic in terra naufragatur, ut in nullo sistat pedem, sed viva ad profunda infernorum rapiatur, tam inaudita pœna gens illa electa Dei, & ab eo maximè sublimata cadit, dum ruit.

Qui ab alta dignitate, ruit, in maximum præcipitii delicium.

323 Dicebat Balac ad Balaam Num.23.num.7. *Veni, & maledic Jacob*; *propera, & detestare Israel*; quæ verba ex græco sic transfert Origenes: *Veni, & maledic mihi Jacob; & veni, & supermaledic mihi Israel.* Itaque adversùs Jacob maledictiones tantum petit malus Rex, at adversùs Israel non solùm maledictiones, sed & supermaledictiones jaculari desiderat; & cur magis furit sub nomine Israelis, quàm sub nomine Jacob? Sub Jacob repræsentabatur tanquam vir simplex, & incipiens, at sub Israel percipit virum jam perfectum, qui tantum crevit, ut usque ad conspectum Dei intraret, divina benedictione locupletatus; cur ergo Israel jam tam perfectus, ac tantis benedictionibus adauctus putatur? Inde consequens est, quòd si à tanto culmine ruat, non tantùm in maledictiones, sed etiam in supermaledictiones cadat, ac in profundum, & ima omnium execrationum. Origenes hom. 15. in Numer. *Donec enim*, ait, *quis tantum Jacob est, hoc est, in actibus solùm & operibus positus inferioribus, maledictionibus impugnatur, ubi autem profecerit, & interiorem hominem ad videndum Deum revelato mentis oculo exacuerè, & provocare jam cœperit, tunc non solùm maledictis ab inimico, sed & supermaledictis, hoc est, vehementioribus, maledictorum jaculis impugnabitur.*

Qui à sublimi benedictionis cadit, gravius ruit.

QUÆSTIO XLII.

Quare draco traxit secum tertiam partem stellarum.

HIc allusio fit ad lapsum Angelorum è Cœlo, qui in magno numero sunt, ut excedant omnes homines, qui sunt, fuerunt, & erunt, ut cum communiori sententia tenet Suar. tom. de Angelis lib. 1. cap. 11. num. 8. & tam ampla, ac lata est hæc multitudo Angelorum, ut dicat Job 25. num. 3. *Nunquid est numerus militum ejus?* Ex quo ait D. Gregor. lib. 17. Moral. c. 9. *Numerus supernorum civium infinitus est, & definitus exprimitur, ut qui Deo est numerabilis, esse hominibus innumerabilis demonstretur.* Cùm ergo dicitur, quòd draco traxerit secum tertiam partem stellarum, non arithmeticè, sed vulgariter id accipiendum est; ex quo patet, quòd multò plures sunt Angeli boni, qui in obsequio Dei perseverarunt, quàm illi, qui à Lucifero seducti sunt. 324

Magnus numerus Angelorũ

Angeli boni, plures, quàm mali.

Ex quo conjice magnam felicitatem familiæ Jesu: Ubi unus draco, unus Diabolus apparuit in Cœlo, non solus fuit, sed alios ibi fecit ex Angelis Diabolos, & ad se traxit; at tanta fuit felicitas familiæ Jesu, quod in ea Iudas Diabolus factus Joan.6.num.71. nullum ad se traxit, sed ipse solus in malitia permansit. In quo Judæ simillimus extitit Absalon, qui factus Davidi adversarius, & rebellis, nullum ex filiis Davidis ad se traxit, nullum fratrem sibi socium valuit comparare; ex quo felicitatem familiæ Davidicæ tantoperè extollit Gilliobert. Abbas serm. 14. in Cantic. *Absalon pax patris dicitur*; *bonum planè nomen, sed ipse nominis hujus virtutem abnegabat; affectavit regnum, incestavit cubile, felix tamen David, cui inter tot filios, non nisi unus persecutor erupit*; *quem mihi dabis hodie inter magistros, cui non nisi unus Absalon infidietur.* 325

Felicissima familia, in qua unus filius malus alios secum non trahit.

Ad quæstionem respondeo primo: Cum dicitur quòd draco trahebat tertiam partem stellarum, denotatur quòd Lucifer per suam perfidiam, ac iniquam deceptionem trahet tertiam partem stellarum, id est, illustrium, ac magnorum sanctorum, & doctorum, qui tanquam duces ac principes, cæteris eminentiores instar stellarum aliis prælucebant; nam ex plebe, ac vulgaribus hominibus, multò plures pervertet, ac decipiet, siquidem longè plures homines damnantur, quàm salvantur. In hoc sensu de Antiocho Epiphane dicitur Daniel.8.numer.10. *Dejecit de fortitudine, & de stellis & conculcavit eas*; ubi per stellas intelligit judæos pietate, doctrina, ac genere illustres, quos Antiochus suis minis ad apostasiam, & idololatriam perduxit, ut docent D. Hieron. Theodoret. & alii. 326

Germana solutio

Secundò quæ stellæ istæ, quæ sic à dracone, seu dæmone rapiuntur? Victorin. probabiliùs existimat, quòd non sint homines fulgentes in Ecclesiis, sed potiùs quod sint Angeli, quia cùm Lucifer Angelorum princeps extitisset, non mirum videtur multos ex suis subditis secum rapuisse, ac attraxisse in suam malitiam, ac nequitiam, subditi enim frequenter suorum principum vestigia, ac exempla sequuntur. Victorinus: *Quod dixit*, ait, *draconis caudam traxisse tertiam partem stellarum, bifariè id accipitur, multi enim arbitrantur tertiam partem hominum credentium posse eum decipere; sed verùs intelligi debet, Angelorum sibi subjectorum,* 327

Subditi facilè moventur ad facinora suorum Principum

rum, cum adhuc princeps esset, cùm transcenderet constitutionem, tertiam partem seduxisse. Expende illud: *Cum adhuc princeps esset.* Acriter pungebat Deus tribum Juda, quòd malo suo exemplo inducebat Israelem in peccata, & dicebat Osee 4. num. 19. *Ligavit eum spiritus in alis suis*; quæ verba sic legunt Septuaginta in Biblia Regia: *Turbo spiritus tu es in alis ejus*; quod exprimens D. noster Cyrill. ait: *Aves ventus non solùm impellit, sed velut violentia sua cogit; tunc celeriùs volant: sicut videbat Israel Judæum lege eruditum eodem idololatriæ crimine teneri, ita factum est, ut celeriùs discederet à Deo Israel.* Non sic ventorum turbo violenter aves impellit, ut principis, ac excellentioris malum exemplum, ac falsa deceptio alios, scilicet inferiores rapit ad scelera.

328 Tertiò draco cauda traxit tertiam partem stellarum. Hìc nullæ aliæ stellæ inveniuntur, nisi illæ duodecim, quæ splendebant in corona capitis mulieris; illarum tertiam partem draco, cauda traxit, quas tanquam asseclas, ac socias sibi draco advocat, dum armatus stat contra mulierem, ad devorandum, ac perdendum; nonne mulier illas stellas maximè sublimaverat, tanquam super caput suum, ut in modum coronæ mirifico splendore lucerent? quomodo jam fiunt in auxilium draconi contra mulierem? O mira rerum vicissitudo! sæpè contingit, ut hi, quos magnis honoribus, ac donis exaltasti, tanquam super caput tuum imponens, ut mirificè præluceret, à te deficientes, tuis inimicis confœderati, eis vires suppeditando adversùm te insidias moliantur; quam calamitatem deplorat David Psalm. 37. num. 12. *Amici mei, & proximi mei, adversùm me appropinquaverunt, & steterunt. Et qui juxta me erant, de longè steterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam*; ubi conqueritur de Achitophel, quem David sibi intimum, ac propinquum familiarem fecerat, qui ab ipso Davide deficiens ejus mortem machinabatur. Euthymius: *Amici mei. Subnotare videtur Achitophelem, atque alios hujusmodi multos qui odio quidem appropinquaverunt, ut persecutores, & ab antiqua benevolentia procul facti, sunt velut discendentes ab amicitia.*

Sæpè qui à te sublimati sunt, contra te insurgunt.

329 Quartò D. Gregor. Magn. lib. 32. Moral. cap. 14. per draconis caudam Antichristum intelligens, sic ait: *Cœlum est Ecclesia, quæ in hac nocte vitæ præsentis, innumeras sanctorum virtutes continet, & quasi radiantibus desuper syderibus fulget; sed draconis cauda in terram stellas deiicit, quia illa Satanæ extremitas, per audaciam assumpti hominis erecta* (Antichristum intelligit) *quosdam, quos velut electos Dei in Ecclesia inveniet obtinendo, reprobos ostendet. Stellas itaque de Cœlo in terram cadere, est nonnullos relicta spe cœlestium, illo duce, ad ambitum gloriæ singularis inhiare.* Ecce quantùm obcœcat cupiditas terrenorum, ac eorum ambitio, ut relinquentes Deum verum lumen, cadentes è cœlo sequantur fœtidam draconis caudam.

Turrena cupiditas maximè obcœcat.

330 Quintò de Lucifero loquens Propheta Ezechiel. 28. num. 16. *Perdidite, ò Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum, & elevatum est cor tuum in decore tuo; perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Cherub dicitur de cœlo lapsus, non tamen quòd stellas dejecerit, vel quòd eas conculcaverit, ut in præsenti legitur factum ab hoc venenoso serpente: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram.* Cherub, ut nominis etymologia habet est *plenitudo scientiæ*, & natura præillustris inter sublimes spiritus annumeratur; ac serpens naturam bestiarum sortitus, nulloque intellectus lumine, aut discursus honore præditus, inter animalia tamen quoddam sapientiæ vestigium est sortitus. Cherubinus spiritus sapientia plenus, scientiæ ubertate insignis, nulla lumina despicit, nec prosternit in terram, ut factum legimus à serpente uno ex brutis animantibus. Diodor. & Gennadius apud Zeph. Gen. 3. inquiunt: *Satan hoc loco serpens vocatur, à vi, qua præditus est nocendi, ex tortuoso, multiplicique ingenio; Serpens & malus, & Diabolus ex ingenio suo appellatur.* Serpens, cùm quadam metaphorica ingenii similitudine ornetur: *Serpens ex ingenio suo appellatur*; cum revera inter bruta animalia sit, tamen cùm tenuissima sapientiæ umbra sit præditus, ita supercilious, & arrogans sit, ut stellas despiciat, & in terram ad conculcationem deiiciat, cùm ipsemet, ut Cherubinus, sapientia plenus, ac omni scientia valde conspicuus, nec sydera obfuscat, nec in præcipitium dat; est enim superbiæ fastus, & impudens aliorum despectus, agnatum vitium, non sapientibus, sed sciolis, & vix scientiam gustantibus.

Non sapientes, sed qui ig aliquid sciunt, arrogantes, alios despiciunt.

Ait Apostolus Paulus 1. Corinth. 8. nu. 1. *Scientia inflat*; & quomodo scientia, quæ est Dei donum, & illuminat intellectum, & dat cognitionem, ut bonum teneamus, & malum fugiamus, in superbiam valde detestabile vitium nos inducit? Percipe mentem Apostoli: *Scientia inflat*; scilicet pauca, & exigua scientia inflat; nam multa deprimit, & humiliat, cùm sit in vera charitate fundata. 331

Pauca scientia inflat.

Natum Dominum stella coruscis radiorum vocibus ostendit, quam sequentes Magi, Regem sæculorum adoraturi prædicant: *Vidimus*, inquiunt, *stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*, Matth. 2. num. 2. O admirabilis incarnatæ Sapientiæ de humana sapientia triumphus! quod scilicet Magus sapientia turgidus, Cœlum se vidisse, & stellæ subiisse discipulatum testetur, ut puerum jacentem in præsepio, ut supremum omnium doctorem adoret, & recognoscat; quod magno suo ingenio expendens Chrysologus serm. 156. docet illustrius fuisse miraculum, Magos Christum cœlesti luce ornatum fateri, quàm novum sydus solaribus radiis emicare: *Plus*, ait, *cœleste de Magis, quàm de stella signum est, quòd Judæa Regem, quòd legis auctorem Magus scit.* Grande miraculum, rerum ordinem immutari, & meridiano tempore novum sydus effulgere, grandius verò, Magum, qui se sapientissimum gloriatur, & inde nomen Magi sibi appropriat, puerum pannis involutum, ut Dei filium honorare, & ab eo se doceri, ac illuminari humiliter fateri. *Quod legis auctorem Magus scit, plus cœleste, quàm de stella signum est.* Valde familiare est, quòd scioli turgidè tument, & doctissimorum despectum ructent, & tamen Magus multùm de sapientia præsumens, ac se jactans, quod adorans ad pedes pueri sese dimittat, ut ab eo lucem, ac sapientiam comparet, majus omnium miraculorum. 332

Magum miraculũ, quòd sapiens se dimittat, ut ab alio doceatur.

Cùm Balthassar Rex, in suo convivio vidisset literas scriptas in pariete, satis obscuris characteribus, maximè anxiatus, advocat magos, chaldæos, & sapientes, ut scripturam legant, ejusque interpretationem reddant: quod cùm nullus præstare potuisset, *Rex Balthassar satis turbatus est, & Optimates ejus turbabantur*, Daniel. 5. num. 9. tunc Regina, ut multorum fert opinio apud Lyram, quæ erat ava ipsius Balthassaris ingreditur ad Regem, eique aperuit, quod in regno suo esset vir, qui spiritum Deorum sanctorum habet, qui patri suo Nabuchodonosori obscura somnia dissolvit: *Quem Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, & incantatorum chaldæorum, & haruspicum constituit.* Ex quibus in tota Babylone nullus vir Daniele notior; ipse in explicandis difficillimis somniis valde præclarus; princeps ipse erat haruspicum, & magorum, à Balthassaris parentibus constitutus; ipse in palatio die, ac nocte versabatur totius imperii negotia administrans: iste ergo tantus in regia, tam notus sapientibus, ut eorum princeps, tam familiaris regibus, quomodo in tanta Regis, ac Regni turbatione, pro agnoscenda scriptura, à nullo Daniel denuntiatur, ut vocetur? cur non timent sapientes sententiam capitalem ut in simili causa, in eos protulit Nabuchodonosor? Daniel. 2. num. 12. omnes tacent, & nullus in re tam urgenti Danielem commemorat, sed solùm ab anu quadam Regina nominatur? Scioli illi Babylonici, qui magi, ac incantatores dicebantur, voluerunt potiùs Regis, ac Regni turbationem, & iram sustinere, quàm alium nempe Danielem semetipsis sapientiorem fateri; non poterant in animo inducere, ut Daniel explanaret, quæ ipsi assequi non valebant; & sic eorum præsumptio recusabat, alium sapientiorem agnosci, ac haberi, ut etiam capitalem sententiam contemnerent. 333

Præsumptuosus potiùs cultu pecuniæ, quàm sapientiæ eam fateri.

QUÆ

QUÆSTIO XLIII.

Quare tanta rabie, ac furore draco armatus est contra mulierem.

334 DUm splendor, ac claritas mulieris, veteronosi oculos serpentis reverberat, invidiæ acriùs venenum inflammat, cæruleas spiras explicat, squammas ardore accendit, collum erigit, ardentibusque oculis, præclara lumina obscurare conatur, & nati sanguine, invidentiæ sopire venena; ex quonam motivo tanta rabies est in hoc dracone?

Difficultas quæstionis.

435 Juxta communem sensum literæ, Diabolus Ecclesiam, Christum per fidem fructumque bonorum operum in fidelibus, & fideles in Christo parere cupientem, instanter impugnat; imò Christum, quem illa in cordibus fidelium parit, quoad electos attinet, devorare cupit, illumque per peccati suggestionem, in cordibus eorum recèns natum extinguendo, & inde Diabolus non solùm intendit perdere jam genitos, & educatos in Christo, sed diligentissimè dat operam, ut devoret nascentes, ac incipientes; & tota sævitia draconis potiùs erat in filium mulieris, quàm in ipsam mulierem, ut dicam quæst. 45.

Diabolus intendit devorare Ecclesiæ filios.

336 Secundò draco intendit devorare filium mulieris, filium nempe Virginis Mariæ Christum D. nam ut natus est, statim contra eum excitavit Herodem, ut eum perderet, sed incassum laboravit, & tamen ab incœpto non cessavit; at draco suo devictus consilio, victus non fugit, eum in deserto tentat, & usque ad mortis patibulum aggreditur, sed incassum, ac vanum laboravit; & cur ita pertinax, cùm suarum virium imbecillitatem satis cognitam habuerit? cur ergo ab ulteriori persecutione non se temperavit? Quia Diabolus, nec victus aufugit, sed denuò victorem aggreditur. Ansbertus: *Equidem appetit antiquus hostis caput corporis Ecclesiæ; statim ut de Virgine natum apparuit, corporalis necis passione erroris officio deglutiret: sed non ideo tunc eum evasit, quia ad thronum Dei corporaliter ascendit, sed quia in Ægyptum cum parentibus fugit; quia verò nequivit illum tum corporaliter extinguere, tentationum laqueos in deserto tendens, postmodum concupivit spiritualiter necare; sed necdum idcircò illum aufugit, quia ad sedem paternam corporaliter ascendit; sed quia scripturarum testimonia obiiciens, præcepta legis custodivit.*

Diabolus nec victus aufugit, sed denuo aggreditur

337 Tertiò: quomodo draco dicitur stare ante hanc mulierem Sole circumdatam? Serpenti dictum est: *Super pectus tuum gradieris*: Genes. 3. num. 14. cur ergo hìc non repens apparet, sed stans cum ceciderit è Cœlo? nonne qui stant, vigilant, nec somno indulgent? Ecce cur dicitur draco hostis generis humani, ante, id est contra mulierem stare, ut summa ejus ad nocumentum inferendum vigilantia significetur Albertus Magn. *Dicit quòd stetit, in quo notatur sollicitudo, & vigilia ejus ad nocendum*; & D. Augustin. lib. 1. de Civit. Dei: *Dæmones sunt semper ad decipiendum vigilantissimi.*

Eximia dæmonis vigilantia ad nocendum.

338 Quartò ecce draco septem capitibus, & decem cornibus, cùm in certamen descendit, quemnam appetere aggreditur? Non video alium nisi unam solam mulierem, licèt mira luce rutilantem; & quomodo infernalis draco, tot armis munitus, sic contra unam solam mulierem se erigit? Quia valdè amat ille singularem congressum, inde sibi certam esse victoriam existimans, cùm quis solus cum ipso in palæstram descendit; quod observavit Galfridus in allegoriis Tilmani, ad illa verba 1. Reg. 17. num. 8. *Eligite vobis virum, & descendat ad singulare certamen, si quiverit pugnare mecum*; sic ipse scribit: *Non timet nos solos adversarius noster Diabolus, idcirco fidenter provocat ad singulare certamen, sciens quia cùm ceciderit, non habet sublevantem.* Magna fiducia est Diabolo de triumpho, si aliquem solum inveniat, sed vana fuit ejus præsumptio in præsenti, licèt cum unica muliere fuerit concertatio, à qua ipse superatus est.

Diaboli ars unum solum appetere, ut perdat.

339 Quintò: Cur draco tanto furore accensus stat contra mulierem, ut devoraret filium ejus? nam si ipsa mulier cum filio suo radiabat *amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*, etiam ipsemet ejus filius cap. 1. num. 16. *habebat in dextera sua stellas septem, & de ore ejus gladius ex utraque parte acutus exibat, & facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua*; in hoc cap. 1. nullum auditur bellum, nec tortuosus coluber deiicere conatur stellas, nec movet seditiosas in Cœlo turbas, ut in hoc cap. 12. videmus; undè tantum rerum discrimen? undèque draconi tanta audacia? nam utrobique filius hominis divinitate adornatur, & solaribus radiis, ac fulgore stellarum emicat: ergo vel utrobique bellum intendat, vel utrobique fugiat. In primo capite, ac hoc duodecimo, omnia aptè, & arcano mysterio erant disposita; tamen primo loco non est ausus adoriri filium hominis, ut in præsenti, nam in primo capite, juxta debitum ordinem, omnia videbantur disposita; stellæ fulgebant in manu, Sol verò ut nobilius luminare, superiorem partem, utpote faciem occupabat, modò verò stellæ tenent verticem, Sol pro vestitu in inferiori situ locatur, Luna pro calceamento in infimo: & licèt omnia arcanè, & congruè essent disposita, tamen cùm veternosus draco ex mysterio non capiens, falsò existimat debitum naturæ ordinem non servari, inde animum concepit, ad bellum movendum, ut robusta deiiciat, infirma labefactet, & filium mulieris devorare intendat.

Facilè corruit Respublica si debitus ordo non servatur, & inferiores alta tenèt.

Vidit Nabuchodonosor statuam: *Caput ejus ex auro optimo erat; pectus autem, & brachia de argento; porro venter, & femora ex ære; tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis*, Daniel. 2. num. 32. & subditur: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, & comminuit eos.* Lapis hic, ut est constans sanctorum Patrum doctrina, Christum adumbrabat. Nunc verò considera aliud somnium quod etiam dormienti Regi obiicitur: Arbor scilicet grandis, & procera viridantibus foliis, *& subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres Cœli*, Daniel. 4. num. 9. & statim additur: *Ecce vigil, & Sanctus de Cœlo descendit; clamavit fortiter: Succidite arborem, & precidite ramos ejus*; ubi nostra Vulgata habet: *Ecce vigil*; Septuaginta legunt: *Ecce Angelus*; & sic communiter Interpretes. Et jam insurgit difficultas: Si ad statuæ dejectionem, cùm haberet pedes fictiles, non minister, sed ipsemet filius Dei venit, cur ad arboris truncationem unus minister destinatur, & hoc una voce tantùm? *Succidite arborem*? In statua omnia debito metallorum ordine erant disposita: *Caput ex auro optimo, pectus, & brachia ex argento*; at in arbore totus debitus ordo erat inversus, nam *in ramis conversabantur volucres*. Lyranus: *Per volucres intelliguntur garruli, & mendaces, ad alta tendentes.* In statua ubi metalla dignis locis collocabantur, inde sic ipsa erat munita, ut multa vis, ac potestas esset necessaria, ut nempe, ipsomet dominico ictu percussa corrueret, at in arbore, ubi conveniens dispositio erat mutata, ut mendaces, ac garruli non ob merita, sed ob adulationem sublimia dignitatum tenerent, non opus fuit ad totalem ruinam dominico lapidis ictu, sed vocis sono unius ministri. Sic facilè corruit Respublica, ubi garruli, & mendaces spretis fortibus, excelsa occupant.

340

Si pro meritis excellà nõ dantur, corruit Respublica.

Sextò: Cur draco iste modò tanta sævitia, ac furore insurgit contra mulierem? illa enim *clamavit parturiens*; qui clamor, ac desiderium de Christo fruendo, vox est hominum, *qui fidem, quam susceperant, loquendo pariter & scribendo, non sine magna desiderii intentione significabant*, ait Rupert. lib. 7. in Apocalyps. Hujusmodi ergo clamores, parturientis scilicet jultorum, ac sanctorum quibus Dei laudes intonant, ejus magnalia prædicant, ad ipsumque orationes diffundunt, maximè Diabolo graves sunt, ipsumque irritarunt ob suam invidiam, in certamen, ac pugnam contra Ecclesiam; sic ait Rupertus citatus: *Ille quidem funestus draco, mulieris parturientis excitatus clamoribus, stabat ante illam attentus, ut devoraret filium ejus.*

341

Dum Christus laudatur, ac prædicatur, à suis servis ardet diabolus invidia.

Ibat anima sancta divino amore vulnerata, & buccis plenis clamabat quid sentiret, quid vellet de ma-

342

gno

gno Deo: *Anima mea liquefacta est, ut loquutus est; vocavi illum, & non respondit mihi*, Cant. 5. num. 6. quid inde factum est ex tali clamore? *Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me*, &c. custodes isti ut vult Theodoret. sunt Reges potestatis eximiæ, ac feri tyranni, gentesque immanitatis barbaræ, qui virginem malè, ac crudeliter tractarunt; & cur modò tam severè contra illam insurrexerunt? undè tantus belli furor? Ait ipsa: *Vocavi eum*; clamores sunt justorum, qui suum Deum canunt, suumq; Christum, pleno ore, & alto clamore prædicant per vicos, & plateas, quod Diabolus non patitur, sed indignatus, furit, debacchatur, indeque excitat Regum, ac Judicum duritiem, cum Prætorum turba reliqua, qui sacram Dei scholam piè tonantem, ac docentem, dirè, ac severè divexarunt. Theodoret. *Percusserunt me, vulneraverunt me. Martyres enim*, ait, *ardentes sponsi desiderio, & ubique gentium, illum ad extremos usque terrarum terminos prædicantes hasce ærumnas pertulerunt.*

Tyranni devexant Christi servos, ejus laudes tonantes.

343 Cùm Dominus appareret in throno majestatis, Seraphim pleno ore *clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum; plena est omnis terra, gloria ejus*, Isai. 6. num. 3. signant Angeli magistros optimos, qui Deum Regem Regum, ac Dominum liberè commendant, ac prædicant, sonante tamen magistrorum Senatu, subdit text. *Commota sunt superliminaria, & domus repleta est fumo*, ibid. num. 4. sed quomodo Dei domus fumo impletur, ac illius superliminaria commoventur? Dei laudes decantatæ fumum excitarunt invidiæ, qua Diabolus principes sacerdotum Annam, & Caipham furore, & ira accendit adversùs Ecclesiam, Deique domum; quod Rupert. expendit lib. 1. in Isai. cap. 29. *Zelo concitati sunt Principes sacerdotum; commota sunt hæc superliminaria, per audita Trinitatis gloria, & manus injecerunt, ut concluderent ora clamantium.* Illud premit Rupert. quod pontifex, & principes sacerdotum judæorum imperarunt Apostolis, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Jesu, Actor. 4. num. 18. undè tantus belli furor adversùs Christi scholam natus? Ardet hebræus invidia, & extabescit: *Commota sunt superliminaria, & domus*, non jam Domini *impleta est fumo* invidiæ, ait Rupert. Dolent Diaboli oculi, cum videt Christum toto Orbe prædicari, ac honorari.

Ex invidia Diabolus movet bellum contra Deum laudantes.

QUÆSTIO XLIV.

Quare, cùm datum sit draconi esse à tergo mulieris, ut insidiaretur ejus calcaneo, ipse tamen mutat stationem, & stat ante illam.

344 IN Paradiso serpens cauda mulierem demulcens, ludendo blanditur: *Dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis?* Genes. 3. num. 1. at nunc idem serpens mulieri stellis redimitæ, Soleque fulgenti armatus insidiatur: draco stetit ante mulierem; quamnam ex his fœminis feliciorem dixeris? quæ fœdus cum serpente iniit, an quæ serpentis iras perpessa est? Cum Sole induta muliere draco pugnat, cum Eva ludit, ac blanditur, ac fœdus init; ex hoc tamen fœdere Eva devincitur, & mortem sibi, ac filiis suis comparavit, ex illo verò bello mulier amicta Sole triumphat, ac magnæ aquilæ alis sublimatur. Ait Div. Hieronym. in Catena Div. Thom. ad illa verba Matth. 10. Veni separare, &c. *Propterea bellum missum est bonum, ut rumpatur pax mala.* Mala pax Evæ cum serpente, de qua tot generi humano emersere calamitates, fortunatum mulieris bellum, quandoquidem & filius ad thronum raptus, & ad inferos serpens dejectus est. Quis non dicet infeliciorem fuisse Evæ pacem, quàm mulieris hujus congressum? *Bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala.*

Optimo, ac bono bello rumpatur pax mala.

345 Quæstio præsens: Quare, cùm draconi datum sit esse à tergo mulieris, ut insidiaretur calcaneo ejus, ipse mutat stationem, & stat ante mulierem? nam in exordio rerum, dictum est serpenti: *Tu insidiaberis calcaneo ejus*; scilicet mulieris, Genes. 3. num. 15. at cùm serpens sit hostis vafer, & astutus, & non audeat facie ad faciem bellum facere, insidias à tergo molitur, tanquam sagittarius, qui à tergo jaculum vibrat, ut certiùs, ac securiùs valeat aviculam percutere; & cum dicitur: *Insidiaberis calcaneo ejus*; peccatum originale denotatur, juxta illud Psalm. 48. num. 6. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me*; stat ergo à tergo serpens, ut venenosum morsum peccati originalis, omnibus filiis Adæ inferat: quomodo ergo in præsenti, suam consuetam stationem mutat, & non stat post mulierem, sed ante illam?

Difficultas quæstionis.

Acutè quæstionem attigit, & solvit Ambros. Ansbert. *Is autem*, ait, *qui semper calcaneo mulieris insidiatur, invitus ante mulierem stetisse perhibetur, qui voluntarius semper posteriora appetere probatur.* Maximè voluntarius draco stat à tergo, ut ita ex suo consueto loco cunctos filios Adæ pestifero morsu peccati originalis percutiat ex communi lege; cùm autem ipse draco agnosceret Virginem Mariam ab hac communi lege exemptam, & præservatam, *invitus ante mulierem stetisse perhibetur.* A sua malitia compulsus, mutat stationem, ac *ante mulierem stetit*, quia, cùm non posset à tergo ejus calcaneum peccato originali mordere, furibundus quærit alium situm, an forsitan ex illo possit ei aliquod nocumentum inferre, & ideo cum mulieri datæ essent duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, serpens misit post mulierem ex ore suo aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.

346

Maria libera à peccato originali de Diabolo triumphat.

347 Frustra tamen draco laboravit, nam ex talibus insidiis glorioſior triumphus, & illustrior victoria mulieri parata est. Cantic. 4. num. 8. dicitur B. Virgin. *Veni coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Per leones, & pardos dæmones intelliguntur, ut docent D. Augustin. Cassiodor. Beda & alii, qui exeuntes à tenebrosis Inferni cavernis, homines peccati veneno enecant: *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, 1. Petr. 4. at verò talibus aggressionibus, ac tentationibus tantùm abfuit quòd Diabolus posset Mariam mordere, ac leviter attingere, quòd potiùs de his gloriosè triumphans coronatur. Richard. *De capite Amana*, ait, *id est, de Diabolo, quia Beata Virgo dum ipsum Mundi principem, & caput iniquorum superavit, & calcavit, ejusque vires confregit, inde de cubilibus leonum, atque pardorum coronari perhibetur.*

Maria in tua Conceptione de Diabolo triumphat.

348 Sicque alta Dei dispositione ordinatum est, ut eisdem machinationibus, quas Diabolus paraverat in perniciem generis humani, ipse destruatur ac perimatur; solet enim Deus eodem uti medio, ac instrumento ad puniendum iniquum, quod ipse elegerat ad offensionem divinæ majestatis. Cùm promulgata esset lex in Ægypto ut pueri hebræorum ab obstetricibus interficerentur, ut ita populus extingueretur, Exod. 2. num. 16. tunc nascitur Moyses, & cum ejus parentes illum abscondere non possent, exponitur fluminis aquis, à quibus educitur à filia Pharaonis, quem ipsa adoptavit in filium, ut ita ipse educatus regali, ac generoso spiritu fieret maximè aptus ad populi libertatem: *Suscepit mulier, & nutrivit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis, quem illa adoptavit in locum filii*, Exod. 2. num. 10. Non mirum quòd tam ingenti miraculo puer liberatus sit à tam evidenti periculo, cùm ipse esset ordinatus ad alta miracula operanda; illud ergo maximè est notandum: Cur Deus disposuit, quòd una mulier, & ipsius Pharaonis filia, tanti operis fieret causa, & instrumentum? labatur puer per flumen ad alterius magnatis Provinciam, ac regionem deveniat, in ejusque aula educatus sit, & inde exeat ad suum munus destinatum. O magna & alta Dei Providentia! mens est magni Augustini quod una mulier, & filia ipsius met Regis Pharaonis, puerum ab urgente periculo incolumem servet, nam si tyrannus Rex, mulier destinavit ad perimendum populum hebræorum, eorumque masculos interficiendos, sic etiam Deus alteram mulierem, & filiam ipsius Pharaonis elegit, ut

ut instrumentum vitæ Moysis, qui Israeli salutem dabit, & Pharaoni patri ejus mortem inferet, indeque eodem medio punitur iniquitas, quo offensa irrogata est. Divus Augustinus quæstionibus in Exod. *Dignum*, ait, *malitiæ ejus, & sceleris erat, ut filiæ provisione periret, qui genitrices interdixerat parturire; compotes processit divina vindicta, ut suis affectibus puniretur, & Moyses pro aliis eruendis, erueretur.*

349 Diabolus peccati extitit auctor. *Invidia Diaboli mors intravit in Orbem terrarum*, Sap. 2. num. 24. & quonam medio usus est? Una muliere: *Dixit ad mulierem*, Gen. 4. num. 1. & cujusnam conditionis erat mulier? Omnium nempe hominum futura Mater. Crudelis iste tyrannus machinavit quod una mulier mortem inferret omnibus filiis suis; ut tanta iniquitas puniatur, ordinat divina justitia, quòd Maria concepta absque peccato originali, de Diabolo triumphum agat, & tanquam filia hominum, instrumentum sit vitæ omnium hominum; & ita Deus punivit filia delictum, quòd interventu matris commissum est, ut ita æqualiter sibi responderent culpa, & vindicta. Ad hoc tendit Rupertus libro tertio de victoria Verbi, capite 8. *Victa*, ait, *per fraudem mulier vinceret fortitudine, & victoria per mulierem paratur.*

Diabolus suis armis vincitur à B.V.

QUÆSTIO XLV.

Quare draco expectat mulieris partum, ut maligno dente deglutiat puerum natum.

350 Diabolus magna invidia movetur in Christum, etiam præ visum. REsolutio hujus quæstionis patet ex his, quæ dicta sunt jam in expositione, ac etiam supra q. 43. num 336. nam si hæc mulier dicatur B. Virgo, ejus filius est Christus Jesus, quem Diabolus intendebat devorare, ac perdere per suum ministrum Herodem ut jam dixi ex Ansberto & aliis.

351 Quia tamen hæc agebantur in cœlis, antequam inde draco præcipitaretur, immediatè enim post hæc subiicitur Angelorum prælium, in quo Michael stans è parte filii Dei, draconem deturbat, & ostendit firmatum Christi imperium: igitur dum draco ille potentissimus in cœlis degit, in primo suæ conditionis instanti, tam illi, quàm cæteris omnibus spiritibus objecta fuit per divinam revelationem fortissima illa mulier Maria, in cujus utero ostendebatur Homo Deus Christus, omnia, quæ summi Patris erant, in se repræsentans, ut ab omni creatura adoraretur. Expavit ad hanc hominis divinissimam gloriam draco, illique vehementissimè invidens, ante mulierem stat ut illam cum filio perdat; sic hanc explicationem quam literalem putat, finit Catherinus in opusculo de gloria bonorum Angelorum, dicens: *Hic ergo draco describitur esse ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperisset, filium devoraret; in quo ira illa magna, & odium impotens ex invidia pessima declaratur, ac homicidium insigne Christi Domini, & matris ejus*; & Episcopus Chrysopolitan. in Psalm. 81. *Prævidit ergo Lucifer Christum incarnandum, & regnaturum, invidit, & odivit eum.*

355 Diabolus intendebat delere Christi nomen ab hominum memoria. Secundò draco non contentus de tot stellarum casu, stetit ante mulierem parituram, ut cùm peperisset filium suum, devoraret eum; ad quid tanto furore rapitur draco in matrem, & filium ejus? Quia cùm incarnationem divini Verbi, in generis humani reparationem impedire non posset, abolere, ac extinguere conatur. Rupertus: *Hæc erat*, ait, *intentio draconis tot capita lubrigentis, tot cornua vibrantis, hæc inquam erat nequissima cupiditas Diaboli, tot regna submoventis, tot Reges inflammantis in odium divinæ religionis, ut cum peperisset mulier, quæ erat Ecclesia pariente Maria, filium ejus devoraret, ut partus hujusmodi nulla utilitas, nullus fructus existeret.*

356 Diabolus scivit aliquatenus, an filius mulieris esset Dei filius. Tertiò ex integro mysterium incarnationis non erat revelatum Diabolo, & cùm ipse multùm dubitaret, an filius hujus mulieris amictæ Sole, esset verus filius Dei, ut id exploratum haberet, eum intendebat devorare, nam si ipsum deglutiret, inde apertè sciret ipsum non esse filium Dei, si verò ipsum suis manibus ac dentibus non attingeret, inde ejus divinitatem deprehenderet. Joachimus Abbas sic ait: *Non illi ex integro revelatum erat mysterium dominicæ incarnationis, qui an Dei filius esset dubitans, Scripturæ testimonium introducit, ut si eum non esse Christum perpenderet, tanquam sibi contrarium ad tormentum rapere festinaret; si verò esse Dei filium manifestè agnosceret, ab ejus persecutione desisteret, si tamen eum desistere ejus malitia pateretur.*

Quartò stabat draco ante mulierem parituram, *ut cùm peperisset, filium ejus devoraret*; cur draco pueri interitum ardens, ejus ortum expectat? cur ipsum inter materna viscera non aggreditur? cur sic refugit à fœminæ sexu imbecilli? cur ergo matrem gravidam draco dentibus non dilacerat, & necem unico ictu perpetrat duplicem, matris scilicet, & filii? O mira serpentis astutia! puerum devorare hiat, & ortum expectat. Mulier hæc est sacratissima Virgo Maria, & inde securè degit infans, dum tantæ matris fovetur auxilio. Edatur puer in luce, separaretur, à matris gremio, quia dum ab illa protegitur, in vanum tortuosi serpentis desæviet furor; in stellas fraudulentus ardet, & vaferrimus vincit, at in puerum non à matre disiunctum valebit nihil. O Virgo sacratissima, sic potestates tartareas deterres, ut omnes fugiant ab eo, qui sub tua tutela est, tua enim protectio omnibus est salutis asylum, & vitæ scutum, & munimen contra adversariorum tela. D. Maxim. hom. 1. de jejunio: *Errabundus, & anceps tentator, mollia suspensaque tentamenta rimatur. Animabat illud præsumere congressus, partus fœmineus, sed deterrebat virginitas parientis.* Matris virginitas serpentem adeò terrefaciebat, ut certamen cum puero detrectaverit, dum in matris visceribus intuetur.

357 Qui sub patrocinio Mariæ degit, securus a morsu Diaboli.

358 Quinto si per hanc mulierem, Ecclesiam intelligas generantem, ac parturientem filios suos in Christo, ut dixi cit. q. 43. num. 338. & tunc maximè pnnderandum, signanter dictum esse, observasse draconem, qua hora mulier fœtum esset editura, ut eum devoraret, ac deglutiret, ut inde deprehendas Diabolum, hominemque diabolicum insidiari principiis rectè vivendi per peccati suggestionem. Albert. Magn. *Maximè intendit Diabolus*, ait, *scilicet tentare novitios, & infirmos, & si non potest partum boni operis impedire, tamen nititur per vanam gloriam devorare*; & Rupert. l. 7. in Apoc. *Adstabat ergo draco ante mulierem, quæ erat paritura*, &c. *ut significaret corpus ejus universum generationem Caini adversantem ab initio, generationi sanctæ, generationi Abelis, generationi quærentium Dominum*, &c. Psalm. 23. Preme illud, *ab initio*; quod sic explicabis: Ubi primùm gens Deo sancta, boni motus capit animo, sentit morsus draconis infestissimi. Generationem malorum, seu Caini sensit Abel ab Orbe condito, sensit mulier ex infante nato, sensit tryunculus ex vita inita rectè vivendi.

Urgent tentamenta in principiis rectè vivendi.

359 Tenera adhuc erat Virgo cùm infantiam coleret mentis bonæ, undè de ipsa Sponsus ait Cantit. 8. num. 8. *Soror nostra parva*; valde nempe incipiens in via Dei, & primos boni motus concipiens; quæ cum versat animo Sponsus, statim discutit, quid de sorore statuendum sit: *Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?* quando scilicet in eam insurgent dæmonum tentationes, ac infestationes, ut explicat Hugo; tunc subdit: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea*; & quid tot, & tanta ad munimen hujus Virginis, ut muri extruantur, & turres altæ erigendæ sint, quibus septa Virgo consistat, & hostem trudat? Tam fortiter, ac rigidè dæmon insurgit adversùs infantiam mentis sanæ, ut ad Virginis custodiam necesse fuerit, muros extrui, turres erigi, ne pereat tenera Virgo. Vatablus: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula, ut si quis subito ingressu occupare velit animum sororis, nitentem ingredi arceant.*

Firmanda bene initia rectè vivendi.

Clamat divinus Sponsus Cantic. 2. num. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum*; gemmescunt vites, emittunt flores, promittunt fructus, quibus signantur boni mores, & statim paucis post verbis, multa est cura de captandis vulpeculis num. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*; ecce tota occasio timendi, quia vulpes demoliuntur vineam, quæ cùm sit in gemmis, maximè illi timendum: cùm anima est in teneris, tunc maximè dæmones vulpes, ma-

360 Quod tenerum in via Dei est citò arrodit Diabolus.

magnis insidiis adversùs eam insurgunt; ad ejus animo conceptum bonum opus conterendum, ac perimendum. D. Bernardus serm.64. Cave igitur, & vigila tyruncule, Accedens ad servitutem Dei, certus, omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutionem passuros.

Apoc. 12. *num.* 5. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea; & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.

VERSIONES.

Syriacus.	Peperit ergo filium masculum, qui pasturus erat gentes.
Arias.	Qui futurus erat pascere.
Arabicus.	Qui futura erat pascere.
Vatablus.	Recturus erat omnes gentes virga ferrea.

EXPOSITIO.

361 *ET peperit filium masculum.* Si per allusionem, hæc dicta referas ad Beatam Virginem Mariam, ipsa peperit filium suum, nempe Christum Dominum, qui rectè dicitur masculus, utpote sexu, robore, ac fortudine magnus. *Qui recturus est omnes gentes in virga ferrea*; magna & ampla potestate, justitiaque inflexibili, & ita dicitur Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea*; qui per suam gloriosam ascensionem raptus est ad Deum Patrem, & ad thronum ejus: ita Aretas, Ansbertus, & alii cum Ferrario.

362 Tamen communior sententia, per hanc mulierem, intelligit Ecclesiam sanctam. *Et peperit filium masculum*, nempe Christum Dominum per baptismum, in animis firmiter credentium, ac fortiter amantium, vel quod in idem redit: *Peperit filium masculum*; id est, fortem, generosum fidelium cœtum, ac sanctum, & verum populum christianum, qui forti, ac constanti animo resistent draconi, scilicet Diabolo, ac ministris ejus, ut Antichristo, & aliis in ultimis temporibus. Populus christianus, vocatur hic filius masculus; sic Israel vocatur filius primogenitus: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Osee 11. num. 1. *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Hoc propriè, & perfectè soli competit Christo, participativè aliis Sanctis, ut dicitur cap. 2. num. 27. *Qui vicerit dabo ei potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea.* Et deinde subdit noster textus: *Et raptus est filius ejus ad Deum;* nam sancti interveniente morte, per martyrium, ac perseverantem charitatem rapientur ad Deum.

363 R.P. Franciscus à Sancta Maria, vir insignis eruditione, ac Religione, tom. 1. in histor. prophetic. lib. 1. cap. 32. & 33. explicat hunc filium mulieris esse magnum parentem Eliam, qui multa potestate ut dicitur Apocal. 11. num. 5. reget gentes, & tandem post glorioſum martyrium, ibid. nu. 2. ascendet ad Deum, & thronum ejus; quæ expositio rectè explicata, suam potest habere probabilitatem.

QUÆSTIO XLVI.

Quare dicitur quod hæc mulier peperit filium, & non filios, & hunc masculum, & non fœminam.

364 PRima difficultas in hac materia. Ait Textus: *Peperit filium masculum*; sicut communis sententia per hanc mulierem intelligit Ecclesiam, ita etiam per filium interpretatur fidelium cœtum: ita Andreas Cæsarien. Richard. Albert. Magn. & alii. Tamen statim insurgit difficultas: Quomodo omnes fideles, sub unius masculi nomine comprehenduntur? an quia tanta est eorum unitas ex charitate mutua, ut omnes unus verè possint nominari? Suffragatur Origenes homil. de Elcana: *Cur non omnes*, ait, *unus dicantur, quorum cor unum, & anima una esse describitur? Unam semper omnes sapientiam meditantur, unum sapiunt, unum Deum venerantur, unum Dominum Jesum Christum confitentur, uno spiritu Dei replentur, undè & meritò ipsi omnes non solùm unum, sed & unus dicuntur; sicut Apostolus designavit dicens Corinth. 9. omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Vides manifestè, quia omnes justi, unus est.* Ampla propemodum justorum multitudo per mutuam charitatem in unum coalescit.

Summa Justorum unitas.

Vel etiam non dixit filios, sed singulariter unum filium, vel unum masculum, quia unus justus ad instar plurimorum est. Pulchrè Divus Chrysost. homil. 40. ad Pop. Antioch. *Elias unus erat*, ait, *sed totus Mundus non erat dignus, qui ipsi rependeretur*; ac si diceret: Si totus Mundus, & Elias in una trutina hinc, & inde appenderentur, solus Elias justus universo Mundo præponderaret. 365 Unus justus adinstar plurimorū.

Et jam ad secundam, & principalem partem quæstionis; cur ait: *Peperit filium masculum?* Non ait absolutè, peperit prolem, non determinans an masculinam, an fœmineam, sed masculum expresè dixit, quia hujus mulieris, quæ est Ecclesia, proles debet esse masculina, hoc est, fortis, & voluptatibus indomita, ut benè adnotat Andreas Cæsarienſis: *Ecclesiæ filius*, ait, *populus masculus est, & rectè appellatur, qui carnis voluptatibus, sensuumque illecebris non frangitur, ac deiicitur, sed animo infracto, in officio perstitit; quod etiam dixit Isaias* 66. *n.* 7. *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, masculum peperit;* quibus verbis non solùm exprimitur celeritas, qua populus Christi propagatus est, ut D. Hieronymus advertit, sed etiam masculina hujus populi contra omnes carnis illecebras fortitudo, ut notat D. Cyrill. Alexand. *Non enim*, ait, *effœminatus mollitie christianus populus, sed sensu virili præditus est, & juvenili; undè constat christiani nomine, & Ecclesia matre indignos esse eos, qui à viri statu, in fœmineas illecebras facescunt.* 366 Verus filius Ecclesiæ fortis cōtra carnis illecebris.

Secundò cùm mulier Ecclesia peperisset filium masculum, id est, fortem, & robustum, contra illum stabat draco ad devorandum eum; quia dæmon maximè excitatur, ac movetur, contra animam fortem ejus tentationibus resistentem, ut nihil intentatum relinquat Diabolus, ut eum fallere, ac supplantare valeat: Cardinalis Hugo in cap. 6. Joann. qui per masculum intelligit perfectissimam charitatem: *Huic partui*, ait, *maximè insidiatur draco, sicut habetur in Apocalypsi: Persecutus est mulierem, id est, animam fidelem, quæ peperit masculum, id est, amorem Dei fortem, & insuperabilem, & misit draco post mulierem aquam tanquam flumen, ut traheret eam post aquam, hoc est, homini exuto à peccatis, suggerit præteritas voluptates carnales.* Omni modo Diabolus insidiatur justo, & si eum non potest impellere ad nova peccata, saltem conatur eum reducere ad ea, quæ jam dimiserat. 367 Diabolus maximè persequitur virum justum.

Tertiò dicitur, quod hæc mulier Ecclesia sancta peperit filium masculum; nonne etiam ipsa parit filias? nam de sanctissima Virgine ait Spiritus Sanctus: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas;* quid ergo? an ita diligitur à Deo masculina proles, ut fœminea despiciatur? Nequaquam sanè, nam non sexus, sed virtus apud Deum æstimatur; in filia designatur mollities, ac segnities, in filio autem, constantia & fortitudo, quæ magni est apud Deum. Eusebius Gallicanus homilia in Dominica tertia post Pentecosten: *Etsi filias habeat*, ait, *sole illius sunt, quæ non mollitiem muliebrem, sed virile robur obtinere nituntur, nam neque masculi propter sexum, sed propter fortitudinem, & constantiam filii ejus esse dicuntur.* 368 Non sexus sed virtus apud Deū æstimatur.

Quartò juxta probabilem sententiam, hæc mulier est sanctissima Virgo Maria, ejus filius Christus Dominus; & rectè dicitur masculus, ut fortis, ac validus, quia neque prosperitate mollitus est, nec fractus adversitate. Richardus de S. Laurentio, lib. 4. de laudibus Mariæ: *Christus*, ait, *dicitur vir, quia nunquam emollitus prosperitate, undè Joann. 6. cùm quidam vellent eum facere Regem, fugit in montem, & quia nunquam* 369 Christus prosperitate, nec adversitate est emollitus.

quam fractus adversitate, undè in passione, quasi pro salute generis humani, plus adhuc desiderans pati, dixit: Sitio, Joan.19.

371 Quintò non ait textus: Peperit infantem, vel puerulum; nam iste recens natus erat, proindeque rectè dici poterat infans, vel puerulus, sed tantùm dicitur masculus, quia viro fideli, non sola sufficit innocentia in puerulo denotata, nisi adsit ad benè operandum fortitudo, ac constantia, quæ per masculum significatur. In hac consideratione rectè explicat Rupertus verba illa Exod.12.num.5. *Erit autem agnus absque macula masculus anniculus*; non sufficit quòd sit agnus, & absque macula, sed insuper requiritur, quòd sit masculus, id est, fortis. Rupertus ibidem, ait: *Macula peccatum est; erit ergo absque macula, id est, sanctus, innocens, impollutus, sed parum haberet gloriæ sola innocentia, si non adesset fortitudo quoque ad agenda perfectæ justitiæ opera.*

Nō sufficit innocentia nisi etiam adsit fortitudo ad bene operandum.

372 Ait Job 12. num. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia; apud ipsum est sapientia, & fortitudo.* Componit sapientiam, ac virtutem prudentiæ cum sapientia Dei, ut inde appareat quantùm frigescat sapientia hominum, comparatione sapientiæ Dei; sed in quo illa sapientia friget comparatione hujus? Jam explicat: *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo*; in antiquis erat solùm sapientia, quæ quidem sapientia carebat fortitudine, ac constantia, & inde inutilis erat, at verò quæ à Deo sapientia, conjuncta venit cum fortitudine, ac perseverantia, ut resistat omni malo, & ad victoriam perducat. Rupertus lib.de Sap.2.c. 3. *In illis antiquis, sapientia, atque prudentia est; verùm aliter in illis, aliter apud Deum sapientia est: & in hoc differunt, quòd in illis sapientia tantùm, apud istum autem sapientia simul, & fortitudo est, etenim illi, quod sapiebant, ad effectum perducere non potuerunt, iste autem sapientiam actu perduxit usque ad victoriam.* Sapientia, sub qua intelligitur quælibet virtus, sine fortitudine inutilis, illa verò maximè æstimanda, quæ sola est apud Deum, quæ cum fortitudine, ac constantia conjuncta est.

Vera sapientia ac virtus cum fortitudine conjuncta est.

373 De Enoch Gen.5.bis dicitur, quòd ambulavit cum Deo; nonne sufficiebat hoc semel dicere? ad quid bis repetitur? Primò dicitur, quod ambulavit cum Deo, num.22. veluti sub initium vitæ, & iterum num. 24. cùm refertur ejus in cœlum raptus, quia tanta innocentia, puritas, ac sanctitas, non sat erat in vitæ exordio, nisi etiam constanter perseveraverit usque in finem vitæ. Cajetanus ibi: *Ad explicandam*, ait, *quod ab ineunte ætate profecit in via Dei, & perseveraverit proficiendo in ea semper.*

Justorum virtus perseverans sit.

QUÆSTIO XLVII.

Quare cùm verus Dei minister sit suavis, ac lenis, de eo dicitur, quòd populum Dei reget in virga ferrea.

374 Similem ferè quæstionem tractavi ad cap.2. Apocalyps.q.66. & quamvis, ut ibi dixi, juxta sententiam, quòd tunc sit sermo de potestate judiciaria post finem sæculi, in hoc cap.12. agitur de vero Dei ministro in hoc præsenti sæculo, ideò enim hæc mulier Ecclesia scilicet, generat hunc filium, ut regat, & gubernet populum Dei cum sua justitia & æquitate inflexibili, contra ejus inimicos; quod magis explico.

375 Et primò: Christi ministri, sunt suaves, & mites, dicente Domino: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, Matth.11.num.29. quomodo ergo dicitur, quod regent populum Dei, non quomodocunque, sed virga ferrea? Quia proprium est virtutis cultorum fortiter, & insuperabiliter in vitam bonam, & rectam ducere, & semitas justitiæ docere. Eusebius Gallicanus in Dominica tertia: *Tales nempe*, ait, *virtuosi in virga ferrea, tales regunt vitia, & malignos spiritus regunt, tales imperio forti & insuperabili, Dei populum per rectam viam incedere docent.*

Justi constantia alios docet in via Dei.

376 Secundo dicitur non solùm de Christo, sed etiam de cœtu fidelium: *Reges eos in virga ferrea*; undè dicitur Psal.44.num.7. *Virga equitatis virga regni tui: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem*; quæ rectitudo justitiæ in eo consistit, ut nulla personarum acceptione moveatur; tamen in eo etiam visitur hæc rectitudo, quòd detestetur malum, ac peccatum, & diligat hominis naturam. Ansbertus: *In eo consistit*, ait, *ut in uno, eodemque homine, diligamus bonum, quod Deus fecit, & insequamur malum, quod homo nequiter gessit, quatenus & compassio humanæ rei detur naturæ, & vitiis correptio disciplinæ*; hinc Psalmista 22.n.4.ait: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt; virga enim percutimur, baculo autem regimur, & sustentamur.* Virga est ad percutiendum malum, baculum autem est ad regendum, ac sustentandum hominem utpote Dei facturam.

Vera justitia in homine, diligit bonum, & detestatur malum.

Tertiò filius hujus mulieris dicitur masculus: *Peperit masculum*; sic dicitur de eo ob suum eximium robur, & fortitudinem; quod ad indicandum, subdit textus: *Recturus erat gentes in virga ferrea*; quod longè ante prædictum fuerat Psal.2.n.9. in quo apertè indicatur ejus eximia potestas, & fortitudo, undè de eo prædixit Isaias 9.num.6. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis.* Ex tanta ejus fortitudine, apertè fit manifesta ejus victoria, & triumphus de dracone; quia licèt draco, seu Diabolus omnem lapidem moveret, ut eum perderet, semper hujusmodi conatus dæmonis adversùs Christum omnino irriti, & vani fuerunt. Rupertus: *Futurus draco, qui in illo nempe Herode sæviebat, quando consilium, sive propositum Dei evacuare se posse putabat, ille namque recturus erat gentes, & hoc in Scripturis veritatis præfixum erat.* 377

Conatus dæmonis adversùs Christum omnino irriti.

Quartò Orig.in Catena Græca: *Virga Dei est potestas ejus, & supplicium infidelium, ac præmium justorum, in Cruce scilicet ejus*, sed si Crux, in qua pependit Christus Dominus lignea fuit, quomodo hæc virtus à regio Propheta dici potest quod ferrea fuerit? quid lignum cum ferro? Respondet idem Origenes: *Illius quidem materia lignea est, vis autem ferrea.* 378

Crux lignea, vis ferrea.

Ait Isaias 10.n.26. *Suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum juxta plagam Madian in petra Oreb; & virgam suam super mare, & levabit eam, in via Ægypti.* Minatur Propheta Sennacherib, quod sicut per Gedeonem Deus suscitavit flagellum contra Madianitas in petra Oreb, & sicut olim suscitavit virgam Moysis contra Pharaonem reducendo aquas maris super eum cum exercitu suo, sic & Sennacherib simili virga percutiet. Sed undè virga Moysis, quæ lignea erat facta est dura, ac ferrea ad tutamen populi Israelitici, ac destructionem Ægypti? Typum gerebat Crucis Christi, & inde non mirum, quòd tanta vis inesset in ea; sic rem explicat D. Ælredus apud Tilmanum in Allegor. & ait: *Verè Crux tua premit fluctus sæculi, Domine, persecutionum sedat tempestates, mitigat tentationum procellas. An nescitis? an non sentitis? fervet aliquando in carne æstus concupiscentiæ, in mente ira desævit indignationis, jam, jamque prorumpit, & instar maris, quod vehemens exagitat ventus, omnia interiora conturbantur hominis, sed levate super hoc mare Jesu, sedantur omnia, omnia conquiescunt.* 379

Crux Christi validissima ad expugnandas contrarias potestates.

Cùm adolescens David exiret in pugnam contra Philisthæum gladio, hasta, ac lorica armatus, & ad certamen curreret, ait text. *Tulit unum lapidem, & fundajecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram*, 1. Regum 17.numero 49. quid est, quòd David non expavit coram Philisthæo armato, & baculo, ac funda, non clypeo, & lancea ad certamen progreditur, & tandem lapide prosternit superbum, ac arrogantem? David cùm lapidem misit, & fundam circumduxit, à sinistra in dexteram, & veluti à tergo contra frontem duxit, & sic Crucis figuram formavit; cùm ergo David Philisthæum percussit in fronte, Cruce ferit, quia, licèt lapide fuerit percussus, lapis ille, Cruce mittebatur signatus, proindeque Davidis victoria, & Philisthæi dejectio ex Crucis virtute dimanavit. Galfridus apud Tilmanum ad hunc locum, patronus adest: *Etsi*, ait, *lapidissimum lapidem vis videre, mihi, inquit, abste* 380

Crucis umbra superat, & vincit inimicos.

absit gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi. Hoc jam lapide Goliath fronte percutitur, dum ad Crucis prædicationem conversus prosternitur inimicus, nam ipsa, quæ circumvolvitur funda, Evangelii nobis insinuit prædicationem. Expende illa verba: *Hoc jam lapide Goliath in fronte percutitur.*

381 Valde mirum quòd Petrus firmissa Ecclesiæ petra, præclarus inter cæteros Apostolos, ter Dominum, & cum juramento neget: *Ille autem cœpit anathematizare, & jurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis*, Marc. 14. n. 71. undè Petrus vir magnus, & generosus, qui contra magnam militum copiam in horto evaginavit gladium suum, modò sic elanguit, ut passionis tempore, ter Dominum neget? Cùm meus Jesus prænuntiaret suis discipulis mortem, & Crucem suam sibi paratam, Petrus ait: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, Matth. 16. n. 22. cùm ergo Petrus à Christo, ac simul etiam à se vellet repellere Crucem Jesu, inde sic ejus vires hebetantur, ut ad negationem sui sanctissimi magistri venerit. D. Chrysologus serm. 27. sic ait: *Venenum quàm dulce serpentis ante fecit militem Regis sui negare victoriam, servus ipse Dominum quàm negaret.*

Qui à se rejecit virtutem crucis in multa peccata incidit.

QUÆSTIO XLVIII.

Quare puer iste tam vehementer rapitur ad Deum, & ad thronum ejus.

382 ANsbertus in præsenti explicat nostrum textum de raptu spirituali, ac si quidam mentis ascensus de hoc Mundo ad Deum fiat; quia tamen visio ista erat imaginaria, depicta ab Angelo in phantasia Joannis Apostoli, raptus iste intelligitur tanquam corporalis, ut explanat Rupertus, ac ut puer liberaretur à dracone expectante eum ad devorandum; quid verò hujusmodi raptus significet inquirendum est.

383 Primò draco stabat ante mulierem parituram, ut cùm peperisset filium suum, devoraret eum; & cùm mulier delicata, & ejus filius recens natus draconis fortissimæ violentiæ non possent resistere; quid tunc ait textus? *Raptus est ad Deum, & ad thronum ejus.* Cùm recens natus jamjam devorandus esset, nec pro exiguis viribus sese posset defendere, nec fuga saluti suæ consulere, in tanto periculo puer constitutus expertus est Dei auxilium præstantissimum, nam in cœlum rapitur. Eusseb. Gallican. Dom. 3. post Pent. *Quotidie namque filii Ecclesiæ*, ait, *ad Deum rapiuntur; quotidie ad thronum ejus ab Angelis deferuntur, atque ab ipsius faucibus devorare cupientis, sæpissimè subtracta præda gaudens, ac triumphans cœlos ascendit*; Scilic. justus. Quod etiam dum Deus suos justos, interveniente gratia, liberat à gravi tentatione explanat Andreas Cæsariensis: *Rapiuntur hic*, ait, *ex gravioribus tentationibus interdum sancti, ne fortè afflictionibus, aut difficultatibus, quæ vires illorum excedunt absorbeantur.*

In magno periculo, ac tentatione adest Dei auxilium.

384 Secundo non dicitur, quòd translatus est, vel mortuus, sed raptus, quia sæpè justi rapiuntur ante tempus à natura definitum divinæ prædestinationis beneficio, quia prævidet Deus, si diutiùs vixissent, fore pervertendos; ita dicitur Sap. 4. num. 7. *Justus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit*; & paulò post: *Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est, & raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*; & postea dicitur: *Placita erat Deo anima illius, propter hoc properavit illum educere de medio iniquitatis.* Quo testimonio utitur D. August. ad hanc veritatem confirmandam lib. de prædest. Sanct. c. 14. D. Cyprian. lib. de mortalit. & sic ait: *Per Salomonem docet Spiritus S. qui Deo placent, maturiùs istinc eximi, & citiùs liberari, ne dum in isto Mundo diutiùs immorantur, Mundi contactu polluantur; raptus est, inquit, ne malitia mutaret intellectum ejus.*

Justus sæpè celeriùs tollitur Dei beneficio.

385 Tertiò: *Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus*; & tamen, ut subditur n. 9. *Projectus est draco serpens antiquus.* Puer utpote infans nil ambit, nil loquitur, serpens plura tentat, plura molitur, & sublimia intonat: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isai. 14. n. 12. & tamen serpens jactatus delitescit in profundo, puer verò raptus fulgurat in throno. Puer, utpote elinguis tacet, & tamen rapitur ad thronum, quia resplendet meritis; draco clamat: *In cœlum conscendam*; verùm, quia meritis vacuus, ad profunda demergitur: *Projectus est draco*; tunc ergo maximè firmatur regnum, cùm dignus sine voce ad dignitatum apicem elevatur, & indignus quantumvis clamet, dejicitur. Rupertus: *Quando*, ait, *raptus est ad Deum, & ad thronum ejus, ipsa passione, ipsa resurrectione, qua rapiebatur, & transibat ex hoc Mundo ad Patrem, perditionem, & mortem, corporum quoque mortalium corruptionem destruit, tunc facta est salus, & virtus.* Maximè destruitur mors, & exulat infelicitas, dum ad alta rapitur dignus, maximeque perit salus, nisi deturbetur perversus: *Quæ rapiebatur, & transibat ex hoc Mundo ad Patrem, perditionem, & mortem corporum destruit.*

Decus Reipublicæ, quòd dignus sine voce elevatur, indignus clamans dejiciatur.

Quod præclarè confirmatur: Moritur Lazarus afflictus doloribus, sublimis meritis: *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ*, Luc. 16. num. 22. moritur etiam dives, qui byssino, purpura, ac splendidis epulis deliciabatur, & sepultus est in inferno; & cùm videret Abrahamum, in cujus sinu requiescebat Lazarus, sic clamat miser: *Pater Abraham*; ecce dives rogat, & postulat refrigerium, & tamen ei clamanti denegatur, quod concessum fuit tacenti, esset namque cœlestis politices dedecus, si necessaria meritis fuisset lingua, aut si indignis profuisset ambitionis loquela; Lazarus tacet, quia virtus non lingua clamat; divitis inanis est clamor, vox cassa, quia vocem enervaverat culpa. D. Chrysolog. serm. 122. *Agentium diversus est locus; hic agit de proximo, ille de longe; hic de sinu Abrahæ suggerit, clamat ille de tartaro; exorat ille de requie, queritur hic de pœna.* Hoc est enim cœlestis Reipublicæ decus, ac stabilimentum, ut nulla operosa negotiatio prosit indigno, nullaque ignavia, ac remissio obsit digno. 386

Virtus non lingua clamat, nam vox sine meritis inanis.

Quartò: *Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus*; & tamen ad librum mysteriorum mortis, ac passionis suæ, celeri gressu explicatus contendit, *Et venit, & accepit de dextera sedentis in throno librum; & cùm aperuisset librum*, Apocalyps. 5. num. 7. quid est hoc, quòd ac si à throno fugeret, ad illum vi, ac violentia fertur? hoc enim ex vi suæ significationis importat illud verbum, *Raptus est*, ad librum tamen celeri volatu contendit. In libro inerat passionis mysterium: *Redemisti nos in sanguine tuo*; in throno verò fulgurabat majestatis gloria, inde veluti vi quadam quoad speciem, ad thronum ascenditur, & ad librum honesto ambitu adoptatur. Dominus vestigia nobis sequenda premebat, ut ad honores, tanquam inviti trahamur, cùm tamen ad pugnam, & ignominiam libenti amplexu curramus. Rupert. ibi sic ait: *Librum, sive igneam legem accepit de dextera, bonum exemplum cunctis præbens discipulis, & credentibus in se, nihil divitiarum, aut gloriæ voluit, aut quæsivit in hoc Mundo, tantummodo librum de dextera dignatus est accipere.* Librum accipere sollicitat, thronum vitare anhelat, in utroque perfectus, & quia ad prospera sibi cunctatior, ad acerba verò celerior est. 387

Vir magnus ad pugnam currit ad honores morosus incedit.

Quod maximè corroboratur. Conflicturus cum Goliath in arenam animosus descendit David: *Ego servus tuus vadam, & pugnabo adversùs Philistheum*, 1. Reg. 17. n. 33. Vides animi ad conflictum promptitudinem, vide etiam ad regales nuptias morositatem; filiam Regis promissam pro victoria non postulat, & ita morosus est in hoc, quòd Saul nuntios delegat, qui regalem thorum suadeant: *Esto gener Regis*, 1. Reg. 18. n. 22. & cùm ille ægrè persuaderetur, & paupertatis excusationes prætenderet: *Ego sum vir pauper, & tenuis*; nolens ex mapalibus ad regium advolare thronum, veritus ne ex tanto fastigio in præcipitium irremediabile rueret, Saul iterum nuntios delegat, se præ divitiis animi strenuit tem ducere: *Non habet Rex sponsalia necesse*, ibid. num. 25. Bis ad nuptias invitatus, præ animi modestia respuit, cùm ultroneus se gigantis certamini obtulerit. David in 388

Vir perfectus non fugit ad thronum, sed ad crucem.

utroque glorioſus, ad durum certamen ſatis fuit ei unum Regis deſiderium indicatum; ſic ad illud tanta animi promptitudine currebat, ad honores verò throni tam moroſus, ut neceſſe fuerit bis invitari ac excitari. D. Baſil. Seleuc. orat. 16. *Sponſaliorum legatos mittit, ſed David non avidus in domum involat, quin potiùs præ animi moderatione, Reginæ nuptias repudiat.*

389 Quintò: *Raptus eſt ad Deum, & ad thronum ejus.* Hoc verbum, *raptus*, ex vi ſuæ ſignificationis quandam violentiam, ac vim videtur denotare in eo, quod aufertur; ſi ergo hic filius rapitur ad cœleſtem thronum, ut ibi glorioſè regnet, ad quid hujuſmodi vis? Mulier hæc erat ſanctiſſima Virgo Maria, à cujus viſceribus, ac gremio ſeparandus erat filius ejus Jeſus, qui multò magis videtur congaudere, ac jucundari in ejus puriſſimo ſinu, quàm in ipſo magnifico beatitudinis throno, & ideo, ut à matre disjunctus ad thronum ſublevaretur, quoad ſpeciem, quædam violentiæ vox interponenda fuit. D. Gregor. Nazianzenus orat. 42. ſic ait: *Virgineis, ac maternis vinculis pro poteſtate, ac violenter erupit*; ſic enim ei præjucundus erat maternus uterus, ut poteſtas, ac violentia interponenda fuerit; in ipſo maximè veluti quibuſdam charitatis vinculis detinebatur.

Jeſus veluti cum quadam vi, ac violentia divellitur à Maria.

390 Ut videret Noe, an aquæ diluvii ceſſaſſent, miſit columbam, *quæ venit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo*, Geneſ. 8. nu. 11. Maximè expendendum eſt, quomodo columba, relicta amœna, ac viridi oliva, in qua tanquam in ſmaragdino throno conſiſtere, ac ſpatiari valebat, ad arcam volat, in qua tanquam captiva, clauſa veluti in vinculis detinebatur. Intellige myſterium: Arca figura expreſſa erat Virginis Mariæ, ut teſtatur D. Ambroſ. tom. 5. ſerm. 25. ad illa verba: *Qui habet, dabitur ei*; ſic ait S. Doctor: *Arcam, quid niſi ſanctam Mariam dixerimus?* columba verò typus eſt Spiritus Sancti, in cujus figura ipſe deſcendit in Jordane, inde columba, tam celeri, ac perjucundo volatu ad arcam venit, quia ſic Spiritus S. *delectatur puritate Mariæ*, ut ad inhabitandum in eâ, propter *illius* umbram relinquat abundantem, ac pulchram olivam, in qua tanquam in magnifico throno reſidere videbatur.

Perjucundatur Spiritus Sanctus habitatione Mariæ.

391 Sextò: *Et raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus*; quod explanans Div. Ambroſius ait: *Hoc tunc impletum eſt, quando quadrageſimo die, poſtquam reſurrexit aſcendit in cœlum*; ſed cur utitur hoc verbo, *raptus*, quod quandam violentiam indicat, ut inquit D. Thomas? cur non ait: Aſcendit in cœlum? Dicit raptum, & fortè ut inſinuaret, quòd tam vehementer Chriſtus ſuos diligit, ut quaſi vi quadam, quoad ſpeciem, licèt ad cœleſtem thronum, omnes gentes recturus aſcendat, ab ipſis evellatur, & ſeparetur: ſic præ amore tam unitus, ac adfixus nobis eſt. Tertullianus lib. de carne Chriſti, ſic ait: *Quod advellitur, niſi quod inhæret, quod infixum, immixumque eſt ei, à quo aufertur, aut avellitur?* ſic Chriſtus inhærebat ſuis, quos in Mundo relinquebat, ut tanquam vi ab eis videretur avelli, & auferri.

Chriſtus quaſi invitus à ſuis ſeparatur.

392 Ait regius Vates Pſal. 67. nu. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus*; quem locum referens Paulus ad Epheſ. 4. nu. 8. *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*: & utrunque text. D. Auguſtinus, Strabus, Hugo, & alii exponunt de Aſcenſione Chriſti in cœlos. D. Auguſtinus: *Filius Dei*, ait, *carnem à nobis ſumptam, in cœlum quaſi captivam adduxit, ſicut eſt in Pſalmo: Captivam duxit captivitatem*; ac ſi dicatur: Humanam naturam, quæ ſub captivitate erat, captivam duxit in cœlum; & quomodo tunc in tam glorioſo triumpho captiva dicitur? Quod captivum ducitur, ſeu aſſumitur, violenter incedit, invitum trahitur, & evellitur, inde humanitas Salvatoris captiva ducitur: *Captivam duxit captivitatem*; quia quodammodo ex vi amoris invitè aſſumitur, ut ſeparata à ſuis, quos in Mundo relinquebat, *in cœleſtibus regnet*.

Ex vi amoris difficile videbatur, quod Chriſtus ab hominibus ſeparetur.

393 De Chriſto D. eunte in cœlum, ait Div. Marc. 16. n. 19. *Aſſumptus eſt in cœlum*; & eodem modo loquendi utitur D. Lucas Actor. 1. n. 2. & juxta ſenſum literalem, dicitur aſſumptus, non ab Angelo, ſed à ſua virtute, & à ſeipſo; tamen pro morali theſi premo verbum: *Aſſumptus eſt*; quia ſic erat ei difficilè ab hominibus ſeparari, ut videretur quodammodo quadam myſterioſa vi in cœlum aſſumi. De ipſomet Deo per reſpectum ad Iſrael, ait Moyſes, Deuter. 32. num. 11. *Aſſumpſit eum, atque portavit in humeris ſuis*; quid eſt hoc, quod homines ipſe aſportat, ac aſſumit in humeris ſuis, modo verò ipſe dicitur aſſumi in cœlum? Ut Deus homines deducat in terram promiſſionis fluentem lac, & mel, ipſe homines aſportat in humeris ſuis, & aſſumit, ut explicat Interlin. *gemina charitate*; at verò, ut ab hominibus ſeparetur, quibus maximè unitus adhæret, neceſſe eſſe videtur aſſumi, & ferri.

Chriſtus ut ab hominibus ſeparetur dicitur aſſumptus.

Apoc. 12. nu. 6. Et Mulier fugit in ſolitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut ibi paſcant eam, diebus mille ducentis ſexaginta.

VERSIONES.

Syriacus.	Et illa Mulier fugit in deſertum.
D. Auguſtinus.	Fugit in Eremum.
Arabicus.	Ut ibi nutriatur diebus.
Primaſ.	Ut ibi paſcat eam.

EXPOSITIO.

ET mulier fugit. Cùm puer maſculus, nempe viri fortiſſimi per martyrium rapientur ad thronum Dei, *mulier*, Populus, nempe fideles, & firmiſſimi chriſtiani tempore perſecutionis, maximè Antichriſti, fugient ad deſerta, & latibula. Mulier hæc etiam poteſt intelligi B. Virgo, prout unà cum Eccleſia, facit unum corpus morale, ut illius Regina, & Mater, ut dicam quæſt. ſeq. 394

Ubi habebat locum paratum à Deo; tutum videlicet, ac ſecurum, in quo aut non quæreretur, aut non inveniretur. *Ut ibi paſcant eam*; Epiſcopi ſcilicet, & Paſtores, religioſi aliqui viri verbi Dei miniſtri, ſubmiſſi ab Elia, & Enoch, paſcent cibo ſpirituali, ac etiam ſacra Euchariſtia miniſtrata fidelibus per deſerta profugis. *Diebus mille ducentis ſexaginta*; tot dicebus prædicabunt Elias, & Enoch, ut patet ex c. 11. num. 3. vide ibi dicta. 396

QUÆSTIO XLIX.

Quare mulier, quæ dicitur terribilis ut acies caſtrorum ordinata, ſic fugit; & quænam ſit iſta mulier.

AB hoc ſecundo incipio: Quænam ſit iſta mulier. Communis eſt ſententia, quòd ſit Eccleſia, ut dixi in expoſitione, undè ait Ribeira: *Qui priora verba de B. Virgine & Chriſto exponebant, hìc hærere, & expoſitionem mutare coguntur, quoniam de ſancta Dei genitrice, hæc nulla ratione exponi poſſe videntur*; nam id, quod ait Cornelius, poſtquam hæc verba de Eccleſia explicat, hìc fieri alluſionem ad fugam B. Virginis in Ægyptum, nullatenus ſubſiſtit, nullo enim modo dies hìc poſiti, *diebus mille ducentis*, & illi poſſunt adaptari. 397

Tamen ſi hæc verba rectè intelligantur, etiam exponi poſſunt de B. Virgine, prout Eccleſiam includit, & cum ipſa facit unum corpus morale; ſicut ſæpè in Scripturis fieri ſolet de Chriſto, ac omnibus membris ejus, de quibus proinde diverſa dicuntur reſpectivè, etiam in uno, eodemque loco Scripturæ, in uno & eodem Pſalmo, ut ſupra dixi quæſt. 12. n. 98. proindeque in hac muliere, intellecta B. Virgo, & in ipſa etiam intellecta Eccleſia, eſt illa mulier, quæ clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret; erat nempe, & fuit Synagoga expectans adventum Chriſti, & Virgo ſanctiſſima ante incarnationem Verbi divini; & mulier, quæ peperit filium maſculum, eſt B. Virgo, quæ peperit Chriſtum D. proindeque Eccleſia etiam peperit omnes ſuos filios, quorum caput eſt Chriſtus; & mulier quæ fugit in ſolitudinem, 398

Virgo Maria cum Eccleſia eſt unum corpus morale.

eſt

est Ecclesia, simul cum B. Virgine, quæ est mater, Regina, ac Domina omnium fidelium, doctorum, ac prædicatorum, & in eis peculiariter est, etiam in conversis, & convertendis ab eis, & erit semper protegens, ac dirigens usque ad consummationem sæculi.

399 Jam verò prima pars quæstionis inquirit, quomodo Ecclesia, quæ est fortis ut castrorum acies ordinata, fugiat, sicque fugiant electissimi Christi fideles; quomodo hoc? cùm Christus dicat Joan. 10. n. 11. *Bonus pastor pro ovibus suis animam suam ponit, mercenarius autem, & qui non est pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*; quomodo ergo tunc veri pastores fugient relictis ovibus suis?

400 Resp. primò, quòd aliquando fuga ex justa causa est illustrissima, & multum laudabilis, ut probat S. Hippolytus orat. de Mundi consumm. & Antichristo & sic ait: *Effugient è manibus ejus ad montes, & occultabuntur in cavernis terræ; cum lachrymis, & contrito corde, quærentes illum amantem hominum, qui eripiet eos à laqueis illius, & conservabit à molestiis illius scandali, dexteraque manu sua invisibili modo proteget, qui dignè, ac justè ei supplicabunt*; idem ferè ait Philippus Solitarius disput. lib. 3. c. 10. Quod argumentum latè probat D. Athanas. in Apolog. de fuga sua, nam postquam numerat illustrissimos viros, qui fugitivi extiterunt, inter quos est D. Paulus, qui de se testatur 2. Cor. 11. n. 33. *Per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus ejus*; sic ait S. Athanas. *Duo pariter observabant & quidem consilio, ne se periculis objicerent, neque cum crimine ignaviæ quasi ignavi, timidique exilia, ærumnas morte graviores exhorrerent, qui enim moritur fugit à miseris, qui autem in horas inimicorum adortus expectat, mortem longè leviorem fuga existimat; quapropter, qui in fuga moritur, non inglorius moritur, nam & sic quoquoque lauream martyrii consequitur*. Viri magni fugitivorum vitam ipsa morte duriorem æstimant, nam qui moritur uno gladii ictu, vitam finit, qui verò fugit innumeros patitur in fugarum tortoribus dies; indeque hoc durius, nisi ad tales dies sustinendos, Dei animarumque zelo inflammetur.

Fuga sæpè illustris, & decora

401 Secundo catholici sub Antichristo, cùm perspexerint in civitatibus, ac oppidis non posse Missam celebrari, nec divina peragi officia, nec Deo, nec sanctis publicos reddi honores, abdita desertorum nemorum cum summo, ac Romano Pontifice, ut est verisimile, quantum temporis intervallum concedat, & etiam cum multis Episcopis, clericis, ac religiosis, loca petent, ibique quoad liceat, exclusis ab habitaculo suo monstris, in oratoria convertent ursorum, & tygridum spelæa, ut tunc dici valeat, quod ait Isai. 35. n. 7. *In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & junci*. Hoc non obscurè testatur Andreas Cæsar. *Quando Diabolus, ait, qui in Antichristo efficax erit, aciem per ipsum contra Ecclesiam direxerit, tunc illius dilecti, summaque capita, civilibus tumultibus, mundanisque contemptis, in desertum ab omni malitia alienum, vitæque consuetudinem, omni virtutum genere lucentem sese recipient, ibidem impugnantium dæmonum, malignorumque hominum impetus, atque insultus subterfugient*.

Fugient Prælati ut rectè munus adimpleant.

402 Tertiò Prælati fugient cum suis ovibus ad deserta, ut suum munus pastorum benè, & rectè adimpleant, quod est eximiæ fortitudinis, ut suas oves valeant alimentare cœlesti doctrina, ac divinis sacramentis. Christi D. divina fortitudo, non erubescit fugere in Ægyptum, Matth. 2. num. 15. ne redemptionis humanæ opus imperfectum relinqueret. D. Chrysolog. serm. 151. *Fratres*, ait, *quòd fugit Christus, fuit liberatio, non periculum, creatoris divinæ virtutis fuit, non humanæ fragilitatis; non fugit propter auctoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam*: multa alia de fuga dixi tom. 3. in Evang. c. 9. q. 1. 2. & 3.

Fortitudo est aliquando fugere.

403 Tertiò, cur non ait, quòd mulier profecta est, ivit, seu tendit in desertum, sed fugit? indecens enim est mulierem fugere, præcipuè Reginam, qualis ista erat, utpote stellis coronata. Merito tamen dicitur fugisse, non iviſſe, quia non pedetentim, ac morosè à periculo sæculi, seu, ut aliter dicam à tumultibus Mundi ad mentis desertum confugiendum est, ut liberè, ac expeditè Deo vacare valeamus. Audiendus est Pannonius in præsenti: *Non cunctanter*, ait, *fugiendum, non timide, non pigrè, non quasi recusanter, sed strenuè, sed festinanter; piger vult, & non vult: non ascitantibus contingit regnum cœlorum, sed planè vim facientibus, & violenti rapiunt illud*; & post pauca hoc confirmans subdit: *Clamat Propheta ut fugiamus de medio Babylonis; exitus de Ægypto, fuga vocatur, & mulier hæc fugisse in solitudinem memoratur, non sensim migrasse, ut videas plerosque comperendinantes, & consiliis nimiùm lentis fugam vitiorum molientes. Ubi me his curis, inquiunt, extricavero, ubi illud, atque illud negotii perfecero, nescientes hac in re, nec necessariam esse præcipitationem: negotium ex negotio seritur, vitium vitio invitatur*.

Non morosè sed celerrimè ad solitudinis mentis cōfugiendum.

Quartò, quomodo mulier prudentissima, draconе persequente ad solitudinem fugit, in qua sola inventa facilè ab eo devorari poterat? Intellige mysterium; fugit mulier, ut explicat Pannonius, à tumultu rerum temporalium, animi recessu, ad Dei contemplationem, ac meditationem, ut ibi securè, ac quietè vivat à morsu, ac persecutione venenosi draconis; quod confirmat citatus auctor adducens illud Oseæ 2. n. 24. *Vocabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*; hoc est post pœnarum magnitudinem, ac dolores antiquos ad eam lactandam, ac nutriendam cœlesti nectare consolationum, *ducam eam in solitudinem*, & tunc ad eam loquar, aperiens ei magna & alta mysteria; & hac de causa Moyses fugit ex Ægypto, *& moratus est in terra Madian*, Exod. 2. n. 15. græcus: *Secedens in solitudinem*; Philo: *Ubi tutiùs degere poterat, Deum invocans*; sicque Parens Elias frequenter Carmelum montem habitaverat, 3. Reg. 18. n. 19. & 42. & 4. Reg. 2. nu. 2. D. Ambros. lib. de fuga c. 6. *Ut cognosceret Deum plenius*.

404

Solitudo suavis, & dulcis meditantibus.

Cùm Moyses educeret populum Israeliticum de Ægypto in terram fluentem lac, & mel, ait text. *Moyses quoque tollens tabernaculum suum, tetendit extra castra procul*, Exod. 33. n. 6. qua mente hoc fecit magnus dux populi? Moyses erat gubernator, ac princeps, & solent hujusmodi in medio populi, ac castrorum habitare, ut qui habent negotium facilè habeant ad eos aditum; quomodo Moyses Principum, ac gubernatorum exemplar, ut eum dicit D. Basil. qui semper in populi negotiis præsens erat, ponit suum tabernaculum, non solùm extra castra, sed etiam procul? Quia sic aderat rebus, ac negotiis populi, ut tamen semper per noctes, ac multas horas, mentis recessu à temporalibus ad Deum se reciperet per altam meditationem, & contemplationem. Procopius in c. 7. Isaiæ sic ait: *Humanis rebus se eripiens, tentorium suum fixit extra castra, ideſt, vitam suam firmam & perturbationibus vacuam reddidit, ut scilicet Deo vacaret*.

405

Frequentia populi virtutum Noverca; solitudo Mater.

Veniat nunc Psalm. 54. communis in hac re, sed nunc profundiùs examinandus. Ait ibi nu. 6. *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ*; in magno metu, ac anxietate orat David, ne in multa peccata, crimina, ac perturbationes veniret, & ideo ad hoc postulat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* postulat alas, ut volando in quietem, ac requiem veniat; & quomodo hujusmodi volatu talis requies est comparanda? *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine*; non ait, quod fugit tantùm, sed quòd se elongavit ab hominum turba, quæ maximè pium animum turbat; & tunc maximè elongatus est ab hominum turba in solitudine positus, quietem à rebus sæcularibus invenit, dum mens tota contemplando, ferebatur in Deum, solitudo enim virtutis schola est. D. Gregor. Nazianz. orat. 17. *Elongavi fugiens, ut quàm longissimè à malis præsentibus se removeret*; & D. Gregor. Magnus lib. 4. Moral. cap. 24. *Elongavi fugiens; fugiens se elongat, qua à turba terrenorum desideriorum, ad multam Dei contemplationem se sublevat; manet autem in solitudine, qui in remota mentis intentione perseverat*. Aubert. sic ait: *Solitudo*, inquit, *ad quam mulier fugit, est quies, men-*

406

Pium animum turbat hominum turba, à qua fugiendum.

tis, qua inordinatos motus desideriorum, à secreto cordis ejiciens solatium in Deo invenit.

407 Pro qua re D. Bernardus epist. 106. ad Henricum magistrum sacrarum literarum, ipsum invitat ut solitudinem petat Clarævallis, undè procul homines, ubi Deus propè, locus enim ab oppidis longè positum, multam è cœlo trahit voluptatem: *Experto crede*, ait, *aliquid amplius invenies in Sylvis, quàm in libris; ligna, & lapides docebunt te, quod à magistris audire non possis*, &c. quò enim longè ab urbe vivas, eò propiùs Deum videbis. Subdit D. Bernardus: *An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lacte, & melle?* quòd jam pridem Joel monuerat cap. 2. num. 18. Sed quod Vates de Christi adventu, id Bernardus pollicetur de solitudine, ubi mens Deo sacra ex arborum aspectu, ex aquarum vi, ex montium latebris, Deum suaviter, ac dulciter meditatur.

Solitudo optima animi lectio, & dulcedinis plena.

QUÆSTIO L.

Quare Mulier apparens in cœlo, fugiens tamen à dracone devorante, tendit in solitudinem, ubi feræ bestiæ habitant.

408 MUlier fugit in desertum, & in locum, in quo nutrienda, & sustentanda sit; sed cùm mulieres viarum sint ignaræ, per quas in deserta pergant? quis ergo hanc mulierem deducet in eremum? nam solùm mulierem fugientem legimus, ducem verò viæ non legimus; quis ergo eam, viam docebit? Christus sanè, qui & ipsemet via erit. Ansbertus annuit: *Ipse temporalia fugientibus est via, sicut in Evangelio apud Joann. c. 14. ipsemet testatur dicens: Ego sum via, &c.*

409 Quæstio tamen præsens inquirit, quomodo hæc mulier fugiens à dracone devorante, tendat in solitudinem. Sensus literalis jam satis à nobis est explicatus in superiori quæstione, & in expositione, quod mulier ista sit Ecclesia, seu cœtus fidelium, qui fugiens à persecutione Antichristi ad deserta fugit, in locum paratum à Deo, ut dixi in expositione; nunc moralem sensum inquirimus.

410 Et primò Rupert. in præsenti: *Quis est locus mulieris*, ait, *in hac solitudine, nisi Deus ipse?* & D. Ambros. mulier fugit in solitudinem: *Solitudinem*, ait, *Christum vocat, solitudo deserta est ab habitatoribus, Christus desertus est à suis*; Joan. 18. *Relicto eo omnes fugerunt.* In persecutione, ac tribulatione etiam mulier apparens in cœlo, ibi existens, fugiens à dracone devorante in solitudinem tendit, hoc est ad Deum, & ad filium ejus Jesum Christum, ut orans clamabat regius Vates Psalm. 30. num. 3. *Esto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii*; & qui ad Deum confugit, ab ipso invenit paratum locum refrigerii, in quo sit tutus, & securus, qui locus à nullo alio potest nobis parari, nisi ab ipsomet Deo, & ideo dicitur de hac nostra muliere, quòd fugit in desertum, ubi habebat locum paratum à Deo. Rupert. Abbas: *A nullo parari potest Deus, nisi ab ipso Deo, & in hac, & tali solitudine, ubi contemplationi vacando possit hunc locum suum agnoscere, semperque casum suum cavere.*

A nullo nobis potest parari Deus, nisi ab ipsomet Deo.

411 Secundò quomodo hæc mulier fugit in solitudinem, cùm Ecclesiast. 4. n. 10. *Væ soli, quia cùm ceciderit non habet sublevantem se?* qui autem in solitudine est, solus est. Sine dubio præter solitudinem corporalem, ac localem, est etiam quædam solitudo spiritualis, qua homo derelictus, & solitarius est à Deo; qui autem in deserto est, licèt solitarius sit ab hominum commercio, tamen secum habet Deum: *Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam*, Psal. 36. n. 24. D. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 10. lib. 1. Reg. *Electus*, ait, *quisque securus ascendit, quia solus non est; qui enim per nos loquitur, nobiscum est, nam & repromittit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*, Matth. 28. n. 20.

Justus in solitudine secum habet Deum.

412 Tertiò in eisdem verbis Ecclesiast. perstito: *Væ soli*; est solitudo corporalis, & spiritualis à gratia, & amicitia Dei: *Væ soli*; particula illa, *Væ*, miseriam, & infelicitatem demonstrat, qui enim corporaliter, ac localiter est in deserto, non tamen mentaliter, ac spiritualiter, ita ut spiritu non sit in deserto rerum temporalium, ut totus feratur in Deum, hic non habitat in deserto, & væ tali, quia nihil prodest solitudo corporis, si desertum cordis defecerit; ille verò habitat in solitudine, qui quamvis sit in turba hominum, ab illa spiritu separatus, uni Deo maximè est unitus. D. Thom. *Verè solus est*, ait, *cum quo Deus non est, & qui sine societate justorum est, non enim est de justis, qui sunt sub una societate secundùm animam, licèt divisi sint secundùm locum.* Confirmat citans D. Gregorium dicentem: *Quòd nihil prodest solitudo corporis, si solitudo defuerit cordi.*

Nihil prodest Eremus corporis, si defuerit Eremus cordis.

Quartò quid est, quòd mulier volens declinare draconem, fugit in solitudinem? nonne etiam draco in eandem solitudinem pergere potest? imo & frequenter in solitariis locis dracones reperiuntur; quid est ergo, quòd mulier cavens sibi ab insidiis draconis, fugit in eremum? Sicut per hanc mulierem denotatur anima Justi, sic per solitudinem pœnitentia; & hæc benè dicitur solitudo, quia per eam deserit homo peccata, in quibus est mala societas; fugit homo à concupiscentiis Mundi, quibus anima illaqueatur; & etiam, quia ipsa pœnitentia deseritur à multis, quia pauciissimi desertum pœnitentiæ inhabitant. Ecce cur mulier draconis insidias deflectens, fugit in solitudinem; quia, cùm insurgunt tentationes ad munimen pœnitentiæ confugere debemus. D. Thomas: *Ad hoc desertum*, ait, *confugit Ecclesia, quando videt draconis insidias, quia justi quando vident se tentari, ad pœnitentiam recurrunt, augentes austeritatem.* 413

In tentationibus ad pœnitentiam confugiendum.

Quintò mulier fugit in solitudinem, ad altam nempe, & profundam meditationem, ac contemplationem, ut latè dixi superiori quæstione: *Ubi habebat locum paratum à Deo*; amat locum sibi à Deo paratum tenere, non verò alienum occupare, ut ibi sit libera à draconis morsu; sicut homo periculosè degit in loco alieno, sic tutus & securus in suo proprio, ac sibi debito, ac convenienti. 414

Homo in suo loco securus, in alieno periculosus.

Sexto mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo; & cur mulieri paratur locus in solitudine, & non in cœlo? Respondet Rupertus jam datus: *Quis est locus mulieris in hac solitudine, nisi Deus ipse?* Sed modò insurgit difficultas: Si locus iste perquisitus, est Deus, cur non in cœlo, sed in solitudine habetur? nam in cœlum quodammodo est locus proprius Dei, testante Propheta Psal. 113. n. 16. *Cœlum cœli Domino*; cur ergo, cùm Deus sit locus iste paratus, non designatur in cœlo, sed in solitudine? Quia in cœlo splendoribus æthereis, ac temporalibus Solis, Lunæ, ac stellarum nitet, in solitudine verò his omnibus orbatur: adeo necessum est caduca, ac temporali luce privari, divinum lumen exambienti, ut ipsa Dei Sponsa, ipsiusque maximè avida, mundiales, ac temporales splendores exuat, ut spiritualium dulcedine repleatur, quasi divinis frui nequeat etiam in cœlo, dum humanis bonis exundat, tutiùsque Deo fruatur in solitudine. Rupert. *In solitudinem*, ait, *mulier fugit, quando nil in hoc Mundo possidere proposuit. In hujusmodi solitudine, habet*, inquit, *mulier locum paratum à Deo; quis est locus mulieris in hac solitudine, nisi solus Deus?* ut inde cognoscas, quàm mundialis felicitas virtuti adversetur, quam temporalium paupertas maximè juvat; & ideo mulier dives, & fortunata in cœlo locum paratum non habet, maximè tamen in solitudine. 415

Mundialis felicitas virtutem excludit, cujus inopia generat eam.

Vidit Nabuchodonosor arborem magnam, & sublimem, tam altitudine, quàm extensione, foliis, ac fructibus prædivitem; sanctus clamans jubet præcidi, dispergi fructus, folia excuti, *donec cognoscant viventes, quod dominatur excelsus*, Daniel. 4. num. 14. In arbore denotabatur Nabuchodonosor, qui dum pompatica divitiarum, ac rerum frondositate insolenter vireſcit, sic superbè extollitur, & sensu obrutescit, ut supremum numen non agnoscat; ut ergo mentem acuat, oculos aperiat, ac cœlestium notitia adornetur, feliciter omnibus temporalibus viduatur. Ad 416

Abundantia divitiarum, maxima illius paupertas.

hoc

hoc spectat id, quod docet D. Chrysolog. serm. 28. *Est virtutibus cognata paupertas*; opulentia oculos excæcat, cupiditates inflammat, at nuditas mentis aciem acuit, nefaria desideria comprimit, & virtutem germinat.

417 Septimò cùm mulier in cœlo apparet, *amicta Sole, Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*; statim draco ferox, & sanguineo colore rufus, insidias contra eam studiosè molitur; ad quas evitandas, fugit mulier in solitudinem: *Et mulier fugit in solitudinem*; non apparet benè prudens mulier, cœlum deserens, & ad solitudinem se conferens, ut eludat vaferrimi serpentis insidias, nam si in cœlo, à quo dracones exulant, draco illam persequitur, in solitudine draconum regione, quomodo effugiet? Cœlum firmissimum asylum, & profugium est; solitudo certaminis palæstra, discrimini expositа nullo numine, aut auxilio tuta, & tamen è cœlo in solitudinem fugit mulier? Profundè adverte; in cœlo Solis nitore splendebat, Luna sub pedibus ejus fulgebat, & capitis verticem stellæ cingebant, at in solitudine, his omnibus erat denudata, nil excelsum possidens, nullo fulgore conspicua humilis degit, indeque in ipso cœlo inimicos, & pericula multùm irradians experitur, at in medio leonum, ac draconum, non splendens securior consistit. Qui in splendore lucis eminet, in multis periculis versatur, quæ maximè evitantur ab eo, qui humilis, & abjectè vivit. Rupert. *In solitudinem*, ait, *mulier fugit, quando nihil in hoc Mundo possidere proposuit*. Qui in alto rerum culmine eminet multa possidens, magnis fulgens signis felicitatis, multas adversitates, ac contrarietates patitur, à quibus omnibus est securus, qui humilis in angulo, ac solitudine latet: fuge ergo verticem, ut fugias ruinam.

In sublimi felicitatis perielita tur dives, securus verò qui in humili degit.

418 Cùm Angeli divinæ justitiæ vindices, contra nefandos Sodomitas armantur, ut in eos, globos igneos contorqueant, à communi vastatione eripitur justus, & ad hoc ad montis recessum abire admonetur: *Salva animam tuam, ne fles in omni circa regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas*, Genes. 19. n. 17. ad quæ Loth, ait: *Quæso Domine, quia invenit servus tuus gratiam coram te, ut salvares animam, nec possum in monte salvari, ne fortè apprehendat me malum, & moriar; est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea; nunquid non modica est, & salvabor in ea?* ibidem nu. 19. 20. Alta indagine requirendum est, cur Loth montem angelica tutela securum recusat, & civitatem in salutis asylum elegit? Mons est contra igneos imbres angelicis munitus promissis, civitas ab incendio non est erepta, sed inter flammarum terminos constituta, & tamen Loth montem recusat, civitatem exoptat, & ait: *Est Civitas parva, & salvabor in ea*; sic enim excelsa, & alta secum trahunt casum & ruinam, undè Loth adhuc Dei verbo, & promissis securus, montis sublimia expavit, & parva, ac depressa exambit, tutius profugium ratus humile oppidulum, quàm excelsum montis verticem à Deo designatum. D. Greg. Magn. in cap. 3. *Cùm Loth exiret de Sodoma*, ait, *ab ascensu montis abstinuit & in parvulam civitate declinavit, ne dum parvulus adhuc, altiora nititur, virilem ætatem impingens moriatur*. Excelsa, & sublimia, pericula sibi excitant, humilia vero ventorum impetus frustratur, ideò Loth mediocria eligit, sublimia timet.

Sublimia excitant pericula, à quibus cautissimè fugiunt humilia.

419 Dominus sua justitia accingens se ad perdendum Moab, ait per Jerem. 48. num. 9. *Date florem Moab, quia florens egredietur*; Vatablus legit: *Date alam Moab, quia volando volabit*; alii legunt: *Date coronam Moab*. Deus bone! destruendæ urbi tot bona tribuis, tot coronas, tot florida serta, tot alas concedis, ut florens, & coronata evolet, seseque in altum sustollat? cur flores, cur coronæ, cur præpetes in astra volatus parantur illi urbi, quæ statim danda est in perditionem, ac devastationem? Hæc est alta rerum dispositio, quòd dum Moab in sua exiguitate, ac loco sese continebat, se conservando confitebatur; at verò cùm nimium excrevit, & cum floribus exornatur, coronis irradiat, pennis volando volat ad sublimia, & alta, in certam ruinam, ac præcipitium cadit; hæc est enim notissima mundialium conditio, quòd dum magis florent in summo fortunæ splendore, inter ipsas floridissimæ vitæ coronas, dum ad alta, ac sublimia evolant, in subitam cogantur ruere eversionem. Glossa Moralis: *Date florem Moab, quia prosperabitur ad tempus*; nam dum se in majori prosperitate cogitaverit, in ruinam, & præcipitium cadet. De his ait idem Jerem. cap. 15. num. 9. *Occidit ei Sol, cùm adhuc dies esset*. Dum clariores sibi dies effingunt, dum florentiores, & nitidiores in astra volant, in extremam deveniunt confusionem.

Alia lectio Inter tollas tu pio Regius sor- tium, ad- est ruina.

QUÆSTIO LI.

Quomodo in sterili, ac infructuoso deserto mulier alenda erat.

AIt Text. quod mulier hæc fugit in solitudinem, ubi habebat locum à Deo præparatum, *ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*; quia tot diebus durabit persecutio, ut dixi in expositione. Rupertus: *Quia tanto tempore*, ait, *agitanda est persecutio summa, draconе isto: in illo perditionis filio, scilicet Antichristo, totas effundente inimicitias, rectè tot diebus universa persecutionum omnium tempora subintelligimus*. Proindeque sub illa magna persecutione subintelligitur, quòd in omni alia persecutione Ecclesia, seu cœtus fidelium, sit à Deo nutriendus, ac sustentandus. 420

In omni persecutione Dei auxilium.

Et in limine hujus quæstionis, notandum est, quod duæ mulieres in Scriptura referuntur, quæ doloribus partus affligebantur; una nurus Heli, quæ peperit filium, & mortua est: *Irruerant in eam dolores subiti; in ipso autem momento mortis ejus dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia peperisti filium*, 1. Reg. 4. n. 20. altera verò mulier est hæc nostra, *quæ in utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat*; & statim subditur: *Peperit filium, qui raptus est ad Deum*; & tandem nunc dicitur: *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo, ut pascant ibi eam*; cur nurus vehementi dolore partus effudit animam, nostra verò mulier gloriosè vivit in loco parato, & ordinato à Deo? Nurus Heli peperit filium Mundo, nostra verò mulier Deo: *Raptus est filius ejus ad Deum*; & quæ peperit, & inservit Mundo, dolore premitur, quæ verò Deo, ex dolore, ac angustia gloriosè triumphat, & in tantùm præjucundè sublimatur, ut magnificè cœlitùs enutrita vivat, ac gaudeat. 421

Qui servit Mundo, perit; qui Deo, vivit.

Ad nostram quæstionem: Quonam cibo in illa vasta, ac agresti solitudine nutrienda est? Mulier est cœtus fidelium, qui cum pro Deo à Mundo fugiunt ad deserta, ibi inveniunt locum à Deo paratum, in quo divina, ac cœli gratia mirificè recreantur. Ubi nos habemus, *Pascent eam*, legit Primas. *Pascet eam*, scil. Deus. Philipp. Abbas lib. de silentio Cleric. cap. 106. *In solitudine*, ait, *Deus locum præparat fugienti, dum manu suppositа, mollem præbet accubitum quiescenti, gratia largiente monstrat pascuam salutarem, dum ejus desiderio infundit uberiùs gratiam spiritualem*. 422

Deus fugientem à Mundo recipit, & nutrit gratia.

Secundò: *Pascent eam*. Non exprimitur in text. qui sunt isti, qui pascent eam. Intelligitur, quòd pascent Ecclesiam, ac cœtum fidelium, doctores ac prædicatores verbo Dei, doctrina divinæ Scripturæ, ac spiritualibus documentis. Euseb. Gallican. Dom. 3. post Pent. *Eam pascent ibi*, ait, *sacro volumine Scripturarum; lege Isaiam, & ipse te pascet, lege & alios Prophetas, & ibi pascua invenies, multis delitiis comparanda*. Cantic. 8. nu. 5. dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto delitiis affluens?* & quomodo anima sancta in deserto posita, delitiis est plena? nam in deserto labor, & angustia invenitur. D. Gregorius: *Sancta anima*, ait, *de deserto ascendit, quia in exilio hujus peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente tendet, delitiis affluit, quia sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cœlesti pabulo assiduè mentem pascit*. 423

Scripturæ lectio cibus animæ.

Tertiò: *Pascent eam*. Primas. *Pascet eam*; scilicet Deus tam cibo corporali divinitùs ministrato, quàm spirituali, proindeque, ut communis est vox Patrum, ac interpretum cibo dulcissimo, ac suavissimo; 424

mo; sed quomodo hoc potest stare? nam tunc tempore Antichristi, erit maxima tribulatio qualis nunquam fuit ab initio, nec erit, & inde Ecclesia sub magna pressura erit tribulationum, ac vexationum: ergo tunc cibo dulci, ac suavi, sed pane lachrymarum saturabitur. Deinde in deserto est omnium penuria, & nulla abundantia, ipsa tamen tribulatio, ac penuria lautissimum justis est convivium, quod Moyses apertè subindicat, dum Deut. 33. n. 19. in Zabulone Ecclesiæ filios benedicens ait: *Inundationem maris tanquam lac sugent, & thesauros absconditos tenebrarum;* ubi inundatio maris, & thesauri absconditi tenebrarum, Hebraismus est, ut scilicet illud, quod priùs dictum erat, per aliam phrasim explicetur: illa ergo inundatio maris, quæ sugitur, thesaurus est absconditus; & quomodo inundatio maris, quæ dicit tempestatem, ac tribulationem cum amaritudine salsuginis, potest habere dulcedinem lactis, ac jucunditatem thesauri absconditi, dum invenitur? Purga palatum à mundanis rebus, & in ipsa inundatione, ac amaritudine laborum invenies dulcedinem lactis, ac jucunditatem thesauri absconditi. Canturien. apud Tilm. *Inundatio maris est abundantia tribulationis, quæ tunc sentitur, cùm dulcis a justis reputatur;* & tantæ dulcedinis rationem subdit: *Sicut lac nutrimentum est puerorum, sic tribulatio pabulum electorum.*

Justis suave, & dulce convivium tribulatio.

425 Quarto: *Ut ibi pascant eam*; divino scil. Eucharistico pane, qui tempore Antichristi à publico in occultum est removendus; tuncque anima à sæcularibus curis abstracta, piè, ac ritè præparata, eucharistico pabulo reficitur. Ansbert. Abb. *Ipse*, ait, *in solitudine ejurientibus efficitur cibus, quod apertissimè declarat locus ille in Evangelio, quo seipsum electorum manna, Judæis clamat, & dicit apud Joannem: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi;* sic ait Deus per Ose. 2. n. 14. *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus, & dabo ei vinitores ejus.* Ad Christi tempora vaticinium refert D. Hieron. ad quandam mentis solitudinem per recessum à temporalibus rebus; & Pannon. Anima ergo abstracta à sæcularibus curis ducitur in solitudinem, ut lactetur spiritualibus consolationibus, ut piè, ac religiosè disposita possit recipere vinitores, seu Apostolos, ac sacerdotes, qui illud cœleste vinum ministrant animæ spiritualiter inebriandæ.

In solitudinem rerum temporalium anima constituta Eucharistico pane reficitur.

426 Fidelissima Christi Sponsa clamat Cantic. 4. in fin. num 16. *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius*; & statim c. 5. n. 1. immediatè subdit: *Veniat dilectus meus in hortum suum.* Per tempestuosum Aquilonem, sæculi tentationes, tribulationes, ac solitudines intelligunt Cassiodorus, Beda, Apponius, & alii, & ideo à Propheta prædicitur, quod super hujus sæculi habitatores, ab Aquilone omne malum panditur. In Austro leni, & suavi (teste Apponio) inquitur tranquillitas, ac securitas spiritualis vitæ remotissimæ ab inquietudine temporalium; ait ergo Anima sancta: *Surge Aquilo, veni Auster*; ac si exoret, ut tempestuosus Aquilo effugiat, & discedat, à me nempe recedat sæcularis perturbatio, ac inquietudo: *Veni Auster*; in me intret solitariæ, ac quietissimæ vitæ dulcedo: *Perfla hortum meum*; cœlesti rore: *Et fluent aromata* virtutum *illius*; & tunc sic jam dispositа, ac præparata in solitudine contemplationis, ad divinum convivium intrabit. D. Ambros. ad hunc locum, ubi nomine Ecclesiæ, vel animæ sic loquitur: *Lætata invocans Christum, paratum habens convivium.*

Cùm terrenæ cogitationes intruuntur, tunc anima præparata ad Christum recipiendum.

427 Vox est divini Sponsi Cantic. 5. n. 1. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Quos ad suam mensam cibi, & potus vocat, amicos dicit, utpote jam in ejus gratia, ac amicitia constitutos, aliter ad tam mensam, non possent accedere; seu ut amicos monet, ac docet, & ut reverenter, ac devotè accedant, ait, *inebriamini, charissimi*, idest, alienationem sensus habete; & ad quid talem mentis excessum exoptat, cùm potiùs ad cognitionem tanti convivii esset excitandi? Intellige mysterium; suadet divinus Sponsus spiritualem ebrietatem, ut nempe sensus vestri sæcularibus curis abstrahantur, quis enim remotiores habet sensus à sæcularibus, quàm ille, qui ebrietate laborat. Eleganter D. Greg. Nyssen. *Quod*, ait, *hìc sponsus adhortatur, hoc tunc quoque factum per divinum illum cibum, ac potum, & semper fit, simul conveniente cum cibo & potu, mutatione, & excessu*; ac si dicat: Tunc convenienter anima adimpletur eucharistico cibo, cùm spiritualiter inebriatur quodam mentis excessu, per abstractionem sensuum à terrena inquietudine, ac perturbatione.

Pia recipit Eucharistiam, qui mensam abhorrent à terrenis.

Apoc. 12. *nu.* 7. Et factum est prælium magnum in cœlo, & Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus.

Num. 8. Et non valuerunt, neque locus inventus est amplius eorum in cœlo.

VERSIONES.

Arabicus nu. 7. Deinde commotum fuit in cœlo prælium inter Michaelem, & filios ejus, ut præliaretur adversùs serpentem; certabat autem adversùs eum draco, & Angeli ejus.

D. Augustinus. Factum est bellum magnum in cœlo, Michael, & Angeli ejus pugnabant.

Syriacus. Michael, & collegium Angelorum ejus ad præliandum cum dracone; & draco, & Angeli ejus præliati sunt.

Primas. Accidit prælium in cœlo.

Syriacus nu. 8. Et non prævaluerunt.

Arabicus. Non habuit vires, neque illi inventus est in posterum locus in cœlo.

Arias Et non valuit.

EXPOSITIO.

F*Actum est prælium magnum in cœlo.* Hìc alludit Joannes noster, ut communis est vox interpretum ad illud prælium in exordio Mundi, quod gestum est à Lucifero, & suis cum Michaele, ejusque assecla in cœlo empyreo, ac si dicat noster Vates: Sicut olim gestum fuit prælium in cœlo empyreo, ita etiam fiet prælium in cœlo, idest, Ecclesia, cùm Lucifer cum suis dæmonibus, illud geret contra fideles Ecclesiæ in dies, & crudeliùs ac duriùs in fine Mundi, tunc contra ipsum præliatur Michael cum suis Angelis, tunc quotidie, tunc maximè in fine Mundi, christianos adjuvando, confortando, ac animando contra tentationes, ac persecutiones dæmonis. 428

Et aptissimè dicitur, *factum est prælium magnum*, non bellum, differt enim prælium à bello; bellum dicit discordiam hostium, & totum illud tempus, quo hostes sunt in armis, prælium verò dicit actualem congressum, & certamen, & pugnam; quod discrimen colligitur ex Livio dicente: *Populum Romanum nullo bello, multis verò prælis fuisse separatum.* Diabolus autem tanquam leo rugiens semper est in actuali pugna contra nos. Et dicitur *prælium magnum*, quia majus nunquam factum; & *magnum*, tum ratione multitudinis pugnantis ex utraque parte, tum etiam ratione personarum, sunt enim spiritus, ut ait David Psal. 102. num. 20. & agebatur de Dei honore, ac etiam de salute animarum. 429

Cur non dicitur bellum, sed prælium.

Et non valuerunt resistere, repugnare, ac sustinere Michaelis, & Angelorum ejus impetum, & ideo coacti sunt terga vertere, & victi, Michaelis virtuti cedere. *Neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.* Et cum ante pugnam haberent proprium locum in cœlo, & jus ad illum, non solùm locum, regnum, ac jus perdiderunt, sed ita adjudicatus est eorum locus hominibus, ac si nunquam fuisset malorum Angelorum. Vel si ad nostram Ecclesiam referas: Qui contradicunt à cœtu christianorum, expuncti sunt. 430

QUÆSTIO LII.

Quare Vates hìc inſerit ſermonem de hoc prælio Angelorum.

431 ALcazar contendit, quòd hìc non fiat ſermo de antiquo illo bello Angelorum: *Nam*, ait, *ſi directè loqueretur de antiquo illo bello, quod inter bonos Angelos, & malos exarſit, quando improbi de cœlo ſunt dejecti, ordo ipſe debuit eſſe hujuſmodi: Draco & Angeli ejus prœliabantur, & Michael & Angeli ejus pugnabant; draco enim fuit, qui bellum inchoavit, & perturbavit pacem:* hæc Alcazar. Tamen optima ratio, & ſeries text. contrarium ſuadet, quia hoc prælium ſive certamen, inter utranque aciem, unam Michaelis, alteram draconis, inchoavit Michael, non draco, nam Michael ſtrenuiſſimus Dei dux, ut vidit Luciferum ſeducentem Angelos, & multos jam ſeduxiſſe, ac ad ſuas partes traxiſſe, ut contra Deum inſurgerent, ſtatim cum ſanctis Angelis ſe objicit, & certamen contra ſeductorem movet, illius temerariam audaciam retundens; & hoc innuit ſacer text. poſtquam deſcripſit quòd draco, cauda ſua trahebat tertiam partem ſtellarum, apponit hoc prælium Angelorum: ergo priùs fuit conjuratio draconis cum ſuis ſeductis, quàm hoc prælium fuiſſet inchoatum.

Prius ſeductio draconis, quàm bellum.

432 Ad quæſtionem: Poſtquam noſter ſacer Evangeliſta deſcripſit, quòd mulier, ideſt, Eccleſia, ſeu cœtus fidelium, ob perſecutionem maximè Antichriſti, fugit in deſertum, ſubnectit hoc prælium Angelorum, quod geſtum eſt in Cœlo empyreo per intellectum & voluntatem, in quo, noſtro loquendi modo, diſcurſus erant pro lanceis, affectus voluntatum pro gladiis; in quo prælio ſymbolicè alludit ad aliud verbum, quod fiet inter ipſos Angelos in noſtra Eccleſia militante, maximè ultimis temporibus Antichriſti, quia tunc Michael præfectus Eccleſiæ, & Angeli, quos habebit ſecum adminiſtros cum dracone, ſeu Lucifero, ejuſque Angelis, ſeu dæmonibus propugnabunt pro Eccleſiæ defenſione. Hanc expoſitionem tradunt D. Anſelm. Beda, Primaſ. Laudun. Andr. Cæſar. Haymon, & multi alii ad hunc locum, cum D. Gregor. hom. 4. in Evang. & tunc hìc per cœlum intelligitur Eccleſia, ut multis aliis in locis: hæc ad literam.

Hoc prælium quomodo geſtum eſt.

433 Moraliter, & ſecundò: Priùs noſter Joannes deſcripſit mulieris partum, qui *Raptus eſt ad Deum, & ad thronum ejus*, n. 5. qui filius Chriſtum D. de Beatiſſima Virgine natum repræſentabat, & ſtatim certamen, ac victoriam Michaelis, & Angelorum de Lucifero, ac dæmonibus narravit, ut denotaretur illam pugnam validè initam, & illam victoriam feliciter adeptam, non tam angelicæ virtuti, quàm divinæ illius ſanctiſſimi partus poteſtati eſſe tribuendam; quod apertè ſubindicat Rupertus hoc loco: *Quam invitus*, ait, *draco ille Diabolus de templis, & aris, vel ſimulachris gentium pelleretur, quod fieri cœptum eſt, ubi raptus eſt filius ille ad Deum, & ad thronum ejus, dixit enim mox aſcenſurus: Euntes in Mundum univerſum, fortem illum armatum, à me jam vinctum, de atrio ſuo propellite.* Ad hoc pertinet id, quod canit David Pſalm. 73. nu. 14. *Tu confregiſti capita draconis*; & totam victoriam Deo referunt ſtatim n. 10. *Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri*; ut ibi dicam.

Hæc victoria Angelorum non Angelis, ſed Chriſto tribuenda.

434 Tertiò poſtquam dicitur, quòd mulier fugit in ſolitudinem, ideſt, cùm electi, relicto Mundo, ſecedunt in deſertum, ſemoti à tumultibus, & alieni ab ſtrepitibus hujus ſæculi, ut majori animi puritate Deo ſerviant, ecce draco commovet adversùs eos prælium, itaut ex alta Dei providentia ordinatum fuerit Michaelem cum aliis Angelis, eorum partes tueri, necnon in eorum defenſionem deſcendere; cur ergo illico, ut mulier fugit in ſolitudinem, ſtatim contra eam pugnaturus armatur draco? Quia quo tempore vale dicimus Mundo, Deo in eremo famulaturi, & quo tempore peccatis renuntiamus, tunc graviùs urgemur à Dæmone, tunc magis ab eo tentamur; quod præclarè expendit D. Gregor. in lib. 1. Reg. c. 7. n. 7. ad illa verba: *Aſcenderunt Satrapæ Philiſthinorum ad Iſrael*, poſtquam à ſe abſtulerunt idola, & jejunaverunt; ſic ait S. Doctor loquens de populo Iſrael: *Allatis alienis diis, peracto jejunio, exhibita à prædicatore cenſura, ad Iſrael Philiſthiim aſcenderunt, quia cùm altiori vita proficimus, maligni ſpiritus, qui ſemper bene viventibus invident, nobis infeſtiores ſunt*; & ſtatim advertit S. Doctor non paucos, neque inferiores milites, ſed omnes Principes, & Satrapas Philiſthinorum contra Iſraelem aſcendiſſe: *Quia* (ſic proſequitur) *contra perfectiores Chriſti milites, non quorumlibet majorum ſpirituum, ad fortiorum dæmonum prælia excitantur, nec unus ſpiritus malus electorum ſingulis, ſed innumeri deputantur.*

Quòd in Peccatis ſenescimus, priùs à Dæmone impugnamur.

Quartò maximè notandum, quòd in hoc loco faciat mentionem victoriæ Michaelis, ac Angelorum, noſter Joannes; cur non potiùs, cap. 7. n. 1. quando deſcribit quatuor Angelos tenentes quatuor angulos terræ, vel c. 10. n. 2. quando refert unum Angelum, qui tenebat unum pedem ſuper terram, & alterum ſuper mare, ſed modò poſt deſcriptam mulierem amictam Sole, calceatam Luna, & ſtellis coronatam? Quia nunquam Michael cum ſuis Angelis viciſſet draconem, niſi Mariam Virginem auxiliatricem haberet, de cujus ope, ac patrocinio draconis tenebræ ſunt depulſæ, & ſancti Angeli triumphantes. Rupert. Abb. *Nunquam*, ait, *in tota ſerie Scripturarum, ante illum ſæpè dictæ mulieris partum Michael Archangelus pugnaſſe cum dracone, eumque viciſſe legitur, quia videlicet nondum ejuſdem draconis caput, ut vinci poſſet, contritum*: vide ſup. hoc c. ... q. 17. n. 144. & q. 21. n. 171. & ſeq. 435

Victoria Angelorum auxilio Mariæ.

Quintò ſuperiori numero immediatè dicitur: *Mulier fugit in ſolitudinem*; & ſtatim ſubjungitur: *Factum eſt prælium*. Mulier hæc eſt SS. V. Maria, juxta multorum ſententiam, ut ſæpè dixi; & cùm Mariæ præſentia deeſt, ac ipſa recedit, ſtatim prælia, ſeditiones, ac altercationes pullulant, nam ipſa eſt Regina pacis, à qua omnis pax, & concordia afflatur. Scribit D. Lucas c. 1. n. 40. quòd B. Virgo jam gravida divino Verbo: *Exurgens abiit in montana, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth*; Syrus vertit: *Et precata eſt pacem*; & narrans hiſtoriam pergit ſacer Evangeliſta deſcribens ſanctificationem Joannis à peccato originali: *Factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ, exultavit infans in utero ejus*; Syrus vertit: *Et factum eſt, ut audivit pacem Mariæ Eliſabeth*, ſanè feliciſſima Mariæ vox, vox pacis eſt, & vox ejus audita, pacem ſonat, nam vox ejus quædam erat indicatio, ac revelatio incarnationis myſterii, qua inter Deum, & homines intimus pacis nexus fiebat, vox-que ejus erat auguratio ſanctificationis Joannis, qua infans, gratia Spiritus S. à vinculis peccati originalis erat abſolvendus, & firma, ac ſtabili pace cum Deo uniendus. 436

Ubi Mariæ præſentia deeſt, ſtatim bella inſurgunt.

Mariæ vox ac præſentia pacem exhalat.

Ait ipſa B. Virgo de ſe Cant. 8. n. 10. *Ego murus, & ubera mea ſicut turris; ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens*; Arabicus legit, *quaſi unica pacis, unica ſalutis*; ac ſi dicat, quòd ipſa eſt murus, & turris fortiſſima ad repellenda omnia bella, & certamina, & ad reprimenda omnia bellica inſtrumenta; quæ verba ſic commentatur Guilielmus dulciter, & piè Virginem Mariam loquentem inducens: *Mox ut ex carne mea Verbum caro factum eſt, inveni, & ſenſi me habere in utero de Spiritu S. & reperi in utero meo quaſi pacem, nondum quidem pacem, ſed quaſi pacem.* Itaque Beata Deipara, dum ſenſit ſe concepiſſe in utero de Spiritu S. divinum Verbum, quod caro factum eſt in ſuo virginali utero, reperit in eo, *quaſi pacem, nondum quidem pacem, ſed quaſi pacem.* Sanè ubi SS. Deipara in ſuo virginali utero corporatum Deum invenit, *quaſi pacem nondum pacem*, nam in ipſa incarnatione Verbi, invenit jam exordium pacis, *nondum quidem pacem*, quia nondum erat conſummata, deerat enim adhuc, ut filius ſe offerret in Cruce pro noſtra ſalute, & à Matre offerretur tanquam hoſtia pacis, quæ juxta Crucem ſtabat, & veluti cooperabatur ad propitiandum Deum, ut ait Arnoldus Carnoten. à me citat. tom. 5. in Evangel. lib. 8. c. 17. quæſt. 4. n. 22. ſic enim ordinavit Deus, ut pax initiaretur, ac conſummaretur Virginis Mariæ interventu, ſic enim ipſa eſt *unica pacis, unica ſalutis*, ut ſine ipſa, nec pax, nec ſalus detur. 437

Maria unica pacis inventrix.

Pacis initium, ac conſummatio per Mariam

438 Ait cœlestis sponsus de sua divina sponsa Deipara Cant. 6. n. 3. *Pulchra es, amica mea, suavis, & decora, sicut Jerusalem, terribilis, ut castrorum acies ordinata*; Syrus vertit: *Pulchra es secundùm voluntatem meam*; & cùm de ea tot elogia dicantur, tunc de ea decantatur, *decora sicut Jerusalem*, quæ interpretatur *Visio pacis*; quæ verba sic commentatur Rupert. ad Cornelium: *Inveniſti gratiam apud Deum*, ait, *ò Beata Virgo; suavis & decora es sicut Jerusalem in eo quòd anima tua semper supernam videt pacem, & ex visitatione tui discunt animæ plurimæ cœlestem ducere conversationem, undè dicuntur, vel sunt filiæ Jerusalem*; scil. quæ est *visio pacis*. Obiter nota quòd servi, ac clientes Virginis Mariæ dicuntur filiæ Jerusalem, ideſt, *filiæ pacis*. Sed quid est, quòd B. Virgo dicitur *terribilis ut castrorum acies ordinata*, & simul, *decora, ut Jerusalem*, seu, *visio pacis*, & à Ruperto, *semper videns pacem*? Quia terribilis est ut castrorum acies ordinata ad dissipandas discordias, ac seditiones, ad destruendaque prælia, ac concertamina; indeque *suavis*, ac lenis, & *decora sicut Jerusalem*, *in eo quod semper videt pacem*, quia discordias, inimicitias videre non potest, sed semper pacem afflare.

Servi Virginis amatores pacis.

Virgo dissipat bella, & pacem videt.

QUÆSTIO LIII.

Quare hoc prælium Angelorum factum, ac commotum est.

439 QUæ hujus tanti prælii fuerit causa inter Angelos, quæ Luciferum perturbaverit, ac perverterit, ut à Deo deficeret, cæterosque secum ad defectionem sollicitaverit, atque adduxerit, & impulerit, non satis est perspectum, nec uniformi sententia resolutum; hujus siquidem defectionis causæ plurimæ conspiciuntur apud Patres, & doctores, quas omnes colligit Martineng. in Glossa sua magna literali super cap. 1. Gen. à fol. 440. nec in his omnibus referendis immorabor.

Status quæstionis.

440 Breviſſimè, principaliores sententiæ sunt: Primò D. Gregor. Nazianz. Car. 6. quòd concupiverit Deus esse, in divinamque naturam transire. Secundò noster D. Cyrill. Alex. lib. 2. in Isai. c. 14. Theodor. q. 11. in Ezechiel. quod in tantam insaniam prolapsus est, ut se Deum appellari, divinumque cultum sibi deferri voluerit. Tertiò D. Eucher. in c. 5. Gen. Albert. Magn. 4. de coævis quæstionibus, qu. 10. art. 4. quòd intenderit Lucifer usurpare similitudinem divinam in potentia, & majestate. Quartò D. Hieron. lib. 9. in Ezechiel. c. 28. quòd non fuerit contentus scientia, quam acceperat, sed quòd voluerit scire plusquam ei datum fuerat à Deo. Quintò D. Bernardus serm. 1. de adventu, & serm. 2. in oct. Pasch. D. Basil. hom. 11. de invida, ex invidia natum.

Variæ sententiæ de peccato Angelorum.

441 Alii tamen Patres communiter asserunt peccatum Luciferi natum esse ex superbia, dicuntque, cùm habuisset ille revelationem incarnationis Verbi divini ipsam unionem hypostaticam sibi appetiviſſe; & Christum Dominum filium Dei incarnatum contempsiſſe; quam sententiam tenent Viguerius, Jacobus de Valentia, Catherinus, Dionysius Carthusianus, Mailonius, Molina, Richardus, & alii, quos citat, ac sequitur Suarez tanquam probabiliorem sententiam tom. de Angelis lib. 7. cap. 13. nu. 13. & tamen postea cùm Christus Dominus degeret in Mundo, ipsum adoravit, nam qui Dæmonium habebat, *ut vidit Jesum, procidit ante illum, & exclamans dixit: Quid mihi & tibi est Jesu fili Dei Altissimi?* Luc. 8. num. 28. *Videns Jesum à longè currit, & adoravit eum*, Marc. 5. nu. 6. quid est, quòd modò adorat, & antea recusaverat? Modò ob suam superbiam erat flagellatus, & tantis pœnis affectus; flagellatio eum reduxit ad meliorem frugem, licèt inutiliter. Origen. homil. 3. in Exod. *Vide*, ait, *in Evangeliis, quomodo verberatus, emendet hanc vocem, Scriptum est enim, quia clamaverunt ad Dominum, & dixerunt: Quid venisti ante tempus torquere nos? Scimus quia tu es filius Dei vivi; ubi tormenta senserunt, sciunt Dominum.*

Castissimo facit ad meliorem frugem vel Diabolum licèt inutiliter.

442 Initium autem hujus superbiæ, ac peccati Angelorum explicat Isaias 14. n. 13. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris?* & subdit: *Dicebas in corde tuo; in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Expende verbum: *Qui dicebas*; ac si tota causa ruinæ, ac peccati Angelorum ex garulitate, ac locutione orta sit, angelici enim spiritus in profundo & alto silentio conditi sunt, inde quidam, & boni, magno silentio cum multa sapientia cœperunt divina mysteria obstupescere venerantes, alii & mali ad garrulitatem conversi, de propriis thronis, ac sublimitate habent colloquia, & inde miserrimè pereunt. Richard. Victor. Institut. Monast. lib. 4. de claustro c. 36. *Multitudo Angelorum*, ait, *ante casum silvit; quondam voluntati sui creatoris humiliter obedivit, sed Diabolus silentium rupit, locutus est superbiam, & in hæc verba prorupit: Ponam sedem meam ad Aquilonem*; siquidem Michael cum sociis Creatori suo, in profundo assistebat silentio, expectantes ejus voluntatis nutum, ut promptum exhiberent obsequium, indeque æternam sibi meruerunt felicitatem, Lucifer autem silentium rumpit, & cum suis consortibus propria contendit agere negotia, indeque in tantam miseriam præceps ruit.

Garrulitas actiuè est illicitus exercendo sile tii extremam ruinam parat.

443 Secundò: *Qui mane oriebaris*; non dicitur, qui mane ortus es, ut denotetur citissimus celsitudinis cum ruina nexus; adhuc dum oriebatur, inter ipsa auroræ cunabula, in fatalem ruinam incidit: tam breve instans fuit inter ortum, & occasum, quòd dum oriebatur cecidit, & ortus depositionem habuit secum annexam. Lyran. *Qui mane oriebaris*; *quia inter creationem ejus, & lapsum, fuit modicum*. Interlin. *Qui mane oriebaris, factus hesperus, modò occidens*. Verba acumine sunt plena: Lucifer quidem, & hesperus una stella est, in appellatione tamen discrimen, Lucifer enim dicitur, cùm antegreditur lucem, cùm subsequitur, hesperus est; subtiliter Interlin. Adeo velox fuit Angeli ambitiosi casus, ut qui matutinus Lucifer oriebatur, statim jam Vesper, & Hesperus fuerit; vocabulum, cum statu mutavit, ut jam non lucem, sed tenebras portendat. Adest patronus D. Hieronym. *Ipse est princeps sæculi, qui inter stellas cæteras mane oriebatur, & suo vitio de Lucifero, vesper effectus est.*

Tam accelerata est ambitiosi punitio, ut ortus sit simul cum exitu.

444 Tertiò ait: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*; hoc est, in templo Jerosolymitano, nam Salomonis templum vocabatur mons, tum quia altum erat instar montis, tum quia situm in monte Sion; & vocatur *Testamenti*, ideſt, fœderis, quia in eo tabulæ legis, & arca fœderis retinebantur. Idemque templum vocabatur latera Aquilonis, quia erat ad Aquilonarem urbis partem situm, ut patet ex illo Ps. 47. n. 2. *Mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni*; Septuag. legunt: *Super montes excelsos* (scilicet Sion, & Moria) qui sunt ad Aquilonem.

Templum Salomonis dicebatur mons testamenti.

445 Quartò moraliter: *Sedebo in monte testamenti*. Sublimitates, quas Satanas intendebat, vocantur mons testamenti, ut humano more dicam, ac si in illis sedibus nil priùs occurrat, quàm testamentum condendum, nam qui dignitates, ac altitudines intendit super suas vires, ac merita sic certus est casus, & ruina, ut jam exiſtat in monte, seu loco testamenti; testamentum enim vicinam infert mortem, sic & Mundi gloria casum indicat. Ad quod tendit D. Bernardus serm. de Verbis Isai. *Quid gloriaris super sydera, quibus aliquando rutilare videris? brevis erit omninò gloriatio tua.*

Qui supra merita intendit cadet.

446 Quintò: *Sedebo*, ait, *in lateribus Aquilonis*; cur montis cacumen eligit ad suam sedem, & non potiùs latum & spatiosum locum, ut multis associatus assistat? Montis apicem diligit malignus pro subsellio, ne duabus sedibus supperet locus, omnem enim societatem aliorum contempsit, qui solus sedere intendebat. D. Bernard. serm. 17. in Cantic. *In livore suo*, ait, *invidit, & molitus est habere subjectos, socios dedignatus*: de hoc latè dicam qu. 59.

Non vult Lucifer socios habere in gloria.

Sextò sic fatur: *Sedebo in monte testamenti*. Omnes spiritus angelici in summa pace, ac tranquillitate

448 creati

creati sunt; undè ergo apostata ille Dei, & quondam bene sapiens, sic turbat Cœlos, rebellat socios in Deum, & tot tumultus excitat in ipso Cœlo & se in tantum discrimen dat? Quia in Dei solio sedere vult: *Sedebo*, ait, *in monte testamenti*; cæteris stantibus. Ubi Ambitio in Cœlos ingressa est, statim conspirationem excitat Angelorum, & ex Angelis dæmones facit. Perbelle Petrus Damian. serm. 52. sic ait: *Virgo singularis stat à dextris in vestitu deaurato*; *Moyses ut videat transeuntem Dominum, in petra stat*; *Elias stat in conspectu Domini*; *Solus ille transfuga, spiritus dissensionis, principum princeps, malitiæ malorum summa voluit conscendere: Stabo, inquit, in monte testamenti*; *omnes stant, & tu sedere præsumis? Ipse filius idem quod Pater, sedere nescit, donec dicat ei Pater: Sede à dextris meis*. Lucifer, sedere contendit, cum omnes cœlestis curiæ optimates, coram Dei solio stent, ut dicitur Apocalyps. 7. n. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*; *stantes ante thronum*; & inde agnosce, quòd in quolibet loco omnes motus excitant ambitio, ut suis votis satisfaciat, sive sit in Cœlo, sive in terra.

Ambitio omnes seditiosos excitat.

448 Septimò ait Lucifer: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis*; ad quæ verba acutè D. Bernard. expendens illud, *in lateribus Aquilonis*, serm. 17. in Cantica, ait: *Tu tibi miser sedem paras, in Aquilone, plaga nebulosa, & frigida*; veluti si diceret: Vide miser, quid petas; animadverte quid appetat voluntas tua; in splendoribus sanctorum creatus es, inaccessibili numinis divinitati proximior constitutus, & tu sanè dignam tui sedem petis, caliginosam nebulis, ac frigoribus plenam, Aquilonis scilicet plagam; omnis enim tua ruina, omne tuum excidium, nullum est aliud nisi tuum desiderium, hic appetitus, in eo quòd postulasti locum caliginosum, qui mane Lucifer oriebaris.

Depravata voluntas nihil aliud ex se petit, nisi sui ruinam.

449 Octavò causa totius prælii extitit, quia Lucifer dixerat: *Ascendam super altitudinem nubium*; *sedebo in monte testamenti*. Semper ambitionis affectus, armatas invenit manus, dum animo excogitavit ascensus. Haymon in præsenti sic ait: *Factum est prælium, quando in initio temporis Diabolus per superbiam ejectus est de Cœlo*. Dum affectavit Diabolus stultè solium, coactus est arduum adversantium, ac defendentium subire prælium. Non datur alta sine pugna prehensare, quia omnes conantur dignitatum lumina custodire, & celsitudo non tenetur nisi per hostile, & militare discrimen. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestivit eum auro fulvo nimis, qui habebat sex gradus*; *& duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile, & duo leones stabant juxta manus singulas, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde*, 3. Reg. 10. n. 18. In gradibus leunculos statuit, in summo verò leones constituit; & quænam discriminis ratio? Ea se offert nunc, celsiora semper majori sollicitudine custodiri. Profectò, primum gradum tenere volenti, cum leunculis confligendum erat; at exambienti summum, cum leonibus, eisque validissimis decertandum; excrevit cum altitudine, altitudinis etiam custodia, & cum celsitudine celsitudinis etiam tutela; ambienti altiora, duriora minantur certamina. Sanctius: *In eo throno*, ait, *in quo præcipuè apparebat regia majestas, & ex quo populis sui nominis terrorem ostendebat, leones expressit Salomon, quasi vigiles, atque custodes, qui Regis tuerentur auctoritatem*.

Qui excelsa ambit, prælia, & seditiones sustinebit.

450 Nonò: *Similis ero Altissimo*. Cur miser sic cecidit? Quia Dei similitudinem exoptavit. Nonne ait Christus D. Matth. 5. n. 8. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis, perfectus est*? quam perfectionem nemo assequi valet, nisi ei assimiletur; & Joan. Epist. 1. c. 3. nu. 2. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus*; similes autem ei non possumus esse in cœlo, nisi ei similes fuerimus in terris; similitudinem ejus optare licet, quomodo ergo ex tali optatu Angelus sic deliquit, ut inde proiiciatur in terram? Voluit Deo esse similis non per justitiam, & virtutem, &c. sed per potentiam, & majestatem, ac dominationem, & sapientiam; qui autem sic similes esse volunt, & non ejus justitiam imitari affectant, sed ejus omnipotentiam, ac omni scientiam ambiunt, in barathrum præcipitantur. D. Gregor. Magn. lib. 29. Moral. c. 4. *Idcirco cecidit*, ait, *quia esse Deo similis non per justitiam, sed per potentiam concupivit*; *sed homo per gratiam liberatus, qui Dei similitudinem perversè appetendo, ceciderat, in reatu criminis sui, longè Deo imparem sese cognoscens, clamat: Domine, quis similis tibi?* 451

Dei similitudo appetenda non per potentiam, sed per virtutes.

Decimò: *Factum est prælium magnum in cœlo*. Ecce tota domus cœlestis pax turbatur; & undè tanta domus turbari potuit? undè tantum bellum inter angelicos spiritus excitatur? Ubi temporalis cupiditas in mentem Angeli introivit, ut unusquisque bona sibi appropriet, ac quærat, non ampliùs in pace consistere potuit domus, sed in bella, ac dissensiones exarsit D. Bernar. de gradibus humilitatis, ad Angelum apostatam sic loquitur: *Dum tu solus sedere affectas, totius cœlestis patriæ pacem, & ipsius in quantum in te est, Trinitatis quietem infestas*. Nunquam alia scivit parere proprii lucri temporalis amor, sed in quocunque est, discordias, ac dissensiones invenitur germinare; quod apertè docet D. Paulus ad Titum 1. n. 11. de cavendis malis ministris: *Qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*. Ubi lucri affectus intercedit, temporaliaque bona spectantur, nequit pax manere, nec unitas.

Amor proprii lucri divisiones parit.

Ad filium fratris sui Loth ajebat Abrahamus: *Ecce universa terra, coram te est*; *recede à me obsecro*; *si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam*, Gen. 13. nu. 9. inter hos sanctissimos viros erat intimus sanguinitatis, ac amoris nexus, multo decursu annorum firmatus, tamen necessarium fuit dari inter eos mutuam separationem, ut ipse Abrahamus subdit: *Ne sit jurgium inter me, & te, inter pastores meos, & pastores tuos*; ubi *meum, & tuum* intercedebat: *Inter pastores meos, & pastores tuos*; consequens erat, ut esset divisio, etiam inter conjunctissimos. Eleganter D. Chrysostom. hom. 33. in Gen. *Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa, & contentio*; *ubi enim meum, & tuum, illic omnium litium genus, & contentionis occasio, ubi autem hæc non sunt, ibi secum versatur pax, & concordia*. Absit proprii lucri cupiditas & cessant lites, & nulla est occasio discordiæ; at ubi illud intercedit, arctissima, & amicitiæ, & naturæ fœdera rumpuntur. 452

Proprium lucrum omnium divisionum causa.

Notanter de fluviis egressis à Paradiso, & rigantibus terram, ait Dominus Gen. 2. n. 11. *Nomen uni Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Evilath, ubi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est*; circa quæ verba quæstionem movet D. Severianus apud Lyppoman. Cur de tribus aliis fluviis locutus est Dominus? nihil dixit de fructibus terræ ab illis rigatæ, de primi autem fluminis Phison terra, illud notanter asserit, quòd esset terra parturiens optimum aurum. Existimo quod hujus rei causa in nomine Phison habetur, Phison enim idem est, ac oris commutatio, seu alteratio; & sanè omnia oris flumina mutantur, & alterantur, ubi aurum aridet, ubi proprium lucrum spectatur, ibi languor, ibi contentio, ac tristitia; sic ait D. Hieronym. ad c. 5. Ecclesiast. *Languor est pessimus pro divitiis, cogitatione torqueri, & perituras opes in tristitia, in gemitu, in indignatione, in litibus cassa labore conquirere*. 453

Ubi sunt bona mundialia, ibi lites, & controversiæ.

Cùm Noe esset egressus ab arca cum filiis suis, eos Deus benedixit, & ait illis: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia*, Genes. 9. nu. 3. & postea subdit: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, & de manu viri, & de manu fratris ejus, requiram animam hominis*. Altè, & profundè expende illud, *De manu fratris*. Tam cito, ò bone Deus, malum times homini tuo à manu fratris ejus? undè tantus timor, cùm omnia viderentur jam in pace constituta? Introducebantur homines in bona mundialia, quæ inter eos erant dividenda: *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*; ubi autem mundialia bona apparent, maximè timendum, tanquam illis valde annexum, bella, lites, ac controversiæ etiam inter intimos fratres. D. Ambrosius c. 26. ait: *Ideo Dominus fratrem appellavit & eum, à quo sanguis fra-* 454

Mundialia bona rumpere pacem & tollere securitatem.

fratris requiritur, significans magis ab his periculum pertimescendum, qui fraterno jure sibi sociantur; hinc enim insidiæ, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur, ita enim bella suscepta, bella non cibi tantùm, sed singularium donorum.

QUÆSTIO LIV.

Quare cùm hoc prælium factum sit in cœlo, in quo exisiebat Lucifer, ipse tamen dixit: In cœlum conscendam.

455 AIt noster Joannes: *Factum est prælium magnum in cœlo.* In ipso cœlo erat Lucifer, cùm dixit, ut refert Isaias: 14. num. 13. *In cœlum conscendam*; si in cœlo eras, cur hæc dixisti? quomodo anhelas ad id, quod possides? si in cœlo es, quomodo, ad quid tanto affectu in cœlum conscendere suspiras? quis tantopere est stultus, ut desideret obtinere quod jam obtinet? desiderium enim non est de re possessa, sed absenti.

Difficultas quæstionis

456 Poterat quis respondere juxta D. August. 3. de Genesi, ad Literam, cap. 10. quem sequitur Rupertus lib. 1. in Genesim, cap. 11. quòd Angeli conditi sunt in cœlo aereo, vel juxta Div. Hieronym. lib. 6. in Isaiam, & Theophyl. Alexand. epist. Paschal. quòd Angeli creati sunt in Cœlo astrifero; & cùm legamus, *Cœlum Cœli Domino*, Psalm 113. ex ipso Cœlo astrifero, cupiebat Lucifer ascendere ad Cœlum, ubi Dei solium est. Tertiò, & ultimò Magister sentent. in 2. dist. 6. & D. Thomas 1. part. q. 6. art. 4. & ibi omnes scholastici cum Strabo, Beda, Hugo, & Junilio in Hexaemeron, & aliis multis, quòd creati sunt in Cœlo empyreo; qua sententia supposita est tota quæstio.

In quo cœlo factum fuit hoc prælium.

457 Respondeo primò ad literam, quod cùm Lucifer in ipso Cœlo empyreo existens dixit: *In Cœlum conscendam*; id est, Cœlum divinitatis, & æqualitatis appetit, in illud supremum fastigium voluit conscendere, ut cecinit D. Gregor. Nazianz.

Quocirca primus malesana mente tumescens
Lucifer, eximio nam quod frueretur honore,
Sperabat regale Dei solumque, decusque.

458 Secundo: *Prælium factum est in Cœlo*; & quomodo draco invenitur in Cœlo, cùm nihil coinquinatum maneat in eo? an dicere possumus, quia Lucifer voluit fieri similis supremo Cœlorum conditori? & inde à suis asseclis aliquis jam Dei cultus deferebatur, & inde ipse jam insolenter se Deum reputabat? Cum aliquid ardenter desideramus, si aliquid illius vestigium, ac umbra nobis obveniat, jam illud tenere, ac possidere videmur; hoc ingeniosè tradit Rupert. *Quomodo*, ait, *draco pugnabat in Cœlo, vel in eo erat? nimirum erat arbitratu suo, videbaturque sibi similis Altissimo cum exhiberetur ei, quasi divina religio, & à miseris is mentibus, quas seduxerat, coleretur; pro Deo itaque & quasi in Cœlo ipse pugnabat, dum contenderet haberi pro cœlesti Deo.*

Si habetur vestigium illius, quod appetitur, jam teneri videtur.

459 Tertio quodnam est hoc Cœlum, in quo prælium magnum agitatur? Cœli nomine D. Bonavent. lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 4. religiosos interpretatur, cujus rei multas assignat rationes, & inter eas hanc maximè; propter scilicet ordinatam obedientiæ voluntariæ continuationem, nam Cœlum cursum suum ordine quieto, & suavi peragit, & ad eodem puncto, in idem continuè se se revolvit: hoc optimè convenit religiosis, qui spiritu divino ducti, sine tædio, & murmuratione incessanter pro viribus obedientiæ cursum adimplent. Tamen in hoc Religionis cœlo fit prælium, quando aliqui obedientiæ legibus obviantes, voluntatis propriæ nutibus feruntur, & pacificam monasterii habitationem commovent, perturbant, & inquietant; sic ait D. Bonavent. cit. *Dicitur quòd quando stellæ erraticæ mutuò conveniunt, in capite, vel cauda draconis, vel contrariè se aspiciunt, tunc Cœlum turbatur, & frequenter oriuntur tempestates, & eclypses, nunc Solis, nunc Lunæ in capite, vel cauda draconis ex mutua conjunctione, vel directo oppositione procreantur; stellæ evagantes sunt perversi claustrales à rectitudine regularis disciplinæ, per campos licentiosè evagantes, qui nunc conveniunt in dracone per mutuam defensionem, ex quorum lite, & conspiratione turbationis non modica scandala oriuntur, & ipsi religiosi qui per famam velut stellæ æducere deberent, famæ suæ jacturam per talium insolentiam patiuntur, & hoc est, quod ait Joannes: Factum est prælium magnum in Cœlo.*

Ex inobedientibus religiosis, Cœlum Religionis perturbatur.

460 Quartò juxta Magistrum, ac D. Thomam, Angelus creatus est in Cœlo empyreo; quomodo ergo ipse Cœlum desiderat, si in Cœlo est? desiderium, ut jam dixi non occupatur in re possessa. Profectò ille Angelus quærit Cœlum, quia in Cœlo est; non agimus hìc de cœlesti beatitudine, nam hæc summæ felicitatis privilegio gaudet, inde hæc nullum fastidium potest generare: Creata bona in spe multum fulgent, in possessione sordent, & vilescunt. Possidet Angelus Cœlum, & quia illud possidet, illud vix Cœlum esse censet, hæc est enim veluti ingenita conditio creato ingenio, quod ex nullo alio capite priùs aliquid apud illud vilescat, quàm ex eo, quòd proprium sit.

Bona creata in possessione vilescunt.

461 Valdè celebris est historia Adami, quando è latere ipsius dormientis educta costa ædificata est in mulierem; hanc expergefactus ut vidit, ait Gpnes. 2. n. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem.* Expende illud: *Hoc nunc. Nunc*, ait, *hoc os ex ossibus meis est*, quasi antea non fuisset; sanè, & antea hoc os magis tuum erat, & tibi adhærebat intimiùs, & annumerabatur inter costas lateris tui, cur nunc magis tibi arridet? cur nunc magis æstimatur tuum, & illud tunc tuum magis reputas, & propter hoc parentes relinquendos dicis? Ideo nunc magis reputat suum, quia minus est suum, & magis alienatum est ab illo. D. Basilius Seleuc. orat. 2. *Agnosco membrum, donum amplector; vertit in desiderium, quod costæ accidit. Hoc nunc os ex ossibus meis; hoc nunc verè intueor, non illa priora, quæ cum in mea essent potestate eorum ego visionem minimè desiderabam: Tamen à membro abjunctus philtro vincor; loco sejunctum est, & desiderio conjunctum.* Quid elegantiùs, dum os in sua potestate erat, & inter suas costas annumerabatur, nullum habebat affectum ad illud, nulloque illius desiderio tenebatur; ubi sejunctum est os, & alienatum ab illo, nunc ardet ossis desiderio, nunc os illud mille affectibus prosequitur, & tantò magis illud suum æstimat, quanto est minus suum.

Innata conditio creaturis ut bona sibi propria despiciant.

462 Ait ad suum populum Malachias 2. num. 14. *Dominus testificatus est inter te, & uxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti, & hæc particeps tua, & uxor fœderis tui.* Loquitur ad pristinos Israelitas, quibus licebat ducere plures in conjugium, circa quæ Dominus testificatus est, sanxit, & determinavit, ut eorum matrimonium esset omnino insolubile; tu verò ò Israel primam uxorem pubertatis, ac juventutis tuæ despexisti, eam dimittendo. Glossa Interlin. *Inter uxorem tuam tibi conjunctam in juventute, modò dimissam in senectute*; sed cur hæc primò nupta magis despicitur, ac minus habetur? cur hoc malum appropriatur à Malachia, non tam omnibus nuptis, quàm illi, quę in annis pubertatis tradita fuit viro? Rationem indicant illa verba: *Et hæc particeps tua, & uxor fœderis tui*; Tygurina: *Consors tua.* Hæc ut prima erat, & magis præcipua inter uxores, maximè peculiari, ac naturali jure, una caro cum marito, & sub eo, ut capite peculiariùs habebatur, inde quò magis videbatur propria viri, inde consequens erat, ut citiùs fieret despecta, nam quò magis unusquisque suum habet, eò citiùs in despectum habet.

Quæ maximè tua sunt, maximè in despectum habentur.

463 Ajebat Achab ad Naboth. 3. Reg. 21. nu. 2. *Da mihi vineam tuam, daboque tibi pro ea vineam meliorem.* Fatetur meliorem se habere, & sciens meliorem esse suam, illam despicit, ut alienam acquirat, nam illa cùm esset sua, vilis, & contemptibilis apud illum reputabatur, cui aliena in majori reputabatur æstimatione. D. Ambros. lib. de Nab. c. 2. *Dives, quod suum est*, ait, *quasi vile fastidit, quod alienum est quasi pretiosissimum concupiscit.*

Homo sua contemnit aliena concupiscit.

QUÆ-

QUÆSTIO LV.

In quonam ordine Michael sit constituendus, & inde multæ illius prærogativæ colliguntur.

464 CUm D. Hieronym. cap.10. Dianielis communiter theologi putant Michaelem esse ex supremo ordine infimæ hierarchiæ, id est, ex Principibus; quod videtur acceptum ex D. Dionys. Areopagita lib. de Cœlesti Hierarch. cap.9. Deducitur ex Juda Apostolo, qui in sua canonica num.9. expresse eum vocat Archangelum.

465 Tamen probabilior mihi videtur sententia affirmans quòd Michael sit in suprema hierarchia, imò & in supremo ejus ordine, qui est Seraphinorum; quod optimè colligitur ex Daniele 10. n.13. ubi dicitur Michael, *Unus de principibus primis*; & c.12. n.1. *Princeps magnus*; quomodo unus de principibus primis, & princeps magnus, si est de infima hierarchia, & de postremis Angelis? Et confirmatur primò, quia Michael est unus ex septem primis Angelis, qui stant ante Deum, Tob.12. n.15. Apoc.1. n.4. quos esse ex Seraphinorum ordine videtur tenere Clemens Alexandr. lib.6. Strom. Confirmatur secundò, quia Lucifer creatus est in ordine Seraphinorum, ut docent Magister in 2. dist.6. D. Thom. 1.p. qu.63. art.7. ibi, communiter scholastici cum multis Patribus, quos citat, & sequitur Viegas in Apocal. hoc cap.12 sect. 18. n.1. ergo etiam videtur, quòd Michael sit Seraphim cum creatus sit à Deo, ut in prælio exiret obviam Lucifero.

Michael Seraphim.

466 Dices tamen contra hæc quod D Michael ab Apostolo Juda dicitur Archangelus, & ab Ecclesia in suo officio appellatur Archangelus. Deinde, quia cælestes illi spiritus in sacris literis dicuntur missi, tale munus ad infimam hierarchiam pertinere communiter docent theologi.

467 Respondeo, quòd etiam supremi, ut Seraphim, mittuntur apud Isaiam 6.n.6. *Volavit ad me unus de Seraphim*; & Paulus ad Hebr.1. n.14. in universum ait: *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi.* Adverte, quodibi Apostolus docet ad Christum D. ut filium Dei naturalem, & ut quid excellentius omnibus spiritibus supernis, dictum esse à Patre: *Sede à dextris meis*; at vero cæteri Angeli, tanquam servi, & ministri delegantur in ministerium. Deinde ut optimè docet D. Gregor. hom.24. in Evangelia: *Angelus, nomen est officii, non naturæ*; est enim Angelus græcè idem quod latinè *Nuntius*; & Archangelus, *Princeps nuntius*; proindeque Seraphim, cùm mittuntur, Angeli sunt, hoc est, nuntii, imò & Archangeli, hoc est principes nuntii.

Angelus nomen est officii, non naturæ.

468 Comprobatur deinde nostra conclusio ex muneribus commissis Michaeli, ut discurrit Pantaleon Diacon. in homil. de Sancto Michaele, qui multoties apparuit agens personam Dei. Abrahæ cohibuit gladium, ne Isaac immolaret, Genes.22. Moysi apparuit in rubo, dicens in persona Dei: *Ego sum, qui sum*; eique dedit legem in monte Sinai, Exod.20. Josue Gedeoni ipse est qui apparuit. Deinde Michael præfectus, ac Angelus extitit Synagogæ, ut docet Dionysius Areopagita lib. Cœlestis Hierarchiæ, c.9. sic & præfectus est Ecclesiæ nostræ; undè variis titulis, ac prærogativis ab ipsa Ecclesia honoratur; sic eum appellat Præpositum Paradisi, Primatem cœlestis exercitus, Principem militiæ cœlestis, Præpositum animabus suscipiendis, & ideo ex hoc probat Cathar. in cap.1. epistol. ad Hebr. quod ab Ecclesia in Litaniis primus post B. Virg. invocatur, & Joannes Echius, homil.8 in festo S. Michaelis, quod in extremo judicio *Apparens signum, filii hominis*, Matth. 24.n.30. Crux scilicet ejus sanctissima, eam portabit sanctus Michael Christi signifer; & hac de causa canit Ecclesia: *Signifer sanctus Michael repræsentet eas.* Ultimo auctor est Pantaleon Diac.cit. quòd noster Evangelista Joannes in Asia extitit magnus prædicator Michaelis gloriæ; quæ omnia indicant ipsum esse supremum in ordine angelico.

Magnæ prærogativæ Michaelis.

Ex tot, ac tantis prærogativis, bene colligitur, quòd inter spiritus angelicos, Michael sit omnium eminentissimus, ut sentiunt D. Dionys. Areopag. lib. de Divinis nominib. c.2. D. Gregor. Magn. lib.9. Moral. cap.2. Tatian. in orat. Ant. Episcopi, & D. Basil. homil. de August. sic ait: *Tibi, ò Michael dux supernorum Angelorum, qui dignitate & honoribus prælatus es cæteris omnibus spiritibus supernis, inquam tibi supplico.* D. Laurent. Justin. serm. de S. Michaele: *Sanctis, inquit, spiritibus prælatus est Michael, sicut Lucifer malis*; quod etiam apertissimè docet Pantaleon Diacon. homil. de S. Michaele; quod bene colligitur ex eo, quòd ad sustinendas Dei partes contra supremum Angelorum Luciferum, sumitur Michael, utpote inter beatos Angelos supremum teneus locum tanquam eos præcellens naturæ nobilitate, cæterisque scientiæ, & gratiæ donis. 469

Michael Angelus eminentissimus.

QUÆSTIO LVI.

Quare in hoc prælio Angelorum facto in Cœlo, Michael Princeps, & Dux est.

CUm Michael, inter spiritus angelicos, ut dixi superiori quæstione, sit primus & supremus, inde ipse primus se dat in bellum pro Dei gloria & honore, dans cunctis regibus, ac principibus exemplum, pro Dei gloria, & honore, in arenam descendere, & arma sumere, ut observat Pavig. Episc. in libro, cujus titulus est: *Speculum Bellorum*, loco 260. n.5. *Nihil*, ait, *ita principem decet, quàm bellum in Dei honoris defensionem movere, aut religione, aut justitia requirentibus.* 470

Pro vera Relig one bellum gerendum.

In hoc tamen prælio, illud maximè notandum, quod quamvis Michael sit tam magnus, & excellens Princeps in angelico ordine, ipse bellum non inchoavit, sed priùs Lucifer Dei similitudinem deprædari præsumpsit, & tunc sanctus Michael cum suis arma sumpsit, ut jam notavi supra qu.52. in limine, contra ipsum Luciferum; sed cur sancti Angeli primi non irruunt in alios? Quia Principes, non nisi provocati, vel religione, vel justitia efflagitantibus bellum movere debent; quod monet D. August. epistol.207. *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas*; & præivit D.Ambros. lib.1. offic.c.35. de David habens sermonem, ait: *Nunquam bellum, nisi lacessitus intulit; itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio.* Hìc recolendum, quod Christus D. passioni proximus gessit, nam cùm de gladiis sermonem haberet, ait suis Apostolis, Luc.22. n.36. *Qui non habet saeculum tollat & peram, & qui non habet vendat tunicam, & emat gladium*; & tamen postea cum Petrus evaginato gladio Pontificis servum percussisset, dixit ei Jesus: *Mitte gladium tuum in vaginam*, Joan.18.n.11. quid est, quòd gladios emere præcipit, & tamen in vagina recondere districtè mandat? Ut admoneantur Principes, quòd semper habeant paratam defensionem vi armorum, & pecuniarum, ut reprimant furentes hostium conatus, ita tamen, ut non nisi justitia, ac urgente causa lacessiti, bella moveant. D. Ambros. ad citat. locum Lucæ: *O Domine*, ait, *cur emere me jubes gladium, qui ferire me prohibes? cur habere præcipis, quod vetas promere? nisi fortè, ut sit parata defensio, non ultio necessaria.* 471

Principes non nisi lacessiti bella moveant, & hoc justitiæ causa.

Ad quæstionem principaliter: Cur ex omnibus spiritibus angelicis Michael eligitur ut dux, ac princeps hujus prælii? Pro quo adverte id, quod eruditè docet D.Dionys. de Cœlesti Hierarchia. *Imago Dei est Angelus*, ait, *manifestatio occulti luminis, speculum purum, clarissimum, incoinquinatum, suscipiens totam (si est conveniens dicere) pulchritudinem boniformis deiformitatis, & Mundi resplendere faciens in se ipso honestatem silentii, quod est in abditis.* Mira ars divina vincendi draconem! ecce Michael deligitur in victorem ut suo nomine, specie, speciosaque forma Luciferum loquendi avidum conterat, in silentio vocali, blateraverat ille: *Ero similis altissimo*, Isai.14 num.14. Michael vocabulo fert: *Quis ut Deus?* ergo speculum mundissimum erat, ingenito penicillo cœlestem imaginem 472

Ars divina garrulitatē silentio præcutiæ vincit.

ginem repræsentans, boniformisque deiformitatis pulchritudinem exhibens; draco magno clamore rumpens silentium superbè clamavit: *Similis ero altissimo;* Michael sua forma, ac præsentia, quæ dicit: *Quis ut Deus*; illius insolentiam contudit, ac repressit, & quietem silentii, quam draco turbaverat, Michael nomine, non tam auribus, quàm oculis obiectam restituit, sicque à venefico sacro sapienter incantatus obmutuit, profuitque & cœlestibus ars.

473 Saul, per lividum ostium invidiæ, dæmonem agitantem admiserat, indeque flammeo pectore exardebat in Davidem, sed ille canoro psalterio modulante, malum Regis spiritum incantabat; 1.Reg.18. nu.10. *Post diem autem alteram invasit Spiritus Dei malus Saul; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies*; & quanam arte Citharœdus agebat, ut pravus spiritus desereret energumenum? Ingeniosè sanè: Cùm fœminæ tripuditantes canerent: *Percussit Saul mille, & David decem millia*, ibid.n.7. invidentiæ furor irrepserat in Saulem, & à cantilenæ vocibus dulcem harmoniam in fomentum iracundiæ converterat; per fœmineos choros spiritum malignum ebiberat Saul: ergo David canit, & pulsat, ut morbi causam, & dæmoni, & homini, simili concentu excluderet, & à cantus suavitate insuaves iras conceptas, cantus dulcedine deleret, & propulsaret. O nobile artificium vocis, curandi furorem ex voce efformatum!

Diabolus cantu ingreditur, cantu deiicitur.

QUÆSTIO LXVII.

Quare in prælio militantis Ecclesiæ, contra Antichristum, ejusque persecutores, Princeps, & dux erit Michael.

474 ALlegoricè hoc prælium Angelorum, ut dixi in expositione, interpretatur de illo prælio, quod fiet in Ecclesia, maximè tempore Antichristi; tunc Michael cum sanctis Angelis pro electis, ac bonis christianis pugnabunt contra Luciferum, ac ejus dæmones, nam ait Text. *Michael & Angeli ejus præliabantur cùm dracone*; Michael cum suis Angelis ut Ecclesiam, ejusque filios tueatur, Draco cum suis, ut eam perdat; draco tentationes inferens, malas suggestiones excitans, varias, & multas persecutiones commovens, Michael suffragiis, orationibus adiuvans, & protegens, in omnibus bene consulens, multa auxilia à Deo impetrans, & multa pullulantia obstacula removens: Richard. Victorin. *Illi nempe Michael, & Angeli ejus Ecclesiam adjuvando præliabuntur, isti, nempe draco cum suis militibus impugnando; illi salubria suggerendo, isti noxia consulendo; draco, & Angeli ejus bonorum exercitum impugnando, Michael, & Angeli ejus eorum exercitum coercendo.*

Pro Ecclesia militante magnum prælium inter Angelos bonos, & malos.

475 Michael, ut jam dixi ex Div. Dionys. de Cœlesti Hierar.c.10. sicut fuit præpositus Synagogæ, ut colligitur ex Daniel.10. n.1. *Michael princeps vester*; id est, gentis vestræ, sic nunc in ejus locum ei data est Ecclesia, ut communiter tenent omnes, & in præsenti docet D.Thom. *Omnes Angeli ejus*, ait, *nos adjuvant, vel orando, vel bona suadendo, vel dæmones arcendo; potiùs tamen hoc dicitur de Michaele, quia ipse præpositus spiritualiter, & princeps Ecclesiæ militantis, sicut fuit princeps Synagogæ.*

Michael Princeps Ecclesiæ militantis nos adjuvans.

476 Dicitur Daniel.12. nu.1. *In tempore illo consurget Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui; & veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.* Tempus Antichristi Gabriel respicit, ut est communis vox interpretum, & denuntiat quod tunc in ipso tempore, Michael ut Ecclesiæ Præsidens, ac Patronus, pro fidelium defensione maximè pugnaturus est, ac effecturus omnia, quæ in hoc capite narrantur, ut locus iste, quædam videatur illius commentatio. Tamen maximè ponderandum, quod ubi nos cit. loco habemus, *consurget*, in hebræo habetur, ut notat Vieyra sect.17. num.5. verbum græcum quod significat *reborare*, & sustinere; undè ex radice græca deducitur nomen *Columna*, ac si denotetur, quod tunc pro tali eventu Michael futurus est columna quædam fortissima, ac robustissima, in qua tota Ecclesiæ structura, ac machina sustentabitur, & in tempore tantæ tribulationis unus erit Michael pro Ecclesia. Cùm Daniel oraret pro libertate populi sui, ait ei Angelus: *Annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis; & nemo est adjutor meus, nisi Michael Princeps vester*, Daniel.10. nu.21. ex quo maximè dubitat Carthusian: cur in causa Danielis, cùm multos adversarios haberet contra se, nullus alius adest adjutor, nisi tantùm unus Michael? & Puer Elisæi, cùm tremore premeretur ob adversariorum multitudinem 4.Reg.6.n.20. *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & currum igneorum*; qui juxta communem sententiam omnes erant Angeli; ex quo valdè mirum reputat Carthusian. quod Danieli unus tantùm Michael dicatur adesse, cùm Elisæi puero tot Angelorum phalanges adstent. Danieli unus tantùm est auditor Michael, puero verò tot myriades Angelorum exhibentur. Unus erat Michael adjutor, & ipse unus pro omnibus abundantissimus erat.

Unus Michael abiudians, ac sufficiens pro omnibus Angelis.

Tractans Apostolus Paulus de Antichristo, 2. ad Thessalon.2.n.8. ait: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Aliqua est auctorum dissensio, quid Apostolus intelligat, *spiritu oris sui*. D. Thom. ait: *Interficiet eum spiritu oris sui, quia Michael interfecturus est eum in monte Oliveti, undè Christus in Cœlum ascendit.* Hanc etiam expositionem habent Carthusian. Card. Hugo. O præclara Michaelis prærogativa! nam cùm Christus suis Apostolis communicaret potestatem ad absolvenda, & delenda hominum peccata, hoc concessit afflatu oris sui: *Insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum*, Jo:20.n.22. Illustriss. attributo gaudet Michael, ut dicatur Spiritus oris Christi. Exeunte divina potestate, veluti in prælium contra suum magnum adversarium, Antichristum nempe, ad hoc eligitur Michael, ut divinæ potentiæ minister, ut Ecclesia sit in pace, & quiete: *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui;* nam, ut ait Sanctus Doctor, *Michael*, ex Dei mandato scilicet, *Eum interfecturus est;* & inde dicitur *spiritus oris Christi*, adimplens nempe mandatum ex ore Christi. 477

Antichristus interficietur virtute Christi, per Michaelē.

Ait Ezechiel.1.n.4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens.* Ad literam loquitur de Nabuchodosore veniente in Jerusalem, ab Aquilone; ex quo panditur omne malum; & veniebat tanquam *nubes magna, & ignis involvens*, ad omnia comburendum; deinde apparuit Dei majestas triumphali in curru, qui quatuor rotis enitebatur, & ut subdit Text. *Spiritus vitæ erat in rotis;* & cùm animalia in altum evolarent, prima tamen rota in superficie terræ immobilis permansit: *Cumque aspicerem animalia, apparuit rota una*, (seu ut alii legunt, prima) *super terram*, ibid.n.15. Joan. Capinius in sua arte cabalistica refert esse sententiam hebræorum, has quatuor rotas, esse quatuor spiritus angelicos primarios, de quorum nominibus notitiam habemus: Primum Michaelem, secundum Gabrielem, tertium Raphaelem, quartum Urielem; & juxta hanc sententiam, cùm ait Propheta: *Cùm aspicerem animalia, apparuit rota una* (seu prima) *super terram*; illa prima rota, ille spiritus vitæ, Seraphicus Michael remansit in terra; cùm quatuor animalia se extollerent, & currum majestatis gloriæ secum ferrent, Michael immobilis stat in terra; quid agis, o Magne Michael? quatuor animalia evolant, illi alii spiritus tui consocii feruntur in altum, & tu, qui es prima, & principalis rota Dei currus, in his inferioribus detineris? Prævidit Michael ingentes persecutiones, ac ruinas eventuras in populum Dei, sub ejus tutela commissum, inde noluit eum derelictum dimittere: *Ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis involvens*; animalia expansis alis sublimia petant, treisque rotæ Gabriel, Raphael, & Uriel volantes sursum ferantur, remanet Michael in hoc terrestri Orbe, sic enim beneplacitum est Deo, ut ipse suos sibi commissos custodiat, ac tueatur ab imminente infausta clade, ac tyrannica devastatione crudelium barbarorum. *Cùm aspicerem animalia, apparuit rota una super terram.* 478

Michael maximè intendit esse cum hominibus laborantibus.

Michael tempore Antichristi pro Ecclesia pugnabit.

Cùm Christus esset in sublimi, & alta oratione, & in 479

in tanta agonia, ut guttæ sanguinis defluerent in terram, *tunc apparuit ei Angelus de Cœlo confortans eum*, Luc. 22. n. 43. D. Bonavent. lib. Meditation. Vitæ Christi c. 65. ait: *Angelus Domini, Princeps militiæ cœlestis exercitus, Michael scilicet, astitit confortans eum*. Quando Deus triumphali pompa ostentans suam majestatem, fertur in sublimia, Michael in oppressa, ac afflicta terra remanet: *Apparuit rota una super terram*, ut modò dixi, at quando Dei filius factus homo multa agonia tenetur, relinquens Cœlos, eum confortans advolat Michael; sic enim ipse (quamvis in hoc non interveniſſet alta Dei ordinario) est propensus ad pietatem, ac levámen humanæ naturæ, ut potiùs quodammodo velit apparere, ac se manifestare cum Deo humanato in agonia, quàm cum ipso in magnifico, ac triumphali currus apparatu; ideo cùm Christus est in agonia, *Michael astitit confortans eum*, cùm verò volat in splendido, ac perlucenti curru, *apparuit rota una*, seu prima, hoc est, Michael *super terram*.

Michael propensus in levámen naturæ humanæ.

480 Hinc ipse valdè sollicitus est, ut suis suffragiis, ac orationibus nos adjuvet coram Deo, in cujus conspectu ejus oratio valde efficax est. Canit Ecclesia: *Archangelus Michael, tuba cecinit: Ignosce Domine*. Cùm tuba sonat, signum belli est: sic clangentibus tubis Muri Jerico corruerunt, Josue 6. nu. 20. cur ergo Michael, cùm Deum pro nobis obsecrat, tuba canit? Ipse cum multa humilitate, submissione, ac recognitione divinæ majestatis Deum deprecatur, tamen tanta instantia, ac sollicitudine pro nostra salute, ac vita orat, ut videatur quodammodo sumptis armis tuba canere, sicque tam efficax est ejus oratio coram divina majestate; ex quo optimè ad eum confugit Sophronius orat. 6. de Angelorum excellentia: *O Sancte Archisatrapa, errantium ductor, prolapsorum excitator, animorum propugnator, ac conservator, dæmonum exterminator, universæque creaturæ illustrator, tunc obsecro te, ut fidus causæ meæ patronus adesse ne graveris*.

Valde efficax Michaelis Oratio.

QUÆSTIO LVIII.

Quare in hoc prælio Lucifer non suo nomine, sed sub draconis vocabulo exprimitur.

481 CUr Diabolus, seu Lucifer draco dicatur, ut jam multis explicavi supra q. 34. quæstio nunc est: Si Michael nulla assumpta specie pugnat, cur Lucifer draconis desumpta specie decertat? nam si jam adversa fortuna esset deturbatus, non mirarer obscuro nomine exprimi, & indigna serpentis forma adumbrari; at dum integrum est prælium, anceps victoria, cur ignobili dedecoratur symbolo, serpentisque dehonestatur vocabulo?

Difficultas quæstionis.

482 Respondeo primò, quòd Michael glorioso, ac magnifico opere pro Dei gloria decertat, quæ causa suo nomine exprimitur: *Quis ut Deus?* quod sonat Michael, at Lucifer dum turpi facto Dei majestatem sibi usurpare contendit, alios suo mortifero veneno seducens, inde sic à sua nobilitate decidit, ut jam non Lucifer, sed serpens, & draco venenosus dicatur, utpote suo veneno alios enecans.

Ex facti diversitate Michael exprimitur, Lucifer tacetur.

483 Secundo Lucifer antea coruſca luce resplendens, sed modo maledicta obscuritate sordens. Digna pœna! ut qui de Lucifero transire gestivit in Solem, de luce transmigraverit in serpentem, ac tenebras. Tamen in præsenti dicitur: *Factum est prælium in Cœlo, Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat*; ecce cùm bellum movet contra Deum, ejusque majestatem, ac thronum aggreditur, draco dicitur, cum vero in homines debacchatur, Leo appellatur, D. Petro monente: *Sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus, tanquam leo rugiens*, 1. Petr. 5 n. 8. cur Lucifer in Deum audet, facie personatus draconis, in homines vero assumpta specie leonis, qui quidem serpente efferatior est? Quia vividius proditur odium, cum non solùm furit in ipsum inimicum, sed etiam in ejus simulachrum; tunc odii obscura flamma perfectè explicata est, cum non tantum Deum ipsum detrudere, sed etiam ejus imaginem intendit tumulare: *Ad imaginem Dei factus est homo*; si ergo odium imaginem sustineret, non adeo crudeliter desæviret; Leo dilaceravit imaginem, serpens prototypum, tunc namque perversitatis odium accumulatur, cùm nec suis oculis adversarii simulachrum potuit aspicere, nec aliquid sui contrarii vivere, aut spirare permittit, nec aliquid ejus memoriæ extare patitur monumentum.

Tunc odii cumulatius, cum petitur, cui fit adversarii aliquid, quod valet aliquis non vult.

Cùm Jonathas satis modestè causam David apud patrem suum Saulem tueretur, Saul ex ardenti odio concepto in Davidem, filium telo conſigere aggressus est: *Arripuit Saul lanceam, ut percuteret eum; & intellexit Jonathas, quod definitum esset à patre suo, ut interficeret David*, 1. Reg. 20. olim hastam jaculabatur in præsentem, modo absentem damnat? cur modò odium intellexit completum, homicidium definitum? Modo hastam contorquet, non tantùm in adversarium, sed etiam in adversarii patronum; modo ergo odium cumulatiùs probatur completum, quia non solùm fervet in adversarium, sed etiam in adversarii amicum; etsi crudeli odio Saul persequeretur Davidem, tamen quandiu sustinuit ejus cooperationem, non judicabatur odium omnino implacabile, ut modo, cum ejus amicum, ac patronum ferre non potest. Josephus apud Glossam: *Non retinuit iram Saul*, ait, *sed blasphemavit filium, natumque de muliere ultro virum appetente, & hostem proprium dixit, & socium David, & cooperatorem ejus*. 484

Tunc odii est definitio cui aliquid adversarii sustinet.

Tertio, & maximè ad quæstionem: *Factum est prælium in Cœlo, Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum Dracone*; Michael in hoc negotio sub proprio nomine introducitur, at Lucifer draconis sumpta specie; Lucifer umbratili fulgurabat sapientia, vera tamen stultescit ignorantia. Appellatur draco, tacetur Lucifer; sua tumiditate Lucifer obcœcatus censebat incarnato Verbo obsequia nullatenus exhibenda, at Michael copiosusque Angelorum numerus asseveranter testabatur deberi, indeque Lucifer in sua sententia persistens maximè obbrutescit, nam insistere propriæ sententiæ, dum præclarissimi viri sapientia, justitia, ac virtute contrarium tuentur, non est prudentia, sed pertinacia. In suo primo exortu, tanquam sapiens potuit Lucifer vocari, at revera cùm à tot Angelis discedit, se prodit, & manifestat brutum, solùm namque insipiens nimium suo judicio fidit, quantumvis probatorum acies resistat, & oppositum teneat. 485

Pertinacia est insistere propriæ sententiæ cum magni viri aliud tenent.

Nabuchodonosor fabricavit statuam suam magnam, quam constituit in campo dura Provinciæ Babiloniæ, convocavitque omnes principes, ac magnates regni sui, cum multo apparatu musicorum, ac cantorum, pulsatis variis instrumentis, ut statuam suam reverenter adorarent; quod exequi cùm nollent, eique resisterent in faciem Sidrach, Misach, & Abdenago, mittuntur in fornacem ignis ardentis, à qua illæsi, & intacti divina virtute exeuntes, Dei veri magnalia prædicant, quibus quamvis quoad speciem videretur Nabuchodonosor assentire, tamen in sua insania, divina sententia multatur, ut ei denuntiatum fuerat à Daniele Propheta 4. nu. 22. *Eicient te ab hominibus, & cum bestiis, feriisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes, & rore Cœli infunderis, donec scias, quod dominatur excelsus super regnum hominum*, cur tali pœna punitur Rex, ut ex homine fiat bestia campi? cur non punitur pœna aliorum hominum, v. g. fœtore, morbis, aculeibus? ut Rex Antiochus, ex cujus corpore scaturiebant vermes; vel cur non affligitur subditorum pestilentia, aut morte, ut David? vel etiam sui regni amissione, ut Balthassar, sed inaudita castigatione vexatur, ut brutorum naturam videatur induere? Nabuchodonosor videbat, quod suam sententiam damnabant tres viri, sapientia, doctrina, ac virtute præclari; deinde viderat suis oculis magnalia, quæ Deus in fornace fuerat operatus, & tamen immobilis in sua sententia persistebat, qua se ut Deum honorari volebat, & ideo sic brutescit, ut in bruti naturam videatur transmutatus, & ex homine in belluam degenerare. D. Greg. Magn. relatus in Glossa: *Sæpe, ait, qui in potestate sunt, ea quæ rectè faciunt, quia elatè cogitant, amittunt; dumque se ad cun-* 486

Qui in propria sententia persistit, in brutum degenerat.

cta utiles existimant, etiam impensæ sibi utilitatis meritum amittunt. Expende illud: *Dum se ad cuncta utiles existimant*; ex sua falsa præsumptione, cui tenaciter adhærent, *sibi utilitatis meritum amittunt*: vide multa, quæ de hac re dixi to.1. in Evang. lib.1.c.10.q.6. n.24. 25. & to.3.c.13.q.4.n.20. & seq. & q.9.n.53.54. & tom. 5.lib.9.c.2.q.4.n.35. & c.10. qu.7. n.48.

QUÆSTIO LIX.

Quare Lucifer, qui de se tantùm cogitabat dicens: In Cœlum conscendam: sedebo in monte testamenti; *nunc verò ad prælium secum socios advocat.*

487 LUcifer ambitione plenus, de se tantùm cogitans, ac agens dicebat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, Isai.14. n.13. tamen licèt hoc solus dixisset, non solus suas partes tuetur, sed multi perversi spiritus cum eo, nam non solus draco pugnabat, sed etiam Angeli ejus cum eo; si ergo solus ille superbiebat, soluſque sibi ambiebat sedem, quomodo non solus mansit, sed multa Angelorum multitudo ab eo est advocata tanquam in auxilium, illique adhæsit, & venenum hausit? Dicitur in nostro text. *Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli ejus.*

Difficultas quæstionis.

488 Respondeo primò, quòd dum Lucifer indendebat conscendere super astra, & exaltare solium suum, ac sedere in monte testamenti, etiam socios Angelos persuadebat, ut simul cum eo ascenderent, & quod unusquisque exaltaret solium suum, ac cum eo sederet in monte testamenti; & dum socios ad talem exaltationem induxit, eos de Cœlo deturbavit; & sic dicitur de Lucifero, vers.4. *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram*; nam dum commiliones à draconе alliciuntur affectare solarem splendorem eis indebitum, inde in obscurissimas tenebras prouiciuntur. Ad hoc spectat D.Aug. lib.9. de Civit. c.12. *Perversè*, inquit, *imitatur Deum, odit namque cum sociis æqualitatem sub illo*; ecce dum sociis, numinis æqualitatem ambire suasit, Deum perversè imitatus socios in ima contorsit, & quos Deus justè punivit, ipse serpens etiam dejecit, & sociis suis contraria via calamitatem ascivit; idem namque consilium Deo, & Lucifero, detrudere scilicet è Cœlo Angelos. Deus temeritatis punivit insaniam. Diabolus numinis dignitatem suasit ambire supremam. *Perversè imitatur Deum*; scilicet Angelos apostatas expellendo: *Odit namque cum sociis æqualitatem.* Imparibus viribus dignitatis ambitio, absque dubio ad Tartara fuit detrusio; pœnam, quam Deus superbientibus inflixit, sociis suis dæmon procuravit, dum ad divinitatis fastigium eos evehere conatur.

Eligere aliquem ad dignitatem viribus imparem est eum delicere.

489 Hac arte protoparentes nostros dejecit Satanas, dum numinis æqualitatem suasit: *Eritis sicut dii*, Gen. 3.n.5. ut scribit D. Basil. Seleuc. orat.3. ad ruinam eos impellit, dum homini imparem dignitatem promittit. Hac de causa, cùm Samuel pergeret in Domum Isai ad ungendum unum ex filiis ejus in Regem, & cum inspecto filiorum choro ungendum non inveniret, rogat Patrem an superſit alius filius; cui Isai: *Adhuc reliquus est parvulus, & pascit oves*, 1. Reg.16. n.11. Pater est, an adversarius, opponens impedimenta, ne filius ad regale fastigium elevetur? cur molestè fert Davidem ad imperialem cathedram elevari? O præclara Patris Sapientia! amabat Davidem, & humana prudentia mensus dignitatem, pueruli, & quidem pastoris viribus arbitratus est superiorem, & ne inexperti pueruli tanto onere gravarentur, in re studiosissimè nisus est avertere imperium, ne eum in magnam, ac luctuosam ruinam citissimè impelleret. Abulens.q.17. *Vocavit eum parvulum, quia erat minimus fratrum suorum, & propterea reputabat Isai eum ineptum, quod ad regimen eligeretur.*

Dignitas non conce-dat vires, sed illis fu-crojoitur-pata.

490 Secundò serpens ad conflictum traxit tertiam partem stellarum: *Draco pugnabat & Angeli ejus*; arduo in certamine stellis comitatus procedit, & tamen superbus tumoris fastu solus astra conculcare contendit, dicebat enim: *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Culminis fastigia ascensurus socios adulationibus non allexit, maximè verò ad certamina; noluit bellum ingredi solus, noluit in dignitatis fastigio sedere associatus, periculi amavit consortes, dignitatis verò recusavit participes. Favet D.Bernard. serm.5. de Verb.Isai: *Væ tibi*, ait, *superbæ spiritus solitudinis, & solitariæ præsumptionis amator; non stetisti in veritate, expulsus est pes superbiæ, stare non potuit. Solus sedere volens & aquam fulgur cecidisti de Cœlo.* Ad sublimitatem odivit socios, quos in prælio voluit habere consortes; suos ad ærumnas admittit, quibus est aversatus delitias communicare. Moyses solus ascendit ad Montis gloriam, Exod.24. nu.2. & tamen ad contentionem cum Pharaone Aaron fratrem suum admittit socium, Exod.4. n.29.

Quilibet laborum amavit cō-sortes non verò delitiarum.

491 Ait sacer text.1. Reg.14. n.1. *Accidit quadam die, ut diceret Jonathas filius Saul, ad adolescentem armigerum suum: Veni, & transeamus ad stationem Philisthinorum*; quod erat valde difficile, ut exprimit statim sacer text. *Erant namque inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philisthinorum, eminentes petræ ex utraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc, & inde prærupti*; postea verò, cùm Jonathas victor veniſſet in campum, ubi uberrimè apes favos condiderant, Princeps lancea in favum mellis intincta, dulcedinem prægustavit: *Extendit summitatem virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in favum mellis, & convertit manum suam ad os suum*, ibid.n.27. ad favi dulcedinem socium non ascivit, ne dulcioris se parte fraudaret; periculi armigerum amavit consortem, dulcedinis voluit expertem existere, hoc enim hominibus ingenitum est, ut cum delitias nulli impartiri velint, socios laborum exambiant. Favet D. Greg.lib.5. in 1.Reg. cap.14. *Jonathas*, ait, *armigerum suum ad secum transeundum invitasse dicitur, non verò ad convivia.*

Ad labores Jonathas quærit so-cium, non verò ad dulcedinē.

492 Tertiò dixit Lucifer: *In Cœlum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum*; & magna multitudo Angelorum ad eum est inclinata, & mortiferum venenum hausit; nescit ambitio sola esse, sed paulatim lues ejus grassatur, & inde ad exemplum Luciferi, multi ex Angelis majores, ac superiores sedes sibi affectaverunt. D.Laurent.Justin. lib. de Instit. ac regim. Prælator. c.1. de Lucifero loquens ait: *Concepit iniquitatem, principatum ambivit, cæterorum requisivit consortium*; ubi ambire cœpit, cœpit etiam consortes requirere, nunquam enim ambitio sola manet, sed etiam ad alios se extendit, ut dicat D.Bernard. serm.2. in cap. Isai.2. *Fuit in Cœlo, qui diceret: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & populum, qui sibi crederet habuit.* Nunquam in uno consistit ambitionis lues, semper sectatores habet, & non paucos, sed qui populum faciant. Pestis est ambitio, non unius personæ, sed populi totius.

Ambitio nescit esse sola, sed plures in-cit.

493 Ait regius Vates Psal.1.n.1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit*; quænam cathedra est ista pestilentiæ? estne cathedra Imperialis, vel Regalis? Est cathedra ambitionis, qua quisque sibi affectat majorem locum, ac superiorem dignitatem: Sed cur ipsa ambitio dicitur pestis? Merito sanè; quia pestis non sistit in uno loco, sed ad plura se extendit. D. Augustin. *In cathedra pestilentiæ non sedit; non ambivit cum superbia regnum*; quæ ideo, ait, *cathedra pestilentiæ rectè intelligitur, quia non ferè quisquam est, qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam, pestilentia est enim morbus pervagatus, & omnes, ac penè omnes involvens.*

Ambitio est veluti pestis, quæ multos in-volvit.

494 Cùm delere vellet Dominus familiam Heli, ait illi 1.Reg.2.num.34. *Hoc erit tibi signum, quod venturum est duobus filiis tuis Ophni, & Phinees; in die uno morientur ambo.* In Ægyptiorum vindicta, primogenitus tantùm moriebatur, in unaquaque familia, ut patet Exod.12.num.29. cur ergo rigorosior divina ira in domo Heli exiſtit, ut non solùm primogenitum interficiat, sed etiam ejus fratrem secundum? cur ait: *Morientur ambo in uno die?* cur non contentus est primogeniti

genitimorte? Manifestabatur in iis perditio, quæ nascitur ex elatione, & ambitione majorum, quæ ut noxissima pestis est, & nescit in uno sistere, sed multos inferiores invadit. D. Greg. lib. 2. in 1. Reg. cap. 3. *Hoc itaque de officio suscepti culminis, temporalem fel ici tatem amantes audiant, & reatus sui magnitudinem pertimescant; tanto denique graviori pœna digni sunt, quanto apertè conspiciunt, quia de unitate, quam diligunt, non soli moriuntur, quia dum in prætextu mundanæ lætitiæ mortem ebibunt, potus sui pestem ad sequentium se multitudinem transmittunt.* Nota illud: *Potus sui pestem*; quippe, quam majores ebibunt de sui culminis splendore elationem, & ambitionem, pestis est, quæ cæteros inferiores inficiat, & in mortem deducat. Primis parentibus dictum fuit à serpente, Genes. 3. nu. 5. *Eritis sicut Dii*; cui ambitioso affectui, cùm consentiret Adamus, ait D. Alcimus lib. 2. in Genes.

Ambitio pestilens alios interficiens.

Accipit infelix, malesuadi verba susurri,
Demisitque suos in noxia crimina sensus.

Quid elegantius? Ambitionis crimen noxium vocat, & merito, nequit enim in uno hærere, sed quasi noxa pestifera ad omnes se extendit subditos.

QUÆSTIO LX.

Quare tam præcipiti casu Lucifer cum suis Angelis cadit, ut nullus eorum locus, nec vestigium fuerit amplius in Cœlo.

495 CUm Lucifer unà cum suis dæmonibus non potuisset resistere virtuti S. Michaelis, ac sanctorum Angelorum, è Cœlo præcipiti ruina, ad ima expulsi sunt, itaut in Cœlo nullum eorum signum, ac vestigium remansisset, & ita eorum locus adjudicatus est hominibus, ac si nunquam malorum Angelorum fuisset, sed semper pro hominibus conditus.

496 Cùm autem symbolicè per hoc prælium in Cœlo, intelligatur bellum, quod Satanas movet contra Ecclesiam, cùm dicitur, quod *non valuerunt, nec locus eorum inventus est amplius in Cœlo*, exponit Rupert. ut Diabolus qui regnabat in Mundo, & per idola colebatur in templis, jam Christi doctrina ejectus est, itaut non inveniatur amplius locus ejus. Sic ait citatus Rupert. *Ita foras ejectus est, ut in locis in quibus sordes ejus computruerunt, religio christiana jam floreret; in templis, in quibus idolum cujusque turpitudinis steterat, Crux Christi splendesceret, ut per ora, quæ Jovem adulterum cantitare solita fuerant, nomen Christi, & laus Sanctæ Trinitatis cum gloria personaret, quod idem est, ac si ei diceretur: Nec relictus est ei locus, in quo exhiberetur ei cœlestis, vel divina religio*; & hanc sententiam sequitur Alcazar. At idololatria totaliter non est extincta, nam adhuc nostris temporibus, in multis locis, per Indiam, & alias partes viget, & perseverabit usque ad finem sæculi, ut colligitur ex supra dictis c. 9. n. 20. 21.

Diabolus cum idolis deiicitur de templis.

Alcazar impugnatur.

497 Dicitur ergo, in hoc sensu, quod Lucifer cum suis dæmonibus ejectus est, *neque locus inventus est amplius eorum in Cœlo*; quia sicut ipse olim ejectus est à Cœlo empyreo, sic nunc expellitur à Cœlo metaphorico, Ecclesia nempe, seu cœtu fidelium, qui electi sunt in Christo, à quibus non potest auferre justitiam, nec eos pertrahere ad culpam; quod intellige finaliter, quia licèt electus aliquando peccet, tamen finaliter, semper decedet in gratia & justitia. Pro quo audiendus est Richard. *Quia si fidelis Ecclesiæ*, ait, *permittente divina providentia, & suggerente diabolica malitia, aliquando ad tempus in culpam labitur, nequaquam tamen, in hoc Diabolus vincit, sed vincitur, quia prædestinatis ad vitam, etiam malum in bonum cooperatur, nec hoc tam sævientis adversarii viribus agitur, quàm permittentis Dei provida dispensatione, ad resurgentis lapsi cautelam ordinatur: nullatenus ergo Diabolus, & Angeli ejus amplius locum habent, quia nequaquam illos expugnare valent, qui cœlestia bona toto corde sitiunt, & ad illa consequenda prædestinati sunt.*

Etsi electis aliquando labatur, victoria nociva est Diabolo, at electo utilis.

498 Secundò, & jam moraliter: *Neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo*; ut denotaretur miserabilis ruina eorum, qui à gratia Dei cadunt, sic enim penitus delentur, ut nec leve eorum vestigium remaneat. Trojanum excidium breviter exprimens Poeta Latinus, emphaticè dixit: *Campus ubi Troja fuit*; at majori cum emphasi lamentaretur, si diceret: Nec campus extat, ubi Troja fuit; sic enim significaret tantam fuisse illam vastitatem, ut non modo urbs solo adæquata fuerit, sed etiam solum urbis in nihilum redactum. Sed quòd Poeta non ingemuit, ingemuit Propheta, Psal. 36. n. 35. *Vidi impium*, ait, *superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat, & quæsivi, & non est inventus locus ejus*; ac si non solùm impii, sed etiam impiorum loca, penitus exscindantur. Huc spectat illa Dei comminatio ad terram, quam ante diluvium coluerunt homines, interprete Cajet. *Dispergam eos cum terra*, Gen. 6. n. 13. quod etiam denotatur in illa statua portentosa Nabuchodonosoris, conflata ex multis metallis, & Babylonicum complexa regnum: *Contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est*, Daniel. 2. n. 35. Non solùm peccatores intereunt, sed etiam eorum loca pari interitu involvuntur.

Peccatorũ loca eorũ à interitu involvuntur.

Tertiò. *Nullus inventus est locus eorum in Cœlo*. Esto, 499
quod superbi spiritus proiicerentur à Cœlo, cur etiam necessarium fuit simul, & locum, ac sedem eorum è Cœlo disparere? Sic timebant sibi cœlestia à superbiæ, & ambitionis contagio, ut nihil illius non abominarentur inter se videre. Ad hæc ait D. Bernard. serm. 2. in c. 6. Isaiæ: *Semel turbavit superbia regnum illud, concussit muros, etiam prostravit ex parte, & parte non modica. Quid ergo? facilè deinceps admittenda videtur? nunquid non odit civitas illa, & vehementer hujusmodi pestem abominatur?* Nullo magis ostenditur odium alicujus civitatis in contagium pestis, quàm ex eo, quod ubi suspicatur aliquem civem tactum esse peste, statim illum, cum omni domo sua, & universa supellectili foras proiicit, nec quid pretiosum, vel vile illius permittit, vel ad horam in domo peste infecta manere, timens ne ex unius morbo tota civitas pereat; sic prorsus regnum cœleste cavet sibi ab ambitionis peste, illamque adeo abominatur, ut non solùm superbientes spiritus, sed etiam eorum loca, & sedes à se proiiciat, non sustinens illa apud se ad momentum videre.

Ambitionis affectus ut pesti lentæ totũ Orbem inficit.

Satis vulgaris, & communis contentio Core, Dathan, & Abiron pro summo Sacerdotio obtinendo; 500
etiam satis vulgaris est eorum pœna; ait Text. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos, cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderuntque vivi in Infernum*, Num. 16. num. 31. cur tam præcipiti casu cadunt tam ipsi cum suis tabernaculis, ac omnibus, quæ eorum erant? Veluti timuit Dominus rerum universitati, ne contaminarentur tam pestilenti ambitionis contagio, ideò illos cum omnibus suis festinavit tradere gehennalibus flammis, ne pauci homines, suo pestilenti morbo, totum Orbem inficerent. Eleganter ait D. Ambros. lib. 10. Epist. 82. *Abripiuntur noxii, & ita ab omnibus hujusmodi ablegantur elementis, ut nec aerem haustu, nec Cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.*

Contentio de dignitatibus pestifera.

Quarto: *Neque locus inventus est eorum amplius in* 501
Cœlo. Qui dicebat apud Isaiam 14. n. 12. *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*: Ecce quanta sibi promittebat cæca cupiditas, & ambitiosa temeritas, & nullus fuit locus; tot occupare ambiens ab omni loco cœlesti exilium patitur, qui omnia ambitiosus tentavit retinere cœlestia. D. Bernard. de gradibus humilitatis: *Primæ superbiæ gradus*; sic ait: *Non potest ergo in parte sedere Cœli, cùm ille totum eligeret sibi*. Omnia sibi imprudenter appetens, omnia dignè amisit, & nimia cupiditas ad Infernorum angulos traxit. *Neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo*. Immensitatem affectabat, & captivus, ac miser gemit: *Vel in Cœli parte sedere non potest, cum ille totum elegerit sibi*. Qui suo loco, ac sede non contentus, omnem locum, & sedem voluit ambire, ab omnibus expulsus in perpetuum exulat.

Non contentus sua sede, & qui omnia vult omnia perdit.

Post peccatum primorum parentum, ait Deus Adamo: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, Gen. 3. nu. 19. Homo creatus est à Deo in justitia originali, ut

absque

absque morte de hac vita ad æternam transferretur; quomodo ei dicitur in pulverem reversurum? Primis parentibus dixit Serpens: *Eritis sicut dii*; divinitatis studio ducti fructum vetitum comederunt; non mirum igitur, quòd cum immortales essent creati, in pulverem reverterentur, quia ambitiosus cupiens esse, quod non est, amittit proprium esse, quod est. Sic ait D. Aug. ser. 4. Nativit. Joan. Baptist. *Undè Adam lapsus perdidit quod erat, quia quod non erat usurpavit.*

Ambitiosus cupiès quòd non est, desinit esse quod est.

503 Nabuchodonosor cum regnaret in Babylonia, concupiscentia omnia Mundi regna habendi sub ænigmate arboris depingitur, quæ ramos suos per totum Orbem extendebat, quibus & non contentus, improbè usque ad Cælum cacumen erigit, ut se tanquam divinum numen reputari vellet: *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens Cœlum, aspectus ejus usque ad terminos universæ terræ*, Daniel. 4. n. 8. Hæc tam magna superbia divinam iram contra se excitavit: *Ecce vigil, & Sanctus de Cœlo descendit, clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, & excutite folia ejus, & dispergite fructus ejus.* Expende, quòd cùm fructus multus, altitudo nimia, extensioque ramorum immutata omnia occupare, ac possidere festinant, omnium in se manus armarunt; clamat Vigil, seu Angelus de Cælo: *Succidite arborem;* & cur hæc scissio commissa, vel jussa est, non uni, vel alteri, sed omnibus? non exprimitur persona, cui committatur, ut cædentium multitudo notetur. In rem nostram: *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus;* ut explicat Glossa moralis, *ad ignem inferni;* qui enim nec sua sede, vel regno contentus est, sed omnia voluit occupare, sua & omnia alia perdidit, ut omnino à terra excludatur. Theodoret. *Quoniam*, ait, *nec satis ei fuerunt ædes regiæ, in terris deorsum, sed simul etiam superiores appetit, his etiam privatur, quas deorsum obtinebat; & qui Cœlum rapere voluerat, è terra quoque expellitur.*

Qui omnia vult, omnia habet contra se.

Qui omnia vult, omnia perdit.

Apoc. 12. n. 9. Et projectus est draco magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum Orbem, & projectus est in terram, & Angeli ejus cum eo missi sunt.

VERSIONES.

Arabicus.	Et expulsus fuit, &c. totius Orbis seductor, & projectus est in terram, projectique sunt milites ejus cum eo.
Græcus.	Et projectus est ille draco, ille magnus.
Syriacus.	Ille serpens magnus, qui vocatur Impostor, & Satanas, qui seducit Orbem habitabilem totum, projectus inquam super terram.
Primas.	Missus est draco.
D. Prosper.	Præcipitatus est.
Arias.	Vocatus Diabolus, & Satanas seducens habitatum universum, projectus est in terram.
Multi apud Hier. 4 ad Ephes.	Vocatus est calumniator, seu criminator.
Pagnin.	Et Angeli ejus cum eo projecti sunt.

EXPOSITIO.

504 ET *projectus est draco ille.* Ut non relinquatur nobis occasio dubitandi, ac errandi circa draconem pugnantem cum Michaele, ac SS. Angelis, sex nominibus eum hic explicat, ac manifestat noster Joannes. *Projectus est*; victus nempe, ac prostratus deturbatus est de Cælo; seu symbolicè projectus est devictus, ac calcatus pedibus christianorum.

Primò *draco ille magnus*; græcus: *Ille draco, ille magnus*; scilicet Diabolus. *Draco*, ob multas rationes jam datas supra, *magnus* ferocitate, malitia, superbia, ac perversitate. Secundo *Serpens antiquus*. Serpens propter calliditatem ad decipiendum, *antiquus*, propter vetustam peccandi consuetudinem, vel quia ab initio serpentis forma primos parentes decepit.

505 Tertiò *Qui vocatur Diabolus*; id est, calumniator, nam Diabolus verbum græcum est, & à radice calumniandi deducitur. Quartò *Et Satanas*. Nomen est Hebræum, & idem valet, ac adversarius, seu hostis; & meritò, simpliciter per Antonomasiam, talis dicitur Diabolus. Quintò *Qui seducit universum Orbem*; id est, ipse est seductor totius Orbis, quantum est in sua voluntate, conatu, ac affectu suo, omnes intendit seducere, sed quamplurimi Dei virtute, eum proiiciunt, & in confusionem dant. Sextò *Projectus est in terram*; suas debitas pœnas sustinens. Fit hic allusio ad pœnam impositam serpenti in exordio Mundi: *Super pectus tuum gradieris*, Gen. 3. num. 14. de quo statim.

Diabolus, id est, calumniator.

QUÆSTIO LXII.

Quare draco non dicitur ut Adamus emissus de Paradiso, sed projectus in terram, & sine maledictionibus, ut olim percussus fuit.

PRojectus est draco, è Cœlo nempe empyreo, ut multis placet, & supra dixi, quia in ipso Cœlo erat, & in ipso peccavit, in eoque factum fuit prælium. Vide quòd Job in sterquilinio suam adeptus est coronam, & iste in Cœlo, beatorum loco, suam perdidit salutem, & descendit in Infernum, ut inde intelligas, non locum extrinsecum, sed internam animi virtutem, nos victores reddere, ac coronare. Locus bonus sine interni animi virtute, nihil proficit, sicut & locus vilis non officit, ubi est interna animi virtus. D. Chrysost. homil. *de Cæco nato*, sic ait; *Profundavit terra, & Cœlum attollitur; at è Cœlo cecidit Diabolus postquam transgressus est, at exaltantur de terra inopes, & de stercore eriguntur pauperes: vides non locorum discrimen efficere, ut superiores evadamus, sed ubique fidem, & pœnitentiam, & spem, promerentibus acquirere coronam.* 506

Non locus, sed virtus dat victoriam.

Ait text. *Projectus est in terram*; & Isai. 14. n. 15. ait de illo: *In infernum detraheris, in profundum laci*, de quo jam supra egi quæst. 41. & quantùm ad quæst. præsentem, dico, quod ex Angelis malis, qui de Cœlo ceciderunt, multi abierunt in infernum, alii verò ex alta Dei providentia remanserunt in aere ac superficie terræ, & inde ipsi clamabant ad Christum: *Venisti ante tempus perdere nos*, Matth. 8. n. 28. *& rogabant eum, ne imperaret illis, ut in Abyssum irent*, Luc. 8. num. 31. Præliatum est à dracone cum Angelis sanctis in Cælo; & victus draco cum sociis, deturbatus est in terram, ut ipsum bellum faciat cum hominibus in terra, & victus ipse in fine Mundi in tartara, ad suum ignem æternum mittetur. Tamen modò aliqui reliqui sunt in hoc nostro hemisphærio, in aere scilicet, vel terra, tam in exercitium bonorum, quàm in pœnam malorum hominum, & etiam in supplicium ipsorum dæmonum, qui è terra, vel aere videntes homines in Cælum ascendere, à quo ipsi ceciderunt, acriter torqueantur invidiæ ictibus confossi, quæ acerbissima est ipsis pœna, ut notavit D. Bernard. ser. 54. in Cantic. & sic ait: *A Gelbœ autem transeat, Diabolo nempe, qui per Gelboe designatur. Hinc inde montes sunt, quos Dominus visitat; supra Angeli, infrà homines, in pœnam siquidem suum locum in aere isto, medium inter Cœlum, & terram de Cœlo cadens Angelus sortitus est, ut videat, & invideat, ipsaque invidia torqueatur, Scriptura dicente: Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet*, Psal. 11. n. 9. 507

Cur in terram.

Torquentur dæmones videntes homines ascendere in Cœlum, à quo ceciderunt.

Quæstio tamen principaliter inquirit, cur Adamus dicitur emissus à Deo è Paradiso? *Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est*, Gen. 3. num. 23. at Lucifer dicitur projectus è Cælo. Illud verbum, *emittere*, in Adamo dicit quandam speciem clementiæ, ac benevolentiæ, ut homo transiret ad terram sibi propriam, & proportionatam, at verbum, *projectus*, denotat ejicere cum abjectione, & contemptu; cur ergo Adamus dicitur emitti de Paradiso, veluti cum quadam specie lenitatis, Angelus verò projici tanquam cum quodam contemptu, ac ignominia? Ho- 508

Superbus maximè conterendus & conculcandus.

mo

mo deliquit ex quadam fragilitate, ac tenuitate, Lucifer verò ex superbia, ac arrogantia, ideo ille fuit miseratione benignè tractandus, hic verò abjectione, & conculcatione. Rectè D. August. in Enchirid. cap. 56. *Omnia peccata odio sunt Deo, & hominibus, superbia verò maximè, indeque super omnia abjectione deprimenda, cujus causa Nabuchodonosor, ex hominibus inter bestias abjectus est;* & in præsenti Richard. Victor. lib. 4. in Apocal. part. 2. cap. 2. *Projectio Draconis, refrænatio antiqui hostis, terra mari dominandi.* Justa pœna, ut qui superbus ambiebat dominari in Cœlo, terra mari, sic refrænatus puniatur, ut solùm ei detur, quod gradietur super terram, verrens eam pectore suo.

509 Ex hoc tamen insurgit difficultas, quæ est secunda quæstionis pars: Cur quandò serpens hic projicitur de Cœlo, maledictione non punitur, sicut olim in Paradiso post primorum parentum peccatum? sic super omnes bestias terræ execratur; dixit illi Deus: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, terram comedes cunctis diebus*, Gen. 3. nu. 14. Recole principia & invenies rationem.

510 Ut patet ex hoc cap. n. 4. *draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cum peperisset, filium ejus devoraret.* Audaciæ pœnam tulit, dum in terram projectus serpit; hic idem Evam alloquitur, & adulationibus fallit, Deum invidiæ, ac mendacii insimulat, nam cum Deus interdiceret arborem vetitam primis parentibus, dixerat: *Quocunque die comederitis ex ea, morte moriemini;* tunc ait Serpens Evæ: *Nequaquam morte moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii*, Gen. 3. nu. 4. Ob tam dolosam deceptionem multatus est serpens, non solùm turpi adreptione corporis per ima, sed valde dura execratione: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, &c.* in hac pœna inflicta, totus videtur ordo inversus; cur levius vapulatur, cùm hominis, Deique nititur absumere vitam, & graviùs, cùm hominis subruit felicitatem? nam dum intendit devorare filium mulieris, scilicet Christum Dominum, *projectus est draco magnus;* at dum hominem ad peccatum allicit, multis maledictionibus premitur: *Maledictus es super omnia animantia;* cur levior pœna quoad speciem decernitur, dum contra Dei filium armatur, & acerbior infligitur, quàm dum ad peccandum hominem impellit? In nostra Apocalypsi Dei vitam abscindere nititur: *Ut cum peperisset devoraret filium ejus;* in Paradiso Deum falsò finxit mendacem, ac invidum, ejus famam annubilare discupiens, & adeo gravius est famam denigrare, quàm vitam abscindere, ut minorem subeat pœnam, dum ardet in vitam, acerbiorem verò cùm famam abrodere audet. Ad hoc spectat Rupert. lib. 3. in Gen. c. 7. *Scit Deus*, ait, *quia quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Hoc utique volebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiæ, divinitatem quoque, & omnem scientiam Deus invidens homini, tale lignum illi interdixit.*

Gravius est famam denigrare, quàm vitã abscindere

511 Nefario desiderio exardebant senes in Susannam; & cùm eam solam dimissis puellis observassent in pomario, clauso etiam ostio, eam ad opus nefarium sollicitabant dicentes: *Assentire nobiscum; quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis, & ob hanc causam emiseris puellas*, Daniel. 13. n. 2. sanctam mulierem ad turpe adulterium instigabant, & tamen gladios non stringunt, non mortem minantur, sed solùm in medium proferunt: *Dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum juvenis;* cur hoc tantùm pronuntiant, & falsum testimonium ex juvene reperto evulgandum afferunt? Pœnam lapidationis inde sequuturam tacent, & solùm falsos rumores contra ejus honorem spargendos dicunt; utique bene sciebant senes, ingenuis mentibus durius esse, ab honore, quàm à vita cadere, indeque objiciunt, non vitam morte perimendam, sed famam diris execrationibus fœdandam. Opportunè D. Hieron. *Humanæ*, ait, *fragilitatis est, mortem timere; nisi fortè angustiam interpretabimur, non imminentis mortis, sed opprobrii, & ignominiæ, qua perfundenda erat, illis accusantibus, atque dicentibus: Fuit cum illa juvenis, & idcirco dimisit puellas.*

Illustri viro durius est ab honore, quàm à vita cadere.

Crudeli odio Saul persequebatur David, multisque modis ejus vitam machinabatur è medio tollere: *Tenebat Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete*, 1. Reg. 18. n. 11. tamen cùm quadam die Saul in spelunca quadam incideret in manus David, & qui maximè à suis militibus stimularetur ad Regis necem, tamen se abstinuit, & ut ipse dixit: *Nolui extendere manus meas in te*, 1. Reg. 24. num. 12. tamen postea succedentibus rebus, cùm David unà cum suis militibus fame premeretur, per ministros Nabalem rogat, ut famelicis subveniret, cujus durum, & agreste responsum cùm accepisset David, milites suos exhortans ait: *Accingatur unusquisque gladio suo*, 1. Reg. 25. num. 13. & postea subdit n. 22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat, si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent, usque mane mingentem ad parietem;* Saul in David vitam machinatur, & tamen ipse offensus ei parcit, Nabal victualia denegat, & David in ipsum indignatur, undè tanta differentia? Text. apertè denotat rationem; Nabal Davidis mores maligno dente corrosit, ejusque famam multis maculis denigravit, sic enim dixit: *Quis est David? & quis est filius Isai? hodie increverunt servi, qui fugiunt dominos suos*, 1. Reg. 25. n. 10. quasi dicat Davidem hominem contemptibilem, Reipublicæ perturbatorem, illius jura frangentem; acerbius fuit Davidi linguæ telum, quàm ferrum hastæ, & inde facilè necem molienti indulsit, & milites in jacientem probra obarmavit. Lyran. *Quis est David? ait; quasi dicat, nullius valoris. Et non solùm vituperavit David, sed & viros ejus, dicens: Hodie increverunt, &c. ita quod notavit eos de servilitate, & malignitate, propter quam fugitivi essent; tunc ait meritò provocatus: Accingatur unusquisque, &c. ad accipiendam vindictam de tam vili rustico:* de hac re vide multa, tam tom. 1. in Apocalyps. quàm in nostris quinque in Evangelia verb. *Honor*, in Indice.

Viro nobili durius telum linguæ contra famam, quàm ferrũ contra vitã.

QUÆSTIO LXII.

Quare draco bis dicitur projectus in terram, Angeli verò ejus sequaces semel dicuntur missi.

512 513 Ait præsens text. *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, &c. & projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt.* Ingeminata auditur draconis projectio: *Projectus est draco ille magnus;* & iterum: *Projectus est in terram;* at singularis asseclarum dicitur emissio: *Et Angeli ejus cum illo missi sunt.* Draco & Angeli præliantur cum Michaele, & ejus sociis; cur graviori voce denotatur draconis expulsio, & mitiori vocabulo asseclarum emissio? nam projectio dicit ignominiam, & contemptum, quem non dicit emissio; cur ergo inæqualis pœna, si similis culpa fuit?

Difficultas quæstionis.

514 Respondeo primò juxta literam: Causa in promptu est, cur draco dicatur bis projectus; quia, cùm noster Vates primò dixisset: *Et projectus est draco*; multa addidit, exponens quis esset ille draco, scilicet serpens antiquus, qui primos parentes decepit, proindeque ut diceretur, quò projectus est, nimirum in terram, resumendum fuit, *& projectus est*; itaque locus, quo projectus est, terra est, ut jam explicavi.

Ratio literalis.

515 Secundò Lucifer, seu draco iste, expulsus est è Cœlo, ob suam arrogantiam, & superbiam, inde bis dicitur projectus; quod verbum denotat ignominiam, ut denotetur quanta vi, ignominia, ac vilipendio ille ejectus est ob suam superbiam, nam hæc maximè advocat contra se omnem supernam potestatem, utpote valdè execrabilis, ac digna omni vilipendio, ac deturbatione, ut inde in nobis maximè affectus superbiæ refrænetur, ac reprimatur.

Superbia reprimenda ac coercenda.

516 Quod optimè confirmatur ex sermone Christi D. habito cum suis discipulis de lapsu Satanæ; nam cùm discipuli gaudentes convenissent ad divinum magistrum, quod dæmonia eis subjicerentur in nomine

ejus, ait illis Christus D. Luc. 10. n. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de Cœlo cadentem;* sed quid magnum ait de se meus Jesus quòd viderit? nam Michael, & Angeli sancti, etiam spectatores fuerunt. Verum est quod hoc etiam Angeli viderunt, sed in aliorum lapsu, ac condemnatione, unusquisque ex Angelis, multùm sibi timebat. Rupert. lib. 1. de Victor. Verbi cap. 13. *Solus iste*, scilicet Christus, *videbat securus sui, Angeli autem viderunt, in magno terrore positi.* Secundò ad quid Christus D. protulit hunc casum Luciferi, quando discipuli gaudebant de subjectione dæmonum? Ut ita Dominus in suis discipulis reprimeret affectum elationis. D. Gregor. lib. 17. Moral. cap. 7. *Mirè Dominus*, ait, *ut in discipulorum cordibus elationem premeret judicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit, ut in elationis magistro discerent quid de elationis vitio formidarent.* Tertiò cur lapsus Satanæ explicatur tanquam fulgur? cur non potiùs ut Babylonis desolatio per lapidis præcipitationem in stagnum ignis, vel ut etiam ruina Ægyptiorum exprimitur per plumbum in profundum, Exod. 15. cur ergo dicitur quòd Satanas ceciderit, nec tanquam lapis, nec plumbum, sed ut fulgur: *Cauda trahebat tertiam partem stellarum*; scilicet composito verborum eloquio, sermo blandus, ac nitidus omni lapide, ac plumbo aptior est ad præcipitium, & malum. D. Hieron. epist. ad Heldivium: *Nel fulgore sæcularis eloquentiæ delectaris, quam vidit JESUS sicut fulgur, cadentem de Cœlo.*

In aliorum lapsu sola divina virtus stat secura.

Christus suos avertit ab elationis fastu.

Sermo eloquens & blandus pronus ad præcipitiũ

517 Tertiò, & maximè genuinè ad quæstionem: Draconis ingeminatur projectio, tamen sequacium non repetitur expulsio; ea nunc videtur causa, quia etsi Angeli aberraverint, improbitatis partes sequentes, hoc tamen illis suasit serpentis adulatio, blando delusoriæ caudæ veneno: *Trahebat cauda tertiam partem stellarum*; itaque draco nequitiæ extitit magister, & pessimis alios seduxit consiliis, qui avidis auribus, ejus impiis paruerunt præceptis; quamvis ergo omnes à veritate deflexerint, majori tamen pœna draco multatus est, veluti duplici pœna, inde dupliciter dicitur projectus, & cum ignominia, quod significat, *projectus*, semel ob propriam nequitiam, & iterum, quia alios ad insaustum crimen perduxit. D. Ambros. in præsenti: *Diabolus serpens vocatur*, ait, *sive quòd per serpentem primum hominem deceperit, sive quòd veneno suæ malitiæ, genus humanum perdiderit: Diabolus verò interpretatur deorsum ruens; ruit quippe primò per superbiam de Cœlo, ruit postea cum ab electorum cordibus per Christum dejectus est, sicut præsens Scriptura demonstrat.* Sanctus doctor duplicem ruinam agnoscit in Lucifero, ruit de Cœlo per superbiam, ruit iterum, ut dejectus à Christo ex electorum cordibus; una ruina respondet proprio sceleri, altera consiliis, quibus intendebat electorum corda seducere.

Maximè punitur qui alios ad peccandũ inducit, ac provocat.

518 Peccat Angelus, punitur ut reus tanti criminis, venia in perpetuum negata, ut communiter docent Patres, & theologi; peccat homo, punitur scelus, sed condonatur, & misericordiam assequitur; cur ita accidit? Multi multa proferunt; illud mihi nunc placet, negatam Angelo fuisse veniam, peccatum verò Adamo condonatum, ut auctor est Albinus ad 4. Gen. *quippe quòd Angelus sui sceleris inventor fuit, homo alterius fraude seductus.* Et huic rationi videtur subscribere D. Paulin. epistol. 14. quærens rationem cur serpens, & non Adamus tristi maledicto punitus sit; ait Sanct. Pater: *Ille*, nempe serpens, *peccati auctor fuit*; tum ob proprium scelus, tum quia ipse aliis viam fecit ad crimen.

Peccandi magistrum Deus avertatur.

519 Ex magno mysterio serpens æneus suspensus à ligno antiquitus ostendebatur: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo*, Num. 21. n. 9. cur lupum non figit? cur non suspendit leonem? vel cur ursum non appposuit, qui æquè, vel fortasse crudeliùs sævire solent in homines? Serpentem effigiavit, qui Diabolum exprimebat, nam sub serpentis figura primos parentes decepit. At inde major insurgit difficultas; nam ipsemet serpens Diabolus simul cum Christo crucifixus est in monte, ut docet Origenes hom. 8. in Josue, sic ait: *Domini nostri Jesu Christi Crux gemina fuit; quia visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter verò in ea Cruce Diabolus cum principibus suis, & potestatibus affixus est Cruci;* quod ipse colligit ex Paulo ad Colossens. 2. nu. 15. ubi ait: *Et expoliavit principatus, & potestates; traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*; si ergo Diabolus in Cruce Christi crucifixus est, ad quid etiam apparet in deserto crucifixus? Et augetur difficultas; quia omnes peccatores juxta D. Ambros. cum Christo simul sunt crucifixi; si ergo peccatores semel tantùm sunt crucifixi, cur Diabolus bis ostenditur suspensus in Cruce, semel in deserto, & iterum in monte? ac si bis puniatur serpens, semel ob proprium venenum, quo erat repletus, & iterum ob pestiferam fraudulentiam diffusam in genus humanum, cujus peccati extiterat auctor. D. Ambros. serm. 55. de Cruce: *Serpens igitur primus crucifigitur; rectè planè, ut quia primus apud Deum peccaverat Diabolus, primus Crucis sententia feritur. Deinde post serpentem in Salvatore homo ipse crucifigitur, scilicet, ut post auctorem puniatur, & facinus; per primam Crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in venena serpentis.* In prima Cruce vindicata est nequitia serpentis, in secunda vindicatum est venenum in nos immissum, cujus ipse extiterat causa.

Peccati artifex duplici Cruce punitur.

520 Core, Dathan, & Abiron, & ducenti quinquaginta viri de tribu Levitica, ambientes summum sacerdotium, surrexerunt contra Moysen, & Aaron multa loquentes contra eos ad populum, ut patet Num. 16. nu. 2. cumque divina ira procederet ad vindictam contra istos rebelles, tunc Moyses, & Aaron prostrati in facies suas ad Deum clamantes dixerunt: *Fortissimè Deus, num uno peccante, contra omnes ira tua desæviet?* ibid. n. 22. Maximè mirandum quòd cum numerus peccantium fuisset tam amplus, ut excederet ducentos homines, tamen viri sancti de uno solo Core delinquente meminerunt: *Num uno peccante?* Abulens. quæst. 16. *Dicitur unus peccasse, id est, Core, ipse enim fuit origo totius .... cùm concitaverit Dathan, & Abiron, & ducentos quinquaginta viros ad seditionem, & peccaverunt alii consentientes ei, licèt non ita principaliter.* Multi fuerunt in crimine comprehensi, tamen unus dicitur simpliciter peccasse, ipse enim extitit erroris auctor, & aliis viam aperuit, ut in præcipitium ruerent, ac proinde in eum non solùm refunditur malitia proprii delicti, sed omnium aliorum crimina, proindeque licèt multi fuerint errantes, unus tamen absolutè deliquisse reputatur.

Peccat antonomasticè peccati Auctor.

QUÆSTIO LXIII.

Quare tantis, & tam ignominiosis nominibus Lucifer hìc significatur, ac exprimitur.

521 TOt nominibus hìc describitur Lucifer, ut nulla relinquatur ratio dubitandi, quòd ille sit antiquus hostis, qui sub forma serpentis primos parentes decepit, ac peccatum induxit in Orbem terrarum, ideò sex nominibus eum dicit noster sacer Vates hic, ut jam notavi in expositione, quibus graphicè describitur ingenium Diaboli, qui nimia crudelitate draco est, nequissima vafritie serpens est, mendaciissima impudentia criminator, sive Diabolus est, obstinatissima perfidia adversarius, sive Satanas est, inde totius Orbis seductor est, indeque in tantorum malorum pœnam projectus est in terram, verrens pectore suo.

Multis denotatur Lucifer.

522 Et dicitur primò *draco magnus*, de quo multa dixi supra q. 34. & ut notat D. Isidor. q. 34. in Gen. *Talem à Deo omnium conditore naturam non accepit, bonus enim creatus est, & unà cum incorporeis virtutibus conditus; at ubi sponte in nequitiam declinavit, tunc ab honore privatus est, quem ab ipso fortitus erat, & in terram projectus maledictionem accepit*; & ideo ad ejus nequitiam, & maledictionem denotandam, tot nomina hìc apponuntur.

Lucifer sua malitia depravatus est.

523 Secundò *serpens*, quia occultis accessibus, multisque fallaciis serpit, & occultè decipit, & quod viribus non potest præstare, mendaciis tenet. D. Cyprian. de

Diabolus multis decipit.

de virtute Ecclesiæ: *Illius*, ait, *metuendus est, & cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cùm per paucis imaginem fallens, occultis accessibus serpit, undè & nomen serpentis accepit.* Et non solùm dicitur serpens, sed etiam *antiquus*, quia hostis antiquus, cujus fraudes jam multis expertas habemus, magis timendus, quàm novus. D. Gregor. Taumathurg. in sua Paralip. c. 3. Eccl. sic monet: *Malignus Dæmon, qui ab initio Mundi* (attende ejus antiquitatem) *usque ad finem semper est avidus, rugienti ore, hoc seculum circuit; & immodicè contendit, si qua occasione nacta figmentum Dei perdere possit.*

Ab hoste antiquo cavendum.

524 Tertiò *Diabolus*; id est, calumniator, seu detractor. Et rectè post serpentem posuit calumniatorem, seu Diabolum, quia à calumniatore, seu detractore debes fugere, ut à venenoso serpente tartareo; sic Sanct. Pachomius de quo in vitis Patrum: *Si quando fratrem detrahentem cuiquam pro quolibet negotio cognovisset, Abbas Pachomius, non solùm ei non credebat, sed etiam avertens se, mox ab eo, veluti à facie serpentis concitus abscondebat.*

A calumniatore, ut à Serpente fuge.

525 Nominis Diaboli triplicem etymologiam invenio; primò, Diabolus idem est, ac calumniator, seu detractor tam Dei, quàm hominum, contra quos suum nefandum os aperire intendit, nam cùm Evæ dixisset: *Cur præcepit vobis Deus, ne de omni ligno comederetis?* cumque mulier dixisset omnem arborem sibi esse datam ad escam præter lignum vitæ sub pœna mortis, sic Diabolus ad eam loquitur: *Nequaquam moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii*, Genes. 3. n. 4. Ecce mendacii, ac invidiæ Deum accusat, quòd nolit eos, ut de fructu vitæ comederent, ne ad Deitatis honorem similes fierent; ita Diabolus à sana mente alienus est, quòd Deo inferre crimen audeat. Andreas Cæsar. sic ait: *Nomen sortitur Diaboli, quod virtutes, virtutumque studiosos, & ipsum etiam Deum apud homines calumnietur, siquidem apud Adamum, invidiæ instimulare non dubitavit.* Secundò Ansbertus ait, quòd Diabolus idem valet, ac accusator, seu criminator, quia ubi malus spiritus in corda reproborum ingreditur, in eis crimina generat, ut eos accuset. Citat. Ansbert. *Deorsum quotidie fluit, cùm ab electorum cordibus expulsus improbos invadit, quibus sibi subjectis, contra eos accusationem contorquet, quos invictus deserit, & inde accusat.* Tertiò Velosus in Judith. cap. 5. Parænet. 1. num. 3. contendit, quòd Diabolus ex radice græca, idem valeat, ac *delator*; & rectè dicitur *Diabolus Satanas*; delator scilicet, & adversarius, ac si denotare vellet Joannes, delatores suapte natura adversarios esse generis humani, quos uti pestes Reipubl. Titus Imperator, *partim in servos subjici, ac venire imperavit*, ut refert Sueton. in ejus vita; tale enim ingenium propriè servorum est. Delator apud Saulem extitit Doegus 1. Reg. 22. num. 9. *Vidi filium Isai in Nobe apud Achimelech*; ex quo machinata est mors ipsi Achimelecho n. 16. Doegus 1. Reg. 21. n. 7. *Erat ex servis Saul*; & deinde dicitur *Potentissimus pastorum*: erat homo de servili genere, ac servili grege, & rusticus, utpote alumnus artis pastoritiæ, præfectus mulis pascendis, ut habet græcus: *Pascens mulas*; & hic erat delator, utpote infimæ conditionis, servilis, ac rusticæ.

Diabolus idem est ac calumniator.

Diabolus ira insanus, ut Deo velit crimen imponere.

Diabolus, id est, Accusator.

Diabolus invadit ut reatet.

Diabolus delator.

Delatoris servile ingenium.

526 Quarto: *Satanas*. Hoc nomen valde execrabile est omnibus sive christianis, sive paganis, & judæis, ut notat D. August. in Psal. 37. *Attendite*, ait, *ergo nunc his morsibus consumi Diabolum; quisnam iratus servo suo etiam paganus, dicat illi Satanàs? Vade Diabolo datum in escam; hoc dicit christianus, hoc dicit judæus, hoc dicit paganus, ipsum adorat, & ipsum maledicit.* Hoc autem nomen Satanas, idem est, ac adversarius. Cum in Senatu angelico adesset Satanas coram Domino, ut ait Origenes lib. 1. in Jobum, tanquam adversarius, *ut accusaret, ut detraheret, ut reprehenderet*; & cùm in Jobo non haberet, quid morderet, in præsentiarum, de imaginatione futura, ac re futura eum arguit: *Extende paululum manum tuam, nisi in faciem benedixerit tibi*, Job 1. n. 11. sicque etiam inter Angelos se Diabolus ingerit, ut malignè accuset, tanquam semper ut crudelis adversarius; etsi non habet de præsenti, saltem cogitat de futura imaginatione.

Satanæ nomen execrabile.

Diabolus ut Adversarius, quærit quid accuset.

Quintò: *Seducit universum Orbem*. S. Thomas ait, hoc genere locutionis denotari reprobos, qui ab eo seducuntur; at reprobi non sunt universus Orbis, id est, non sunt omnes homines. Ita quidem, sed tanta est eorum multitudo, ut quasi universus Orbis possit reputari. Angelicus Doctor: *Dicitur*, ait, *quòd universum Orbem seducit, intelligitur quantùm ad reprobos, qui sunt major pars Orbis.* 527

Reprobi maxima pars Orbis.

Sextò: *Projectus est in terram*; non ut ambulet super terram, sed ut pectore verrat. Ælredus in Allego. Tilm. ad cap. 14. Isai. *Digna retributio, ut qui in Cœlum altiùs voluit conscendere, in Infernum trahatur invitus, nec ad quamlibet partem Inferni, sed qui summa Cœli petebat, ad ima descendat.* Lucifer cogitans summa Cœli conscendere, præcipitatur in Infernum ad profundum laci, Isai. 14. n. 15. & dum in terram cadit, ad ima prolabitur, ut pectore terram verrens gradiatur, in ipsaque terra duras pœnas sustineat, ut jam dixi supra q. 61. 528

Ecce maximè explicata est ruina Luciferi, sub qua, ab ipso rabidissimæ persecutiones contra Ecclesiam excitatæ exprimuntur infra n. 13. *Postquam vidit Draco, quòd projectus esset in terram, persecutus est mulierem*; & cur Diabolus tam rabidus, adversùs Ecclesiam extitit? Notanter à nostro Vate dictum est: *Serpens antiquus projectus est in terram*; cùm enim esset antiquior, ut videret Ecclesiam Christi novitio splendore fulgere, adversùm illam, vehementissimè insurrexit; solet equidem has invidiæ faces facere antiquitatis prærogativa, contra juniorum felicitates. 529

Zelus anti quitatis rabidissimus in juniorum felicitates

Omnes sciunt Prodigi illius filii reditum ad patrem, apud quem prima cum stola cœpit splendescere, & inter varia musicæ instrumenta, cùm ejus mensæ accumberet, tunc ait Text. Luc. 15. nu. 25. *Erat autem filius ejus senior in agro; & cùm veniret, & appropinquaret domui, audivit symphoniam, & chorum .... indignatus est autem, & nolebat introire*, &c. ecce tota indignationis causa, quia vidit fratrem prima stola condecoratum paterna mensa, paternisque favoribus fruentem, inde in indignationem rapitur, & fratris mores arguere incipit, & illum non valet videre; & undè boni patris filius tanta invidia commovetur? Text. indicat: *Erat senior filius*; ne miremur, quod junioris felicitatibus indignetur, quando senior erat, qui inviderat. Ait D. Ambros. apud Caten. D. Thomæ: *Adolescentiori filio, id est, populo ex gentibus Israel, tanquam major frater, beneficium paternæ benedictionis invidit; quod faciebant judæi, quia Christus cum gentibus epularetur.* Nota illud: *Tanquam major frater*; cùm judæus arderet odio in nomen christianum, in gentesque in Dei ovile receptas, hoc faciebat tanquam major frater, cujus est non ferre junioris felicitates, sed execrabili inardescere invidia. 530

Qui antior est, tabescit invidia, juniorum felicitatibus.

Dicitur Sapientiæ 2. num. 24. *Invidia autem Diaboli mors introivit in Orbem terrarum*. Adamus creatus fuerat propriis Dei manibus, & constitutus in Paradiso deliciarum, terrenorumque sublimatus principatu, vitaque immortali nobilitatus, quem Diabolus aggreditur, & in extremas miserias traducit; undè in Diabolo tam rabidus affectus excitatus est adversùs hominem? Erat Diabolus major natu, antiquior nativitate, in qua & ipse veterascebat, & fordebat, & ideo videns in homine juniore florescere tot dotes, splendescere tot novitias felicitates, adversùs illum rabidissimo zelo insurgit. D. Basil. homil. 21. in aliquos Scripturæ locos sic ait: *Postquam vidit* (scilicet Diabolus) *hominem parvum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine, facilè conspexit, quemadmodum natilitia verbo tantùm facta sunt, omniaque in mari viventia ..... solum hominem manibus Dei plasmatum esse; hunc ei honorem invidit.* Ecce radix diabolicæ invidiæ in hominem: *Cùm esset antiquior homine*; de antiquitate sua, qua veterascebat, & fordescebat, virus trahebat, quo in homine noviter virtutes fulgentes minimè sustineret, & inde totis viribus illum conabatur perdere. 531

Antiquus gloriæ juniorum non potest sustinere.

QÆSTIO LXIV.

Quare ruina Luciferi durior, ac rigidior describitur à nostro Joanne Evangelista, quàm ab Isaia Propheta.

532 LApsum, ac ruinam Luciferi describens Isaias, ait cap. 14. nu. 12. *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo.* Hunc casum referens in præsenti Joannes, ait: *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui seducit universum Orbem, & projectus est in terram;* ecce multò gravior, & acerbior refertur hic lapsus è Cœlo à Joanne nostro, quàm ab Isaia, nam Isaias ait: *Quomodo cecidisti?* quod verbum ex suo significatu dicit quendam lapsum, at noster Joannes semel, & iterum inquit: *Projectus est draco*; & iterum: *Projectus est in terram*; hoc autem verbum, *projicere*, ex vi sua dicit ignominiam, abjectionem, & injuriam. Deinde Isaias eum suo proprio nomine Luciferum appellat: *Quomodo cecidisti Lucifer?* quod nomen idem valet, ac ferens lucem, & veluti quendam decorem importat; at verò à nostro Joanne proprium nomen Luciferi tacetur, & valdè ignominiosis nominibus afficitur, dicitur enim, draco magnus, serpens antiquus, Diabolus, Satanas, ac seductor totius Orbis.

533 Respondeo moraliter ad quæstionem, quòd apud utrunque, tam nostrum Joannem, quàm Isaiam, describitur, quomodo Lucifer se se opposuit contra divinum Verbum Incarnatum, scilicet Christum Dominum, quem Æternus Pater in ipso primo rerum exordio ei proposuit adorandum; quod Lucifer renuens, maximè contra ipsum se se armavit, adversùs ipsum, ut erat Dei filius, ejus celsitudinem appetens, ac dicens: *Ascendam super altitudinem nubium: Similis ero Altissimo;* inde tanta ejus superbia punita est, ut refert Isaias: *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer?* tunc de Cœlo labitur, retento suo nobili Luciferi nomine. Verte nunc oculos ad nostram Apocalypsim in hoc capite, ubi refertur, quomodo ipse princeps tenebrarum Christo Domino adversatur, prout est filius Virg. Mariæ, ut dicitur supra n. 4. *Draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, ut cùm peperisset, filium ejus devoraret;* per Herodem nempe ac suos ministros, in cujus audaciam meritò divina ira vindicatum est, ut narratur in nostro præsenti Text. *Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas qui seducit universum Orbem;* hìc non dicitur, *cadit*, sed, *projectus est*, quod multam ignominiam involvit, nec sub nomine Luciferi exprimitur, sed multis contumeliosis afficitur; draco magnus, serpens antiquus, Diabolus, Satanas, Seductor Orbis; utrobique Diabolus divinis fulgoribus insidiatur, utrobique refractarius contendit, utrobique ruit, sed apud Isaiam cadit, Luciferi nomen retinens: *Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer?* apud Joannem ignominiosè projicitur, & probrosis nominibus plenus: *Projectus est draco magnus, serpens antiquus, Diabolus, Satanas, qui seducit universum Orbem;* Christo insidiatur apud Isaiam ut filio Dei: *Similis ero Altissimo*; apud Joan. ut filio Virg. Mariæ: *Ut devoraret filium ejus.* Ecce sublime Dei consilium pro honoranda sua sanctissima Matre; inde sapienter disponit, ut quoad speciem durius, ac acerbiùs vindicatum videatur esse in Sathanam, dum Mariæ filium devorare præsumit, quàm dum Patris Unigenitum exæquare contendit, nam quamvis ea, quæ sunt deitatis in suo intrinseco valore, ac æstimatione in infinitum excedant omne esse humanum, tamen ut cunctis sit apertum, quàm grata, ac perjucunda sit ei natura humana ex Mariæ visceribus assumpta, inde quodammodo majori, ac graviori pœna videtur in externa apparentia puniri, ac condemnari Satanas, non dum cogitat raptum divinitatis, sed dum contendit deglutire naturam ex Virgine acceptam, ut ita declararet Dei filius matris excellentiam, & suum amorem erga illam; & ideo hic describitur Satanas tanto opprobrio projectus, tam infamibus nominibus fœdatus.

Mirificè Christus Dominus gloriatur de his quæ habet ex Matre.

Maximè considerandum, quàm diversimodè Dæmones, ac piæ, & religiosæ personæ de Christo loquantur, ipsumque exorent; Dæmones, ipsum filium Dei Altissimi vocant: *Quid mihi, & tibi Jesu Fili Dei Altissimi?* Marc. 5. n. 7. Luc. 8. n. 28. at Chananæa filiæ salutem postulans, ad Christum clamat: *Miserere mei Domine fili David*, Matth. 15. n. 22. sic & cœcus Jericho alta voce intonat: *Jesu fili David, miserere mei*, Luc. 18. nu. 38. quid est quòd Dæmones, filium Altissimi dicunt, fideles vero animæ, David filium vocant? cur utrobique non eadem appellatio, sed tam diversimoda? *Dæmones credunt, & contremiscunt;* inde summam potentiam filii Dei, quam in eo reverentur, & maximè timent, acclamantes profitentur, at fideles animæ, ut Chananæa, & cœcus, ut illustratæ, ac inflammatæ lumine Sancti Spiritus, id eructant, quo magis amoris affectus in Christo ad pietatem alliciebatur, ut filius Virginis Mariæ per Davidem agnosceretur, ac fateretur; sic mirificè de sua sanctissima Matre gloriabatur. Tertullian. lib. 4. contra Marci. cap. 36. sic ait: *Jesu fili David; quod hoc se, & cognovit, & ab omnibus cognosci voluit, fidem hominis, etsi melius occultatam, etsi veri hominis compotem, exteriori quoque visione donavit, ut & nos regulam, simulque mercedem fidei disceremus. Qui vult videre JESUM, David filium credat, per Virginis censum.* Ecce tibi, quo Jesum maximè obligabis; si illius materna decora, à Matre ei communicata, maternosque Avos in mente, & ore habeas: eximiè ipse jucundatur, ac gloriatur in his, quæ ex sua matre sunt. Dæmones filium Dei acclamant, ejus celsitudinem recognoscentes, quam timebant; piæ animæ filium Mariæ prædicant, reverentes ejus affectum, quo de tanta matre gloriabatur. 534

Eximio affectu alliciatur Christus ad ea quæ ex matre habet.

Animas sanctas convocat divina sponsa, Cantic. 3. n. 11. *Egredimini, & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus;* hæcine sunt diademata quibus se conspiciendum offert divinus noster Salomon? Duplex illi erat diadema, unum ex Patre, alterum ex Matre; ex Patre æternum regnum infinito deitatis splendore, quo in sinu Patris, luce inaccessibili gaudet, ex Matre verò, nostra humana natura, obnoxia morti, ac passioni; tamen in die desponsationis, ac lætitiæ cordis ejus hoc regio ornamento se conspiciendum præbet, nam etsi illis, quæ erant ex Patre, infinito quodam perfectionis abysso cuncta humana transcendat, tamen sic in his, quæ erant ex matre delectabatur, ac jucundabatur, ut hæc omnium intuentium oculis ad videndum offerret, & objiceret, tanquam pro suo magnifico ornamento, quod ei insigniter in multa erat æstimatione, ac perjucunditate. Pulchrè ingeniosus Guillelmus: *Diadema*, ait, *quo coronavit eum mater sua, nempe regiam nobilitatem assumptæ humanitatis, qua eum coronavit, eò quòd illum de sanguine suo regio, secundùm carnem concepit, undè Gabriel paranymphus, ait: Ecce concipies, & paries filium, & dabit illi Dominus Deus sedem David, & regnabit in domo Jacob;* ac si maximè gratum esset ei regnum, quod ex matris familia hæreditavit, hoc pro sui eximio ornamento ostentat: Sic erga suam matrem Divinum Verbum, amore, ac æstimatione afficiebatur. 535

Quæ sunt ex Matre, in multa æstimatione sunt Christo, ut hæc ostenter maximè.

QUÆSTIO LXV.

Quare hìc à nostro Joanne non solùm fit mentio de lapsu Luciferi, sed etiam sociorum ejus, qui silentio prætereuntur à Christo D. & ab Isaia Propheta.

CUm dicitur in Text. *Projectus* (scilicet draco ille magnus) *in terram, & Angeli ejus cum illo*, apertè significat nobis Joannes, se non loqui de sociis Luciferi, ex humano genere, utpote Simone Mago, Apollonio, pontificibus, & sacerdotibus idololatris, & aliis hujusmodi, ut Alcazar, & aliqui exponunt, sed de dæmonibus, & sociis Luciferi ex eadem natura angelica, quos proinde hic disertè voluit suo proprio nomine exprimere, dicens: *& Angeli ejus cum illo missi sunt*; eadem utique significatione, qua dicit Dominus in Evangelio: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* 536

Sermo est de verè natura Angelica existentibus.

Tota

537 Tota difficultas quæstionis est, cur Christus D. hunc Satanæ casum referens, suis discipulis dicebat: *Videbam Satanam, sicut fulgur, de Cœlo cadentem*, Luc. 10. n. 18. & Isaias eundem casum scribens, cap. 14. n. 12. tantùm ait: *Quomodo cecidisti de Cœlo, Lucifer?* Satanam tantùm lapsum esse exprimunt, sociorum verò spirituum ruinam reticent, quos noster Joannes apertè declarat dicens: *Projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt;* si ergo Satanas, & ejus asseclæ, pede superbo corruerunt, cur Dominus, ac ejus Propheta reliquorum casum silentio tegunt, cùm serpentis casum propalaverint, at noster Joannes omnium ruinam, tam Luciferi, quàm sociorum, apertis verbis aperit?

Difficultas quæstionis.

538 Respondeo, quòd Christus D. & Propheta Isaias, solum Luciferi casum referunt, quia hoc solùm spectabat ad conterendam superbiam ac arrogantiam, & maximè Christus Dominus projectionem Satanæ in memoriam revocavit ad discipulorum elationem reprimendam, cùm maximè videret mentionem de bello exorto inter Angelos sanctos, & malos; & sicut narrat, quòd Michael, & Angeli ejus præliabantur cum dracone, sic & refert, quòd draco cum suis Angelis pugnabat contra Michaelem, & socios ejus.

Ratio literalis.

539 Et hìc etiam symbolicè denotatur bellum, quod Satanas contra fideles, ac filios Ecclesiæ gerit, contra quos multas acies dæmonum armat, quorum omnium non sunt eadem studia, sed diversa; unus est tentator luxuriæ, alius gulæ, alius homicidii, alius est spiritus mendacii, alius ad seminandos errores, vel hæreses, & sic cæterorum vitiorum, ut explicant apud D. Joan. Damascen. D. Nilus tract. de vitiosis cogitationibus, D. Hieron. multis in locis, quos citat, & sequitur D. Bernard. Senens. tom. 3. ser. 26. extra art. 2. undè Apostolus Paulus ad Eph. 6. n. 12. ait: *Non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, sed adversùs principes, & potestates, adversùs Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ: Rectores tenebrarum harum*, scilicet, vitiorum, ac peccatorum; quorum dæmoniorum tanta est multitudo, ut suo se hostis prodat ore, nam coactus à Christo, ut suum nomen edat, respondit: *Legio mihi nomen est*, Marc. 5. n. 9. Legio magnum numerum significat, ut dixi to. 2. in Evangel. c. 25. q. 7. n. 42.

Lucifer suos duces vitiorum constituit.

540 Hoc autem bellum dæmonum contra homines, exortum est ab ipso Mundi principio, ut patet ex illis verbis Gen. 3. n. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem;* inde nata Ruperto occasio disputandi per libros tredecim de Verbi Dei victoria; & lib. 2. cap. 5. ait: *Quid longiùs moror? factus est homo legitima Dei possessio, & causa totius certaminis*, &c. & Tertull. in Scorpiaco, cap. 8. *A primordio enim*, ait, *justitia vim patitur; statim ut Deus coli cœpit, invidiam religio fortita est.* Et adeo hoc sævum Diaboli bellum contra homines celebratur, ut librum de bello sacro laudaverit Moyses, Numer. 21. n. 14. *Undè dicitur in libro bellorum Domini;* quisnam est iste liber bellorum Domini, cum ante legem scriptam à Moyse, nullus liber extet? Relicta aliquorum sententia, iste liber est ille Mosaicus, in quo exponuntur dæmonum congressiones cum bonis hominibus, à quibus, Deo duce dæmones superantur. Rupert. lib. 2. cap. 8. *Constat*, ait, *ante ipsam, in qua scriptum hoc est, legem Moysi, nullos manuscriptos libros fuisse bellorum Domini, sed nec ulla novimus bella Domini alia, nisi illa, quibus ex tunc positis inimicitiis inter serpentem, ac mulierem, hactenus certatur, & certabitur usque ad finem sæculi*, &c.

Bellum cū Diabolo cōtinuum gerunt homines.

541 Secundò, & moraliter ad quæstionem: Satanas cecidit ut fulgur, seu ut Lucifer, nec alio modo cecidisse dicitur, nisi ut fulgur, seu ut ferens lucem; & cur talis casus tam apertis verbis referatur, insinuat text. dicens: *Projectus est draco magnus*. Satanas aliorum princeps, sociorum caput, Lucifer splendorum luminibus egregiè fulgurans, ingenito lumine, luce nativa propriam publicavit ruinam; & quamvis ipse suam nequitiam occultare niteretur, semetipsum sua luce prodibat. Magnus erat, & ipsius ingens casus strepitus, casum evulgavit, ipsiusque magnitudo indecoram damnationem publicavit, aliorum verò non adeo nobiles, & ideo eorum casus non referuntur à D. Luca, & Isaia, vel saltem non ut fulgur luciferans, refertur casus. Titus in Catena: *Sicut fulgor*, ait, *quia natura fulgidus erat ut fulgur, sed factus est tenebrosus propter affectum*. Affectus tenebras tegere non potuit industria, quando ipse, ut magnus luce fulgida splendebat naturæ magnitudine, qua criminis sui turpitudinem detegebat, nam, ut ait Plutarch. lib. de Principum eruditione: *Nec latere quidem vitia potentum possunt;* & post pauca rationem assignat: *Quando etiam minima vitia illustrium, ac celebrium virorum calumniis impetuntur: Cimoni vinum vitio dabatur, Scipioni somnus, Lucullus malè audiebat, quòd cœnaret sumptuosiùs.*

Potestne occulta delicta esse videantur occulta, maximè cùm sint manifesta.

542 Ob fornicationem Israel cum Madianitis, jubet Deus Moysi: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra Solem in patibulis*, Numer. 25. nu. 4. non solùm principes, sed etiam multi è populo peccaverunt, & tamen divina indignatio solùm in principes, utpote criminis capita desævit. Illud tamen maximè in quæstionem vocamus: Cur eos mandat Dominus suspendere ad intuitum Solis? cur non potiùs sub tenebris, & luctu, ut solet fieri in principum morte? Glossa Interlin. *Contra Solem*, ait, *quem nihil latet;* ut pœna esset proportionata culpæ, ut nempe eorum culpa, quamvis videretur maximè abscondita, cùm esset culpa Principum, fieret sic patens, & manifesta, tanquam in luce Solis posita, inde & patibulum in luce Solis fieri jubetur, ut unum alteri sit proportionatum, & cohærens.

Principum peccata luce Solis manifestantur.

543 Contra Domini mandatum impia pietate deliquit Saul parcens gregibus Amalec: *Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum*, 1. Reg. 15. n. 9. venit Samuel, ut præcepti transgressionem arguat, tunc Saul se præceptis paruisse improbè mentitur, dicens: *Implevi verbum Domini;* cui Samuel ait: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* Maximè ponderandum, vocem habuisse Saulis peccatum; Saul simulationis fuco culpam tegere, & perpetratum crimen dissimulare contendit, tamen vox pecorum ejus culpam clamat, nam etsi privatorum peccata voce careant, tamen principum crimina vocem sortiuntur, quicquid enim fecerint, vocale est, & latere non potest, nam etsi homines taceant, bruta animantia magnis vocibus publicant, & clamant. D. Gregor. *Vox gregum, & armentorum Amalec fama turpitudinum est, quasi sub falsæ virtutis suæ simulatione reconditum dicens: Tu te proprio ore justificas, sed immunditiarum tuarum turbæ per omnium ora clamant.*

Regum crimina vocem habent.

Apoc. 12. n. 10. Et audivi vocem magnam in Cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri, die, ac nocte.

Num. 11. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonii sui, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem.

VERSIONES.

Arabicus n. 10. Nunc facta est salus, & potentia, & regnum Deo nostro, quia calumniator fratrum nostrorum, jam abjectus est, qui calumniabatur eos coram Deo.

D. Augustin. Modo facta est salus.

Primas. Præcipitatus est accusator, qui accusabat vos diebus, ac noctibus.

Arabicus n. 11. Et ipsi vicerunt propter eum per sanguinem agni, & per sermonem testimoniorum suorum.

Primas. Et exsuperatus est ab ipsis.

Syriacus. Et non dilexerunt animam suam usque ad interitum.

Pagninus. Non dilexerunt animam suam.

EXPOSITIO.

544 ET *audivi vocem magnam in Cœlo dicentem*. Est Angelorum, ac Beatorum acclamatio, & congratulatio exultantium de profligato, ac prostrato dæmone; & sicut hæc decantatio cum gratiarum actione facta est in principio, quando projectus est Satanas in abyssum, sic etiam eadem exultatio facta est à beatis, quando eis revelata fuit desolatio Antichristi, ac victoria de illo obtenta à sanctis martyribus. *Nunc facta est salus*; seu ut legit D. Augustin. *Modò*; nunc manifestatur salus, quam Deus suis electis, ac militibus effecit, salvos eos faciens. *Et virtus*; id est, robur, & fortitudo bene operandi, ac resistendi Diabolo: Omnis nostra fortitudo à Deo est. *Et regnum Dei nostri*; quoad sui consummationem secundùm omnes suas partes, siquidem omnes Diaboli machinationes non potuerunt efficere, ne ipse regnet in suis electis, quos ipse elegit ut concives sui Regni. *Et potestas Christi ejus*; id est: Nunc apparet seu manifestatur quàm potens sit Christus, quantaque sit efficacia gratiæ, ac meritorum ejus.

545 *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum*. Accusator græcè idem est, ac oblocutor, calumniator, detractor. Ex hoc multi graves auctores inferunt, quòd hìc non potest esse sermo de prælio Michaelis, ac sanctorum Angelorum cum Lucifero, ac suis sociis, siquidem nullus tunc erat homo, qui accusaretur apud Deum: Sed ratio non stat, quia, ut fuit revelata unio hypostatica facta in natura humana cum Verbo Divino, & simul quòd cum Christo homines eligebantur ad gloriam, Lucifer se se opposuit accusans, & calumnians naturam humanam vilem, indignam esse tanto honore, simulque indignos esse homines mortales, ut ad consortium immortalium assumerentur, de quo latiùs infra q. 68. Angeli homines dicunt fratres ratione gratiæ adoptivæ.

546 *Et ipsi*; scilicet fratres nostri. *Vicerunt eum*; scilicet Diabolum: *Vicerunt martyres eum, qui videbatur invincibilis*, ait Aretas, *propter sanguinem Agni*; non vi propria vicerunt, sed merito sanguinis, ac passionis Christi, ab eo enim vires, ac robur vincendi acceperunt. *Et propter verbum testimonii ejus*, id est, per apertam fidei de Christo confessionem, neglecta hostium contradicentium tyrannide. *Et non dilexerunt animas suas usque ad mortem*; inclusivè, negligendo illas, objiciendoque morti, pro Dei amore, ac pro tuenda ejus fide. Et hìc breviter vindicatur hominum causa à criminatione Diaboli dicentis homines esse indignos ad gloriam, ac consortium Angelorum, cùm inde probantur maximè, quia pro Deo dederunt vitas suas, quod Angeli non valent facere, & inde digni ut eligantur ad gloriam.

QUÆSTIO LXVI.

Quare pro hac victoria, tanta exultantium gratulatio fit in Cœlo, quam pro aliis victoriis minimè reperimus factam.

547 FInito prælio, & victo periculosissimo conflictu, prostratoque, & de Cœlo dejecto capitalissimo inimico, in ipsomet Cœlo, ut notant Aretas, Haymon, & Ansbert. exultant victores Angeli, & magna voce lætantes in Cœlo intonant: *Audivi vocem magnam in Cœlo*.

548 Cur vox ista gratulatoria dicitur *magna*? nonne satis erat dicere: Audivi vocem de Cœlo? cur magnam addidit? Ut inenarrabile gaudium, & maximam lætitiam Angelorum, de hominum salute denotaretur. D. Bernardin. Senen. tom. 1. serm. 53. art. 2. cap. 3. *Sancti Angeli*, ait, *maximè gaudent de salute proximi, hoc est, nostri, undè non solùm de proprio bono, quod tunc consequuti sunt, gaudebant, & gratias Deo agebant, verùm etiam de humana salute, sanguinis Christi merito, & mysterio obtinenda, & ideo meritò talis vox dicta est magna, quia magno exultationis eorum fuit materia*.

Maximè gaudent Angeli de hominum salute.

549 Quæstio tota est: Quare Angeli sancti, tam gratulatoriam decantationem, & laudem decantant Deo modò: Ratio literalis est in promptu; quia modò finito prælio consummata est victoria; quod morali quadam consideratione colligo ex textu.

Et primò supra, n. 4 dicitur: Et draco *cauda sua trahebat tertiam partem stellarum, & misit eas in terram*. 550 Nomine stellarum hìc intelliguntur Angeli, & tamen postea subditur num. 7. *Factum est prælium magnum in Cœlo, Michael, & Angeli ejus præliabantur cum draconе; & draco pugnabat, & Angeli ejus*. Ecce insurgit magna difficultas, nam apertè constat, quòd dicantur Angeli, qui antea nuper vocabantur stellæ; si ergo ante initum prælium stellæ referuntur projectæ in terram, quomodo cum dracone præliante steterunt Angeli belligerantes in Cœlo? O quàm latè, ac amplè se diffundit malitia, ut omnia videatur occupare, ac replere! Cœlum denudatum fuit magna parte stellarum, sed draco adhuc remansit in Cœlo: *Misit illas in terram, & draco stetit ante mulierem*. Stellæ projectæ sunt in terram, sed draco adhuc manebat in Cœlo, ut pugnaret, ideo, quamvis stellæ viderentur projectæ, tamen omnes de serpentina vafritie, iterum pullularunt, & veluti cum ipso dracone omnium malorum radice copulabantur, ut cùm moveretur prælium ex malitia draconis, se iterum in Cœlis intruderent; quod optimè sancti Angeli noverunt, quia Deo non decantant victoriæ laudem, nec pacem Cœli firmam intonant, quando stellæ ceciderunt, sed quando draco cum illis dejectus est: *Projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo missi sunt; & audivi vocem magnam in Cœlis, dicentem: Nunc facta est salus, virtus, & regnum Dei nostri*; & cur quando Angeli seu stellæ detrusæ sunt in terram, lætis vocibus non clamant: *Nunc facta est salus, & regnum Dei nostri*? Quia etsi tunc stellæ dejectæ essent, adhuc draco omnium malorum radix non referebatur projectus, imo licèt ipse stellas misisset in terram, ipse tamen *stetit ante mulierem*, in Cœlo nempe, modò verò cum stellis projicitur draco, & ideo modo ut ablata radice omnium malorum, nullisque eorum persistentibus reliquiis, utpote jam consummata, & plena victoria, magnis vocibus triumphus decantatur. Antea ora angelica silentio premebantur, modò magnis plausibus resonant, cum draco misero excidio expulsus sit. Lyran. *Nunc facta est salus*, ait, *quia draco cum exercitu suo compulsus fuit in terram suam refugere*.

Non reputatur victoria perfecta, nisi cum radix virorum extinguitur.

Cùm misera servitute premeretur Israel in Ægypto, apparet Deus Mosi, dicens quòd descenderat, 551 *ut liberaret populum suum*, Exod. 3. cujus rei causa, magnis verberibus vapulant Ægyptii; aqua convertitur in sanguinem, aer obtenebratur, è Cœlo cadunt grandines, pulvis terræ in ranas, & scyniphes convertitur, animalia peste perimuntur, & primogeniti dira morte occumbunt; quibus Pharao aliquantulum mitescit, sed citò desipuit, & Israelitas fugientes per marinos vortices temerarius insequitur, ubi audaciæ suæ dedit pœnas: *Reversæ sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eis*, Exod. 14. n. 28. & cùm vidissent Israelitæ extinctos Ægyptios, tunc magno applausu cecinerunt Canticum: *Tunc cecinit Moyses, & filii Israel carmen hoc Domino*, Exod. 15. n. 1. cur modò, & non antea cùm audiunt verbum Domini de libertate Israelis, & cùm Deus pro eorum salute tot mirabilia operabatur in Ægypto? Antea, etsi multi persecutores Ægyptiorum essent occisi, tamen plures persequentium erant superstites, modò verò omnes radicitus sublati: *Et nec unus quidem superfuit ex eis*. Victoria non est celebranda, quando aliquæ reliquiæ supersunt, sed quando omnino radix est extincta. Origenes in Exod. 15. *Ægyptiis, & Pharaone submerso, populus Dei post victoriam cecinit*; non cecinit quando primogeniti, ac multi Ægyptiorum sunt occisi, sed quando funditus eorum agmina sunt extincta.

Quando omnes reliquiæ iniquitatis sunt exstinctæ, tunc est victoria perfecta.

Secundò cùm hoc prælium factum in Cœlo 552 inter Michaelem, & Luciferum, mihi in mentem venit, statim ad aliud certamen inter virgas Aaronis, ac Magorum, initum in regio Pharaonis, cogitatione transeo. Moyses populi libertatem poscebat,

inju-

injustissimus Pharao negabat; ventum est inter Magos, & Moysen ad prælium; projecit Aaron virgam, quæ animata est in speciem draconis, projecerunt & Magi virgas suas, quæ illusoriis frudibus speciem repræsentarunt serpentum, tamen Aaronis draco avido ore, Magorum serpentes absorbuit: *Devoravit virga Aaron virgas eorum*, Exod. 7. nu. 9. & qua ratione, unica Aaronis virga in tot serpentes audet intrepidè, eosque gloriosè devincit, quando Michael fortitudine armatus, socios sanctos auxiliares advocat, ut draconem vincat? Moysis virga serpentes devorat, profectò tamen recenter natos, & qui tunc spirare cœperunt, & terram verrere; ait text. *Projecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, & devoravit virga Aaron virgas eorum;* at Michael antiquum serpentem depulit: adulto veneno robustum, & hoc specialiter visitur, si ad tempora Antichristi hæc referantur, adeo arduum est inveteratis vitiis adhibere medelam, adeo facilius erumpentibus bestiolis auferre vitam; inde jure optimo, Michael in prælio cum antiquo Serpente convocat socios, non sic Moyses in pugna cùm recenter natis draconibus, indeque in triumpho de annoso serpente cœlicolæ Deo decantant gloriam: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri;* quæ non auditur in victoria de terrenis draconibus, utpote de re magis vulgari, ac minùs difficili. Rupert. lib. 7. in Apocalyps. *Quid ille draco magnus*, ait, *ille serpens antiquus Diabolus, & Satanas, projectus est in terram cum Angelis suis, & dicunt cantores gratiæ Dei, laudatores operum Christi Filii Dei: Nunc facta est salus, & virtus;* vide de hac re tom. 1. cap. 2. quæst. 11. n. 88. 89. 90.

Ægrè adultum vitium expellitur, facilè in exortu resecatur.

553 Tertiò ex bello feliciter peracto à Michaele, ac Angelis suis, *projectus est Draco magnus, serpens antiquus, qui seducit universum Orbem, projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo;* tunc cœlites draconis: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri.* Tota triumphantium lætitia, inde nascitur, quia projectus est serpens; sed quamvis projectus serpens remansit, punita est superbia, sed non extincta est contumacia, nam serpens quantumvis è Cœlo dejectus, invidia tamen inflammatus non cessat cœlestibus bellum inferre, nam serpens temeritatis insania ardens, semper cum cœlicolis perpetuas gerit inimicitias, eorum gloriam, & majestatem invidiæ nebulis obscurare intendit, & homines quantùm potest, variis machinationibus insequitur, ac persequitur; quæ securitas à venenoso serpente, quæ antea non fuerit? maximè cùm Dei primates placida quiete fruantur ex Numinis aspectu, quo munerantur. Ex hoc ergo morale documentum accipe: Quantum distat hostis domesticus ab extraneo! antea serpens nostris domesticus, utpote in Cœlo, nunc projectus in terra, hostis extraneus; antea ut domesticus serenitatem interturbabat, & omnia bellicis rumoribus adimplebat, quoad speciem, modò verò jam extraneus, & à Cœlo detrusus, & abjectus, ejus serenitatem nullis malignantiæ nebulis poterit obscurare, nec stellis periculum movere; & qui antea secundùm nostrum modum dicendi, ut domesticus timebatur, jam ut extraneus despicitur; nec in quantum domesticus habebatur, salus, & virtus, & regnum decantabatur, ut modò cùm ipse extraneus, & projectus est factus. Rupert. ad hunc locum: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri;* sic ait: *Undè constat, ita factum esse? Quia projectus est, inquiunt, accusator fratrum nostrorum. Ergo antequam ille projiceretur in terram, non erat salus, non erat virtus? Non utique erat, sed perditio, & mors; non erat virtus, sed infirmitas, & corruptio.*

Domesticus inimicus ideterior hoste extraneo.

554 Adversùs superbissimos, & impiissimos Babelis ædificatores exacerbatus Deus, ait Genes. 11. n. 7. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui; atque ita divisit illos Dominus ex illo loco in universas terras.* Illorum superbiam castigat Deus, & dum illos sic castigat, misericorditer indulget, ut docent D. Chrysost. D. Augustin. & alii; sed quomodo in hujusmodi divisione loci, ac labii unius, apparet divina pietas? hæc maximè eluceret, si simul in uno loco cum uno idiomate conjuncti conservarentur, quomodo illorum utilitati consulitur dum dividuntur? Prævidit Deus, quòd Diabolo suggerente, inflammato invidiæ incendio, multæ dissensiones, ac contentiones futuræ essent inter eos, inde piissima benignitate consulens generi humano, voluit cavere domesticas insidias, & ut bella, ac litigia fierent ab extraneis, ac disjunctis, non verò à domesticis, ac intimè simul cohabitantibus. Sic pulchrè canit Claudius Marius Victorin. lib. 3. in Gen. postquam ait: Quamvis ultio justa, ne se agnoscant verba consueta loquentes, subdit:

Nullus magis cavendus, quàm domesticus hostis.

——— Ne prælia dura,
Et rabido populis mors arcessenda furore,
Bellum illis civile foret: sic profuit illis
Inque bonum versa est primæ distractio linguæ.

Cum civilia, ac domestica prælia sint omnium gravissima, inde generis humani divisio, valdè illi utilis fuit, quia præcavit Deus, ne domestica prælia, & civilia forent, ubi enim homines separat ab invicem, & per dissita loca spargit, simul facit, ne quæ necessum est ut veniant scandala, veniant inter domesticos, sed inter extraneos, ac maximè separatos, timendum enim erat, dum homines essent labii unius, & inter se conjunctissimi, ne tunc domestica aliqua pugna prosiliret, quæ hominum genus faceret perire.

Rigida divina sententia contra duas arbores promulgatur. Angelus in illam Nabuchodonosoris fulminat, arborem præscindit, ramos amputat, folia discutit, fructus dispergit, clamat tamen Angelus: *Germen radicum ejus in terra finite*, Daniel. 4. nu. 20. ex qua radice iterum arbor illa pullulat, comam nutrit, & fructus producit; arbor verò illa quæ Jonam circumtegebat, caputque ejus ab æstu Solis protegebat, sic exaruit, ut nunquam suum antiquum vigorem recuperaverit; cur ergo hedera hæc destituta est omni germinandi spe, cum illa alia arbor, sua antiqua viriditate ornetur? Rationem insinuat text. *Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum, & percussit hederam, & exaruit*, Jon. 4. n. 7. contra arborem Nabuchodonosoris armatur ab Angelo securis, hedera autem tineam in visceribus fovit, vermem intrinsecè in radicibus aluit, & ideò plus valet ad perdendum domesticus vermis, quàm si extraneus Angelus hostis sit, ut Arbor Nabuchodonosoris percussa extraneo securis ictu valeat iterùm repullulare, suum antiquum statum innovare, hedera verò à verme in visceribus nato, sic corroditur, ut perpetua ariditate percussa sit. Caspar Sanctius: *Misit Deus vermem*, ait, *qui arbusculæ radicem eroderet, & spem omnem oblatæ commoditatis, eluderet.* 555

Durior hostis domesticus, quàm extraneus.

QUÆSTIO LXVII.

Quare postquam projectus est accusator fratrum decantatur à Beatis: Nunc facta est salus virtus, & regnum Dei nostri.

556 SEnsum literalem jam dixi in expositione, moralem nunc quæro. Et respondet primò Rupert. in præsenti: *Quando raptus est ad Deum*, ait, *& ad thronum ejus ipsa passione, & resurrectione Filius, qua transibat ex hoc Mundo ad Patrem, perditionem, & mortem, corporum quoque mortalium corruptionem destruxit, tunc facta est salus, & virtus; salus, id est remissio peccatorum nostrorum, quæ est resurrectio animarum nostrarum, & virtus, id est, reformatio resurgentium corporum nostrorum. Tunc inquam, & ex tunc factum est regnum, imò facti sumus nos regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus in Cœlo, & in terra, quemadmodum non ante, sed postquam resurrexit ipse astruens, data est mihi, inquit, omnis potestas in Cœlo, & in terra*, Matth. 28. clamant cœlites: *Nunc facta est salus, virtus, &c.* quia projectus est accusator fratrum nostrorum: ergo antequam projiceretur in terra, non erat virtus, non erat salus, &c. non erat utique salus, sed mors, & per-

Ex morte, ac Passione Christi desumitur exordium.

perditio, non erat virtus, sed infirmitas, & corruptio, non erat apparens regnum Dei nostri, sed peccati, & mortis, non erat potestas Christi ejus, sed potestas tenebrarum harum, quæ huic Mundo dominabantur; ast postquam filius Dei Christus Dominus ex sua passione, ac morte resurrexit, & per suam ascensionem raptus est ad thronum Dei, tunc princeps tenebrarum ejectus est, regnumque peccati, mortis, & inferni destructum, & salus, virtus, potestas, ac regnum Dei nostri in nobis facta est, & *ideo non ante, sed postquam resurrexit ipse struens: Data est mihi, inquit, omnis potestas in Cœlo, & in terra.*

Ex Christo ascendente in Cœlum, gloria nostra.

557 Si iniquus adest turbatio est, si adest pax.

Secundò expende: *Nunc facta est salus, quia projectus est accusator;* quasi ante hoc dæmonis exilium, turbatum quodammodo videretur cœleste palatium, nec possent sancti Angeli divinis laudibus vacare, quandiu ille improbus divinos honores ambiebat; at cùm dejectus est, tota cœlestis Curia clarificatur, ut Dei intonet canticum: vide quæ dixi tom. 5. in Evangel. lib. 7. cap. 6. q. 19. n. 150. 151. 152.

558 Tertiò Albertus Magn. sic explicat: *Facta est salus* Ecclesiæ per gratiam operantem, seu excitantem; *& virtus*, per gratiam consummantem. Vel aliter: *Salus*, id est, peccatorum remissio; *virtus*, id est, bene operandi robur; *& regnum Dei nostri*, per vitiorum calcationem. Illud maximè notandum, quod dicitur *regnum Dei nostri*; nonne sat erat dicere regnum Dei? ad quid additur *nostri*? ipse enim est Deus omnium creaturarum; ad quid ergo dicitur, *nostri*? Pannonius: *Notanter dicitur nostrum*, inquit, *quia tam beneficus est, ut quasi totus noster sit.* Ait Paulus Rom. 8. n. 32. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* scilicet quæ spectant ad justificationem, sanctificationem, ac glorificationem.

Deus sic beneficus, ut totus noster sit.

559 Quartò devicto dracone, ac projecto in terram, magno exultationis applausu, exultant Angeli, & intonant: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus;* & causam tantæ festivitatis reddunt: *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, & ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni.* Ecce quantum subjectorum felicitas sit incrementum principis gloriæ; modò faustis acclamationibus Deo decantatur salus: *Nunc facta est salus;* & si in rigore loquamur, cujusnam facta est salus? Eorum nempe, qui à morsu draconis liberati sunt, qui ipsum ferocissimum draconem devicerunt. *Ipsi*, nempe homines, *vicerunt eum;* & tamen alta voce intonant: *Nunc facta est salus Domini Dei nostri*; sic enim conglutinata, ac unita est salus, ac vita subditorum cum salute, ac vita Domini, quod cum salus subditorum sit facta, etiam & Domini facta dicatur, ac si ipse Deus, qui ex sua intrinseca ratione, nec infelicitari, nec felicitari denuo potest, suorum decore quodammodo ornetur, eorumque infortunio, quoad speciem prematur; inde quando homines dracones prosternunt, salus Deo decantatur. Richard. Victor. lib. 4. in Apoc. c. 2. *Nunc facta est salus, quia projectus est, id est, refrænatus est accusator fratrum.*

Salus subditi, salus est & Domini.

560 Salutem, quam Dominus est operatus in Israele decantans, ac celebrans David, ait: *Salvavit sibi dextera ejus*, Psalm. 9. n. 1. non ait quòd salvavit populum, sed quòd salvavit sibi; ubi maximè est expendendus casus dandi, *sibi*, veluti commodum, ac utilitatem innuens, ac si hæc ex nostra salute, Deo proveniret, ac si principis gloria, cum subjectorum felicitate connexa sit, ita ut dum subditus à miseria sublevatur, Domini felicitas consummata, & advocata appareat. Theodoret. ad cit. locum: *Immensa benignitate utens, suum quæstum, hominum vitam duxit, propterea non dixit salvavit ipsum dextera ejus, sed salvavit sibi.*

Deus, nostrum commodum, suum reputat.

561 Cùm Sem ob suam modestiam, patrem Noe honoraret ab ipso benedicitur, dicente: *Benedictus Dominus Deus Sem*, Gen. 9. n. 26. quid agis prudentissimè senex? Deo bona imprecaris? & hoc non est benedicere filio, sed Deo, ut notavit D. Chrysost. hom. 29. *Hoc fortè quis dixerit, non est benedicere Sem.* At revera nulla major benedictio potuit Sem impendi, nam, ut subjectum Domini benedicat, Dominum ipsum benedicit: Adeo conglutinata est subditi, ac Domini fortuna, ut si unum tangit adversitas, alterius videatur evacuata felicitas, & si unus prosperis rebus extollitur, alter etiam exaltari videatur; inde Noe, ut filium Sem bonis incrementet, Dominum benedictionibus cumulat, ita enim colligata est Domini, & servi salus, ut una ab altera pendere videatur. Sic ait Chrysost. cit. *Hoc fortè quis dixerit, non est benedicere Sem; imò valde benedixit illum, quando Dominus benedicitur.*

Servi & Domini sic colligata fortuna, ut unum, & alterum æqualiter tangat.

QUÆSTIO LXVIII.

Quare Satanas dicitur accusator fratrum die, ac nocte.

LUcifer dicitur hominum accusator die, ac nocte, 562
hoc est, sine ulla intermissione; tamen aptiùs videbatur dicendum; qui eos semper accusat, nam Lucifer in æterna obscuritate damnatus, nulla potest esse diei lux. Respondet D. Greg. Mag. lib. 1. Moral. c. 5. alias 9. *Quod in die, ac nocte accusare non desinit, quia modò nos in prosperis, modò in adversis accusabiles ostendere contendit. In die accusat, cùm prosperis malè nos uti insinuat; in nocte accusat, cùm nos in adversis non habere patientiam demonstrat.* Aliter respondet D. Bernardin. tom. 1. serm. 53. art. 2. cap. 3. per diem intelligens vitam contemplativam, per noctem vitam activam, & sic ait: *Accusat die, ac nocte, quia Ecclesiam sanctam tam in vita contemplativa, quàm in activa accusans pervertere studet.* Ecce quàm malignus, & perversus hostis est Satanas; quia sive ex prosperis, sive ex adversis, sive ex vita contemplativa, sive ex activa, ansam arripit, occasionem quærit, ut nos arguat, ac accuset in Dei conspectu.

Diabolus adversarius ex omnibus quærit occasiones arguendi nos.

Ad quæstionem primò: Nostra conscientia, nostræque cogitationes, nos arguunt, & accusant, 563
juxta illud Pauli, Rom. 2. n. 15. *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*; nostra enim cogitatio, sæpè nos accusat, & defendit, ut rectè explicat D. Thom. ex illo Jobi 27. n. 6. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea;* imò ipsumme peccatum, & si nullus alius sit accusator, accusat, & arguit, ut ait in præsenti D. Ambros. *Accusamur in conspectu Dei, cùm peccamus;* cur ergo, cùm tot sint nostri accusatores Diabolus dicitur accusator? Adverte emphaticè Syrum legere: *Ille accusator*; quia per antonomasiam ille est accusator; tum quia ad peccatum excitat, tum quia post peccatum commissum, vindictam petit, optatque maximè, ut peccator ad inferos detrudatur, undè Haymon ait: *Accusatio Diaboli nihil aliud est, nisi ad malum præcipitatio; tunc enim accusat, quando dignos accusatione reddit, non loquendo exteriùs, sed ediendo interiùs.*

Conscientiæ ac peccatū accusant.

Diabolus accusat postulans vindictam.

Secundo cœlestes spiritus pungunt Diabolum, 564
dum ipsum fratrum accusatorem appellant, & tamen Spiritus Sanctus per Salomonem ait, Proverb. 18. n. 17. *Justus prior est accusator sui.* Justus se accusat, & Diabolus etiam accusat; quodnam discrimen est inter utrunque? Justus si quid peccaverit, non defendit, non accusat aliorum facta, nec mordet, at injustus peccata à se commissa defendit, aliorum facta fugillat, ad instar Diaboli qui criminatur, qui falsis accusationibus mortalium facta mordet. Origenes homil. unica in Libros Reg. *Illud*, ait, *in cursu contingere necessarium videtur, mirum enim continet sensum, quia scriptum est: Justus est accusator sui in principio sermonis; cùm tamen injustus non sit sui accusator, sed aliorum, sicut Zabulon fratrum suorum.*

Justus sui est accusator; injustus aliorum.

Tertio: *Projectus est accusator fratrum nostrorum;* 565
solusne Lucifer est hominum accusator apud Deum? nonne etiam alii Angeli apostatæ? quomodo ergo unum tantum exprimunt accusatorem fratrum projectum esse? Dicimus tamen, quod unicus nominatur, quia unus est princeps, à quo alii mittuntur ad accusandum; deinde etiam dicimus tantam

Multa dæmonum unio, ut hominibus noceant.

esse

esse Dæmonum concordiam in malefaciendo, ut omnes quasi unus censeri possint. Favet Cardinal. Hugo: *Projectus est accusator, hoc dicunt, ut significent uniformem intentionem dæmonum*; ut hominibus, nempe noceant, & ex omni parte damnum inferant.

566 Quartò altè, & profundè expendendum, quod dicunt sancti Angeli: *Projectus est accusator fratrum nostrorum*; non dicunt, ut revera de illo dici poterat: Projectus est tentator, insidiator fratrum nostrorum; vel: Projectus est crudelis hostis fratrum, qui tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem devoret; sed tantùm: *Projectus est accusator fratrum nostrorum*. Inter omnia mala, illud valdè durum, & acerbum, his convivere, & conversari, qui curiosi (ut eos appellabant Romani) defectuum indagatores sunt, si quid peccatum est diligenter explorant, & observant, ut accusent, & arguant, quo maximè sauciatur cujusque animus. Cùm Joseph puer Patris deliciolum moraretur in pascendis gregibus: *Erat cum filiis Balæ, & Zelphæ uxorum patris sui; accusavitque fratres suos apud Patrem crimine pessimo*, Gen. 37. n. 2. ex quo potissimùm hi ancillarum filii, cum quibus versabatur Joseph (Ruben quidem, & Judas mitiùs agebant) acerbissimo odio exarserunt adversùs fratrem delatorem, indeque etiam tot tragœdias excitarunt: si sic improbitas probo etiam accusatore commovetur, sicque molestè contubernalem sustinet correctorem, quid erit quando iniquus delator sinistro odio commovetur?

Valdè duram & molestum cũ accusatoribus vivere & habitare

567 Insidiosa, ac maligna invidia insurrexit Cain in Abel, ipsumque interfecit, indeque pro tanto crimine in judicium Deus advocans Cain, at illi: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; quid tunc in omnis posteritatis terrorem, & exemplum? adest Deus celer parricidii vindex; sententiam ex divino ore audiamus: *Nunc ergo maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos; vagus, & profugus eris super terram*, Gen. 4. n. 12. quid est, quòd tam miti supplicio conceptum de tanto scelere furorem Deus evaporat? Ubi est illud: *Oculum pro oculo, dentem pro dente, sanguinem pro sanguine, vitam pro vita*? nullum sanè crimen atrociùs hoc Cain fuit, ipse enim primus jura fraternitatis violavit, primusque homicidium perpetravit, ipse primus insidiator Orbis, quem puro, & sancto sanguine fœdavit; ubi est ergo tanti sceleris multatio? Ejus tamen gravitatem acutè vidit D. Ambrosius ad accusatricem terram sic argutè loquens lib. 2. de Cain, & Abel cap. 9. *Est etiam terra testis, quæ cepit sanguinem; & benè ait: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra; non dixit, de fratris clamat corpore, sed de terra clamat. Et, etsi frater parcit, terra non parcit, si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis, & vindex; testis acrior, quæ adhuc parricidii tui sanguine madet, & ideo gemens, & tremens jubetur esse super terram*. Rigidissima sententia punitur, & ad talionem damnatur, ut propriissima Abelis vita ablata, ad turpissimam vitam cum omni molestia, ac pœnalitate condemnetur, ut perpetuò degat super terram, quæ sui criminis est accusatrix: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; vivat ergo Cain in terra, & cum terra, ut ipsam acerbam accusatricem patiatur: *Et ideo gemens, & tremens jubetur esse super terram*. Quantum accrevit culpa, tantum sibi à Caino vindicat pœnæ terribilis sententia. Mortem fratri Abel intulit: non moriatur ergo Cain igne misso de Cœlo, vel terra aperta sub pedibus, ne unquam mortem citiùs subeat, sed diu vivat super terram, quam studiosè accusatricem sustineat; convivat terræ, conversetur diu cum terra, quæ illum perpetuò sceleris sui arguat, & hiatibus apertis, tanquam verbis, illum accuset, & condemnet; & quid durius, quàm cum perpetuo accusatore vivere?

Acerba pœna vivere cum accusatore

568 Grande supplicium minatur Deus contra peccatores in Sion, quorum pœnæ gravitatem exaggerans Isai. 33. n. 24. ait: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Explicat Propheta dolores pœnales incendii, quibus sceleratæ animæ immortalitas premitur; & deinde in ipso igne gehennali aliquem novum ardorem ab igne distinctum agnoscit, ut explicant ultima verba: *Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Maximè expendendum illud verbum, *habitabit*; & quænam pœna est hæc in ipso ardore ignis præter adustionem? Opportunè, ac eleganter Eusebius Emissenus homilia prima ad Monach. *Illa*, ait, *non casualis, sed rationabilis, ac pœnalis exustio, quia culpam jubetur inquirere, substantiam nescit absumere*: Ecce tibi quid habeat peculiare gehennalis ignis præter suam adustionis molestiam, habet enim peracerbum illud habitare cum rationabili gehennæ exustione: *Quia culpam jubetur inquirere*; nam non solùm animam sua adustione cruciat, & torquet, sed insuper culpam perveștigat, culpam publicat, culpam perpeti mortificatione arguit, & accusat, ac si gehennali pœnæ nova acerbitas addatur culparum, nempe inquisitio. Sic ait etiam Cassianus collatione 5. c. 10. *Ille inextinguibilis, & inquisitor meritorum omnium, nam sicut Caini parricidium, de tanti sceleris reatu damnatur, ut gemens, ac tremens habitet super accusatricem terram, sic etiam damnatorum pœna exaggeratur dum ipsi habitant cum ardoribus sempiternis eorum malitiam, ac nequitiam arguentibus, & accusantibus.*

Pœnalissimum habitare cum ardoribus nos accusantibus.

QUÆSTIO XLIX.

Quomodò tam dirus, & crudelis accusator vitandus sit à nobis; deinde agitur cur sancti Angeli dicantur fratres nostri.

PRimò ipse malignus spiritus accusationis insinuat se in cordibus impiorum, ex quibus mittit segetes calumniarum adversùs virtutem, & veritatem; vitandus est à nobis virtute Spiritus Sancti, nam si iste accusator fratrum projectus est, & etiam immissus nobis est Spiritus Paraclitus, quem misit Pater, ut vel inter malorum accusationes, & calumnias sit defensor, ac custos virtutis, & veritatis, pro eisque suffragium ferat. Ad hoc spectat D. Irenæus lib. 3 cap. 19. *In omnem terram*, ait, *misit è cœlis Paracletum, ubi & Diabolum tanquam fulgur projectum ait Dominus; quapropter necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur, neque infructuosi efficiamur; & ubi accusatorem habemus, illic habeamus & Paracletum*. Inter mille calumnias, inter innumerabilia mendacia, inter pessimos errores à spiritu maligno disseminatos, ne veritas suffocetur, ac comprimatur, cœlestis Pater nobis providit in terris advocatum Spiritum Sanctum: nunquam veritatis causa potest esse deserta, cùm pro se tantum habeat suffragium, & advocatum. 569

Causa veritatis nunquam potest esse deserta.

Secundò tam malignus, ac perversus accusator vitandus est à nobis, patrocinio, ac defensione sanctissimæ Mariæ Virginis, nam Satanas est nostri accusator in conspectu Dei, ante cujus tribunal sanctissima Virgo Maria ab accusationibus dæmonis nos protegit, ac tuetur, ut singularis omnium nostrorum patrona, & advocata. Richardus de Sancto Laurentio lib. 1. de laudibus Mariæ, titul. *Mariæ Comes*, ubi sic ait: *Protegit nos ab accusationibus detractorum, & à conventu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem. Protegit etiam ab accusationibus dæmonum, qui accusant justos in conspectu Dei die, ac nocte, id est, assiduè vel die, ac nocte, scilicet de dissolutione per prospera, & murmure per adversa.* 570

Maria Virgo Justos à accusatione Dæmonis protegit.

Tertio iste perversus accusator nostra propria accusatione vitandus est, nam licèt aliquando dæmon multa falsa crimina imponat, tamen aliquando veras profert accusationes ante conspectum Dei: quid ergo à nobis agendum est, ne apud sanctissimum judicem, qui nihil impunitum relinquit, à pessimo delatore accusemur? Ut priùs sanè nos ipsi à delictis nostris accusemus, & peccata nostra confiteamur. Haymon: *Ab accusatione*, ait, *ille liber apparet, qui in se accusare studet, quod ab adversario suo accusari posse cognoscit.* 571

Ille qui se ipse accusando discutit à Diabolo.

Quar-

572 Quartò declinandus est iste malignus accusator custodia, ac protectione sanctorum Angelorum, quorum tanta est charitas in homines, ut nos dicant fratres, ratione gratiæ adoptivæ, ac sanctificantis, ratione cujus filii Dei vocamur, nam licèt homo, & Angelus natura, ac substantia differant, tamen ratione gratiæ datæ in uno vero Deo, tanquam optimo parenti, ac glorificatori unimur; & in hoc magna hominum dignitas apparet, quod Angeli sancti eos dicant fratres. D. Bernardinus Senensis tomo 1. serm. 53. art. 2. cap. 3. *Sciendum*, ait, *quòd tam Angeli, quàm homines fratres dicuntur, filii quidem unius Patris, scilicet Dei, quorum primos accusabat Satanas in cœlis, secundos adhuc non cessat accusare in terris, utrisque impeditorem se obiiciens salutis; die quidem accusabat Angelos, quos in claritate angelicæ vitæ constitutos accusabiles intendebat, nocte verò accusabat homines, quos in tenebris præsentis vitæ, Deo accusabiles reddere nitebatur.*

Magna hominum dignitas, quod ab Angelis fratres dicantur.

573 Hanc ergo charitatem sanctorum Angelorum erga hominem, non solùm ostendunt verbis, dum eos fratres dicunt, sed etiam multis operibus dum eos custodiunt à multis insidiis, periculis, ac tentationibus, quas contra eos machinatur, ac tendit iste projectus accusator, ipsique Angeli maximè invigilant pro hominum salute, & ut eos adjuvent, ne periculis succumbant. Cùm Princeps Apostolorum teneretur ab Herode in carcere, ibique Petrus vinculis ferreis obstrictus multum vexaretur, *ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri excitavit eum dicens: Surge velociter*, Actorum 12. num. 7. cur tamen Angelus mittitur pro Petro liberando? Petrus magna potestate, ac virtute fulgebat, qua posset carceres aperire, vincula rumpere, siquidem alios à mortis vinculis, à sepulchrique fœtore vivos educebat; voluit tamen Deus in hoc, hominum honori, ac Angelorum voluntati, ac oblectationi consulere, homines honorans, quòd Angeli eorum sint protectores, ac defensores; Angelorum voluntati, ac gaudio satisfacere, maximè enim ipsi gaudent, cùm hominum causas agunt, eisque sunt in tutelam, & adjuvamen. Divus Chrysostomus homilia 26. in Acta Apostolorum sic ait: *Quare illos non per se ipsos sic liberat? quare etiam hac in re honorat illos Deus per Angelos eripiens?* de quo multa dixi tomo 1. & vide verbum *Angelus* in Indice.

Ministerio Angelorũ custoditur natura humana.

Apoc. 12. n. 12. Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis: Væ terræ, & mari, quia descendit ad vos Diabolus habens iram magnam, sciens, quod modicum tempus habet.

VERSIONES.

Syriacus. Propterea hilares estote, ô Cœli, propterea quod descendit impostor habens iram magnam, cùm noverit paululum temporis sibi esse.

Arabicus. Propterea lætamini cœli, & habitantes in eis; Væ terræ, & mari, quoniam Diabolus descendit ad utrunque, plenus ira magna, ut qui sciat tempus suum exiguum.

Primas. Propter hoc exultate cœli: Væ vobis terra & mare quia descendit cum ira ingenti, sciens modicum tempus superesse.

Vatablus. Væ habitantibus terræ, & maris, &c. sciens quod paululum temporis habet.

Arias. Descendit habens animum magnum.

EXPOSITIO.

574 *Propterea lætamini Cœli, & qui habitatis in eis.* Alcazar: *Nomine Cœli*, ait, *videtur denotari Ecclesia, & fideles, qui in ea habitant*; & secundùm ejus mentem videtur hoc respicere Ecclesiam militantem. Cornelius verò, ad Ecclesiam triumphantem refert, ac si omnes cœlestes ad tantum gaudium, ac lætitiam invitentur. Simpliciter dicendum, quòd nomine Cœli, ipsimet Cœli intelligantur, nam ex dejecto Diabolo, tanta est exultationis ratio, ut etiam ipsimet Cœli præ magnitudine lætitiæ, ad lætandum invitentur; sicut sæpè David & Isaias invitant ad lætandum, montes, colles, & ligna sylvarum Messiæ, quo significatur magnitudo lætitiæ, ac ingens animi affectus, qui tantus est, ut etiam inanimata, si fieri posset, deberent exultare, & lætari. Et confirmatur; quia noster textus contradistinguit lætitiam cœlorum, à lætitia eorum qui habitant in eis: ergo non pro ipsis habitantibus est sumendum.

Vera sententia.

Væ terræ, & mari. Hæc respiciunt, quando post prælium Michaelis cum Diabolo in cœlo, ipse ab eo dejectus est, & inde præ gaudio magno lætantur cœlites, & ingeminant hìc lamentum, super habitantes in terra, & insulis, ac navigantes per mare, ob magnas tentationes, persecutiones, ac insidias, quæ fient à Diabolo. *Quia descendit ad vos*; projectus è cœlo. *Habens iram magnam;* nam cùm Diabolus se videret ejectum è cœlo, malo animo, & magna ira movebatur in homines, quia videbat hominibus assignatum locum in cœlo, ex quo ipse, & socii ejus fuerant excluſi, & projecti. *Sciens, quod modicum tempus habet;* scilicet usque ad diem judicii. Et dicitur modicum tempus per respectum ad æternitatem; quo & sensu dicitur sanctis martyribus postulantibus judicium de suo sanguine: *Ut requiescerent adhuc modicum tempus*, supra Apocalyps. 6. num. 11. de quo latiùs quæstione sequenti. 575

Verus sensus.

QUÆSTIO LXX.

Quare cœlites dicunt Væ, ac gemunt super mare, & terram.

576 At Textus quod dicunt habitantes in cœlis: *Væ terræ, & mari, quia descendit Diabolus ad vos, habens magnam iram. Et primò*, ait Cornelius, *sensus est, quasi dicat: Diabolus videns se ab heroibus, & martyribus, atque ab Elia, & Enoch victum, & prostratum, cœloque quasi dejectum indignabitur, iraque suas evomet in cæteros homines, qui in terris, vel insulis habitant, ita ut in eos fumos, & flammas efflare videatur.* hæc ille, & in hac sententia sunt Menoch. Mag. Joann. de la Haye.

577 Hæc tamen sententia impugnatur, quia graves patitur difficultates; & primò, quia post victoriam Eliæ, & Enoch, & heroum illorum, & quod ipsi gloriosè ascendant in cœlum, ut dicitur cap. 11. n. 11. tunc ut ipsi auctores dicunt, & nos infra dicemus, per multos annos erit pax, & felicissimum tempus, & pro tunc nulla est causa hujus *Væ* inclamandi super terram, & mare: ergo potiùs geminandum est *Væ* respectivè ad tempus Antichristi, ut statim dicam. Secundò, ut patet ex cap. 29. n. 9. post illud tempus antichristianæ persecutionis, Diabolus mittendus est in stagnum ignis, unà cum Antichristo, & ejus pseudoprophetis: ergo tunc non est verum dicere: *Quia descendit ad vos Diabolus*. Tertiò, quia ipsimet auctores ad illud: *Descendit Diabolus ad vos, habens magnam iram, sciens, quòd modicum tempus habet*; sic exponunt modicum tempus; hoc est per tres annos, & dimidium. Sed contra: Tota causa iræ Diaboli est, quia projectus est de cœlo, de Ecclesia nempe, & victus est ab Elia, & Enoch; sed per tres illos annos, & dimidium, non est projectus de cœlo, tunc enim magnam faciet stragem in fidelibus: *Erit tunc persecutio, qualis nunquam fuit ab initio nec erit*; nec per tale tempus victus fuit ab illo, imo potiùs Antichristus *vincet illos, & occidet eos*, ut dicitur Apocalyps. 11. n. 7. ergo per illos tres annos & dimidium, Diabolus non est projectus de cœlo, nec victus ab Elia, & Enoch, sed hi duo magni Prophetæ in fine illorum annorum vincent Antichristum, cùm glorio-

Impugnatur.

sè

sè aſcenderint in cœlum, ut dicitur citato capite undecimo, quod ex dicendis ſequenti verſu 13. maximè confirmabitur.

578 Vera ſententia. Dicendum eſt ergo, ut etiam in præſenti docet Ferrarius, quòd hæc referantur ad ipſum prælium Angelorum, ac proinde pro celebritate, ac exultatione tantæ victoriæ ad ejus gaudium convocant cœlites cęlos, & omnes illorum cohabitatores. Et hoc maximè ſuadet ſeries textus, nam ſupra verſu 7. & 8. refertur prælium, & victoria, & deinde verſu 9. decantatur *ſalus, & virtus Deo noſtro*; eique pro tanta victoria exhibentur gratiæ, quia projectus è cęlo accuſator fratrum ſuorum, qui homines accuſabat ut indignos, qui ad tantam gloriam aſſumerentur, cùm ipſi maximè probarentur digni, cùm virtute ſanguinis Agni, draconem vicerint, contemnendo vitas ſuas uſque ad mortem; indeque ipſi Angeli pro lætitia tantæ victoriæ, convocant cęlos, ac cęlites, ingeminantque *Væ* ſuper terram, & mare, quia ad illos deſcendit Diabolus cum multa ira, & videns ſe excluſum è cęlis, & quòd homines ad ejus locum aſſumantur.

Verague ſeries textus.

579 Objectio. Nec obſtat id quod ſubditur: *Sciens quod modicum tempus habet*; nam totum tempus à lapſu dæmonis, uſque in diem judicii non videtur modicum tempus.

Duplex ſolutio. Multipliciter reſponderi poteſt. Dicitur modicum tempus reſpectivè ad iniquum deſiderium Diaboli nocendi hominibus, cujus reſpectu omne tempus videbatur modicum. Secundò idem conficitur reſpectivè ad completam ipſius Diaboli damnationem, nam ipſe excluſus è cęlo, & in terram dejectus, jam nimis inſtare ſibi videbat carcerem infernalem, in quo poſt diem judicii eſt recludendus, quod maximè ipſe timet, & recuſat, & ideò dæmones ejecti ab homine Luc. 8. nu. 31. *rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyſſum irent*, ſed *mitte nos in porcos*; & inde valde acriter in homines ſæviebant. Haymon: *Tanto ferventiùs*, ait, *ſævit adversùs illos, quantò viciniorem ſibi ſentit adeſſe pœnam.*

580 Tertia ſolutio, & maximè genuina. Tertiò, & maximè genuinè: Totum illud tempus dicitur modicum, reſpectivè ad æternitatem, ac ævum cęleſte, cùm enim in illo eſſet creatus, à quo ſe quodammodo videret privatum, & dejectum in terram, & exinde inter temporis anguſtias coarctatum, exiſtimavit ſe modicum temporis habere, ad agendam conceptam expeditionem in homines, & in univerſum omne tempus hujus ſæculi reſpectivè ad æternitatem modicum, & breve eſt; ſic ſanctis martyribus poſtulantibus judicium, & vindictam de ſuis tyrannis, ſupra cap. 6. n. 11. *dictum eſt, ut requieſcerent, adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt*; qui numerus complendus eſt in die judicii. Sic & noſter Joannes, totum tempus quod eſt à redemptione facta, uſque ad diem judicii, noviſſimam horam appellat epiſtola prima, capite ſecundo, numero 18. *Filioli noviſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc multi Antichriſti facti ſunt; undè ſcimus, quia noviſſima hora eſt*; ubi noviſſima hora ponitur pro toto illo tempore. Hanc expoſitionem tradit Anonymus, & ait: *Modicum tempus præſens intelligitur vita, de qua Apoſtolus ait: Filioli noviſſima eſt hora; & ſi computemus omne tempus ab exordio Mundi, uſque ad finem ſæculi, æternitati comparatum breviſſimum eſt: quia ergo Diabolus in proximo ſe ſcit eſſe damnandum, ad exercendum malitiam ſuam, anguſtum videtur eſſe hoc tempus, quamlibet prolixis morarum ſpatiis proteletur.*

581 Deplorandæ in quorum ſorte. Cęlites merito dicunt *Væ*, lamentum, ac gemitum edunt ſuper terram, & mare. Super terram, hoc eſt, homines terrenis deditos, ut exponit Anſbertus; ſuper mare, id eſt, ſuper homines ſuperbos, & elatos, de quibus ait Judas Apoſtolus in ſua Canonica numero 13. *Hi ſunt fluctus feri maris, despumantes ſuas confuſiones.* His dicunt cęlites lamentum, & calamitatem, non ex odio, ſed ex zelo, & amore propter Chriſtum, à quo tanta, & tam magna homines acceperunt, & tamen ipſum Chriſtum Dominum relinquunt, ut Diabolo tot, & tantis vitiis adhæreant, & ſerviant. Divus Thomas: *Væ terræ, & mari*, ait, *intelligitur, quod Angeli zelo juſtitiæ indignantur contra malos, qui Deo juſtorum protectori non adhærent, & Diabolo ſubjiciuntur.*

Secundò dicunt Angeli: *Væ ſuper mare, & terram*; & rationem aſſignant: *Quia deſcendit ad vos Diabolus.* Et ſanè nulla major infelicitas contingere poteſt, quàm quòd Diabolus ad aliquem deſcendat, ad eumque accedat, nam cum illo omnia mala, quæ excogitari poſſunt, confluunt. Rupertus Abbas: *Væ terræ, & mari*, ait, *videlicet omnibus, qui cœlum non merentur eſſe, nec dici: Quare? quia ad vos deſcendit Diabolus. Apoſtrophen fecit ad illam terram, & illud mare, quaſi requiſiſſent dicentes: Quare væ? & undè nobis væ? Diabolus inquit deſcendit ad eos.*

582 Nulla major infelicitas, quàm deſcenſus Diaboli.

Quis valet dinumerare plagas, ac ulcera, quis æſtimet dolores, quos in Job Diabolus intulit? *Percuſſit Job ulcere peſſimo à planta pedis, uſque ad verticem ejus*, cap. 2. numero 7. Cùm Jobus in bonis externis eſſet impugnandus, vide quot pugnæ ſocios ſibi adjungat Diabolus; Sabæorum exercitus convocat irruentes in boves, & aſinos, armatas Chaldæorum turmas excitat, quæ paſtores invadunt, ignem trahit è cęlo, qui abſumat ſegetes, furentes commovet ventos qui filiorum concutiant domos; verùm, ubi nocendi viro accepit poteſtatem, ad eum deſcendit Diabolus, ipſe ſolus percuſſit, ac ſi veluti ipſe ſolus inſtar omnium tormentorum, ac malorum ſufficeret, ad diſcerpendum, ac dilacerandum. Quæ non fecerat fornax, ulcera, quæ non fecerat ſartago ardens, quos non cauſarant rabidiſſimæ peſtis cruciatus, hos omnes faciebat in Job unus dæmonis tactus. Divus Chryſologus in Catena Græca: *Manus dæmonis*, ait, *acerbiore ſenſu doloris, quàm quælibet ſartago, fornax, & quævis flamma eum oſſumeret, & qualibet fera immanior, undique corpus circumroderet, ac devoraret.* In magnis, & acerbiſſimis tormentis alias cruciatuum cauſas non quæras; non fingas tibi in ejus doloribus, Babylonicas fornaces, non Machabæorum ſartagines, non rugientes feras, unam ibi intereſſe puta dæmonis manum, & hæc una præ cunctis omnibus durior, & immanior eſt ad homines diſcerpendos, ac excruciandos.

583 Diaboli manus ſuper omnia homini acerbiſſima.

QUÆSTIO LXXI.

Quare Diabolus ad homines deſcendit cum tam magna ira.

RAtio literalis ſæpè eſt aſſignata tam in expoſitione, quàm ſuperiori quæſtione; quia videbat ſe excluſum à cęlo, in cujus locum videbat homines aſſumptos, quod erat illi vehemens dolor, ut dicitur Heli, dum ipſe, & filii ejus denuntiantur excluſi à templo, ac miniſterio ejus: *Videbis æmulum tuum in templo, in univerſis proſperis Iſrael*, 1. Reg. 2. num. 32.

584

Secundò Anſbertus: *Nota*, ait, *quod hìc tanguntur duo modi impugnationis tempore Antichriſti; unus erit per ſimulationem humilitatis, & notatur, cùm dicitur, deſcendit; alius erit per apertam crudelitatem, cùm dicitur, habens iram magnam.* Non dicunt Cęlites, Væ mari, & terræ, quia venit ad vos Diabolus, ſed quia deſcendit habens iram magnam; in quo denotatur magna perſecutio Diaboli, ſeu Antichriſti, nam in verbo *deſcendit*, innuitur humilitas, in *ira magna* crudelitas; & nulla major perſecutio, quàm illa, in qua crudelitas tegitur, & involvitur humilitate, ac manſuetudine.

585 Magna perſecutio crudelitas cum ficta humilitate.

Tertiò Joachimus: *Quia Diabolus*, ait, *devictus à martyribus, paſſus eſt ab eis inexpertam ruinam, profectò cognovit, quòd modicum eſſet tempus, & quaſi mentaneum regni, undè & immaniùs agere cœpit in ſuos, debilitatus à ſanctis, quærens in eis, qui ſibi obtemperarent, quaſi duplicata talenta facinorum in eis recuperaret, quod ſe dolebat amiſiſſe in ſanctis, ſciens eos duplo quàm erant priùs, filios gehennæ.* Undè Diabolus ſic deſcendit cum tanta ira, ſciens quia modicum tempus habet, quia cùm Diabolus ſe videret ab electis expulſum, duplicata ira deſævit in ſuis repro-

586 Diabolus quod in aliquibus amiſit, in aliis recuperare

reprobis, quos in manu sua habebat, ut id quod amiserat in electis, recuperaret in Reprobis, eos duplo nequiores efficiens; quod in illis amisit, in istis recuperare intendit.

587 Quartò D. Gaudentius tract. 18. postquam disseruit, quod Diabolus in lege antiqua terrificabat homines timore divinæ justitiæ, inducens eos in desperationem; sic ait citatus Sanctus Pater: *Nam post adventum Christi, duplicato contra hominum genus furore succenditur, sciens quia modicum tempus habet, sicut scriptum est de illo; debita conservorum suorum, quæ in potestate Domini sunt, relaxare se falsò promittit, dum vanam vel infide, vel in opere peccantibus indulgentiam pollicetur, non imputari ad peccatum ea scelera, quæ ipsi etiam, qui committunt, gravia esse crimina non ignorant.* Dupliciter Diabolus sua ira, ac furore desævit in genus humanum; & primò in lege antiqua, dum timore divinæ justitiæ, homines territabat, ut eos in desperationem impelleret; nunc verò secundò, post Christi adventum descendit ad nos ira magna, multùm extollendo Dei misericordiam, cujus indulgentiam facilem esse persuadet, ut homines ad concordiam perducat, & ex multa Dei pietate impunitatem peccatorum falsò sibi fingunt. Dum Diabolus Dei justitiam exaggerabat, & homines nimio timore premebat, iram modicam habere dicitur, at dum nimiam Dei misericordiam effert, ac extollit, ira magna de illo affirmatur: Nulla gravior est persecutio, nulla major tentatio, quàm quòd Diabolus homines in eam præsumptionem inducat, ut ex divina indulgentia occasionem arripiant ad omnem iniquitatem, & malitiam perpetrandam, hoc enim dicitur ira magna, nam post adventum Christi, *duplicato contra hominum genus, furore succenditur.*

Summa misericordia, confidentia miseriordiæ peccatores.

588 Quintò Rupertus intelligens per terram judæos terrenis deditos, & per mare gentes in vitiorum amaritudine ante prædicatum Evangelium, sic ait: *Descendit ad vos Diabolus, habens iram magnam; in quo ira ejus, quam nunc habet sic descendens, discernere possumus, quod verè magna sit, comparatione ejus iræ, quam priùs habuit? In eo videlicet, quod priùs vos faciebat errare per ignorantiam, nunc autem facit vos blasphemare per invidiam. Hæc est ira magna, invidia maligna vobis inspirata.* Et undè draconis ira tam magna apparuit? nondum persecutiones excitaverat, nondum fecerat terram per tyrannos, madere sanguine, nondum fratres armaverat in fratres; undè ergo ejus ira potuit magna videri? Diabolus totus plenus, ac repletus invidia, invidiam intendebat seminare, à qua tanquam à seminario debebant pullulare iræ magnæ, ac iniquitates plurimæ, nam invidia homines excæcati, exurgerent in Cœlum Dei ponentes os suum, & invicem ipsi homines sese morderent: *Hæc est ira magna, invidia maligna vobis inspirata.* Invidia à dracone inspirata, & seminata in humanis cordibus, magnarum irarum est radix; invidia nihil mediocre sapit in iris suis, sed semper ad extremum exitum sævire amat.

Ira, persecutio, quæ ab invidia paritur gravissima.

589 Post auditam judæorum accusationem contra Jesum, quem judæi comprehenderant, & adduxerant ad Pilatum, ait Text. Matth. 27. n. 18. *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum;* & undè cognovit Præses quòd Dominus ex nullo alio motivo comprehensus, & traditus erat, nisi ex invidia? Hoc deprehendit ex pertinaci odio, ex crudeli eorum accusatione, ac instantia, quæ sola durissima Jesu morte sopiri poterat; quæ enim mala ex invidia nascuntur, nullo modo quiescunt, nisi extrema calamitate illata. Ad hoc spectat D. Nazianzenus orat. 4. extremum illum furorem, qui Crucem Salvatoris invenit, invidiæ attribuens, & ait: *Ex populi multitudine, & frequenti signorum editione, & miraculis, quæ homines ad Evangelium deducebant; ex his porrò invidia nata est, ex invidia odium, ex odio insidiæ, & proditio; hinc postremò Crux.* Summus furor usque ad mortem, ex alio non potuit parturiri, nisi tantum ex invidia.

Persecutio nata ex invidia valde crudelis.

590 Refert D. Matth. 28. n. 11. quod post gloriosam Domini resurrectionem, *quidam de custodibus venerunt in civitatem, & nuntiaverunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant; & congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli ejus, nocte venerunt, & furati sunt eum,* &c. Ecce inter tot dominicæ resurrectionis clarissima signa, inter ipsam custodum testificationem, adhuc judæi pecunia data intendunt Jesum tenebris occultare. Ad conspectum Jesus, lapides frangunt, monumenta aperiuntur, milites testificantur, & sola judæorum immobilis perseverat invidia, quæ nec morte, nec passione, Cruce, ac sepultura potuit satiari, sed adhuc in mortuum, & sepultum vult suam malignitatem diffundere; hinc dicit D. Zeno lib. 2. serm. 6. *Ut Isaac non periturum ad aram, ita ad Crucem Christum sublimandum, nefarii produxerunt, sed quia nescit æternitas mori, aut Dominus post sepulchrum, & ad judæos remansit sola damnatæ voluntatis invidia, quia Dominum nec agnoscere voluerunt;* expende illud: *Et ad judæos remansit sola damnatæ voluntatis invidia.* Mors à Jesu excesserat, pœnæ universæ fugerant, opprobria in gloriam convertebantur, sola apud judæos invidia immota erat: Nullis, mihi crede, operibus, miraculis, ac tormentis cedit invidia. De illa ait D. Zeno lib. 1. sermone 17. *Pascebantur furientes; qui pascebat, impugnabatur; vita mortuis reddebatur, & is qui vitam tribuebat, insidias vitæ per invidiam sustinebat; dæmones fugabantur, & imperanti dæmonibus, doli ab hominibus tendebantur.* sic pergit citatus Pater, ostendens nullis miraculis, vel operibus invidiam frangi.

Pertinacissima est invidia, & nullis quiescit, ac frangitur.

Apoc. 12. *n.* 13. Et postquam vidit draco, quòd projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum.

Num. 14. Et datę sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, & tempora, ac dimidium temporis, à facie serpentis.

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Persecutus est illam mulierem.
Arabicus. Cæpit quærere mulierem, quæ peperat filium masculum.
Primas. n. 14. Datæ sunt mulieri quasi alæ duæ, ut aleretur à facie Antichristi.
Arabicus. Ut alererur ibi à conspectu serpentis.

EXPOSITIO.

591 *Postquam vidit draco, quòd projectus esset in terram.* Nodus satis difficilis apud gravissimos authores, Viegas, Ribeira, La Haye; at Cornelius difficultatem dissimulans pertransit, nam cùm ipsi exponant, quòd hìc directè proponatur prælium inter christianos duce Michaele, & antichristianos, duce Satana, gestum, & absolutum morte Antichristi, & quòd ipse draco devictus, ac projectus fuerit à mente prædestinatorum, ac fidelium robustè pugnantium pro fide Christi, difficultas est, quomodo nunc dicat sacra revelatio quòd ipse draco devictus, ac projectus persecutus est mulierem, & nova bella contra Ecclesiam instauraverit? nam post mortem Antichristi, & extinctam ejus persecutionem, dracone devicto, nulla alia procella exorta expectatur. Hæc difficultas maximè torquet ipsos auctores, & in varias solutiones facit abire.

Difficultas hujus sententiæ.

592 At in nostra sententia, qua dicimus, quòd hìc directè significatur prælium Angelorum, symbolicè prælium in Ecclesia, omnia sunt facilia. *Postquam vidit Draco, quòd projectus esset,* nempe ex cœlo empyreo, *persecutus est mulierem;* Ecclesiam nempe sanctam, quibus potuit modis, præsertim & gravius tempore Antichristi. *Quæ peperit masculum;* nempe Christum D. in animabus fidelium; vel quæ peperit ipsos fideles, milites fortes Christo D. ut dixi supra expos. 5.

Vera sententia ponitur.

Et datæ sunt mulieri; nempe Ecclesiæ. *Alæ duæ Aquilæ magnæ.* Variè exponitur, de quo infra. *Alæ duæ;* scilicet

593 Literalis sensus.

licet novum testamentum, & vetus; vel vita activa, & contemplativa; vel amor Dei, & proximi. Nomine aquilæ, hìc intelligitur Deus, qui has duas alas dedit, ac concessit Ecclesiæ suæ, *ut volaret* celeriter, ac velocissimè *in desertum*, abditum & separatum locum, maximè meditationi, ac contemplationi opportunum. *In locum suum*; quem ei Deus præparavit, ut in eo sustentaretur, ac liberaretur, de quo dixi supra, vers. 6.

594 *Ubi alitur* cibo nempe spirituali sacræ doctrinæ. *Per tempus & tempora, & dimidium temporis*. Licèt hoc multi explicent de tempore Antichristi, tamen simpliciter, ac verius dicendum est, *per tempus & tempora*, ac *dimidium temporis*, significari omne tempus, ut cum D. Ambrosio dicam, à passione Christi, seu à fundata Ecclesia in gentilitate, usque ad finem Mundi, ut latiùs ostendam, & sigillatim explicabo infra qu. 78. n. 650. *A facie serpentis*, ut de illo triumphans; licèt tamen sub ejus obtutu, quia serpens insidiaturus, semper illam observat, an possit mordere, seu deglutire, ut intendit per hæreticos, & malos homines.

QUÆSTIO LXXII.

Quid in præsenti significent hujusmodi alæ aquilæ magnæ.

595 SEnsum literalem jam dedi in expositione, quòd hæ duæ alæ datæ huic mulieri, scilicet Ecclesiæ sanctæ, sint vita contemplativa, & amor Dei, & proximi; vel, ut inquiunt D. Ambros. Primas. duo testamenta, quibus Ecclesia sancta volat in desertum, hoc est, in cœlum, de quo dicitur in Evangelio: *Bonus Pastor reliquit nonaginta novem oves in deserto*. Quam sententiam etiam docent Interlin. Primas. qui ait, quòd duæ alæ sunt duo testamenta, novum, & vetus, seu duo divinæ sapientiæ effectus, quæ in ipsis testamentis continentur, scilicet timor culpæ, & damnationis, seu amor Dei, & salutis.

596 Secundò Victorinus, Ticonius dicunt esse Prædicatores veritatis, præsertim Eliam, & Enoch, qui suadebunt, & animabunt fideles, ut fugiant in deserta, & speluncas; & hic sensus, ait Cornelius, valde appositus, in sua nempe sententia, qua ipse hæc refert ad tempora Antichristi, nam Exod. 19. n. 4. multi per aquilas intelligunt Prophetas, & prædicatores, præsertim Moysen, & Aaron, ut Origen. Ambros. August. & alii, cum Hilario.

597 Tertiò Lyran. per mulierem cum communi sententia intelligit Ecclesiam, per Aquilam Heraclium Imperatorem, exercitus verò ejus per alas, quibus adjuvit, & patrocinavit Ecclesiam, nam acies dicitur ala; & dicuntur duæ propter metaphoram, quia avis non potest volare una tantùm ala, nisi adjuta duabus.

598 Quartò Alcazar notab. 9. ait posse intelligi in his duabus alis, S. Paulum, & S. Barnabam, qui dati sunt Ecclesiæ, Actor. 13. ut tanquam gentium Apostoli, portarent illis fidem, quod est, Ecclesiam in desertum deferre gentilitatis. Quintò Ferrar. ait, quòd duæ alæ sunt Apostoli Petrus, & Paulus, qui Ecclesiam sanctam portaverunt in urbem Romanam, tanquam in locum proprium suum, nam in ipsa Urbe Ecclesia fixit suam Sedem; & meritò tunc Urbs dicitur desertum, tunc enim erat deserta à fide divina, & lumine supernaturali.

Petrus & Paulus.

599 Sextò D. Bernardin. Senens. to. 3. ser. 13. de obedientia, c. 3. §. 4. ait, quòd hæc mulier sit sanctissima Virgo Maria; volat in anima, ut ita anima exeat à peccatis, & repleatur abundantia gratiarum; sic ait Sanctus Pater: *Alæ sunt propitiatio offensarum, & procuratio gratiarum, Virgo enim sanctissima humano generi sollicitat, & peccatorum remissionem, & gratiarum effusionem.*

Virgo Maria sollicitat peccatorum remissionem, & gratiarum largitatem

600 Septimò idem D. Bernardin. ait, quòd duæ alæ sunt vota castitatis, ac paupertatis, quibus anima obediens citissimè volat in cœlum; sic ait Sanctus Pater: *Hæ nempe duæ alæ castitas, & paupertas, obedienti à Christo dantur, ut volet in desertum, in locum suum, locus quippe proprius animæ obedientis, Cœlum empyreum est, quia ad illud est creata.* Eum prævit D. Bonav. in Diæta Sal. tit. 3. de consilio evangelico, cap 2. *Mulier ista ait, potest dici obedientia, duæ alæ possunt dici duo illa vota simul conjuncta, scilicet castitatis, & voluntariæ paupertatis*, quibus anima obediens volat in cœlum, seu in desertum Religionis, quæ potest dici desertum à tumultu rerum temporalium. Castitate, ac paupertate obediens volat in cœlum.

Octavò huic mulieri dantur alæ duæ aquilæ magnæ; aquila velocissimo volatu aera conscendit; si quis ergo desiderat citissimè in cœlum conscendere, assumat sibi has duas alas, amorem scilicet Dei, & proximi, quæ dantur huic mulieri, quæ significat animam cujusvis, quæ subiicitur creatori, ejus spiritu gravidam; ita Aretas & Philippus Abbas libro de silentio Cleric. *Hoc ardore duplici* (scilicet Dei, & proximi) *à terrenorum desiderio sublevatur, & volatu perpeti ad locum solitudinis deportatur, ut serpentis invidi malitiam supergressa, & mentis solitariæ quietum cubiculum ingressa, clauso velut ostio, iniquos strepitus gaudeat removere.* 601 Amore Dei, & proximi celeriter cœlum ascenditur.

Nonò D. Bernardin. proximè citatus ait, quòd *duæ alæ sunt consideratio Dei, & sui.* De se homo considerare debet nascendi vilitatem, vitæ calamitatem, vivendi brevitatem, permanendi varietatem, moriendi necessitatem. Ala altera est Dei consideratio; de quo considerandæ est essentiæ majestas, & excellentia, summa vivendi felicitas, æternitas vitæ, cum eximia stabilitate, ac immutabilitate; his duabus alis mens elevatur, & in cœlum ascenditur. 602 Consideratione Dei, & sui mens ascendit in cœlum.

Decimò D. Anton. Ulyssipon. ait: *Duæ alæ, amor, & timor dantur mulieri, nempe animæ pœnitenti, quibus è terrenis elevata, advolat in desertum locum pœnitentiæ.* Alæ hæ duæ sunt, amor, & timor Dei, & tanquam duæ alæ dantur animæ pœnitenti; amor quo Deum summè diligit, ob quem omnia mundialia contemnit, timor, quo Deum supremè reveretur, & maximè refugit quidquid oculis divinæ majestatis valeat offendere. His alis anima fugit in desertum pœnitentiæ, qui locus desertus est ab omni mundana delectatione. 603 Amore & timore volat anima in cœlum.

Undecimò Div. Antoninus, tertia parte Summæ, titulo secundo, capite tertio ait: *Datæ sunt mulieri alæ duæ, quibus potest volare in desertum, id est, cœlum; una est observatio decem præceptorum, alia est exercitatio operum misericordiæ.* Hujusmodi duæ alæ dantur mulieri ut fugiat à dracone; nonne etiam draco alatus est, & per aera volitat? ergo etiam mulierem licèt alatam persequi poterit. Tamen mulieri dantur alæ, non cujuscunque, sed aquilæ, quæ velocissimè volat, quia his duabus alis, observatione scilicet præceptorum, & operum misericordiarum omne periculum devincitur, ac effugitur, & omnis inimicus superatur, & à serpente tartareo liberatur. 604 Observatione mandatorum & operum misericordiarum à Diabolo liberamur.

Duodecimò Nicolaus Gorranus sic interpretatur has duas alas datas esse mulieri, ut effugiat ab impetu draconis, nempe prudentiam, seu sapientiam, & patientiam; nam nullus est adeo acerbus hostis, nullum tam vehemens periculum, quod prudentia, ac patientia non devincatur, his enim alis animus munitus, de omnibus triumphat. 605 Prudentia, ac patientia, hostis devincitur.

Decimotertiò Interlinealis, Divus Anselmus, Haymon, Albertus Magnus, Hugo, qui ait: *Datæ sunt mulieri duæ alæ, tanquam arma, quibus se posset elongare; hæ alæ sunt vita activa, & contemplativa*; & hæc est multorum sententia, ut tenui in expositione. Utraque hæc vita alæ sunt, non cujuscunque volucris, sed aquilæ, quia utraque sublimatur, & generosè in Christum figit suum obtutum: sed cur non alia metaphora exprimitur? nam licèt vita contemplativa, tota in Deum, ac ejus perfectiones considerans feratur, inde rectè per alam declaratur; at vita activa, non ita, sed circa varia charitatis officia, ut erga pauperes, & infirmos versatur. Tamen optimè vita activa, & contemplativa binis alis denotatur, quia sicut volucres, si una truncentur ala, in sublime nequaquam ferri possunt, ita si vita activa à contemplativa separetur omninò, vel è contra, mutila censebitur, & nequaquam avis volare poterit. 606 Vita activa conjungenda est cum contemplativa

Cùm exploratores terræ promissionis maximè essent exterriti à corporum proceritate habitatorum illius, 607

lius, Josue, & Caleb fortiter pro Domino pugnarunt, fratrum exempla non sequentes; populi testificati sunt, quod Domino adjuvante facilè terram devincerent, dicentes: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ, quia sicut panem eos possumus devorare*, Num. 14. num. 9. ob quæ Caleb magnis laudibus nobilitatur à Domino dicente: *Servum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuit, & semen ejus possidebit eam*, ibidem num. 24. In quæstionem hìc voca, cur Caleb tantis encomiis extollitur à Domino in præsentiarum, non verò Josue? cur ei, ac semini ejus tam insigniter pollicetur promissionis terram? Quia, cum vita activa, gladio nempe oris sui, quo locutus est ad populum, & cum lancea ferrea, qua pro gente sua decertavit, viam contemplativam adjunxit: *Orando recurres ad sepulchra Patriarcharum*; ut ex traditione hebræorum tradit Lyranus ad caput 14. Josue, ad illa verba: *Terra quam calcaverit pes vester, &c.* sic ait ille: *Caleb videns alios exploratores præter Josue, inclinatos ad inducendum populum, ne intrarent in terram promissionis, per aliquod tempus recessit ab eis, & venit solus in Hebron, ubi erat sepultura Patriarcharum principalium, orans ibi, ut non discederet à veritate, sicut alii exploratores.* In Josue resplendebat vita activa sumpto gladio, at in Caleb conjuncta erat vita activa cum contemplativa, inde ipse mirificè laudibus extollitur ut terræ possessor, ac hostium, & contradicentium victor, ac triumphator.

Eximia laus & victoria ubi est vita activa & contemplativa.

608 Decimoquartò dantur mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ut volaret in desertum; cur non potiùs ei dantur sex alæ, ut Seraphim habebant apud Isai. 6. quibus & meliùs volare poterat? Deinde, cùm hæc mulier fulgentissima, signum magnum apparet in cœlo, Sole armata, Luna calceata, & radiantibus syderum gemmis ornata, serpens invidia inflammatus in mulierem audet insurgere; illa prudentissimè locum iræ præbens, in solitudinem fugit, & cùm adhuc ille malignus mulierem persequeretur, tunc datæ sunt mulieri, *alæ duæ, ut volaret in desertum*. Serpens ubi mulierem alatam vidit, tanquam incantatus, omnem spem suæ malignitatis contra mulierem perdidit, & ut dicitur infra, vers. 17. *Abiit facere prælium cum reliquis*. Meritò hic dubitabis, quomodo draco, qui tam audenter prælium excitaverat in mulierem existentem in cœlo, Sole, Luna, & stellis ornatam, & de illa tunc sibi præsumebat victoriam, nunc verò volanti triumphum cedat, & tanquam de victoria desperans, ab illa recedat, & abeat facere bellum cum reliquis? in mulierem tot splendoribùs fulgentem in cœlo audet, & ab ipsa alata in deserto fugit? Mulier dum volat, ut scribit Divus Hieronymus Marc. 17. in se Crucis dominicæ repræsentat formam, & Crucis forma terrifica est serpenti, & omnem ejus fallacem astutiam confringit, ut ignominiosè abire compellatur; sic ait D. Hieron. *Aves quando volant ad æthera, formam Crucis assumunt*; dum ergo mulier volat, Crucis formam assumit, & inde Diabolum se devictum lugens, à triumphanti recedit. Andreas Cæsar. in præsenti ait: *Ab initio in præsidium data est ei charitas in Deum, & proximum, hinc porrò addita est ei providentia adjutrix, qui propter nos in Crucem est actus, quæ simul omnia per alas designantur.*

Sub Crucis umbra victoria certa.

608 Clamat Propheta Isaias 13. n. 2. *Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem, levate manum, & ingrediantur portas duces*; si mons totus est repletus caligine, ad quid in eo elevari signum mandatur, cùm ob densam obscuritatem, à nemine poterit videri? & quid mandatur exaltare vocem, & elevare manum, cùm nec gladius, nec lancea, vel alia bellica instrumenta assignentur? & si portæ clausæ sunt, quomodo duces ingredientur? Cardinalis Hugo: *Levate signum*, ait, *hoc est prædicate mysterium Crucis*; & cùm Crucis signum apparet, omnis confusionum, ac adversitatis caligo dissipatur, & ejus conspectu exaltanda vox, ut solent tacere victores, & elevanda est manus, tanquam gladio ferreo, in destructionem inimicorum; ejusque conspectu portæ clausæ tanquam à clave quadam aperiuntur: Omnia Domini Crucem venerantur, eique obediunt. D. Severianus apud D. Damascenum orat. 3. de imagin. expendens illud Num. 20. *Moyses percussit bis silicem*, sic ait: *Percussit semel, & bis, ut Crucis formam describeret, ut natura Crucis notam veneraretur; nam si Regis imago, Regis gaudium explet, eamque Magistratus adorant, multò magis immortalis Regis imago, potest non modò petram, sed cœlum, & terram, &c.*

Crux tentissima ad expugnandum omnia adversa.

Cùm Israel esset per multos annos sub captivitate, 610
ac jugo Regis Chanaan Jabin, filii Israel clamarunt ad Dominum; divina majestas eorum precibus inclinata, providit, ut notat text. *Erat Debora Prophetissa uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore, & sedebat sub palma*, Judic. 4. n. 4. quæ misit, & vocavit Barac, & congregavit exercitum, & veniens pugnavit contra Sisaram principem militiæ Regis Jabin, & cum suis amplissimis militum copiis, & cum multis eorum falcatis curribus, & Debora cum Barac percusserunt omnem adversariorum multitudinem in ore gladii cum ipso duce Sisara usque ad internecionem; & undè una mulier genio imbellis, habuit animos, ut exiret in bellum, cum fortissimo militum exercitu, sub præstantissimo duce, & multis exercitu armato? Notanter ait textus, quòd Debora sedebat, seu degebat sub palma, quæ ut ait Hugo, & ex eo Lorinus, typus Crucis est, juxta illud Cant. 7. n. 8. *Ascendam in palmam*; ad quod alludens D. Cyprianus de Passion. ait: *Ascendisti Domine, palmam, quia illud Crucis tuæ lignum portendebant triumphum de Diabolo, vel Principibus, & Potestatibus, & nequitiis spiritualibus victoriam, &c.* cùm ergo Debora degeret sub una Crucis figura, quamvis ex fœminea natura ingenio debilis esset, ab ipsa Crucis figura tantam hausit generositatem, ut validissimas potestates debellaret, & de illis victoriam, ac triumphum portenderet: vide quæ dixi supra, hoc c. 12. q. 47. nu. 378. 379. 380. 381.

Ex Crucis umbra victoria certa.

QUÆSTIO LXXIII.

Quare huic mulieri dantur alæ tantùm aquilæ magnæ.

CHristus est aquila magna, ut docent in præsenti D. Ambros. Carthus. Hugo, D. Bernardin. Senens. to. 3. ser. 13. de obedientia Evang. & communi c. 3. §. *Ipse est enim qui altissimè volavit super Cherubin, sine cujus alis, nemo volando videre potest Patrem*; Matth. 11. n. 27. quide se dicebat: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*, Deut. 32. num. 11. 611

Inde optimè, & allegoricè ad significandam Dei protectionem in Ecclesiam, ejusque amorem in Deum, aptissimè ejus alæ dicuntur instar alarum aquilæ. Et primò, quia non coactè, nec ex timore, sed sponte, libensque instar aquilæ, ex amore Dei, Ecclesia volat per totum Mundum; secundò volatus aquilæ velocissimus est, ut docent D. Hieron. D. Paschas. ad illud Thren. 4. n. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis Cæli*; itemque volatus altissimus, ad quod alludens Propheta Abdias, n. 4. *Si exaltatus fueris ut aquila, & inter sydera posueris nidum tuum*; Quod facit Aquila ut custodiat nidum, ac ova sua ab inimico serpente, insidiante, ac deglutiente, cum quo aquila perpetuum habet bellum, ut testatur Plin. lib. 10. Natural. hist. c. 4. & sic ait: *Acrior est cum dracone pugna; ova hic consectatur aquila, aviditate maleficæ, at illa ob hoc rapit ubicunque visum*. Quod etiam tradunt aliqui apud Pierium lib. 6. Hierogl. 4. semper aquila inventa est inimica serpenti, & ubicunque videt, cum suis unguibus rapit, eumque dilacerat, & gloriosè plumas suas in ejus sanguine maculat; sic Ecclesia sancta in omni persecutione velocissimè, alta oratione volat ad Deum, ne ejus filii deglutiantur à serpente insidiante, & dum sic volat, serpentem antiquum conterit, de eoque gloriosè triumphat. 612

Ecclesia oratione se defendit, & triumphat.

Tertiò aquila, in nido suo, ne pullis noceant serpentes, 613

pentes, cum quibus habet bellum, ut refert Plin. lib.10. c.3. imponit lapidem, quem dicunt aetitem. D.Hieron. in c.66. Isaiæ appellat Amethistum; hunc lapidem idem Sanctus Doctor interpretatur Christum D. quo tanquam lapide vivo Ecclesia claudit, & custodit filios suos, ne detrimentum patiantur à serpentibus venenosis dæmonum, hæreticorum, ac malorum hominum, de quo lapide refert Plinius, quòd in igne positus nil deperdat; sic & fidelis, qui Christo munitur, ac corroboratur in igne tribulationis nil deperdit, sed magis perficitur, ac corroboratur.

Fidelis Christo munitur, ac corroboratur.

614 Quartò, & est valde celebre in aquila, ut referunt D.Ambros. lib.5. Hexam. c.18. D.Hieron. in c.40.Isai. D.Aug. tract.36. in Joan. quod probat filios suos ad radium Solis, eos tantùm genuinos agnoscens, qui ferunt irretorta acie radium, qui verò perstricti radio Solis inflexerint, ut degeneres reiiciuntur; sic Ecclesia filios suos ad Solis, id est, Christi radios examinat, & quos reperit posse hunc Solem recta acie intueri, fideique obtutum in divinitatis ejus radios figere, tanquam legitimos recipit, quos autem cernit, tantum Christi splendorem ferre non posse, ut sunt judæi, & hæretici, ut nothos & adulterinos respuit.

Ecclesia veluti Aquila suos filios examinat.

615 Quintò aquilæ convenit renovatio, juxta illud Ps. 102. n.5. *Renovabitur ut aquilæ inventus tua;* de qua renovatione multa ibi dicunt expositores, fideles autem renovandi sunt in Christo, ut docet Paulus Ephes. 4. n.23. *Renovamini spiritu mentis vestræ;* tum per aquas Baptismi, tum per ignem contritionis cum effusione lachrymarum.

Fidelis renovandus in Christo

616 Sexto signum magnum apparuit in cœlo, mulier fulgente Sole induta, Luna calceamentum exhibente, & radiantibus stellis coronata; in ipsam tamen audet bellum movere teterrimus serpens, ita ut mulier in solitudinem se receperit, supra vers.6. & cùm adhuc serpens novas technas callidissimè esset aggressus: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum à facie serpentis*; & videns serpens alas, vertit stylum, & iratus destitit à prælio incœpto, *& abiit facere prælium cum reliquis*; cur ergo qui fulgentibus cœlo redimitam astris adoritur, modò avium deserit cinctam plumis? nunquid fortior est ala, quàm sydera? Recole quod alæ aquilæ magnæ inservierunt miseris, ut eos à periculo liberarent, & de ergastulo in solatium asportarent, ut ait Moyses Deut.32. n. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*; cùm alæ aquilæ magnæ pusillos protegant, parvulos defendant, ideo tales alæ mulieri conceduntur, inde serpens, qui eam syderibus redimitam debilem credidit, videns modò saluti proximorum destinatam, eam ut invincibilem expavet, ab eaque ad alios maximè declinat, & fugit: charitas in proximos, fortissimum armorum genus est, & illud maximè timet Satanas, exindeque eam cœli luminibus fulgentem aggreditur, & ab illa in aliorum salutem delegata fugit, eamque validiùs, ac fortiùs muniebant, ac custodiebant charitatis affectus, quàm cœli lumina. Huic considerationi patrocinantur Interlin. Haymon, Albertus, qui per has duas alas, intelligunt vitam contemplativam, & activam, quæ de salute proximorum agit.

Charitas in proximos dæmones maximè terrificat.

617 Nato Christo D. claritas Dei circumfulsit pastores, Luc.2. n.9. scintillans stella adducit Magos, Matth. 2. n.2. tamen contra ipsum se opponit Diabolus, & eum per Herodem vult perdere, Matth. 2. n.16 tamen postea in regione Garasenorum, ubi duo homines dirè vexabantur, cum Diabolus videret Christum venientem ad hominis salutem: *Videns autem Jesum à longè, cucurrit, & adoravit eum; & clamans voce magna dixit: Quid mihi, & tibi, Jesu fili Dei Altissimi? Adjuro te ne me torqueas*, Marc.5.n.6. D.Paschas. lib.5. in Matthæum: *Hominis salus*, ait, *tormentum Diaboli*; cùm cœlestia lumina fulgent, audet Diabolus se Christo opponere, ipsumque per suos ministros vult perdere, modòque ipsum adorat, illiusque timore tenetur. Plus Diabolus Christum D. timet, & reveretur hominis saluti addictum, quàm ipsum cœlestibus fulgoribus resplendentem. O! magna charitatis vis in proximos, multùm dæmonibus formidabilis, cœlestia lumina præcedens!

Christianum nomen veneratur dæmon, quàm cœlestia lumina.

QUÆSTIO LXXIV.

Quare huic mulieri dantur alæ aquilæ, & non potiùs aliarum avium, ut concessæ sunt aliis personis.

HUic nostræ mulieri dantur alæ, non quæcunque, sed aquilæ: cur non potiùs milvi, ut datæ fuerunt duabus mulieribus apud Zachariam? c.5. n.9. *Vidit*, ait, *& ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas, quasi alas milvi, & levaverunt amphoram, ut ædificetur domus in terra Sennaar*. Aquila significat justum; Isai. 40. n. 31. *Assument pennas ut aquilæ*; milvi verò malignantes rapacitate peccatores, & semper major est numerus peccatorum, quàm justorum; mulier sancta una hìc, duæ verò peccatrices in Propheta; justus habet alas instar aquilæ, quibus se, suosque in altum ad contemplandum divinum justitiæ Solem ferat, at peccator habet alas milvi, quibus malignitate, ac cupiditate, non tantùm currit, sed volat in fœtorem, ac tormenta inferni. D. Bonav. par. 3. de Ecclesiast. Hierarchia, c.31. sic ait: *Alis, & pennis à terra volucres elevantur; sic boni, & angelici spiritus, mente ab omni cura terrenorum expedita, elevantur. Istæ duæ sunt alæ, quæ datæ sunt mulieri, ut fugeret in desertum, alas autem non aquilæ, sed potiùs milvi habent impii raptores, & pauperum oppressores, qui non elevantur in cœlum, sed potiùs deprimuntur ad infernum, ut dixit Zacharias cap. 5. & datæ sunt eis alæ milvi, & delatæ sunt in campum Sennaar: quod interpretatur fœtor, & significat infernum, ubi deferuntur impii duplici ala adjuti, scilicet ala cupiditatis, & ala malignitatis.*

618 Justus volat in cœlum, peccator verò in infernum

Secundò ad idem dubium: Cur hæc nostra mulier evangelica habet alas aquilæ, illæ verò apud Zachariam milvi? Rationem colligo ex D. Gregor. lib. 14. Moralium, cap.16. *Istæ mulieres*, ait, *alas habent quasi alas milvi, quia actiones earum, Diabolo procul dubio similes sunt; quia insidiantur sæpè rapturæ parvulorum.* Justus & iniquus habent alas; justus aquilæ, ut se suosque parvulos in sublime erigat, & constituat, ut liberi sint ab insidiis venenosi serpentis, eos deglutientis, ut dixi superiori quæstione n. 613. at iniquus habet alas, sed milvi tantùm, ut homines minimos, ac parvulos rapiat, dilaceret, ac comedat, & sic justus habet alas ut parvulos custodiat, ac defendat, iniquus verò ut perdat.

619 Justus habet alas ut parvulos custodiat, iniquus ut perdat.

Tertiò: Quomodo hæc nostra mulier sumpsit aquilarum alas, quando columbinas suspirabat regius Vates? *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psal.54 n.7. si David de columbinis alis quietem sibi promittit placidam, cur fœmina aquilinam alam mutuata est? Hæc nostra mulier nec volebat quiescere, nec fugere, sed vincere, ac triumphare. Aquila perpetuum bellum habet cum serpente, ejus ovis, ac pullis insidiante, ut eos deglutiat, ut dixi superiori qu. n.613. ex Plinio; aquila altissimè volat ponens in sublime nidos suos, & sic serpentem vincit. David ergo exoptabat alas columbæ, utpote leves, & veloces ad fugam, ut requiesceret à facie Absalon, ac suorum inimicorum, ut notant Lorin. & alii; nostra mulier evangelica, ut valde generosa, non intendebat fugam, sed victoriam, & triumphum de serpente, & inde ei dantur alæ aquilæ, ad talem victoriam de serpente proportionatæ & assuetæ, nam ad assequendam magnam victoriam, ac ad perficiendum aliquod negotium, medium approbatum, ac expertum eligendum est, & cum ad victoriam de serpente obtinendam maximè psoportionatæ sint aquilarum alæ, inde tales mulieri dantur, ac conceduntur.

620 Ad victoriã medium proportionatum, & expertum eligendum.

Quartò, cùm serpens antiquus implacabili invidia æstuans armatur contra mulierem: *Datæ sunt ei alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum*; & cur non potiùs columbinas pennas, quas David desiderat? *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Ps.54. n.7. Aquila alitum Regina, & hic

621

titulo,

titulo, magna insignitur: *Aquilæ magnæ*; mulier ostendebatur tanquam afflicta, & periculo adurgebatur, nam serpens contra eam, ungues, & dentes exacuebat; quæ ergo erat Regina, ac magna, pignorabatur suo titulo majestatis, ac magnitudinis periculum excludere, fœminam tueri, & ei alas commodare; ne ergo aquila, quæ, ut ait Lyran. *signum est imperii*, magnitudinem suam denigresceret, tenebatur conveniens auxilium afflictæ exhibere mulieri.

Regiæ dignitatis appendix miseris subvenire.

622 Decantat regius Vates Psal. 46. n. 3. *Dominus excelsus terribilis, Rex magnus super omnem terram*; cur postquam excelsum dixit & terribilem nominavit, illud addidit: *Rex magnus*? Opportunè D. Chrysost. sic: *Propheta dicebat, Orbis salutem ostendens*; nam si ad eum ut excelsum nullus auderet accedere, si eum ut terribilem omnes metuerent, tamen ut Regem magnum cuncti tanquam salutarem venerarentur, ad eumque universi accurrerent, hoc enim habet magnitudo, hoc regalis dignitas, ut ingentia bona in cunctos diffundat, miseros, ac afflictos tueatur, ac custodiat, quò enim regalior animus est, eò ad donandum, ac miserandum promptior.

Dignitas regalis beneficentiam exhalat.

623 Dicitur Sap. 11. n. 4. *Misereris omninò, quoniam potes omnia*. Expende illud adverbium, *quoniam*: Causa omnium miserendi, est, quia omnia potest, quia Deus tanta præeminet eminentia, quia omnia habet sub una potestate, ac dominatione, inde inducitur, ut omnium misereatur, ac si cum ipsa potestate sit annexa beneficentia, cunctorumque miseratio: ita D. Chrysost. hom. 4. ad Philipp. 1. *Si quis*, ait, *Principem laudare vellet, nihil illi adeò decorum adscriberet, ut misericordiam, Principum enim proprium est misereri*. Hac de causa ingressa Esther ad Assuerum, opponens se communi periculo pro salute populi, inclinatus Assuerus ait illi: *Quid vis Esther Regina*? 5. n. 3. non ait: Quid vis Esther sponsa, electa, & dilecta ex millibus, pulcherrima inter omnes; sed Reginam dicit: *Quid vis Esther Regina*? quia tunc maximè se ostendebat Reginam, cum suo periculo contempto, miseros intendebat à morte liberare. Ex quo ad Christi Ecclesiam, sermonem facit D. Prosper. p 2. de promiss. cap. 38. *Sic se prosuis opponit periculis, sic datis in mortem suis laboribus vitam conferendo ministrat, utpote Regina*.

Potestati annexum miseris succurrere.

624 Scientes sanctus Latro dicebat ad Jesum, cùm penderet in Cruce: *Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. n. 42. non utcunque petit à Deo sui memoriam, sed quando à servili forma exutus fuerit, & regium sumpserit diadema, regnique thronum ascenderit, tunc petit, quòd miselli hominis meminerit; cur non potiùs modò? nam quamvis cruci fixus, de suis carnificibus recordatus, pro illis Patrem deprecabatur: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, ibid. n 34. cur ergo modo tui memoriam non petit, sed ad Regnum remittit? Quia Latro, etsi divino lumine illustratus, magnam spem in Christo haberet, quod ejus miseriæ subveniret, tamen insigniter eam sibi promittebat, cùm ipse in regali throno sederet, ac si ab ipsa regali dignitate maximè esset alliciendus, ac inducendus ut misero homini adjuvamen, ac auxilium exhiberet. Ad hoc tendit D. Cyrill. Jerosol. Catech. 13. *Non dico aliter*, ait, *ut mei memineris, quàm cùm veneris in regnum tuum; quæ te virtus illuminavit, ò latro? Ideò & justè audit: Confide, non quod opera tua digna sint confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert*.

A Regali dignitate adjuvamen misero.

QUÆSTIO LXXV.

Quare hæc mulier bis duabus alis volat in desertum, omnibus syderis luminibus denudata.

625 PEr locum desertum cum communi sententia Patrum Bedæ, Haymonis, Alberti Magni, Hugonis, ac aliorum intelligimus locum separatum ab omni tumultu, ac strepitu mundano, ut perfectiùs, ac quietiùs alta meditatione, ac contemplatione fruatur animo. Alii ut Ferrarius, per desertum intelligunt gentilitatem, quæ deserta erat divina fide, ac lumine supernaturali, ad quam Ecclesia per adventum Christi confugiit. Viegas, Cornelius, & alii, per desertum simpliciter intelligunt istum desertum, ad quod Ecclesia confugiet ultimis temporibus sub Antichristo, ut dicitur, v. 6.

D. verò Ambros. per desertum, cœlestem patriam 626
intelligit, & sic ait: *Per aquilam Christum possumus intelligere; duæ igitur alæ datæ sunt mulieri, ut Diabolum evadat, & ad cœlestem patriam quotidie conscendat, hanc namque patriam desertum vocat, quemadmodum, & Dominus dicit in Evangelio, cùm se nonaginta novem oves in deserto dixit dimisisse*, Luc. 15. n. 4. Ex quo aliquid dicamus in laudem sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ intelligitur per hanc mulierem, ut dixi supra qu. 9. Datæ sunt Virgini Mariæ, duæ alæ divinæ gratiæ, seu Spiritus Sancti, ut volaret in desertum, in sublimem, & arduam perfectionem vitæ, tanquam veluti desertum, quæ nunquam ullo vestigio humano trita fuerit, vel erit, nulloque studio, ac labore comprehensa; adeò sublimis, & excelsa est supra omnem conditionem puræ creaturæ.

Desertum, cœlum interpretatur.

Maria in altissimo perfectionis apice.

Vel datæ sunt Virgini Mariæ, duæ alæ aquilæ magnæ, qui est Christus, ut volaret in desertum, hoc est, cœlum, juxta Divum Ambrosium citatum, quod maximè referri potest ad diem gloriosæ Assumptionis Virginis Mariæ. Noster Divus Joannes agens de Christi Ascensione, in hoc capite versu 5. ait: *Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum*; quod de Christi Ascensione explicat Divus Ambrosius ibi, ut dixi; sic ait Sanctus Pater: *Hoc tunc impletum est, quando quadragesimo die postquam resurrexit, ascendit in Cœlum*; nam licèt thronus, ad quem Christus ascendit, fuerit excelsus, & sublimis, non tamen explicatur majestatis currus, ac triumphalis apparatus quo ascendit, ut invenimus declaratum in Beata Virgine: *Datæ sunt ei alæ duæ aquilæ magnæ*; ut ait Divus Ambrosius. *Per Aquilam Christum possumus intelligere*. Tam magnifico apparatu assumpta est Virgo Maria in cœlum, ut ipsemet filius Dei, ac filius ejus Christus Jesus, veluti alis expansis amplissimum majestatis vehiculum, gloriosissimum apparatum ei præstiterit. Ad quod tendit illud Cantic. 8. num. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum*; expende illud: *Ascendit de deserto*; hoc est, de Mundo, qui sine Maria desertus relinquebatur. Honorius apud Delrium: *Quæ est ista*, ait, *id est, quanta laude digna, quæ virtuosa ascendit de deserto Libano Mundi, deliciis affluens, innixa super dilectum suum, ab eo exaltata super choros Angelorum*.

Valde sublimis apparatus, quo B. Virgo assumpta est in cœlum.

Quartò Ambrosius, Ansbertus per desertum 628
mysticum, intelligit corda sanctorum, qui in semetipsis efficiunt corda sua deserta à rebus mundialibus, ut placidè divina contemplatione fruantur; citatus Ansbertus: *Solitudo*, ait, *corda electorum, & desideriorum tumultibus quieta, sancti enim ipsi seipsos desertum quietis faciunt, ut habeant quo fugere possint; quia enim transitoria cuncta despiciunt, ex his nascentes cogitationum insolentias non patiuntur, solam namque æternam patriam appetunt; & quia nulla Mundi hujus diligunt, magna mentis tranquillitate perfruuntur, in qua scilicet solitudine locum inveniunt, quo fugientes salvantur, quia videlicet in secreto mentis, à quærentibus Deus invenitur*. Mulier hæc, quæ animam justi denotabat, inter fulgurantium syderum radios anxia premebatur, & clamans cruciabatur, ut pareret, contraque illam minantis draconis ira stabat, at dum celeri volatu in desertum involavit, placidam quietem, ac refugium invenit, dum cœlesti consolationum nectare pascitur. *Ubi alitur per tempus, & tempora*. Cùm anima ad desertum cordis sui fugit, respuens omninò omnes Mundi res, & tumultus, statim persequentis Diaboli indignationem frustrat, omnique cœlestium abundantia impinguatur: Fiat cor nostrum desertum, ac evacuetur à mundanis, & statim replebitur divina gratia.

Per desertum justus interpretatur.

Qui cor suum facit desertum, à mundialibus, divina consolatione fruitur.

Considera duo magna miracula, quæ magni Parentes Elias, & Elisæus ediderunt. Elias apud viduam 629

Sa-

Sareptanam, quæ in lecytho habebat paululum olei, sic illud multiplicavit, ut non defecerit: *Nec lecythus olei minuetur usque in diem, in qua Dominus daturus est pluviam*, 3.Reg.17.nu.14. at Elisæus alteri mulieri viduæ dixit: *Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca*, 4.Reg.4. num.3. quæ omnia repleta sunt oleo; cur ergo apud Eliam, in uno tantùm lecytho crevit oleum, apud verò Elisæum, in omnibus quæ inventa sunt? Oleum illud divinam gratiam denotabat, sat ait Rabbanus apud Glossam: *Elisæus infundit oleum, quod de amore divinitatis multorum vacuæ mentes hauriunt, exuberante gratia unguentorum divini amoris, usque ad summum replentur*; inde ergo cùm lecythus apud Eliam, haberet parum olei mundani, cum limitatione crevit oleum, nec lecythus dicitur eo repletus, at verò apud Elisæum erant vasa, seu corda vacua, & deserta ab omni mundano affectu, & quantum cor magis est vacuum à terrenis, tanto magis repletur divino inspiramine.

Evacuetur cor mũdanis, ut cœlestibus repleta.

630 Ad calcem hujus quæstionis meritò notabis, quòd mulier tantùm introducitur sydereis luminibus ornata in cœlo: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole*; cur ergo desertum petens, solares secum non tulit radios, sed se nudavit luminosa illa pompa, & venustate syderea? in Cœlo Sole amicitur, in deserto Sole nudatur; & quæ tantæ diversitatis causa? Ipsa profectò loca indicant; cœlum est luminum regio, ubi copiosa splendorum messis, ubi exundant sydera, at desertum omnibus adeo caret, ut mulier quodammodo alimentum mutuetur: *Ubi alitur*; ergo ubi constabat de copia, non renuit mulier veste exornari splendida; at in deserto ubi omnia sunt arida, etiam ipsa omnibus deserta carét, nec radiantibus astris cœlestibus exornatur, optima enim prudentia dictat, ut vestis sit accommodata, ac proportionata loco, tempori, ac occasioni.

Tempori, ac loco accommodandum.

631 Cùm populus Israel ad radices montis Sinai grande commiserit peccatum in adoratione vituli, pro eoque populus luxisset ut misericordiam à Deo impetraret, *dixit Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israel: Populus duræ cervicis es; semel ascendam in medio tui, & delebote*; *jam nunc depone ornatum tuum*, Exod.33. n.5. Huc usque non legitur, quòd præciperetur populo, ornatum suum abiicere, & cultum deponere; quid interest quod antiqua pompa, ac præclaris vestibus ornetur? ad quid ergo mandatur ei, ut à sua pompa denudetur? Disponebatur populus ad pœnitentiam pro grandi peccato commisso, indèque expediebat, ad complementum ipsius pœnitentiæ, ut dolor quo interiùs cor percutiebatur, externis, & publicis mœstitiæ signis denotaretur; & si animus denudatus erat ab omni mundano affectu, etiam omnium oculis pateret ab omni mundana re spoliatus, ut ita de præteritis culpis dolor fieret manifestus, & ad novas perpetrandas occasio amputaretur, ad quæ multum conducit fulgens, & splendidus ornatus. Lyppomanus: *Cæterùm*, ait, *quia Deus his minis vocat Israelitas, non ad internecionem, sed ad pœnitentiam, ideò jubet eos declarare pœnitentiam externis argumentis, ut conspicuum fiat eos cognoscere peccatum suum, & dolere propter impietatem.*

Pœnitentia interna, externis signis declaranda.

QUÆSTIO LXXVI.

Quare hæc mulier de filiorum salute, maximè sollicita, tam generosè in asperum desertum volat.

632 MUlieri dantur alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, quo deserti præsidio, se defenderet à facie serpentis, & malignam ejus indignationem frustraret, dum alitur per tempus, & tempora Christi doctrina, meditatione, ac contemplatione. Hugo Card. *In desertum ubi alitur per tempus, id est, doctrina Christi; locus proprius Ecclesiæ est desertum, ubi nec res Mundi sunt, nec tumultus, ubi alitur per tempus, id est, doctrina Christi pascitur, à facie serpentis, id est, ab impugnatione Diaboli persequentis.*

Volat, ut Christi doctrina pascatur in deserto.

Sylveira in Apocal. Tom.II.

Secundò hæc mulier, ut signum magnum apparet in cęlo cęlestibus luminaribus ornata. *Et in utero habens clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat*; Christum nempe in proximorum cordibus; tunc ipso tempore *datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum, in locum suum.* Hæc videntur inter se repugnantia, nam si mulier clamat, ut in aliorum animis valeat Christum efformare, ad quid alis tam celeriter volat in solitudinem? nam fuga clamoribus obsistit, & solitudo studiis salutis aliorum refragatur; in solitudine auditorum copia non erit. O magnum Prædicatoris salutisque proximorum ministri ænigma! mulier volat, ut serpentinos conatus retundat, & magno affectu clamat, ut Christum in auditorum animis pariat, & in desertum fugit, quia unus verus Prædicator, sic debet clamare, ac si esset in deserto, separatus ab omni mundano commercio, & tumultu, neminem videns, neminem respiciens, nullius respectum habens, sed solùm pro aliorum salute clamans. Divus Ambrosius: *Clamat*, ait, *Ecclesia prædicando, clamat etiam pro auditorum salute Deum deprecando, cruciatur verò, ut pariat, cùm luget eos, quos in peccatis jacere conspicit, sicut Paulus Apostolus loquitur discipulis dicens: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* 633

Prædicator verus salutem proximorum quærit nil terrenum cõsiderans.

In hac consideratione ait rogans Isaias 60. numer.8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant; & quasi columbæ ad fenestras suas?* Septuaginta legunt: *Sicut columbæ cum pullis suis.* Propheta per fenestras intelligit columbaria, ut vertit Chaldaicus, quæ plena sunt fenestris instar oculorum; quomodo textus cohæret? una pars videtur alteram impugnare, nam si columbæ pullos suos fovent in nidulis, seu fenestellis suis, quomodo ad instar nubium expeditè volant ex una parte in alteram? O quàm pulchra conjunctio utriusque partis, & nubium volatus, & pullorum nutritio, ut exprimatur verus minister evangelicus proximorum saluti incumbens! hic tanquam nubes à terra, terrenoque affectu segregatus, de una in alteram partem volat, tanquam contemplando cęlorum alta attingit, de aliorum salute sollicitus, & tanquam columba, cujus volatus fortis, ac celer est, involat in ipsas terras, tanquam in sua columbaria, ut filios columbinos, illius scilicet columbæ, quæ in Jordane apparuit, foveat, & nutriat magno spirituali profectu. D.Gregor. homil.18. in Ezechiel. *Rectè prædicatores sancti, nubes appellati sunt, qui volare quoque ut nubes dicuntur, quia in terra viventes, extra fit omne quod gerunt, qui ad fenestras suas, quasi columbæ sunt, quia pro mansuetudinis suæ spiritu in hoc Mundo præ oculis nihil concupiscunt.* 634

Minister Evangelicus ut separatus à terra de aliorum salute agit.

Tertiò mulier hæc, ut signum magnum apparuit in cœlo fulgentissimis luminaribus redimita, tunc ad certamen insurgit serpens, & alta providentia *datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* Multum timor rationem obnubilat; à deserto debebat mulier volare in cœlum, ut mortiferum fugeret serpentem, cur ergo deserit Cœlum, ut frustretur grande periculum? Novit prudentissima mulier præcipua fœminarum arma esse oculos ignorare, ac latebras petere, ideo ut serpentinum fugeret æstum, celer petivit desertum; & magno mysterio mulier aquilinis ditatur alis, aquila namque semper invenitur inimica serpenti, & ubicunque videt, unguibus impetit, ejusque sanguine plumas suas gloriosè colorat; mulier ergo fugiens aquilinis pennis ornatur, ut innuat fœminas aspectum fugientes magnis triumphis condecorari. Lyranus: *Alæ*, ait, *sunt acies exercitus: undè & ala una significatione est acies militaris*; dum ergo mulier alas divini amoris assumit ut fugiat virorum aspectum, tanquam victor magnis exercitibus de Mundo triumphat. Ad triumphalem coronam vocat divinus Sponsus suam dilectam: *Veni de Libano, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*, Cant. 4. num.8. quomodo fœmina nobilis non expavet occursus leonum, & cubilia pardorum? Imo in hoc commendavit suam prudentiam, quia fugit audaciam oculorum, eligens potiùs evitare periculum proveniens 635

Fœmina dum fugit oculos alio. rum, trium phat.

niens ab hominum aspectu, quàm à ferarum occursu, inde sibi triumphalem coronam efformavit.

636 Quartò nostræ mulieri dantur *alæ duæ, ut volaret in desertum, in locum suum, ubi alitur per tempus, & tempora*. Considera modò miserum illum hominem à dæmone inhabitatum, qui ad huc vivens sepulchrum patiebatur, sepulchrique horroribus, ac fœtoribus premebatur; & tamen ibi non sistit tempestas à dæmone excitata in hominem. Addit Evangelista Lucas 8. n. 29. *Multis temporibus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis, agebatur à dæmone in deserta*. Ecce peccator in extrema miseria, nudus absque operimento, acerrimi timoris stimulo dilaniatus, sepulchri tenebras, tanquam carcerem patitur, catenas sustinet, compedibus gravatur, & tandem in deserta loca, interna furia adustus agitur: *Agebatur in deserta*; non ibat, ut nostra mulier, quæ fugiens serpentem, elegit deserta, hic verò patitur terribili coactus tormento. Div. Ambros. *Agebatur in deserta loca, spiritualium scilicet infœcunda virtutum, profugus à lege, desertus à Prophetis, remotus à gratia*. Mulier, & dæmoniacus deserta petunt, non tamen paria incommoda virtus, ut scelus tenet, nam etsi mulier tantisper deserti asperitate vexata videatur, tamen interiùs magna serenitate jucundata, cœlestis doctrinæ pabulo reficitur: *Ubi alitur per tempus & tempora*; & magna spe gaudet omnes incommoditates melliente, & etiam aquilinis alis protegitur, & defenditur; at miser dæmoniacus, qui à Diabolo, ac peccato suo agebatur in desertum, undique crudeliter premitur, exteriùs nudus, & ab omnibus destitutus deserti inopia vexatus, interiùs verò à crudeli furia severè cruciatus. Virtus etsi aliquid incommodi patiatur, gratiæ ubertate jucundatur, at vitium & internam tulit flammam, & externam desertorum inopiam.

Temporalia corpus affligunt, & animum gravant; spiritualia recreant.

637 Celebrat regius Vates Joseph labores, antiquosque Israelitas captivos in Ægypto, suam libertatem promerentes, & ait, Psal. 80. n. 7. *Manus ejus in cophino servierunt: In tribulatione, invocasti me, & liberavi te*; itaque dum captivi in cophino serviunt, ad lateres componendos, negotiantur suam libertatem à Domino. Ex quo infert Egesippus extremam calamitatem judæorum jam reproborum, quando Pompejus expugnaturus templum, cogebat ipsos judæos, ut plenis terra cophinis, æquarent templi fossas; sic ait ille lib. 1. de excidio Jerosolym. cap. 16. *Ad templi autem irruptionem quoniam pertinaciter resistebatur, judæos Magnus paravit socios, simul ut suis manibus judæi fossas replerent. Impio ministerio, & turpi obsequio servierunt, manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio*. Compone modò judæos in Ægypto cum judæis Jerosolymis, ibi sub tyrrannide Pharaonis, hìc sub tyrannide Pompeji; utrobique captivi, utrobique serviunt tyrannidi principum, utrobique serviunt in Cophino, in Ægypto tamen, etsi corpore vexabantur, tamen mente elevata in Deum, magna consolationis spe fruebantur, & inde libertatem suam negotiantur: *Invocasti me, & liberavi te*; Jerosolymis verò, exteriùs oppressi, & multò magis mente plena sacrilegis abominationibus, templi, & totius populi ruinam nefario opere negotiantur: *Manus eorum in cophino, mentes in sacrilegio*. Hæc est misera conditio iniquorum, quod in eisdem laboribus, in eodem cophino serviant suæ perditioni, in quo justi negotiantur cœlestes benedictiones.

Via peccatorum laboriosa, non sic justorum.

638 Propone tibi ante oculos veteres illos Israelitas, qui cœlesti pane nutriebantur per desertum; quidam in eo reperiebant *omne delectamentum, & omnis saporis suavitatem*, Sapient. 16. n. 20. alii verò illum fastidientes in cœparum, & alliorum cupiditatem abeunt: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepæ, & allia; anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man*, Num. 11. n. 5. quomodo illi in cœlesti pane omnem habebant suavitatem, ac dulcedinem, hi vero fastidientes cruda alimenta exoptant? Illi ut boni, & justi mentem suam elevantes ad Deum, eique gratias pro tantis donis acceptis agentes, ut commentatur Lorinus, in eo omnem saporis suavitatem habebant, hi verò ultimi, & mali, cogitationes suas habentes defixas in Ægyptum, hoc est, in Mundum, eligunt, & requirunt porros, & cepas, & allia, quæ vix comedi possunt, quin à comedentium oculis ingentem lachrymarum copiam extrahant, & in his, in quibus justi in Deo inveniunt delectamentum, iniqui Deum fastidientes, in labores, ac gemitus abeunt. Procopius ad caput Isai. sic ait: *Lugebant memores cucumerum, & peponum, cibi videl. Ægypti, quem nunquam comederet verus Israelita cœlesti pane nutritus, quem fastidiebant; cæpas, & allia deposcebant, talis enim est, qui voluptatibus vitæ indulget, pruriens, & acris, & lachrymas ex illius instituto viventibus provocans*.

QUÆSTIO LXXVII.

Quare hæc mulier ad evitandos serpentis morsus, fugit in solitudinem, & ex solitudine non fugit, sed volat in desertum.

639 CUm draco infestus hostis videret nostram sanctam mulierem decore luminoso Solis, Lunæ, & stellarum fulgentem, oculis jaculatur flammas, & eam insequi determinat; tunc mulier sexus conscia, *fugit in solitudinem*, ut dicitur vers. 6. supra; tamen virulentus serpens, adhuc in solitudine inquirit commorantem, & anhelat divexare latentem; quid tunc? *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ*; cur in solitudine alas non habuit, ut habet in deserto? & maximè aquilinas alas, omnia enim plena sunt mysteriis.

Status quæstionis.

640 Cardinalis Hugo inter solitudinem, ac desertum, hanc constituit differentiam; quia solitudo Mundi tumultum, ac frequentiam populorum excludit, non tamen delicias respuit, at verò desertum, non solùm mundialis tumultus est proscriptio, sed etiam omnium rerum mundialium oblivio; non solùm frequentiam populorum negat desertum, sed etiam mundanas delitias excludit. Hugo Card. *Per hoc intelligitur perfectus*, ait, *quia ut supra dictum est, mulier priùs fugit quasi pede, & quasi amans terrena, sed sub Deo modò volat, quia jam pedibus non tangit terram. Et priùs dixit solitudinem, hìc desertum, quia solitudo excludit tumultum Mundi, & non res, desertum verò utrunque, scilicet & res Mundi, & tumultum: ergo locus proprius Ecclesiæ est desertum, ubi nec res Mundi sunt, nec tumultus, ubi alitur per tempus, idest doctrina Christi pascitur*. Quæ tam sapienter dicta, ad multas considerationes præbent ansam.

Discrimen inter solitudinem, & desertum.

641 Respondeo primò ad quæstionem: Quid speciale præ solitudine habuit desertum, ut mulier ex solitudine ad illum uti ad asylum, imò ut ad felicissimum sibi campum involaverit? Recole, si placet, antiqua gesta; primæva illa antiqua mater in solitudine Paradisi stragibus devicta est à serpente, Christus D. ductus in desertum cum veternoso, antiquoque serpente pugnavit, illumque devicit: *Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur à Diabolo*, Matth. 4. num. 1. & postea num. 11. subditur, quòd *dereliquit eum Diabolus*; & serpens prudens vitavit scopulum, ubi alterum incurrisse novit naufragium, & vela dat, ubi alteri extitit opportuna navigatio; hinc mulier à solitudine in qua dejecta est Eva, confugit ad desertum magna & illustri victoria nobilitatum.

Locus infestus victoria fugientibus, & faustus quærendus.

642 Secundò: *Solitudo excludit tumultum Mundi, non verò res, desertum utrunque*. Ille enim qui veluti aquila vehementi volatu terrena deserit, perspicacibus oculis solares radios valet intueri, & tunc cœlesti contemplatione pascitur, mundialium obliviscens, & quibus terram deserit alis, cœlestibus appropinquat deliciis, mundiales enim res semper volatus in Cœlum extiterunt remoræ: non ergo solum separandum à Mundi tumultu, sed etiam ab omni illius re, omniaque illius tradenda sunt oblivioni, ut quis serpentinas versutias fugiat, & cœlesti quiete anima pascatur, ac levi ad Cœlum rapiatur penna; & ideo mulier ex solitudine fugit in desertum, quia solitudo excludit tumultum Mundi, non verò res, desertum

utrunque:

utrumque: *Mulier priùs fugit, quasi pede, & quasi adhuc amans terrena, sed sub Deo volat, quia jam pedibus non tangit terram*, ait citatus Hugo. Divinam Sponsam monet Psalmista 44. num.11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui*; cùm jubet obliviſci ſtatim intuitionem proponit, & videt, ipſa enim oblivio, quodammodo cœleſtium, ac divinorum eſt aſpectus, maximè enim ad cœleſtia intuenda conducit terrenorum oblivio, uſque ad ignorationem carnis, & ſanguinis. Tilmanus in Allegor. *Cùm in Pſalm.44. Deus Pater Cœleſtis ſponſam filii ſui ad fidem invitaſſet, & docuiſſet tantùm audire, & videre, id eſt, verbo Dei parere, & conſiderare mirabilia, quæ opinionem divinitatis meritò debeant confirmare, mox juſſit, ut ea, quæ curat propulſus, id eſt, totus hic Mundus, deinde quæ domus patris, id eſt, caro, & ſanguis, penitus negligat, & ne cogitet quidem.*

643 Tertiò fulgentiſſimis radiis Solis, Lunæ, & ſtellarum apparet mulier in Cœlo, contra illam ſanguinolentum explicat bellum ſerpens antiquus; *tunc mulier fugit in ſolitudinem*, Verſ.6. Adhuc impudens draco novum in mulierem molitur bellum; illa mutuatis magnæ aquilæ alis, celer tendit in deſertum: *Datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum.* Totus videtur inverſus ordo; cum mulier è Cœlo in ſolitudinem pedibus ſuis fugit, cur in ætherea regione, non dantur ei alæ, ut celeriter in ſolitudinem volet, ſed tantùm ei conceduntur, cùm in deſertum tendit? Et quamvis ubique virtutem redolet, tamen modò pedibus fugit, modò alis volat, ut videas quantum ſit diſcrimen inter fortunatam rerum copiam, ac illarum abnegatienem. Illa micans pompa planetarum, & ad ſpeciem auguſtiſſima fortuna volatum retardavit, imò & explicare greſſum celerem non ſuſtinuit, & inde *in ſolitudinem fugit*; at ibi in ſolitudine degens, luminoſis ornamentis exuta, & fortunatiſſimo illo pompoſo apparatu orbata, aquilinas alas promeruit, quibus expedita in altum Cœlum evolaret. Hugo citatus: *Mulier*, ait, *priùs fugit quaſi pede, & quaſi adhuc amans terrena, ſed ſub Deo modò volat, quia jam pedibus non tangit terram.* Fortunata rerum affluentia retardat greſſum ad Cœlum, illarum verò abdicatio accelerat, inde mulier ſyderibus ornata, pedibus, ſeu affectu graditur, illis verò mundialibus luminibus nuda, celerior volat. Semper fortuna bonorum virtutis robur emollit, ac enervat. Saram ad præclara opera manum miſerat, retardatur de coccino ſplendenti, obſtetrice acclamante: *Iſte egredietur priùs; illo verò retrahente manum, egreſſus eſt alter*, Geneſ.38. num 28. Generoſa virtus ab illo nitente coccini ornatu elanguit, & qui ſine coccino priùs prodiit, qui verò illo nitebat lentiùs exivit, ac ſi ab ſplendente coccini cultu retardatus eſſet.

Deliciæ veluti cōpedes ad virtutem retardant properātē.

644 Quartò cùm mulier nitentibus ſyderibus refulgeret flammeo, ac horrendo ore contra illam inſurgit ſerpens, ut mulier ejus inſidias fruſtraret: *Fugit in ſolitudinem*, verſ.6. & cum adhuc furioſior, ac rabidior extiterit ſerpens, ut mulier eum valeat ſuperare, *datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum*; ſed quid præ ſolitudine habuit ampliùs deſertum, ut ad illud mulier, tanquam ad ſecurum tutamen ſe reciperet? Recogita, quòd Jeſus ductus in deſertum, ad certamen cum maligno, ac antiquo inimico, illum ibi ſuperavit, proque tanta victoria cœleſti præmio, ac honore muneratus eſt à Patre. *Dereliquit eum Diabolus, & ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei*, ut ſcribit D. Matth.4. num.11. in deſerto victoria remunerata eſt cœleſtibus muneribus, & angelicis plauſibus. Deinde etiam cœleſtis patriæ eſt ſymbolum deſertum, ut ſupra quæſt.75. dixi ex D. Ambroſ. nam paſtor, amore errantis oviculæ nonaginta novem reliquit in deſerto, id eſt, Cœlo, in quo merita remunerantur; ut ergo mulier fortiùs, ac validiùs pugnet cum veternoſo dracone, relicta ſolitudine volat in deſertum, quia in deſerto conſpicitur victoria laudibus celebrata, & divinis muneribus coronata, ibi enim validiùs, animoſiùsque pugnatur, ubi virtus, militiaque remunerata cernitur.

Viſo præmio animo fit mulatur ad victori.

Dum Jeſus glorioſus apparuit in Thabor, & totus mons gloria ejus ſplenduit, ecce apparuerunt *duo viri, & loquebantur cum illo: Erant autem Moyſes, & Elias viſi in majeſtate*, ut ſcribit D. Lucas 9. numero 30. *Viſi in majeſtate*, ſeu ut alii habent, *Viſi in gloria*; quid tunc Petrus? Ubi Moyſen, & Eliam cum Jeſu glorioſos conſpexit, ſtatim ut refert D. Matth.17. num. 4. *Domine ſi vis faciamus hìc tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliæ unum*; undè Petrus tam hoſpitalis, quod ita ſollicitè curet hoſpitia à primis fundamentis ædificare, ut illis Eliam, & Moyſen recipiat? *Erant Moyſes, & Elias viſi in majeſtate*; vidit Petrus labores Moyſis, & Eliæ, tanta gloria muneratos, inde ipſe ſic afficitur, ut ſine mora illam ſibi etiam magni laboris ſtipendio conſequi feſtinet. Ad hæc ait D. Paſchaſ. lib.8. in Matth. *Offerebat Petrus ſervitutis officium, accumulare ſibi cupiens mercedem laboris.* Adeo potens eſt merces in particulari viſa, ac conſiderata, ut peccator pauper ſeſe impellat ad hoſpitia efficienda, quibus Prophetas recipiat, cupiens mercedem laboris ſibi comparare, ſub qua vidit fulgere Prophetas.

Merces operis viſa vel conſiderata vehementer trahit animos.

Cum exercitus Regis Syriæ obſiderent Eliſæum, tanquam conſilii ſui proditorem, puer ſocius Prophetæ videns tantam militum multitudinem extimuit, & tanquam ultimam ſui ſortem lachrymatur; tamen Propheta ut metum à puero expelleret, oratione fuſa ad Deum, aperiuntur oculi pueri, & vidit igneos currus, & flammivomos equos in cuſtodiam Prophetæ contra adverſarios: *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum*, 4. Reg.6. numer.17. Meritò tamen dubitabis cur in defenſionem Eliſæi ſe exhibent equi ignei, & currus ignei? cur non potiùs apparent equites armati gladiis, ac lanceis deauratis, ut tempore Machabæor. Div. Ambroſ. ſerm.2. de Eliſæo Propheta inquirit, quinam fuerint hi equi ignei, & currus ignei, & reſpondet fuiſſe equos, qui igneo curru triumphantem Eliam aſportarunt in Cœlum: *Elias*, ait, *Magiſter Eliſæi nonne Angelis ducentibus raptus eſt ad Cœlum, & quadriga ignea impoſitus, quaſi in quodam triumpho victor aſcendit?* Deinde addit Sanct. Doctor: *Ergo Eliam Angeli ad Cœlum perferunt, Eliſæum Angeli in terris cuſtodiunt.* Ecce quibus armis cuſtoditur Propheta, ac pueri timor excluditur, dum videt equos igneos, & quadrigam igneam, quæ in præmium Eliæ advolarunt, ut eam triumphali pompa in Cœlum elevarent; nullo meliori modo poterat animus pueri corroborari, quàm dum ante oculos habet equos, & currus qui ad remuneranda merita Eliæ venerunt; etiam ſine dubio aderant ad recompenſanda præclara Eliſæi merita. Illi currus, & equites deſcenderunt ob illuſtriſſima Eliæ merita, ut eum tanto apparatu extollerent, ac nobilitarent: ergo etiam circuunt montem, ut virtuti Eliſæi convenienti cuſtodia, ac tutela ſubveniant, indeque nulla erat ratio metuendi, cùm viriliter animus decertantis corroboraretur præmio viſo bene promerentis.

Intuitus præmii expellit timorem, & roborat ad certamen.

646

QUÆSTIO LXXVIII.

Quare dicitur quod hæc mulier alenda ſit in deſerto per tempus, & tempora à facie ſerpentis.

IN *deſerto*, gentilitate nempe, quæ deſerta, ac deſtituta erat à ſupernaturali lumine fidei, ad quam Eccleſia per adventum Chriſti transfertur, ubi hæc mulier, Eccleſia nempe ſit alenda, divino cibo ſanctæ doctrinæ, ac cœleſti paſtu eloquiorum Dei, ac divinorum Sacramentorum; ex tunc enim gentilitas abundat omni veritatis doctrina, & ſqualet Sion, verſaque eſt Jeruſalem in terram ſalſuginis, & adimplera eſt prophetia Pſalm.106. n.33. *Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim; terram fructiferam in ſalſuginem.*

647

Quomodo Eccleſia alenda ſit.

Tria in hac quæſtione veniunt inquirenda; quid per

648

per tempus, ac tempora, ac dimidium temporis significetur? Secundò, cur cùm antea dicatur draco, modò, & sequenti versu dicitur serpens? Tertiò, quomodo à facie serpentis, mulier sit alenda? ad quæ breviter singillatim respondeo.

649 Ad primum dico, quòd tempus, tempora, & dimidium temporis, significat omne tempus à fundata Ecclesia Christi in gentilitate, usque ad finem, hoc est à passione Christi, usque ad finem, quando de medio cum bestia, seu Antichristo, ut infra dicitur tolletur draco, & mittetur in stagnum ignis, nam post illud tempus Ecclesia jam non erit in deserto, sed redibit ad Sion, ut infrà suo loco erit manifestum: hanc sententiam docent D. Ambros. Primas. Ansbert. Abbas, Ferrar. & alii.

Quid significet tẽpus & tẽppra.

650 Hìc ergo tempus, tempora, & dimidium temporis non significat tres annos cum dimidio, ut volunt Viegas, Ribeira, Cornel. la Haye, Menoch. & alii; hoc non patitur proprietas verborum, nam si per tempus intelligatur annus, ut volunt citati auctores, per tempora intelligendi erunt duo anni; & cur magis duo anni, quàm tres, vel quatuor? & si intelliguntur per tempora duo anni, debuerant tempora poni in duali, & non in plurali, ut habent omnia exemplaria. Hanc difficultatem contra se consideravit Ribeira, & ei satisfacere conatus est dicens: *Si in plurali legatur, ut nunc habent chaldaica, & hebraica, & græca exemplaria, mihi ita respondendum videtur; pluralem, quia inter coarctatos numeros ponitur per eosdem coarctari, ut quàm nimium potest, significet, nam qui annum unum dicit, & postea dimidium anni, numerum valdè definitum, & certum significare vult: quare pluralem, quem interponit, coarctare quàm maximè potest, ut duos tantùm significet, alioquin nihil definitum indicaret*: hæc Ribeira; à quo percunctari libet, cur sacer scriptor in has se angustias posuit; cum in Græco scriberet, in quo habebat numerum dualem, cur magis uti voluit plurali? nec hoc fecit sine causa. Præterea, Ribeira totam suam responsionem in eo fundat quòd hìc tempus significet annum, dimidium temporis, dimidium anni. At hoc gratis assumit, & sine fundamento.

651 Quod confirmatur, quia quando hæc sacra revelatio Apocalypsis, vult denotare tres annos, & dimidium persecutionis Antichristi, non utitur hac simili phrasi sed clariori, ac magis determinata, per dies, menses, determinatè, ut supra in isto c. vers. 6. *Ut ibi pascant eam diebus mille ducentis*; & c. 11. nu. 3. *Prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*; & ibid. n. 2. *Civitatem Sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*; & c. 13. n. 5. *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos*; cùm ergo sacra revelatio tam apertè, ac determinatè, & clarè loquatur de duratione illius persecutionis, cur hìc adeo obscurè, & indeterminatè loquitur, ut per tempus intelligat annum, & per tempora duos annos, cùm plures etiam possint intelligi?

Confirmatur rostia responsio.

652 Dicendum ergo puto cum Ferrario, sacram revelationem sic loquutam fuisse, ut per ænigma significet omne tempus futurum, à passione Christi, usque in finem Mundi, quo draco Ecclesiam persequetur, omnemque varietatem ipsius temporis, proindeque per tempus, & dimidium temporis, significantur tempora Ecclesiæ molestiora, in quibus aperta est persecutio, per tempora denotantur sæcula sedatiora in quibus Ecclesia floret, & persecutio est remissior. Itaque tempus designat trecentos & decem annos persecutionum Imperatorum Romanorum, dimidium temporis, ostendit breve spatium Antichristianæ persecutionis, & demum tempora indicant totum illud tempus, in quo gloriosè manifestus viget cultus christianus, licèt sint aliqui hæretici, & pravi mores, qui Ecclesiam vexent; sicque tempus, & tempora, ac dimidium temporis significat omne tempus, quo draco Ecclesiam persequetur. Sensus ergo est, quòd Ecclesia magna generositate, ac velocitate evolatura sit ad gentes, in quibus ut in loco suo perpetuò sit habitatura.

Quomodo tempus, & tempora, ac dimidiũ temporis, sit distribuendum.

653 Ad secundum: cur sæpè hìc Diabolus draco dicitur, ut vers. 3. 4. 7. 9. & 13. tamen hìc, & versu seq. dicitur serpens? Dicitur ergo draco, maximè considerata ejus vi, immanitate, ac crudelitate, dicitur autem serpens, attenta ejus nequitia, ac calliditate, nam cùm Diabolus persecutus est Ecclesiam per Imperatores ethnicos, maximè sese exhibuit sævum, & crudelem, indeque draco nuncupatur; cùm verò persecutus est, & persequitur per hæreticos, ac malos christianos, sese Diabolus tunc maximè præbet versipellem, & insidiatorem, & ideò nunc serpens, & non draco dicitur. De serpente scriptum est, Gen. 3. n. 1. *Sed & serpens callidior erat cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus*. Ad hanc calliditatem significandam, dicitur serpens in præsenti.

Cur hic dicitur serpens, & non draco.

654 Ad tertium: Quid sibi vult, *A facie serpentis*? Viegas, & Ribeira hyperbaton agnoscunt, & verba sacri text. sic ordinant: *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret à facie serpentis in desertum in locum suum, ubi alitur*, &c. Tamen talis transpositio verborum sine causa mihi non placet, nec est ulla ratio sufficiens cur sic transponantur verba. Si D. Matthæus suum Evangelium incœpit: *Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham*; talis transpositio facta est ex magna causa; hìc autem nulla reddi potest, nam si Joannes talem hyperbaton intenderet, cùm facilè evitare posset dicens: Ut volaret à facie serpentis; & omnia essent facilia, ideo meritò talem transpositionem respuit Alcazar, qui ait græcam esse phrasim, & significare, *ali procul à serpentis conspectu*; quod egregiè est dictum, si bene explicetur: cùm ergo hæc mulier divina providentia erepta sit ex faucibus draconis, & in eum locum ducta, ubi ei cibus suppeditatur, eam draco non valet deglutire, ut habet in optatis; tamen nunquam desistit eam malignis oculis intueri, & veluti basiliscus eam, si possit, fascinaturus, obtutum in eam perpetuo figit.

Impugnatur prædictus modus dicendi, & verus cõstituitur.

Dicam aliter: Ecclesia à facie serpentis alitur, quia facies, & aspectus serpentis confert ad pastum ejus; sic obsessio adversarii valet ad corroborationem contrarii, nam quantò serpens antiquus cum suis hæreticis, ac malis hominibus intendit oppugnare Ecclesiam sanctam, tantò magis acuit studium, ac industriam doctorum ipsius Ecclesiæ, ad explicandam ex Scripturis, ac Patribus fanam, & veram doctrinam, ac laudabiles consuetudines retinendas; si enim in tanto annorum spatio omnia fuissent in otio, ac quiete, nisique facies draconis oppositæ Ecclesiæ, illi perpetuo immineret, cum suis hæreticis oblatrantibus, multæ veritates, ac salutares doctrinæ, absque explicatione, veluti sepultæ jacerent; sicque in his proximis temporibus Lutherus, & Calvinus nolentes Ecclesiæ inservierunt, ut ab ipsa Ecclesia multa verè, ac sanctissimè explicarentur ad confundendos, & refutandos ipsos perfidos, & malignos hæreticos. Sic adimpletum est id, quod ait Paul. 2. Corinth. 4. nu. 6. *Deus qui fecit de tenebris lucem splendescere*. D. Hilar. lib. 7. de Trinit. sic ait: *Proprium hoc Ecclesiæ est, ut tunc vincat, cùm læditur, tunc intelligat cum arguitur*: vide quæ dixi de hac re to. 1. in Apocalyps. c. 8. qu. 16. num. 102.

Hæreticorum impugnatione splendet, & magis fulget Ecclesia.

Ait regius Vates, Ps. 140. n. 7. *Audient verba mea, quoniam potuerunt, sicut crassitudo terræ erupta est super terram. Quoniam potuerunt*; D. Augustin. legit: *Prævaluerunt*, ut explicat noster Incognitus: *Prævaluerunt* contra doctrinam Philosophorum, ac potentatuum hujus sæculi, impugnantium ipsa verba mea; & subdit: *Sicut crassitudo terræ*; quæ, ut explicat D. Aug. est quid vile, & abjectum; tamen ut ait Incognitus: *Crassitudo est pinguedo, quæ ponitur super terram, & erumpitur, ac spargitur per terram, qua terra irrigata, ampliores fructus producit*. Sic ipsa impugnatio hominum hujus sæculi, quamvis esset vilis, & abjecta, fuit veluti quædam crassitudo, & pinguedo ut inserviret Ecclesiæ ad parturiendas novas considerationes, & ponderationes, ut magis verba ejus explicarentur, & audirentur. Colluvies, ac immunditia hæreticorum impiorum impugnantium veritates catholicas, tantùm abest quòd valeat nocumentum Ecclesiæ inferre, quod potiùs tanquam crassitudo, ac pinguedo terræ inserviat ad magnas explicationes, ac doctrinas juxta mentem Sanctorum Patrum, ac sacræ

Scri-

Scripturæ proferendas, quibus ipsa Ecclesia abundantissimè fœcundatur, ac præclarissimè fulget. D. Augustin. *Quomodo accepit terra quandam pinguedinem de rebus contemptibilibus, & abjectis; sic ex eo, quod contempsit hic Mundus, accepit crassitudinem terræ, ut inde seges Ecclesiæ feraciùs pullularet.*

Apoc.12.n.15. Emisit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.

Num.16. Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod misit draco de ore suo.

VERSIONES.

Syriacus. Et projecit ille serpens ex ore suo post mulierem, aquas tanquam fluvium, ut eam ablatam à fluvio traheret.

Arabicus. Effudit autem serpens ex ore suo flumen aquæ post mulierem, ut attractam obrueret eo flumine.

Primas. Misit aquas in modum fluminis ut eam perderet.

Vatabl. Et ejecit serpens: :: ut eam faceret rapi à flumine.

Arias. Ut eam flumine latam faceret.

Arabicus n.16. Sed succurrit terra mulieri, & absorbuit flumen, quod serpens effuderat.

Oecumen. Aret. Fuitque terra mulieri auxilio.

Syriacus. Solum habet, & adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum.

Pagnin. Quod draco ejecit ex ore suo.

S. Ambros. Et suscepit flumen quod misit draco.

EXPOSITIO.

657 ET *misit serpens ex ore suo, post mulierem, aquam tanquam flumen.* Cum Ecclesia volaret in gentilitatem valdè gloriosè cum alis aquilæ magnæ, divinæ potentiæ, serpens antiquus, scilicet Diabolus, maximè contra hanc mulierem Ecclesiam sanctam se armavit, & cùm videret quòd nihil poterat agere contra eam unguibus & dentibus, persecutione scilicet tyrannorum, *misit ex ore suo aquam tanquam flumen*. In aqua ex ore draconis significantur omnia illa persecutionis mala, quæ ex ore habent scaturiginem, ut sunt hæreses, falsæ & non sanæ doctrinæ ut schismata, & dissidia, *tanquam flumen*, quod habet oblongum tractum, & successivum, cum multa copia aquarum; proindeque denotat hanc persecutionem errorum, ac falsitatum contra Ecclesiam longum tractum habituram, à publicatione nempe Evangelii usque ad finem Mundi, cum multa copia iniquorum dogmatum. *Ut faceret trahi à flumine.* Hoc studio tantas errorum aquas misit serpens, intentans illis mulierem, seu Ecclesiam trahere, ac subvertere; quod minimè potuit obtinere, nam Ecclesia à Deo custodita à tot errorum persecutionibus semper liberata, ac triumphatrix extitit, & usque in finem extabit.

Oblongus hæretum tractus.

658 *Adjuvit terra mulierem.* Valdè aptum est symbolum ad exprimendum mirum modum, quo Ecclesia ab omnibus calamitatibus eripitur; dum hæretici semetipsos destruunt, & oppugnant. *Adjuvit terra mulierem, & aperuit os suum.* In præsenti, terra, & os terræ stat pro hominibus terrenis, ipsis nempè impiis hæreticis, & sectariis, atque schismaticis, in quibus immissæ à Diabolo hæresum, errorum, & dissidiorum controversiæ, ac oppugnationes, maximè inter se dissident, itaut unus hæreticus pro sua secta aperiens suum os, alteram sectam pestundet, indeque ipsæmet hæreses, ac errores semetipsos consumunt, ac destruunt, in quo nolentes & præter ipsorum vota, adjuvant Ecclesiam catholicam, quod est: *Adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen.* Dum unus hæreticus, seu terrenus homo per terram significatus aperit os suum, alios sibi consimiles oppugnat, eorum venenosum errorum flumen absorbens, & destruens.

Hæretici semetipsos oppugnat.

659 Seu ut aliter dicam: *Terra aperuit os, & absorbuit flumen;* quia ipsimet hæretici in suis dogmatibus sunt parum sibi constantes, & adeo in illis tot absona, opposita, ac maligna dicunt, quod ipsi suomet ore absorbeant errorum, & hæresum aquas, quibus scatent, ab eis autem Ecclesia semper incolumis, & secura persistit.

Hæretici parum constantes.

QUÆSTIO LXXIX.

Quare serpens tanta vehementia ex ore suo misit flumen aquarum, & quid significet hoc flumen.

ANdreas Cæsar. Ribeira, Vieg. Cornel. Tirin. & alii, inquiunt hoc flumen aquarum significare magnam persecutionem, nam cum tempore Antichristi sancti fugient in solitudines, tunc Antichristus imperio oris sui, mittet satellites, & exercitus suos, ad sanctos auferendos, & violenter revocandos. At hæc sententia mihi non placet; & mihi valde difficile est omnem istam sanctam Apocalypsis prophetiam, esse de una Ecclesiæ persecutione, cùm multi sint, & fuerint Antichristi, ipso Joanne teste, prima epistol. c.2.n.18. nec potest esse verisimile, quòd cùm per tot annorum curricula, multa præterita, & innumera contigerint in Ecclesia, in tam ampla, & lata prophetia solùm annuntietur Antichristus, & tam fusè, & confusè. 660

Impugnatur prædicta sententia.

Secundò Alcazar in ea est sententia, ut existimet per flumen hoc ex ore draconis procedens, significari Neronis persecutionem in christianam Ecclesiam; nam Nero fuit Magus, & ejus persecutio nata est ex responsis dæmonis, ac veneficorum. Hæc sententia communiter reiicitur, & meritò, quia flumen dicit oblongum tractum; illa persecutio non fuit adeo oblonga per multa annorum sæcula. Præterea si flumen est persecutio, terra, seu terreni illi homines Neronis interfectores, num in se susceperunt persecutionem? dicitur enim: *Terra aperuit os suum, & absorbuit flumen.* 661

Reiicitur sententia.

Stat ergo tertia, & vera sententia quam sequimur; cùm enim flumen dicat oblongum, & successivum tractum, & aquæ in Scriptura frequenter significent contradictiones, & adversitates, per flumen ex ore draconis, intelliguntur aquæ contradictionis errorum, hæresum, falsitatum, ac iniquitatum, quas antiquus serpens Diabolus, per ora hæreticorum, ac iniquorum misit contra Ecclesiam, ut eam impugnaret, ac subverteret, ut latè explicavi in expositione; sed nihil valuit efficere Diabolus, cùm Ecclesia, Dei gratia esset protecta; & de hac dæmonis impugnatione, & Dei protectione erga Ecclesiam à publicatione Evangelii, usque ad finem Mundi, agitur in toto hoc capite. 662

Quartò, & moraliter aliquid dicamus: Per aquas hujus fluminis D. Anton. Ulyssip. & D. Ambros. intelligunt delectationes mundanas, & carnalia desideria; quia cùm Diabolus videret, quòd Ecclesiæ filios, homines scilicet pios, ac justos persecutionibus, ac tormentis tyrannorum non potuerit devincere, his voluit superare, nam hujusmodi carnalia desideria, efficaciora sunt ad commovendum animum virilem, quàm quæcunque alia tormenta. D. Anton. Ulyssipon. *Hæc enim est aqua, nempe delectatio mundana, quam Diabolus misit post mulierem;* & clariùs D. Ambros. *Flumen aquæ*, ait, *desideria sunt carnalia: Videns autem Diabolus, Ecclesiam non posse dejici persecutionibus, sed potiùs crescere, & roborari, multitudinem desideriorum carnalium ei immittere voluit, quibus decepta ad mala opera agenda retraheretur.* 663

Desideria carnalia, ac delectationes maximè attrahunt.

Quintò alta consideratione ait noster Joannes, quòd serpens *misit ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen*; non ut verum flumen, sed similitudinem fluminis habentem, tanquam flumen, nam verum flumen in genuino, ac vero sensu sacræ Scripturæ, solùm mittit verus fidelis, ac verus filius hujus mulieris, Ecclesiæ scilicet, ut ait Christus D. Joan. 7. n. 38. *Qui in me credit sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Serpens, seu quilibet malignus doctor mittit de ore suo aquas non vivas, sed mortuas, & putridas falsæ, & iniquæ doctrinæ, cum similitudine, ac apparentia veræ disciplinæ; hanc iniquam doctrinam mittunt hæretici contra Ecclesiam, 664

Serpens Tartareus conatur per hæreticos à fide in perfidiâ trahere.

siam, ac ejus filios, an si fortè valeant rapido hoc flumine eos trahere, ut ait Rupert. *Nimirum à fide in perfidiam, à veritate in mendacium, à luce in tenebras, à vita in mortem, ab altitudine in profundum, à Cœlo in infernum.*

665 Sextò poterat Joannes dicere, quòd serpens misit aquam ad instar fluminis, ut faceret mulierem trahere ab eo, vel ut eam absorberet, vel suffocaret; cur ergo ait, quòd misit hanc molem aquarum post mulierem? Per hanc mulierem Ecclesia denotatur; ideo ait, quòd serpens misit aquam post mulierem, quia licèt serpens multas tribulationum aquas intendat emittere in Ecclesiam, nulla tamen eam potest percutere, vel lædere, seu attingere. D. Thom. *Bene dicitur*, ait, *post eam, quia tribulatio eam non attigit, quia non dejecit.* Joachimus Abbas sic ait: *Non attigit eam ad submergendum*; Isai. 43. *Cùm transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te.*

Diabolus cum suis hæreticis Ecclesiam non potest submergere.

666 Septimò juxta mentem D. Ambrosii, ac D. Antonii Ulyssipon. per hoc flumen aquarum, quod serpens misit ex ore suo post mulierem, possumus interpretari voluptates, ac divitias hujus sæculi, nam Diabolus, seu serpens volens emollire fortem animum hujus mulieris, aquas voluptatis, ac divitiarum post eam misit, ut illis posset eam submergere. Sed quid habent undæ cun divitiis, ac voluptatibus, ut sub aquarum ænigmate proponantur? Quia divitiæ, ac voluptates ad vivum exprimunt aquarum ingenium, sicut enim unda rapida, eo momento, quo aliquem attigit, illabitur & fugit, ita divitiæ, ac voluptates velocissima fugacitate percurrunt, & si aliquem attingunt, rapidissimè deserunt, nam si quis circumstantem aquam intentaverit manu tenere, frustratur aqua cito labente, D. Basil. in Psal. 61. *Quemadmodum*, ait, *fluvius ab alto ruens, ita subitò exuberat, ut stantes in ripa quandoque attingat. . . . . simul verò ubi attigerit, mox succedit, sic & operum lubrica proclivitas perniciosissimam exhibet, & prolapsione levissimam sui præsentiam.*

Divitiarū condirio valde lubrica, & fluxa.

667 Decantat regius Vates, Psal. 61. n. 11. *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere*; D. Ambros. sic legit: *Divitiæ si fluant*; divitiæ enim, tanquam fluminis aqua, cito fluunt, & currunt. Avidè undam expectas, at ubi primùm te leviter attigit, velociter longiùs recedit, & præterfluit. Hanc conditionem induit divitiarum natura, quia si ad te fluunt, ita citò te deserunt, ut nudus inveniaris. Heri multis abundasti, hodie omnium destitutus existis. D. Ambros. *Vides*, inquit, *quia fluunt, non vides quia præterfluunt? nudus es natus, nudus moriturus es; quid excipere queris, quod tecum auferre non possis. Fluenta sunt, quæ miraris, quomodo veniunt, sic transeunt, & recedunt.*

Divitiæ tanquam aqua labuntur.

668 Ait Sophonias 1. n. 11. *Disperierunt omnes involuti argento*; hoc est perierunt, ac consumpti sunt omnes divites undique opibus cincti, ac circumsepti. *Involuti argento*; nempe illi, qui ipso argento, maximè superbia efferebantur, ac de illius copia multum præsumebant. Illud in rem nostram nota, quòd non ait Propheta, disperibunt de futuro, sed de præterito loquitur: *Disperierunt*; quia adeo celer venit divitiarum affluentia, ut non sit cur expectetur à dilectoribus earum futura auri perditio, sed semper præterita apparet: sic citò labitur auri copia, quod vix attigit, quando jam recedit, & præterfluit. D. Hieronym. ibi: *Non dixit*, ait, *Peribunt omnes involuti argento, sed jam nunc antequam veniat supplicii dies, in eo ipso, quod semper de thesauris suis cogitant, & serviunt eis, perierunt.*

Divitiæ fugacissimæ sunt.

669 Ait Psalmista 75. n. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Dum potentes sæculi, ac divites, se multa habere reputant, dum pauliper dormiunt, statim divitiæ ad alios avolant, quæ ita citò transeunt, ac si per breve somnum videantur haberi; ita enim fugaces sunt divitiæ, ut non repræsententur, nisi per breve somnum, quo transacto sic omnia evanescunt, ut nec illius vestigium appareat. D. Ambros. lib. de Naboth. c. 6. *Hic*, ait, *acquiruntur, hic relinquuntur: somnium agere loquimur, non patrimonium.* D. Chrysost. hom. 32. in c. 4. Jo: *Quid autem*, inquit, *omnino sunt divitiæ? Umbra inanis, fumus qui citò evanescit, flos fœni, vel etiam viliores.*

Divitiæ velut somnium quo evigilato pereunt.

QUÆSTIO LXXX.

Quare, cùm malignus serpens totus esset armatus, ut devoraret mulieris filium, tamen venenosum flumen non mittit post filium, sed post mulierem.

670 TOta difficultas est, quòd cùm hæc insignis mulier appareret radiantibus luminaribus insignita, *cruciabatur ut pareret*, & draco insani furore armatus, *stabat ante mulierem, ut cum peperisset devoraret filium ejus*; & dato filio in lucem: *Et peperit filium masculum, & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum*; at verò mulier aquilinis alis ornata, transvolat in desertum: *Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* Diversa via puer, & mulier rapiuntur; puer ad Deum, & ad thronum ejus, mulier verò in desertum; tunc *draco misit post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Serpens tota rabie, ac furore insaniens erat contra puerum, *ut devoraret filium*; quomodo hoc rapidum fluminis venenum non evomit contra puerum, sed potiùs contra matrem, cum apertè dicatur in text. quòd stabat, *ut devoraret filium.*

Difficultas quæstionis.

671 Peracutè respondet Albert. Mag. *Cum mulieri insidiaretur, devorare filium cupiebat.* Mulier hæc erat sacratissima Virgo Maria, ut supra ex multis Patribus dixi q. 9. filius verò ejus Christus D. ecce vafer ingenium draconis; cùm enim ipse bene agnosceret, quòd Christus D. utpote Dei filius naturalis, esset impeccabilis per naturam, indeque quòd impossibile erat coinquinari venenoso peccati flumine, quòd non ita dabatur per respectum ad matrem, quæ utpote Adami filia, videbatur obnoxia communi legi peccati originalis, ideo post mulierem, toto impetu emisit flumen, *ut eam faceret trahi à flumine*; tamen apertè text. ait quòd stabat, *ut devoraret filium ejus*, pro certo habens quòd si venenosis suis aquis coinquinaret matrem, etiam filium aliqualiter attingeret labes, ac macula matris in filium derivaretur: *Cum mulieri insidiaretur, devorare filium cupiebat*; nam insidiæ paratæ in matrem, filium etiam apprehenderent, & damnum ex insidiis proveniens in matrem, in filium etiam refunderetur.

Macula Matris in filium derivatur.

672 In hoc sensu dixit D. Ildephonsus lib. de Parturit. Virg. *Si materna viscera sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinasset, Christus non esset Dei filius naturalis.* Multam indaginem verba requirunt; poterat enim Deus sua alta sapientia, ac potentia ordinare, ut divinum Verbum carnem sumeret ex muliere infecta peccato originali, nam hoc divinum mysterium incarnationis originem habuit ex divino amore, non verò ex matris meritis: quomodo ergo ait Sanct. Pater, quod si Christus natus esset ex muliere infecta peccato originali, *non esset Filius Dei naturalis*? Hoc est, ut intelligo, quòd multa essent motiva, ac rationes conjecturandi, ac suspicandi, quod ipse non erat Dei filius naturalis, nam, ut habet juris dispositio, L. si quis à liberis ff. de liberis: *Iniquissimum est patrem aut matrem egere, cujus filius sit in facultatibus*; quis potentior, ac ditior in omnibus bonis gratiæ, ac gloriæ, quàm ipse filius Dei? quomodo ergo fieri potest, quod videns ipse illam, quæ per æternum decretum Patris, electa, ac destinata erat in matrem ejus, ei non subveniret donis gratiæ, ut eam ab egestate, ac paupertate peccati originalis immunem faceret?

Si Virgo non esset concepta sine originali, non generaret filiū Dei.

673 Ait D. Hier. in qq. Hebraicis: *Erat famosa quæstio omnium Ecclesiarum disputatione ventilanda*; quonam anno Mathusala mortuus est, apertè namque constat ex nostra Vulgata, quod vixit *nongentis sexaginta novem annis*, Gen. 5. n 27. proindeque juxta meliorem computationem mortuus est Mathusala ipsomet anno diluvii; undè aliqui existimarunt, quòd ipse in aquis diluvii periit. Cardinal. Cajetan. constanter tenet, quod quamvis in eodem anno obierit, tamen ante inundationem diluvii, in principio ipsius anni,

& rationem assignat Cajetan. *Ut Noe neglectæ pietatis erga avum salvandum, non arguatur.* Noe erat nepos Mathusala; Noe ut de eo testatur Scriptura, Gen.6. n.9. *vir justus, atque perfectus*; indè apertè colligitur, quòd avo suo subveniret: si ergo alienum est ab omni convenienti ratione, quòd cum Noe esset vir justus, ac perfectus, posset que & haberet aptum medium, nempe arcam, ad custodiendum ab aquis diluvii parentem, & avum suum, non feciſſet; quod argumentum, ac consequentiam colligunt doctores ex perfectione, ac sanctitate Noe: quanta majori, ac sublimiori ratione, hoc inferendum est à nobis de filio Dei, cùm sit infinitè perfectior, justior, ac sanctior Noe, ut non sineret matrem suam in venenosis aquis peccati, ac culpæ submergi.

Maximè arguitur pietas filii, si non subveniat parentibus.

674 Dicitur Gen.1.num.2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Theodoret. Tertullian. contra Hermogen.c.32. inquiunt quòd hic spiritus Domini est ventus à Deo excitatus; D.verò Basil.D.Hieron. Theodor. Athan. & alii Patres communiter apud Cornel. ibi docent, quòd sit Spiritus Sanctus à Patre, & filio procedens, spirans, seu producens quendam ventum calidum super aquas; ex quo nascitur grandis quæstio: Cur hic Spiritus Domini, seu iste ventus ab eo spiratus, non ferebatur, sedebat, seu incumbebat super alia elementa, v. g. super Cœlum, ignem, aerem, & terram? quid magis habuerunt aquæ, ut sedes Dei fierent? Ad quod eruditè respondet Tertullian. lib. de Baptismo; & ait: *Habes, homo, in primis ætatem venerari aquarum, quòd Divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis fuerit, nam & tenebræ totæ adhuc sine cultu syderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imperata, & Cœlum rude; solus liquor semper materia perfecta, de suo pura dignum vectaculum Deo subiiciebat.* Expende illud: *Liquor semper materia perfecta de suo pura*; hoc discrimen est, inter aquam, & cætera elementa, quod Cœlum, & ignis in suo principio imperfecta, cum essent sine Sole, Luna, stellis, ac planetis, quibus maximè fœcundatur; aer totus tenebrosus sine luce horribile Chaos, terra rudis imperfecta, sine ullo germine, at aqua *semper materia perfecta de suo pura.* Ideo Cœlum, ignis, aer, & terra non assumuntur ad sedem alicujus divinæ virtutis, utpote quia aliquando perfectione laboraverant, sed tantùm aquæ, quæ semper puræ sine nota, & macula, ad hoc tantum ministerium destinantur: *Solus liquor semper materia perfecta, de suo pura, dignum vectaculum Deo subiiciebat*; si ergo Maria per aliquod instans macula originali infecta fuisset, quamvis postea magnis gratiis esset condecorata, improportionata inveniretur, ut Divini Verbi esset sedes, & vectaculum.

675 Hinc, ut supra ostendi, Virgo Maria magnis gratiis, donis, ac privilegiis ditata est, utpote mater Filii Dei; hinc in persona Christi ad Virg. Mariam dicitur Cantic.6.n.8. *Una est columba mea, perfecta mea*; & statim subditur: *Una est matri suæ electa genetrici suæ*; dicitur quod Virgo Maria una sit columba, & perfectissima, & additur quod sicut columba est Christo D. sic etiam columba est matri, ac genitrici suæ. Peracutè notat D. Gregor. Nyssen. quod mater columba est altera columba, nam sicut homo ex altero generatur homine, & omne animal ex simili in sua specie, sic & columba ex altera nascitur columba. Virgo Maria columba est, & cujusnam columbæ filia? Spiritus nempe Sancti, qui sub specie columbæ, in Jordane apparuit: *Vidit Spiritum descendentem sicut columbam*, Matth.3. n.16. hujus nempe columbæ, scilicet Spiritus Sancti filia est Maria, sic enim ipsa ex suis parentibus nata est, ut etiam divina gratia genita extiterit, ut pura, & immaculata ab omni originali macula inventa sit. D.Greg.Nyssen. homil.15. in Cantic. *Cùm filia columbæ sit*, ait, *omninò etiam mater hujus columbæ est illa, quæ de Cælo ad Jordanem volavit.*

Virgo gratia Spiritus S. cœcepta.

676 Spiritus Sanctus amor est; ex vehementi Dei amore Maria concepta & nata est, de qua Nativitate loquens Isaias c.11. nu.1. ait: *Egredietur virga de radice Jesse.* Hæc virga juxta communem placitum Patrum, ac doctorum, est sanctissima Virgo Maria: Jesse duplex habet nomen; dicitur Isai, & Jesse; & cur potiùs in præsenti dicitur Jesse, quàm Isai: *Egredietur virga de radice Jesse.* Jesse idem est, ac incendium, & lectio hebraica sic habet: *Egredietur virga de radice incendii*; hæc enim virga sanctissima Maria prodiit ex vehementi amoris incendio Divini Patris erga illam. Sic ait D.Methodius, ser. de Deipara: *Salve amoris Dei Patris thesaure*: vide supra in hoc c.qu.14.nu.113. & seqq. & q.16.n.135. & q.35.n.266.

Maria concipitur ex amore Dei.

QUÆSTIO LXXXI.

Quare terra adjuvans mulierem, aperuit os suum, & absorbuit totum flumen.

QUi hanc prædictionem ad tempus Antichristi referunt, ut Viegas, Ribeira, Cornel. & alii, dicunt, sacram prophetiam denotare satellites, ac exercitus Antichristi, sicut Dathan, & Abiron à terra devorandos; tamen eorum clades talis non erit, ut patet ex c.11. n.13. & infra suo loco clariùs constabit. 677

Stat firma nostra sententia, quòd hoc symbolo ænigmatico optimè exprimitur, quomodo Ecclesia sancta, Dei protectione tuta, & secura eripitur ab omnibus calamitatibus emergentibus, nam sicut in multis partibus, terra absorbet per suos hiatus flumina, ut nihil eorum ampliùs appareat, ita impii, & terreni homines, ac hæretici, qui hic pro terra sumuntur, dum unus adversùs alterum aperit os suum, tunc hæretici pessundant, ac destruunt, & in semetipsis consumunt, ac absorbent totum venenosum hæreticale flumen, quod draco ex ore suo misit, & in hoc præter eorum intensionem adjuvant mulierem, Ecclesiam scilicet Dei, nam sive dum ipsi inter se dissident, suos errores perimunt, & consumunt, sive etiam dum Ecclesiam impugnant, nam eorum impugnatio, est tanquam stimulus, ut à bonis, & probis doctoribus magis veritas catholica declaretur, ac explicetur: vide quæ dixi in expositione. Quæ major, & gloriosior victoria de Ecclesia dici potest, quàm cùm à morte Christi usque modo tot hæreses pullulaverint, ipsis tamen omnibus extinctis sancta, & catholica fides firma, & constans persistit? Huc advoco id, quod dixit Severus Sulpit. lib.2. sacræ Historiæ: *Neque majori unquam triumpho vicimus, quàm cùm decem annorum stragibus vinci non potuimus.* 678

Ipsi hæretici se mutuo destruunt.

Moraliter jam. Primò: Terra adjuvit mulierem, & absorbsit flumen; per hoc flumen, ut jam dixi, multi, & graves auctores intelligunt antichristianos, & malos, ac iniquos homines; sed quomodo terra suos dilectores consumit, ac perimit, & se exhibet adjutricem huic mulieri, scilicet Ecclesiæ Dei? Quales enim fuerimus Deo, tales omnes creaturas invememus pugnantes pro suo Creatore. Conqueritur David Psalm.101. numero 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt*; sic pulchrè commentatur Div.Augustin. *Dies*, ait, *non declinarent, si tu à vero die non declinasses; declinasti, & accepisti dies declinantes; quid mirum si dies facti sunt similes tui? ipsi enim sunt dies declinantes, quia tu declinasti, qui sunt dies fumi, quia tumuisti*; supra dixerat: *Defecerunt sicut fumus dies mei, & nunc dicit: Dies mei sicut umbra declinaverunt.* Dies tui declinarunt ad interitum, quia tu declinasti à Deo ad interitum peccati. 679

Qualis homo Deo, tales invenit creaturas.

Secundò: *Adjuvit terra mulierem*; quænam ista terra, quæ tam terreno affectu commovetur ad mulieris adjuvamen? Per terram Richard. Victor. intelligit homines impios, & terrenos, sicut per mulierem intelligit justos, & sanctos; sed quomodo terra, id est, peccator, & iniquus, persequente dæmone adjuvit mulierem, hoc est, justos, & sanctos? Hæc est alta Dei providentia, quòd malus sive nolens, sive non attendens justos adjuvat, eisque adjuvamen præbet. Sic ait citat. Richard. *Terra os suum aperiendo flumen absorbendo, mulierem adjuvat, quia dum terrena diligentes gratanter suscipiunt, quod Diabolus suggerit, ipse Diabolus eis nocendo, à bonorum tentatione ad tempus cessat*; quia dum Diabolus se totum applicat ad iniquos persequendos cessat à vexatione bonorum. 680

Peccator etiã nolens & non attendens justos adjuvat.

681 Tertiò: *Adiuvit terra mulierem*. D. Ambr. per terram intelligit Christum D. juxta illud Psal. 84. num. 2. *Benedixisti Domine, terram tuam*; & quomodo hæc terra aperuit os suum, & absorbuit flumen, quod adversùs mulierem draco emisit? non enim legimus de Christo D. quòd aperto ore talem flumen deglutierit, sed solùm, quod de torrente in via biberit, non autem quòd torrentem, seu flumen absorbserit. Absorbsit ergo flumen vitiorum, ac iniquitatum, emissum contra suam Ecclesiam, dum sua infinita misericordia talia Christus dissipat. D. Ambr. *Adiuvit*, ait, *mulierem terra, id est, Christus Ecclesiam, & aperuit os suum, & suscepit flumen, quod misit serpens ex ore suo, id est, sinum misericordiæ aperuit suæ, flumenque vitiorum potestas ejus funditus extinxit.*

Christus suæ misericordia destruit omnia mala contra Ecclesiam.

682 Quartò: *Terra adiuvit mulierem*; quænam terra hæc est, quæ mulieri, seu Ecclesiæ in tanto periculo adjuvit? D. Bernard. sic ait: *Terra potest dici B. Virgo, quæ terra fructum nostræ salutis portavit; hæc ergo adiuvit mulierem, id est, Ecclesiam, pro ipsa exorando*; quod magis explicat Gorranus de B. Virg. sic loquens: *Modus verò adiuvandi Ecclesiam militantem, exprimitur, cùm dicitur: Aperuit terra os suum in oratione, & absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo, annihilando precibus illam magnam tribulationem.*

B. Virgo adjuvat Ecclesiam.

683 Quintò: *Adjuvit terra mulierem*; quia satellites Antichristi conspirantes contra Ecclesiam, ut ex multorum sententia jam dixi, & maximè contra supremum ejus caput Romanum Pontificem, vivi à terra absorbentur, ut factum est cum Dathan, Abiron, & Core, qui vivi descenderunt in infernum: Valde mirum, quod hi non pereunt consueta hominum morte; peccavit Cain magno peccato, occidens fratrem Abel, à Deo punitur ut *vagus, & profugus sit super terram*, Genes. 4. nu. 12. peccant Dathan, Abiron, & Core contra Aaron ambientes illius summum Pontificatum, aperuit terra os suum, & eos vivos devoravit, Num. 16. n. 32. & cur tam mira, & extraordinaria pœna hi puniuntur? Non adeo Deus irascitur in parricidam, ac alios delinquentes, ut in illos, qui Ecclesiæ suæ caput contemnunt; alii peccatores puniantur super faciem terræ, at qui contra Ecclesiæ caput se erigunt, ut antiquitus erat Aaron, & nunc est Romanus Pontifex, inaudita ruina vivi sepeliantur in inferno. Optatus Milevitan. lib. 1. contra Donatistas, cit. in Glossa in c. 1. epist. ad Corinth. *Parricidium, ait, principale delictum est, & tamen Cain nec reus à Deo percutitur, sed occisus insuper à Deo vindicatur, quod non sunt consequuti, qui populos Dei primitus auss sunt scindere; tot millibus virorum Aaron unum sanctus Deus præfecerat, Deus cui displicuit Schisma hoc libenter videre non potuit; iratus igitur quod in sacrilegos, & parricidas non fecerat, in schismaticos fecit. Mandata est terræ fames, statim fauces suas in populi divisiones aperuit, & contemptores mandatorum Dei, avido ore absorbsit.* Alii in Deum, vel homines ut Cain peccaverunt, at Dathan, & Abiron in Dei Pontificem; inde alii temporaliter puniuntur super terram, at delinquentes in Pontificem, dirupta terra, ab ipsa vivi absorbentur.

Qui contra Pastores Ecclesiæ insurgit, gravissimè punitur.

684 Sextò ecce in tanto periculo adjuvit terra mulierem, & absorpsit draconis fluctus; & in quo cœlestis mulier terram sibi habet adiutricem, dum illam sibi adæquat recognoscens suę vilem nativitatis originem, tunc omnes inundantes draconis aquas ridet, & superat. Andreas Cæsar. *At terra, inquit, juvit illam; juvit autem sanctorum submissione, qui verè, rectèque dicere solent: Ego sum terra, & cinis, omnes superbi Diaboli vires enervans, nihil enim Diaboli vires ita frangit, ut humilitas.* Maximè absolvit universos Diaboli incursus terrenæ originis consideratio. Et valdè profundo sensu dicitur, non quòd rupes, vel saxosa moles adjuvit mulierem, sed tantùm quòd terra adiuvit eam; nam si marinis fluctibus saxorum moles, vel rupes opponitur, magno verbere fatigantur, horrendoque stridore confringuntur, at verò si mollis terra, & plana invadentibus fluctibus se subiicit, quietè, & placidè allambunt terram linguis: sic & Cœlestis homo si terram sibi obiicit, pulverulentam originem memoriæ mandans, tutè & sine aliquo fragore mala venientia consumit, & perimit. Ad hoc spectat Euseb. Gallican. ser. 1. de Epiphania: *Quelibet tribulatio*, ait, *ita ab humilitate mitigatur, ac vincitur, sicut in planis litoribus, sine aliquo fragore unda consumitur.*

Effert ex hominis terræ medio, ad terrenam originem confugere.

Antiqua, & longa quæstio, cur Adamus à Deo sit conditus extra Paradisum, si statim in Paradiso locandus erat? *Plantaverat autem Dominus Paradisum voluptatis, in quo posuit hominem, quem formaverat*, Gen. 2. n. 8. cur ergo non conditus est in Paradiso? Ex alta sua præscientia peccati hoc faciebat Dominus, nec Paradiso expulsus caret peccator visione originalis pulveris: ideo extra Paradisum creatur, ut ejectus terram originis suæ præsentissimam inveniret, videns, & contemplans terrenum solium, undè principium haberet. Quod notat Glossa cur Adamus conditus sit extra Paradisum: *Quia*, ait, *Deus præsciebat Adamus peccaturum, inde pellendum ad hanc terram, ubi eum condiderat.* 685

Recogitata prima origine, omnia mala superâtur.

Exiens Job in pugnam cum Diabolo c. 1. n. 20. *tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit, & dixit: Nudus egressus sum de utero matris meæ*; non qualemcunque ortum suum recogitavit, sed ut notat D. Chrysost. in Caten. græca, particulariter primi illius opificis meminit, quo ab utero terræ, & limi primi parentis coaugmentatus est, sicque hac cogitatione innatæ nuditatis, ac utilitatis armatus, in pugnam cum Diabolo exiens, omnes illius maligni incursus superat, ipsumque devicit, ac prostravit. 686

Terreno pulvere muniatur animus contra tentationes.

Ait Deus Ezechieli 4. n. 1. *Et tu fili hominis, sume tibi laterem, & pones eum coram te, & describes in eo civitatem Jerusalem*; mandat Deus Prophetæ describere civitatem Jerusalem, & futuram obsidionem Chaldæorum in ea, in latere, &, ut notat Lyran. crudo, & non cocto; cur hæc potiùs non depinguntur in libro, stylo ferreo, & plumbi lamina, vel in silice, ut Job 19. exoptabat, ut permanens, & constans esset scriptura? ad quid in latere non cocto, in quo totum facilè deleri poterat? Sic volebat priùs Deus proponere calamitatem futuræ obsidionis, ut simul in latere non cocto provideret remedium, quo poterat talem stragem evitare, si nempe respiceret ad lutum, ac pulverem lateris, ex quo homo habebat suam originem, & ideo dixit Deus Prophetæ & in ejus persona omnibus: *Sume tibi laterem, & pones eum coram te*; ut bene recogitata sua pulverulenta primæva origine, universa eminentia mala eluderet, ac superaret. Glossa Interlin. *Coram te. Intenta mente qualitatem ejus considerando.* 687

Recogitatione terreni pulveris propulsantur omnia mala.

Apoc. 12. n. 17. Et iratus est draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata ejus, & habent testimonium Jesu Christi.

Num. 18. Et stetit super arenam maris.

VERSIONES.

Arabicus n. 17. Iratus est igitur ille serpens adversùs mulierem, & abiit ad bellum gerendum cum reliquo semine mulieris observantibus mandata Dei, habentibus testimonium Jesu.

Aretas. Et abiit ut committeret prælium.

Syriacus. Cum reliquis, qui residuum ejus seminis sunt.

Oecumen. Ut committeret prælium adversùs reliquos seminis ejus, quæ custodiunt præcepta.

Arab. n. 18. Stetit autem serpens super arenam.

Oecumen. Stat autem super arenam.

Alb. & Syriac. in margine. Sedit super arenam.

Bibl. Complut. Stetit super terram.

EXPOSITIO.

ET *iratus est draco in mulierem*; id est, in Ecclesiam, non quod priùs non esset iratus in eam, sed hoc dici. 688

diciturad magis significandā iram draconis, quia neque tempore, neque adversis successibus ira ejus remittitur, sed magis augetur. *Abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus:* Videns draco, quòd à sua prima expulsione à Cœlo usque ad ultimos ejus conatus, ex ore suo emisso flumine tot persecutionum, ac calamitatum contra Ecclesiam, per hæreticos, schismaticos, tyrannos, Impetatoresque Romanos, nihil valebat obtinere, nec infringere regnum christianorum, sed quòd maximè firma, ac stabilis erat fundata Ecclesia catholica, ac Romana, Imperatoribus Romanis jam christianis, ac defensoribus Ecclesiæ factis, tunc draco abiit ad Vandalos, Sarracenos, Persianos, & Japonenses, ad faciendum prælium, cum degentibus in eorum terris.

Verus sensus.

689 *Qui custodiunt mandata ejus, & habent testimonium Jesu Christi;* ideſt, qui corde credunt, & ore profitentur fidem in Jesum Christum, ut verum Redemptorem, ac Salvatorem suum. Et notandum quòd prius ait: *Qui custodiunt mandata Dei*; quod pertinet ad charitatem: deinde: *Qui habent testimonium Jesu;* quod spectat ad fidem, quia licèt fides sit via ad patriam cœlestem, tamen charitas, quæ in mandatis consistit, major, & præcipua est. Haymon: *Quod ideo*, ait, *mandatis priùs dixit, quia Charitas quæ in mandatis consistit, major est omnibus virtutibus, licèt fides via sit ad Deum, undè Apostolus: Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*, 1. Cor. 13.

Charitas virtutum maxima.

690 *Stetit* nempe draco, *super arenam maris;* in littore nempe imperans omnibus clientibus suis, qui præ sua multitudine sunt instar arenæ maris, ut bellum tam navale, quàm terrestre gerant, & confluant, ut uno impetu omnes christianos evertant. Vel draco stetit in littore maris, ut bestiæ ascendenti è mari daret virtutem suam, ut dicitur cap. seq. n. 3.

QUÆSTIO LXXXII.

Quare draco tam vehementer irascitur in mulierem, ut intendat facere prælium cum filiis ejus.

691 CUm draco videret omnes suos conatus in mulierem frustratos, & quod nihil contra eam valebat efficere, utpote cùm esset Ecclesia Romana firmissimè fundata, arma sua convertit ad filios ejus in variis partibus residentes; & quia non valebat matrem superare, voluit filios dejicere, proindeque quantò minùs draconi succedunt conatus, tantò ipse majorem iram concipit; ideo quid hìc significet *facere prælium cum reliquis de semine ejus*, inquirendum est.

Diabolus cum Ecclesiam non possit vincere, intendit, ejus filios dejicere.

692 Alcazar insistens cęptæ suæ expositioni de Neronis persecutione, ait, quòd illius adversitas cum ejus morte finem fecit, non tamen dæmonis ira contra primogenitam Ecclesiam, ejusque filios; quapropter desperans dæmon se posse primogenitæ Ecclesiæ superiorem evadere, adversùs alias Ecclesias peculiares arma sumpsit. Sed contra hoc urget, quod dicitur: *Abiit facere prælium*; significat dæmonem alibi, & non ibi prælium contra fideles suscepisse, quòd non est verum, nam urgentissimum bellum tempore Neronis fuit Romæ, & post ipsum per alios tyrannos Vespasianum, Domitianum, & alios; deinde supponunt ejus dicta persecutionem Neronis, non fuisse universalem, quod est falsum.

Impugnatur.

693 Ribeira, Cornel. Magn. la Haye inquiunt: *Facere prælium cum reliquis de semine ejus; hoc est*, (verba sunt Ribeiræ), *qui in remotioribus regionibus degebant, Antichristumque excitavit, ut ad eos mitteret persecutores.* At contra hanc sententiam valdè incredibile est, quod persecutio Antichristi à suo principio non fuerit universalis, & quod Antichristus relinqueret proximos christianos, & se conferret ad persequendos remotos, in partibus remotioribus existentes.

694 Ideo Cornelius conjungit utrunque, dicens cum reliquis scil. qui non fugerant, nec abdiderant se in solitudine; vel quia remotiores erant à regia & propria ditione Antichristi, ut putarent hunc ejus furorem ad se non perventurum. At utrunque membrum magnum patitur inconveniens, supponit enim totam vim, & diligentiam Diaboli, & Antichristi tunc temporis versari circa christianos fugientes, & post hos circa remotos, prætermissa diligentia in proximos, cùm maximè credibile sit occupandam esse circa proximos, ut incępta persecutio in fugientes non minuatur, sed potiùs magis, & magis crescat, nam cùm mulier seu Ecclesia fugeret in desertum, misit serpens ex ore suo post mulierem, flumen persecutionum, ut eam faceret trahi à flumine. Quod verò addunt auctores citati, quod persecutio Antichristi maximè desæviet in fortiores, ac animosiores, verum habet modo explicando.

Impugnatur prædicta sententia.

Nostra ergo sententia est, quam tradit Ferrar. in præsenti, quòd cum Diabolus ejectus è Cœlo, vidisset Ecclesiam Dei firmissimè, ac constantissimè fundatam, itaut non auferentur clavi ejus, ut ait Isai. 33. n. 20. ipsamque vidisset gloriosè propagatam in Romana Curia, misit post eam flumen persecutionum, *an si eam faceret trahi à flumine*, per hæreticos, schismaticos, falsos magistros, tyrannos, ac Imperatores; cumque videret Diabolus quòd nihil poterat perficere, sed quòd magis, & magis florebat, Imperatoribus Romanis christianis, ac illius defensoribus factis, abiit in longinquas nationes, ad Japonenses, Turcas, & cæteras barbaras, nationes, arma sumens contra Christi fideles, ejus sanctissimum nomen confitentes, in illis partibus habitantes, ut contra eos bellum ageret. 695

Vera sententia.

Sed dum Diabolus hos justos, ac sanctos maximè persequitur, eos validiores, ac fortiores reddit, & seipsum maximè infirmum, ac debilem ostendit; dum enim Diabolus justos persequens, eos credit posse opprimere, fortiores facit, & ipsemet Diabolus confunditur, ac opprimitur; quod pulchrè probat D. Ambros. lib. de Pœnit. c. 13. componens verba Pauli 1. Cor. 5. n. 5. *Tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*; cum verbis illis Domini ad Satanam de Job 2. n. 6. *Ecce in manu tua est*: Mira Dei sapientia; traditur homo in manu Satanæ, ut dum corpus vulneribus, ac morbis affligitur, spiritus in Deum feratur, ut salvus sit. Deliciæ carnis luxuriam, superbiam, ac cætera peccata fovent, quibus peccatis spiritus interimitur; at dum caro affligitur, dimittuntur mundana, & toto corde Deus quæritur, & animus magis solidatur, ac corroboratur in via salutis: Ecce persecutiones, ac adversitates à Diabolo excitatæ contra justum, ipsismet Diabolus interimitur, & justus proficit ad suam coronam; sic ait D. Ambros. *Magna potestas, magna gratia, quæ imperat Diabolo, ut se ipse destruat, se enim destruxit, cum hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem reddit, quia dum carnem debilitat, mentem ejus corroborat, ægritudo enim carnis peccatum repellit, luxuria autem carnis culpam adolet. Illuditur ergo Diabolus, ut se ipse morsu suo vulneret, & contra se armet, quem debilitandum putavit, & sic sanctum Job magis armavit, postquam vulneravit.* Maximè illuditur Diabolus, dum persecutionibus intendit justum debilitare, cum ipsis eum corroborat, ac maximè contra se armat, nam dum caro, seu corpus affligitur, usque ad interitum spiritus salvus fit. 696

Diabolus dum justos vult opprimere, ipse opprimitur.

Tertiò non dicitur, quòd Draco abiit facere prælium cum reliquis absolutè, sed cum addito: *Cum reliquis de semine ejus*, scil. mulieris, seu Ecclesiæ, *qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu*; non enim Diabolus movet bellum adversùs illos, quos tenet tanquam captivos in manu, sed tantùm contra illos, qui sunt de semine mulieris, qui in Ecclesia sancta vivunt Dei mandata custodientes, atque ea, quæ Deo sunt placita facientes. Abbas Ansbert. in præsenti: *Quis*, ait, *contra suos unquam bellum gerit? quis sibi obedientes expugnat? hinc certè probare se possunt homines, utrum custodiant mandata Dei, & habeant testimonium Jesu, ait namque Apostolus: Omnes qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur; si ergo quisquam persecutionem non patitur, adhuc piè vivere non probatur, si piè vivere non videtur, ab adversario persequi dedignatur.* 697

Majores Diaboli impetus in virum justum & sanctum.

Hinc David, peccatoris nomine Diabolum intelligens dicebat: *Considerat peccator justum, & quærit* 698

mortis-

mortificare eum, Psal. 36. nu. 32. ex eo quod Diabolus considerat justum, & sanctum non inducitur ad eum venerandum, ac honore prosequendum, sed potiùs ut laboribus, ac persecutionibus opprimat. Ibi D. Ambros. *Quò magis justus est quisquam, eò magis illi insidiatur inimicus*; quod D. Greg. Nazian. multis exemplis illustrat: *Ille*, ait nempe Diabolus, *in Paradisum adversùs eum, qui primus effectus est, ab initio irrepsit, & medius inter Angelos stat, Jobum ad cruciatum deposcens, ac postremò Dominum ipsum, qui eum oppressurus, & morte affecturus erat, adoriri non dubitat, eique, qui nulli tentationi obnoxius est, tentationem admovet, quasi ipsum quoque superaturus*. Maximè Diabolus omni conatu justitiam impugnare intendit, insurgit contra primum hominem in justitia, ac sanctitate creatum; in concilio Angelorum se intromittit, ut Jobum vexationibus percutiat, & sanctum sanctorum triplici tentatione adoriri audet.

Diabolus perfectiores magis impugnat.

699 Undè D. Hieron. in epist. ad Eustoch. de custod. Virg. sub init. *Non quærit*, ait, *Diabolus homines infideles, non eos, qui foris sunt, quorum carnes Rex Assyrus in olla succendit de Ecclesia Christi rapere festinat; escæ ejus, secundùm Abacuch, electæ sunt. Job subvertere cupit, & devorato Juda, ad cribrandos Apostolos expetit potestatem.* Ubi citat Christum Dominum utentem verbo, cribrandi: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum*, Luc. 22. num. 31. quia sicut cribro triticum à paleis secernitur, atque illud recondit in horreo, hæ autem scil. paleæ, contemnuntur, ita Diabolus malos separans à bonis, hos invadit ne in horreum beatitudinis recondantur, illos verò non curat, sed præterit, & contemnit. Totus ejus conatus, est in virum justum, & sanctum; quod intelligens David, Deum sic deprecabatur: *Custodi animam meam, quoniam Sanctus sum*, Psal. 85. num. 2. tantum abest, quòd de sua sanctitate confidat, ac se jactet, ut potiùs inde majores in ea tentationes formidet, & propterea majus à Deo auxilium exorat.

QUÆSTIO LXXXIII.

Quare draco furore accensus in mulierem, stetit super arenam maris.

700 BIblia Complutens. Andr. Cæsar. Rupertus quos sequuntur Ribeira, & Viegas sic legunt: *Stetit super mare*; ac si ipse Joannes de se dicat: Ego ductus fui in spiritu, ut viderem de mari bestiam ascendentem, de qua est sermo cap. seq. sed ad hoc non fuit necesse, ut ipse staret super littus maris; sic & in principio cap. dicitur, quòd ipse vidit *signum magnum in Cœlo: Mulier amicta Sole*; nec tamen de se dicit ductum in Cœlum: ergo & in præsenti similiter, præcipuè quia multæ sunt rationes, ob quas de Diabolo dicatur stare super littus maris.

701 Alcazar, Cornel. la Haye sic exponunt: Draco stetit in littore maris, ut per unam bestiam è mari, & alteram è terra mox prodituram excitet bellum tam in terra, quàm in mari contra fideles. Bestia maris, tanquam dux belli navalis, sic & bestia terræ ut dux belli terrestris; draco autem utranque concitat, & ideo in medio utriusque stat; & hæc sententia probabilis est. Sed contra hanc sententiam urget, quòd bestia, scilicet Antichristus, quæ erumpit, ac egreditur è mari, non est propter mare, sed propter terram, ut terra illi serviat, eamque suis exercitibus sub uno imperio subjiciat, ut dicetur cap. seq. ergo bestia quæ est è mari, non est tanquam dux belli navalis, præcipuè, quia quantum colligitur ex text. ejus potestas est, ut faciat bellum cum existentibus in terra, cap. seq. n. 7.

Impugnatur prædicta sententia.

702 Tertia vera, ac communis sententia sanctorum Patrum est, quod per arenam, impii, iniqui, ac perversi homines significantur; super hos stat, ac sedet Diabolus tanquam in suo loco, ac regno. Div. Ambros. sic ait: *Per arenam maris, multitudines reproborum, qui eo tempore futuri sunt, designantur*; & rectè ob suam multitudinem per arenam significantur: *Stultorum enim infinitus est numerus*, Eccles. 1. n. 15. Secundò impii *sunt* veluti arena levitate, quia omnium cogitationum, ac passionum vento agitati, variè huc, atque illuc aguntur, ac portantur. Ansbertus: *Quæ sunt*, ait, *iniquorum mentes, nisi quædam arenæ mobilitas?* Tertiò impii sunt tanquam arena, quia omnibus pietatis, ac virtutis fructibus carent; & quia minimè inter se uniuntur, sed veluti arena, omnino sunt divisi, ac dissidentes in se ipsis, absque eo, quod uniantur, & conglutinentur ad invicem. Albertus Magn. *Stetit*, ait, *super arenam maris, idest, super steriles, & aridos, & infructuosos, & incompactos*. Quartò rectè arena peccatores denotat; quid enim ipsis vilius? Arena maximè vilis, & abjecta reputatur, non solùm quia pedibus ut terra teritur, sed etiam quia nullius est pretiis, ac valoris. D. Thom. *Sedit*, ait, *super arenam, idest, super homines malos, & viles*. Hos tam iniquos, & perversos permittit Deus in Mundo regnare; causa autem cur Deus impios, & truculentos Principes permittat, peccata populi sunt, ut dicitur Job 34. num. 30. *Qui regnare fecit hominem hypocritam, propter peccata populi*.

Iniqui inconstantes, & varii.

Iniqui sine claritate & unione.

Peccatores nil vilius.

Princeps iniquus ob peccata populi.

Secundò draco iste ferus, & terribilis, prælia contra sanctos excitans, solùm dicitur *stare*; seu, ut alii legunt, *sedere* super arenam, non verò supra petram. Ait Salomon Proverb. 30. n. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro; viam aquilæ in Cœlo, viam colubri super petram, &c.* ecce draco, seu coluber, non super petram, sed solùm super arenam stare dicitur. Manifestum omnibus est, quòd serpens super terram suum vestigium imprimere non valet, si verò in arena, ac locis mollibus gradiatur, quæ leviter tetigerit, in eis signa sui corporis relinquit; hoc posito jam ad dubium propositum patet solutio: In cordibus sanctorum, quæ in Christi charitate firmata, ac solidata sunt, non valet malignus hostis locum habere, nec sui vestigia imprimere, quia delectatione, ac voluptate nequaquam emolliuntur, at iniquorum mentes, sunt veluti mollis arena, in quibus adversarius antiquus suæ fœditatis vestigia firmat, cum eas per carnis delectamenta fluidas invenit: ibi ergo stat, & sedet draco, ubi molliter quiescere valet, non verò ubi per sanctitatem sentit duritiem petræ. Haymon: *In petra non stat*, ait, *quia in cordibus sanctorum quæ voluptates nullæ emolliunt, locum Diabolus nullum invenit; econtrà in arena gressum figit, quia mentes quas humor carnalis concupiscentiæ emollit, inhabitat. Hic à Domino Job dicitur c. 40. n. 16. sub umbra dormit in secreto calami, & in locis humentibus; idest, lubricis, ac voluptuosis cordibus requiescit: quem ergo Dominus in locis humentibus perhibet, hunc Joannes super arenam stare affirmat.* 703

Diabolus quiescit nō in justo, sed in peccatore, ac impio.

Tertiò draco iste persequens mulierem multis congregatis copiis abiit facere prælium adversùs eos, qui erant de semine mulieris; si ad ineundum bellum abiit, quomodo nunc stat, seu sedet super arenam? an quia cogitat mulieri nullas ampliùs inferre molestias? Non hoc tibi persuadeas, cùm enim à tentando cessare videtur, tunc majores vires assumit, tunc majora machinatur mala, quæ adversùs nos inferat, ut in præsenti ratiocinatur Richard. Victor. qui gentilitatem arenæ confert, utpote tunc sterilem, ac infœcundam ab omni fructu boni operis; sic ait: *Diabolus dum à Sancta Ecclesia per aliquantulum, tentationum intermissione, recessit super arenam maris stetit, quia infructuosam, & vitiosam gentilitatem, ut per eam fideles persequeretur, attentiùs calcavit.* Thom. Angl. *Ad tempus recedit, ut justos securiores reddat, & post facilius decipiat.* 704

Diabolus à tentando aliquando cessare videtur, ut majora moveat tentamenta.

Quarto: *Stetit super arenam*; quæ est valde debilis infirma, & fluxida, ut ex tali loco infirmitas & debilitas Diaboli ostendatur, nam sicut à sedis magnitudine, Dei majestas ostenditur, undè ait Isaias 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum*; & David Psal. 79. *Qui sedet super Cherubim*; sic à loci, ac sedis debilitate, dæmonis infirmitas declaratur: semper dæmonum potestates à sapientibus infirmissimæ reputantur. 705

Diabolī potestas infirma.

Dicitur Cantic. 2. n. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*. Per vulpes dæmonum adversarias potestates intelligit communis sententia, quæ hominum genus demoliuntur; & eas non dicit leo- 706

nes,

Vera sententia.

Infinitus numerus stultorum.

nes, tygres, urſos & tauros, ſed vulpes, & non qualeſcunque, ſed parvulas, ut earum infirmitatem, ac debilitatem apertè inſinuet, ac exprimat. D. Nyſſen. hom.6. in Cantic. *Non enim dixit: Venamini aprum, qui ex ſylva vineam Dei depopulatur, nec ſingularem feram, aut rugientem leonem, ſed illæ omnes, inquit, terreſtres poteſtates, adversùs quas eſt colluctatio hominibus, principatus, poteſtates, & rectores tenebrarum harum, & ſpiritus nequitiæ ſunt parvæ vulpes, doloſæ, & infelices, ſi cum noſtris conferantur viribus.*

707 Gloriabatur aliquando Diabolus de ſua potentia, ac poteſtate dicens: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Job 2. n.2. ac ſi omnis terra ſub ſuo imperio eſſet conſtituta; ſed quàm infirma, ac debilis ſit ejus potentia, rerum exitus oſtendit, ſiquidem contra unum Jobum non potuit prævalere, quamvis adversùs eum omnes ſuas vires explicaſſet; latrones convocat, tres militum turmas ad pugnam congregat, ignem de Cælo, ventum à regione deſerti adducit, & cùm moveret omnem lapidem adversùs juſtum, confractæ ſunt ejus vires, & qui tantùm de ſua potentia gloriabatur, victus, ac proſtratus eſt. Orig. lib.2. in Job: *In tantum potuiſti, ut omnem terram, hoc eſt, omnes terrenos circuires, atque peragrares, hoc eſt, conculcares, atque ſub te ſubjiceres, quomodo non potuiſti uni terreno, atque corruptibili Job prævalere? ſed omnis potentia tua, atque prædones exercitus tui, & gladius eorum, & triplicia equitum tuorum cornua, hæc infirma, & ſupervacanea extiterunt per juſti Job tolerantiam.*

Diabolus contra unũ Dei militem non poteſt prævalere

CAPUT XIII.

Duas horribiles beſtias videt Joannes; unam aſcendentem de mari ſimilem pardo, habentem cornua decem, & capita ſeptem, cum nominibus blaſphemiæ, & hæc beſtia Antichriſtum denotat. Videt aliam beſtiam n. 55. aſcendentem de terra, facientem ignem de cœlo deſcendere, & ut imago prioris beſtiæ loquatur, & alia multa prodigia, quæ docet; & jubet adorari priorem beſtiam, ejuſque charactere omnes conſignari; & hæc beſtia erit aliquis Pſeudopropheta, & Præcurſor Antichriſti.

Apoc.13. nu.1. Et vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.

EXPOSITIO.

Syriacus. Et vidi quòd aſcendit animal dentis, &c. & ſuper capita ejus nomina convitii.

Oecum. Cornua decem, & capita ſeptem, & in cornibus ſuis.

Arabicus. Et ſuper capita ejus nomina apoſtaſiæ.

Vatabl. Tygur. Super capita ejus nomina blaſphemiæ.

VERSIONES.

1 *Vidi de mari*; hoc eſt, de hoc ſæculo, ac Mundo, qui frequenter mare dicitur ob ſuam inconſtantiam, mutabilitatem, procellas, fluctus motos, quibus ſe mutuò homines collidunt. *Beſtiam*, ſcil. Antichriſtum, qui merito beſtia appellatur ob beſtialem morem, conditionem, feritatem, ac tyrannidem. *Aſcendentem*; quia ſe eriget, ac exiet multa ſuperbia, ac arrogantia: *Se extollet ſuper omne, quod dicitur Deus*, 2. Theſſal. 2. num.4.

2 *Habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata.* Decem cornua in præcipuo, ac principali capite, ſunt decem Reges, & ideo portant coronas, qui quidem veniente Antichriſto erunt in imperio Romano, ac Mundo; ex quibus juxta Danielis prophetiam, c.7. n. 25. tres Reges reſiſtent Antichriſto, & ab eo devincentur, ac occidentur, reliqui verò ſeptem ejus potentiam formidantes, ei ſe ſubjicient, & ut tributarii ei parebunt in omnibus, ac proinde, ut ſubditi ejus, in gratiam ipſius multas blaſphemias dicent in Chriſtum, ac Eccleſiam ejus, & ideo ſuper capita ſua portant nomina blaſphemiæ.

Literalis ſenſus.

QUÆSTIO I.

Quænam ſit hæc tremenda beſtia.

NEglecta, ac rejecta hac in re, impia, ac execranda ſententia hæreticorum noſtri temporis, quam tenent Lutherani, & Calviniſtæ, qui cùm dicant eſſe Antichriſtum, eam volunt applicare ſummo Pontifici, quod luce meridiana clariùs à veritate alienum eſt, omnes enim Patres, omnes ſcriptores eccleſiaſtici, omnia concilia, omnes doctores, ac rectores Eccleſiarum, qui à tempore Apoſtolorum uſque ad noſtra tempora extiterunt, hi omnes non ſolùm à Rom. Pontifice hanc calumniam removent, imò nunquam illis, vel per levem ſuſpicionem id in mentem venit, nam omnes Patres in ſummo Pontifice agnoſcunt ſuam ſanctitatem, veritatem, ac pietatem, in hac autem horribili beſtia, totum eſt nequitia, falſitas, ac ferocitas; & ea, quæ dicuntur à D. Paulo 2. Theſſal. 2. & à noſtro Joanne, nullo modo poſſunt proportionari Pontifici, cujus ſedes perdurat à morte Chriſti, & perdurabit uſque ad finem Mundi, huic autem tantùm data eſt poteſtas per quadraginta duos menſes n. 5. & in omnibus aliis maximè unum diſcrepat ab alio, ut conſideranti patebit. 3

Impudici figmenti tum hæreticorũ contemnitur.

Relicto hoc figmento oblatrantium hæreticorum, 4
primò Hymon, Albertus, Pineda in Job cap. 40. verſ.10. dicunt hanc beſtiam eſſe dæmoniorum principem, ſcil. Luciferum. Secundò aliqui apud Aretam, tenent eſſe dæmonem primarium, ſecundum à Lucifero. Tertiò Primaſ. Beda, Richard. aſſeverant, beſtiam hanc eſſe univerſum impiorum cœtum.

Quartò S. Antoninus, Euthym. Cedrenus, & Zonaras, Genebrard. lib. 3. Chronolog. & alii aſtruunt 5
hanc beſtiam eſſe Mahometem. Ad hanc ſententiam pertinent Luiſius Legionenſ. lib. de nominibus Chriſti, & hìc Caponſachius, qui per hanc beſtiam interpretantur imperium turcarum. Quintò Lindan. lib.3. dubitationum, dicit eſſe Lutherum.

Sextò Alcazar opinatur eſſe Imperium Romanum 6
ethnicum Eccleſiæ hoſtem, atque perſecutorem, antequam Chriſti fidem ſuſciperet, cujus rationes multis impugnat Cornelius. Et maximè ex ejus dictis impugnantur, nam ait Alcazar, quod ſeptem capita hujus beſtiæ, ſint præcipuè ſeptem perſecutiones, videlicet Domitiani, Trajani, Antonini, Severi, Decii, Valeriani, Diocletiani, nam perſecutionem Neronis rejicit in caput antecedens duodecimum, perſecutionem Aurelii prætermittit, ſi ut & Maximiani, illam quod non fuerit executioni mandata, iſtam quod non fuerit univerſalis. De perſecutione vero Licini & Juliani Apoſtatæ, nihil habet, & non apparet ex quo fundamento. Cornua verò decem, vult eſſe multitudinem Senatorum Romanorum, qui ad minimum fuerunt trecenti, quod non bene cohæret cum hac prophetia, & illud maximè, quod huic beſtiæ datum eſt facere menſes quadraginta duos, ut patet ex num. 5.

Impugnatur.

Tamen communis, ac conſtans omnium ſententia 7
eſt, hanc beſtiam eſſe Antichriſtum: ita D. Irenæus lib. 5. cap.28. D. Hippolytus de conſummat. ſæculi, D. Ephrem. tract. de Antichriſto, D. Greg. Nazian. jambico 5. ferè omnes Interpretes hoc loco, Victor martyr, D.Ambroſius, Andreas Cæſarienſis, Aretas, Ansbert. Haymon, Rupertus, Albert. Magn. D. Thomas, D.Bernard. Panon. & communiter Recentiores, Gancus, Seraphinus, Ribeira, Cornel. la Haye, ex quibus multi dicunt, quod noſter Joannes ſignificans Antichriſtum, ejuſque regnum, ipſum beſtiam appellaverit, ut denotaret, ſe de eo prolocutum fuiſſe eodem ſpiritu, quo Daniel vaticinatus fuerat c. 7. num. 7. beſtiam eum appellans.

Vera ſententia.

Antichriſtus, cùm futurus ſit homo, cur ergo no- 8
mine beſtiæ, non terrenæ, ſed marinæ appellatur? Ut ita prorſus ejus belluina immanitas, ferocitas, ac crudelitas, magis explicetur, ac declaretur, qua tanquam

Antichriſtus eſſet crudelis, & ferox.

tanquam brutum & non homo erit in aliis dilaniandis. D.Iren. lib.5. c.29. *In bestia*, ait, *nempe Antichristo, veniente, recapitulatio fit universæ iniquitatis, & omnis doli, ut in ea confluens, & concluſa omnis virtus apoſtatica, in caminum ignis.*

9 Et frequenter in S. Scriptura, peccatores belluarum nomine ſignificantur. *Viperas* appellat Baptiſta, Matth.3. n.15. *Equos* Jeremias cap.5. nu. 8. *Vulpeculas* Salom. Cant.2. n.55. *Jumenta* David Pſal.48. n.15. *Lupos* Chriſtus D. Luc. 10. nu.3. & ſic de cæteris; quæ loca expendens D.Ambroſ. ſerm.10. in Pſalm.118. ſic ait: *Poſtquam enim peccaſti, aliud eſſe cœpiſti, & illud quod eras, eſſe deſiiſti. Condemnaris autem in eo, quod ipſe mutatus es, ut fieres ex homine ſerpens, mulus, equus, vulpecula; bis enim nominibus jam nos Scriptura damnavit.* Alii peccatores ob ſuam nequitiam, ac malitiam, dicuntur ſerpentes, equi, vulpes; at Antichriſtus ſic dicitur bellua, ut dicatur ſimilis pardo, urſo, leoni, verſ. ſeq. ſerpenti, ac aliis animalibus, ut patet ex hac Apocalypſi, utpote quia omnium malitia, ac nequitia in eo ſit recapitulanda.

Peccatores vitiis belluæ.

In Antichriſto omnium peccatorũ malitia recapitulata.

10 Tertiò, & meritò Antichriſtus dicitur bellua, ob ſuam ſtoliditatem, quia, ut dicitur 1. Theſſ.2. n.4. *Extolletur ſupra omne, quod dicitur Deus, ita ut in templo Dei ſedeat:* Qui ſic bruteſcit, meritò dicitur bellua, ut ejus ſuperbia, ac arrogantia contemnatur, ac deprimatur. Superbia tumens peccator, aſino comparatur, Chriſto D. auctore: *Expedit, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus*, Matth.18. num.6. cur non de truſatili, ſeu expolito lapide ſermo eſt, ſed de mola aſinaria? Diſcipuli nondum divina gratia expoliti, de principatu contendebant, interrogabant enim: *Quis putas major eſt in regno Cœlorum?* hujuſmodi elationem reprimens Dominus, eis in pœnam objicit, quod talis affectus dignus eſt, ut mola aſinaria ſuſpendatur, & meritò, quia qui ſe voluit ſuper alios efferre, digniſſimè dejicitur, ac deprimitur ad maximè vile, ac brutum mancipium, undè ait David Pſal.48. n.13. *Homo comparatus eſt jumentis inſipientibus.* D.Chryſolog. ſerm.27. *Inde*, ait, *ſumat pœnam, undè ſumpſit & ſenſum, & exæquetur jumentis inſipientibus, qui noluit hominibus ſapientibus comparari.* Et tali comparatione de mola aſinaria uſus eſt Dominus, ut maximè homines à tali elationis affectu retardaret. Divus Ambroſ. lib.8. in Luc. cap. 18. *Plus enim proficit ad reprimenda peccata, inauditi generis, atque deformis belluinæ quædam pompa ſupplicii.*

Per ſuperbiam fit homo vilis & abjecta bellua.

QUÆSTIO II.

Quarè hæc beſtia, non ex abyſſo, nec ex terra, vel aere; ſed ex mari aſcendiſſe dicitur.

11 IN limine quæſtionis notandum eſt, quod ait noſter Joannes: *Vidi de mari beſtiam aſcendentem*; non ait exeuntem, vel egredientem, ſed aſcendentem, quia per beſtiam denotatur Antichriſtus ita ſuperbus, ut per arrogantiam ſemper velit aſcendere, & ſeſe extollere etiam in ipſum cœlum. Rupert. *Nuſquam, aſcendit*, ait, *ſed in ſemetipſo magis, ac magis tumuit; omninò ſic intelligi oportet: Vidi beſtiam aſcendentem; ac ſi diceretur: Vidi beſtiam in ſemetipſa ſe extollentem; totus namque aſcenſus ejus, tanta extollentia eſt, quantum Apoſtolus per hæc verba intimare intendit: Et extolletur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Melius igitur, atque vehementiùs dictum eſt, ut dici debuit: Vidi beſtiam aſcendentem; quàm ſi diceretur: Vidi beſtiam de mari exeuntem; quia ſic, & per nomen beſtiæ, ſtulta ferocitas ejus, & per verbum aſcendentis, nimius tumor ejuſdem competenter exprobratur.* Et ſic hæc beſtia Antichriſtus, per arrogantiam in corde ſuo tumeſcet, ut ait Ansbert. *quòd contra vitæ auctorem, ejuſque Eccleſiam ſuperbiens elevetur;* & ita ſicut humilis in corde ſuo ſcalam ſibi conſtituit, in qua per omnes humilitatis gradus deſcendens, tunc rurſus in eadem per omnes virtutum gradus aſcendit, juxta illud Pſal.83. n.6. *Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* De viro juſto, & ſancto loquitur, ut patet ex illo: *Beatus vir*; dum per humilitatem deſcendit, parat ſibi aſcenſiones per omnes virtutes; econtra verò ſuperbus, dum in corde ſuo ſibi erigit ſcalam, in qua continuò per mentis elationem aſcendit per omnes ſuperbiæ gradus, inde per omnium vitiorum turpitudinem deſcendit, ac deprimitur.

Superbus ſemper aſcendit & inde dicitur.

Humilis dum deſcendit, aſcendit.

12 Quæſtio principaliter inquirit: Quare hæc beſtia dicitur, quòd aſcenderit de mari? nam ſupra c.11. nu.7. ſcribitur quòd aſcenderit de abyſſo, ideſt, de profundo, ac lato pelago omnium iniquitatum, ac prævaricationum; ſic, & hìc dicitur quòd aſcenderit de mari, hoc eſt, de hoc ſæculo, omni vitio, ac turpitudine repleto. D. Auguſt. ſerm. de verbis Domini: *Attendite*, ait, *ſæculum iſtud, quaſi mare, ventus magnus, & tempeſtas valida; unicuique ſua cupiditas, tempeſtas eſt. Amas Deum, ambulas ſuper mare; ſub pedibus tuis eſt amor ſæculi. Amas ſæculum abſorbebit te: Amatores ſuos amare non novit.* Aliter D. Laur. Juſtin. lib. de Triumphali Chriſti agone, cap.27. ait, quod hoc ſæculum dicitur mare propter varios, & inopinatos caſus illius, & ſic ait: *In hoc præceſſo mari, ò quam ſæpè ſtante ſecundo vento, repentè tempeſtates inſurgunt, aperiuntur abyſſi, nauſæque periclitantur in undis; & qui in portus tranquillitatem arbitrabantur intrare, belluis marinis traduntur in eſum, nam non eſt in hoc pelago magno, & ſpatioſo, in quo ſunt reptilia, & animalia puſilla, atque ingentia ſine numero, navigatio tuta.* Mundus multa vàrietate tibi eſt infidus, & multis mendosè tibi blanditur; quod per varia vitia oſtendentes diſcurramus, quàm plenus ſit Mundus falſitatibus, vitiis ac peccatis, ſervata maris metaphora.

In hoc Mundo principatum tempeſtas.

Mundus maximè varius & falſo blandiens.

13 Primò Mundus plenus eſt rapinis, injuſtitiis, ac oppreſſionibus; nam ſicut in mari majores piſces devorant minores, ſic in Mundo Principes, ac Magnates devorant, & conſumunt minores, ſcil. pauperes & humiles. D. Auguſt. in Pſal.64. *Mare*, ait, *in figura dicitur ſæculum hoc, falſitate amarum, procellis turbulentum, ubi homines cupiditatibus perverſis, & pravis, facti ſunt veluti piſces invicem ſe devorantes.*

In Mundo magni devorant parvos.

14 Secundò ſicut mare plenum eſt piratis, qui maximè navigantibus inſidiantur, ſic hic Mundus piratis abundat, qui omni conatu contendunt bona noſtra auferre. Hic autem pirata eſt infernus cum ſuis ſequacibus inviſibilibus, ac viſibilibus. Clemens in Catena Græca in Job: *Difficile*, ait, *atque infeſtum vitæ pelagus navigamus, cui infernus tanquam pirata imminet; quis igitur abſque timore illud vitæ pelagus naviget, ut calamitatis fluctibus agitatum, ut periculorum æſtibus plenum, quòdque terribilis infeſtat pirata.*

Mundus plenus ratis, & latrociniis.

15 Tertiò cùm mare irruentibus ventis ferociter agitatur, ac commovetur, qui alto vehuntur pelagò, ad periculum evitandum, merces ſuas projiciunt in mare; ſic ſæpè ob injuſtitiam miniſtrorum, cùm in hoc Mundi mari, multa, & gravia contra te excitantur, ut talia valeas effugere, neceſſe eſt ut in eorum domo, merces tuas, quas multo labore, ac ſudore comparaſti, projicias, ut exorta tempeſtas quieſcat. Præclarè dixit D. Auguſt. in Allegoria decem mandatorum, ac plagarum Ægypti, in ſeptima plaga: *Nemo habet injuſtum lucrum, ſine juſto damno; ubi lucrum, ibi damnum, viſibiliter lucrum, inviſibiliter damnum.* Ubi lucrum eſt injuſtum, ac iniquum; ibi infligitur pœna juſta; lucrum viſibile, proindeque maximè gratum, ac delectabile, pœna verò rigida, & nunc inviſibilis, & inde maximè timenda.

Ad placandam injuſticiam miniſtrismercces largiẽda.

16 Quartò aqua maris ſitim non mitigat, nec placare valet, ita ut hominem in tanta aquarum copia, præ ſiti mori contingat. In hoc cernitur miſerabilis hominum avaritia, quæ eſt veluti dolium ſine fundo, nam ſi in dolium ſine fundo totum mare effundas, minimè adimplebitur. D. Gregor. Nyſſenus in orat. funebri pro Placilla, ſic ait: *Quid eſt pecuniæ ſtudium? annon verè dolium perforatum, toto fundo profluens, cui ſi vel totum mare effundas, ea natura eſt, ut expleri non poſſit?*

Hominum inſatiabilis avaritia.

17 Quintò Mare hoc habet, quòd aqua dulcis flumi-

num, ac fontium, cùm in illud ingreditur, ſtatim amara,

Bona res proximi à detrahente maligno, ut mala publicatur.

amara, ac salsa redditur; ecce iniqua detrahentium obmurmuratio, nam cùm bona, ac optima res proximi ingreditur in pectore iniquo, ac maligno, sic à depravato ejus judicio, ac intentione sinistrè, ac defectuosè retorquetur, ut maximè turpis, ac defectuosa appareat, ita ut minimè ejus bonitas videatur. Ait regius Vates Psalm. 5. n. 11. *Sepulchrum patens est guttur eorum;* in aperto sepulchro conjicitur humanum corpus, exeunt inde vermes, & putredo; sic est multorum cor, in quo proximorum egregia facta ingrediuntur, inde tamen ab ejus malitia exit fœtida putredo: talis est os loquentium iniqua, ut *sepulchrum patens*.

18 Sextò qui in mari degunt, non ibi quiescunt, donec terram teneant, nam qui navim ascendunt, ad alterum portum contendunt. Ecce superbi ambitio, quæ nunquam suis contentus est, sed semper magis, ac magis affectat, & est veluti navigans mare: ex una nempe dignitatis statione, ad alteram contendit. Creavit Deus Angelos in cœlo, & multi ex eis non contenti sua natura, ac essentia accepta à Deo, divinam altitudinem appetiverunt, & inde de cœlo ciderunt, & dæmones facti sunt. D. Greg. lib. 35. Moral. c. 35. *Illuc humilitati homines redeunt, undè apostatæ Angeli superbiendo ciderunt*; in cœlum in quo ob suam superbiam ciderunt, homines humiliati introducuntur.

Ambitio in una dignitate nō quiescit.

19 Septimò Mare uno venti flatu maximè commovetur, ac agitur, ita ut undæ ferantur ad sydera, & statim ad ima prolabantur; ecce excandescens ira, quæ uno parvo verbo sic irritatur, ut ad extrema inferenda præcurrat. Ait Isaias 57. num. 20. *Impii quasi mare fervens*, per perturbationem, & iram, quæ levi flatu commovetur, ac concitatur. Cùm uno miti verbo Christus D. respondisset Pontifici, de adventu Filii hominis in nubibus cœli, scribit Div. Matth. 26. n. 65. *Tunc Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua*; & D. Marc. 14. nu. 60. *Exurgens summus sacerdos*; ecce furor irati hominis adversùs Christum ex uno audito verbo, utroque signo, tantam animi rabiem declarat. D. Hieron. *Quem furor*, ait, *de solio excusserat, eadem rabies ad vestes scindendas provocat*.

Irati hominis furor uno verbo commovetur.

20 Octavò multitudo maris aquarum, multitudinem populorum denotat: *Aquæ multæ, populi multi*; inde ait Joan. quod vidit *bestiam de mari ascendentem*, hominem nempe transformatum in bestiam, qui enim de multitudine aquarum seu populorum malorum veniebat, consequens erat, per vitia, & turpitudines in bestiam transmutari. Rupert. lib. 8. in Apocal. *De mari*, ait, *idest de sæculo præsenti nequam, de fluxu generis humani nascendo, bestia talis ascendit, de multitudine impiorum, de undosa populositate malignantium*. Inter malignantium populositatem, valde rarum, & mirabile esset, quòd homo non transformaretur in bestiam, & in quodcunque facinus non prolaberetur.

Multitudo populorum parit multam facinora.

21 De adversariis, ac persecutoribus Jesu loquens D. Lucas sic ait 23. num. 1. *Et exurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare*; post ludibria, colaphos, & sputa, quæ pertulit meus Jesus in domo Pontificis, surrexit omnis hostium multitudo, & duxit illum ad Pilatum, & ibi accusabant eum, ut crucifigeretur; & cur omnis multitudo Pharisæorum, ac Scribarum ad hoc facinus concurrit? cur non potiùs demandatum fuit aliquibus paucis, qui hoc tantum nefas perficerent? Astutè factum est, ut tantum crimen executioni daretur, ne tantæ multitudinis clamoribus posset etiam constantissimus Judex obsistere, sed magis ei in nefario facinore consentire; quod sic ponderat D. Leo serm. 8. de Passione, inquiens: *Offerebant enim Jesum duris nexibus vinctum, colaphis, & alapis frequentibus cæsum, sputis oblitum, clamoribus prædamnatum, ut inter tot præjudicia, quem omnes vellent perire, non auderet Pilatus absolvere*. Quis audeat multitudini contraire in facinore concepto? cùm ipsa maximè propensa sit ad ipsum facinus, quod frequenter ex multitudine hominum impiorum nascitur; & ideo, ut Jesus crucifigeretur, non aliquibus, sed universæ multitudini committitur.

Multitudo populorum in multa crimina impellit.

QUÆSTIO III.

Quænam sint ista septem capita, & decem cornua.

RIbeira, ac Gagnæus contendunt, quod eadem sint hæc capita, & cornua, ac illa, quæ apparuerunt supra c. 12. n. 3. in dracone, quæ denotant septem vitia capitalia, ac decem transgressiones contra decem decalogi præcepta, ut ibi in expositione explicavi, & latiùs dixi ibidem supra cap. 12. qu. 36. & 39. quia cùm bestiæ, seu Diaboli, Antichristus sit unum ex membris præcipuum, ideo facilè ad utrunque illa omnia poterunt spectare. Tamen contra hoc militat, quia Apocalypsis maximè pressa, & propemodum infinitis mysteriis plena, proindeque non videtur, quod in duobus capitibus immediatis eadem res proponatur; ad quid hæc repetitio? maximè ut vult Ribeira, cùm hæc omnia ad tempora Antichristi pertineant. 22

Impugnatur.

Secundò Ferrarius ait quòd septem capita sunt septem Monarchiæ; quatuor primæ spectant ad Chaldæos, Medos, Assyrios, & Persas, sub quibus omnes antiqui Orientis persecutores filiorum Dei, ac hostes Ecclesiæ comprehenduntur; quinta est Græcorum, sexta Romanorum, & septima Antichristi; hæ omnes Monarchiæ, per quas persecutus est Diabolus, & persequitur Ecclesiam sanctorum, comprehenduntur, & veluti recapitulantur in hoc diabolico instrumento Antichristo, quod est præcipuum caput in quo cætera annuntiantur; & sic ait Glossa Interlin. *Habentem capita septem*; scil. *universos malos*. Deinde additur in text. *Et decem cornua*; sunt minores principatus, & dominationes, qui in dictis capitibus sunt, & cum illis, & ex illis exurgent, & in hoc sensu ait Glossa Moralis: *Decem cornua, universos, nempe modos impugnandi bonos*. 23

Universi modi impugnandi bonos.

Hæc sententia suam habet probabilitatem, tamen non multum cohæret cum prophetia Danielis cap. 5. n. 7. & cum mente SS. Patrum ibi, & cum his, quæ dicuntur infra in hac Apocal. c. 17. ubi expressè dicitur n. 9. quod septem capita, septem reges sunt, & n. 12. quod *decem cornua decem reges sunt*; ubi non videtur nomen regis accipi pro dignitate regali, sed determinatè pro ipsis personis. 24

Et ideo cum communi sententia dicendum est, quòd in præsenti, decem cornua significant decem reges, & ideo diademata portant, ex quibus tres Antichristo resistentes, ab eo occidentur, & remanebunt septem ei subjecti & tributarii, qui ab ipso Antichristo accipient regnum: ita Viegas, Cornel. Estius, Menoch. Tirin. la Haye. 25

Communis sententia.

Pro exacta hujus rei explicatione, recole prophetiam Danielis, qui agens de quarta bestia, quæ erat terribilis, & habebat dentes ferreos, ac decem cornua; per quam bestiam communiter omnes intelligunt imperium Romanum, quod tanquam ferrum comminuet omnia; sic ait Daniel. c. 7. n. 8. *Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum; & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus: ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia*; & postea nu. 24. ait: *Porrò cornua decem ipsius regni, decem reges erunt; & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit*. 26

Prophetia de adventu Antichristi.

Et quod sermo sit de Antichristo patet ex his, quæ Propheta immediatè subdit: *Et sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret & putabit quod possit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Et ita communiter Sancti Patres de Antichristo locum interpretantur; D. Irenæus lib. 5. adverf. Hæres. c. 25. & 29. Hippolyt. in orat. de consumm. Mundi, Theodoret. in Daniel, Lacten. lib. 3. Divinar. Instit. c. 16. Joseph. à Costa lib. de tempore Noviss. Pinto in Daniel, Viegas, Ribeira hìc, D. Hieron. in comment. Daniel. qui ait: *Ergo dicamus, quòd omnes scriptores ecclesiastici tradiderunt, in consummatione Mundi, quando regnum Romanum destruendum est, decem futuros Reges*, 27

Confirmat.

qui

qui orbem Romanum inter se dividunt; & hi quasi decem cornua, qui oriuntur quidem ex imperio Romano, ut Reges, & ideo portant coronas, sed non erunt Romani imperatores. *Tunc Regem parvulum surrecturum*; scil. Antichristum, obscuro loco natum, & plebejum, qui sensim crescens, *tres reges de illis decem superaturus est*, nempe, *regem Ægypti, regem Africæ, & regem Æthiopiæ, quibus interfectis etiam reliquis septem reges illi victori colla submittent:* ita D. Hieronym.

28 Ex quo jam fit manifestum, quare hæc bestia, scilicet Antichristus portat decem cornua, & decem diademata, & septem capita; quia decem cornua & decem diademata significant decem regna, quæ erunt in Imperio Romano, quando exurget Antichristus, & ipse ex illis decem Regibus interficiet tres ei resistentes, reliqui verò septem, qui sunt septem capita, ei colla subjicient, & subditi, ac tributarii Antichristo remanebunt.

Cur bestia habet septem capita, & decem cornua, & decem diademata.

29 Dubitat verò M. August. lib. 20. de Civ. Dei c. 23. an ille denarius numerus Regum significet universitatem omnium Regum, post quos venturus sit Antichristus; cùm enim Daniel apertis verbis dicat, ex illis decem Regibus tres devincendos ac occidendos esse ab Antichristo, manifestè convincitur, eum de universitate omnium Regum loqui.

Explicatur.

30 Meritò tamen dubitabis quare non exprimitur, cujus formæ, ac figuræ essent hæc capita, sicut exprimitur de corpore, ac pedibus vers. seq. Ad quod respondeo, quòd hæc septem capita, seu septem Reges, tot ac tantis maleficiis, ac abominationibus inservient Antichristo, ut nulla species bestiæ nobis cognitæ satis idonea reperiatur, ad tantam nequitiam exprimendam; sic & apud Daniel. 7. n. 4. quatuor bestiæ denotabant quatuor Monarchias; leæna imperium Chaldæorum, ursus Persarum, pardus Græcorum. *Et ecce quarta bestia terribilis atque mirabilis;* quæ imperium Romanorum significabat. Non dicitur cujus formæ esset, quia fortitudo, ac potentia Romanorum, nulla specie bestiæ cognitæ poterat significari, ac declarari.

Crudelitas ministrorum Antichristi explicatur.

31 Sed jam moraliter aliquid dicamus. Ascendit bestia de mari habens capita septem, & cornua decem; bestia una erat corpore, cur divisit in capitibus plures, cum soleant per capita numerari personæ? Bestia ascendebat de mari, hoc est, præsenti sæculo, ubi malignus, & perversus peccator, cum unus in corpore sit, plures in nefariis operibus contendit in personas haberi. Resident in capite sensus, organa superbiæ, ac elationis, multiplexque invidiæ, iracundiæ, ac detractionis instrumentum, multaque iniquitatum dictamina, ideoque multiplici capite se erigit super alios, multiplicique cornu, alios ventilare contendit.

Peccator per vitia se multiplicat in varias personas.

32 Ut Absalon periret, triplici lanceæ ferro, percutitur cor ejus: *Tulit ergo*, scil. Joab, *tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon; cumque adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerunt decem juvenes armigeri Joab, & percutientes interfecerunt eum*, 2. Reg. 18. n. 14. Valde notum experientia est, quod unum ferrum cor attingens, mortem generat; cur ergo ad unius adolescentis mortem, non unum lanceæ sufficit acumen, sed postquam tres lanceæ, cor transfixerunt, adhuc superat in corde, quod vivat, ut inde decem vulnera ad necem concurrant? Recole hujus juvenis votum, dum gestit sibi usurpare regnum Israelis; dicitur enim de eo, quod verbis suis compositis, *sollicitabat corda virorum Israel*, 2. Reg. 15. n. 6. Ut omnium animos sibi compararet, sese omnium votis accommodabat, quorundam querimonias ut probas laudabat, aliorum rixas, ac iras justas dicebat, omniumque affectus, ac ambitiones approbabat, eorumque desideria optimo jure stabilita testificabatur, & etiam cor patris, blanditiis seducebat, & cum ejus cor quamvis in se videretur unum, tamen per omnium corda dividebatur, ut in aliorum animis se insinuaret, & ideo ut multiplex cor, non ferro unius lanceæ, vel trium, perimitur, sed insuper concurrunt decem gladii decem juvenum, veluti omnium, denarius enim universitatem significat, ut morte afficiatur. R. David Kimhi: *Absalon*, ait, *primùm furatus fuerat cor Regis, deinde cor Senatorum, qui simplici corde iverant cum eo, tertiò totius Israelis: ergo triplici ictu confossum est cor ejus.*

Homo cùm unus sit, dolis multiplex fit.

Erat homo agitatus à Dæmone, quem vivum in 33
specu mortis ipse detruserat; accessit Dominus energumenum sanaturus, spirituique dixit Marc. 5. n. 8. *Exi spiritus ab homine; & interrogabat eum: Quid tibi nomen est? Et dicit ei: Legio mihi nomen est, quia multi sumus;* nonne uni homini, unus Dæmon sufficiebat ad perniciem, cui mille sunt nocendi artes in salutis dispendium? ad quid una legio, quæ dicit magnam multitudinem, & ut aliqui volunt, duo millia Dæmonum? etsi tanta erat multitudo, tanquam cum uno singulari loquitur Christus dicens: *Exi spiritus immunde ab homine;* cùm tamen non ignoraverit esse multos, quomodo unum dicit, cum revera multi esset? Quia ut dixi tom. 2. in Evang. c. 25. nu. 39. in expositione, quamvis spiritus dæmoniaci multi essent, tamen ita comprimebantur, ac uniebantur ad hominem torquendum, ac vexandum, ac si multi essent, ut revera erant: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus*; ut hominem in varia vitia, ac delicta inducerent. Homo singularitate personæ unus erat, & ideo multi Dæmones in unum conglutinabantur ad hominis cruciatum, at secundùm vitia & turpitudines sic distrahebatur homo, ut multiplex esset, indeque multorum Dæmonum domicilium erat.

Homo unus singularis in persona vitiis multiplex.

QUÆSTIO IV.

Quare bestia hæc super decem cornua portat decem diademata.

IN hac bestia capita sunt septem, & diademata decem super decem cornua, nam ut jam dixi superiori quæstione, juxta Danielem Prophetam, denotatur imperium Romanum, quando advenerit Antichristus, in quo erunt decem reges per decem cornua designati; ex quibus tres resistentes Antichristo, ab eo interficientur, septem verò subjecti, ac tributarii ei obtemperabunt; septem tamen capita coronis destituta apparent, nam qui iniquis subjiciuntur, ac in suis iniquitatibus obediunt, omni decore, ac dignitate spoliantur; ex quo jam patet prima quæstionis solutio, quia decem erunt reges tempore, quando venerit Antichristus. 34

Ob iniquitatis consensum privantur iniqui sua honore.

Secundò in decem cornibus sunt decem diademata. Per hæc decem cornua, universitas vitiorum designatur, nam homines iniqui, ac depravati, decem Dei præcepta dissoluto vivendi genere impetunt, & contemnunt. At cur super hæc cornua, imposita apparent decem diademata? Quia per tales impugnationes mandatorum Dei, ipsi coronantur à Diabolo. Deinde quia homines impudici ac depravati solent scelera patrare, maximèque de illis, tanquam de suprema aliqua dignitate gloriari, quod est supremum omnium malorum. De peccatore agens regius Vates Psal. 108. n. 18. ait: *Et induit maledictionem sicut vestimentum;* & quæ major maledictio, quàm peccatum, quod ad modum vestimenti se habens, totum hominem ambit, & circumdat? statim subdit Propheta: *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur;* non tantùm ait, quod peccator suo peccato, tanquam vestimento induitur, sed etiam quòd illo operitur, ut summa peccatorum impudentia his verbis declaretur. Vestimentum, quo quis induitur, tegi potest, at vestimentum, quo quis operitur, omnium oculis est expositum. Ecce extrema impudentia, ac dementia, non tantùm contentus maledictione sui peccati indui, ac circumcingi, sed tanquam pretiosum pallium, illud in omnium oculis explicat, & ostentat, & veluti de magnifico diademate gloriatur. Subtiliter D. Augustin. in explicat. hujus Psalmi sic ait: *Fit ei vestimentum, quo operitur; cum superiùs jam dixerit, de vestimento, quid est quod repetit? an quia dixerat: Induit maledictionem, sicut vestimentum? Differt ab eo vestimento, quod non induitur, sed operitur; induitur enim quisque tunica, operitur pallio; & quid est hoc, nisi in conspectu hominum gloriari?* 35

Summa peccatoris iniquitas, de peccatis gloriari.

Tertiò

36 Tertiò decem cornua juxta multorum opinionem sunt decem transgressiones decem præceptorum Decalogi: decem ergo diademata, decem sunt pœnæ, quæ illis delictis correspondent, quæ sunt diademata, quæ in inferno deputata sunt talia promerentibus, ac in illum locum tenebrarum ingredientibus. Prima, carentia divinæ visionis per totam æternitatem; secunda, Deum non diligere; tertia, nullam habere spem in Deo; quarta, in nullo etiam instanti, nullam Dei laudem dicere, etiam per totam æternitatem; quinta, nullum opus bonum, nullamque bonam actionem edere, ab illo primo instanti, quo miser ingressus est in infernum, sic illius voluntas obstinata est in malo; sexta, considerare facilitatem, qua potuit exire à peccatis, & salutem animæ consequi, uno contritionis actu, ut Prædicatores, ac Confessores clamabant; septima, efficax, & valde viva repræsentatio suorum peccatorum, ac delictorum, eorumque turpitudo, quæ erit veluti terribilis abyssus infernalis; octava, ignis æternus; nona, horribilis tenebrarum obscuritas; decima, societas dæmonum, ac damnatorum, cum perpetuo fletu, gemitu ac stridore, sine ulla spe remedii ac veniæ: Hæc sunt decem diademata, quæ undique circumdant miserum peccatorem in inferno.

Decem pœnæ quæ circumdat miserum damnatum in inferno.

37 Quartò: *Vidi bestiam habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua decem diademata*; si capita erant septem, quomodo diademata decem? Ait Joan. *Vidi bestiam ascendentem de mari*; hoc est, de hoc sæculo; cùm bestia apparet in hoc Mundo, statim coronis abundat: Coronæ frequenter supersunt bestiis, quæ dignis, ac promerentibus desunt. Hæc mundana conditio, ut indigni, tanquam bestiæ in altum apicem subleventur, & docti, ac benemeriti in abyssum demergantur; omnes manus suas indignis extendunt, ut ad magnum apicem eleventur, contrahunt verò manus dignis, ne tantisper moveantur.

Indigni, & insipientes coronis abundant.

38 Cùm Christus ingrederetur domum cujusdam Principis Pharisæorum, & cùm vellet hominem hydropicum sanare, Legisperitos, & Pharisæos interrogavit: *Si licet Sabbato curare*, Luc. 14. n. 3. at illi tacuerunt, ut inde eum arguerent, nam certò præsumebant, quòd hominem tunc in sabbato sanare volebat; cognita eorum nequitia à Jesu, contempta eorum calumnia, apprehensa manu hominem sanum fecit, & statim subjecit Dominus ibid. nu. 5. *Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati?* ac si diceret: Planum est, quod si asinus, aut bos cadat in puteum die sabbati, sit extrahendus à vobis; & quæ detestabilior reginiinis ratio, quàm quod omne tempus sit conveniens, & aptum, ut subveniatur jumento, ac stulto, & nulla inveniatur proportionata occasio opem ferendi prudenti, ac homini ratione prædito. Carthus. *Perversis, & excæcatis illis Legisperitis, ac Pharisæis, jam in Ecclesia, multi etiam Prælati, & animarum curam habentes sunt similes; quia si viderint pecoribus suis, aliquid adversitatis contingere, mox succurrunt, sed si viderint proximos suos, aut subditos, spiritualiter ledi, atque occidi, ideòst, peccare mortaliter, aut notabiliter, tacent, dissimulant, non curant, nec dolent.* Væ nobis! tales aliquando sunt Prælati, qui majorem curam agunt de brutis animantibus, ac pecoribus, quàm de hominibus suæ curæ commissis; omnis cura jumentis, ac brutis impenditur, hominibus verò nulla; etsi aliquando in Mundo bene defertur viro prudenti, ac benemerito, tanquam errore factum judicatur.

Detestabile regimen, quod tantùm subvenit indignis, non verò dignis.

39 Cùm fratres Joseph descendissent in Ægyptum, ut sibi triticum compararent, eosque agnovisset Joseph, *jussit ministris, ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis; quifecerunt ita*, Genes. 42. n. 25. quo cognito, Jacob, cum iterum urgeret occasio alimoniam conquirendi in Ægypto, ait filiis suis: *Deferte viro munera; pecuniam quoque duplicem, & illam, quam inveniistis in saccolis, ne fortè errore factum sit*, Genes. 12. nam non judicavit furtum, sed errorem. Lyppoman. sic ait: *Omnia mitiùs interpretari solitus, vir bonus semper in bonam partem rem interpretatur.* In rem nostram: Et cur Jacob illud reputavit non eleemosynam, sed errorem? Pro certo habuit, quòd principes hujus sæculi dona sua non præbent meritorum fulgore fulgentibus, sed indignis, ac minimè promerentibus, & si aliquando dignis, hoc errore factum est.

Per errorem Principes dant dignis.

QUÆSTIO V.

Quare bestia hæc super septem capita, septem portet, nomina blasphemiæ.

40 GEnuina ratio patet ex expositione, ac quæst. 3. quia ista septem capita significant septem Reges subjectos, & tributarios Antichristo, & ut tales in multas blasphemias prorumpent contra Christum, ac ejus Ecclesiam. Sic frequenter accidit; quò quis potentior, ac excelsior (maximè si alienus à fide inveniatur) eò in blasphemias promptior, ac propensior. Richard. Victor. *Super capita bestiæ*, ait, *nomina blasphemiæ, quia gentium principes Christum blasphemarunt, negantes eum esse Deum, & dicentes eum Magum*; sic & Rupert. Abbas multos Reges in medium adducit, qui nomen Dei blasphemarunt.

Excelsus alienus à fide, & propensus in blasphemias.

41 Secundò D. Bernardinus tom. 3. in sermonibus ext. serm. 21. art. 1. cap. 1. has septem blasphemias enumerat, quibus peccator iniquo ore, septem mala Deo attribuit. Primò, mala perpetrando se excusat per divinam operationem; sic fecit Adam Genes. 3. qui se excusando contra Dominum, ait: *Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi & comedi*; ac si diceret: Tu es in causa, quia hanc mulierem dedisti mihi. Secundò, per divinam permissionem, eo quod Deus permisit eos cadere in peccatum. Tertiò, per divinam dispensationem, dicunt enim, quòd Deus permisit eos cadere, ut fortiores resurgant. Quartò, per divinam retractionem, dicunt enim se peccare, eo quòd Deus non dat eis gratiam. Et nesciunt isti fatui, quòd ipsi sunt, qui desunt gratiæ Dei, non verò gratia eis, quæ semper est eis parata; 1. Petr. 1. n. 13. *Sperate in eam, quæ offertur vobis gratiam*; deinde sequitur. Quintò, per divinam prævisionem, dicunt enim quod Deus ita prævidit, ut peccent; sed debent considerare, quòd Dei prævidentia non infert necessitatem rebus, nam licèt Deus præviderit, quod ipsi sint facturi, tamen in eorum voluntate est peccare, vel non: *Si fortè, vel ipsi audiant, & si fortè quiescant*, ut dicitur Ezechiel. 2. n. 5. Sextò, per creationem, dicunt enim se natos esse sub tali planeta, seu constellatione inclinante eos ad tale peccatum, quod vitare non possunt, nescientes quod Deus reliquit hominem in manu consilii sui. Septimò, per divinam jussionem, quòd talia mandata dederit, cum ipsi se non valeant abstinere à lapsu carnis, ab iniquo negotio, ac perjurio, & inde blasphemant in Deum, quasi nesciverit, quod jusserit, aut quod impiè mandata dederit, nescientes quod ait Apostol. 1. Cor. 10. n. 13. *Fidelis Deus est, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis*. Tota malitia ab eorum libera voluntate nascitur.

Iniquus, & blasphemus tribuit Deo septem mala.

42 Tertiò blasphemia, ut docet D. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. dicit quandam derogationem alicujus excellentis bonitatis, præcipuè divinæ; sicque ut ait Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. c. 4. num. 1. quod blasphemia, ad derogationem divini honoris, ac bonitatis applicata sit; proindeque blasphemia denotat falsum testimonium dicere in Deum, ponendo in ipso aliquam imperfectionem; ita in præsenti possunt considerari septem blasphemiæ, quas homo format in Deum desumpta occasione ex septem ejus beneficiis. Prima: Deus me creavit, ac proinde quamvis peccem non me condemnabit. Secunda: Deus per suam actionem me conservat: ergo quamvis deliquam non damnabit. Tertia: Deus mei causa factus est homo; ergo ob peccata me non dejiciet in infernum. Quarta: Deus ob hominum amorem passus, & mortuus est; ergo non permittet quod tantus labor sit cassus. Quinta: Deus me diligit amore infinito, plusquam ego me ipsum diligo; ergo cum tanto amore non cohæret quod me damnet in æternum. Sexta: Deus

Quid sit blasphemia.

Numerantur septem impiæ blasphemiæ contra Deum.

multum

multum misericors est; ejusque misericordia maximè resplendet in magnorum peccatorum indulgentia; inde mihi liberum est ostium ad peccandum. Septima: Deus me ad Ecclesiam suam vocavit, & me christiani nomine insigniri voluit; ergo non me in æternum damnabit, nam si hoc ipse intenderet, me Judæum, vel Maurum, seu Gentilem esse permitteret. Hæc dixerunt impii & erraverunt in cogitationibus suis, & undè homo maximè debuit fieri debitor, inde multùm contumeliosus, ac blasphemus est in Deum: ita hæc considerat Noster R. P. Magister Augustinus Nunez, Delgadillo in suo Quadragesim. serm. 10. in Feriam sextam post Domin. 1. discurs. 2. num. 3.

43 Quartò bestia hæc *habebat capita septem, & cornua decem, & super cornua ejus decem diademata, & super capita ejus nomina blasphemiæ*; si diademata erant super cornua, & non super capita, cur ergo nomina blasphemiæ etiam non erant super cornua, sed tantùm super capita? Cornua habebant diademata, non verò capita, inde in eis apparent nomina blasphemiæ; blasphemus utpote omni honore indignus, ab omni dignitate, ac decore privandus est, nullusque præeminentiæ fulgor in eo permittendus, & inde meritò nomina blasphemiæ scripta apparent, non ubi sunt diademata, sed ubi desunt, nullumque visitur honoris signum.

Blasphemus omni dignitate indignus.

44 Narrat D. Luc. 16. n. 20. *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam divitis, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat; factum est autem, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis*, &c. Describitur Lazarus fame vexatus, & ulceribus plenus, divitis inhumanitatem sustinens, ante cujus januam jacebat, de ejus tamen patientia nec verbum habetur; cur tamen non describitur, an in tanta miseria constitutus, illam patienter sustinuerit, vel potiùs ea indignatus nomen Domini maledixerit, vel blasphemaverit, ut non pauci homines afflicti facere solent? At dum explicatur eximius honor illi ab Angelis delatus, ibi manifestè declaratur, quod patientissimus fuerit, quod ab omni blasphemia se abstinuerit, nullumque blasphemiæ verbum in ore ejus fuerit, cum blasphemus omni honore, ac decore indignus sit. Theophyl. *Num igitur*, ait, *Lazarus in tantis blasphemabat? num providentiam Dei reprehendebat? Nihil horum, sed fortis erat, & magnæ philosophiæ; undè manifestum est iis, quod Angeli ipsum mortuum susceperint, nam si obmurmurator fuisset, & blasphemus, neutiquam tantum honorem fuisset consequutus, & Angelorum comitatu stipatus.* Expende illud: *Neutiquam tantum honorem fuisset consecutus.*

Blasphemus ab omni honore excludendus.

45 Aliqui primitivi christiani, gentilium magnates magno honore prosequebantur, & ut illis morem gererent, pauperes fratres despectui habebant, quod ab animis fidelium cupiens extirpare Jacobus Apost. sic eos monet in sua Canonica, c. 2. n. 6. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos in judicio? nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?* Si Apostol. intendebat fideles deterrere ab honore impertiendo gentilibus, ad quid eorum simul tyrannidem, ac blasphemias proponit? Ut sciant, quia si ob timorem tyrannidis, ac oppressionis, aliquando Mundus a liquos honorare soleat, ob blasphemias tamen, quibus nomen christianum petebant, sic detestandi, & execrandi sunt, ut omnino omni honore indigni judicentur, & cum contemptu, ac vilipendio tractentur. Primas. ibi: *Sic illos non debetis honorare, qui blasphemant nomen Domini, quod invocatum est super nos. Blasphemi ab omni honorifico cœtu expellendi.*

Blasphemi ab omni honorifico cœtu excludendi.

46 De perditis hominibus ait Judas Apostolus in sua Canon. num. 10. *Hi autem quæcunque quidem ignorant, blasphemant*; quæ verba explicans D. Ephrem. Par. 43. sic ait: *Hi verò velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem, & in perniciem, in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ.* Expende illud: *Hi verò velut irrationabilia pecora*, &c. qui ignorantes blasphemant, quæ eorum captum transcendunt, & ipsi non assequuntur, meritò ab Apostolo ab hominum cœtu excluduntur, & abiguntur in pecorum, brutorumque turbas.

Blasphemus inter pecora annumerandus.

QUÆSTIO VI.

Utrum capita, cornua, diademata hujus bestiæ, sint eadem cum illis, quæ apparuerunt in dracone supra cap. 12.

47 DIcitur supra cap. 12. n. 3. *Visum est aliud signum in cœlo; & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem*; in præsenti ait noster sacer Propheta, quod viderit *bestiam ascendentem habentem capita septem, & super cornua ejus decem diademata*; ecce uterque textus.

Difficultas quæstionis.

48 Ribeira existimat, quòd sint eadem in utroque; hanc tamen sententiam jam impugnavi supra qu. 3. Deinde, in dracone diademata sunt septem, in hac bestia decem; præterea in dracone capita habebant diademata, & non cornua, at in hac bestia è contra, cornua habent diademata, & non capita: hæc omnia ergo ostendunt capita & cornua draconis non esse eadem cum capitibus, & cornibus hujus bestiæ.

Impugnatur.

49 In dracone, ut dixi sup. cap. quæst. 36. & 38. Diabolo scil. septem capita, septem capitalia vitia sunt, quorum ipse primus auctor, amator, & inspirator, ac proinde habent diademata, ut regni Diaboli principes, nam & hæc sunt septem spiritus nequam in regno Diaboli præsidentes, per quos Diabolus regnat in suis iniquis, & depravatis; & cornua decem, decem sunt instrumenta contra decem mandata Dei, instructa à Diabolo, veluti phalanges prævaricationum, ac milites nequitiarum, quæ non habent diademata, quia solùm instrumenta sunt septem dictorum capitum; at verò in hac bestia, seu Antichristo sunt septem capita, hoc est, septem reges subditi, tributarii ac subjecti Antichristo, & ideo non tenent coronas, quia coram eo illas deponent, sed solùm portant nomina blasphemiæ, quæ in obsequium Antichristi, utpote ministri ejus, dicent, & proferent in Deum ac Ecclesiam ejus; decem verò cornua significant decem reges, qui erunt in Mundo, ac imperio Romano, quando Antichristus prodibit, & apparebit, & cornua ista portant coronas, quia tunc pro illo tempore unusquisque erit supremus Rex in suo regno, ex quibus septem se subjicient Antichristo, & tres interficientur ab eo, ut jam dixi supra, quæst. 3.

Quæstionis solutio, & quid sint cornua & capita.

50 D. Bernardin. tract. 2. serm. 5. art. 3. c. 3. inquirens cur in dracone erant septem diademata, in hac verò bestia decem, sic ait: *De dracone, Joannes ait, quòd habebat capita septem, & in capitibus ejus diademata septem; hic verò super cornua hujus bestiæ sunt diademata decem, nam Diabolus cùm spiritus sit, de spiritualibus nequitiis gloriatur, & ideò septem diademata, in septem capitibus, septuplex gloria est de septuplici nequitia, quæ crimina irremissibilia facit; undè septem diademata Princeps apostatarum spirituum habet, quia septemplicem nequitiam in septemplici gloria malitiæ, non solùm in se, sed etiam in cæteris sibi consentientibus consummat. Hæc autem bestia, hoc in homine operatur, ut de malignis operationibus, quas pro virtuosis operibus habet, impiè glorietur, & ideo decem diademata decem cornibus superpositæ, est decuplex gloria, quæ denariæ prævaricationi præceptorum divinæ legis superaddita est.* Coronam gestari in præsenti, est de vitiis coronari, gloriari, ac se jactare; nam in Mundo maximè rex gloriatur de corona, quam portat; sic & in præsenti draco, seu Diabolus septem portat coronas, quia de septem spiritibus nequitiæ coronatur, ac gloriatur Diabolus: *Cùm sit Spiritus, de septem spiritualibus nequitiis gloriatur*; at bestia, seu Antichristus, seu homo malignus, & perditus decem gestat coronas, quia decem malitiis, ac prævaricationibus contra legem Dei armatus, coronatur, & gloriatur: *Bestia hoc in homine operatur, ut de malignis operibus glorietur, & ideo decem diademata, ut denariæ prævaricationi præceptorum divinæ legis superaddita.* Ali-

Homo malus præjorollendatur ipso Diabolo.

quando

quando homo deperditus, ac iniquus, majorem malitiam ostentat, quàm ipse Diabolus, sicque in præsenti Diabolus coronatur, ac gloriatur septem spiritibus malignis, homo verò decem malitiis, ac prævaricationibus contra Dei legem, ac si in ostentatione nequitiæ homo præcedat, & plus malitiæ aliquando ostentet. Diabolus Christum dicit filium Dei Altissimi, Marc.5.n.11. homines verò dicunt Samaritanum, ac dæmoniacum, Joan.8. n.48. vide, quæ dixi to. 3. in Evangel. lib.5. c.8. q.3. n.68. & 69.

51 Tertio in dracone capita septem denotant septem capitalia vitia, cornua decem, decem prævaricationes præceptorum decalogi; at in hac bestia septem capita, juxta Glos. Interlineal. significant *Principes universos malos*, qui in auxilium Antichristi venient; decem verò cornua interpretatur Glossa moralis, *universos modos impugnandi bonos*, quibus persequentur justos, & sanctos. Deinde verò super decem cornua apparent decem diademata, quæ sunt peccata ipsorum regum, quæ cum ipsis coronantur. Glossa Interlinealis: *Quia non est aliquod præceptum, quod per principes non infringatur, de quo ipsi coronantur.* Itaque per coronatos reges vitia coronantur, frequenter enim peccata se componunt, ac ornant ex qualitate, ac conditione delinquentium, & ex regum coronis coronantur eorum vitia.

Vitia per suos delinquentes coronatur.

52 Ait Christus D.Luc.10. n.18. *Videbam Satanam, quasi fulgur, descendentem de cœlo*; inquiunt Dominus, quod viderit Satanam, tanquam fulgur è cœlo labentem; fulgur cum è longè cernitur, magnis luminibus, ac splendoribus involutum apparet, at Satanas totus culpa, ac iniquitate denigratus, præcipitatur è cœlo; quomodo ergo cadit tanquam resplendens fulgur, & non potiùs, ut ater, ac niger carbo, sui titio? Beda: *In fulgore naturæ irradiabatur peccatum*; verum est, quod peccatum obscurissimum est, ut tenebræ, at cum Lucifer natura nobilissima præditus esset, peccaum ex conditione naturæ aliquid tanquam indumentum hausit, proindeque cum in lapsu noctis obscuritas esset ostendenda, elegantia, ac pulchritudo fulguris sese declaravit.

Peccata sæpe conditionem personarum induunt.

53 Aliquando verò peccatores, ac iniqui suorum peccatorum, ac delictorum conditionem sibi assumunt, & induunt; ad quod spectat regius Vates dicens Ps. 81. n.2. *Usquequo facies peccatorum sumitis.* Juxta phrasim hebraicam, facies sumitur pro tota persona; ac si dicatur: Usquequo impurus, ac inhonestus, ipsammet impuritatem, ac inhonestatem repræsentabit? Ambitiosus usquequo ipsammet ambitionem exprimet, ac ostentabit?

Apoc.13. n.2. Et bestia, quam vidi, similis erat pardo, & pedes ejus, sicut pedes ursi, & os ejus sicut os leonis, & dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam.

VERSIONES.

Arabicus. Similis erat tygri, & pedes ejus, ut ursi, deditque illi draco robur suum, & thronum suum.

Syriacus. Et animal dentis illud, quod vidi &c. Pedes ejus, tanquam lupi, & os ejus sicut os leonum, & dedit illi draco potentiam suam, & thronum suum.

Oecumen. Virtutem suam, & thronum suum.

Pagninus. Potentiam suam, & sedem suam.

EXPOSITIO.

54 *ET bestia*; quoad corpus ejus. *Similis erat pardo.* Pardus variatus colore, agitatione corporis volubilis, perniciissimus cursu, & maximè præceps in sanguinem fertur; sic & Antichristus instar pardi, maculatus erit omnibus sceleribus, maximè versatilis in omnes dolos, & fraudes, & velocissimo cursu, quasi fulmen pervadet, & subiget Orbem, justorum sanguinem sitiens, ac effundens. *Pedes ejus sicut*

ursi, fortissimi ad conterendum, & ad conculcandum aptissimi, ursi enim maximè vis est in pedibus. *Et os ejus, ut os leonis*, terrificè, ac superbè rugientis, omnia discerpentis, ac dilaniantis.

Et dedit illi draco, seu Lucifer, *virtutem suam, & potentiam suam.* Hæc non sunt synonima, ut Alcazar, & alii volunt, sed diversa. *Virtutem suam*, ut Angelus est, Deo sic permittente; *dedit illi*, scilicet Antichristo suam virtutem, tum in facultate cognoscitiva, tum in facultate motiva, & applicativa causarum naturalium ad operanda aliqua ficta, & falsa miracula. *Et potestatem magnam*, ad gentes, potentes, ac regna subjuganda, ac devincenda. Græcè: *Thronum tuum*; id est, majestate, ac dignitate, ut sit Luciferi vicarius in terris, & rex super omnes filios superbiæ. 55

QUÆSTIO VII.

Quare bestia hæc Antichristus corpore dicitur similis pardo, pedibus ursо, ore verò leoni.

APud Daniel.7. à nu. 4. & 5. aspiciuntur quatuor bestiæ, quæ ascendebant de mari, diversæ inter se, quarum prima, quasi leæna erat, bestia alia similis viso, alia quasi pardus, bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; quæ quatuor bestiæ denotabant quatuor præcipuas Mundi Monarchias; leæna Monarchiam Chaldæorum, præcipuè Nabuchodonosoris regum; ursus Monarchiam Persarum, seu Medorum; pardus Monarchiam Græcorum, & Alexandri; quarta bestia, Monarchia Romanorum erat: & quamvis Daniel viderit certam bestiam, ut nobis incognitam, eam nobis non exprimit, ut significet incomparabilem potentiam, & ferocitatem Romanorum, ad cujus significationem nullæ bestiarum species nobis cognitæ sunt idoneæ. Et hæc imperia assimilantur non hominibus, sed bestiis, ob eorum ferocitatem, tyrannidem, ac rapinam, quarum omnium immanitas, barbaries, tyrannis in uno solo Antichristo recompilantur; & ideo, ut jam dixi, cùm hæc bestia habeat septem capita, illorum formæ non exprimuntur, quia ferocitas, ac crudelitas Antichristi declarari non potest aliqua bestiarum forma, ac specie, quæ à nobis cognitæ sunt, sic omnem modum excedit. 56

Crudelitas sævitia Antichristi inexplicabilis.

Similis pardo; corpore scilicet, ut dicitur in præsenti. Licèt Solonius c.21. pardum, & pantheram censeat esse duas & diversas animalium species, tamen Aristoteles & Plin. lib. 8. c. 17. Dioscor. & alii dicunt esse eandem speciem, & idem animal. Pardus ergo, primo est maculosus, & varius; Jerem.13. n.23. *Pardus varietates suas.* Secundò, pardus partim pellis varietate, ac pulchritudine, partim odore, ut ait Plinius, animalia ad se allicit (occultans interim caput turpe, & horridum) ut ea dilaceret, ac devoret. Tertiò, ut ait D.Hieron. apud citatum locum Daniel. *Velocissimus, præcessque fertur ad sanguinem*; undè à Claudio Panegyrico 8. fulmineus appellatur. Quartò pardus maximè astutus, oculis, ac corpore valde volubilis, & inde feras maximè insequitur, & apprehendit. Quintò pardus est superbus, alias bestias per se contemnit. Sextò pardus est multum sævus, crudelis, ac rapax. Septimò pardus vino delectatur, undè forsan Poetæ fabulantur, pardales mulieres fuisse Bacchi nutrices. 57

Pardus, quales habeat proprietates.

Talis erit Antichristus, varius, & maculosus vitiis, ac turpitudinibus, ac iniquitatibus, ut latè ponderat Ansbert. tum etiam, ut exponunt Tyconius, Primasius, & Beda, & hic Ribeira, Pardum maculosum in præsenti dicit Antichristum, propter varietatem nationum, ac hominum, qui eum sequentur. Secundo Antichristus maculosus, ac versipellis, & talis est conventus potentum non secundùm Deum, in quibus domicatur hypocrisis; foris pulchram, & elegantem ostendunt apparentiam, intus verò occultant horrendas, ac turpes cogitationes ad perdendum omnes. Talis fuit Triphon ille Jonathæ deceptor, & impiissimus homicida, 1.Machab.13. n.19. talis & Alcimus impostor sceleristissimus, lib. 1. Machab.7. n.15. Tertiò, velocissimè, ac tanquam rapi- 58

8 Antichristus omnibus vitiis maculatus. Hypocrita & Auditus exterius pulchram apparitiam interius horrorem ostendit.

dissimo fulmine Antichristus dominabitur. Quartò valde sagax, ac astutus erit, tota diabolica malitia imbutus, de quo quæst. seq. Quinto, maximè erit superbus, ac arrogans; omnes contemnet, & inde multa crudelitate desæviet; erit etiam valde luxuriosus, & ebriosus ut statim dicam

59 *Pedes ejus sicut pedes ursi*. Primò ursus ut ait, Plin. lib. 8. c. 36. inter omnia bruta animantia, maximè nascitur fœtus deformis, ut tantum esse videatur caro alba, & rudis, sine pilis sine oculis, sine cruribus, sed mater lambendo sensim eum conformat, ac perfectum animal reddit. Secundo de ursо testatur Aldrov. quod non solùm pronus sed etiam pedibus innitens instar hominis incedit, inde rectè in eo depingitur potentatus, ac dominatio hujus sæculi, quia cum multi valde viles, & abjecti nascantur, maximè super alios se volunt extollere, & cum valde proni, & tortuosi sint, tamen ut recti, ac directi volunt haberi, & cum crudeles, ac inhumani, benigni, ac humani cogitant videri. Actor. 23. n. 20. Scribitur Epistol. cujus titulus est: *Claudius, Lysias optimo præsidi, Felici*; & ille non erat optimus, tamen cum felix esset, præses talis volebat videri, & ab omnibus reputari.

Potentes cum aliquando sint viles, super alios se extollunt

Potentes aliquando injusti, recti, volùt videri.

60 Tertiò ursus maximè melle delectatur, ipsumque appetit, ita ut quamvis ab apibus pungatur, ac vulneretur, minimè retrocedit, ac quiescit, in quo adumbrantur peccatores, qui ita dulcedine suorum appetituum inebriantur, ut nullis divinis inspirationibus, nec conscientiæ stimulis, ac prædicatorum vocibus acquiescant, sed maximè obdurati in sua iniquitate persistunt. Quarto ut docet Aristoteles lib. 8. Historiæ animalium cap. 17. ursi magnam hiemis partem sine ullo pastu, ciboque transigunt, & solo suctu propriorum pedum vivunt. Quinto ursus maximè somno gravatur, ita ut ne vulneribus quidem concisus excitetur. Sexto ursus est maximè luxuriosus, ac multum sævus, ut est manifestum, graviter pedibus cuncta conculcare satagit.

Peccator sic obdurescit, ut ne stimulo, ac conscientiæ respondeat.

61 Talis erit & Antichristus, natali nempe vilissimus, & abjectissimus. S. Hippolytus martyr orat. de consumm. Mundi, ait: *Ex impura muliere prodibit super terram*. S. Ephrem. Syr. ser. de Antich. *Nascetur ex spurcissima, & salacissima muliere*. S. Damascen. lib. 4. de fide Orthod. cap. 27. *Nascetur homo ex fornicatione, & suscipiet omnem Satanæ operationem*. Secundo, dicuntur pedes ejus, pedes ursi, nam ursus instar hominis pedibus incedit; sic ille humanitatem simulabit, & justos truculenter prosternet, & conculcabit. Richard. *Pedes ejus sicut ursi*, ait, *per impiæ perpetrationis velocitatem, & sanctorum conculcationem*. Tertiò non dicuntur manus, sed pedes ejus, sicut pedes ursi, qui magna parte temporis suctu pedum vivit, ac alitur, cum pes vilior sit manu; qui pedes Antichristi, nisi perversi satellites ejus, qui tanquam mancipia vilissima ei inservient ad quodlibet iniquum opus perficiendum? Rupert. *Qui erunt pedes ejus*, ait, *nisi nequitiæ ejus satellites pessimarum ejus legationum, per totum Mundum, ad effundendum sanguinem?*

Cur pedes Antichristus simulat humanitatem, ut durius conculcet.

Tyranni ex opc suorum satellitum vivunt.

62 Quarto Antichristus tanquam ursus sic erit obfirmatus in malo, ut cœlestia non videat, nec divinis inspirationibus respondeat, nec divinis flagellis excitetur ad bonum. Quinto, erit etiam immundissimus, ac omni voluptatum melli maximè deditus. Albert. Magn. & Nicolaus Gorran. *Ursa*, ait, *est bestia spurcissima, quæ dum ira sævit, quicquid corripere potest, prius pedibus conculcat, quàm dentibus laniet, & ideo potest significare Antichristum, qui datus erit omni immunditiæ*. Daniel. 11. n. 37. *& erit in concupiscentiis fœminarum*.

Antichristus maximè luxuriosus erit.

63 *Os ejus sicut os leonis*, superbientis, tum propter rugitum omnia animalia terrentem, tum propter crudelitatem & cædes super omnem modum, erit enim Antichristus crudelissimus omni genere inhumanitatis, ut testatur D. Cyrill. Jerosol. Cathe. 15. *Antichristus*, ait, *decipiet Judæos, deceptos verò, deinceps omnis generis inhumanitatis, & iniquitatis malis omnes circumscribet, ita ut omnes, qui ante illum improbi, & impii fuerant excellat malitia*; idem docent D. Hippolytus orat. de consumm. Mundi, D. Ephrem. ser. de Antich.

Antichristus crudelissimus.

Meritò noster Joannes, postquam notavit in hac bestia pedes ursi, adjecit os leonis, quia in ursо denotatur luxuria in ore leonis dilaniantis, crudelitas, & luxuria, mater, ac genitrix est omnis crudelitatis. Duo senes amore Susannæ vulnerati erant, & cùm eam provocarent ad turpe facinus, ipsaque eis resisteret, inde subdit text. Daniel. 13. n. 29. *Venerunt & duo Presbyteri pleni iniqua cogitatione adversùs Susannam, ut interficerent eam*; quomodo tam subitò amor vertitur in sævitiam, & ex amatoribus fiunt crudeles accusatores? Hæc solemnis lasciviæ consuetudo, ut immanem crudelitatem humanis mentibus inserat. 64

Lasciviæ crudelitatē generat.

Libidinosi homines clamant, Sapientiæ 2. n. 8. 9. & 10. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors. Opprimamus pauperem justum, non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis*. Magna consideratione expende à quo incipiant, & ad quod deveniant; incipiunt à fomentis luxuriæ, rosis nempe, ab ipsaquemet luxuria: *Nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra*; & inde immediatè transeunt ad crudeliter opprimendum pauperem justum, viduam, & senem, nullo habito respectu, nec reverentia. Lasciva concipit immanitatem, & parit universa tormenta adversùs immerentes. D. Aug. ser. 246. de temp. sic ait: *Ex hac numeratione libidinum, & putredinum, & vermibus flagitiorum, vide in quæ facinora, & in quàm immania scelera prosilitur; exhausti enim, atque submersi immoderatorum delictorum turpium corruptela: Opprimamus, inquiunt, pauperem, & justum*. expende illud, *Ex hac enumeratione libidinum, in quàm immania scelera prosilitur*; sic ex lascivis mentibus maximè oritur furor, ac sanguinis effusio. 65

Ex lasciviâ crudelitas prodit.

Rogatu impudicæ puellæ, *missо speculatore Herodes præcepit afferri caput Joannis in disco*, Marc. 6. n. 27. in quo facto maximè patuit immanis crudelitas Herodis, dum caput viri sanctissimi, ac innocentissimi, sine ulla causa imperat afferri in disco. Et in hoc turpi facto solùm apparuit crudelitas Herodis? Minimè, sed etiam ejus lascivia, non enim potuit latere luxuria, ubi tanta crudelitas manifestabatur in cæde Baptistæ, tanta enim crudelitas solùm à libidinosо homine poterat oriri, quæ fuit tanquam monumentum suæ turpis luxuriæ. Andreas Creten. ser. de decollat. Joan. *Si quid*, ait, *ex tuis malis erat occultum, adversùs te manifestum reddidisti, cæde aperiens flagitium, cujus arguebaris. Tu igitur dum eadem facis, argueris libidinis*. Ejus crudelitas testis manifestus ejus lasciviæ. D. Fulgent. ibi: *Producitur lascivia carnifex fœmina. Molli progressu puella procedit; homicidium petitura, & adultero placitura*. 66

Lasciviæ testis crudelitatis.

QUÆSTIO VIII.

Quare draco dat suam potestatem, ac virtutem Bestiæ.

DEdit draco virtutem suam, & potestatem suam, seu thronum suum, ut alii legunt. Et cui dedit draco? Bestiæ nempe: Ingenium draconis, ac Diaboli est bestias in altum extollere, & in sublimi throno collocare. 67

Ingenium Diaboli bestias extollere.

Præcipuo, ac maximo capiti hujus bestiæ dedit draco suam virtutem, ac potestatem, quam bene explicat Cornelius; primò, in authoritate, & majestate; secundo, in licentia, & facultate omnimoda persequendi fideles; tertiò, in decipiendi artibus, & efficacitate; quartò in potestate faciendi fictè miracula, ut sunt illa, quæ fecerunt Magi, ac incantatores in Ægypto, ac Idolorum sacerdotes per totum Orbem in hujusmodi potestate, & sunt illa, quæ gentiles finxerunt de suis Diis, quasi miracula in historiis, ut in Tit. Liv. Valer Max. & aliis; & sunt illa Simonis Magi, Apollonii Thianæi, & erunt multo plura sub Antichristo, cum venerit ille execrabilis impostor. 68

Quibus modis Draco dedit potestatem bestiæ.

Dedit ergo illi draco virtutem suam, & potentiam suam; quæ non sunt synonima, ut vult Alcazar, sed distinctè significant. Dedit virtutem, quod spectat ad vim ipsam, quam in se habet draco, ut talis Angelus est, tam in facultate cognoscitiva, quàm applicativa 69

cativa causarum naturalium inter se, Deo sic permittente, ad ficta, & falsa miracula operanda; dedit etiam potestatem suam, assistendo illi, & communicando ipsi, ac ministris ejus, multa ex his, quæ scit Diabolus, adjuvando expeditiones, & prælia, & subministrando quantum in se est vires, virtutem ad subjugandas gentes, ut regnet in toto ferè Orbe.

Non sunt verba synonima.

70 *Dedit ergo illi Draco virtutem suam, & potentiam suam;* erit enim Antichristus instructissimus à Diabolo in omnibus maleficiis, ac Magicis artibus. D. Cyrill. Catech. 15. sic ait: *Inducet Diabolus quendam magnum hominem, nempe Antichristum veneficiis, incantationibus, & malis artibus instructissimum.* S. Ephrem. ser. de Antichristo: *Mundum magicis potentiis decipiet*; Andreas Cæsarien. ad c. 11. Apoc. *Antichristus in omnibus prodigiis*, ait, *veneficorum omnium princeps, omniumque præstigiatorum coryphæus futurus est, utpotè universa Diaboli fraude perfectè imbutus.*

Antichristus in nefandis, ac magicis artibus petitissimus.

71 Et ita erit iniquus, ac depravatus Antichristus, ut à multis Patribus videatur existimari, quod si ipse Diabolus in forma, ac natura humana apparens: ita S. Hippolytus Orat. de consumm. Mundi, S. Ephrem. ser. de Antichristo, Theodoret. lib. de divinitate Deorum, cap. de Antichristo, Julius Firmicus, & alii. Tamen revera, & simpliciter erit homo, ut testatur Paul. 2. ad Thessal. c. 2. n. 3. dicens: *Revelatus fuerit homo peccati*; & ideo, cùm à Patribus citatis dicitur Antichristus Diabolus, non sic intelligendi sunt, quasi existimaverint, quod Antichristus sit verus Diabolus, sed quòd ita ipse erit perversus, ac iniquus, ut ipse inter omnes reprobos sit potissimum Satanæ instrumentum, in eoque præ cunctis reprobis maximè Satanæ opera apparebunt, ac se manifestabunt.

Antichristus ita depravatus erit, ut à multis existimetur Diabolus.

72 Ecce cur, cùm in hac bestia exprimetur os instar leonis, ob sævitiam, corpus pardo assimiletur, ob hypocrisim, ac fictam apparentiam, pedes ursо comparentur ob luxuriam. Tamen cujus formæ, ac figuræ sint septem capita, ac manus bestiæ, nec dicitur, nec declaratur, quia tot horribilia, ac execranda, mente concipiet, ac manibus operabitur, ut nullis formis, nullis bestiis à nobis cognitis valeant adumbrari, leviter delineari, ac investigari.

Cur hujus bestiæ manus non explicatur.

73 Benedicens Jacob Dan, ait Gen. 49. n. 17. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi*; quod vaticinium à multis Patribus exponitur de Antichristo, & inde dicitur coluber in via, cerastes in semita, ut exponit D. Greg. Magn. lib. 35. Moral. c. 18. in via, ac semita hujus præsentis sæculi, mordens ungulas equi, id est extrema sæculi, ut cadat ascensor ejus retro. Dicitur ergo Antichristus coluber per astutiam, cerastes, qui est serpens cornutus instar arietum, ob potentiam, quia mira astutia, ac potentia pugnabit contra electos, ut eos deiiciat, ac devincat, Bereng. Abbas lib. de mystico ligno Domini, & visibili luce, explicans citatum vaticinium Jacob: *Antichristum significat*, ait, *qui contra electos Dei, duplici quandoque debet sævire dementia, cùm & coluber ex astutia, & cerastes vocatur ex potentia.*

Antichristus electos Dei, astutia, & potentia impugnabit.

Apoc. 13. n. 3. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra post bestiam.

Num. 5. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?

VERSIONES.

Syriacus n. 3. Et unum ex capitibus ejus, erat tanquam mactatum ad mortem. Et plaga lethalis ejus sanata est: Et admirata est tota terra post illud animal dentis.

Arabicus. Erat autem unum ex capitibus ejus, quasi jugulatum, ac mortuum: tunc vulnus mortis curatum est, quapropter admirans universa terra secuta est bestiam.

Primas. Et unum ex septem capitibus quasi occisum ad mortem, &c. Et admiratæ sunt gentes inhabitantes terram.

Vatabl. Pagnin. Et admiratio fuit in universa terra, post bestiam.

Syriacus n. 4. Et adoraverunt draconem, propterea quòd dedit potestatem illi animali dentis hanc, & quis poterit præliari cum illo?

Arabicus. Num similis est quisquam huic bestiæ? aut quis habet facultatem pugnandi cum ea?

EXPOSITIO.

ET *vidi unum de capitibus ejus, quasi occisum.* Unum de septem capitibus, id est, de septem Regibus Antichristo subjectis, ut dixi Expos. 1. *Quasi occisum*; id est, percussum plaga mortifera, in bello nempe quod pro Antichristo geret, in quo lethaliter fuit fauciatus, & ab Antichristo virtute, ac ope Diaboli, vitæ, ac sanitati restitutus. *Et plaga mortis ejus curata est.* Illud nempe vulnus, respectu artis humanæ, non verò diabolicæ mortiferum, ac immedicabile erat, Dæmon enim nostrorum corporum complexiones, herbarumque vires introspicit, & ideo illud vulnus curabile erat naturaliter ab eo. *Et admirata est universa terra;* hoc est, ut exponit Joachimus Abbas, homines terreni, ac carnales, qui tot, & tanti erunt, ut dicantur universa terra, nam justi in parvo numero erunt, ut advertit Ansbertus. *Post bestiam*; Arabicus: *Secuta bestiam;* commota, falsa, & apparenti virtute ejus. 74

Genuinus sensus.

Et adoraverunt Draconem; Luciferum nempe, quasi tartareum numen, inclusum in Antichristo. *Qui dedit potestatem bestiæ*, ad operandum apparenter, ac fictitiè, tam magna miracula. *Et adoraverunt bestiam*; junctim cum Dracone. *Adoraverunt* etiam *bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ?* Joannes eum dicit bestiam, antichristiani vocabunt eum Messiam, & Christum suum, ut ait Beda, falsò tamen, & sine ullo fundamento. 75

QUÆSTIO IX.

Altiùs expenditur, quodnam sit hoc caput occisum in mortem, cujus plaga curata est.

LUtherus, & alii sectarii ejus non minus stultè, quam impiè dixerunt, hanc bestiam esse imperium Romanum, quod quasi occisum fuit, quando defecit in Occidente, & curatum est à plaga mortis, quando Antichristus, ut impiè, ac falsò ipsi dicunt, Papa restauravit illud in Carolo Magno, & ejus posteris. O impia & atrocissima blasphemia in Christi vicariam, ac imperitalem majestatem! Quisnam poterit dicere, quod Carolus Magnus, christianissimique ipsius posteri, ac glorioſi Imperatores bestia sint? Isti sanè hæretici magis bestia, proindeque non possunt, nisi secundùm sensum bestialem judicare; indeque brutali feritate Christi vicarium fingunt Antichristum, in quo cum non possint ostendere, ne unum quidem ex illis, quæ Joannes de Antichristo scribit, apertè manifestatur se præcipites agi errorum spiritu, turpissima, ac diabolica nequitia; 76

Atro issima Lutheri blasphemia impugnatur.

Insulsè etiam aliqui dixerunt, quod Julius Cæsar, vel Augustus Cæsar, fuerit hoc caput bestiæ occisum; nam nec Julio, nec Augusto Cæsari, si rectè inspiciamus, quidquam convenit ex his, quæ hìc dicuntur, nam Augustus nihil prorsus fecit de his, quibus istud caput à plaga mortis sanatum est; Julius verò Cæsar non fuit quasi mortuus, sed verè mortuus, & plaga ejus mortis non est sanata. 77

Bestia non est Julius Cæsar, vel Augustus.

Tertio Alcazar per hanc bestiam interpretatur Romanum imperium, ipsosque Imperatores Romanos, Ecclesiam persequentes, ac proinde primum caput hujus bestiæ dicit primum Ecclesiæ persecutorem, videlicet Neronem, cujus interitu ejus persecutionem sub Tito, & Vespatiano sopitam suscitavit Domitianus. At hæc sententia nullo modo subsistit, 78

stit, quia ex illa sequitur, quod quoties Imperatorum persecutiones in Ecclesiam conquieverunt, quasi occisum dici potest aliquod caput hujus bestiæ, & cum iterum pullularunt, dici potest curatum à plaga mortis, proindeque non unum caput, sed omnia septem capita dicenda sunt occisa, & à plaga mortis curata; nam sicut, occiso Nerone, ejus persecutio quasi mortua est, iterum verò suscitata per Domitianum, sic etiam persecutio Domitiani emortua est, ejus interitu, reviviscit verò per Trajanum, qui post Domitianum ipsam persecutionem resumpsit; & idem dici potest de Juliano Apostata, ac aliis persecutoribus. Deinde cùm Domitianus resumpsit persecutionem in christianos quid tanquam miraculum, dignum admiratione in hoc apparuit, ut dicatur: *Admirata est universa terra post bestiam.*

Impugnatur hæc sententia.

79 Quartò Primas. Beda, Richard. Ansbertus, Cornel. à Lapide, Gagnæus, M.la Haye, & alii dicunt, quòd vidit Joannes in hac bestia, unum, ac præcipuum caput ejus, ex septem capitibus, quod erit Antichristus, quasi occisum; finget enim Antichristus se mortuum, ut simulatam suam resurrectionem fidelibus ostendat, undè subditur: *Et plaga mortis ejus curata est;* plaga quidem non vera, sed apparens, finget enim se mortuum, & occisum, quemadmodum occisus est Christus, ut simulata resurrectione Christum se mentiatur. Fundatur hæc sententia, nam infra, vers. 12. dicitur, quod habitantes terram adorarunt bestiam, *cujus curata est plaga mortis;* atqui Antichristus non sinet, quemquam regum, præter se unum adorari: ergo in eo curata fuit plaga mortis?

80 Sed graviter contra hanc sententiam urget, quòd in hac bestia, ut patet ex 1. vers. sunt septem capita, & decem cornua; quæ decem cornua, ut ipsimet authores, Cornel. & alii dicunt, & ego dixi exposit. 1. & latiùs q. 3. sunt decem Reges, qui erunt in Imperio Romano, quando Antichristus advenerit; ex quibus tres Reges ei resistentes, ab eo interficientur, septem verò juxta Danielis prophetiam, ei obedient, ac se illi subjicient; & cùm sint Reges, portant coronas, cùm subditi Antichristi, nomina blasphemiæ in Deum & Ecclesiam: ergo, cum ista septem capita significent Reges Antichristo subjectos, nullum ex eis est ipsemet Antichristus.

Impugnatur prædicta solutio.

81 Nec ratio in contrarium urget, cùm dicitur, quòd habitantes in terra, *adorarunt bestiam, cujus curata est plaga mortis;* scilicet, cujus virtute diabolica curata fuit plaga mortis, in suo illo magno duce; vel quia iste magnus dux membrum erat Antichristi, cujus ipse erat caput, ac proinde curata est plaga in corpore ejus mystico.

Dilvitur fundamentum contrarium.

82 Quintò vera, ac genuina sententia est, quam tuentur Aret. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 14. sect. 4. *Scilicet, si quæras,* Menoch. & alii hìc, qui dicunt, quòd cùm Joannes ait: *Vidi unum de capitibus ejus,* scilicet bestiæ, *quasi occisum in mortem;* intelligit unum scilicet, & præcipuum de Regibus Antichristo subjectis, percussum plaga mortifera v. g. in bello, quod pro Antichristo geret, qui sauciatus usque ad mortem, sanatus, ac vitæ restitutus est ab Antichristo, virtute nempe diabolica; & sic dicitur: *Plaga mortis ejus curata est;* qui modus loquendi importat distinctionem inter curantem, & curatum, inter Antichristum, ac ducem ejus ab eo curatum. Objectio autem quæ fieri potest ex versu 12. ibi in expositione explicabo.

Vera sententia.

QUÆSTIO X.

Quare homines ratione præditi adorant draconem, & bestiam.

83 HOmines maligna ambitione, ac cupiditate, fuisque peccatis obcœcati, falsis, ac fictis fundamentis innixi, draconem, scilicet Luciferum, ut Deum, & bestiam, Antichristum nempe, ut filium Dei, ac dominum totius Orbis adorabunt, à quo Antichristus talem potestatem accepit. Alias rationes morales inquiramus.

84 Primò: Quomodo fieri potuit, ut homines ratione præditi, adorent draconem, & bestiam, monstra decem cornibus, & septem capitibus horrenda? quomodo tales honore, ac veneratione homines dignos judicant? Considerabant bestiam tanquam hominem potentissimum, divitiis, & omnibus facultatibus opulentissimum, & etiam prodigiorum operatorem experti erant; & inde tanto cultu eum persequebantur; cùm ergo his duobus conjunctim, divitiis nempe, ac prodigiis clarus appareret, inde quilibet in ejus admirationem, ac venerationem inducebatur. Ansbert. *In eo draconem adorarunt, quia bestiam illam, videlicet Antichristum, non solùm divitiis, ac potestatibus, verùm etiam signis, & virtutibus suffultum, esse Christum putarunt: contemnenda fortassis talis bestia, si solùm sæculari potentia, & non signis, & virtutibus vallata fuisset, rursumque despicienda fortassis esset, si solis simulatis virtutibus, & non sæculari potentia usa fuisset; at cùm & sæculari potentia elevata, & signis, & prodigiis videatur suffulta, quis non solùm reproborum, verùm etiam electorum, non trepidet, ut non à fundo cordis quatiatur? undè, & adorantes dicunt: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?*

Maximè veneratur signis, & potentia clarus.

85 Secundò sat erat adorare draconem, quod grande peccatum erat, cur ibi non sistunt, sed ulteriùs progrediuntur ad bestiæ adorationem? Ait Text. *Adoraverunt draconem .... & adoraverunt bestiam.* Non mirandum; unum peccatum alterum parturit, & frequenter secundum peccatum pœna est prioris peccati, pro, indeque Deo permittente in pœnam prioris adorationis draconi exhibitæ, in cultum bestiæ prolabuntur. Haymon: *Dicturus*, ait, *Et adoraverunt bestiam; præmisit: Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ; quare? Videlicet, quia ut adorarent bestiam, causa illa præcedens effecit, quod adorarunt draconem talis bestiæ parentem; etenim, quomodo Apost. dicit 2. ad Thess. 2. n. 10. Eo quod charitatem veritatis non acceperunt, ut salvi fiant; ideo mittet illis operationem erroris, ut credant mendacio.*

Unum peccatum pœna alterius.

86 Tertiò inter istos adorantes, multi erunt simplices, & multi scientes; simplices Antichristi malitiam suspectam non habebunt, & licèt hoc detur, à culpa tamen non erunt immunes, quia tenebuntur veritatem inquirere, multi autem erunt scientes, dæmonis virtute, talia operari; sed quomodo latriæ cultu pessimum Antichristum adorant? Respondet Nicol. Gorranus: *Sequuntur eum*, ait, *tam isti, quàm illi, vel timore mortis, vel bonorum cupiditate illius.* Ecce quid timor mortis in pravis hominibus operabitur, ut ipsummet Diabolum, ac ejus præcipuum instrumentum in honore, & cultu ipsimet Deo præferant.

Timor in aliquibus adorare Diabolum facit.

87 Quartò homines isti *adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam.* Ecce Draco magnus, nempe Diabolus, & monstruosa bestia ab hominibus adoratur, & colitur; & undè potuit homo in tam execrandam servitutem trahi, ut Diabolum & bestiam veneretur? Ubi temporalis lucri cultores fuerunt, non mirandum est, quòd adorent Diabolum, aut quodcunque aliud horribile, à quo aliquid lucri speraverint, cùm enim viderent draconem, aut bestiam honores, ac divitias distribuentes, inde eos honore, soli Deo debito, prosequuntur: Ad tot & tam horrenda scelera, lucri amor, ubi speratur, homines impellit. Rupert. lib. 8. in Apoc. *Quomodo saltem*, ait, *impii dicuntur adorare Diabolum, qui etiam sæpè maledicunt eum? Certè in eo Diabolum adoraverunt, quòd mammonæ servierunt, nam & Apostolus dicit de avaritia, quòd simulacrorum servitus sit: ergo, quia mammonæ dudum servi fuerant, & mammonæ serviendo adorabant Diabolum, quid miraris, quòd deinde bestiam adoraverunt habentem divitias, volentem dare aurum, & argentum?*

Qui lucro servit, id adorat, in quo aurum resplendet.

88 De homine temporali loquens Habacuc ait c. 1. nu. 16. *Propterea immolavit sagenæ suæ, & sacrificavit reti suo;* undè fieri potuit, ut homo in tantam dementiam venerit, ut reti, ac sagenæ aras extrueret, holocausta, tanquam Deo vero offerret? Sagenam, & rete, quibus lucra faciebat, divitias comparabat, in deos habebat, & sic pergit citatus Propheta: *Quia in ipsis incrassata est pars ejus, & cibus ejus electus;* ex quo ait Theophylus Anthioch. lib. 2. ad Authol. *Mihi perquàm ridiculum videtur, lapicidas, fictores fingere, sculpere, fundere, Deosque parare, quos ubi elaboraverint ipsi vilipendunt primi, & ne flocci quidem faciunt. Ubi autem*

Temporalia lucra ab hominibus adorantur.

autem dii illi ære fuerint redempli, & in templo collocati, non dubitant in eorum honorem victimas cædere, emptores, & artifices, & accedunt pariter exquisito studio, ut eos adorent. Ecce ex quo incepit studium adorationis ardere circa idola, nimirum ut ait: *Ubi autem Dii illi ære fuerint redempti, &c.* ex quo emptio, & venditio datis, & acceptis pecuniis, facta est, ut & emptores, & venditores sua lucra in idolis comparata videant, ardent studio adorandi illa, offerendique munera; venditores pro pretio accepto, emptores pro donis oblatis. Ante emptionis, & vendisionis lucra, in nihilo habebantur idola apud artifices; in domorum angulis, aranearum telis squallentia habebant illa, post vendita verò, post pecunias acceptas, statim illis sacrificant. Et quidem sola temporalia lucra sunt, quæ per se, & ex corde temporales homines spectant; cætera omnia, quantumvis vera, magna, ac religiosa, veluti accidentaria habentur.

89 Israelitæ dantes aureas inaures uxorum suarum, ac filiarum Aaroni dicebant: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant*, Exod. 32. n. 1. tunc temporis multa varia idola colebantur à gentibus per Orbem sub diversis formis, ac figuris, at verò isti homines nullum determinatum idolum postulant, sed tantùm aliquod in communi sibi fieri instanter flagitant; cur non magis determinatè petunt sibi constitui Jovem, Martem, aut Venerem, vel Solem? Erant homines temporales, nullum proinde numen sive verum, sive falsum æstimant, unum tantùm aurum per se respiciunt, & dum hoc præ oculis, ac manibus habent, libenter parati sunt respicere quodcunque numen se illis obtulerit, sub forma, ac figura auri; ut homines temporales, hoc tantùm curabant, quod aurum illis objiceretur ad cultum exhibendum. Pulchrè D. Damasc. hominum conditionem depingit, orat. 3. de Imaginib. dicens: *Ebrii facti sunt vino, atque errore, & præstaltitia dixerunt: Hi sunt Dii tui Israel. Vides eos pro Diis simulachra coluisse? Neque enim Jovis, aut hujus, illiusve certi cujuspiam Dei simulachrum, ut fieret aurum dederunt, sed quidquid sorte contigisset, atque ita exiit effigies bovis.* Mundani isti homines de particulari idolo nil curarunt, sed tantùm quod aurum eis proponatur, sub quacunque forma eis objiceretur, ut illud tanquam divinum numen colerent.

Mundani homines solũ aurum respiciunt ad adorãdũ

QUÆSTIO XI.

Quare universa terra admirata bestiam adorat, dicens: Quis poterit pugnare cum bestia.

90 OMni admiratione dignum, quòd universa terra admirata sit bestiam sequens, illius potentiam venerans, dicens: *Quis poterit pugnare cum bestia?* nam in hac horrenda bestia Antichristo, apparebunt turpissimi mores, execranda vitia, & immanes crudelitates, ac tyrannides; quomodo ergo præ oculis hæc habens universa terra, admirata tamen bestiam adorat, illius potentiam venerans? *Quis poterit pugnare cum bestia?*

Difficultas quæstionis.

91 Primò hæc bestia, licèt esset horribilis, & formidabilis forma, figura, ac moribus, coronata tamen erat: *Et super cornua ejus decem diademata;* carnales homines solis externis splendoribus rapiuntur, tantùmque respiciunt, quod fulget in auro, ac metallis pretiosis, at viri justi hæc maximè fugiunt, & detestantur; quod egregiè notavit Euseb. in Catena Græca, Luc. 1. *Regi*, nempe Nabuchodonosor, *per modum imaginis, somnium apparebat, Prophete autem belluarum, subformis brutorum, ac ferarum ostendebantur.* Quatuor Mundi regna ostendebantur Nabuchodonosori, ac Danieli, tamen hæc manifestantur Nabuchod. in imagine fulgida, ac splendenti; dicitur ei Dan. 2. n. 31. *Tu rex videbas, & ecce statua una grandis; hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære, &c.* at Danieli etiam ostenduntur hujusmodi regna; ait c. 7. nu. 3. *Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ inter se;* sicut noster Joan. ait: *Vidi de mari bestiam ascendentem.* Ecce quatuor Mundi Monarchiæ, ostendunt Nabuchodonosori, & Danieli; illi declarantur in metallorum splendore, & pulchritudine, in auro, argento, & ære, huic autem in ferarum repræsentatione; Regi utpote carnali, Mundi regna exteriùs splendida, ac fulgida in auro, & argento apparebant, ut illarum amore teneretur, at Prophetæ divino lumine illustrato, qui considerabat id, quod interiùs Mundi gloria continet, tanquam horribiles ferarum formæ objiciebantur ut talia fugeret, detestaretur, ac execraret.

Mundani in temporalibus respiciunt exterium splendore, sunt interius horribilem.

Secundò sub nomine hujus bestiæ, congregatio omnium peccatorum, ac impiorum intelligitur à multis; atqui ex peccatoribus, ac impiis, non solùm innumeri antiquitus impugnati fuerunt, sed etiam victi, ac totaliter deperditi, ac destructi, & tamen hujus bestiæ admiratores, asseveranter astruunt, à nullo eam posse impugnari, ac lædi; & quomodo hæc sic dicunt, cùm nihil frequentiùs in Mundo contingat, quàm impiorum devastationes, destructiones, eorumque pœnæ, ac supplicia? Peccatores in hac bestia apparebant modò in florido sui regni statu, multis redimiti diadematum splendidis sertis, multis potentiæ cornibus muniti, multisque signis, ut dicitur infra, effulgentes, & hujus præsentaneæ felicitatis intuitu, sic homines terreni rapiuntur, ac afficiuntur, ut nihil de antiquis cladibus, ac afflictionibus cogitent, nihilque simile possibiles eis eventurum suspicentur, sicque absorbentur à præsenti felicitate, ut omnis antiqua miseria eis è memoria excidat. Rupert. lib. 8. in Apost. sic ait: *Itaque admirantes, & adorantes dicent: Quis poterit pugnare cum ea? Sic fatui fatua loquentur. Non recordabuntur, quòd quondam Pharao cum curribus, & equitibus suis, pugnante Deo, pro Israel, in mare mersus sit; quod canes comederunt Jezabel; quod Nabuchodonosor ex hominibus ejectus est; quod Aman in patibulo appensus est; quod Antichristus intrinsecùs computruit; quod Nero ut dedecorosè vixit, ita & turpiùs periit. Horum non recordabuntur, imò nec si quis commemoret, audire patientur.* Sic inter præsentaneas impiorum felicitates, multos invenies, qui admirentur, & adorent eos, neminem verò, qui quondam facta illorum excidia recordetur, vel audire velit.

92 Intuitu præsentis felicitatis, antiquæ peccatorũ clades facilè abscõduntur.

Tertiò adoraverunt bestiam; undè fieri potuit, ut homines divino honore, teterrimam bestiam adorarent? Explicat Joannes, homines metu correptos, & corruptos, inflatis buccis conclamaturos esse: *Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea?* Virtus bellica, & immanis tyrannis divinitatem parant Antichristo. Rupert. *Adoraverunt bestiam*, ait; *hoc exigit, non tantùm error, verùm etiam bellica potestate, idcirco bellum cum sanctis faciet.*

93 Antichristus terrore ac metu, vult Deus haberi.

Et quid mirum? Metum idololatriæ causam primariam fuisse existimat D. Fulgentius lib. 1. Mytholog. scilicet unde Idolum; quod probat ex Petronio: *Primus in Orbe Deos timor fecit*; remque firmat ex Sapient. 14. n. 15. nam Syrophanes cum filium fato raptum acerbo luctu doleret, *illum qui tunc, quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra, & sacrificia:* & cur Rex hoc divinum obsequium filio suo à servili grege, potiùs quàm ab omnibus exigit? Respondet D. Fulgentius citatus: *Timoris potiùs effectu, quàm amoris affectu*; ab his, in quibus timor ejus vigebat, idololatriæ cultum exquirit. Sic & Roma pestem, ac febrem coluit aris extructis: *Dum placatas trepido metu cupimus*; ut tradit Plinius lib. 2. c. 7. Ex quo fundamento Tertullianus in Apologet. negat Deos esse Joves, ac Janos, qui ab hominibus honores divinos non impetrant amore, sed metu extorquent: *Videte*, ait, *ne & hoc ad irreligiositatis elogium concurrat adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis, ut non liceat mihi colere quod velim, sed cogar colere quod nolim.*

94 Nata ex metu idololatria.

Chaldæus Nabuchodonosor divinos sibi honores volens comparare ad statuam suam, quam erexerat, universos populos modis musicis, & minis acerbis cogit; ecce blanditiarum voces Dan. 3. n. 5. *In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterii, & symphoniæ, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream*; si verò aliquis tanta musicorum suavitate non alliceretur, ecce minarum faces produntur ibid. nu. 6. *Si quis non prostratus*

95

Metus, ac terrore inducitur idololatria

adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis; quæ ante omnium oculos parata est, ut est constans interpretum sententia, nam cùm impius Rex falsò, & furtivè sibi vellet arripere divinum cultum, inde humanis voluptatibus oblatis, ac durissimis tormentis ante oculos objectis, cunctos ad suum Idolum colendum compellebat. Theodoret. orat. 3. *Eos qui nec musicorum instrumentorum cantu, ac voluptate demulcentur, fornacis minis deterret.*

96 Econtra verò meus JESUS destinans discipulos suos ad prædicandam suam divinam fidem per totum Orbem, ait illis: *Quicunque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis*, Marc. 6. n. 11. cur contra hos protervos non mandat Dominus suis discipulis, ut ignes, vel grandines de cœlo advocent, vel ab aere

Volentes homines quærit Christi schola.

pestem extorqueant, vel ut terræmotus fiant, ipsaque terra aperiat os suum, ad illos vivos deglutiendos, sed tantùm imperat, ut ab eis declinent, ac fugiant, & ut etiam pulverem de pedibus excutiant in testimonium, quòd nihil eorum coactè, ac contra eorum voluntatem, asportant, ac habent? Ut sic cunctis fieret manifestum, quòd Dominus volebat fidem suam suaviter, ac dulciter insinuari in humanis cordibus, non verò homines coactè, ac vi ad illam compellere. Sic Elias Cretens. ad orationem D. Nazianz. ait: *His verbis, præter alia, illud quoque præscribit, nihil faciendum coactè.* Deus verus magis amoris affectu, quàm terroris impetu nos ad se vult adducere. D. Chrysolog. serm. 90. *Deus amari magis voluit, quàm timeri.*

Apoc. 13. *n.* 5. Et datum est ei os loquens magna, & blasphemias: & data est ei potestas facere menses quadraginta duos.

Num. 6. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant.

VERSIONES.

Arabic. n. 5. Datum est illi os ad loquendas abominationes, & blasphemias; & data est etiam potestas pugnandi quadrag. duobus mensibus.

Syriacus. Et datum est illi os loquens magna & convitia, & data est illi potestas agendi.

Tygur. Vatabl. Et datum est ei os loquens blasphemiam; & data est ei potestas vivendi, vel transigendi menses quadraginta duos.

Arias, & Pagn. Et data est ei potestas faciendi bellum.

S. Prosp. Data est bestiæ potestas loquendi.

Arabic. 6. Et aperuit os suum cum blasphemiis, & convitiis adversùs Deum: & blasphemabat nomen ejus, & in velum ejus.

Syriacus. Et aperuit os suum ad convitium adversùs Deum.

Pagninus. Ut blasphemiis afficeret nomen ejus.

EXPOSITIO.

97 *ET datum est ei os loquens magna*; ut etiam prædixit Dan. 7. n. 8. *Quasi oculi hominis erant in cornu isto; & os loquens ingentia*; fastuosa, nempe, & arrogantia; & etiam quædam abdita, & secreta, ut tanquam Propheta maximus habeatur Antichristus. *Et blasphemias*; quæ diversè sumuntur, ac sequenti vers. 6. ut latius explicabo qu. 13. In præsenti sensus est, quòd sicut de se protulit magna, sic etiam de se asseruit blasphemias, quod nempe ipse esset Messias, Christus, ac Filius Dei.

98 *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Hic expositores conveniunt Joannem significare tempus illud, quo Antichristus suam amplam potestatem habebit, quod tempus ita Divinus Spiritus voluit esse testatum suæ Ecclesiæ, tanquam rem maximi momenti, ut omnibus modis illud expressérit, hìc per menses quadraginta duos, supra c. 11. nu. 3. *per dies mille ducentos sexaginta*; & c. 12. n. 14. *per tempus, & tempora, & dimidium temporis*; hoc est juxta graves auctores, per tres annos, & dimidium. Et dicitur *facere*; aliqui codices Græci habent, *facere bellum*; sed melius absolutè legitur *facere*; quod verbum apud hebræos idem valet, ac facere quidquid voluerit, ut nemo impedire possit, ut notat Ribeira; & non exprimitur quid faciet, quia ita horrendum, ac execrabile erit, ut non queat à puro, ac mundo ore proferri. Tygur. ac Vatabl. legunt: *Data est ei potestas vivendi, vel transigendi, id est transeundi quadraginta duos menses*; & rectè quidem, nam idem est vivere, ac transire: vita præsens continuus fluxus, ac transitus est.

Vita præsens transitus.

Aperuit os suum in blasphemias ad Deum. Denotatur, quòd impiissimus ille nebulo multas blasphemias diversorum generum frequenter dicturus sit. *In blasphemias ad Deum.* Omnis blasphemia, aliquo pacto, contra Deum est; sicut enim Deus in divinis, ac sanctis honoratur per laudes ipsorum, ita in contrario inhonoratur per eorum contumelias. Blasphemiæ autem, quæ dicentur ab Antichristo ad tria capita reducuntur, nempe, *blasphemare nomen ejus*, ipsiusque Dei majestatem, ac celsitudinem. *Et tabernaculum ejus.* Ribeira, Menoch. M. la Haye, per tabernaculum intelligunt Ecclesiam militatem, & ejus templa. Latiùs tamen intelligo: Tabernaculum hìc significat ea omnia, in quibus Deus specialiter inhabitat, ut non solùm sunt templa, & Ecclesiæ, sed etiam omnia divina, quæ ad templa pertinent, ut sunt sacramenta, per quæ nos Deus sanctificat, & mundat, & maximè divinum Eucharistiæ Sacramentum, sub cujus speciebus, quasi in tabernaculo suo Christus D. delitescit; contraque omnia blasphemo ore insurget Antichristus. Arabic. legit: *Blasphemabat nomen ejus, & velum ejus.* Per *velum*, vel possunt intelligi species sacramentales, vel humanitas Christi. *Et eos qui in Cœlo habitant.* Rectè Cornel. ait: *Hinc patet Antichristi præcursores esse, ejusque spiritu agi nostro novatores, qui templorum cultum, & sanctorum venerationem oppugnant, & abolere conantur; hoc enim quod ipsi inchoant, perficiet Antichristus.* Optimè noster Joannes significat hæreticos socios Antichristi, dum cum ipso conveniunt *blasphemare tabernaculum ejus, & eos qui in Cœlo habitant.*

99

Omnis blasphemia contra Deum est.

QUÆSTIO XII.

Quare de hac truculenta bestia Antichristi dicitur: Aperuit os suum; *quod de Christo D. scribit D. Matth.*

100 PHrasis *& aperuit os suum*, non solùm significat incipere loqui, sed ostendit aliquid insigne, & notatu dignum, ut est illud Matth. 5. n. 1. *Et aperiens JESUS os suum docebat eos: Beati pauperes spiritu.* Si hoc dicitur de meo JESU, totius puritatis fonte, ac origine, quomodo hoc etiam refertur de hac horribili bestia omnium iniquitatum, ac peccatorum scaturigine?

Difficultas quæstionis.

101 Compone modo filium Dei, & filium Diaboli; agnum innocentissimum, & bestiam sanguinolentam; uterque loquitur, uterque aperit os, sed filius Diaboli loquitur blasphemias: *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum, & ad eos qui in cœlis habitant*; at filius Dei beatitudines eructat: *Aperiens os suum, docebat eos*; *Beati pauperes spiritu*; *Beati mites*, &c. quàm divertimodè sonat lingua filii Diaboli, ac filii Dei! illa blasphemias in Deum, hæc laudes Dei sonat; illa dehonestat etiam sanctos, illosque multis fictis intendit dedecorare; hæc etiam pauperculos honorificat, & in Cœlum evehit. Rupert. lib. 8. sic ait: *Omnia illius contraria sunt eis, quæ de Christo dicuntur; primò, quod datur illi os loquens magna, ori Christi contrarium est: Et hic quidem in blasphemias in Deum illud os malignum aperiet; JESUS autem in confessione, & in laudem Dei os suum aperuit: Confiteor tibi Pater. Item illeon solùm nomen Domini, sed etiam eos qui habitant in Cœlis blasphemavit; JESUS autem non solùm Deo Patri Domino Cœli, & terræ confessus est, sed eos qui in Cœlis habitant, & habitaturi sunt, honorificavit, sicut in Evangelio scriptum est: Aperiens os suum docebat eos dicens; Beati pauperes, &c.*

Lingua filios Dei, vel filios Diaboli ostendit.

Hanc linguarum differentiam optimè notat S. Judas Apost. in sua Canon. n. 9. dicens: *Cùm Michael Archan-*

102

Tempus Antichristi volens Spiritus Sanctus maximè esse testatum Ecclesiæ.

Archangelus, cum Diabolo disputans altercaretur de Moysis corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Dominus; hi autem quæcunque quidem ignorant blasphemant. Compone modò Michaelem Dei filium, & filios Diaboli; ille etiam altercans, ac disputans cum Diabolo, & cùm pro se Michael haberet omnem justitiam, & rationem, adversùs illum iniquitatis spiritum, nullum ausus est acerbum verbum dicere, at verò filii Diaboli non cessant adversùs Deum, & proximos blasphemias jacere. In sancto, ac puro ore Archangeli nihil acre, & durum poterat insonare, sicut & ab ore iniquorum nullum verbum bonum audiendum erat.

Ab ore puro nihil durum auditur, sicut nec ab iniquo aliquid boni.

103 Jacob dissimulanter offerenti cibos, ait Pater ejus: *Quomodo tam citò invenire potuisti fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi quod volebam*, Gen.27.n.20.quid plura? Post experimentum factum ait Pater: *Vox quidem vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau;* undè vir sanctus novit vocem non esse Esau, sed Jacob? an ex ipso vocis sono? Minimè; sed credo, quod illud agnovit ex ipsis verbis Deo tribuentibus, quod felix in cibi inventione fuerit, dum ait: *Voluntas Dei fuit.* Magna differentia erat inter Jacob, & Esau; Jacob ut sanctus, & pius, omnia bona Deo referebat, Esau homo terrestris, & sæcularis, omnia sibi tribuebat, & sic dixit ad Patrem: *Surge Pater mi, & comede de venatione filii tui*, ibid. n.31. cùm ergo Isaac audit vocem: *Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi*; pro certo habuit, quòd vox illa non erat hominis terrestris, & sæcularis, ut Esau, sed hominis pii, ac sancti, qualis erat Jacob, & ideo cum Isaac audit: *Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi*; inde rectè infert Isaac, quòd illa vox sit Jacob, & non Esau. D. Basilius in Catena Græca ait: *Piam hanc vocem agnoscens Pater in Jacob, vocem esse Esau meritò negabat.*

Externa vox index animi interni.

104 Cùm de resurrectione omnium hominum loqueretur Christus D. ait: *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei*, Joan.5.n.25. Expende: *Vocem filii Dei;* cur non addit sibi familiarius cognomen, nimirum, filius hominis, de quo frequenter utebatur? sic enim à suis discipulis quærit: *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Matth.16.n.13. sic & Principi Sacerdotum dixit: *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*, Matth.26.n.64. & sæpè alibi; cur modò moris sui obliviscitur Christus, quo se passim filium hominis vocabat? cur non dixit: Audient vocem filii hominis; sed maluit dicere: *Vocem Filii Dei?* Sanè ubi vox audienda erat, non poterat non divinitus evulgari: Ubi linguæ negotium intervenire debebat, necesse erat, quod divinitatis veritas prodiret; ipse cùm videtur, est homo, cùm auditur, Dominus est. Patrocinatur D. August. serm.64. de verbis Domini: *Talis ergo*, ait, *ad nos venit filius Dei, filius hominis; Secundum id, quod filius Dei est, ait: Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei; non dixit, filii hominis, veritatem enim commendabat, in qua æqualis est Patri.* Ubi divinitatis veritas commendatur, voci commendatur, linguæ commendatur, qua audita præsentissimam Dei virtutem declarat, & ostendit etiam latentem sub humanitatis velamine.

Lingua habitantis divinitatis indicium.

QUÆSTIO XIII.

Quare hic introducitur Antichristus, non una, sed multis blasphemiis plenus in Deum, & Ecclesiam, & Sanctos Cæli.

105 QUid sit blasphemia jam explicavi in hoc cap. suprà q 5. in tertia responsione quæstionis. In his autem duobus versibus bis noster Joannes repetit blasphemias Antichristi, nam vers. 5. ait: *Datum est ei os loquens magna, & blasphemias;* & vers.6. ait: *Aperuit os suum in blasphemias.* Alcazar, ac communiter Interpretes dicunt, in utroque loco blasphemias idem significare; quod mihi non videtur verum, nec enim in libro tantorum mysteriorum, noster magnus Joannes idem bis repetit, & tam immediatè, ac proinde cum dicitur vers.6. *Datum est ei os loquens magna, & blasphemias;* sensus est, quod Antichristus de se sua præstantia, ac auctoritate, dicet superba, magniloquia, contra omnem veritatem, & etiam de semetipso dicet blasphemias, quod nempe ipse sit Christus, Messias, ac Filius Dei, habens divinam scientiam, & potentiam: Vers. autem seq. 6. ut exprimitur in litera, notatur, quòd dicet blasphemias contra Deum, ac filium ejus, Jesum Christum, & contra ejus Ecclesiam, ac sanctos.

Antichristus dicet blasphemias de se & contra Deum.

Ad quæstionem: Primò dicitur in text. quod Antichristus loquetur magna, non bona, sed horrenda, & terribilia: *Et blasphemias;* ait noster Joan. & cùm aliqui codices habeant blasphemiam, noster tamen Vulgatus dixit *blasphemias;* quia Antichristus, non una, aut altera, sed omnibus blasphemiis erit plenus, & abundans. Ansbert. *Blasphemias*, ait, *profert in vocibus, quia his omnibus retubatur in suis capitibus. Vers.6. ut omni ex parte damnatus ille homo ostendatur blasphemus, ne quidquam ejus deesse patietur excessibus, undè & rectè de hac bestia inferiùs à Joan. dicitur: Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, tanquam diceret: Nulla ex parte in Antichristo à blasphemiis locus vacat.*

106

Antichristus blasphemiis plenus.

Secundo: Et quomodo Antichristus tantis blasphemiis erit plenus, cùm ipse maximè se esse sanctum prædicet, ita ut dicat Apost. de eo: *Ut in templo Dei sedeat*; & etiam miraculis clarus reputabitur, ut mortuum se fingat resuscitare; quomodo ergo in tantam erumpet iniquitatem, ut impio ore blasphemias contorqueat in Deum? Non mirum sanè; hypocrita erit sanctitatem vitæ simulans, & ideo suam occultam malitiam, non poterit diu celare, sed depositâ sanctitatis simulatione, suam iniquitatem omnibus faciet manifestam, ut latè disserit D. Aug. lib. de conflictu vitiorum, & sic ait: *Hypocritæ simulatores dicuntur, quia justi non esse quærunt, sed tantùm videri cupiunt; mala agunt, & bona profitentur, per ostensionem quippe boni apparent, per actionem verò mali existunt: Omnia possunt à simplicibus vitia perpetrari, simulatio autem, & hypocrisis non committitur, nisi à malè astutis, per calliditatem volentibus vitia sub specie virtutum celare, & non veram sanctitatem objicere; & quia ostendunt, quod non sunt, non latent semper hypocritæ, nam etsi in principio sui, quidam non pateant, priùs tamen quàm vita eorum finiatur, qua simulatè vixerint, detegunturn, omne enim ficcum permanet, sed quæ simulata sunt, diuturna esse non possunt.* Expende ultima verba.

107

Hypocrita non potest diu simulationem fingere.

Tertiò, & maximè ponderandum, quòd nostra sublimis Aquila Joannes, in hoc perditionis filio potiùs observat blasphemias, quas evomet, quàm quodlibet aliud peccatum; & cur toties id inculcat? vers.5. & 6. Quia ex gravitate tanti peccati, etiamsi nullum aliud haberet, nobis esset apertum, ipsum esse omnium hominum sceleratissimum, cùm gravissimum omnium scelus toties committat; quod probat D. Bernard. serm.23. Quadragesi. cujus titulus est *Seraphim*, in 2. illius serm. par. ex multiplici capite: *Quia omnia alia peccata videntur procedere partim ex fragilitate, & infirmitate naturæ humanæ, ut in luxurioso, partim ex ignorantia, sed peccatum blasphemiæ procedit ex propria malignitate, ac odio Dei, & ideo nullum est peccatum, quod in se tantam iniquitatem, sicut blasphemia, habeat.* Quod optimè confirmatur ex sententia, quam Deus contra blasphemum fulminavit: *Educ*, ait, *blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus*, Levitic. 24. n.14. cur quæso tota multitudo in unum reum lapidibus incurrat, cum multò pauciores carnifices satis fuisse viderentur? Optima quidem est ratio; volebat Deus ut illud peccatum blasphemiæ, de quo reus ille accusabatur, longissimè ab illo populo exularet; statuit igitur, ut omnis populus esset illius criminis reprehensor, & ultor, ac si crederet, neminem fore adeo insanum, ut peccatum, quod in alio acriter puniret, ipse imprudenter perpetraret: ita eleganter respondet Salvian. lib.3. de Provid. *Ut exemplo scilicet, ad cunctorum emendationem proficiente, ut ne quis postea admitteret, quod omnis in uno populus vindicasset.*

108

Blasphemia inter omnia scelera gravissimum.

Cave à peccato quod in altero vindicasti.

Quartò: *Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum;* 109

eum Antichristus testificans indignum sacrificio, cultu, ac veneratione, undè de eo ait Daniel. 8. nu. 12. *Robur datum est ei contra juge sacrificium, propter peccata; & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.* Datur, Deo permittente, robur Antichristo, contra perenne sacrificium, quo Deus colebatur, ob peccata populorum, qui indigni erant tanto sacrificio: *Et prosternetur veritas in terra;* vera scilicet fides Dei, religio, ac cultus contemnetur, ac conculcabitur, impiissimus enim ille perditionis filius, Deum negabit, ac cultum ejus; & statim subjungit Propheta: *Faciet, & prosperabitur.* Et optimè observant Maldonat. Fernand. quòd hæc verba in hebræo sint fœminini generis, ac proinde juxta literam non sunt referenda ad Antiochum, vel Antichristum, sed ad veritatem, ac Dei Ecclesiam, seu fidem, in qua est sola veritas, & extra illam mendacium; at si sacrificium est auferendum, & veritas prosternenda, quomodo ipsa veritas faciet, & prosperabitur? Tunc veritas Ecclesiæ, quasi semen dejectum in terra, faciet fructum multum, & multiplicabitur, ac prosperabitur, quia catholica veritas Ecclesiæ, quantò magis videtur conteri, ac conculcari, tantò magis, ut verum semen, feliciùs exurgit, ac uberiùs fructum profert. D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 4. de Pauli temporibus differens sic scribit: *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæviebant Reges, & potestates contradicebant; superstitiones & totius Mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, hærentibus, persequentibus populum suum, Christus augebat, & per vincula, ac supplicia, mortesque sanctorum roborabatur fides: Vincebat veritas, perque universum Mundum dominici agri segetis multiplicabatur ubertas.*

Ecclesia Sancta ipsa persecutione crescit, & prosperatur.

110 Valde mirum, quòd seniores populi, ac principes judæorum, cùm viderent, quòd Apostoli post inflicta vulnera, & verbera, ardentiori, ac majori proventu Christum annuntiarent, in concilio hæsitantes, ac perplexi dicebant: *Quid faciemus de hominibus istis?* Act. 4. n. 16. Qui dicebant, Principes erant, ac Magnates, totius populi regimen, ac potestatem habentes, sed sic hæsitantes loquebantur de Apostolis, qui pauperes, ac contemptibiles videbantur; undè ergo tanta dubitatio, ac hæsitatio in Principibus, ac potestatibus circa homines pauperculos, & humiles, ut dicerent: *Quid faciemus de hominibus istis?* Ac si dicerent, ait D. Chrysost. ho. 7. de laudibus Pauli: *Per quæ enim eos opprimere volumus, per ea ipsa provehimus*; undè statim subdit ipse Chrysost. *Quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia erant auxilia*: vide supra c. 12. q. 1. n. 6. & 7. & to. 1. c. 1. q. 44. n. 327. & seqq. & c. 11. q. 6. n. 10.

Ecclesia dū videtur opprimi, magis crescit.

Apoc. 13. n. 7. Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem,

VERSIONES.

Syriacus. Et data est illi potestas super omnem tribum, & gentem, & linguam, & nationem. Et datum est illi facere prælium cum sanctis.

Arabicus. Et data est illi potestas in omnes tribus & populos, & linguas, & gentes.

S. Prosp. Et data est ei potestas faciendi bellum cum sanctis; vincere, & occidere eos.

EXPOSITIO.

111 ET *datum est illi*; scilicet Antichristo. Datum vel permissivè, permissa illi potestate à Deo pugnandi contra christianos, vel directè, & positivè, virtute, & potestate data à Diabolo adjuvante ad prælia contra Christi fideles. *Bellum facere cum sanctis.* Juxta Paulum sancti vocantur verè fideles perseverantes in Christo; & bellum faciet blanditiis, aut suasionibus, disputationibus, ac vi armorum, & tormentorum, & si his duobus modis non prævalebit, tertio superabit. *Et vincere eos*; occidendo. Sermo est de verè fidelibus, ac perseverantibus, nam ex cœtu Ecclesiæ multi ab eo erunt seducti, eique parebunt; & ita dicitur superiori cap. quòd tertia pars stellarum trahatur à cauda draconis.

Quomodo dicitur posse dari Antichristo.

Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, 112
& linguam, & gentem; supra vers. 5. dixerat noster Joan. *Et data est ei potestas facere menses quadraginta duos*; nunc iterum hìc repetit Joannes idem, nam una potestas spectat ad felicem successum, siquidem tam brevi tempore totus penè Orbis sensim ei subiicietur; secunda verò potestas hìc respicit latitudinem imperii, quod obtinebit in toto Orbe, ita ut Antichristus futurus sit Rex potentissimus, Orbisque monarchiam, & imperium ingentiùs, longeque majus habiturus, quàm ullus Regum, qui eum præcesserunt ab Orbe condito, ita ut ejus imperium non aliis, nisi finibus terræ terminetur, ut ex Sanctis Patribus D. Aug. D. Hier. Rabbano, Lacten. & aliis probant Joseph. Acosta de tempore novissimo lib. 3. c. 6. Maluenda lib. 5. cap. 19. Fundamentum est noster præsens text. *Data est ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem*; quod tantis duplicatis nominibus exprimit Joann. ad explicandam ejus ampliss imam potestatem, ac jurisdictionem.

Quomodo intelligitur duplex potestas data Antichristo.

Antichristus magnus Monarcha.

QUÆSTIO XIV.

Quare Diabolus æmulator regni Christi, in suo membro Antichristo, de eo mendaciter non dicit potestatem æternam, ut de Christo veraciter affirmatur.

DE Christo D. loquens Daniel. 7. nu. 13. *Aspiciebam ego in visione noctis, & ecce in nubibus Cœli,* 113
quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit illi potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi servient, & potestas ejus potestas æterna. Hæc de potestate, & regno JESU dato à Patre verissimè prædicantur, quod est potestas æterna, & regnum æternum. Sed audiamus nunc in nostro text. quid de potestate, & regno Antichristi dicatur; nam supra in hoc cap. n. 2. scribitur: *Dedit illi draco virtutem suam, & potestatem magnam*; & iterum in hoc versu: *Et data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* Ecce nunc est præsens quæstio: Maximè Diabolus æmulatur JESU regnum, & potestatem, ut saltem similem videatur dare filio suo Antichristo, nam data est virtus, & potestas JESU; similiter & dicitur data potestas magna Antichristo; datum est JESU quod *omnes populi, & tribus, & linguæ ipsi servient*; similiter de Antichristo profertur: *Data est ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem*; at de JESU dicitur: *Potestas ejus potestas æterna*; id quod nullo modo dicitur de Antichristo; & cur id saltem mendaciter non dicit Diabolus de tanto filio suo? nonne & alia multa falsa confinget de illo? quòd absconditа, ut Propheta, dicet, & multa miracula operabitur, & etiam juxta multorum sententiam, ut retuli q. 9. se mortuum finget, & tertia die suscitatum, ut veram Christi resurrectionem imitari videatur? cur ergo hoc etiam falsum non proferet, quod nimirum regnum, & potestas ejus æterna sit?

Difficultas quæstionis.

Respondeo, quòd talia sunt omnia mundialia decora, splendores, ac felicitates, quòd nec mendaciter de illis æternitas, ac perpetuitas valeat prædicari. In illo perditionis filio, multa alia bona ficta, & adultera invenientur sed inter illa nullo modo æternitas apparebit, nec ficta, nec mendaciter dicta; sic enim hæc mundialia bona secum habent annexam corruptionem, desitionem, ac interitum, ut nec mendaciter, ac fictè de se ipsis æternitatem dici permittant. Rupert. lib. 8. in Apocal. *Porro*, ait, *quod illic dictum est, potestas ejus, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpitur; hìc in ipso contrario nullatenus saltem adulteratum, ut cætera sunt, invenimus. Nec enim potestas illa, quam dedit iste huic filio perditionis, æterna, sive incorruptibilis potest esse, vel dicit*; expende illud: *Nullatenus, saltem adulteratum, ut cætera sunt, invenimus*; etiamsi cætera, quæ in illo perditionis filio apparebunt, ut prædictio multorum, & potestas ad signa, & miracula

114

Nec fictè, nec mendaciter audet Diabolus permanentiam, ac æternitatē promittere.

sint

sint adulterata, tamen quod potestas, ac regnum ejus sint æterna, nec adulterata hoc valet affirmari de illo.

115 Tentat Diabolus primam mulierem, quærens ab ea, cur ei impositum sit præceptum à Deo, ne comederet de omni ligno Paradisi; cui mulier ait, quòd licèt omnia ligna Paradisi essent ei concessa in escam, tamen fructus ligni, quod erat in medio Paradisi sub pœna mortis prohibitus erat: *Ne fortè moriamur;* cui respondet Diabolus: *Nequaquam moriemini; scit enim Deus quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum, & malum,* Gen. 3. n. 5. Multa mendacia hìc dixit Diabolus, ut ex D. Chrysost. D. August. Ruperto, & aliis colligunt hic Interpretes, & tamen inter tot mendacia minimè aptè, & consequenter loquitur, nam mulier ob latam sententiam mortis, non audebat manum mittere ad lignum vetitum; hunc metum Diabolus ab ejus animo intendit expellere dicens: *Nequaquam moriemini; eritis sicut Dii scientes bonum, & malum;* consequentiùs ad intentum videbatur dicendum: Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii viventes æterna vita; sicut Diabolus mentitur promittens boni, & mali scientiam, cur etiam non mentitur promittens permanentiam, & æternitatem? Sic in rebus temporalibus tam intimè, ac intrinsecè adhæret finis, & interitus, ut etiam ipse pater mendacii, refugiat, & non audeat in eis etiam mendaciter æternitatem, ac permanentiam dicere, licèt in aliis magnis rebus multa falsò promittat.

Alia Dona mendaciter promittit Diabolus, nunquam vitæ æternitatem.

116 Arroganti, ac fastuosa superbia, multa jactarunt impii: *Coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.... ubique relinquamus signa lætitiæ;* ita ut horum potentia sit justitiæ dictamen: *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ;* & ita superbia insani facti sunt, ut contra Christum D. Filium Dei, ac Deum Patrem ejus se auderent opponere, dixerunt enim: *Circumveniamus justum, quoniam..... promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat;* imò per ironiam contra ipsum Deum dixerunt, ut multis placet: *Si enim est verus Dei filius, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.* Inter tot proterva mendacia, unum tamen verum dixerunt: *Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ,* Sap. 2. n. 1. Tam arroganter, ac mendaciter tot, ac tanta dixerunt impii contra justitiam, veritatem, ac Christum Dei filium, tamen cùm loquuntur de vitæ exiguitate, ac inconstantia, verum dicunt, ut notavit Hugo. Ubi nostra Vulgata habet: *Cum tædio est tempus;* pro tædio Græcus legit: *Anxia, & plena miseriis;* si impii ita insani facti sunt, ut se audeant opponere justitiæ, veritati, Christo D. ac Deo patri ejus, ejusque omnipotentiæ, illam tanquam negantes, cur etiam se non opponunt vitæ brevitati, mutabilitati, ac inconstantiæ? Ita insita est homini mutabilitas, ac inconstantia temporalium, eorumque terminatio, quòd quamvis homo multa de se falsò, ac arroganter etiam contra Deum dicat, tamen de se permanentiam, ac constantiam hujus temporalis vitæ, etiam cum mendacio nunquam ausus est affirmare. Robertus Holcot: *Impii in voragine vitiorum demersi, hoc verum fatentur; exiguum cum tædio est tempus vitæ nostræ.* Circa quæcunque alia magnalia arroganter mentitur homo multum de se præsumens, at cùm ad hujus vitæ brevitatem, ac inconstantiam devenitur, nec mendaciter in contrarium audet aliquid dicere, sed penitus obmutescit.

Homo quamvis seducatur à Diabolo, nunquam vitæ æternitatem promittit.

Apoc. 13. n. 8. Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine Mundi.

VERSIONES.

Arabicus. Et adoraverunt omnes habitantes super terram, quibus non est nomen scriptum in libro vitæ Agni illius occisi, antequam Mundus esset.

Tygur. Pagn. Et adorabunt eum.

Vatabl. Et adorabant eum.

Syriacus. Agni illius mactati à jactis fundamentis terræ.

Arias. Agni mactati à fundatione terræ.

D. Aug. Ticans. Qui signatus est ab origine Mundi.

EXPOSITIO.

ET *adorabant eam omnes, qui inhabitant terram;* homines nempe impii, ac terreni, habitantes in terra, non tantùm corpore, sed etiam mente, adorabant eam, scilicet bestiam, Antichristum nempe, hominem bestialem moribus, & vita, qui non humano jure, sed bestiali feritate in toto dominabitur Orbe. *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni;* id est, qui non sunt prædestinati, annumerati in catalogo electorum. Quod ita intellige: Adoraverunt eam finaliter, ac morientes cum tali adoratione, & horum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, nam aliqui poterunt in initio adorare, & postea resipiscere, & salutem assequi, ut dicam quæst. sequenti. De libro vitæ Agni multa dixi tom. 1. c. 3. q. 15. num. 124. 125. 126. *Qui occisus est ab origine Mundi.* Qui ab æterno est decretus, & prædestinatus occidi pro omnium salute, cujus merito omnes electi descripti sunt in libro vitæ Agni, de quo multa dicam sequentibus quæstionibus. 117

QUÆSTIO XV.

Quare dicitur, quòd adorantes bestiam non sunt scripti in libro vitæ, cùm aliqui ex ipsis adoratoribus possint esse scripti in dicto libro.

NOstra Vulgata habet: *Et adoraverunt eam;* scilicet bestiam, Antichristum nempe, tamen Tygurina, Pagninus, & alii habent in masculino: *Et adorabunt eum;* nempe draconem, Diabolum scilicet. Quomodo ergo simul cohærent genus femineum, & masculinum? Unum pro alio ponitur; idem enim est Antichristus, ac Diabolus; & sic nulla est contrarietas inter hominem pessimum, ac Diabolum, & qui unum adorat, alterum censetur adorare. Huic cogitationi patrocinatur Ansbertus: *Cum Joannes,* ait, *in Antichristi persona de terrenis dicat: Et adoraverunt bestiam; nunc adjungat: Et adorabunt eum, & non eam, masculini scilicet, & non fœminei pronomen intermiscens, apertè innuit, quia cùm Antichristus à subditis adoratur, Diabolus in eo adoratur.* 118

Homo pessimus & Diabolus idem reputatur.

Ad quæstionem respondeo, quòd sicut certum est, non omnes fideles christianam religionem profitentes, esse prædestinatos, quia in sagena cum bonis piscibus sunt etiam mali, & permixta sunt in eodem agro zizania cum frumento, sic etiam non est necesse quod omnes, qui adorabunt Antichristum, sint reprobi, & non prædestinati, nam in omnibus persecutionibus lapsi sunt multi, etiam ex prædestinatis, qui postea resipuerunt, & redierunt ad pœnitentiam, ut patet in Sancto Marcellino Papa, & multis aliis; & sic credibile est hoc futurum in persecutione Antichristi, quæ erit omnium maxima; Matth. 24. n. 21. *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque modò, neque fiet,* &c. His accedit, quòd post interitum Antichristi succedet illud tempus felix, de quo Propheta Daniel. 12. n. 12. *Beatus qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque;* quo tempore Ecclesia colligetur, & tunc multi, tam bona occasione oblata, se recognoscent, & venient ad pœnitentiam, & in ea laudabiliter vivent, & morientur, qui ex scriptis in libro vitæ Agni erunt, proindeque sic intelligendum: Omnes qui adorabunt bestiam, non erunt scripti in libro vitæ Agni, hoc est, qui adorabunt finaliter in ipsa adoratione bestiæ morientes, ut dixi in expositione. 119

Probabile valde, ex prædestinatis, aliqui adorabunt Antichristum.

Proindeque adorabunt Antichristum omnes, qui non sunt electi in vitam æternam; tamen aliqui ex ipsis adoratoribus, cognita Antichristi fraude, ac ejus turpitudine vitæ, ad veram mentem se recipient, Christum verum Messiam agnoscentes, & Ecclesiæ ejus se subjicientes, proindeque ex adoratione bestiæ, in qua tanquam hædi à nostris erant, Dei gratia jam ut oves ad dexteram constituti in catalogo 120

Qui ex difficultate veniunt ad Ecclesiam, ex hædis mutantur in oves.

talogo filiorum Dei adscribentur, quia qui Christo, ac Ecclesiæ ejus adhærent, ex hædis sinistris ad oves dexteras divini gregis transmutantur.

121 Ait Christus D. suæ dilectæ Sponsæ, Cant. 4. nu. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es; capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad.* Confert Dominus capillos suæ sponsæ cum gregibus caprarum venientibus de monte Galaad; & quomodo cum tali grege capilli ejus componuntur, cùm in caprarum genere gens reproborum intelligatur, sicut per Galaad vastissimi, ac asperrimi montes denotantur? cur non potiùs cum ovibus, quæ ad dexteram ejus collocantur tanquam destinatæ in beatitudinem, utpote venientes de candore, ac integritate vitæ, de monte Sion? cur dicuntur similes cum caprarum grege, qui ipsi Domino infensum, & sinistrum genus est? Quia Ecclesiæ pulchritudo, ac elegantia non solùm coalescit ex candidis ovibus degentibus in monte Sion, sed etiam ex capris, ac hædis, qui maledictionibus obnoxii, in monte Galaad, in vastitate Gentilitatis serviebant Idolis, at verò dum Ecclesiæ capiti adhærent, à divino pastore in felicissima ovilia transferuntur, & inde Ecclesiæ elegantissimum tribuunt decorem. D. Gregorius Nyssen. hom. 7. in Cantic. *Sic præclarus ille pastor*, ait, *acceptis caprarum gregibus, novit caprilia montis Galaad in ovilia commutare, ut ii, qui in gentibus præclarum illum pastorem secuti sunt, in ornatu sponsæ capillorum nomine censeantur; nec enim à Sion monte sancto factum est hujusmodi vitæ initium, sed addicta simulachris natio, tantopere vitam suam immutavit, ut præclaris virtutibus sponsæ caput exornet.*

Qui ex Gentilitate veniunt ad Ecclesiam, maximè ad ejus decorem inserviunt.

122 Felix ille, qui licèt vitam in vitiis ducat, in extremis tamen ad sinum Ecclesiæ se recipit. de Jerosolymitanis civibus dicitur Thren. 2. nu. 12. *Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis civitatis, cum exhalarent animas suas in sinu matrum.* Hi in extremis constituti, expende quid petant à matribus; pro quo clamant? nimirum pro tritico, & vino: At ille Prodigus apud Lucam cap. 15. n. 16. Post dissipatam substantiam, penè fame enectus, jam animam exhalans, *cupiebat saturari de siliquis;* hic, & illi vitam duxerant luxuriosam in voragine vitiorum; hic & illi in extremis sunt; hic pro reliquis suspirat, illi non cupiunt nisi vinum, & panem; cur ille siliquas, & ii panem, & vinum postulant? Ille homo sæcularis erat in regione longinqua à domo patris inter gentiles vivens, qui vitam instar brutorum animalium instituunt, & sic in ultimis tantùm alimenta brutorum requirunt, at Israelitæ licèt aliquando luxuriosam vitam agerent, tamen in extremis, ac fine vitæ erant in sinu matrum, id est Ecclesiæ; ideo ad supremas filiorum Dei dapes contendunt, pro solo cœlesti pabulo quo nutriantur, solliciti sunt; tantum interest quod, quamvis aliquis in voluptatibus vitam duxerit, in fine vitæ ad sinum matris Ecclesiæ se recipiat. D. Paschasius lib. 2. in Thren. *Non ajunt, ubi est hordeum, aut siliquæ, sed ubi est triticum, & vinum? Norunt igitur, & si degeneres suo vitio, quales eos primùm pater genuerit; prodigus autem ille filius concupierat saturari de siliquis, quas porci manducabant.*

Qui malè vixit, si in fine se ad Ecclesiam recipit, felix est.

QUÆSTIO XVI.

Quare iste liber, cùm sit Agni occisi, dicitur liber vitæ.

123 AGnus dicitur occisus: ergo ejus liber potiùs debebat vocari liber mortis, quàm vitæ; & si à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas, quomodo aliquid potest in eo legi? quomodo literæ possunt cognosci? Tamen Christus verus Agnus liber est, ut jam dixi cap. 5. q. 2. per totum, de eoque explicat sapientiss. Joan. Carthagen. tom. 1. de Arcan. Mariæ lib. 2. hom. 9. statim in princ. verba illa Jeremiæ 32. nu. 14. *Sume tibi librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est, & pone illos in vase fictili;* nomine quippe libri signati intelligit Divinum Verbum coopertum velut membranis, humili carne, & est liber emptionis, quia pretioso sanguine ejus empti sumus. Hic liber scriptus est non in papyro, ac membranis, sed in carne immaculati Agni; non atramento, sed sanguine ejus sacratissimo; non calamis, ac avium pennis, sed spinis, clavis, ac lanceis, & gemino ligno Crucis, quasi inter duas tabellas compaginatus, & concluſus.

Christus D. Liber divina quadam sublimitate.

Dicitur ergo liber iste vitæ Agni occisi, non solùm 124
quia mors ejus vita nostra extitit; vita, inquam, & resurrectio à morte peccati, vita præsentis gratiæ, & vita sempiternæ felicitatis, sed etiam quia Christus in Cruce exaltatus, sit veluti quidam liber, in quo quasi unico intuitu legere, & edisscere valeat unusquisque, quæcunque sunt ad piam, & veram christianam vitam necessaria, innocentiam singularem, admirabilem humilitatem, obedientiam profundissimam, altissimam paupertatem, sublimem totius Mundi contemptum, assiduam patientiam, dolorum tolerantiam incredibilem, ardentissimam charitatem, & cæteras omnes virtutes ad æternam beatitudinem assequendam necessarias. In hoc libro debet homo legere, quæ sibi maximè necessaria sunt, cui intimè debet conformari; ideo, ut hìc expendit Rupert. dicebat Paulus Rom. 8. n. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui*; hinc dicebat idem Apostolus ad Galat. 2. nu. 19. *Christo confixus sum Cruci. Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus;* & c. 6. n. 17. *Ego stigmata Domini Jesu in corpore meo porto.*

Christus crucifixus Liber est, in quo invenimur quæ sunt imitanda.

Et dicitur hic liber Agni occisi, cùm potiùs dicen- 125
dus esset liber totius Trinitatis, quia tota Sanctissima Trinitas elegit quos ad gloriam prædestinavit; cur ergo non ait Joannes liber vitæ Trinitatis, sed potiùs Agni? Respondet D. Thomas; *Quia æterna dispositio licèt toti Trinitati conveniat, tamen Filio attribuitur; quia in Filio Pater omnia disposuit, sicut in sua sapientia, & in tempore per se ipsum perfecit.* Licèt hic liber, seu hæc ordinatio in vitam æternam toti Trinitati conveniat, tamen peculiariter tribuitur Filio, quia Filius est sapientia Patris, & Pater ab æterno disposuit omnia in sapientia, quæ in tempore operatur; ex quo discè quod in sapientia, & ratione omnia sunt disponenda, & agenda.

Liber prædestinationis tribuitur Filio Dei.

Et dicitur *liber vitæ Agni, qui occisus est ab origine* 126
Mundi; sed quomodo hoc cohæret cum illo, quod ait Joan. 1. n. 4. *Quod factum est in ipso, vita erat, & vita erat lux hominum*, si quidquid in ipso factum est, vita erat, quomodo dicitur occisus ab origine Mundi? nam occisio, seu mors in ipso facta est; erit ergo in ipso occisio? Flagellatio, & sanguinis effusio in ipso facta est; eritne ergo sanguinis effusio vita? qua ergo ratione ait Joannes: *In ipso vita erat;* cùm modò ipse dicat, quod dum in throno apparet, occisus videatur ab origine Mundi? O summum amoris arcanum! sic enim amore flagrabat, ut pro hominibus vitam daret, quod in ipsa origine Mundi, dum vivus residebat in majestatis throno cum libro vitæ, tunc occisus videbatur, cùm tunc pro hominibus non pateretur: *Agnus occisus ab origine Mundi;* at verò dum in tempore Crucem ascendit, & pro hominum salute vitam dat, *quod factum est in ipso vita erat.* Dum in ampla majestate dominabatur pro hominibus non patiens, ipsa gloriosa vita mors erat illi, at vero cum in Cruce exaltatur pro nobis morte occumbens, mors ipsa erat illi vita. D. Ambros. in Psal. 36. *Mors facta est in ipso, vita est. Remissio peccatorum facta est in ipso, vita est; vulnus factum est in ipso, vita est. Vide quanta in ipso facta sunt, quibus vitæ nostræ facta conversio est, ut quæ perierant, redderentur. Redemptio facta est in ipso, vita est.* Remissio peccatorum, vulnus mortis in ipso factum, vita erat.

Vita velut mors erat Christo, & mors illi vita.

De suo dilecto Christo Jesu decantat anima sancta: 127
Dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur, Cantic. 1. n. 13. quæ verba cum visione rubi facta Moysi: *Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur*, Exod. 3. n. 2. confert inter se D. Paschasius lib. 12. in Matth. dicens: *Quondam apparuit Moysi in rubo, nunc fasciculus myrrhæ inter ubera sponsæ commoratur.* In flamma ignis in medio rubi inter acutas, ac pungentes spinas se manifestat

Christus in majestate, veluti inter spinas, cum morte ac passione in delitiis.

stat in sua majestate cum multa ostentatione suæ omnipotentiæ, ita ut rubus arderet, & non combureretur, at verò modo, ut fasciculus myrrhæ inter ubera sponsæ leniter, ac suaviter deliciatur; undè tanta diversitas? Modò inter vulnerantes spinas, modò inter dulcia, ac tenera ubera cum multo, & miro affectu; antea erat in majestate, modò verò ut fasciculus myrrhæ in Canticis; In myrrha dura, aspera, & amara denotatur tota congeries passionis Christi, dolorum, flagellorum, Crucis, ac mortis, ut notant Aponius, D. Bernard. serm. 43. D. Gregor. Hugo, & alii; cùm ergo se Dominus manifestat in ostentatione suæ majestatis, ac omnipotentiæ, antequam Crucem subiret, nostro dicendi modo, non placidè, sed veluti molestè se in externa apparentia ostendebat, & inde inter pungentes spinas apparet, at cùm fasciculus est myrrhæ dolorum passionis, Crucis, ac mortis tanquam in præjucundissimo accubitu, inter dulcia ubera deliciatur, cujus

128 delitiæ præ amore mors est.

Missus à Domino Jonas in Nivivem, navim ascendens fugit in Tharsis, quæ urgente tempestate in ultimis periclitatur; Propheta sorte argutus, à nautis in mare mittitur, à bellua exceptus invenit asylum: *Præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam; & erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus*, Jonæ 2. n. 1. Jonas in ventre ceti dominicam sepulturam præfiguravit, ut Dominus testatur: Matth. 12. n. 20. *Sicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ*; quod eleganter enucleans Zeno Veron. serm. de timore, ait: *Jonas timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium: Ceto inhiante miserabiliùs sepelitur, quàm præcipitatur*. Verba minimè expensione digna: Dum Jonas à nautis fluctibus traditur, discrimini objicitur, certam mortem subit, nisi eam divina averteret providentia; in bellua securus, & quietus servatur, inoffensus navigat, ac ad littus venit; quomodo ergo stat: *Miserabiliùs sepelitur, quàm præcipitatur?* Dum præcipitatur in mare, navigantium saluti consulit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis*; at otiosus cetum habitat, & à prædicationis officio retardatur. Propheta cùm gereret imaginem personæ Christi, qui tantæ charitatis æstuabat incendio, inde dulcius, ac suavius erat illi præcipitium cum salute aliorum, quàm quies dum ab hoc munere retardatur: *Miserabiliùs sepelitur, quàm præcipitatur*. Durius, & asperius erat illi quies absque aliorum fructu, quàm præcipitium cum eorum salute: Verus amor in quiete laborat, in labore quiescit.

Verus amor in otio torquetur, in laboribus jucundatur.

QUÆSTIO XVII.

Quare Divinus Agnus dicatur occisus ab origine Mundi; duæ sententiæ referuntur, & maximè quia patitur in suis.

129 Difficultas quæstionis est, nam Agnus à Mundi origine non est occisus, sed cùm temporis advenisset plenitudo, misit Deus filium suum factum ex muliere, natum de Virgine, qui omnes homines sanguine immaculato purgaret, & maculas peccatorum abstergeret; si ergo in tempore, impiorum manibus occubuit, quomodo ab origine Mundi occisus jacuit? aut si à Mundi origine jacuit, quomodo Pilati sententia occubuit? ergo ut fides docet, in tempore mortuus est; quomodo ergo dicitur occisus ab origine Mundi? Quæ difficultas in varias sententias facit abire Interpretes, quæ ad tria capita reducuntur. Duæ sententiæ hic referuntur, altera vero sequenti quæstione, & jam etiam superiori quæstione quandam moralem rationem hujus rei apposui.

Difficultas quæstionis.

130 Primò Andreas, Aretas, Ticonius, Ambrosius, Beda, Ribeira, Alcazar, Estius dicunt esse hìc Hyperbaton, & ordinatè sic legendum: *Quorum non sunt scripta nomina ab Origine Mundi in libro vitæ Agni, qui occisus est*. Tamen talis transpositio verborum non est facilè admittenda in sacra Scriptura (quidquid reclamet Ribeira) quia tunc aperitur via ad magna inconvenientia, & elegantia, ac mirabilis sensus hujus Scripturæ perit. Nec obstat id, quod objicit Ribeira; quia si Agnus dicitur occisus ab origine Mundi, etiam dicetur natus, crucifixus ab origine Mundi. Hoc non obstat, quia valde profundè noster Joannes dum de libro prædestinatorum agit, mentionem facit de Agno occiso, quia virtute mortis hujus sacratissimi Agni facta est prædestinatio, præordinatio, ac sanctificatio electorum in vitam æternam, ut dicam quæstione sequenti.

Prima expositio transponit verba.

Secundò Ansbert. D. Anselm. D. Thom. Hugo, 131
Viegas, & alii dicunt quod simpliciter Agnus dicitur occisus ab origine Mundi in suis typis, figuris, justis, ac sanctis; quod per varios typos, ac justos discurrunt citati auctores. Primò in sacrificio Abelis, in Agno Paschali, qui quotidie mane, & vesperi offerebatur; in agnis, & ovibus, qui in omni festo offerebantur; deinde etiam incipiens ab Abel in suis fidelibus patrabatur, ita ut Saulo diceret: *Saule, Saule, quid me persequeris?* quod eleganter discurrit D. Paulin. Epist. 27. ad Aprum: *Christus in suis patitur, & triumphat; in Abel occisus à fratre, in Noe irrisus à filio, in Abraham peregrinatus, in Isaac oblatus, in Jacob famulatus, in Joseph venditus, in Moyse expositus, & fugatus, in Prophetis lapidatus, & sectus, in Apostolis terra, marique jactatus, in martyribus toties, & tam variè occisus; ipse in te patitur opprobria, & ipsum in te odit hic Mundus: Sed gratias ipsi, quòd vincit cùm judicatur, & triumphat in nobis*; ex quibus aliqua documenta moralia colligo.

Primo tot, ac tantis figuris voluit Deus Mundum 132
disponere ad adventum, ac mortem suam. De missione discipulorum dicitur: *Misit illos binos in omnem civitatem, ac locum, quò ipse erat venturus*, Luc. 10. n. 1. ut per ingressum discipulorum, locus præpararetur ad adventum Domini sui. Cùm Dominus vellet dare suis Apostolis Spiritum Sanctum, *insufflavit in eos dicens: Accipite Spiritum Sanctum*, Joan. 20. n. 22. suo flatu eos præparavit ad Spiritum Sanctum in se ipsis recipiendum, sicut ut Virginalis puritas Mariæ in se reciperet Divinum Verbum, Spiritus Sanctus prævenit; ait Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, Luc. 1. n. 35. ac si Spiritus Sanctus præveniret non solùm ad operandum ineffabile incarnationis mysterium, sed etiam ad præparandum illud habitaculum ad Domini adventum. Quibus monemur, ad Dominum recipiendum, magnam, & altam dispositionem ex nutu ipsius Dei provenientem nobis necessariam esse.

Ad Deum recipiendū magna dispositio ex ipso Deo necessaria.

Secundò quomodo divinus Agnus dicitur occisus 133
ab origine Mundi, cùm ipse in Mundum non venerit nisi in novissima ætate? Haymon lib. 4. in Apocalyps. *Occisus est autem iste Agnus ab origine Mundi, non in se, sed in suis membris, sicut in Abel, & multis aliis, quia sicut in suis pascitur, sic in suis occiditur*; sic in prima illa occisione non solus Abel, sed cum illo simul occidebatur Agnus diviniſſimus Christus D. qui ut in suis pascitur: *Quod uni ex meis minimis feciſtis, mihi feciſtis*, Matth. 25. sic etiam patitur in suis. Audiens Herodes Christi D. miracula, dicebat de illo, Marc. 6. n. 16. *Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis surrexit*; ad quæ verba ait D. Chrysolog. serm. 163. *Verum dicit, nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis ipse pascitur*. De Joseph proficiscente in Ægyptum dicitur Matth. 2. n. 14. *Qui accepit puerum, & matrem ejus nocte, & secessit in Ægyptum*; cur singulariter dicitur de Joseph: *Secessit?* cur non potius dicitur: Secesserunt in Ægyptum; nempe Jesus, Maria, Joseph, ut revera factum est? Quia quamvis Jesus videretur secedere, tamen in Bethlehem remanebat, ubi pueri ab Herode occidendi erant, ut gladios in se susciperet, & simul cum eis pateretur. Sedulius lib. 2. c. 9. *Inter necatos*, ait, *tamen infantes, quos occubuisse certum est, non tamen periisse, quanquam Christus abfuerit, absens esse non potuit, qui periculis sanctorum semper interfuit, alienos pro se corporibus arrogata fecit in se supplicia*.

Christus in suis patitur.

Tertiò valde mirum quod divinissimus Agnus di- 134
catur occisus ab origine Mundi, cùm constet eum nonnisi in extremis temporibus emortuum fuisse. In Mundi exordio scimus occisum fuisse Abelem à fra-

tre

tre suo, in quo non occidebatur Jesus, sed occidendus figurabatur; cur ergo noster Joannes veram vocat occisionem, cùm tantùm ibi esset sola figuratio? cur ergo quando tantùm Agnus figurabatur occidendus, jam occisum esse dicitur? Altissima sapientia; sanè Divinus Spiritus, ubi ab origine Mundi vidit occisionem sacratissimi Agni delineari, ac adumbrari, jam prædicat præsentem ipsius dominicæ passionis veritatem, cùm enim alicujus boni præstandi à Deo umbra apparet, jam ipsius boni adventus à Deo certus habetur, ac si jam venisse censeatur, totus enim Deus tibi aderit, si quid minimum ejus dignè accipias.

Si umbra, aut aliquid boni à Deo venit, totū habebis.

135 Ait Apostolus Paulus Rom. 13. n. 14. *Induimini Dominum Jesum Christum;* & tamen, 1. Cor. 15. n. 49. nos hortatur: *Portemus & imaginem cœlestis*. Requirebat Apostolus ut ipsum Dominum indueremus, modo contentus est, quòd saltem ejus imaginem, umbram, seu figuram in nobis habeamus; nunquid si ejus imaginem induamus, ad ejus veritatem perveniemus? Hoc existimat Apostolus, cùm sit valde consuetum, ac usitatum, quod cùm quis umbram Domini in se servaverit, ibi ipsum Dominum inveniat, proindeque si quis Domini imaginem, vel umbram portaverit, non ibi manebit, sed ad ipsammet Domini veritatem habendam deveniet. D. Zeno lib. 2. serm. 4. *Portemus*, ait, *& ejus imaginem, qui de Cœlo est, quam qui sanctè portaverint, sicut Apostoli, omnesque justi, non tantùm imaginem, sed ipsum Deum quoque portabunt, sicut scriptum est: Vos estis templum Dei, & Spiritus Dei habitat in vobis.*

Si quis in se umbram Dei habuerit, ipsum Deum habebit.

136 In primo rerum opificio dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam*, Gen. 1. nu. 26. in tanto rerum apice homo à Deo fabricatur, ut dicatur factus ad imaginem, & similitudinem Dei, quod de Angelis non legitur dictum, cùm tamen in multis Angelorum ipsa puritas, ac sanctitas integra perseveraverit, & tamen in homine tota ipsa humani generis massa corrupta est, Virgine Maria excepta; undè ergo tantus honos defertur naturæ humanæ? Ait Paulus: *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*. Disponebat Deus fieri hominem non Angelum, inde apertè dicitur, quòd Deus *fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam;* quia cùm Deus manifestaverit homini suam imaginem, ac similitudinem dare, inde etiam manifestavit homini in veritate se esse daturum. Ex quo Dei similitudo, vel umbra hominem attigit, illud evenit, ut Deus totus ad hominem diverteret, & caperet totum Deum, qui ejus imaginem, vel umbram ceperat. D. Chrysol. serm. 148. *In te*, ait, *imaginem suam posuit Deus, ut terris invisibilem conditorem, visibilis imago præsentem poneret; & si ita ista sunt, quare modò putatur injuria, quando Deus quod per se fecit in te, in se clementer excipit, & in homine se verè videri voluit, in quo ante imaginariò voluit se videri, deditque, ut proprietas esset ipse, qui ante ut similitudo esset, accepit?*

Cui aliquid ex Deo cōcedituꝛ, ad totum Deū habendum perveniet.

QÆSTIO XVIII.

Quare Agnus dicatur occisus ab origine Mundi; ponitur tertia sententia ex æterno, ac immutabili Dei decreto.

138 Vera sententia.

TErtia, & vera sententia gravissimorum doctorum est, quam tradunt Viegas, Cornelius, Menochius, Tirinus, la Haye, Ferrar. cum D. Anselmo, qui ait: *Occisus est ab origine Mundi, quia ita dispositum fuit ab initio Mundi*. Ab origine Mundi, id est, ab initio, & ante omnia, ab omni ævo, scilicet ab æterno. *Agnus occisus*; id est, occidi decretus, ac prædestinatus à Deo, & inde ejus merito omnes electi, ac prædestinati scripti sunt in libro vitæ. Et inde optima ratione cùm fit mentio de libro vitæ, etiam divinus Agnus dicitur occisus, ut causa ipsius scriptionis denotetur, quia ex merito passionis, ac mortis Christi indelebiliter scripti sunt in libro vitæ, proindeque quoad effectum scriptionis tam antiquæ Christus prævisus, ac decretus est occisus, quam prædestinati scripti in libro vitæ; imò prius, non prioritate temporis, sed prioritate causæ objectivæ, Christus prævisus est, quia intuitu passionis Christi, illi scripti sunt. Deinde etiam bene huc veniebat commemoratio mortis Agni, quia magna causa victoriæ electorum, de qua hìc agitur, futurum erat exemplum, ac vis mortis Agni, de cujus virtute manabat in electos gratia, ut minas, terrores, ac potentiam Antichristi contemnerent.

Optimè co jūctus Agnus occisus eſt Libro vitæ.

Dicitur ergo Agnus occisus ab origine Mundi, ut 139
ait Hugo: *Occisus est, id est prævisus, & præordinatus ab æterno occidi in tempore*. Ipse Agnus maximè gestiebat mori, etsi compelleretur opportunum expectare tempus; occisus ergo refertur, quia ex promptissimo affectu mortem subeundi voluntas proditur: tempus retardabat studium, sed in voluntate consummabatur tormentum; tempus expectabatur, ut impleretur decretum, sed ipsam mortem tempore retardatam quodammodo consummaverat votum; nisi tempus obstaret, Agnus ab origine Mundi mortem subiret: ergo de firmo animi proposito prædicatur occisus, etsi tempore retardaretur. Pro templo ædificando decantat regius Vates Psalm. 131. num. 1. *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si introjero in tabernaculum Domus meæ; si ascendero in lectulum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob*. Sanè David non ædificavit templum, nec permissus à Deo est ob multam sanguinis effusionem; Salomon ædificavit, ornavit, & ditavit, & tamen totum opus tribuitur Davidi, itaut de eo dicatur, quod non requiesceret, nec dormiret, donec locus templi, ac ipsum templum ædificatum esset: *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob;* constructum nempe, ac ædificatum. Verum est, quod Salomon ædificavit, & David habuit tantùm votum, & propositum efficax construendi, nisi ob sanguinis effusionem esset prohibitus, proindeque firmum, ac ardentissimum votum pro facto reputatur. D. Chrysost. ibi: *Eum quidem* ait, *qui est ædificaturus præterit, eum autem, qui est pollicitus, in medium adducit, ut scias quantum bonum sit rectus animus, & quomodo Deus semper consueverit recto animi instituto, & bone voluntati mercedem constituere; & ideo ejus potiùs meminit, quoniam ipse est potiùs, qui ædificavit, quàm filius, hic enim pollicitus est, ille verò jussus est*.

Pro facto habetur id, quod animus efficaciter determinat absolvere.

Secundò: *Agnus, qui occisus est ab origine Mundi*. D. Augustin. sive Tychonius ibi pro voce *occisus*, repo- 140
suerunt *signatur;* undè eadem est hęc sententia, cum illa Joan 6. nu. 27. ubi de Christo dicitur: *Hunc Pater signavit Deus;* seu, ut in græco est, *sigillavit Deus*; hoc est, signo suo, voce nempe, ac testimonio, operibus, ac miraculis, tanquam quibusdam sigillis appositis, eum Pater declaravit, dęmonstravit filium suum, ac Salvatorem Mundi, ac Regem Universi, ut ex D. Chrysost. Euthym. D. Thom. dixi tom. 3. in Evangel. c. 25. exposit. 2. n. 5. Dicitur ergo Agnus occisus, seu signatus, idem enim est, quod ipse Dei filius esset signatus, demonstratus, ac constitutus Rex, ut simul & occisus pro suis dicatur, cùm ratio, & opportunitas postulet, undè Joannes accurato verbo rem utranque complectens dixit, Deum eadem ratione, qua filium suum regno præfecit, simul & morti destinasse, ac sic mors pro suis, & principatus maximè connectuntur. Præclarè apud Titum Livium lib. 2. historiarum, Furius, & Manilius admonebant: *Consulares fasces, prætextam, curulemque sellam, nihil aliud, quàm pompam funeris putent: claris insignibus, velut infulis, velatos ad mortem destinari*. Et verissimè quidem, nihil aliud est regius splendor, & purpura, quàm cerei accensi, & pompa funeris, cùm necessitas postulat pro suis mortem subire.

Idem est Regem creari, ac pro suis morti se opponere.

Cùm meus Jesus penderet in Cruce, scribit D. 141
Matth. 27. nu. 37. *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est JESUS Rex Judæorum*; & D. Marc. 15. n. 26. *Et erat titulus causæ ejus inscriptus, Rex Judæorum*; sed quomodo causa mortis potuit in eo reperiri, nam hæc omnibus modis à Præside requisita nunquam potuit inveniri, ipso pro tribunali clamante:

te: *Ego nullam in eo invenio causam?* Luc.23. n.4. undè ergo ista causa prodiit? Verum est, quòd in purissima Christi vita ab oculatissimo Præside, nulla mortis causa potuit indagari, at verò ab Æterno Parente inventa est in ejus regia dignitate, qua constitutus erat, ab eo *Rex super Sion montem sanctum ejus*, ac proinde idem erat, quòd ipse esset à Patre constitutus Rex, ac quod à Patre esset morti traditus: *Et erat titulus causæ ejus inscriptus Rex Judæorum*. De Othone Imperatore, pro militum salute moriente dixit Xiphilin. apud Cornel. Tacitum: *Faciam, ut omnes intelligant quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.*

Dignitas regia secum adducit mortem pro suis.

142 Scribit noster Joannes c.6. nu.15. JESUS *ergo, cùm cognovisset, quia venturi essent ut facerent eum regem, fugit iterum in montem;* at circa ultimam celebrationem Paschæ, jumento vectus, sese Jerosolymitanis ingerit, eisque dat occasionem, ut regnum ejus altis vocibus acclament, Regemque se voluit omnibus ostentare. Ait D. Matth.21.n.5. *Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, & humilis, sedens super asinam;* ante, regni cogitationem fugiebat, & modò amat se regem ab omnibus proclamari, regalique triumpho vult Jerosolymam intrare; cur modo quem fugiebat, resumit regium splendorem? Disponebat jam mori, & nolebat dilatare passionis horam, & ideo sub regio splendore se manifestat, idem enim erat, quòd Rex publicaretur, ac quòd pro suis morti esset addictus. Sequela regiæ dignitatis mors est, & passio. Eleganter D. Bernard. serm.3. in Ramis Palmar. *Sanè venturas aliquando turbas, ut raperent, & eum facerent Regem, fugiens legitur declinasse, nunc verò etiam non quæsitus affuit, ut tanquam Rex Israel susciperetur, & prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipsa præconia ecce ejus animos excitavit; & hæc quidem præparatio ad passionem fuit.* Ipsa proclamatio regni, præparatio est ad mortem.

Sequela regiæ dignitatis mors pro suis.

143 Dum in typo Christi David rex inauguratur, cùm adhuc parvulus esset, dicitur de eo 1. Reg.16.nu.12. *Erat autem David rufus, & pulcher aspectu;* hebraicus pro rufo, legit, *Rubicundus, sanguineus*; ad quid in regni inauguratione notatur puerum esse rufum, seu rubicundum? Sanè quod in inauguratione regis maximè debeat apparere sanguineus color, quia ipsa sanguinis profusio annexa est regni auspicio; in regio splendore nullus alius color apparet nisi sanguineus, quia totus regius splendor ex profusione sanguinis componitur. Rupertus lib. 1. Reg. c. 26. *Quòd rufus erat David*, ait, *imaginem illius prætendebat pastoris, qui animam suam pro Ovibus suis posuit, nam & iste rufus dicitur, non alieno sanguine, sed proprio, quemadmodum Zacharias testatur: Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Inde pulcher aspectu spiritualibus Prophetæ oculis cognosci potuit, quòd ipse esset, quem regem futurum præparatrix jam præparaverat Dei gratia.*

Regia dignitas inauguratur ex sanguinis effusione.

Apocalyps. n.9. Num. 10. Si quis habet aurem, audiat.
Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet, qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & Fides Sanctorum.

VERSIONES.

D. Ambros. n.9. Qui habet aures audiendi.
Arabicus n.10. Qui fuerit in captivitate evadet, & quicunque, qui gladio occiderit, gladio occidatur: Hic est patientia, & orationes sanctorum.
Syriacus. Si quis in captivitatem abducit, in captivitatem abit, & hic est tolerantia, & fides sanctorum.
Tygur. Pagn. Si quis captivitatem contraxerit, abit in captivitatem.
Arias. Si quis habet captivitatem, vadit.

EXPOSITIO.

144 *Si quis habet aurem audiat.* Multi hoc referunt ad antecedentia de libro vitæ; aptiùs tamen ad subsequentia referendum est cum Ribeira, Cornelio, Alcazar, nam, ut notat Beda, quotiescunque Scriptura hoc dictum interponit, maximè intentum requirit auditorem, pro magnitudine, ac obscuritate rei dicendæ, satis enim obscurum est arcanum divinæ providentiæ, quomodo Deus sit permissurus totum Mundum in potestate Antichristi, & illum ab hominibus pro Deo adorari.

Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet. 145 Quia futurum erat, ut quosdam exilio multaret Antichristus, & ad seducendos captivos teneret, inde subditur, quòd ille, qui captivos fideles tenuerit, ipse in tenebras exteriores captivus ibit. *Et qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Fit hic allusio ad Christi dictum Matth.26.nu.52. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*; cùm dicitur: *Oportet eum gladio occidi;* illud *oportet*, dicitur ob rei certitudinem, & est sensus, gladio occidi, vel violenta morte puniri, vel gladio debitæ pœnæ plecti; non enim omnes, qui gladio materiali occidunt, etiam ita occidunt, omnes tamen à Deo excipiunt commeritam vindictam. Hisque denuntiatur Antichristi mors, qui gladio violentæ mortis, ac debitæ vindictæ punietur.

Hic est patientia, & fides sanctorum; id est, hic est 146 eventus, ac campus tantæ tribulationis, ac persecutionis, in quo resplendet patientia, ac fides sanctorum, nam quasi ad lydium lapidem patientia, & fides probantur; & quia in hac re, ipsa fides vim accipit à patientia, ideo primo loco noster Joannes ponit patientiam, quia animus in tot adversitatibus firmiter corroboratur per patientiam, æquanimiter gratia Dei tot labores sustinens, inde generosè à fide non cadit, sed constanter adhæret Deo; sicait Apostolus Hebræor.12.n.1. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen.* Per patientiam certamen hujus vitæ conficere debemus, ut gloriam, quam credimus, assequamur.

Animus per patientiam roboratur ad confirendā fidem.

QUÆSTIO XIX.

Quare occidenti in gladio, ac captivanti minatur mors cum gladio, ac etiam captivitas.

SEnsum literalem horum verborum proximè dixi 147 in expositione; circa hæc verba alia expendamus. *Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* sive materiali mortis violentæ, sive spirituali divinæ vindictæ, ac pœnæ, quam nemo effugiet. *Et qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet;* seu ut legunt Arias, & alii, *in captivitatem vadit*, de præsenti, nam qui Christi servos persequitur, recta via in infernum tendit. Albertus Magn *Non dicit, vadet, sed, vadit in pœnas infernales, quia jam lata est sententia de istis;* Ioan.3. *Qui non credit, jam judicatus est.*

Persequentes servos Dei recta via est in Infernum.

Secundò maximè notandum illud verbum *oportet*. 148 Præter ea, quæ dixi in expositione, nunc moraliter. Nonnè potentissimo exercitu circumdatus erit Antichristus, innumerabili armatorum hominum munitus caterva? quomodo ergo licèt ipse plures interfecerit, violenta morte peribit? nullus enim quamvis maximè obfirmatus, ac obtrusus sit, potest effugere mortem, & pœnam sibi debitam; ubicunque sit Dei ira eum apprehendet. Holophernes potentissimo exercitu erat vallatus, qui timor, & pavor erat universo Orbi, ita ut nullus auderet ei resistere, nec se opponere, & tamen cùm esset magna militum copia custoditus, in suo tabernaculo *clauso ostio*, dormiens in suo lectulo, ibi à Iudith interficitur, c.13.nu.10. cur non interficitur in bello, sed in tabernaculo, clauso ostio? Quia nulla fortitudo, nulla industria potest iram Dei effugere. Cùm Achab Rex Israel descenderet in prælium adversus Benadad Regem Syriæ, qui mandavit suis militibus, ut in prælio nihil aliud quærerent, ac peterent nisi Regem Israel Achab, cumque hoc agnovisset Achab, depositio regio ornatu, ducis cujusdam vestibus induitur, ut sic occultatus tutiùs degeret: *Vir autem quidam tetendit arcum, & in incertum sagittam dirigens, & casu percussit regem Israel inter pulmonem, & stomachum*, 3. Reg. 22. nu.34. nonne Rex maximè latebat sub alieno habitu, ita ut à nemine posset cognosci? quomodo igitur illum sagitta invenit? Si homo condignas pœnas Deo debeat, nulla indu-

Nulla vis, ac industria potest homo fugere à pœnas ac ira Dei.

industria, ac tergiversatione illas valet declinare. Glossa ibi ex Josepho: *Insuper*, ait, *cogitandum ex iis, quæ regi evenerunt, quia quod debetur, neque dum præscitum fuerit, evitatur.*

149 Tertio hæc veluti Justis dicunt, ut forti, ac constanti animo stent in dura, ac rigida persecutione Antichristi, ac si veluti eis dicatur: Qui vos premit captivitate, ac gladio, vobis videntibus in captivitatem ducetur, & gladio occidetur, ac proinde in vobis adimplebitur illud regii Vatis, Psal. 57. n. 11. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam.* Lætabunturne justi de vindicta in antichristianos, eorumque principem facta? justine possunt gaudere in aliorum malis? Minime; sed quia videntes pœnas vitiosorum, etiam in hac vita, ipsi cùm à malis abstinuerint, de sua perseverantia, ac justitia, & fortitudine lætabuntur. Ruffinus ibi: *Ideo lætabitur justus*, ait, *quia ipse non erit particeps impiorum pœnæ. Attende pœnam malorum etiam inter suas voluptates. Ecce ille æstuat avaritia, alius fervet luxuria &c. ut nemo sit, qui sub onere suorum idolorum non gemat.*

Lætatur justus in pœnis peccatorū, cùm nō sit particeps in eorum vitiis.

150 Quartò dicitur in Text. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet, & qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* quare isti miseri tali supplicio pereunt, ut fideles captivans captivitate prematur, & gladio percutiens, gladio consumatur? Hæc est alta divina dispositio, ut qualia sumit peccator arma adversùs Deum, talia illi opponit Deus, ut eum destruat, & perdat.

Qualia arma peccator sumit adversùs Deū, talia Deus illi opponet.

151 Cùm positum esset in corde Absalon vindicare injuriam, quam Amnon fecerat sorori suæ, Thamar, ipsum invitavit ad convivium, & pueris suis præcepit dicens: *Observate, cùm temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite. Fecerunt ergo pueri Absalon adversùs Amnon, sicut præceperat Absalon*, 2. Reg. 13. n. 28. & cur permittit Deus convivium strui ad Amnonem perdendum? Amner, & Amas per osculum pacis perempti sunt à Joab, ut refertur 2. Reg. 3. & 20. cur similiter Amnon non interimitur per pacis osculum, vel per aliud mortis genus? cur ad hunc interficiendum magis convivium paratur? Aggressus fuerat Amnon stupri crimen per escas, dum cibos sibi à Thamar inferri mandat, & cibi prætextu totum illud facinus operatur; qui autem sub cibi specie in Deum armatur, merito à Deo illa eadem cibi species illi opponitur, ut perdatur, ut videatur illud adimpleri, quod dicitur Apoc. 18. nu. 6. *In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum.* Sic Deus solet rebellibus suis eadem opponere ad perditionem, quæ illi pararunt ad peccatum.

Per quæ homo offendit Deum, per eadem punitur.

152 Dicebat Deus Synagogæ: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea*, 1. Cantic. n. 8. quibus verbis ostenditur Deus usus fuisse equitibus ad perdendum Pharaonem; equitibus, inquam, invisibilibus, ut ostensi sunt Giezi, 4. Reg. 6. n. 27. & Zachariæ Prophetæ c. 1. n. 8. ut hic commentatur D. Gregorius Nyssen. citandus, Aponius, & Psellus: Sed ad quid armati Angeli tanquam equites instruuntur ad impium Regem perdendum? & quando Deus solo uno flatu oris sui poterat crudelem tyrannum totaliter perdere, cur maluit illi objicere equitatus, & equitum armatas phalanges? Junxerat ipse Pharao adversùs Deum currus, equites convocaverat, & illis medius ibat, ut Israelis populo inferret damnum; quid tunc Deus? Similes illi objicit equitum apparatus, ut per quæ putabat Deum offendere, per similia perderetur; contra rebellantes equites in Deum suum, equites præparantur, per quos miserè cadant. D. Gregor. Nyssen. homil. 3. in Cant. *Est autem perspicuum, quod prout fuerit instructa acies adversariorum, verus Imperator exercitus suas armat copias: erat ergo quædam virtus non eadem sub aspectum, quæ Ægyptiis afferebat exitium, per miracula, quæ fiebant in mari, quam Verbum nominavit equos.*

Per eadem media suæ culpæ punitur homo.

QUÆSTIO XX.

Quare cùm dicitur, quod occidens gladio oportet eum occidi; non explicatur à quo occidendus sit.

153 AIt text. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* cur non explicatur à quo ducendus sit in captivitatem, & à quo gladio occidendus? cur non dicis, quòd à te sit occidendus? Valde à spiritu Christi alienus est gladius, gladiique opus; ita prædixisse videtur Isaias 28. n. 21. *Irascitur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus;* Pagninus: *Extraneum est opus ejus*; Septuaginta: *Cum furore faciet opera sua, amaritudinis opus: & furor ejus alienè utetur, & perditio ejus aliena.*

A Christi Spiritu alienus est gladius.

Pro quo nota, quòd quando superiori capite mulier fugit à facie serpentis, dicitur c. 12. nu. 6. *Et mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum à Deo;* cùm mulier fugit à veneneso morsu serpentis in locum securum, & tutum, Deus pro tanta benignitate se declarat auctorem loci, illiusque præparatorem, at vero cùm hìc captivitas, ac gladius minatur, nomen Dei tacetur, tanquam opus alienum, ac peregrinum ab eo. Cùm de plantatione vineæ agitur, Matth. 21. n. 33. dicitur: *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim;* ubi Deus sub nomine patrisfamilias se declarat auctorem vineæ, seu Ecclesiæ, quam misericorditer plantavit, ac ædificavit in terris, munivitque sua protectione, ac magnis viris; at vero cùm minatur judæis ob eorum peccata regno privandos esse, ait illis: *Auferetur à vobis regnum*, ibid. nu. 43. non ibi se declarat auctorem, sed nomen ejus tacetur, ut pote opus alienum ab eo.

154

In opere misericordiæ Deus se declarat auctorem, non sic in opere justitiæ.

Secundò gladius iste evaginandus, ac educendus ab hominum peccatis, ac iniquitatibus. Ait Oseas c. 7. n. 1. *Revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati sunt mendacium, & fur ingressus est spolians, & latrunculus foris.* Ecce latrones tam domestici, quàm extranei convolarunt adversùs Samariam, & undique eam tenent, ac opprimunt tam foris, quàm intus; & quis convocavit tantum malum adversùs Samariam? Explicant cum D. Hieron. communiter interpretes: *Quia revelata est iniquitas, operati sunt mendacium;* iniquitas, ac prævaricatio latronum furores traxit, ac convocavit.

156

Peccatum contra tē à vocat malum.

Pro quo maximè facit illud ejusdem Oseæ c. 8. n. 1. cui ait Deus: *In gutture tuo sit tuba, quasi aquila supra domum Domini, pro eo quod transgressi sunt fœdus meum, & legem meam prævaricati sunt;* in alta tuba jubetur Propheta clamare, & quid clamabit? *Quasi aquila in domum Domini, pro eo, quod transgressi sunt pactum meum.* Hostilem, ac crudelem Nabuchodonosoris adventum adversùs Jerusalem, aquilæ advenienti comparat Dominus, ait enim: *Quasi aquila in domum Domini;* id est, quasi aquila veniens in domum Domini; quid significatur per hujusmodi aquilæ adventum? Ut enim aquilæ velocissimè advolant ad visa, seu odorata cadavera, juxta illud Matth. 24 n. 28. *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ;* seu ut legit D. Isidorus Pelusiota: *Ubi fuerit cadaver;* sic denotat Dominus, quod ubi fuerit cadaver animæ, nimirum anima mortua peccatis, ad se excitat, & advocat rapaces aquilas, milleque adversariorum acies ad se trahit. Ibi D. Hieron. sic ait: *Quod dico tibi, ò Propheta, ac præcipio. In gutture tuo sit tuba, ut vocifereris, & dicas: Quasi aquilam super domum Domini, Regem venire Chaldæorum, non aliam ob causam jubeo, nisi quòd transgressi sunt fœdus meum.* Ideo quasi aquila venit Nabuchodonosor in Jerusalem, quia civitas illa peccatis mortua erat, quia sine Deo quasi cadaver jacebat, quod ubi odoratur, ac apparet, rapaces aquilas ad se convocavit.

157

Peccatum contra peccatorē convocat omne malū.

Valde celebris est historia Naamani Syri, qui adivit Elisæum, ut ab ipso mundaretur à lepra, qui ut credidit imperanti lavacrum, de imperio Prophetæ, lavit se in Jordane, & profectò mundatus est: *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus sicut caro pueri parvuli, & mundatus est*, 4. Reg. 5. n. 14. at dum ipse à lepra eximitur, Giezi Elisei servus lepra inficitur; cui dixit Propheta: *Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix*, ibid. nu. 27. undè ille sic à lepra liberatur, hic vero illa deturpatur? Cùm Naaman mundaret conscientiam suam ab Idololatria credens in Deum, inde & manavit mundities carnis

158

Peccatum secum defert animæ xam pœnam.

suæ;

ſuæ; iniquitas autem Giezi, qua maculavit animum ſuum ambitione, ac mendacio ad ſe traxit illius lepram, ut cognoſcas, quòd ſicut virtus ſecum adducit præmium adjunctum, ſic & peccatum ſecum infert annexum ſupplicium. D. Chryſoſtom. hom. de Naamàn ſic ait: *Curatur Naaman, & lepra Giezi perfunditur ſervus. Syro fides attulit gloriam, & ſervo perfidia intulit pœnam; ille de Syria veniens, quod deſideravit accepit, hic de Prophetæ exiens domo, plagam ſibi de perfidia acquiſivit, ut exemplis, & fidei pretium, & perfidiæ ſupplicium cunctis gentibus monſtraretur.*

QUÆSTIO XXI.

Quare noſter Joannes poſt commemorationem captivitatis, & gladii adjunxit patientiam, & fidem ſanctorum.

159 POſt commemoratam captivitatem, ac gladium adjunxit text. *Hic eſt patientia, & fides ſanctorum*; Arabic. legit: *Hic eſt patientia, & orationes ſanctorum;* fortè alludens ad illud c.6.n.10. quod ſancti deprecati fuerant: *Quouſque Domine non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum?* Vel quia in tanta laborum perſecutione cum magna patientia confugient ad orationem, oratio enim nobis eſt tutela, & portus tranquillitatis. Theodor. Edeſſen. in Aſceticis nu.30. *Oratio munus eſt ſecuritatis, portus tranquillus, fatigatorum requies.* D. Bonavent. tract. de ſex alis c. 8. *Sicut nauta prævidens*, ait, *tempeſtatem feſtinat ſæpius ingredi portum ſecurum, ita chriſtianus ad orationis portum continuè confugiet, ut omnes periculorum colliſiones evadat.*

Oratio munimen, ac tutela.

160 Ait text. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Sub captivitate, ac gladio intelligit noſter Joannes omnes adverſitates, contrarietates, ac tormenta illata ab Antichriſto, & ſtatim adjungit: *Hic eſt patientia, & fides ſanctorum;* nempe hic, in tanta adverſitate, ac contrarietate laborum relucet, ac reſplendet patientia, ac fides ſanctorum. Fides tanquam proportionato, ac convenienti medio utitur patientia, per quam vincit, & intendit aſſequi id, quod credit, juxta illud Apoſtoli Hebræor.10. n.36. *Patientia vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem:* Commendatur ergo hìc fides ex munimine patientiæ, & ideo priùs dicitur patientia, quàm fides, ut dixi in expoſit. & patientia commendatur non ex quocunque motivo, ſed ex motivo fidei, & bene dicitur: *Hic eſt patientia, & fides ſanctorum;* tum quia patientia, & fides faciunt ſanctum, tum quia ad perfectam victoriam tantarum adverſitatum patientia, & fides eſt neceſſaria.

Patientia, & fides in omni perſecutione neceſſariæ.

161 Secundò etiam aliter poſſumus explicare hæc verba, quibus noſter Joannes hortatur ſanctos, ut Antichriſto ſæviente non deficiant, ſed ut in juſtitia permaneant, & libenter mala perferant, & ideo non ſolùm *hic eſt patientia*, ſed etiam *fides ſanctorum*; certiſſimè enim credunt futurum Dei judicium, quo præmia juſtis, & ſupplicia reddet impiis, faciens ultionem de injuriis illatis ſervis ſuis, juxta illud, quod dicitur Luc.18. nu. 8. *Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum*; ſcilicet ſervorum ſuorum. Et licèt hìc non fiat mentio expreſſa de ultione in ſuos adverſarios, tacitè innuitur, quia muta ſanctorum patientia vindictæ injuriarum ſibi illatarum magnus eſt clamor, undè illud Deut.32.n.35. juxta Paul.Rom.12. nu.19. *Mihi vindicta, & ego retribuam;* ex Tertullian. lib. de Patient. c. 8. & ex Græco Lorinus ad locum Deuter. ſcribit: *Mihi patientia;* ubi vindictæ ſynonimon patientia eſt, quia ipſe conſtans ſanctorum patientia, clamor vindictæ eſt ad Deum:

Ipſa patientia vindictam clamat ad Deum.

162 Tertiò: *Hic eſt patientia, & fides ſanctorum*; quia tempore preſſurarum, ac laborum probatur, quis ſanctorum ſit fidelis, & patiens. Albert. Magn. *Quia multi, qui tempore pacis videbantur patientes, & fideles, tempore perſecutionis inveniuntur impatientes, & infideles*; Luc. 8. *ad tempus credunt*; undè rectè ait in præſenti Viegas: Maximè obſervandum perſecutiones, & in univerſum omnes, quæ mortalibus accidunt, difficultates, eſſe veluti lapidem quendam lydium, ad quem fides, & patientia probatur; id enim diverſè ſignificavit hoc loco Joannes, cùm dixit: *Hic eſt patientia, & fides ſanctorum*; id eſt, ad hujuſmodi lapidem, ſcilicet perſecutionum, probatur fides, & patientia ſanctorum.

In perſecutione probatur patientia Sanctorum.

Ait regius Vates, Pſal.133. n.1. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini*; & quomodo, & quo tempore? *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta.* Mandat Dominus, quod ejus ſervi in noctibus decantent laudes ejus; & cur non potiùs diebus in clara, & ſplendida luce, ſed in obſcura nocte? Dies denotat rerum proſperitatem, ac felicitatem, ſicut nox obſcura infelicia, & infortunia ſalutis, vitæ, & aliorum; & Dominum benedicere afflante aura facile, ſicut valde difficile in contrarietate, ac diverſitate; electi ergo Domini non ſe ſervos ejus oſtendunt, ac declarant, dum ejus magnalia prædicant in rerum ſerenitate, ſed contrarietate. D. Auguſt. *Facile eſt enim*, ait, *benedicere in diebus*; quid eſt in diebus? In rebus proſperis, nox enim res triſtis eſt, dies res eſt læta. Quando tibi bene eſt, benedicis Dominum; quando filium deſideras, & naſcitur, benedicis Dominum: *In noctibus benedicite Dominum.* Quando benedixit Job? Quando triſtis nox erat, ablata ſunt, quæ poſſidebantur, ablatis filiis, quibus ſervabatur: quàm triſtis nox! 163

In contrarietate oſtenditur Patientia.

Chriſti Apoſtoli clariùs, ac excellentiùs prædicarunt veram Dei divinitatem, quàm Nabuchodonoſor prædicavit, nam poſt viſos pueros incolumes in fornace ardenti, hoc promulgavit edictum: *Nabuchodonoſor Rex omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in univerſa terra; Pax vobis multiplicetur. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelſus; placuit ergo mihi prædicare ſigna ejus, quia magna ſunt, & mirabilia ejus, quia fortia, & regnum ejus, regnum ſempiternum, & poteſtas ejus in generatione, & generationem*, Daniel.3.nu.98. Quæ clarior, & illuſtrior de vero Deo prædicatio? Sanè, & Apoſtoli Dei mirabilia, & magnalia, & poteſtatem, & ejus regni æternitatem Mundo annuntiabant; eadem Nabuchodonoſor annuntiavit. Omnes Apoſtoli ad remotiſſimas uſque terras prædicationem ſuam extenderunt, ita ut unuſquiſque pro una vel altera natione, ſeu gente prædicaret; Jacobus Jeroſolymis, Petrus Romæ, Joannes in Aſia, Thomas in India; at Nabuchodonoſor omnibus populis, & linguis, & gentibus, quæ habitant in univerſa terra prædicavit; in quo ergo prædicatio apoſtolica, non ſolùm omnium, ſed etiam uniuſcujuſque fuit clarior, & illuſtrior prædicatione à Nabuchodonoſore facta? Hic prædicabat Deum, ſed in regno, & bonorum affluentia conſtitutus, illi verò mediis ærumnis, mediis calamitatibus, mediis perſecutionibus, & tormentis, quibus non potuerunt impediri, quominus Deum verum prædicarent, & prædicatio, quæ ita erat munita patientia, illuſtrior quàm quæcunque alia, quæ in rerum ſerenitate fulgebat. D. Chryſoſt. in Epiſt.8. ad Olympiam ſic fatur: *Vides*, ait, *Nabuchodonoſoris doctrinam, vides excelſam prædicationem, & extenſas literas ubique terrarum? quid itaque die mihi? parem num Apoſtolis accipiet iſte mercedem? quoniam locutus eſt Dei non impari prædicatione virtutem, quoniam tanto ſtudio tam bonum ſparſit ubique ſermonem. Non planè, nec quaſi ali qua ex parte, ſed ſupra modum prorſus minorem, quoniam non huic vel afflictiones, vel paſſiones videntur adjunctæ, ideo interciſſa ſunt jura mercedis; hic namque cum poteſtate agebat hoc totum, illi verò prohibitionem, & expulſiones ſuſtinentes, pœnas omnes ferentes, ac verbera, in miſeriis conſtituti.* 164

Prædicatio præſtantiſſima cum patientia in laboribus.

Facit maximè in rem noſtram illud, quod ſcribit Paulus Cor.13.n.8. *Sive Prophetæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur*; & ſtatim ſubdit: *Nunc autem manent fides, ſpes, charitas*, ibid. n 13. Prophetiam, linguam, ſcientiam abolitio ſequitur, fidem autem, ſpem, charitatem permanentia, & perſeverantia comitatur; cur magis evacuabunt illa, & hæ magis perſeverabunt? Quia fides, ſpes, charitas, dum hic ſunt in hac valle miſeriarum, in hoc Mundi ſtadio, patientiam, & laborum tolerantiam adhibent ſibi ſociam, quibus firmiter radicatæ perſeverant, & manent. Tertull. lib. de Patientia, c.12. ſic ait: *Evacuantur linguæ, ſcientiæ, & prophetiæ; permanent fides, ſpes, charitas; fides, quam Chriſti patientia indauxit, ſpes,* 165

Patientia firmam reddit perſeverantiam.

quam

quam hominis patientia expectat, dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur. Nulla virtus diu perseverat, nisi habeat patientiam matrem, vel sociam, ideo cùm dona prophetiæ, linguæ, ac scientiæ cessant, fides, spes, charitas perseverant, quia patientia fidem introduxit, eamque munit, ac corroborat, spes patientiam expectat, charitas patientiam sociam, ac comitem habet.

166 Ait Apostolus citato loco 1. Cor. 13. num. 8. *Charitas nunquam excidit;* & undè Paulus tantam firmitatem, ac constantiam potuit charitati adscribere? Ante dixerat ibidem: *Charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet;* ex quo acutè argumentatur Tertull. citato loco: *Ideo*, ait, *dilectio omnia sustinet, omnia tolerat utique, quia patiens; meritò ergo nunquam excidet.* Virtus, quæ tam individuam secum habet patientiam, casum non timet, sed semper firma stabit.

Ubi patientia ibi firmitas, & perseverantia.

Apoc. 13. *n.* 11. Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia Agni, & loquebatur sicut draco.

Num. 12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus: & fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis.

VERSIONES.

Syriacus n. 11. Et vidi aliud animal dentis ascendens è terra.

Arabicus. Præterea vidi aliam bestiam egredientem de terra, habebatque duo cornua arietis.

Oecumen. Arias. Habebat cornua similia Agno.

Syriacus n. 12. Et potestatem omnem illius animalis dentis prioris faciebat ante illud, & faciebat terram, & eos, qui in ea habitant, ut adorarent illud animal dentis prioris.

Arabicus. Et habebat potestatem faciendi opera prioris illius bestiæ; præcepitque terræ, & habitantibus super eam, ut adorarent bestiam illam primam, cujus curatum fuerat vulnus lethale.

Oecumen. Et potestatem primæ bestiæ facit coram ea, &c. cujus plaga curata fuerat.

EXPOSITIO.

167 ET *vidi aliam bestiam*. Insignem illum impostorem, qui Antichristo deserviet tanquam ipsius præcursor, & illa faciet, quæ jam hìc annuntiat Joannes. *De terra*; de terrena cupiditate, ambitione, seu abjecta, & vili conditione. *Et habebat cornua similia Agni;* hoc est Christi, veri Agni, cujus fuit *facere, & docere*; potens enim fuit Christus opere, & sermone. Impostor autem iste, hæc habebit fictè, & ideo non dicitur habere cornua duo Agni, sed similia Agni; habebit falsam, & fictam doctrinam cum falsa, & ficta probitate vitæ, & habebit fictam operationem miraculorum cum ficto, & apparenti imperio. Vel duo cornua erunt potestas ecclesiastica, & sæcularis, quibus erit munitus hic Impostor.

Duo cornua Agni.

168 *Et loquebatur sicut draco.* In toto hoc capite non habemus draconem locutum, sed etiam neque superiori capite: quid ergo nunc locutus est? Id quod primis parentibus dixit: *Eritis sicut dii*, Gen. 3. sic locutus fuit Evæ per blanda verba, & promissa plena mendaciis; sic etiam fecit iste Pseudopropheta, multa falsò promittens populos seducet, ut Antichristus, tanquam Deus, adoretur, & colatur, & ita hic draco idem est ac serpens, ut patet ex c. 12. superiori n. 9. & 13. & 15.

Vox Diaboli mendacia promittens.

169 *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat;* ac si Diabolus in hoc Pseudopropheta transfudisset eandem licentiam, potestatem, auctoritatem apud homines, quam dedit Antichristo, ita ut non minùs habeat ad seducendos homines, quàm habiturus sit Antichristus, hoc excepto, quod non se, sed Antichristum dicet Christum, & eum faciet adorare ut Deum. Et additur, *in conspectu ejus*, quasi ipso adjuvante, approbante, ac mandante; & statim subditur: *Et fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam.* Quod hæc duo *terram*, & *habitantes in ea*, idem sit ac synonimum unum alterius, existimant Ribeira, & Cornelius, quod non existimo in brevissima oratione, ac magnis sensibus plena; dicimus ergo quòd hæc terra adorat Deum per templa, & alia signa, quæ in ea sunt religionis. Denotat Joannes ita efficiendum per hunc falsum Prophetam, ut non solùm homines adorent idola, & Antichristum, sed etiam sublato cultu Christi facient templa, & publica signa, ac monumenta dedicari Antichristo, ac idolis, in quibus habitantes in ea, scilicet terra, eum adorabunt.

Distinctio inter terrã, & habitantes terram.

Cujus curata est plaga mortis. Bestia prima habebat septem capita, quæ sunt septem Reges Antichristo subjecti; unum ex his capitibus, seu Regibus occisum est in mortem. Et plaga bestiæ dicitur hìc curata, quia curatio, quæ facta est in uno capite bestiæ, dicitur curatio ipsius bestiæ, seu Antichristi, faciunt enim unum corpus mysticum, id autem, quod fit in uno membro mystico, dicitur fieri in toto corpore.

170 Quomodo curatio, bestiæ intelligenda.

QUÆSTIO XXII.

Quænam sit hæc bestia de terra ascendens.

HAnc bestiam, de qua hìc est sermo, esse distinctam à prima, apertè indicat text. dicens: *Vidi aliam bestiam;* illa particula, *aliam*, diversam indicat. Tamen Eutherius lib. 2. adversùs Elipandum, & Dionysius Chartus. de fide Orthodoxa, lib. 6. qui est de Antichristo, *de modis, quibus Antichristus Gentes seducet*, existimant unam, & eandem esse bestiam; sed cùm Joannes dicat esse aliam à priori, quomodo hi doctores asserunt esse eandem? Quia licèt membra mystica Antichristi inter se sint diversa, tamen in ratione nocendi sic conveniunt, ut idem censeri possint. Subscribit Eutherius: *Aliam bestiam dixit, sed tamen una bestia est, quia totum corpus Diaboli unum est.*

171 Diversa membra Diaboli unum sunt in ratione nocendi.

172 Quænam sit hæc bestia, est tota quæstio. D. Greg. lib. 33. Moral. c. 20. Aretas, Rupertus, Panon. Haymon, Gagnæus, & alii, per hanc bestiam intelligunt universos Antichristi ministros, & maximè ejus præcones, ac prædicatores. Hæc tamen sententia non subsistit, quia hæc bestia singularem hominem denotat, magnum Antichristi propugnatorem, de quibus ait Joannes hos duos ministros fuisse in stagnum ignis ardentis; & qui sint hi duo ipse Joannes explicat c. 19. n. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, & fecit signa coram ipso;* signa illa scilicet, de quibus hìc est sermo. Et confirmatur, quia Antichristus se prædicabit verum Messiam, & quæ de vero Messia impleta sunt sibi arrogare studebit; at de Christo D. vero Messia scriptum est, quòd habuerit unum præcursorem virum sanctissimum: ergo etiam Antichristus eliget præcursorem fidelissimum falsa, & ficta probitate.

Bestiæ personam determinatam significa.

173 Secundo Alcazar per primam, & secundam bestiam intelligit Imperium Romanum ethnicum. Per primam bestiam de mari, Imperium Romanum interpretatur, prout ratione suæ amplitudinis, ac majestatis, adversatur humilitati, ac paupertati evangelicæ; per hanc secundam bestiam de terra, ipsum etiam intelligit Imperium plenum affectibus, ac cupiditatibus terrenis carnis, superbiæ Mundi, ac aliorum vitiorum. Hæc sententia non subsistit, quia vitia, quæ ponit in hac secunda bestia, in prima etiam apparent; per leonem superbia, per ursum carnis luxuria, per pardum vanitas Mundi.

Impugnatur.

174 Tertiò Lyran. Aureolus, Joan. Annius, Dominicus Soto in 4. sent. dist. 49. q. 1. art. 2. qui sicut per primam bestiam interpretantur Sinochium Cosroæ filium, qui Anastasium, & alios septuaginta monachos martyres effecit, ita per hanc secundam bestiam intelligunt Mahometem auctorem Mahometismi, qui regnare cœpit sub annum Christi sexcentesimum, cujus multa ficta miracula narrant Saraceni. Et refert hic Cornelius, quod natus, & circumcisus sit sine dolore; quòd in ejus natali corruerint per totum

Mun-

Mundum idola; quòd ab Angelis demersus fuerit Lucifer in profundum maris, quòd venti, aves, & nubes de ejus educatione decertaverint; alia vide apud Cornelium. Hæc sententia non est vera, quia quæ hìc dicuntur de Mahomete non possunt convenire; ipse non fecit adorare Regem Persarum, nec duo cornua Agni possunt adaptari, qui legem suam gladio præcipit tueri. Et text. apertè indicat loqui de Pseudopropheta Antichristi, ut patet infra c. 16. nu. 13. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore Pseudoprophetæ, spiritus tres*; scilicet draco, & bestia maris, & bestia terræ; & idem convincitur ex citato cap. 19. num. 20. *Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta.*

275 Vera sententia.

Quartò communis sententia, quam tradunt Ambros. Andreas, Irenæus lib. 5. cap 28. Tertull. lib. de Resurrect carnis c. 25. Viegas, Ribeira, Cornel. la Haye, docet hanc bestiam de terra ascendentem significare insignem impostorem, qui Antichristo erit tanquam præcursor, & propheta, facietque signa, quæ in præsenti describit noster Joannes. Cornelius, & alii hìc notant Antichristum, ut simiam imitaturum Christum, qui arcanum Trinitatis nobis annuntiavit; utque in eo est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ita apud Antichristum, draco tanquam Pater, Antichristus tanquam Filius, & Pseudopropheta tanquam Spiritus Sanctus; utque Christus detulit Patri, & Spiritus Sanctus Christum clarificavit, ita Antichristus colet draconem, id est Diabolum, ipsum vero magnificabit Pseudopropheta.

176 Ecclesiasticus deficiens à Deo, & vitiis serviens multum crudelis.

Hunc autem impostorem Regem futurum existimat Michael Violæus Abbas; Acosta lib. 2. de Noviss. temp. c. 17. Episcopum apostatam, fideique desertorem; Ferrarius tenet futurum de ordine ecclesiastico, ut tangam quæst. sequenti; & homo, in quo tanta erit crudelitas in alios, cum omni turpitudine vitiorum ex ecclesiastico ordine proponitur. Nullus fanè crudelior, & durior in proximos, quam sacerdos, qui à Deo deficit ut vitiis serviat. Homo ille, qui descendit ab Jerusalem in Iericho, jacebat media via vulneribus plenus, animam jam exhalans: *Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo præterivit; similiter & Levita, cùm esset secus locum, & videret eum pertransivit*, Luc. 10. n. 31. Non invenit Dominus hominem, cui parabolam crudelitatis, & immisericordiæ aptaret, nisi ecclesiastico, sacerdoti nempe, & Levitæ à Deo deficienti, & ideo tales soli proponuntur descendentes ab Jerosolymis, & declivem peccatorum viam terentes, qui nulla tanguntur pietate, sed multa declarantur crudelitate in alios.

177 Ecclesiasticus à Deo discedens vitiis, & crudelitate abundat.

Dicitur Zachariæ 7. nu. 4. *Factum est verbum Domini ad me dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes*; & statim subiiciuntur quæ dicenda sunt populo, & postea quæ sacerdotibus proponenda, qualia sunt hæc. n. 9. *Judicium verum judicate, & misericordiam, & miserationes facite unusquisque cum fratre suo, & viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari, & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo: Et noluerunt attendere, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem.* Perpende pulchrum epilogum nequitiæ ecclesiasticæ, cum vitiis, ac eximia duritie in proximos illis verbis: *Posuerunt cor suum, ut adamantem.* Duo valde diversa reperiuntur in adamante, summa durities, & summa mollities; durissimus est adamas, & sic inflexibilis, ut nulla vi possit frangi, ac domari, & simul adeo blandus est, ut si sanguine hircorum perfundatur, ipsa cera mollior inveniatur: Ecce hæc mollitudo non invenitur in adamante, sine illa duritie, sanguine nempe. Non sunt hæc duo in principibus Ecclesiæ, & sacerdotibus à Deo deficientibus separabilia, durities scilicet, & mollitudo, ut vitiis, ac sanguinibus serviat, & sanguinibus hircorum, quæ sunt animalia libidinosa, ut quanta fuerit mollitudo ad vitia, tanta in eis erit durities & crudelitas ad opera misericordiæ. Inde cor iniqui ecclesiastici cum adamante confertur, ob duritiem retentam in proximos, & ob libidinosam dissolutionem vitiorum. Eleganter Rupertus ibi, lib. 3. *De adamante illud mirandum, quòd cùm tanta sit duritiei, solo perfusus sanguine hirci, quod animal libidinosum est, statim dissolvitur. Undè congrua similitudo est valde: & cor suum posuerunt ut adamantem; quia cùm durissimæ cervicis, & cordis, indomabiles essent contra Deum, mollissimi erant in omnium libidinum fluxum, ut meritò in illos Isaias dicat: Audite verbum Domini Principes Sodomorum.*

178 Ecclesiasticus prophanos vincit crudelitate

Romanorum præses Pilatus volens dimittere Jesum, Matth. 27. num. 22. universæ judæorum multitudini dicebat: *Quem vultis dimittam vobis Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum*, quid autem populus respondit, scribit D. Marc. 15. num. 11. *Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis.* Ex quo benè deducitur, quòd populus etiam valde seditiosus, pro Iesu, pro innocentia stabat, tamen ecclesiastici Pontifices ad crudele, & turpe facinus excitaverunt, nam etsi populus tumultuans, ferox, & crudelis sit, crudeliores, ac ferociores ecclesiastici inventi sunt. D. Noster Cyrillus Alexandrinus lib. 12. cap. 14. *Pilatus dimittere volebat, & modum ipse excogitavit; sed qui secundùm divinam legem se doctos jactabant, crudeliores prophanis inveniuntur.* Etsi crudelitas sit in prophanis, multò major verò in religiosis viris, cùm à debito tramite deviant.

QUÆSTIO XXIII.

Quare hæc secunda bestia dicitur ascendisse de terra, cùm prima ascenderit de mari.

179

PRima bestia, ut patet vers. 1. ascendit de mari; cur ergo hæc secunda non de mari, sed de terra ascendisse dicitur? Est tota quæstio. Ticonius hom. 11. & Beda, ut refert Ribeira, dicunt idem hìc significari in terra, quod priùs significatum est in mari, cùm dixit: *Vidi de mari bestiam ascendentem*; sed cùm non explicetur, cur idem est significatum, cùm tamen terra maximè à mari differat?

180 Differentia inter bellum marinum & terrestrem

Ideò Ribeira hanc assignat causam: *Bestia prima* dicitur quod ascenderit de mari, quoniam in inusitata forma, & inusitato terrore subitò hominibus apparebit ad nocendum, ut marinæ bestiæ solent; *hæc autem bestia* secunda similis illis apparebit, quæ videntur in terra; non magna videbitur, neque terribilis forma, sed Agno similis, neque subitò cum magna potestate erumpet, ut Antichristus, sed paulatim se in animos, & hominum benevolentiam insinuabit, & ut terra & mare, quasi diversa censentur, ita ascensus secundæ bestiæ, valde diversus est ab ascensu primæ bestiæ.

181 Diabolus omni modo persequitur Ecclesiam.

Secundò tam bestia prima de mari, quàm hæc secunda de terra ad hoc exeunt, ut Christi Ecclesiam persequantur; at bestia marina maximè ferox, & truculenta erat, ut crudele bellum moveret contra Ecclesiam, cùm ei datum sit sanctos vincere, ut dicitur supra vers. 7. cur ergo adhuc hæc bestia è terra egreditur? Cùm Diabolus ferocissimus sit Ecclesiæ hostis, nullum prætermittit modum Ecclesiæ nocendi, ideoque mari, terraque contra eam insurgit. Richardus à Sancto Victore: *Videns*, ait, *Diabolus Ecclesiam firmiter positam, non uno modo nocendi, sed diversis aggreditur, & eam expugnare conatur, undè qui per bestiam ascendentem de mari, impugnare eam in superiori capitulo legitur, per bestiam ascendentem de terra eam impetere, in isto capitulo perhibetur.*

182 Impii è terreno Genere gloriantur.

Tertiò alii volunt bestiam ascendentem de terra dici, quia ex vilibus, & abjectis, obscurisque initiis, seu ex infami, sordido, ac turpi statu emerget, ut terra est omnium sordium, ac spurcitiarum receptaculum; indeque iste Pseudopropheta dicitur de terra ascendere, utpote maximè gloriabundus, & exultans de suo terreno genere. In hac sententia est Etherius lib. 2. adversùs Elipandum, dicens: *Pseudopropheta verò de terra ascendet, quia semper de terreno genere gloriatur.*

183 Ascendere idem est ac crescere.

Quartò, & verisimilius est, ut mihi videtur, *Ascendere de terra*, phrasim hebræam esse, idemque esse, ac vehementer crescere, & multiplicari sicut germina, quæ è terra nascuntur, juxta illud Oseæ 1. numer. 11. *Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibimet caput unum, & ascendent de terra;*

hoc est maximè crescent, & augebuntur : ita ibi Lyranus, Ribeira, Cornelius, qui multis locis Hieremiæ ostendit idem esse ascendere, ac crescere. Sic dici potest, quòd Antichristi bestia ascendens de terra refertur, quia brevi tempore, adjuvante toto inferno, in multam potentiam, & magnam æstimationem exurget incredibili hominum multitudine eam sequentium.

184 Præcursor Antichristi Ecclesiasticus. Non est omittenda sententia Ferrarii, qui per terram accipit ea, quæ spectant vel ad Synagogam, vel ad Ecclesiam, sive ecclesiasticos; per mare, ea quæ spectant ad sæculum, & sæculare; sic ipse explicat quæ dicuntur cap.8. nu.7. & 8. de igne ac monte misso in terram, & mare; ait ergo ipse auctor, quòd prima bestia ascendit de mari, quia Antichristus ex milite in summam potentiam erumpet, & fiet Imperator, ac Monarcha. Hæc secunda bestia ascendit de terra, quia erumpet ex filiis Ecclesiæ, eritque vel insignis clericus, vel magnæ authoritatis religiosus, vel etiam episcopus doctrina, ac prædicatione clarus, ac conspicuus, quibus trahet secum magnam hominum multitudinem, tum eloquentia verborum, tum magna crudelitate, quam exequetur, ut patet ex toto contextu Apocalypseos.

185 Ecclesiasticus deficiens à Deo, crudelior prophana milite. Ista truculenta bestia, multa sævitia, ac crudelitate abundans, ex ordine ecclesiastico assumitur, nam etsi prophanus homo crudelis sit, multò tamen crudelior invenitur ecclesiasticus à Deo deficiens, & vitiis se tradens. Petentibus Jesum ad mortem Sacerdotibus, & Pontificibus dixit Pilatus ad Jesum, Joa. 18.n.35. *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi*; quæ verba sic commentatur Theophylactus: *Porrò Pilatus aliquanto humanior, & ipse egreditur, & interrogat de causa vinculorum*. Sæcularis præses humanior erat quàm pontifices ecclesiastici.

186 Quod non facit licentia militaris facit rabies & furor Sacerdotis. Postquam meus Jesus crucifixus est, milites Romani adstantes, cùm de consuetudine gentium vestes crucifixi ad eos pertinerent, circa vestem inconsutilem Jesu, *dixerunt ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit*, Joan.10.num.24.at Caiphas, cùm à Iesu audisset manifestum testimonium de sua divinitate: *Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam; quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis*, Marc.14.num.65. summus sacerdos scindit vestimenta sua, cùm hoc lege esset prohibitum, Levit.21.num. 10. imò quoddam dignitatis amissæ signum erat; Milites Romani, cum ex lege, ac consuetudine gentium, vestes Jesu crucifixi ad eos pertinerent, eas tamen non scindunt, & summus pontifex contra legem dilacerat; milites illi, ac carnifices, qui Jesum crucifixere, dum super vestes illius sortes mittunt, tunicam illam sic venerati sunt, ut illam minimè rumpere auderent, summus autem sacerdos tanto furore, rabie, ac impietate exarsit, ut nec tunicis sacerdotalibus parceret, nec vestimenta pontificia veneraretur, imo & suam dignitatem deperdere non timeret, ut innocentissimum Jesum reum mortis condemnaret. Quod licentia militaris non fecit facit summus pontifex præ furore, ac impietate D. Hieronymus: *Milites gentiles non scindunt tunicam Christi, Sacerdotes verò scindunt dignitatem sacerdotii sui, & condemnant reum esse mortis*.

187 Cum meus Jesus emitteret spiritum in Cruce: *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Jesum, viso terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Verè filius Dei erat iste*, Matth.27.num.54. Tamen post pauca addit ipse Matth. de sacerdotibus loquens num. 62. *Convenerunt principes sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati sumus, quòd seductor ille dixit*, &c. Compone modò Centurionem Romanum, & sacerdotes Judaicos; utrisque ostensæ sunt virtutes Crucifixi in terræmotu, in tenebris & aliis signis, Centurio autem visis signis confitetur Jesum filium Dei, sacerdotes vero ita obfirmati sunt in odio, rabie, ac ira, ut nullis moveantur, sed eundem Jesum seductorem publicant. Heu quàm cæcum, ac obstinatum est sacerdotum odium! Dicebat D. Leo serm.17.de Passione: *Cùm Centurio territus iis, quæ viderat, diceret: Verè filius Dei erat homo iste; impietatem tamen judaicam, monumentis & petris omnibus duriorem, nulla proditur mitigasse compunctio, ut appareat paratiores ad intelligendum filium Dei fuisse Romanos milites, quàm Israeliticos sacerdotes*: vide superiorem quæstionem ad finem num.176.& seqq.

Plus pietatis invenitur in prophanis quam in Ecclesiasticis malevolis.

QUÆSTIO XXIV.

Quare hæc bestia habet duo cornua similia Agni, cùm tamen vox ejus sit draconis.

188 Animi fraudulentus. AIt noster Joannes: *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem duo cornua similia Agni*. Bestia prima num.1. habebat decem cornua, aliorum nempe animalium, verbi gratia, taurorum, at hæc secunda bestia, seu præcursor Antichristi habet duo cornua similia Agni, quia, ut multis placet, Agni cornua minora sunt, quàm aliorum animantium, quia nempe robur hujus armigeri, ac præcursoris infirmius erit viribus Antichristi. Alii etiam volunt, habere cornua Agni, quia cùm talia soleant esse curvata, his denotatur, illius pseudoprophetæ animus recurvus, fraudulentus, retortus, nam potissimùm fraudibus, & dolis alios arietabit. Cur autem sint duo cornua, & nec plura, nec pauciora maximè est explicandum.

189 Primò Alcazar, cùm hæc referat ad Imperium Romanum, ait, quod per hæc duo cornua significantur severitas, & comminatio, quibus sapientia carnis in Imperio Romano pugnare vult contra fidem christianam; at cum his pugnat quòd hìc non agitur de Imperio Romano, & severitas, ac comminatio valde a liena sunt ab Agno.

190 Secundò Joseph Acosta libro 2. de tempore novissimo, capite 17. existimat, quòd hic impostor, Antichristi præcursor, futurus sit Episcopus, ac proinde per cornua designari duo cornua infulæ episcopalis, sive mitræ, quod multis non videtur firmum, nam poterit esse insignis aliquis clericus, vel regularis maximæ auctoritatis, propter opinionem doctrinæ, & fictæ sanctitatis, & propter vim in docendo, ac prædicando. Stultè ex his hæretici ansam arripiunt ad dignitatem, ac mitram episcopalem taxandam veluti bicornem, cùm potiùs hìc commendetur. Dicentur duo cornua Agni, id est, duo robora, ac ornamenta Christi; non ergo infula, sed infulatus apostata taxatur, utpote iniquè his Christi cornibus abutatur ad perfidam sectam Antichristi propagandam.

191 Aliqui Auctores. Tertiò aliqui, & etiam Cornelius dicunt, quòd duo cornua significant duos hujus bestiæ administros, & cooperatores insignes, & maximè instructos ad decipiendum; quod si de duabus personis particularibus loquatur, non est admittendum, benè verò de duabus quasi aciebus amborum ordinum, clericorum scilicet, ac religiosorum, quæ nunc sunt cornua Agni, & tunc quia erum apostatæ, & Antichristo deservientes, erunt similia cornibus Agni.

192 Quartò Ribeira, Cornelius, Estius, Menochius, Ferrarius, & alii dicunt, quod hæc duo cornua erunt species, & simulatio mansuetæ sanctitatis, ut videatur esse Agnus, & potestas faciendi miracula, ut videatur esse Thaumaturgus instar Christi, quibus quasi cornibus, potentissimè sibi homines conciliabit, plurimosque ad Antichristi sectam, & jugum trahet: Hæc sententia vera & communis, altiùs tamen explicanda.

193 Vera sententia. Dico ergo, quòd Christus D. veniens ad nos, inter suos eximios splendores, quibus refulsit in Orbe, fuerunt, *facere*, & *docere*. Actor.1.num.1. fuit enim Christus D. *potens in opere, & sermone*, Luc. 24. numer.19. Iste Pseudopropheta, veluti simia eadem imitabitur, nam miracula, & signa edet (si signa possint appellari præstigia Dæmonum) docebitque, sed falsa, & adultera, nam assertor erit divinitatis impuri, & nefandi hominis, scilicet Antichristi.

194 Et inde hæc bestia loquebatur ut draco. In toto hoc capite non apparet, quid locutus fuerit draco.

Draco

Draco hìc idem eſt ac ſerpens, ut patet ex ſuperiori capite, & jam notavi in expoſitione; loquebatur ergo ut draco, ſeu ut ſerpens antiquus, quando fraudulenter locutus eſt Evæ, Geneſ.2.& per blanda verba, ac promiſſa mendaciis plena, illam decepit; ſic iſte impoſtor fucatis rationibus, & blandis promiſſis multos in fraudem deiiciet. Et per hoc fortè alludit quoque Joannes ad ea, quæ locutus eſt draco iſte peſſimus, quando tentavit Chriſtum Dominum in deſerto, Matth.4. nam non ſolùm multa fraudulenter promiſit, ſicut cùm locutus eſt Evæ, ſed omnia ſua dicta, atque mendacia divinæ Scripturæ conatus eſt authoritatibus confirmare. Idem faciet iſte Pſeudopropheta, quia in Scriptura verſatiſſimus, ſua mendacia conabitur Scripturis malè intellectis confirmare.

195 Habebat cornua ſimilia Agni, loquebatur ut draco, ut ſpecie Agni homines ad ſe alliceret, & ut draco eos devoraret. Ansbertus: *Aſſumit Agni ſpeciem, ut draconis exerceat operationem; Agnum fingit, ut Agnum devoret.* Non dicitur quod habebat cornua Agni, ſed ſimilia, non veritatem Agni, ſed ſimilitudinem referebat, non veras virtutes, ſed apparentes, ac ſimilitudinarias pertendet, ut facilè decipiat, & inde ut extremum malum maximè fugiendum. Ait regius Vates Pſalm.143.num.11. *Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis. Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, ut ſimilitudo templi*; & quid malum timet ab illis, qui ſimilitudinem templi referunt, ut dicat: *Erue me de manu filiorum alienorum?* Planè hoc malum eſt, & maximè metuendum, quod boni ſimilitudinem referant, non veritatem; eorum filiæ ſeu operationes compoſitæ, ac ornatæ videntur, ut ſimilitudinem templi, ac rei ſacræ, & ſanctæ oſtendant, intus tamen latet venenum, nempe *os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis*, ad omne malum inferendum, ſub ſpecie boni, quod maximè eſt fugiendum. Ad hoc ſpectans Divus Ambroſius, Virg. monet in exhortat. *De judæis dictum eſt: Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, ut ſimilitudo templi, vos autem templum Dei eſtis, filiæ ejus, qui non transfiguratur in Angelum lucis, ſed verum lumen eſt, ideo in vobis non ſimilitudo, ſed veritas eſt.* Hoc diſcrimen datur inter filios Dei, & Diaboli, quòd Diaboli habent ſimilitudinem, non veritatem, Dei autem, & non ſimilitudinem, ſed veritatem.

Malũ quod infertur ſub ſpecie boni maximè timendum.

196 Et ita in hac beſtia notat Beda: *Agni cornua præfert Antichriſtus, ſeu ejus Præcurſor, ut draconis venena latenter infundat, quoniam per hypocriſim ſanctitatis, etiam quam in ſe veraciter Dominus habuit, ſingularem ſibi ineſſe ſapientiam mentitur, & vitam.* Quis cavere poterit ab hac beſtia, cùm habeat ſimilitudinem Agni, & non cujuſcunque, ſed illius, qui Dei dicitur, qui ſanctiſſimus? Tamen loquebatur ut draco; cur ut draco? Nullum animal ita proditoriè te invadit, ut draco, latet enim ſub virentibus herbis, odoriferis floribus, ut venenum ſuum in te evomat; quid eſt ergo, quòd hæc beſtia ſimilis Agno in cornibus, loquitur tamen ut draco, niſi quod hypocrita ſub ovina pelle, lupinam rabiem, & draconum venenum effundit, quod eſt ſupremum malum.

Hypocrita ſub ovina pelle decipit.

197 Peccavit David peccatum grande; Uriam Hethæum percuſſit gladio, & uxorem illius accepit ſibi in uxorem, 2.Reg.12.num.9. & tamen à corona regni non eſt depoſitus, ſed miſericordiam invenit. Mandavit Deus Saul: *Vade, percute Amalec, & demolire univerſa ejus; interfice, à viro uſque ad mulierem, & parvulum, uſque ad lactentem, bovem, & ovem, camelum, & aſinum*, 1.Reg.15.num.3. ipſeque Agag eorum Regem, multamque prædam reſervans, inobedientiæ arguitur; Saul verò ſe excuſat: *Tulit de præda populus oves, & boves, ut immolaret Domino Deo ſuo in Galgala*, ibidem nu. 25. cui ſtatim ait Propheta: *Pro eo quod abjeciſti ſermonem Domini, abjecit te Dominus ne ſis Rex.* David in tot ac tantis peccatis miſericordiam invenit, & à regno non eſt depoſitus, nec ab eo, ac ſemine ejus translatum eſt ſceptrum regni, ut factum vidimus in Saul, ob unum peccatum inobedientiæ, Abulenſis quæſt 24. ad cap.15. Reg. 1. *Saul colorat factum ſuum, ut populus immolaret Domino*; David peccavit ex quadam fragilitate, at Saul ſimulato animo, rapinam ſuam vult colorare religionis prætextu, ut immolaret Domino, inde fragilitas miſericordiam invenit, non verò ſimulata, ac palliata virtus.

Maximè execrabile colorare peccata prætextu virtutis.

Salomoni eripitur regnum decem tribuum propter 198
idololatriam, & datur Jeroboamo, 3. Reg.11.num. 21. *Scindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo.* Jeroboamus autem idololatra erat futurus, & omnes decem Tribus, qui ſub illo erant, idolis ſerviebant; cur ergo Reges Juda pejus audiunt, propter idololatriam, quàm reliquæ Tribus? Theodoretus quæſt. 43. *Propheta*, ait, *magis accuſant tribum Juda, etenim juſſus eſt Oſeas meretricem accipere ad arguendam apertam impietatem decem tribuum, eſt enim manifeſta meretricis impudicitia; adulteram autem in typum Judæ, quoniam cùm ſimul cum Deo videretur habitare per templum clanculum ſerviebat idolis.* Aliæ Tribus apertè ſerviebant idolis, at Tribus Juda, veluti adultera; ſub umbra viri diſſimulat congreſſus adulteri, & ita Tribus Juda ſub prætextu veræ religionis diſſimulabat idololatriam, in quo magis offendebat, quàm decem Tribus, majorique inde afficiebatur ſupplicio.

Peccare ſub prætextu veræ religionis grande malum.

QUÆSTIO XXV.

Quare de hoc Pſeudopropheta, ſeu Antichriſti Præcurſore dicitur quod omnem ſuam poteſtatem faciebat in conſpectu ejus.

DE hoc Pſeudopropheta ait textus: *Poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat in conſpectu ejus*; hoc & ipſo Antichriſto approbante, ac comprobante, ad ejuſque beneplacitum omnia ordinans, ac dirigens, Geneſ.48.num.15. *Deus in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei*; Septuaginta legunt: *Deus cui placuerunt Patres mei.* 199

In conſpectu ejus. Valde iniquus, ac omni turpitudine plenus eſt iſte Pſeudopropheta, tamen ab iniquo, ac peſſimo homine hoc poſſumus habere documentum, quòd miniſter cogitet ſe ſemper in conſpectu Domini ſui, ac ſub ejus oculis degens, ut rectè ſe habeat juxta diſpoſitionem ſibi commiſſam, cum valde familiare ſit miniſtris tranſilire terminos ſibi præſcriptos, & ſuam juriſdictionem dilatare, ac ampliare ſupra id, quod eſt eis datum: vide tomum 1.cap.7.quæſt.8.num.65.66.& tom.1.in Evang. lib.1.c. 4.q.26.n.90.& tom.3.cap.18.q.1.n.9. 200

Miniſtri ſemper addunt aliquid de ſuo.

Et *poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat*, ſeu ut habet Arabicus: *Et habebat poteſtatem faciendi omnia opera prioris illius beſtiæ.* Ecce innuitur ratio, ob quam in tanto pretio iſte Pſeudopropheta ſit habitus ab Antichriſto, quia faciebat omnia opera primæ beſtiæ ſeu Antichriſti, & non alia faciebat, niſi quæ Antichriſtus volebat, & ideò ab eo conſtitutus eſt ejus primus adiutor, ac præcipuus miniſter; ille enim à Principibus valde honoratur, ac ut magnus habetur, qui ad eorum placita per fas, vel nefas cuncta diſponit, ac exequitur. Ait Eccleſiaſt. 7. num. 5. *Penes Regem noli videri ſapiens.* Reges plurimum æſtimant ſapientes, à quibus conſilia expoſtulant, illoſque honorant largiſſimis præmiis, extollunt magnis dignitatibus, Reges enim maximè egent aſſiſtente ſapientia, undè Salomon Deum exorabat Sapient. 9. num.4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*; ſi ergo adhortantur ſapientes, ut Regibus aſſiſtant, quomodo dicitur: *Penes Reges noli eſſe ſapiens?* Ad quæ verba ſic ait Robertus Holcot. in Comment. *Quia tales*, inquit, *ſi volunt videri ſapientes, ſunt ſtulti prope Reges*; ac ſi dicat: Si interrogatus apud Principes, veram, & ſinceram ſapientiam dicas, & cuncta ad Regis beneplacitum non flectas, ſtultus, & odioſus eris, & ſi apud Principes proponas, quæ juris veritas dictat, malè audies, ſi verò omnem ſapientiam, & jus ad ejus obſequium inflectas, & retorqueas magnus eris. 201

Qui ſincerè juris veritatem dicunt apud Regem malè audiunt.

Tertiò: *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat.* Tam amplam poteſtatem exercebat in ſui com- 202

modum, vel utilitatem? Minimè. Ait noster Joannes de hoc Pseudopropheta: *Fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam*; scilicet Antichristum; cur iste sibi honores, ac adorationes non provocat? cur pro sibi multis divitiis acquirendis non laborat? cur tantùm pro dignitate, ac excellentia sui Imperatoris est sollicitus? Licèt iste esset valdè sceleratus, ac iniquus, in hoc tamen magnum dat documentum cunctis Regum administris, ut proprium commodum non quærant; nec tantùm respiciant quæ sua sunt, sed tantùm aliorum.

Ille est probus minister, qui non sua sed Reipublicæ bona quærit.

203 Pro stabilienda veritate, quod Dominus per Gedeonis manum salutem daturus esset populo, duo constituuntur signa; & primum ait ipse: *Ponam hoc vellus lanæ in area; si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas; scio quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel*; Jud. 6. num. 37. cùm tamen Gedeon hoc expressum signum videret, non in eò quiescit, sed ad alterum petendum festinat, dicens: *Oro ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens, fecitque Dominus nocte illâ, ut postulaverat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terrâ*; ib. n. 39. Hìc quiescit Gedeon nec aliud petivit signum, ut sibi persuadeat, quod per manus ejus status Reipublicæ prostratæ reparandus sit; cur ergo in hoc secundo signo magis quievit quàm in primo? an in hoc secundo erat aliquid peculiare magis pertinens ad restaurationem Reipublicæ deperditæ? Præter mysteria à Patribus ibi explicata, hæc duo signa pro instructione magistratus maximè notanda; nam in primo signo si magistratus instar velleris, totum rorem cœlestem sitit, & omnia quæ è cœlo eveniunt in se ebibit, ita ut in omni Republica sit siccitas, omnia prorsus arent, & deperduntur; at verò si magistratus totum rorem cœlestem non ad se trahit, nec sibi soli, ac suis divitiis affectat, sed paucis contentus modestè vitam agit, cœlestis ros est in tota terra, tunc Respublica rigata cœlestibus bonis virescit, & campi, & areæ replentur ubertate, & ideo Gedeon pro felici statu Reipublicæ, in manu sua, non quiescit in primo signo, sed in secundo, non quando dùcis, ac magistratus vellera plena sunt rore, sed quando sicca, & arida, ut tota divitiarum copia in terram, ac Rempublicam defluat: sic habet M. Baeza tom 4. in Evang. lib. 18. cap. 2.

Signum 8 primi ministri, age e de bono populi.

204 Apud Ezechielem cap. 9. num. 2. impiorum interfectio, ac extirpatio describitur: *Ecce sex viri veniebant de viâ portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & unusquisque vas interitus in manu ejus; vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus*. Sex virorum manus dabantur ad interficiendos judæos, propter exuberantiam, & copiam impiorum interficiendorum, ut ait Theodoretus ibi, dicens: *Unus Angelus centum octoginta quinque millia Assyriorum occidit, & primogenita Ægyptiorum; sed hic ob impietatis judæorum exuberantiam, sex Angeli vindices mittuntur*. Illud in præsenti maximè notandum, quod ubi tot viri interficiuntur, totque ostenduntur supplicii executores, unus tantùm notarius adest, qui tot causas scriptas promat: *Vir quoque unus in medio vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus*; & cur tantorum interfectorum executionibus, quibus vix sufficiunt sex viri fortissimi, ac validissimi, unus tantùm scriba dicitur adesse, unus tantùm notarius assignatur? Advertit textus? *Vestitus erat lineis*; contentus erat lineis vestibus, ubi autem notarii, & alii justitiæ ministri contenti sunt lineis vestiri, honestaque mediocritate in cibo, & vestibus, ac suppellectili, unus pro multis sufficientissimus est, ut universi raptores, criminatores, ac depravati, penitus exstinguantur, ac consumantur, undè ait D. Bernardus serm. 78. *Fidelis advocatus, qui quoniam non quærit quæ sua sunt, facilè obtinet omne, quod quærit*; ac si dicat: Si forensis advocatus paucis est contentus, facilè obtinetur id, quod justitia, & veritas intendit.

Si minister pauca contentus est Respublica florer.

Apoc. 13 n. 13. Et fecit signa magna: Ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.

Num. 14. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ; dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladii, & vixit.

VERSIONES.

Arabic. n. 13. Et edidit miracula magna; nam faciebat descendere ignem super terram præsentibus hominibus.

Pagninus: Et facit descendere.

S. Prosper. Ita ut faciat descendere ignem sub oculis hominum.

Syriacus. Coram hominibus.

Arabic. n. 14. Fallebat habitantes super terram signis, &c. dicebatque incolis terræ, ut facerent imaginem bestiæ, cujus curatum fuerat vulnus.

Syriacus: Et seducat eos &c. ad faciendam illi animali dentis, quod habebat plagam gladii, seduxit eos, qui habitant in terra, ut faciat imaginem bestiæ, quæ habuit plagam, & vixit à gladio.

Tygurina: Quæque post gladium revixerat, revixit.

EXPOSITIO.

ET *fecit signa magna*; seu ut habet Arabicus, *miracula magna*; quæ nempe in oculis hominum mirabilia videbantur, cùm revera talia non sint, nam vel erunt illusoria, vel per applicationem activorum naturalium ad paniva, arte dæmonis. *Ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram*. Judæi pro magno signo è cœlo reputabant, ut ignem de cœlo deducere, vel tonitrua excitare, quasi illa majora essent, quàm infirmos mirabiliter sanare. *In conspectu hominum*. Ex quo ostenditur hæc opera Antichristi, ac ministrorum ejus, magis ad ostentationem, ac vanitatem pertinere, quàm ad hominum utilitatem, qualia fuerunt Christi, ac sanctorum miracula, qui solùm Dei gloriam, ac aliorum salutem, & bonum quærebant. 205 *Mundani solùm quærunt gloriam hominum.*

Et seduxit habitantes in terra propter signa. Ecce vehemens tentatio, quæ non solùm apprehendet homines carnales, ac terrenos, sed etiam multos cordatos, ac fideles, quod erit effectus ex multitudine signorum, quæ tanta, & talia erunt, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. *Quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ*. Respectu Dei, permissione, respectu verò Diaboli, adjuramine, ac impulsu, quem Diabolus huic impostori dabit. *Dicens habitatoribus terræ, ut faciant imaginem bestiæ*. Iste Pseudopropheta, & primarius Antichristi minister, dicet habitatoribus terræ, gentibus nempe, non unius provinciæ, sed totius Orbis. *Ut faciant imaginem bestiæ*; primæ scilicet, persuadens suis asseclis diversas erigere statuas Antichristo. *Quæ habet plagam gladii, & vixit*. Hæc toties repetuntur, quoties innuitur hunc Pseudoprophetam persuadere velle suo solito mendacio, regnum Antichristi non defuturum, ut dicam q. sequenti. 206

QUÆSTIO XXVI.

Quomodo signa, ac prodigia edenda sint ab Antichristo, ac ministris ejus.

MIchael de Medina libro 5. de recta in Deum fide, cap. 7. ex parte affirmat miracula Antichristi, ac suorum ministrorum futura vera miracula, Dei virtute supra totum hujus rerum naturæ curlum effecta, Deo sic operante, vel in justam vindictam multorum, vel in purum exactissimumque examen aliquorum. 207

Valde mirum est, ut notat M. la Haye hìc Michaelem de Medina virum alias eruditissimum, ac pium hoc asseruisse, nam hoc assertum expressè repugnat cum doctrina Pauli Apostoli 2. Thessal. cap. 2. numer. 9. qui loquens de Antichristo ait: *Cujus* 208

est

vst adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt; ubi expresè à Paulo signa, & prodigia Antichristi dicuntur mendacia, ad inducendum in seductionem iniquitatis omnes, qui pereunt.

209 Prodigia ac signa Antichristi mendacia.

Et ratio est efficax & manifesta, quia miraculum supernaturali virtute fit ab omnipotenti Deo, tanquam testimonium, & divina attestatio, seu clara de cœlo vox clamans & comprobationem, & confirmationem sanctitatis, vel doctrinæ alicujus; atqui valde impium videtur asserere, Deum veritatis primam regulam, qui nec fallere, nec falli potest, suo divino testimonio, mendaciis, erroribus, ac falsitatibus, attestari, adstipulari, ac perversæ doctrinæ confirmationem apponere: ergo cùm signa Antichristi, ac ministrorum ejus sint ad errores, ac falsitates seminandas, à divina virtute nullo modo fieri possunt.

210 Quomodo fiant hæc signa falsa à dæmone.

Conveniunt omnes doctores, quòd signa, seu miracula Antichristi, ac ministrorum ejus, erunt falsa; quædam fient, ac si excedant naturaliter vires, cùm non excedant, sed fient vel per applicationem activorum naturalium ad passiva, vel per remotionem alicujus impedimenti naturalis, lædentis, vel per motum localem, vel per præstigia, apparenter per illusionem oculorum turbante dæmone species sensuum, ut videantur fieri, cùm revera non sint.

211 Benè notat Ferrarius, quòd ministri Antichristi, aliquas veras sanitates præstabunt, quia dæmon in corpore tollet naturales ægritudinum causas, humores scilicet lædentes à partibus læsis, vel applicabit pharmaca, quæ ipse bene novit salutaria, nam habet ipse corpus humanum pervium, cùm illum Deus, vel boni Angeli non impediunt; sicut etiam evocare è cœlo aereo ignem in terram, non excedit vires dæmonum, quibus, sicut Angelis, materialia quoad motum localem subjecta sunt.

212 Miracula autem falsa ab Antichristo edenda, breviter attigit Sybilla quædam lib. 3. Oraculor. dicens: *Quod sistet mare, montes, Solem, Lunam, & mortuos ad vitam suscitabit*. Sanctus Methodius martyr, ut habetur tom. 2. Biblioth. Patrum: *Faciet*, ait, *multa signa, & prodigia sophistica; cæci respicient, claudi ambulabunt, surdi audient, dæmoniaci curabuntur; convertet Solem in tenebras, & Lunam in sanguinem apparenter*; & latiùs eadem signa prosequuntur, ac referunt Sanctus Hippolytus martyr. orat. de consummat. Mundi, D. Ephrem. tract. de consummat. Mundi, & Antichristo, quæ omnia noster Joannes uno verbo comprehendit: *Et fecit signa magna*.

213 Quid sit miraculum.

Pro majori intelligentia hujus rei, notandum quid sit miraculum. Est opus extraordinarium, & rarum, præter legem ordinariam Dei, & supra omnem virtutem, ac vim causarum naturalium, ut sumitur ex D. Augustino lib. 3. de Trinitate, cap. 4. & 5. & lib. 26. contra Faustum, cap. 3. & seqq. & ex D. Thoma, 1. part. quæst. 105. art. 7. & lib. 3. contra gentes, cap. 101. ex quo apertè colliguntur, quòd solùm Dei virtute fieri potest verum miraculum, ipse enim solus habet supremum dominium super omnem vim causarum naturalium, earumque concursum potest mutare, & invertere, inde de eo canit regius Vates Psalm. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*.

214 Quomodo investigada differentia inter ea, quæ fiunt virtute Dei, ac illusione dæmonum.

Tamen quia, ut dixi in hac quæstione, fiunt multa illusione Dæmonis, quæ revera non sunt miracula, & nihilominus oculis nostris talia videntur, quomodo ergo agnoscendum, & investigandum quid sit illud, quod fit virtute Dei vel illusione Dæmonum? Si illud quod fit, tendit ad falsa, mendacia, turpia, & inhonesta, opus est Diaboli, nam ipse hæc intendit; si verò illud, quod fit, dirigitur ad sancta, ad gloriam Dei, & sanctorum, hoc solius est opus Dei, & non Diaboli, qui quantum in se est, talia intendit eradicare.

QUÆSTIO XXVII.

Referuntur tria reputata miracula, edenda ab Antichristo, & peculiariter agitur de igne misso de Cœlo.

TRia tantùm miracula reputata hìc refert Joannes ex multis, quæ operabitur Antichristus, vel per se, vel per suum præcursorem. Et primum, quòd in suo corpore mystico simulabit unum ex suis capitibus resurgere à plaga lethali, ut dixi supra, exposit. 8. & hoc signum multoties repetitur in hoc capite vers. 3. & 13. hìc vers. 14. quæ repetitio ex magno mysterio fit, quia Antichristus intentabit persuadere, regnum suum nunquam defuturum, cùm tantæ virtutis sit ipse, qui valeat vitam dare. Hanc tantæ repetitionis causam assignat Joachim, nam ministri Antichristi dicent, hoc esse illud regnum, quod mansurum est in æternum, ut pote quod veniens usque ad casum, ad tantum culmen gloriæ venire meruit. 215 Pseudopropheta persuadebit regnum Antichristi æternum.

Secundum signum, quod hìc refertur vers. 13. est ignem de cœlo evocare; quod pro magno signo semper fuit habitum apud judæos, us dixi in expositione. Tertium verò erit, ut habetur infra, versu 15. quod faciet imaginem bestiæ loqui, de quo ibi dicam. 216 Secundum & tertium signum.

Nunc de igne è cœlo evocato est dicendum, quod hìc pro magno, & admirabili prodigio refertur, quia sicut Dominus noster Jesus Christus discipulis suis Spiritu Sancto in igne veniente, virtutum dedit gratiam cum linguarum dono, ad hanc similitudinem hic Pseudopropheta finget, & mentietur, quòd Antichristus in suis asseclis dabit virtutem Spiritus Sancti in igne emisso. Ansbertus, postquam hæc discurrit, sic subdit: *Hinc ergo vehementia seductionis ostenditur, quod illud Spiritus Sancti donum bestia habere, vel dare putatur, quod Ecclesiam suam Dominus confirmans eminere voluit super omnia regna Mundi*. Huic etiam cogitationi subscribit Primasius: *Fortasse*, ait, *hoc excellens de igne signum, quo Spiritus Sanctus figuratur, voluit specialiter nominare, &c.* 217 Imprudenter Antichristus vult persuadere se Spiritum S. dare.

Deinde Elias ignem de cœlo evocavit, & etiam hic Pseudopropheta, iste ut minister Satanæ, ille, ut servus Dei; & vide quanta differentia sit inter unum & alium; Pseudopropheta ut Diaboli cooperator gloriam propriam, ac vanitatem in oculis hominum quærebat, ad quod denotandum dicitur: *Ut etiam faceret de cœlo descendere in terram, in conspectum hominum*; at Elias cùm advocat de cœlo ignem, ait: *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos*, 4. Regum 1. n. 10. ait: *Si homo Dei sum*; quia in illo opere puniens iniquos, non suam, sed gloriam Dei quærebat, quem quinquagenarius contemnebat; etsi mundanus propriam gloriam affectat, non sic servus Dei, sed solùm Domini sui. 218 Justus solùm Dei gloriam quærit, non suam.

Jubente Deo, sacrificandus erat Isaac ab Abrahamo, qui cùm venisset ad locum ad radices montis, dixit ad pueros suos: *Expectate hìc cum asino; ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, Genes. 22. numer. 5. soluscque Abrahamus cum filio ad cacumen montis tendit, ut ibi holocaustum offerat; cur tanto facinori, eligitur tanta solitudo? Filia Jephte sacrificanda eligit montes, ut fleret intempestivam mortem, sed inter clientes aris sistitur; sic habet Judic. 11. num. 38. *Cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus; & expletis duobus mensibus, reversa est ad patrem, & fecit ei sicut voverat*. In montes abiit, ut fleret, ut autem sacrificaretur, montes reliquit, & reversa est in domum paternam inter clientes; cur non sic Isaac? cur in Isaaci sacrificio, clientum cavetur conspectus, & montium solitudo magis eligitur? Sacrificium Isaac soli Deo referebatur, solique ei consecratum erat, & ideo solùm Dei oculos quærebat, & non hominum, at sacrificium filiæ Jephte sic Deo ordinabatur, ut hominum vanitatem captaret, & ideo multorum astantium oculos affectaverat; quid inde factum est? 219 Ut crescat non gloria cum sed Dei quæra.

Ut Isaac esset ereptus à gladio paterno, & servatus in vita, à qua privata est filia Japhte, qui enim omnia sua soli Deo novit adscribere, in multa magnitudine crescit, à qua privatur, qui de hominum oculis est sollicitus.

220 Quòd optimè agnovit Noe, nam ut filios suos admoneret gloriam Dei in omnibus quærendam, cui omnia nostra bona sunt tribuenda, cùm maledixit uni, ait: *Maledictus puer Chanaam;* & cùm benedixit alteri, inquit: *Benedictus Dominus Deus Sem*, Gen. 9.n.25.& 26. si pessimo ac malo maledixit, cur non benedixit etiam & bono, sed potiùs illius Deo? Credo, ut ostenderet hominis mala, homini esse tribuenda, bona verò nonnisi Deo, à quo bona cuncta procedunt. Ab homine mala sunt quærenda, à solo Deo bona, ut crescas, & multum proficias, & augearis.

Ut crescas a solo Deo bona sollicitanda

QUÆSTIO XXVIII.

Quare vox draconis voluit homines seducere, cùm potiùs debebat eos terrere, ut fugerent.

221 Homo terrenus, cui pax dira e posse sus, voce belluæ trahitur ad facinora.

AIt text. quòd hæc secunda bestia supra num. 11. ascendens de terra, *loquebatur ut draco*. Vox draconis aptior videbatur, ut terreret, ac ut homines fugaret, nunc autem homines trahit, & seducit, homines tamen habitantes in terra, hoc est, qui terrenis cupiditatibus immergebantur; sic ait Andr. Cæsarien. *Seduxit illos, qui cordis sensum in terra, bonisque terrenis perpetuò defixum habent*. Ubi homo à terrenis cupiditatibus tenetur, sic illis rapitur, ut draconis, seu serpentis sibilus in turpissima facinora impellat.

222 Omni sanè admiratione dignum est, quomodo sapientissima fœmina Eva, omni virtute insignita, à voce serpentis sit decepta, ut in grande peccatum prolaberetur. Dixit serpens ad mulierem: *Nequaquam moriemini;* quid tunc? expavitne mulier ad serpentis vocem, ac maximè timuit? Imò, ut ait text. *Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*, Gen.3.num.6. quomodo mulier adeo sapiens, tantis virtutibus condecorata, sic voce serpentis rapitur in tantum facinus, cùm divina veritas obsisteret ne comederet? Radix tamen tantorum malorum illis verbis insinuatur: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum*; cœperunt mulieris oculi in terram deflectere, cœpitque ipsa terrenis cupiditatibus teneri, ac possideri, & inde maluit serpentis, quàm Dei vocibus assentiri, ubi enim mulier concupiscentia temporalis boni jam erat affecta, statim serpentis voci annuit, ut iret in facinus. Rupertus ibi: *Naturam ligni propriis oculis diudicare valuit; at illi, qui de hoc judicare debuerant interiores oculi, exteriorum jam erant oculorum concupiscentia præpediti: sic vidit, sic sacrilega temeritate, serpenti magis, quàm Creatori credidit*.

Homo terrenus voce belluæ movetur ad peccatum.

223 Cùm cogito Evam serpentis vocibus annuentem, statim oculos converto ad Balaam asinæ vocibus repugnantem; arripuerat enim Balaam viam sedens in asina, quæ rigidè à sessore percussa, ut per viam ulteriùs pergeret, cum illo cœpit loqui, ut à verberibus abstineret, sic enim refertur Num. 22. nu. 28. *Aperuit Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me, etiam jam tertio? Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi; utinam haberem gladium, ut te percuterem*. Et serpens locutus est Evæ, & asina locuta est Balaam; imo ait D. August. lib. 11. de Genesi ad liter. *Sic locutus est serpens mulieri, sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini*. Uterque tam Eva, quam Balaam ardentibus terrenarum cupiditatum stimulis agebatur; Eva voci serpentis annuit, ut contra Dei mandatum comederet, Balaamus vero rellitit voci asinæ, & illam magis percutit, ut viam cœptam capiat; uterque grandi cupiditate succensus erat, Eva voce serpentis rapitur in malum, ac peccatum, Balaamo vero asina persuadebat, ut desisteret à via vetita; nulla autem creaturæ vox sufficit hominem temporalem in bonam frugem trahere, in malam autem, vel serpentis sibilus, vel pecoris nutus illum vehementer rapit, ut Evam serpens attraxit.

Voce belluæ movetur homo ad peccatum, non ad bonum.

Somniavit Mardochæus: *Et ecce duo dracones magni,* 224 *paratique contra se in prælium, ad quorum clamorem cuncta concitata sunt nationes, ut pugnarent contra gentem justorum*, Esther.11.num.6. Duorum draconum clamor, non terruit, sed potiùs traxit nationes in bellum contra sanctos, & tamen voces omnium elementorum, terræ, maris, aeris, & ignis, tot, & tantis prodigiis, quæ Deus in eis est operatus, non potuerunt homines trahere, ut sanctos Moysen, & Aaron venerarentur in Ægypto. Tam nationes gentium, quàm Ægyptii terrena cupiditate dominandi æstuabant, inde dracones potuerunt homines provocare, ac excitare in malum, ac necem justorum, minimè verò voces omnium elementorum, magnis mirabilibus, eos inclinare, ut sanctos & justos colerent, eisque debita reverentia obtemperant.

*Apoc.*13.*n.* 15. Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ, & ut faciat, ut quicunque non adoraverint bestiæ imaginem, occidantur.

Num. 16. Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.

VERSIONES.

Syriacus n. 15. Et datum est ei dare spiritum imagini illius animalis dentis: & faciet, ut omnes quicunque non adorabunt illam imaginem istius animalis dentis occidantur.

Arabicus. Datus est spiritus, ut inderet eum imagini bestiæ, & præcipiebat, ut quicunque non adoraret imaginem bestiæ occidantur.

Arias. Et facit non adorantes eam occidi.

D. August. Qui non adoraverint bestiam, & imaginem ejus, nec acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu sua, occidentur.

Arabic. n. 16. Effecit etiam, ut omnes parvi, & magni, & ingenui, & servi ponerent in manu dextera signum apostasiæ, & in frontibus.

Syriacus. Ut detur illis character super manus ipsorum dexteras, aut super domicilium oculorum ipsorum.

Arias. Et facit ut dent illis characteres in manu eorum dextera.

Vatablus. Ut det illis notam impressam.

Oecumen. Characteres super frontem suam.

EXPOSITIO.

ET datum est illi; id est, permissum, & est quædam vehemens tentatio exorta contra christianos, & tertium signum, quod Joannes de hac bestia refert. *Ut daret spiritum imagini bestiæ, ut loquatur*; quod non erit verum miraculum, sed ita imago illa loqui videbitur, ut olim multa idola interrogantibus responsa dabant, Diabolo per assistentiam in eis occultè loquente. Addit S. Victorinus, quòd hæc imago Antichristi erit aurea, ut faciliùs omnes ad sui adorationem alliciat, ut dicam quæstione sequenti, & collocabitur primò in templo Jerosolymitano, undè & voces, ac oracula dabit; deinde per omnes urbes imperii Jerosolymitani statuæ Antichristi, ex pretiosa materia, ac multo artificio fabricatæ erigentur, ut omnes cultum latriæ eis exhibeant, & ut faciat, ut quicunque non adoraverint bestiæ imaginem, occidantur, eò quod noluerunt prædictas statuas adorare. 225 Tertium signum.

Et faciet omnes pusillos & magnos, & divites, & pauperes, & libros & servos. Hic Pseudopropheta, & 226

præ-

præcursor Antichristi, *faciet omnes pusillos*, &c. non tantùm dicit, faciet pusillos, & magnos, sed ponit signum universale: *Omnes*; quod nullum excludit, cùm revera aliqui fideles, firmiter in Christo credentes, characterem & signum Antichristi non recipient; quia tamen hi erunt pauciſſimi, præ magna multitudine reproborum, inde dicuntur omnes charactere bestiæ habere. Joachimus: *In his verbis nihil aliud designari existimo, quàm ut damnandorum eorum multitudinem infinitam esse sciam, ex omni conditione, & ætate, & quantitate tam maxima, ut nequaquam valeat æstimari.* Dicitur in text. *Divites & pauperes*, qui charactere bestiæ notabuntur; per quod denotantur homines ex omni conditione: Sed quomodo dicuntur pauperes, cum Antichristus omnes suos sequaces magnis divitiis implet, quod intelligitur majori ex parte? Haymon verò ad sensum moralem confugit; nam ille, scilicet Antichristus, suos ministros multis ditabit divitiis, pro quibus in nimiam superbiam elevabuntur; pauperes fide, & bonis operibus intelliguntur.

Magna reproborũ multitudo.

Divites temporalis, si virtute careat, pauper.

227 *Habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Sicut Deus olim in lege veteri voluit eos in signum peculiaris populi circumcidi, sive ferre in carne sua signum circumtisionis; & Christus Dominus omnes suos fideles, ac christianos in baptismo signat charactere, seu signo Divini Spiritus, ita ad hujus similitudinem Antichristus suos asseclas signabit suo peculiari signo, ut ab omnibus agnoscantur, de quo commodiùs dicam q. 30.

QUÆSTIO XXIX.

Quare non verus Christus Jesus, sed Antichristus imponit pœnam mortis, contra ejus adoraticm negantes.

228 ISte Pseudopropheta, seu præcursor Antichristi, ipsius Antichristi faciet auream statuam ut ait S. Victorin. ut ab hominibus adoretur; ad quod ut facilè omnes adducat auream fabricabit. Nabuchodonosor vidit in somnis statuam grandem, cujus caput erat ex auro, pectus argenteum, tibiæ ferreæ, pedum verò quædam pars fictilis, Daniel. 2. nu. 32. ipse verò fecit statuam totam ex auro, Daniel. 4. n. 1. ut ita facilè ad sui adorationem omnes pelliceret. D. Hieron. in c. 3. Daniel. *Illud causa est*, ait, *ut quod statua sit aurea, ut res inanimata adoraretur ut Deus, dum unusquisque suam consecrat avaritiam.* Avari enim homines summa religione colunt, & adorant aurum, illudque maximè judicant dignum altari, & templo. Dum hæc cogito, statim venit in mentem elegans Drogonis ponderatio lib. de Sacrament. Passion. inquirens, cur avarus Judas, pecunias, quas à sacerdotibus acceperat, in templo reliquit, Matth. 27. num. 5. sic ait: *Retulit triginta argenteos, & projecit in templo. Vide, quàm magni faciat illos; non projecit eos in sterquilinio, sed in templo, nimirum, talibus semper diis templum suum devoverat.*

Avarus aurum tanquam Deum adorat.

229 Tota quæstio est, quare antichristiani erigentes statuas sui Antichristi, pœnam mortis infligent earum adorationem abnegantibus: *Qui non adoraverint bestiæ imaginem, occidantur*; quam pœnam etiam Nabuchodonosor statuit erga suam statuam: *Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis*, Daniel. 3. num. 6. O quantum hoc distat ab ingenio, ac conditione Christi D. ac suorum discipulorum, qui doctrinam evangelicam annuntiantes, minimè mortem renuentibus minati sunt, nulloque modo aliquos eorum esse sectatores coegerunt, sed libtos, ac spontaneos adoratores quærunt! In hoc ergo falsitas sectatorum bestiæ, & veritas Christiana patet; nam veritas per semetipsam cordibus insinuatur, falsitas verò gladio, & ferro indiget, ut aditum inveniat. Christus pro aliorum salute sanguinem suum fudit, at antichristiani aliorum sanguinem quærunt, & effundunt ad mortem. Rupertus Abbas: *Hoc Christus non fecit*, ait, *neque Prophetæ ejus neque Apostoli docuerunt, neque Reges Christiani jam facti, hoc acceperunt, ut occidant, & sanguine cumulandum existiment Christi servitium, verus namque Deus, non coacta, sed spontanea servitia vult. Ergo & in hoc, & maximè in hoc palam faciet sensum habentibus, & ratione pollentibus, quòd verus sit Antichristus, quod verò non sit Christus, sed secundùm nomen suum Christo sit contrarius; hic est Christus, qui sanguinem suum fudit, hic est Antichristus, qui sanguinem fudit alienum.*

Antichristiani suis factis testantur se ipsos veræ religioni esse contrarios.

Secundò preme illa verba citata Ruperti: *Verus enim Deus, non coacta, sed spontanea vult servitia*; quod argumentum premit Tertull. in ..... cap. 24. adversùs gentes cum cogerent homines vi, ac metu ad aras, & sacra Dæmonum: *Videte*, ait, *ne etiam hoc ad irreligiositatis elogium concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicere optionem divinitatis. Joves, ac Junones colere manu posita ad gladium, injuria quodammodo est divinitatis, quæ ab invito coli non vult.* 230 Divinitas non vult invitum obsequium

Et confirmatur: Divinus Magister suis Apostolis mandavit, ut sine virga urbes obirent, hominesque instruerent, apud Luc. 9. nu. 3. *Nihil tuleritis in via neque virgam*, &c. certè bonus foret baculus ad laborem itineris levandum; sed virgam Christus magistris aufert, ne metum inferant; sic D. Ambros. lib. 7. in Luc. *Eos*, inquit, *emisit ad seminandam fidem, qui non cogerent, sed docerent*, &c. ac si ingratum Christo esset, obsequium, quòd virga exprimeretur imposita. Urgebis, & maximè in rem nostram, permissam Apostolis virgam esse, apud Marc. 6. n. 8. *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*, &c. anne pugna est in utroque loco? Sed pugnam Rupert. sedat lib. 8. ad cap 10. Matth. ad Ambros. mentem: *Virgam*, inquit, *Regum negat, virgam Pastorum concedit.* Cùm permittit virgam Apostolis, baculum permittit, quo Pontifex benignè, ac benevolè ducat, & pascat oves; cùm virgam negat, pastores monet, imò jubet, ne minaci imperio, ac regali supercilio capitali pœna imposita exigant morum disciplinam, sciantque certò non placere Deo obsequium, aversa voluntate, nam ut verè ait D. Gregor. Nazianz. orat. 37. *Quod voluntarium est, tum diuturnum, tum certum est.* 231

Apostolus volũtarios & non coactos auditores elegit

Tertiò ad hæc verba Apocalypseos: *Quicunque non adoraverit imaginem bestiæ, occidatur*; sic pulchrè pergit citatus Rupert. *Igitur inexcusabiles erunt quicunque bestiam talem adorabunt, habent enim signum, quo cognoscant certissimè esse illum non Dei, sed Diaboli filium, utpote hominem homicidam, hominem sanguinarium.* Cùm audis sanguinem hominis ab isto Pseudopropheta, seu ab aliquo alio peti, inexcusabilis es, si non pro certo teneas illum esse filium Diaboli, à Deo enim non venit, quod mortem inferat fratri, hoc Diaboli inventum ac ingenium est. 232 Non ex Deo, sed ex Diabolo est, qui infert malũ proximo.

Ait Joannes Apostolus Epist. 1. cap. 3. nu. 10. *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli: Omnis, qui non est justus, non est ex Deo, & qui non diligit fratrem suum, quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum; non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum.* Non ex Deo, sed ex Diabolo est, qui mortem curat inferre fratri; ubi occisio fratris tractatur, ibi non Deus, sed Diabolus invenitur. Rupertus Abbas lib. 8. in Apoc. sic ait: *Hoc est signum, in quo cognoscant hi, qui ex Deo sunt, ex maligno illum esse, qui occidit; quod non facit, qui ex Deo est. Hoc audiat, si quis habet aurem: Et cùm viderit illum gladio occidere, etiamsi scientiæ copiam, vel testimoniorum de Scripturis non habet abundantiam, saltem ex hoc solo, quòd ille homicida est, sciat quòd ex Deo non est.* Perpende ultima verba: *Saltem ex hoc solo, quòd homicida est.* 233 Non ex Deo, sed ex Diabolo est, effundere sanguinem proximi.

Postquam Diabolus accepit potestatem percutiendi Jobum, ait text. Job. 1. num. 12. *Egressusque est Satan à facie Domini*; & quomodo dicitur egressus à facie, seu præsentia Domini, cum Deus ubique sit præsens? *Si ascendero in Cœlum, tu illic es; si descendero in Infernum, ades.* Dei proprium est benefacere homini; Satanas autem exibat ut infensissimus hostis humani generis, ut homini noceret (quod maximè est alienum à Deo) ut talem hominis destructionem intendens, maximè videbatur extraneus, alienus, ac separatus à Deo, quasi non ferat Deus aspicere quenquam homini suo malè affectum. Sic ait Didymus in Catena Græca: *Nisi extra Deum fuisset Diabolus, contra Jobum is nihil moliturus fuisset.* 234 Malefacentia in hominem aliena à Deo.

235 David infensissimum sibi hostem Saulem dormientem invenit in spelunca, 1.Reg.24.num. 5. tunc *dixerunt servi David ad eum: Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis*. Mirum sanè quòd David contempsisset tantam occasionem suæ severitatis; mirum sanè quòd contempsisset suorum militum verba, cædem hostis adhortantia; illud verò mirabilius quòd illi proponeretur Dei voluntas, Deique promissio adimpleta, cùm dicitur; *Ecce dies, de qua locutus est Dominus*, &c. & tamen quòd ipse à cæde sui hostis abstineret; cur cùm audit Dei voluntatem, ad illam exequendam non currit? David fidissimus, & piissimus vir, Deique virtutis æmulus, quia cor, secundùm cor divinum habebat, etsi à suis militibus audit Dei voluntatem, ac promissionem in illa cæde adimpleri, non tamen sibi potuit persuadere talem esse Dei voluntatem de hominis interitu, talemque mortem ei placituram, qui maximè vitam, ac incolumitatem hominis exoptat. D. Basil. Seleuc. orat. 16. sic ait: *Nec verò Dei commemoratio Davidem ad cædem faciendam excitavit. Hominis interemptio Dei donum non est, neque oculis divinis arridet; ejus inimicum tradiderit, Dominum suum satis novit humanitate delectari.*

Dei voluntas beneficentiam prædicet in homine.

QUÆSTIO XXX.

Quare Antichristus suos asseclas faciet portare suum characterem in dextera manu, aut in frontibus suis.

236 ANtichristus omnibus suis modis, quantum poterit suis falsis illusionibus intentabit, Deum, & Christum imitari; Deum quidem, qui in antiqua lege disposuit suos in signum peculiaris populi circumcidi, sive in carne sua ferre circumcisionis signum; Christum verò qui omnes fideles signat *In Spiritu promissionis Sancto*, ut ait Apostolus Eph. 1. num. 13. quod eleganter notavit D. Chrysost. hom. 2 ad Eph. *Signati sunt*, ait, *etiam Israelitæ, sed circumcisionis nota, ut pecora, & bruta; & nos ipsi signati sumus, sed ut Filii Spiritus Sancti*; hinc est, ut tam sedulò curet Antichristus ut omnes, nullo prorsus excepto, cujuscunque conditionis sint, & ætatis habeant suum characterem: habeant inquam, vel in manu dextera, vel in fronte, nam aliqui ferent tale signum in dextera sua, alii in fronte. Tota quæstio est, cur Antichristus in dextera, vel fronte vult imponi suum characterem.

Hebræi olim signati ut pecudes, Christiani, ut filii.

237 Respondeo primò, quod per dexteram, quæ est propria electorum, ad quam collocabuntur in extremo judicio, denotatur bona, & sancta operatio, sicut & per frontem, ubi imponitur signum Crucis, fidei professio declaratur, ut docet D. August. lib. 20. de Civit. c. 9. cur ergo in dextera, vel in fronte character bestiæ ponitur? Perversi, & iniqui, omnia bona, & sancta in malum convertunt, & commutant; bona opera dextra in malum, & peccatum, fidei verò professionem in illius abnegationem. Ansbert. Abbas: *Ubi debuerunt*, ait, *reprobi dexteram puram, & sine reprehensione frontem habere, sibi inveniuntur nota criminis deturpati.* Quia ergo utroque bono, id est virtutum operatione, ac fidei professione tales inveniuntur fraudati, rectè utrobique nota criminis narrantur characterizati.

Mali, omnia convertunt in malum.

238 Secundò omnibus, sive magnis, sive pusillis, sive divitibus, sive pauperibus præcipiet Antichristus portare suum characterem, sive in manu, sive in fronte, æmulans, ac transmutans legale, ac divinum mandatum. Mandavit Deus olim Deut. 6. nu. 6. *Verba, quæ ego præcipio tibi, ea meditaberis, sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, aut consurgens, & ligabis ea quasi signum in manu tua*; in Evangelio Matt. ult. num. 19. *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; cùm omnes baptizantur, accipiunt in fronte characterem nominis christiani; quomodo ergo antichristiani erunt notati charactere bestiæ? Quia ita sunt depravati, ac miseri peccatores, & à ratione alieni, ut signaculum Christi, & nomen ejus abiiciant, ut omnium hominum pessimi, ac maledicti, characterem suscipiant. Rupert. *Numerum*, ait, *scilicet trium personarum, & nomen Christi, de frontibus, & de cordibus, & ore omnium Pseudoprophetæ auferre conantur, ut è contrà character nominis bestiæ, & numerus nominis ejus inscribatur.*

Depravati peccantes ponunt Christi abiiciunt pro nomine pessimo.

Tertiò in manu, & in fronte vult bestia haberi suum characterem; per manum denotatur operatio, per frontem jactantia, & gloriatio de ipso opere, perversi enim homines, non solùm mala operantur, sed etiam de ipsis pravis, ac malis operibus gloriantur. S Prosper. in dimidio temporis cap. 5. *Inscriptio in fronte*, ait, *est gloriatio in malis operibus, inscriptio in manu, est operatio.* Hoc est de malo opere gloriari, quæ est summa perversitas. 239

Mali, non solum mala faciunt, sed etiam de iis gloriantur.

Quartò id maximè curat crudelis hostis, ut fidelium dexteræ, & frontes occupentur charactere bestiæ; ad quid hoc? Ne in fronte, dextera signum dominicæ Crucis imprimatur, quæ fideles protegit, & perdit, ac destruit omnes inimici artes. D. Ephrem orat. de Antichristo sic ait: *Dat autem signum impurus ille latro, non simpliciter, nec passim in quolibet corporis membro, sed dexteræ, ac fronti hominis impium infigit characterem, ne potestatem habeat homo signandi se dextera, signo Jesu Christi Domini nostri, neque in fronte Crucis signaculum penitus imprimere possit, scit enim versutus ille, quia ubi Crucis signaculum positum fuerit, solvitur continuò virtus ejus omnis.* 240

Crux salutaris inimicos destruit.

Confirmatur: A virtute sanctæ Crucis nobis est magna, & maxima securitas, sine qua quilibet miserrimè prolabitur. Dixit Christus D. Petro, Matth. 16. nu. 18. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*; quid Petro firmius ac fortius? Sed accipe, quæ statim post pauca dicuntur, & miraberis; ibid. num. 22. *Assumens Jesum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te, Domine, non erit hoc tibi; qui conversus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum mihi es*; quid Petro infirmius? quid fragilius? à domino enim vocatur Satanas; paulo ante firmissima petra videbatur, modò Satanas tanquam labens, ac corruens apparet; undè tanta firmitas tantam infirmitatem contraxit? Antea quidem divinitatem Christi prædicabat, modò ejus Crucem detrectat, ac recusat. *Absit à te, Domine*; ut Crucem scilicet ascendas; & qui ex divinitatis confessione firmus apparebat, tamen non potuit non monstrari labilis, & infirmus, ubi beneficium Crucis cœpit detrectare; & qui ex confessione divinitatis firmus erat, ex recusatione Crucis, quæ est totum nostrum munimen infirmus & debilis ostenditur; sic ait Germanus Patriarcha orat. in exaltatione Crucis contra Rogomillios; *Quid Petro firmius, cui nec caro, nec sanguis Filium Dei revelavit? nihilominus cum magistrum ad Crucis patibulum festinantem intelligeret, conatus quidem est cursum illum, & festinationem prohibere; sed contra audit: Vade post me Satana. O miraculum ingens! Satanas appellatur magnus Petrus, quod Crucem detrectet, & ut petra scandali, & lapis offensionis retro obiicitur, & infractum illud Ecclesiæ fundamentum:* vide c. 12. q. 47. n. 378. & seqq. & q. 72. n. 608. & seqq. & plura passim per nostros tomos in Evang. 241

Omne nostrum munimen à Cruce.

Quintò faciet Antichristus, ut ejus sectatores portent characterem ejus in manu dextera, & in fronte; & statim sequenti versu dicitur: *Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ.* Rectè nomine bestiæ hic intelligitur Antichristus, nam frons hominis signum est verecundiæ, & illud ponitur in fronte, de quo homo maximè jactatur, ac gloriatur, & qui non solùm inducit homines od peccandum, sed etiam verecundia abjecta intendit, ut in suis peccatis effrontes fiant, & de ipsis se jactent, & non erubescant, hoc pecuinum, & non humanum est: dum ergo Antichristus ordinat, ut homines suum apostasiæ characterem gestent in fronte, ut tanquam pudore abjecto ipsum ostentent, nomen hominis amisit, & bestia dicendus est. Rupertus lib. 8. in Apocal. *Per quod significat*, ait, *mysticè apostasia spiritus diabolici, quàm pertinax sit, mala sua reciprocando.* 242

Bestia non homo, qui peccandi pudorem abiicit.

Ait

243 Ait Deus per Jeremiam c. 32.n.30. *Erant filii Israel, & filii Juda, jugiter facientes malum in oculis meis; Græcus* legit: *Soli facientes malum*; & quomodo dicuntur soli? nonne etiam gentes gravissimè peccabant cultu idolorum suorum suaque rapina, furto, luxuria, ac suis abominationibus? quomodo filii Israel, & Juda dicuntur soli peccare? Tamen etsi omnes gentes graviter delinquerent, nihilominus soli filii Israel & Juda, divina fide credebant, se in oculis Domini, ac ejus conspectu peccare; & qui verecundia deposita, imprudenter se in oculis Domini agnoscit peccare, præ omnibus hominibus peccare dicitur, & ita, ut Scriptura exaggeraret malitiam Sodomæ, ait Genes. 13.n.13. *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores nimis coram Deo*; cui etiam respondet Judic.3.nu.7. ubi peccantes notantur homines: *Fecerunt malum in conspectu Domini*; qui dicendi modus maximè pertinet ad insignem hominum improbitatem, teste D.Chrysost.in Gen.hom. 33.*Non peccatur simpliciter*, ait, *sed coram Domino; hoc est prodigiosa erat eorum iniquitas*.

Summa malitia, ac impudētia peccare coram Deo

244 Rex Ozias sacrilega audacia intrat in Templum, adolere intentat incensum super altare thymiamitis; quam impudentem, & effrænem temeritatem, nulla potuit sacerdos Azarias persuasione coercere, undè à Deo lepra percutitur in fronte, 2.Paralip.26.n.19. *Statim orta est lepra in fronte ejus*; & cur non potiùs in alia parte, ut oculis, vel naribus, sed in fronte? Quia in fronte sedes, & signum est verecundiæ, quam ab ea abraserat, & ideo qui tam imprudenter verecundiam à fronte deposuerat, illius frons lepra tegitur, & absconditur, nec apparet. D.Chrysost. hom. 4.de verbis Isaiæ: *Efflorui*, ait, *lepra in fronte illius, quia ubicunque est impudentia, illic est ultio*; ut undè verecundia exierat, vindicta succederet; sic & Goliath in fronte percutitur: *Infixus est lapis in fronte ejus*, 1. Reg. 17. num. 49. ut effrontem ad peccandum, divina justitia, in fronte multaret.

Sedes verecūdiæ punitur.

*Apoc.*13.*n.*17. Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.

*Num.*18. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet nomen bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti, sexaginta sex.

VERSIONES.

*S.Aug.n.*17. Ut nemo posset mercari, nisi qui habent nomen, aut notam ejus.

Syriacus. Nisi qui habet characterem nominis illius animalis dentis.

Arabicus. Nisi haberet signum illud.

*Arabic.n.*18. Hic requiritur sapientia, &c. & summa ejus sexcenti, sexaginta sex.

Marian. Hic sapientia opus est.

Syriac. Qui habet mentem computet numerum illius animalis dentis.

Aliqui. Hic est acumen; qui habet ingenium.

Beda. Numerus enim nominis est.

EXPOSITIO.

245 UT *ne quis possit emere, aut vendere*. Hæc verba non sunt restringenda ad negotiationes, mercatorumque commercia, sed extendenda ad omne genus venditionis, & emptionis; & quia homines diu vivere non possunt sine isto vitæ commercio, aliàs rerum necessariarum ad vitam inopia tandem contabescent, & ita ad suam lethiferam apostasiam penè innumeram hominum multitudinem necessitate coactam Antichristus pertrahet. *Nisi qui habet characterem*; expressum sigillum, vel signum ejus, aut nomen bestiæ, scilicet ipsius Antichristi. *Aut numerum*

246 *nominis ejus*; veluti ejus nomen in compendio.

Hic sapientia est. Hic est opus & sapientia, & intellectu tanquam in re obscura, & ænigmatica, apetienda, ut ex numero literarum nominis ejus, qui intelligat, quisnam ille sit, cùm venerit, ut ab eo cavere possit. *Qui habet intellectum computet nomen bestiæ, numerus enim hominis est*; ac si dicat Joannes: Numerus, de quo loquor, est numerus nominis cujusdam particularis hominis, ut sciatis Antichristum fore hominem, non verò dæmonem, ut aliqui dixerunt, & supra retuli, vel numerus hominis, *id est* in usu hominum facilè reperibilis, & observabilis, utpote ipsis consuetus, & familiaris, in communi calculorum, per consuetas literas, & nomen non erit officii sed personæ Antichristi.

Numerus ejus sexcenti sexaginta sex. Hebræi, & Græci utuntur literis alphabeti pro notis arithmeticis; denotat ergo noster Joannes literas nominis Antichristi, prout sunt notæ arithmeticæ, facere hunc numerum. 247

QUÆSTIO XXXI.

Quale futurum sit character, seu signum Antichristi.

EXpressè ait noster text. *Ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*. Valde solliciti sunt interpretes in inquirendo significatum hujus rei; & primò circa characterem, quid sit, in quo loco, & quomodo portandum, & cujusnam sit materia, & cujusnam forma, quæ breviter sunt inquirenda. 248

Primò character, nihil aliud est, quàm nota, vel forma alicui impressa, ut sunt illæ, quæ sigillis in cera, vel alia materia redduntur, aut ferro servis fugitivis inuruntur. Secundò, quo autem in loco iste character ab Antichristo suis affectis, imprimetur expressè declarat hic text. sup. vers. 16. *Et faciet habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*. 249 Quid sit character. In quo loco.

Tertiò tale signum aliqui deferent depictum, sive scriptum in aliqua lamina, sive materia tum pretiosa, tum vili, pro statu, ac facultate ferentium, ita ut in promptu sit omnibus, & undique videatur; alii verò deferent tale signum in carne, seu cute suæ frontis, vel manus dexteræ, exaratum, & inustum igne, sive lanceolis, sive cultris; sic olim signabantur milites *punctoris*, ut ait Vegetius lib. 1. cap.8.& *lib.*2.c.5. *In cute punctis scribuntur milites*; hinc Mauritii Imperatoris edictum, ne quis manu signatus ante expletam militiam in Monasterium reciperetur, de quo agit S. Gregor. Epist. 100. ad Mauritium, & Epist. 103.ad Theodosium Medicum. 250 Quomodo portandū.

Quartò est difficultas, qualisnam erit forma, & figura istius characteris. Et primò Ribeira & alii volunt hunc characterem esse effigiem aliquam, sive insigne draconis, quem Antichristus adorari jubebit. Huic tamen imaginationi verè opponitur, nempe quòd tanta futura sit illius pessimi hominis superbia; imò & Diaboli sui, à quo regitur, ut non feret hanc formam; nec enim Dæmon Draco videri, vel nominari, nec Antichristus à Dæmone missus videri volet, præsertim, quod ille solus sataget, ut Deus adorari. 251 Impugnatur.

Secundò D. Hippolytus lib.de consummatione sæculi, Bellarm.lib.2.de Roman.Pontif. c. penult. Suar. tom.2.in 3.p.q. 59. Pererius in Daniel. cap. 12. vers. 1. Pinellius de altera vita, lib.2.cap.7.Characterem Antichristi nihil aliud futurum, nisi hoc: *Nego Jesum*, vel *baptisma*; vel aliud ejusmodi impietatis, & blasphemiæ symbolum. Hoc tamen non futurum ejus characterem, illud apertè mihi ostendit, quia tale signum portari potest à Judæis, ac ethnicis; quid enim difficultatis habebunt negare Jesum, qui illum nunquam agnoverunt? character autem Antichristi debet esse quid peculiare sectæ, ac doctrinæ ejus, & non pro multis commune. 252

Tertiò Primas. & Ansbert. quos sequuntur Cornel. Menoch.dicunt, quòd character Antichristi, erit nomen Christi per comphendium, litera scilicet P. medium X. decussante; quo charactere, ac nota, usi fuerunt antiqui Imperatores; & hanc notam Christi, Constantinus habuit in labro quod castris præferebat, cujus virtute de Maxentio, ac aliis hostibus victoriam reportavit, pro quo communiter citantur Euseb.Cæsar.lib.1.de vita Constantini, c.22.Sozomenus lib.1. 253

lib. 1. Hist. cap. 3. & 4 Prudentius lib. 2. contra Symmachum; & addit Ansbert. hanc futuram esse notam Antichristi, sibi fuisse revelatum. Hæc tamen sententia mihi est difficilis, nec revelatio Ansberti est authentica, & non mihi possum persuadere, quòd Antichristus crudelis hostis Christi Jesu veri filii Dei, ac Virginis Mariæ, sibi assumat ejusdem characterem, quo illum significabant Imperatores Christiani; & ut etiam testatur Baron. tom. 3. & 4. Annalium, in antiquis numismatibus ac tabulis, tali compendio P & X significabatur, quibus sæpè usi sunt christiani: ergo Antichristus aliud signum peculiare, ac distinctum suæ pestiferæ sectæ sibi assumet.

Impugnatur.

254 Quarto Malvenda l. 8. de Antichrist. cap. 19. ex multis auctoribus antiquis probat, quod ut catholici distinguerentur ab hæreticis, ac schismaticis, antiquitus solebant Episcopi, ac maximè Romani Pontifices, dare fidelibus, tanquam in tessera, ac symbolo character, in quo erant scriptæ initiales literæ nominum Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac Petri; & quòd talem characterem sibi assumet Antichristus. Sed hoc gratis dicitur, & ex impugnatione superioris sententiæ, etiam impugnatur; quia character Antichristi, erit quid peculiare suæ sectæ, & non quid commune cum christianis.

255 Quinto S. Victorinus, Venerabilis Beda, Rupert. Aretas, Alcazar, la Haye tenent hunc characterem nihil aliud futurum, nisi ipsum proprium nomen Antichristi. Contra hanc sententiam graviter urget præsens text. vers. 17. *Et ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*; ubi illa tria, *character, nomen numerus nominis*, ponuntur tanquam distincta, ac proinde character quid distinctum est à nomine.

256 Verior sententia. Sextò hac in re adeo obscura, probabilior mihi videtur sententia Viegas, Ferrar. quod character, idem sit, ac imago, seu, ut etiam dicam, ejus insigne, seu nota, ut olim Romani portabant aquilas, Lusitani quinque Christi vulnera, Hispani leones; & hoc est maximè distinctivum, ac familiare omnibus nationibus, & unicuique pro sua conditione, ac diversitate; aut nomen ipsius Antichristi propriis literis scriptum. Tertiò: *Numerum nominis*; ipsum ejus nomen in compendio scriptum, ut solent Reges, & Principes facere.

257 Vivendi modus prohibetur Christianis. Mandabit crudelissimus tyrannus Antichristus, ut nullus possit emere, aut vendere aliquid, nisi portet unum ex illis tribus, characterem, vel nomen ejus, vel numerum nominis ejus, quæ erit dura, & acerba persecutio, quæ inventa fuit à Diocletiano contra christianos, ut nemo possit aliquid vendere, vel emere, nisi prius idolis sacrificaret, ut testantur acta Sanct. Concordii martyris apud Surium tom. 1. & eodem tomo, acta S. Sebastiani, ac sociorum martyrum; & de eadem persecutione Diocletiani canit Venerabilis Beda in vita San. Justini martyris, carmine scripta, tom. 3.

Non illis emendi quidquam,
Aut vendendi copia,
Nec ipsam haurire aquam.
Dabatur licentia,
Antequam thurificarent.
Detestandis Idolis.

QUÆSTIO XXXII.

Qualenam futurum sit nomen Antichristi.

258 AD satis difficilem quæstionem nos inducit præsens text. *Hic sapientia est*; multa nempe necessaria. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ.* Tamen ex his, quæ antea immediatè dixerat; *Ut nemo possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus*; de numero nominis videtur hic loqui.

Notabile in textu.

259 Hebræi & Græci nomina pro literis. Et supponendum, ut valde certum, & notum apud hebræos, ac apud græcos, quorum sermone scripsit Joannes, quod literæ alphabeti assumuntur pro notis arithmeticis numerorum, ita ut A. significet unum B. duo, & sic de cæteris per varias multiplicationes arithmeticas.

Ex quibus jam patet resolutio ad nostram quæstionem, quod nomen Antichristi tale erit, ut contineat literas alphabeticas, quæ reddant hunc numerum arithmeticum 666. Magna est difficultas, quale futurum sit hoc nomen, nam multa sunt nomina, quæ habent hunc numerum. Aretas affert septem; quindecim Viegas, alii alia; & Genebrar. lib. 3. suæ Chronologiæ, & Gregorius Edere, lib. 1. Oeconomiæ Bibl. tabul. 228. docent hunc numerum competere græcè nomini Mahometi, & Guillelmus Lindamus lib. 3. dubit. & alii credunt Martinum Lutherum, id est, *Marthin Luther*, græcè conficere hunc numerum. 260 Multa nomina habent num. 666.

Et augetur difficultas, quia noster Joannes non explicat, utrum Antichristi nomen, futurum sit græcum, an hebraicum? Hebraicum probabilius, quia Antichristus intentabit persuadere Judæis se esse Messiam, & ideo multi existimant probabiliter quod lingua hebraica utetur. 261 Quo idiomate, erit nomen Antichristi?

Ac proinde, qui habet sapientiam, & acumen intellectus, ex numero arithmetico, literarum nominis ejus, 666, & ex pugna ipsius cum Elia, & Enoch, & aliis circumstantiis, quæ hìc describuntur à Joanne ac à Paulo 1. ad Thessal. facilè deprehendet quis sit Antichristus, ut ab illo cavere debeat, & possit. 262

Hic tamen maximè notandum, ut advertit Petrus Bonguy, quòd numerus 666. importat triplicem senarium laboris, quod est nomen Antichristi, at verò num. 887. quod nomen Christi græcè continet, ut cecinit Sybilla Cumana, & habetur lib. 1. Oraculorum, dicit omnem felicitatem, & requiem. 263

Senarius enim, in quo Deus in principio Mundi ipsum est operatus, sex enim diebus fecit omnia, spectat ad laborem; septenarius significat quietem, nam septima die quievit Deus ab opere quod patraverat; octonarius verò consummatam quietem, & beatitudinem indicat. Proinde in nomine Antichristi sunt omnes senarii simplices & compositi; in ipso denuntiatur congeries omnium laborum, ac miseriarum, & malorum, miseria peccati, ac prævaricationis legis Dei, miseria sententiæ damnationis, miseria illius executionis cum incarceratione æterna in Inferno. E contra verò in nomine Christi sunt omnes numeri octonarii, tam simplices, quàm compositi, nam græcè conflati significant nomen Christi, & reddunt numerum 888. qui octonarius dicit omnem perfectionem felicitatis, bonitatis, ac beatitudinis; proindeque in nomine Christi sunt tres octonarii, nam in ipso est summa perfectio virtutis, ac observationis divinę legis, perfectio sententiæ divinæ electionis: *Venite benedicti*; possessioque æternæ beatitudinis, ac perennis felicitatis in æternum. 264 Sex significat laborem; octo felicitatē. In nomine Antichristi omnes senarii, in nomine Christi octonarii.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare Evangelista ponens numerum literarum nominis Antichristi, ipsum tamen nomen subticuit.

ALit sacer text. *Hic sapientia est. Qui habet intellectum computet nomen bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex.* Quamvis ponatur numerus literarum nominis Antichristi 666. tamen ipsum proprium ejus nomen satis nobis est obscurum, & abditum; solùm voluit divina providentia, ut illum deprehendant, qui habent veram sapientiam, & intellectum in Deo, & maximè, qui tunc fuerint, ipsum assequentur, tum ex numero literarum, tum ex aliis ejus factis, ut hìc exprimit noster Joannes, & jam dixi sup. quæst. 265 Valde abscondita Antichristi nomen.

Secundò, & jam moraliter: Si ponitur numerus literarum nominis Antichristi 666. ænigmaticè, cur ipsum nomen expresse non ponitur? Sunt graves auctores, ut jam supra retuli, qui existimarunt Antichristum futurum esse Neronem à mortuis suscitatum. Si verò obicias, Antichristi nomen non esse Neronem, at aliud, & aliud diversum, ut numerus literarum indicat. In rem præsentem, respondet Victori- 266

Chorinus: *Neronem suscitatum, Deus mittet Regem dignum dignis, & Christum qualem meruere judæi; & quoniam aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam instituturus, ut sic eum tanquam Christum excipiant judæi.* Expende illud: *Quoniam aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam instituturus;* nomen Antichristi supprimitur, quia ipse sibi imponet nomen valde magnum, & excelsum, cum tamen ejus opera futura sint turpissima, & nequissima: *Quoniam aliud nomen allaturus est, aliam etiam vitam instituturus.* Cùm ergo opera illius non sint nomini proportionata, ejus nomen nullum importat honorem, vel decorem, de eoque nihil faciendum, nec ulla mentio de eo est habenda.

Nullus honor ex nomine, si opera non correspondeant.

267 Et confirmatur: In illo solo nomen suum habet decorem in quo illi facta correspondent, Joan. 1. nu. 42. videns Jesus Petrum, ait illi: *Tu vocaberis Cephas*; quod interpretatum, petram dicit; & valde mirum, quòd rudi adhuc discipulo nomen apponatur, quod Paulus de Dei filio prædicat dicens 1. Gorinth. 10. n. 4. *Petra autem erat Christus.* Tanti dubii admirationem præclarè tollit D. Ambros. serm. 47. *Petra ergo pro devotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostol. Petra autem erat Christus. Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur, & operis.* Petrus & si tunc inexpolitus erat, tamen sic extollitur, ut proprio nomine Christi filii Dei nobilitetur, quia quantùm fas erat, debebat Petrus assimilari, ac proportionari in operibus suo sanctissimo magistro, inde ejus nomine insignitur; *Rectè consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis.*

Ibi nominis decor, ubi vita illi proportionatus.

268 Tertiò non nomen bestiæ posuit Divinus Spiritus, sed numerum designavit, qui claudendus est ejus nomine; & qui numerum nominis posuit, cur non magis explicuit ipsum nomen? Rationem assignat D. Irenæus lib. 5. circa finem: *Nomen autem ejus tacuit*, ait, *quoniam dignum non est percontari à Spiritu Sancto; si enim percontatum ab eo fuisset, fortassis, & in multum permaneret.* Noluit Deus nomen proferre, quod citò erat expungendum, si enim à Deo proferretur, durabiliorem obtineret permanentiam.

Dona quæ à Deo veniunt firma, ac permanentia sunt.

269 In quæstionem voco, cur filii Jacob non appellentur Jacobitæ, sed Israelitæ, cùm tamen Jacob fuisset primum nomen ejus? Jacob nomen impositum fuit à matre: *Idcirco appellavit eum Jacob*, Genes. 25. n. 25. at Israel fuit ei nomen impositum à Deo, qui dixit ei: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*, Gen. 32. num. 28. & cum nomen esset datum à Deo, consequens erat ut perennitatem haberet, ne deficeret; quod ponderat D. Epiphan. hæres. 78. dicens: *Ex ipsis enim nominibus, & epithetis, etiam virtutis signa elucent; dignitates enim appellationum acceperunt justi, unicuique decenter, & prout congruum fuit. Et Abraham quidem impositum fuit epitheton, amicus Dei, & non dissolvetur, Jacob verò, ut Israel vocetur, & non alterabitur.*

Nomen à Deo datũ perdurabile.

270 Propone tibi ante oculos differentiam causarum, & effectuum, nam ex una parte ait Scriptura Genes. 1. n. 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram;* & statim subdit num. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna;* & immediatè subdit: *Fecit firmamentum*; & ex altera parte dicitur: *Germinet terra herbam virentem*; & insuper addit: *Producant aquæ reptile.* Profundè considera, quod Deus suis manibus, Cœlum, stellas, luminaria magna, ac Firmamentum condidit, at terræ, & aquis concessit ut herbas, reptilia, ac volatilia producerent; cur non magis Deus omnia per se condidit? & cur sicut creavit Cœlum, stellas, ac Solem, & Lunam, non creavit etiam herbas, reptilia, ac volatilia? A divinis manibus illa veniunt, quæ perennem firmitatem, ac stabilitatem habent, ut Cœlum, & stellæ, ab illis verò, quæ corruptioni subjacent, & breviter transeunt, ut herbæ, & reptilia, abstinuerunt divinæ manus, quæ per se solas nesciunt, nisi stabilia, & firmissima bona præstare. Rupert. ibi: *Quecunque, Deus fecisse dicitur, manent, stabilia sunt. Dictum est, quia fecit Deus firmamentum, & vocavit Cœlum, & ipsum manet; dictum est, quòd ille plantavit Paradisum, & ille manet. E contra, quæ moventur in terra, & in mari non manent, idcirco cautum est, ut non dixerit Deus: Fiant reptilia; quorum esse citò præterit, sed dixit Deus: Producant aquæ reptilia.*

Dona à Dei manibus stabilia, ac firma.

Deuteron. 34. num. 5. *Mortuusque est ibi Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor: Et non cognoscit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem. Moyses centum, & viginti annorum erat, quando mortuus est; non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt.* Ecce describitur mors Moysis, & etiam in ipsa morte incorruptus apparet, nihilque in ejus morte notatur, quod corruptionem ostendat: Oculus non caligavit, dentes non sunt moti, sepulchrum absconditum est ab oculis nostris; & undè potuit Moyses, etiam in ipsa morte incorruptus ostendi, nisi inde, quòd mortem accepit de manu Domini? *Mortuus est Moyses servus Domini, in terra Moab, jubente Domino.* Ubi invenitur Deus operans, firma, & stabilia sunt omnia, ut corruptionis nihil appareat, etiam in ipsa morte, & interitu. Eleganter D. Ambros. lib. 1. de Abel. cap. 2. sic ait: *Moyses autem mortuus quidem legitur, sed per Verbum Dei mortuus est, per quod facta sunt omnia; verbo autem Dei, Cœli firmati sunt. Per verbum igitur Dei, non lapsus operis, sed firmamentum est; non ergo tanquam relapsus in terram deprehenditur corporis solutione, sed tanquam verbi cœlestis operatione donatus, & munere, ut quietem magis caro ejus, quàm bustum acceperit.*

271

Dei dona etiam in morte ostendunt firmitatem.

CAPUT XIV.

Postquam noster Joannes retulit cap. 11. 12. & 13. crudelem, & diram persecutionem Antichristi, ac suorum ministrorum, recenset 144. millia fidelium, qui generosè Antichristo resistent, non solùm lingua, sed etiam vita, ita ut tales fideles corpore, & spiritu affecti sint citharæ Dei in perpetua ejus laude. Deinde commemorat tres Angelorum voces, quæ denotant sacrorum prædicatorum voces pro variis temporum differentiis. Tandem auditur vox de Cœlo testificans: Beati mortui, qui in Domino moriuntur; *alius Angelus clamat ut falce demetantur electi,*

Apoc. 14. num. 1. Et vidi, & ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, scriptum in frontibus suis.

VERSIONES.

Syriacus.	Ecce Agnus ille stat super montem Tesium, & cum eo numerus, &c. Nomen Patris ejus scriptum super domicilium oculorum ipsorum.
Arabicus.	Cùm aspexi, & ecce agnus ille stans, &c. Et cum eo multitudo nempe 144. millia, in quibus nomen erat ejus.
D. Cyprian.	Vidi agnum stantem in monte, & habebant.
Pagnin.	Millia habentia.
Oecumen.	Millia habentium.

EXPOSITIO.



T vidi. Illa particula, &, connectit hæc cum superioribus. *Vidi*, ait, visione nempe imaginaria. *Et ecce Agnus.* Aliquid magnum dicturus est Joannes, & ideo adhibet particulam admirationis, *Ecce.* Cùm Agnus dicitur, Christus D. denotatur ob suam eximiam puritatem, & sanctitatem. *Stabat*; cùm tamen sequentia indicent metum: *Sequentur Agnum quocunque ierit*; statio ergo significat constantiam, & firmitatem. Vel dic: Stabat ad auxiliandum, ibat verò ut nos duceret in viam salutis. *Super montem Sion*; Syriacus, *Super montem Tesium.* Syriaco sermone mons Sion ita dicitur, & frequenter Sion pro Ecclesia sumitur. *Super montem Sion.* Non adnotatur, quod esset in

1

Christus stat in nostrum auxilium ambulat, ut nos ducat ad gloriam.

in Monte, sed *super Montem*; hoc est, in supremo apice perfectionis in Ecclesia sua.

2 *Et cum eo centum quadraginta quatuor millia*; virginum nempe, ut exprimitur vers. 4. Ponitur numerus definitus pro indefinito. Et non mirum, quod Christus esset in summo Montis vertice omnis perfectionis, valdè tamen mirum, quòd tot millia virginum ibi etiam adessent; illos nempe, qui talem perfectionem ex Christi dono, ac gratia sunt assequuti ad tantum apicem extollit, ac sublevat virginitas. *Habentes nomen ejus*; nempe Agni. *Et nomen Patris ejus*; scilicet cœlestis. *Scriptum in frontibus suis*. Quo charactere, opponuntur characteri Antichristi, sua nempe modestia, humilitate, ac forti animo contra Antichristum, palam Orbi testatum facient, se servos, imò sponsas esse Christi, id est, se non tantùm fidem, & religionem tueri decreviisse, sed & virginitatem illibatam Deo, & Christo æternam consecrasse, sive in religioso statu, sive extra illum.

QVÆSTIO I.

Quare Christus D. ut Agnus videtur à Joanne Baptista, ac Evangelista.

3 LIcèt Christus D. ab Isai. 16. n. 1. dicatur Agnus: *Emitte Agnum Domine Dominatorem Terræ*; tamen quantum capio, solùm à Joanne Baptista, ac Evangelista suis oculis videtur, agnoscitur, & demonstratur ut Agnus. A Baptista, ut dicitur Joan. 1. n. 19. *Vidit Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei*; & iterum ibid. numer. 36. A nostro Joanne Evangelista, multis in locis in hac Apocalyps. & hìc ait: *Vidi, & ecce Agnus stabat*; particula, *Ecce*, demonstrativa est.

Difficultas quæstionis.

4 Uterque Joannes Baptista, & Evangelista puri, casti, & virgines erant, proindeque libenter Dominum Jesum, ut totius puritatis formam, ac regulam vident, & agnoscunt: Puri, & Virgines maximè proportionati, ut Deum videant, ac intueantur. Prima Joan. 3. n. 2. dicitur: *Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, & omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ipse sanctus est*; hæc ultima verba, in rem nostram, sic leguntur à D. August. Didymo, & aliis: *Omnis, qui habet hanc spem*, scilicet videndi Deum, *castificat se ipsum, sicut ipse castus est*; omnes justi habent spem Deum videndi, quomodo ergo Joannes ad puros, & castos hoc restringere videtur? Perfectissima carnis mundities, ac puritas maximè acuit visum ad Deum videndum, & ideo inter cæteros, hi maximè perspicaces ad divinam visionem inveniuntur, ac proinde ex sua puritate insigniter, ac peculiariter spem concipiunt ad talem intuitionem. Clem. Alex. lib. 3. Strom. cap. 4. ait: *Quomodo fieri potest, ut qui victus fuerit à voluptatibus, Domino assimiletur, aut Dei habeat cognitionem? mens enim, quæ est munda, & ab omni vitio libera, & quodammodo apta ad Dei potestatem suscipiendam, cùm divina in ea assurgat imago, & quicunque habet hanc spem in Domino, se ipsum, inquit, mundum, castumque facit, quatenus ille castus est.* Per puritatem maximè assimilatur homo Deo, & ideo per eam maximè proportionatur ad eum intuendum.

Puritas, ac Virginitas mentis oculum acuit ad intuenda divina.

5 Ait Christus D. Matth. 5. n. 8. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; pauperibus promittitur Regnum Cœlorum, mitibus terrena possessio, lugentibus consolatio, esurientibus saturitas, misericordibus misericordia, ac puris mundo corde ipsa Dei visio. Valdè proportionatè, ac convenienter Dominus unicuique beatitudini assignat suum præmium, pro earum diversitate, tamen castis, ac puris ipsa Dei visio destinatur, nam ipsa mundities, & puritas maximè acuit, & excitat visum ad Deum videndum ad divina penetranda, & ideo, etsi aliis beatitudinibus sint alia præmia, puro, & casto, Dei visio convenienter debetur. D. Hilar. *Nihil pollutum, & sordidum ad occursum divinæ claritatis insistit; hi visui, & occursui Dei sunt patentes, quibus per animi nitorem, ac vitæ puritatem potestas ejus sit conjungendi.*

Puritas maximè facit nos Deum videre.

Et sanè, quàm pateat divinitas oculis castis, ex illo perspicitur, quod excepturi hebræi Deum legislatorem apud Sinai, ita monentur Exod. 19. n. 15. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris*; cur non potiùs admonentur, ut fugiant ab omni peccati inquinamento, sed tantùm à congressu cum uxoribus, cum sit licitus, & ex lege concessus? Ex his perpende quantum immunditia carnis obstaculum interponat ad divina percipienda, cùm etiam ea, quæ licita existunt, & à lege sunt data, prohibeantur, ut ad Deum valeant accedere, ipsumque videre. Ex quibus rectè argumentatur D. Sixtus Pontifex Epist. ad Castos dicens: *Si tantum illis tunc exigui temporis continentia profuit, ut divinæ claritatis visione gauderent, vide quanta remuneratione sunt digni, qui perpetuam voluerint integritatem servare. Erunt non modò Dei brevi tempore inspectores, verùm etiam cœterni habitatores.* Lyncei sunt oculi, ut Deum perspicere valeant. 6

Immunditia obstaculum ponit ad divina videnda.

Castitatis votum, valdè elevat.

QUÆSTIO II.

Quare Christus D. sub specie Agni hìc visitur, ac apparet.

7 CHristus D. frequenter in sacra Scriptura dicitur Agnus; cujus rei multas dedi rationes tom. 1. in Evang. lib. 3. c. 5. q. 2 n. 5. & seqq. ac in hac Apocal. ad c. 5. q. 15. n. 128. 129. Quæstio præsens inquirit, cur hìc specialiter dicitur Agnus.

8 Respondeo, quòd Christus D. hìc apparet associatus virginibus, qui sequuntur Agnum, ut dicitur vers. 4. & hi ob suam puritatem Agni vocantur, Isai. 5. n. 17. & cap. 11. n. 6. & cap. 40. n. 11. & Ezech. 46. n. 11. & aliis in locis, ut videre est apud Hieron. Lauretum in Sylva allegoriar. verb. *Agnus*. Christus D. etiam hac visione ut agnus significatur, ac depingitur associari multis affectis suis similibus. Christus agnus, purus, innocens, & virgo, maximè amat agnos, puros, innocentes, ac virgines, undè ait D. August. serm. 1. de Innocentibus: *Agni debent immolari, quia agnus futurus est crucifigi, qui tollit peccata Mundi.*

Christus gaudet associari puris.

9 Ait Isai. 16. n. 1. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ*; & cur tantopere Isaias clamans desiderat Christum D. sub specie Agni? justi vocantur oves; Jo. 10. n. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*; & etiam peccatores conversi oves vocantur, juxta parabolam de ove perdita, nam bonus Pastor *dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat*, Luc. 15. nu. 4. Unusquisque maximè affectu ad sibi simile afficitur, & cùm agnus sit ejusdem speciei cum ovibus, ideo Christus agnus dicitur, ut hac metaphora innuatur, quàm vehementi amoris vinculo sibi nos connectit, ac coarctat. Philippus Abb. lib. de contin. Cler. cap. 17. *Quoniam*, ait, *omne animal facilius ad sibi simile convertitur, qui Deus erat agnus efficitur, ut ovem perditam balatu consono revocaret, ne per greges hædorum vagabunda, diutiùs aberraret*; sicque similis efficitur aberrantibus, ut eos faciliùs reducat in viam salutis.

Christus nobis similis efficitur, ut nos reducat.

10 Agnus Christus D. dicitur, non ovicula; agnus Paschalis sacrificandus erat in typum mortis Christi, & de eo dicitur Exod. 12. n. 5. *Erit autem Agnus absque macula masculus anniculus*, &c. etsi vox hebræa utrunque sexum denotat, ne ad libitum relinqueretur, ut notant Abulens. Cornel. la Haye sumere oviculam, vel agnum, masculum vertit Interpres, nam licèt in aliquibus aliis hostiis pacificis, & pro peccatis offerri etiam consueverit ex fœmineo sexu, hìc tamen ex masculino determinatè esse præcipitur, ut masculina fortitudo, ac generositas Christi D. denotetur, qua pro nobis mortem passus est, ut pugnans contra peccatum, nos ab illo liberaret, ac custodiret. D. Greg. Nazianz. orat. 4. *Ut qui*, ait, *pro Adamo potissimùm offeratur, primum in peccatum lapsum firmitate, ac robore superet.* D. Cæsarius Arelatens. homil. 6. *Masculus, id est*, ait, *contra omne peccatum robustus, & fortis.*

Christus fortis in passione pugnans contra omne peccatum.

11 Apparet hìc Christus D. ut agnus absque macula summam puritatem, perfectionem, ac virginitatem indicans, se similem ostendens puris, castis, ac virginibus, quæ tia agni dicuntur, à quibus stipari, ac concomitari maximè gaudet, & jucundatur; nam, sicut ait D. Chrysostom. homil. 6. in Matth. *Sicut*

Christus delectatur cum puris.

in conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulchra, ſic in oculis Dei ſpecioſa eſt conſcientia. D. Laurentius Iuſtinian. de diſciplina monaſtica, cap. 7. *Delectatur Dominus IESUS in ſinceritate vitæ, in puritate cordium, in perfectione ſervorum ſuorum.*

12 Tres illi ſancti pueri apud Babylonios traduntur flammanti fornaci, ad cujus oſtium cùm accederet Nabuchodonoſor exclamavit: *Ecce video quatuor viros ſolutos ambulantes in medio ignis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, Daniel. 3. num. 92. Maximè inquirendum quo illice hi pueri ad ſe traxerunt filij Dei ſimilem? Quia pro ipſo Deo, erant in medio ignis. Etiam illi ſeptem fratres Machabæi igne, ac ſartagine urebantur, 2. Machab. 7. n. 5. & alii, ut Daniel in medio leonum detinebantur, & tamen inter eos non apparet ſimilis Filio Dei, undè hoc conceſſum eſt tribusillis pueris in camino ardenti? Erant illi adoleſcentes caſti, & puri, inde inter eos ſimilis filio Dei viſitur, & agnoſcitur; maximè ille eorum caſtitate delectatus ſe ſe illis jungit, nec facilè eſt Deum disjungi, & ſeparari à virgineo concomitatu. Appon. Commentario in Cantic. ad illa verba: *Paſcitur inter lilia*, ſic ait: *Tres pueri hebræi caſtitatis dilectione miſſi ſunt inter Babylonicas flammas: in eis medius, ardente fornace, quaſi inter lilia Dominus paſcitur, eò quòd ſemper requieſcat in cordibus diligentibus caſtitatem.*

Inter caſtos Deus adeſt.

13 Mittitur Ioſeph in carcerem, & ibi Deum habet comitem, ut dicitur Sapient. 10. n. 13. *Deſcendit cum illo in foveam*. Multi, & alij viri illuſtriſſimi incarcerati ſunt, ut Michæas, & alii, tamen inſigniter, ac ſingulariter, de Ioſeph decantatur, quòd Deus erat cum illo. Eminebat in Ioſeph ſingularis pudicitia, & caſtitas, & inde veluti quodam illice ad ſe Deum trahebat; potuit caſtiſſimus Ioſeph à patria, parentibus, ac amicis ſeparari, & in carcerem mitti, ſed à Deo, ob inſignem pudicitiam ſeparari non valuit; ubi ille erat, ibi & Deus aderat, undè ait D. Cyprian. *Pudicus juvenis, quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum carceris traditur; ſed ſola non eſt in carcere pudicitia, nam & cum Ioſeph Deus eſt.*

Vir caſtitas adeſt, ibi Deus eſt.

14 In primo rerum molimine Divinus Spiritus ſuper undas incedebat, ut dicitur Geneſ. 1. n. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*; cur tamen inter cæteras creaturas hoc tanto decore nobilitatur mare? Piſces, ut habes ex Philoſopho lib. 2. de hiſtoria animal. cap. 3. *neſciunt alienigenâ, aut adulterina contagia*; cùm ergo in aquis multi piſces ſine interventu maris, & fœminæ naſcantur, ibique eſſent viventes, tanquam in clauſtro ſub umbra caſtitatis, inde ſic attraxerunt Deum ad ſe, ut ejus præſentia quàm citiſſimè nobilitarentur. D. Cyril. contra Iulian. *Aqua munda*, ait, *Divino Spiritu fœcundatur*; cùm aqua eſſet munda, & pura à laſciviæ contagio, dignata eſt à Spiritu Divino locupletari.

Clauſtro virginum delectatur Deus.

QUÆSTIO III.

Quare divinus agnus appareat potiùs ſuper montem Sion, quàm ſuper quemlibet alium Montem.

15 SUpra, cap. 12. num. 18. dicitur quod draco, ſeu Diabolus, *ſtetit ſuper arenam maris*; at divinus agnus Chriſtus D. nunc apparet, ac oſtenditur ſuper montem Sion; quod egregiè hic advertit Beda: *Nota*, ait, *beſtiam in arena maris, agnum in monte Sion conſiſtere.* Magnum diſcrimen interjacet inter montem, & arenam; mons locus eſt firmiſſimus, & immobilis; arena verò valde inconſtans, & fluxibilis, & levi aura de loco ad locum transfertur: Chriſtus ergo eſt in monte, draco in arena, dona enim Eccleſiæ, ac Juſtorum in Chriſto fundata firma, & immobilia, quæ verò ſunt Mundi, & in Diabolo nituntur, ut debilia, facilè corruunt, & labuntur.

Quæ ſunt Chriſti firma, quæ diaboli debilia.

16 Quæſtio tota eſt, cur hic agnus ſtabat ſuper montem Sion, & cum eo tot millia virginum? Alcazar hìc per montem Sion intelligit primitivam Eccleſiam, multa ex parte conſtantem Judæis, ad inſtar exercitus Domini, ad Imperium Romanum ethnicum debellandum: Sed contra hoc Imperium ethnicum, non ſolùm pugnarunt virgines, ſed etiam martyres, confeſſores, ac doctores.

Ribeira, Cornelius, Magiſter la Haye notant, quòd Sion, mons eſt, in quo ædificatum fuit Templum Salomonis, & hebraicè Specula interpretatur, & ideo ait Cornelius, quòd mons Sion, anagogicè ſignificat Eccleſiam triumphantem in Cœlo, in qua revelata facie, gloria Domini ſpeculatur; quod confirmat ex illo Pſalm. 83. num. 8. *Videbitur Deus deorum in Sion*; & inde probat, quòd hic mons ad literam ſignificat Eccleſiam triumphantem, ex voce virginum canentium, de qua ait num. 2. *Audiui vocem de Cœlo*; ſi audivit vocem de Cœlo, ergo in Cœlo cantabant virgines, nam canebant ubi erant cum agno ſuper montem Sion: ergo mons hic eſt Cœlum. At hoc argumentum parum urget; nam Eccleſia militans paſſim regnum vocatur: *Simile eſt regnum Cœlorum decem virginibus.* 17

Viegas, Ferrarius, (quæ ſententia, mihi ſimpliciter, eſt vera) dicunt, quod mons Sion hìc ſignificat Eccleſiam militantem, nam in ea introducuntur tot millia, quæ ibi cum agno apparent in monte, habentes nomen agni, ac Patris ſcriptum in frontibus ſuis, contra aſſeclas Antichriſti, contra quem pugnabunt, ut ſtatim dicemus. Et bene ſuper montem ſtant, nam illi, qui contra Principem tenebrarum decertant, in alto virtutum cacumine ſtant. Haymon: *In magna enim, ait, mentis celſitudine ſtare debet, qui contra ſæculi Principem certamen inierit.* 18

In magna virtute ſtat, qui contra diabolum pugnat.

Cur ergo divinus agnus cum tot millibus virginibus apparet in monte Sion, qui mons viſionis dicitur? O quantum diſtat iſte mons ab illo monte Babylonico, de quo loquens Iſaias cap. 13. n. 2. ait: *Super montem caliginoſum levate ſignum!* Chriſtus, ac Diabolus ſuos conſtituunt in monte; Chriſtus in monte viſionis lucis, ac claritatis æterni ſplendoris, Diabolus verò ſuos ducit ad montem caliginoſum tenebrarum, horroris, ac confuſionis æternæ, quam denotat mons caliginoſus, ut ibi explicat D. Hieronym. Noſtræ cogitationi favet Philipp. Abbas in Cantic. ad illa verba: *Indica mihi; & ſic ait: Agnus in monte paſcit; non illo, quem caliginoſum nominat Iſaias, ſed in monte Sion, qui viſionis meritò commendatur, qui ex re nomen habens, abjectis propoſitis, remotè longiùs ſpeculatur* 19

In Chriſto lux, in diabolo tenebræ.

Secundò cur potiùs Dominus in monte Sion ad ſe advocat tot millia virginum, quàm in alio monte? Reſpondet Philippus Abbas citandus, quòd mons iſte erat fœcundiſſimus, ac optimis paſcuis abundans; & undè tanta fertilitas hujus montis colligitur? Videamus quid de hoc monte dicat Scriptura: De eo ait regius Vates Pſalm. 77. num. 68. *Elegit tribum Iuda, montem Sion, quem dilexit*; & Pſalm. 86. num. 2. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*; cùm ergo mons iſte eſſet ſingulariter à Deo dilectus, planum eſt, quòd eſſet ditiſſima ſupellectili impinguatus, nam, quos Deus diligit, mirificè ſuis donis adimplet. Inde in hoc monte apparet divinus agnus cum magna multitudine ſuorum electorum, ut eos optimis paſcuis nutriat, ac reficiat. Philippus Abbas in Cantic. cap. 24. ad illa verba: *Indica mihi, ubi paſcas*; ſic ait: *Quid mirum ſi mons iſte, quem affectu benevolo Dominus amplexatur, eidem amplexanti gratum offerre pabulum aſſeratur? Ut in eo, quem diligit dilector, paſcere non negetur, cui prorſus refectio, niſi ubi eſt ejus dilectio: Ideo fortè addit Ioannes, vidi ſuper montem Sion agnum ſtantem; ad quid niſi ad paſcendum?* 19

Quos Deus diligit, optimis ac donis reficit.

Tertiò divinus agnus Chriſtus cum tanta multitudine electorum, non ſolùm ſtat in monte Sion, ſed ſupra montem. Et non mirum quod Chriſtus eſſet in montis apice, ipſe enim aſcendit ſuper omnes Cœlos: illud verò valde mirum, quòd cùm eo ſint tot millia electorum. Sed non multùm mirandum, cùm virgines ſint, qui aſtant, virginibus autem ſublimis, & excelſus debetur locus, cùm ſit rara, & admirabilis virtus in terris. Div. Gregor. Magn. lib. 5. ſuæ expoſitionis in Lib. Reg. cap. 3. *Bene*, ait, *in ſublimi virgines eſſe dicuntur, quia quod naturam humanam ſuperagreditur, in altiſſimo virtutis culmine eſt; undè & virgo ille dile-* 20

Virginibus ſublimis, & altus debetur locus.

dilectus IESU, locum virginum insinuans, ait: Vidi super montem Sion agnum stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, virgines enim sunt. In monte quidem cum Agno esse dicuntur; quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis, & carnalibus delectationibus se dividunt, in suprema Redemptoris gloria sublimantur.

21 Quartò: Altè & profundè divinus agnus cum tot millibus virginum, ut exprimitur vers. 4. *Virgines enim sunt, & sequuntur agnum quòcunque ierit*; stat in sublimi, & alto monte Sion, fortissima turri munito. *Cœpit David, arcem Sion*, 2. Regum capite 5. n. 7. bene ergo Sionæam arcem virgines tenent sitam in sublimi collis fastigio, quo enim in loco nisi munito tuta esse poterat virginitas à Diaboli viribus, & artibus? Nec ab agno abscedendum putant virgines; ipsum ut ducem in turri colunt, ut ducem in via sequuntur, qui manum opponat, & supponat, cùm hostis premat Diabolus: si ergo tanta munitio cum tanto duce necessaria est virgini, maximè ei oportet esse cautam in cunctis gressibus suis. Laudat Furiam D. Hieronym Epist. 10. *Grandis virtutis est, & solitæ diligentiæ tecum pugnare quotidie, & inclusum hostem Argi centum oculis observare.*

Virgo teneat arcè, ut hostem valeat debellare.

22 Adorat virgo pia, & sancta in cubili suo in perenni vigilia: *Ego dormio, & cor meum vigilat*, Cantic. 5. n. 2. & simul ostium suum clausum habebat, ut bene deducitur ex sequentibus verbis: *Vox dilecti mei pulsantis*; sed etiam repagulis munitum, ut declarant adjuncta verba n. 6. *Pessulum ostii mei aperui dilecto*; quò tantus domunculæ clausæ apparatus est? vigilia, ostium clausum, & pessulo obseratum. Quia ut virgo sit custodita à mundano incursu necesse est perpetua vigilia, ostium clausum adjectis vectibus, ac repagulis. Pulchrè Gilibertus Abbas serm. 44. *Utrumque necessarium est contra inimici insidias*. Tot & tantis stat virgo, quia fortassè timebat, ne Diabolus Christi habitum indueret, & quam luce palam non potuerat, nocte furtim opprimeret. Etsi virgo surrexit, ut aperiret, hoc est postquam *dilectus meus misit manum suam per foramen* ibidem n. 4. postquam nempe ipse per foramina sensuum misit suam divinam manum internæ inspirationis, ut bene notat Theodoritus, qua bene certa sponsa de Christi præsentia ei, & non alteri aperuit cor suum.

Virgo maximè sit clausa, & custodita.

23 Purissima virgo magno vestium apparatu introducitur, Psal. 44. virgo est ad quam David ait n. 11. *Audi filia*; Regina est, ad quam idem Vates sic loquitur: *Astitit Regina à dextris tuis*; magno verò ornatu n. 15. *Circumamicta varietatibus*; sive *scatulatis*, ut habet vox hebræa. *In fimbriis aureis*. D. Hieron. Vatabl. legunt, *In ocellatis*. Miror ergo adstare virginem ad Dei latus, qui summam in omni re opem ferre potest, & adhuc oculis, scutulisque adornatam esse; nonne magnum magno in Deo præsidium est? Certa, & evidens res est; tamen tanta est Diabolo vafrities, in tantoque periculo virgo versatur, quod omnibus modis omnem diligentiam, & cautelam in sui custodiam adhibeat, ut scutulis sit munita, & oculis circumspecta, ut nullus sui aditus adversario pateat; & inde ad hostem arcendum adhortatur: *Audi filia*. Adest patronus D. Paschas. *Statuitur in dextera*, ait, *& adhuc monetur à Patre, quia adhuc bellandi tempus est.*

Virgo multo numinine vigilet.

QUÆSTIO IV.

Quare cum agno stant centum quadraginta quatuor millia.

24 IN hac quæst. ut clarè procedamus, multa præmittenda sunt; & primo Ribeira, Corn. & alii, volunt numerum hìc positum esse certum, & finitum. Contraria sententia mihi est probabilior, quam tuentur Viegas, Gagnæus, la Haye, & alii; nam capite 7. num. 4. ponitur ex filiis Israel centum quadraginta quatuor millia signati, sicut ex qualibet tribu duodecim millia signati, & tamen illi numeri habentur definiti pro indefinito, ut satis efficaciter probavi supra, ipso cap. 7. quæst. 10. n. 87. & 88. ergo similiter hic ponitur numerus definitus, pro indefinito, nec major ratio est.

Secundò hìc est sermo de illis, in quibus virginitas est vera virtus, qui de suo corpore Deo faciunt suavissimas citharas, àc proinde hìc non agitur de pueris, quia in eis virgnitas non est virtus, sed conditio naturæ; & etiam hìc non agitur de infantibus occisis ab Herode à bimatu, & infra, nam ad summum dicuntur fuisse tredecim, aut quatuordecim millia, & tunc non esset prophetia, sed historia, & narratio præteritorum; Ecclesia autem per accommodationem hæc cantat in epistola de Innocentibus. 25

Hic non est sermo de infantibus.

Tertiò hìc sub prædicto numero intelliguntur etiam mulieres, nam frequenter sub masculino sexu, intelligitur etiam fœmineus. Nec obstat, quod dicatur: *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; Quia ibi sermo est de principali significato, nempe masculino sexu. 26

Hic intelliguntur mulieres.

Quartò tantus numerus ponitur centum quadraginta quatuor millia, ad magnam lætitiam Ecclesiæ, quantò enim major est virginum numerus, tantò majus Ecclesiæ gaudium, ut ait Cyprianus lib. de habitu Virgin. *Quantum numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit*. Et hic numerus est centum quadraginta quatuor millia, qui numerus quadratus, est & perfectionem ex omni parte denotat, ut jam dixi supra c. 7. q. 10. n. 91. & 92. 27

Ecclesia gaudet de magno numero Virginum.

Quintò Divus Hieronymus libro 1. contra Iovin. & Alcazar intelligunt hos centum quadraginta quatuor millia esse eosdem cum illis signatis cap. 7. numer. 4. At opposita sententia, quam tenent Aretas, Viegas, Ferrarius, Menochius est vera, nam si ex identitate numeri colligitur identitas rei, duodecim lapides erunt duodecim panes. Deinde illi cap. 7. dicuntur signati in fronte aliquo certo signo, hi verò dicuntur habere nomen agni, & Patris scriptum in fontibus suis: signum quid distinctum est à nomine; illic autem sermo est de signo, non verò de nomine. Deinde illi numerati capite 7. sunt ex omni conditione, virgines nempe, conjugati, ac vidui, hìc verò tantùm virgines. Nec solvit Alcazar dicens, quòd hìc est sermo de virginitate metaphorica, videlicet de munditia à sordibus animi, ac peccatis. At hæc interpretatio est contra communem sensum Sanctorum Patrum, qui de vera virginitate locum exponunt; & quod de illa loquatur non poterat nostet Ioannes clarioribus verbis uti, quàm dicens: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt*. Loquitur ergo de illis, qui cum mulieribus non sunt congressi, proindeque excluduntur uxorati, & vidui, quacunque animi munditia fulgeant. Tandem nisi retineatur iste sensus deperditur elegantia, ac pulchritudo hujus prophetiæ, quæ est prædictio de re valde mirabili in Ecclesia. 28

Hic agitur de vera virginitate.

Quæstio tota, ac principalis est: cur tam, exactè ponitur numerus virginum cum agno? In regia Assueri, rejecta Vasthi, ut eligeretur Regina, semel & iterum congregantur virgines, Esther 2. num. 8. & numer. 19. *Cùmque secundò quærerentur virgines, & congregarentur*; & tamen nullibi collectarum virginum numerus exprimitur, ut in præsenti illarum virginum quæ sunt cum agno; in utroque casu virgines sunt, harum exactissimum numerum exprimit noster Ioannes, illarum verò nullum; & cur sic adeo minutim proponitur numerus virginum in monte Sion, sic contemnitur numerus virginum existentium in regia Assueri? Idemmet Divinus Spiritus Scripturarum auctor utrasque refert, ipse tamen videns in Sion virgines junctas agno exactissimè numeravit, ut autem virgines Assueri inspexit inhiare carnalibus delectationibus ex vitiorum conjunctione, earum numerum neglexit, utpote quæ numero indignæ existerent, non enim numeri computatione digni habentur, qui mundialium societate gaudent, qui carnalibus adhærent, & non Deo. 29

Illæ animæ sunt in numero apud Deum, quæ Agno adhærent, non verò Mundo.

Dicitur Psalmo 103. num. 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus; illic reptilia, quorum non est numerus. Animalia parva cum magnis; ibi naves pertransibunt: Draco iste, quem formasti, &c.* & cur hæc reptilia minimè censentur esse in numero apud Deum, qui numerat multitudinem stellarum? Hujusmodi reptilia 30

lia non sunt cum agno, sed cum dracone, ejusque societate gaudent: *Tu contribulasti capita draconum in aquis*, Psalmo 73. numero 13. Quid mirum si in nullo numero reputentur? Divus Hieronymus in caput primum Nahum: *Vide*, ait, *regnantem in aquis humilitate, draconem, & malitia exsiccantem gurgites, in quibus parva natant reptilia, quorum non est numerus; neque enim digna sunt numero, quæ cum dracone versantur.* Vis haberi in numero apud Deum? non te implicueris draconis unguibus; dum enim illi es impeditus, ut in his sæcularibus voluptatibus, ac draconis vestigiis adhæres, & divino Agno non adjungeris, in nullo poteris esse numero.

Anima adjunctæ draconi in nullo reputantur numero.

31 Cantic. 6. numero 7. dicitur: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus*; cur tam axactè Reginæ, & concubinæ numerantur, adolescentulæ, seu puerulæ in nullo proponuntur numero? Etsi Reginæ, & concubinæ in numero inveniuntur apud Deum, cur puerulæ à tali numero excluduntur? Reginæ, & concubinæ sic computantur, utpote divinissimo Salomoni, seu agno conjunctæ, quæ illius purissimis amplexibus fruebantur, de illiusque spiritu mirabiliter fœcundæ, ex quo inde maximè reputabantur in numero; at verò adolescentulæ, seu puerulæ erant, quæ nondum in agni societatem venerant, sed adhuc his parvis rebus inhærentes, longè erant ab agni thalamo, ac nuptiis, cum autem non copulantur agno, nec ab ejus spiritu fœcunditatem participant, non valent haberi Deo in numero. Guillelmus Abbas: *Adolescentularum non est numerus, quia non numerantur; & quomodo pro nullis habentur, dum adolescentulæ sunt?:: Proinde sua emundatione non sint contentæ, sed fœcundentur ut numerentur, fœcundentur de spiritu ejus, qui numerat multitudinem stellarum, & omnes ex nomine vocat, ut & ipsæ sint de numero stellarum, atque inter sydera censeantur.* Illæ animæ in numero sunt apud Deum, quæ ejus societate delectantur, & de verbo fœcundæ concipiunt, & parturiunt spiritum salutis.

Animæ quæ Agno adjunguntur, habentur in numero.

QUÆSTIO V.

Quare stantes in monte Sion habent nomen agni, & Patris scriptum in frontibus suis.

32 SOlenniſſima antiqua conſuetudo extitit, præſtantes virtute viros divinis nominibus cohoneſtare. Daniel. capite 5. numero 12. impoſuit Rex Babylonicus Balthaſſar nomen Dei ſui, capite 4. numero 5. & ad citatum cap. 5. notavit Theodoretus: *Ubi enim vidit ipsum divina virtute illuminatum, Dei sui nomine appellandum censuit.* Inde optimè virginum frontibus, ut divina virtute illuminatorum, qui ſequuntur agnum quòcunque ierit, nomen Dei ſcribitur, pro eorum eximia præſtantia, ac nobilitate.

Magni viri divinis nominibus condecorabantur.

33 Compone modò ea, quæ hìc dicuntur, cum illis, quæ habentur capite 7. numero 3. ubi Angelus clamat: *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quo ad usque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel.* Tot millia ex Iſrael ſignantur, ut valeant nocivis reſiſtere poteſtatibus, at in præſenti centum quadraginta quatuor millia virginum, qui ſtabant cum Agno in monte Sion, habebant *ſcriptum in frontibus ſuis nomen ejus, & nomen Patris ejus.* Ecce modò cum agno apparent tot millia adeo ſecura, ut nullus appareat, qui ea velit ſignare, ut ab aliquo malo liberentur; cur illis primis datur ſignum, quo malum incurſum arceant, iis autem ſecundis nullum tale ſignum datur ad malum imminens evitandum? fortè quia hìc ſecundi, non verò primi erant ſub agni, ſeu Dei præſentia, quæ magnum dat tutamen, ſeu munimen. Deinde, primi erant ex populo Iſrael, in quo valde rarò vigebat integritas virginalis, & inde egebant ſigno, quo malos Angelos fugarent, ſecundi verò erant è novo teſtamento ad ſequelam agni pertinentes, quibus familiaris erat integritas virginalis, ut dicitur verſu quarto: *Virgines enim ſunt*; etſi conjugatis datur ſignum, ut malos Angelos expellant, virginibus verò ſufficit ſua integritas, ut durum bellum inferant Diabolo, ab eoque glorioſam victoriam reportent, indeque eis ſolùm datur ſcriptum agni, & Patris nomen ad eorum magnum gloriam, honorem, ac venerationem. Andreas Cæſarienſis in præſenti ſic ait: *Certè millia hæc novi teſtamenti, virgines, ſecundum utrumque hominem ſignificant, nam apud veteres virginitatis decus parum admodum receptum erat. Quare hæc millia alia eſſe à prioribus illis, quæ à duodecim tribus Iſrael nominatim cenſebantur, putandum eſt. Horum autem omnium frontes divini vultus lumine ſignatæ conſpiciuntur, per quod Angelis exterminatoribus venerandi, ac formidabiles apparent.* Conjugatis ex Iſraele datur, & opponitur ſignum ad tutelam, & munimen, virginibus autem ex novo teſtamento, ipſa virginitas eſt tutela, & munimen, & ſic condecorantur, ut nomine Agni, & Patris nobilitentur: *Per quod Angelis exterminatoribus, venerandi, ac formidabiles, apparent.*

Virginitas custodit à malo, & ad magnum honorem exaltat.

Propiùs ad quæſtionem accedentes, aliqui, ut Menochius, contendunt nomen agni, & Patris ſcriptum eſſe in frontibus exteriùs ad juſtorum gloriam, & decus, ut ita oppoſitum ſit characteri Antichriſti, quem portabant in frontibus ejus aſſeclæ, ut vidimus capite præcedenti. At revera hoc non eſt neceſſarium, nam noſter Ioannes vidit ſymbolicè hoc nomen inſcribi eis ad ſignificandam liberam eorum confeſſionem, & profeſſionem in fide Chriſti. 34

Ribeira ergo ait: In fronte nomen habent ſcriptum, quia non erubeſcunt teſtimonium Domini Jeſu Chriſti, neque Patris ejus, frons enim ſedes eſt verecundiæ; imò dicam ex Divo Bernardo: Habent hæc nomina ſcripta in frontibus, quia maximè gloriantur de illorum notitia, ac quod ut ſervi Agni, & Patris habeantur; ſic Divus Bernardus ſermone octavo in Cantica: *Qui ſequuntur agnum, debent habere nomen ejus, & nomen Patris ejus, ſcriptum in frontibus ſuis, quod eſt de utriuſque notitia, ſcilicet Patris, & filii gloriari.* 35

Gloriantur de notitia Patris, ac Filii.

Cornelius ait, quòd hæc ſcriptura, ſive character agni opponitur characteri Antichriſti, & ſpectat ad manifeſtationem, & profeſſionem divinæ ſervitutis, qua ſe ſervos agni, & Patris dicunt, & profitentur. Richardus verò de Sancto Victore, vult illos habere in fronte nomen agni, id eſt, fidem agni, qua dicuntur Chriſtiani; & nomen Patris ejus, id eſt, fidem Patris ejus, qua Dei filii nuncupantur, quam fidem habebant ſcriptam in frontibus per manifeſtam, & publicam confeſſionem. 36

Gloriantur quod ſervi Dei habeantur.

Quod ego ſic intelligo: Habebant nomen agni, ac Patris ſcriptum in frontibus ſuis per publicam manifeſtationem, ac profeſſionem divinæ ſervitutis, non ſolùm verbo oris, ſed etiam ſuo inceſſu, vivendi modo, ac agendi, ſua nempe modeſtia, manſuetudine, ac pudicitia, & charitate. Oſtendebant nomen agni modeſtia, ac pudicitia, & manſuetudine, quæ maximè præſeferunt nomen Agni; nomen Patris oſtendebant ſua charitate erga omnes, tanquam filii illius divini Patris, qui eſt in cœlis, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos*, Matth. cap. 5. num. 45. 37

Pudicitia, ne charitate oſtendunt nomen Agni, & Patris.

Quartò, & moraliter: Habent nomen agni, & Patris ſcriptum in frontibus ſuis. Agnus ille Deus, Pater Deus eſt, & tamen utriuſque nomine nobilitantur; non mirum, cum virginitate illæſa ſequantur Agnum; inde jure optimo ob ſuam puritatem ſic extolluntur ſuper humanam conditionem, ut divinam nomenclaturam videantur promereri. Albertus Magnus ſic ait: *Habent nomen Patris à quo dicuntur dii, & filii Dei; Pſalm. 81. Ego dixi: Dii eſtis*; ac ſic à virginitate ita ſublimantur, ut quodammodo dii, ac filii Dei vocentur. 38

Virgines ſic ſublimantur ut quodammodo dii dicantur.

Cùm filii Iſraelis tenerentur ſub captivitate Babylonica, ex mandato Nabuchodonoſoris, convocati ſunt quidam pueri hebræi ex ſemine regio ad regalem aulam, inter quos etiam adductus eſt Daniel, utpote natus ex ſtirpe Ezechiæ Regis; ut notat Pererius, & tamen, ut notat textus Danielis cap. 1. num. 7. *Impoſuit eis Præpoſitus Eunuchorum nomina Danieli Balthaſſar.* Danieli datur nomen Balthaſ- 39

thassaris, quod erat nomen Dei Babyloniæ, juxta caput 4. Danielis, num. 5. *Balthassar secundum nomen Dei mei*; quonam fundamento magister iste, cùm esset vir doctus, & peritus, aliis pueris nomina hominum imposuit, erga Danielem tamen diversimodè se habet, nomen divinum, ac Dei, ei concedit? Daniel, ut tradunt Divus Epiphanius, ac Dorotheus in vitis Prophetarum, & communiter Commentatores in prologo Danielis, virginitatem usque ad mortem perpetuò coluit; imò, ut vult M. Lesana, tomo primo Annalium anno ter millesimo quadringentesimo vigesimo octavo, numero tertio, votum castitatis, secundùm aliquos habuit, inde meritò insignitur nomine Balthassaris: *Secundùm nomen Dei mei*; nam adolescens in flore ætatis cum virginitate illibata, non tanquam homo, sed quodammodo tanquam Deus, ac quid divinum reputatur, eique non nomen hominis, sed Dei, ac divinitatis attribuitur: *Balthassar secundùm nomen Dei mei*.

Virgines tanquam quid divinum habentur.

40 Quintò, ut hìc habet Viegas sectione tertia, virgines notantur nomine agni, ac Patris, tanquam Filii Dei, ac summi Principis, ob spiritum castitatis, quo maximè sublimantur. Ait regius Vates Psalmo 50. numero 14. *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me*; Divus Hieronymus transtulit: *Spiritu potenti*; alii legunt: *Spiritu principum*. Etsi à multis Patribus per spiritum principalem intelligatur Spiritus Sanctus, tamen Titelmanus per spiritum principalem, interpretatur castitatem, ac si postulet illam, quam per adulterium amisit. Et rectè castitas dicitur spiritus Principum, quia multùm spectat ad Principes, & spiritus principalis nuncupatur, utpote quia inter cæteras virtutes multum principalis est.

Castitas virtus Principū & maximè principalis

41 Ait Scriptura 3. Regum capite 10. numero 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*; tantaque fuit illius pretiositas, ac fabrica, ut statim dicatur: *Non est factum tale opus in universis regnis*; & quando peragendum erat opus perfectissimum, cur pro materia ejus ebur eligitur, & non potiùs aurum, vel argentum, vel pretiosi, & valde æstimabiles lapides? cur hyacinthus, iaspis, smaragdus prætermittuntur, & ebur tantùm assumitur, ut perfectissimum omnium peragatur? In ebore candor exprimitur virginitatis, quæ virtus unica est, ut materiam præbeat, qua præstantissima omnium opera perficiantur; ut ergo ebur in candore præsefert virtutem virginitatis, sic unicum est, ad materiam præstandam, in qua fabricetur, quòd omnibus operibus præferatur. Cardinalis Petrus Damianus sermone quinto de Nativitate Beatæ Mariæ: *Quid est*, ait, *quòd aurum, argentum, & lapides pretiosi, & omnis denique pretiosioris materiæ prætermittitur gloria? Sola eboris substantia capax est tantæ compositionis, & fabricatur quod omnibus operibus præferatur, ebur enim mirabili candore refulget. Et quid candidius illa virginitate, quæ aspectus sui gratia, cœlestem curiam allicit.*

Virginitas, ut præstantissima omnium habetur ad magnum opus.

42 Mittitur Angelus ad Virginem Mariam, nuntiaturus in ea Dei filium concipiendum; quod scribens Divus Lucas Evangelista ait: *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem, &c.* capite 1. numero 26. Cùm sanctissima Virgo Maria esset in supremo, ac altissimo fastigio, tamen ad novum, singulare, & summum, absque exemplo, opus perficiendum, sola virginitas in ea notatur: *Ad Virginem desponsatam*; ac si ipsa sola virginitas inter cæteras virtutes maximè Deum alliceret, ut Dei filius ex ea carnem assumens fieret homo, ut in ea carne nasceretur, cujus sanctitas sine exemplo esset singularis. Divus Ambrosius in cap. 8. Epistol. ad Romanos: *Ideo enim virginalis uterus electus est ad partum dominicum, ut in sanctitate differret caro Domini à carne nostra*; & D. Fulgentius libro de fide ad Petrum capite secundo: *Ista causa est*, ait, *qua Deus factus est filius Virginis Mariæ, & Maria Virgo facta est mater unigeniti Dei, ut quem Pater genuit ex æternitate, ipsum Virgo præferret in tempore.*

Virginitas maximè allicit Deum ad summum opus.

QUÆSTIO VI.

Quare in frontibus Virginum priùs apparet scriptum nomen agni, quàm nomen Patris.

43 Spiritus Sanctus intelligitur.

AIt textus, quod cum agno stabant super montem Sion centum quadraginta quatuor millia *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*. Cùm dicitur quòd habebant scriptum nomen agni, seu Christi filii Dei, ibi etiam subintelligitur nomen Spiritus Sancti, qui est nexus, & amor amborum.

44 Virgines virginitatis discunt à Christo.

Tota quæstio est: Cur in frontibus virginum priùs apparet scriptum nomen agni, quàm Patris? Quia quamvis Pater Æternus sit ipsamet puritas, & virginitas, tamen ab ipso agno, seu ab ipso filio Dei induto carne humana, maximè didicerunt servare virginitatem ipsimet Virgines.

45 A Patre nemo venit nisi per Filium.

Secundò Pater prior est origine Filio; quomodo ergo non ait Joannes, quòd hæ virgines habebant nomen Patris, deinde nomen Filii scriptum in frontibus suis? cur ergo præponit nomen filii, Patris nomini? Ideo priùs mentionem nominis Filii facit, quàm nominis Patris, quia ad Patrem venire non possumus nisi per Filium, qui de se ipso ait Joan. 10. numero 7. *Ego sum ostium*. Richardus Victorinus: *Bene*, ait, *primò nomen agni, deinde nomen Patris, quia nemo nisi per mediatorem Dei, & hominum venit ad Patrem*.

46 Dei nomen destruit omnem lasciviam.

Tertiò hi felices tanta puritate vigebant, ut ne minimam maculam à carnali voluptate contraherent, ut dicitur infrà versu 4. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; & undè hi puri in virginitate confirmati? de illis ait Textus: *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*. Cum sub inscriptione nominis divini viverent, inde sic in castitate firmabantur, ut nullam spurcitiei maculam contraherent; sic Glossa Moralis ait: *Habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis, in quo designatur firmitas conscientiæ*. Ea in parte nomen Dei præseferebant, quo signabantur, & maximè se in continentiæ puritate confirmabant, semper enim nomen divinum stat pro castitate ad dissipandas carnales voluptates.

47 Confirmatur: *Dixit Moyses ad Josue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech*, Exod. 17. numero 9. ubi nostra Vulgata posuit Josue, expressiùs dicitur apud Origenem. *Jesus Nave*; circa quod notat Origenes homilia 11. in Exod. *Usque ad hunc locum beati nominis Jesu nunquam facta est mentio. Hìc primùm vocabuli hujus splendor effulsit; hìc primum vocavit Moyses Jesum*. Ubi pugnandum fuit contra Amalech, primò nominis Jesu quæritur, & tanti nominis præmittitur mentio; & cur ad pugnam contra Amalech non itur nisi sub tanto nominis splendore? In Amalech denotantur conflictus libidinis, seu lasciviæ, ad quæ debellanda, ac conterenda, nullum fortius scutum requiritur, ac proponitur, quàm ipsum Dei nomen. Divus Gregorius Papa in 1. Regum libro 6. capite 15. *Resistere ergo Amalech dicitur, quia dum in carne sumus, libidinis fortia bella sustinemus*; ubi ergo primùm bella libidinis insurgunt, ibi primùm nomen Iesu ostenditur, & incipit ejus splendor effulgere.

Ad destruendam lasciviam nomen Dei scutum forte.

48 Nomen Domini terribile adversariis.

Quartò cur Christi nomen statim inscribitur in eorum frontibus? nonne potiùs arma videbantur necessaria, quibus adversùs hostes suos possent pugnare? armentur ergo gladiis, ac lanceis, ut in certamen valeant descendere. Sufficit tamen illis nomen agni, seu Christi impressum, nam illud maximè terrorem in adversarios contorquet. Favet Aretas: *Quod habeant nomen ejus, & nomen Patris scriptum in frontibus suis, significat, quod divina luce ipsius divini vultus obsignentur, per quod æmulis in hoc, & perniciosis dæmonibus terrori sunt.*

49 David ab hostibus circumseptus mille aculeis impetitus dicebat Psalm. 117. n. 12. *Circumdederunt me sicut apes*,

apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos. Profundè expende, in quo adversùs ardentes flammas, furentes hostium cuneos lanceis, ac gladiis armatos, non solùm David fortis, & robustus stat, ut eos valeat propulsare, sed de illis gloriosus victor vindictam sumat: *Ultus sum in eis.* Quo illi tantus triumphus? *In nomine Domini.* Ubi Dei nomen tibi proponis, statim hostes ride, flammas contemne. Arma invicta, auxilium inexpugnabile est nomen Domini, quo inter universa pericula, tibi certa est victoria. Divus Chrysostom. ad citat. locum Psalmi: *Eos*, ait, *adeo vehementer accensos non solùm subterfugi, sed etiam ultus sum, tanquam ignis enim accurrebant, tanquam apes eum magna animi alacritate videbant. Intus interceptum tenebant, nec aliquid potuerunt facere. Arma enim invicta, auxilium inexpugnabile, Dei nomen omnes expulit.*

Nomen Domini destruit adversarios & dat victoriam.

50 Ait Christus Dominus suis Apostolis Matth. 10. n. 22. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*; tot tantaque mala à parentibus, ac cognatis, & ab universis hominibus profecta in Jesu servos, quo scuto munimineve repellentur? Uno Dei nomine objecto, in quo est omnis armatura ad universa mala propulsanda. Ait Paulus Apostolus ad Ephes. cap. 6. num. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias Diaboli*; quæ verba explicans D. Athanasius quæst. 13. legit: *Totam armaturam Dei*; ac si diceret: Ille rectè potest stare adversùs Diabolum, qui in se totam Dei armaturam retinet. Et quænam est hæc tota Dei armatura? Est ipsemet Christus Jesus, ejusque sanctissimum nomen, quæ destruit omnes adversarias potestates. D. Hieronym. ibi: *Induite vos*, ait, *omnia arma Dei. Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est, qui habet adversùs Diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quæ Christus est?* Quæ in ejus nomine continetur.

Nomen Domini armatura nostra.

Apoc. 14. nu. 2. Et audivi vocem de Cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam tonitrui magni; & vocem, quam audivi sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.

Num. 3. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem, & ante quatuor animalia, & seniores: & nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra.

VERSIONES.

Primas. nu. 2. Audivi vocem de Cœlo tanquam sonum aquarum multarum, seu tonitrui magni.

Arabicus. Porrò vox, quam audivi, erat quasi vox citharārum pulsatarum.

Syriacus. Tanquam citharœdorum pulsantium citharas suas.

Arabicus nu. 3. Et canebant canticum novum; nec poterat quisquam dicere canticum illud, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, quæ empta fuerant de terra.

Syriacus. Et canunt canticum novum; & nemo poterat discere.

Oecum. Quasi canticum novum ante thronum.

Richard. Vict. Ante sedem Dei.

EXPOSITIO.

51 *Et audivi vocem de Cœlo.* Jubilus centum quadraginta quatuor millium, nempe virginum gratias Deo agentium, quas laudes in hac visione noster Joannes audiebat; & Ecclesiam sanctam, quam antea ob suam celsitudinem, montem appellavit, nunc ob sui perfectionem cœlum dicit.

52 *Tanquam aquarum multarum.* Vocem auditam de cœlo tribus diversis vocibus, seu sonis comparat; quod esset nempe tanquam aquarum multarum, & quod esset tanquam tonitrui magni, & sicut citharœdorum citharizantium. Hic ergo chorus virginum, seu eremitarum, ac monachorum, ut vult Ferrarius in continentia virginali extitit perfectissimus, & fuit *tanquam vox aquarum multarum* ex diversis partibus confluentium. Et quia aquæ multæ populi multi, hic chorus virginum ex variis populis, & nationibus compositus est, & totum Orbem ad Dei laudes excitavit; & fuit etiam *tanquam tonitrui magni*, quia usque ad stuporem, & pavorem personuit in toto Mundo, omnesque perculit mundanos homines, & fuit *sicut citharœdorum citharizantium*; fuit enim perfectissima musica, & harmonia ad divinam gloriam, & laudem, maximè cùm esset perpetuis divinis laudibus associata.

Et cantabant quasi canticum novum. Canticum hoc erat quasi gratiarum actio plena suavitatis, & exultationis, quam Deo reddebant pro eximio dono integritatis corporis, & animæ: *Illud quasi*, ait Cornelius, *non est assimilativum, sed significat verè & realiter, ut illud Joan. 1. num. 14. Quasi unigeniti à Patre.* Et quamvis hoc verum sit in hoc loco Joannis, ut ibi dixi, tamen hìc in hac nostra Apocalypsi assimilativum videtur, quia singuli sanctorum habent aliquid peculiare, ob quod illorum virtus, & vita, est *quasi canticum novum*; undè de singulis Sanctis canit Ecclesia: *Non est inventus similis illi*; tum quia virginitas valdè rara erat in testamento veteri, frequens verò in novo. 53

Ante sedem; nam qui rectè vivit in perfecta sanctitate, ac virtute, sic orat in Ecclesia, ac si esset in Cœlo. *Ante sedem* Dei, thronum Sanctissimæ Trinitatis. *Et ante quatuor animalia*; nempe Evangelistas. *Et Seniores viginti quatuor*; nempe duodecim Patriarchas, & duodecim Apostolos, sub quibus omnes alii sancti intelliguntur, ut dixi cap. 4. *Et nemo poterat dicere canticum*; seu cantare: græcus habet discere, sed lectio nostræ Vulgatæ retinenda est, & idem est sensus, dicitur enim canticum, ut dicatur, & cantetur. *Nisi illa centum quadraginta quatuor millia*; quia cùm canticum esset gratiarum actio pro virginitate adepta, solùm illud poterant virgines decantare, nam virginitas semel amissa non recuperatur, & nemo potest reddere gratias Deo de illo, quod non habet. *Hi empti sunt de terra.* Pretio sanguinis Christi, hanc perfectam puritatem corporis, & animi sunt assequuti, ut nihil terrenum in eis appareret, sed ut in terris cœlestem vitam agerent. 54

QUÆSTIO VII.

Quare una, & eadem vox de cœlo assimilatur voci aquarum multarum tonitrui magni, ac citharœdorum.

55 VOcem, quam Joannes audivit de cœlo, non una metaphora, seu comparatione explicat, sed triplici, ait enim: *Vocem, quam audivi de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni*; & iterum hanc vocem auditam de cœlo magis explicat: *Vocem, quam audivi sicut citharœdorum*; cùm ergo hæc vox fuisset maximè sublimis, non una metaphora, sed triplici debuit explicari, cujus rationem hìc inquirimus. Rationem literalem jam dedi in expositione.

Ratio dubitandi.

56 Et primò quomodo vox virginum aquis multis comparatur? nam aquæ multæ, multi populi sunt, quia homines labiles, & defectibiles sunt; cur ergo vox virginum cum aquis multis, seu populis multis comparatur, cùm voces populorum sint inconstantes, ac confusæ? Tamen vox virginum dicitur aquarum multarum, ut denotetur, quod virgines non ex uno populo, sed ex multis colliguntur. Sic explicat S. Thomas: *Vocem aquarum multarum*, ait, *quæ est vocem populorum, quia sancti virgines de multis populis divina gratia colliguntur*: ita similiter Richardus Victorinus Cardin. Hugo.

Virgines ex multis populis colliguntur.

57 Secundò vox ista audita de cœlo, vult Rupertus, quòd sit vox Dei in S. Scriptura audita, & explicata, juxta illud 2. Petri 1. num. 21. *Non enim voluntate humana oblata est aliquando Scriptura sacra, sed Spiritu*

Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines; nomine autem aquarum, intelligi etiam potest S. Scriptura, ut videre est apud Isai. 55. num. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas*; cur ergo eadem vox, quæ est aquarum multarum, est etiam vox tonitrui magni, & vox citharœdorum? quid est in eis utrique commune? imò in eis multa videntur contraria, nam unum est horribile, alterum delectabile. Vox illa aquarum, ideſt, Scripturarum, est vox tonitrui, quia de judicio, ac æterna condemnatione loquitur, quo nihil terribilius potest ab improbis audiri, & est etiam de beatitudine justis repromissa, qua nihil suavius percipi potest. Rupertus Abbas: *Tonitruo solet assimilari, videlicet propter terribilem comminationem judicii futuram, juxta illud Psalm. 17. Et intonuit de Cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam; veruntamen non solum judicium vox illa sonat, pœnasque malorum, sed etiam misericordiam, & sempiterna præmia sanctorum, quæ nimirum auditu, vel intellectu dulcia, & delectabilia sunt.*

Audira supplicia terribilia peccatoribus, præmia verò dulcia justis.

58 Tertiò: *Vox aquarum multarum*. Vox est sancti Joannis Baptistæ, ut interpretatur Cardinalis Petrus Damianus sermone de sancto Joanne Baptista, prædicans baptismum pœnitentiæ; pœnitentiæ vox, vox est lachrymarum, ac lugentium, proindeque vox est aquarum multarum, vox autem tonitrui, vox est mortificationis, nam tonitruum fit collisione, agitatione, ac ruptura nubis, quod mortificationem denotat; quid ergo est, quòd in sanctis virginibus est vox pœnitentiæ, mortificationis, cum suavi cantu citharœdorum? Quia suavitas, ac dulcedo castitatis, & virginitatis non comparatur nisi cum multa pœnitentia, collisione, macératione, ac castigatione corporis, undè castitas à castigatione derivatur, ut docet Div. Thomas 2. 2. quæst. 15. art. 1. *Nomen castitatis*, ait, *sumitur ex hoc, quòd per rationem concupiscentia castigatur, quæ ad modum pueri est refrænanda*. Sicut pueri, cùm ratione careant, regi nequeunt, proindeque virga regendi, ac refrænandi sunt, ita & concupiscentia, quæ instar est pueri castigatione domanda est. Pro quo multum facit præclarum acumen Seraphici sancti Francisci, quem, ut refertur part. 1. Chronologiæ cap. 32. cùm aliquis ex fratribus interrogaret, cur Joannes Baptista cum sanctificatus fuisset in utero, in desertum se recepit, ibique tam austeram vitam egit, ut scribit Div. Matthæus 3. num. 4. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam super lumbos suos, esca autem ejus erat locustæ, & mel silvestre*; tunc respondit sanctus Franciscus: *Dic & tu cur caro recens, etsi bona & optima sit, salitur?* cumque ille diceret, ut conservetur, & non corrumpatur, subjunxit Sanctus: *Ita pariter Baptista sale pœnitentiæ salivit corpus, ut illud sanctum, purumque à peccato conservaret.*

59 Quartò per Joannem intelliguntur fideles in hoc sæculo degentes, qui audiunt vocem de cœlo, sicut vocem aquarum multarum, nempe doctrinam sacræ Scripturæ, ut jam dixi supra in hac quæstione num. 5. in qua resonat vox suavis, & dulcis citharœdorum, & vox horribilis tonitrui. Vox dulcis est, audita cœlestis gloriæ magnitudo, qua beati jucundantur, horribilis est, cùm audiunt quot & quanta necessaria sunt ad illius consecutionem, & inde magno timore anxiantur, an ad eorum gloriam valeant pervenire. Hæc est mens Divi Ambrosii in præsenti: *Vox*, ait, *tanquam tonitruum esse dicitur, quod corda audientium terrere solet; terrentur enim, cùm ad eorum perfectionem se ascendere non posse considerant, & vox, quam audivi, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.*

Justi in terris delectantur de gloria Sanctorum, & contremiscunt de consecutione.

60 Quintò, ut Viegas sectione quarta considerat, virgines dicuntur habere vocem citharœdorum, & simul quasi vocem tonitrui magni, nam dum virgo, vel quilibet alius castitatis amator, intra domum suam inclusus, pravorumque hominum consuetudinem fugiens, citharam corporis per castitatem pulsat, suavissimum concentum Deo, & Angelis reddit, in eque etiam tonitruum toto regno edit per famam castitatis; hac ratione de Judith. 8. num. 8. dicitur: *Erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum*; quo loco, *verbum malum*, ad notam castitatis referendum est: itaque propter castitatis opinionem, erat famosissima, cùm tamen, ut ibi notat textus num. 5. in secreto cubiculi sui quasi solitariam vitam duceret, & ex ipso cubiculo, tanquam tonitruum ejus fama resonabat, ejusque odore totum Mundum implebat.

Castitas, virtus celeberrima, & totū Mundum implet.

Sextò mortificationem tonitruo magno denotari jam dixi in hac quæstione, nam tonitruum fit nubis agitatione, collisione, ac fragoris ruptura; sed quid habet hujusmodi vox, cum voce citharæ, quæ ut dulcis, sonora, aures demulcet? Aptè quidem, quia mortificatio tunc est Deo accepta, ac perjucunda, quando non ex animo tristi, sed ex jubilo, ac lætitia spirituali procedit. S. Thom. *Qui carnem suam*, ait, *mortificant, sunt optimi citharœdi; cumque se mortificant, tota die dulciter resonant, dum intimo gaudio jucundantur in suis mortificationibus.* 61

Mortificatio fit cum jubilo spirituali.

Septimò rectè ait Rupertus: *In tonitruo terroris asperitas, in citharis verò sonantibus delectationis est suavitas*. Sed quid citharæ melos cum tonitrui fragore? Tonitruum terret, melos delectat, & noster Joannes eandem vocem, melodiam resonantem, & aures percutientem testatur. Hæc est vox Sanctorum scilicet, qui agnum sequuntur; hi in ipsa laborum tempestate, in ipso tormentorum terrore virtutis suavitate oblectantur, ac demulcentur, & cùm flagellati ingemiscunt, ibi tanquam victores spiritualiter exultant, ibique est vox tonitrui, & citharæ, cùm ex dolore gaudium nascatur. Sancti in citharis suis, hoc est, in corporibus patiuntur, sed ut chordæ citharæ repercussæ, dulcem sonum edunt, nec potest suavitas vocis separari à retractione chordarum, sic sancti in suis pressuris mira delectatione congaudent; sic pergit: *Fatigabantur sancti illi, sicut Apostolus eorum reminiscens inter cætera dicit: Alii ludibria, & verbera, &c. citharizabant, & cantabant, ideſt, semetipsos affligebant, & gloriam Dei resonabant.* Ipsa sanctorum afflictio gloriam resonat, victoriam cantat. 62

Tempestas laborum justis parit lætitiam.

Confirmatur: Sanctus Paulus monet Romanos in tribulatione de spe gaudere; Rom. 12. num. 12. *Spe gaudentes, in tribulatione patientes*; si tribulantur, quomodo gaudent? si verò gaudent, quomodo tribulationibus premuntur? nam tribulationis dolor, gaudium expellit, & inde non compatiuntur, sed unum alterum jugulat. Apostolus tamen utrunque simul conjungit, gaudium nempe, & tribulationem, nam dolor proveniens ex virtute, ac patientia, parens est voluptatis: virtutis labores gaudiorum fontes sunt. D. Ambros. sic ait: *Hæc tristitia parit lætitiam. Hoc est, spe gaudere, in tribulatione patientem esse.* Virtutis pressura summum gaudium germinat: *Hæc tristitia parit lætitiam.* 63

Labor virtutis parit lætitiam.

Octavò vox hæc de Cœlo erat ut vox tonitrui, & ut vox citharœdorum; & quomodo hæc conveniunt, cùm una sit suavis, & dulcis, altera valde terribilis? Hæc vox erat in virginibus, in quibus ipsa integritas virginalis, ac puritas præjucundo cantico delectatur, quod impuris hominibus, ac dæmonibus maximè est formidabilem, & terribilem damnationem denuntiat. Richard. Vict. *Rectè vox tanquam tonitrui magni perhibetur, quia reprobis terribiliter condemnationem comminatur.* 64

Virginitas dæmonibus & impuris hominibus terribilis.

Ad suam dilectam virginem sponsam ait Christus Dominus Cantic. 7. num. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*; & quomodo in una tenera virgine, chori, & castra inveniuntur? In choro sunt dulcia instrumenta musica, quæ suaviter delectant, in castris verò arma bellica, quæ minantur, & terrent. Tamen inveniuntur in virgine chori, & castra, de virgine enim virtutis melodia illud insurgit, quod dæmonibus terribile bellum inferat. Cardinalis Alanus: *In Virgine*, ait, *fuerunt chori canentium, quantum ad consonantiam virtutum; castra verò pugnantium, secundum quod Virgo circumsepta, & sanctis disciplinis instructa, vitiorum, & dæmonum repellebat insultus.* 65

Puritas virginibus præjucunda, dæmonibus horribilis.

Narrat

66 Narrat facer text. 1. Reg. 16. num. 23. *Quandocunque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, & percutiebat manu, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo spiritus malus.* Ad citharæ Davidis ſonum dæmon Saulem dimittebat, non quidem ex virtute citharæ, aut muſicæ, ut notant Lyran. & alii, ſed ex merito Davidis canentis; & in quo Davidis merito illa Diaboli fuga fundabatur? In merito nempe virgineæ integritatis ipſius Davidis uſque tunc ſervatæ, ut docet Aldhelmus epiſt. de Virginit. c. 27. *David quoque*, ait, *opinatiſſimus Regum ſub ipſo pubertatis tyrocinio, illibata virginitate præditus, antequam copula matrimonii, & connubii nexu innodaretur, nonne argutis fibrarum fidibus lymphaticum mitigabat, dira procul terrenorum exploſa ſpirituum veſania? quique etiam ætate tenellus, lacertis validis frementium mandibulas leonum diſcerpſiſſe, duorumque rictus urſorum confregiſſe, & enormem Allophillorum gigantem obtruncaſſe deſcribitur: :: Licèt inquam, quandiu aura ætherea, & vitali flamine veſceretur, ſuperna majeſtati gratiſſimus exiteriat, attamen poſt carnalis conſortium copulæ de illo minora virtutum præconia crebreſcunt.*

Virginitas expellit dæmones, & facit magna ſignora.

QUÆSTIO VIII.

Quare hæc vox de Cœlo reſonabat, potiùs ut vox citharæ, quàm alterius inſtrumenti muſici.

67 ISti citharœdi in citharis, ſunt illa centum quadraginta quatuor millia, qui hìc ſtabant cum agno in monte Sion, qui etiam hìc Cœlum dicitur; cum in Eccleſia, ſuas, ac perpetuas laudes Deo decantant, inde liquidas, & dulces hauriunt voluptates, quaſi in Cœlo ante ſedem Dei. Tota quæſtio eſt, cur potiùs ſancti dicuntur cantare in cithara, quàm organo, vel lyra, ſeu alio inſtrumento muſico, & jam hanc quæſtionem tractavi ſupra c. 5. q. 21. quæ ſunt videnda, nunc verò aliqua peculiaria hìc addamus.

Status quæſtionis.

68 Et primò Div. Ambroſ. *Quod citharas Dei, de beſtia triumphantes habere dicantur, ſic intellige, quaſi dicat: Ipſi erant citharæ Dei, laudibus ſcilicet corda habentes dedicata, & utriuſque teſtamenti conſona veritate ſonora.* Qui de beſtia, ſeu Diabolo triumpharunt, dicuntur habere citharas Dei, quia ex eo, quod corda ſua dedicarunt divinis laudibus mira conſonantia, ac conſervatione utriuſque teſtamenti, inde glorioſum triumphum reportarunt.

Sancti de Diabolo triumphãt, dũ corpora ſua Deo citharas exhibent.

69 Secundò D. Gregor. 2. Moral. c. 31. explicans illud Job 30. n. 31. *Verſa eſt in luctum cithara mea, & organum meum in vocem flentium*; ſic ait: *Per fiſtulas quippe organi ora prædicantium, per chordas verò citharæ intentionem rectè viventium non inconvenienter accipimus; quæ dum ad vitam aliam per afflictionem carnis tenditur, quaſi extenuata chorda in cithara, per intuentium admirationem ſonat, ſiccatur enim chorda ut congruum in cithara cantum reddat, quia ſancti viri, & caſtigant corpus ſuum, & ſervituti ſubjiciunt, atque ab infimis ad ſuperiora tendunt.* Sancti corpora ſua citharas Deo reddunt, exſiccantes illas, & extenuantes ab omni humore impuritatis, ac vitiorum; habentes chordas tenſas mirabili, etſi diſcreta, atque rationabili rigoris intentione, & ſubinde pulſantes per ſtatas, & metas præſcriptas, vices ſcilicet jejuniorum, vigiliarum, & flagellorum ſuavem concentum Deo exhibent.

Sancti extenuant corpora ſua à vitiis per vices jejunioſi.

70 Tertiò idem D. Gregor. lib. 20. Moral. c. 31. *Penſandum*, ait, *quod chorda in cithara, ſi minùs tenditur, non ſonat, ſi ampliùs, raucum ſonat, quia virtus abſtinentiæ, aut omnino nulla eſt, ſi tantùm quiſque corpus non edomat, quantùm valet, aut valde inordinata eſt, ſi corpus atterit, pluſquam valet.* In cithara, ut chordæ optimè ſonent, debent eſſe bene, & optimè diſpoſitæ juxta rectum artis dictamen: *Nam ſi chorda minùs tenditur, non ſonat, ſi autem ampliùs, raucum ſonat*; ſic & in virtute, ſeu jejunio, & abſtinentia, rationis diſcretio eſt adhibenda, nam non ſolùm deperditur ex eo, quòd nimis laxa, ac remiſſa ſit, ſed etiam ex eo, quòd nimis intenſa, & ſupra modum exceſſiva, nam virtus non ſolùm deperditur ob defectum, ſed etiam ob exceſſum ultra debitas metas præfixum.

Virtus deperditur ob exceſſum, ac ob defectum.

Quartò Albertus Magn. *Nota*, ait, *quòd in cithara eſt lignum, & chordæ tamen diverſimodè tenſæ, unam reddunt melodiam. Per lignum ſignatur Crux Chriſti, vel pœnitentiæ, caro ſanctorum intelligitur per chordas: chordæ igitur in hoc ligno extenduntur, quando corpora in pœnitentia affliguntur, ſed iſtæ diverſimodè extenduntur, quia non omnes æqualiter pœnitent, vel pœnam patiuntur.* In cithara ſunt chordæ, & lignum; lignum denotat Crucem, chordæ verò corpora ſanctorum, qui tunc in ligno extenduntur, quando Crucem amplectentes, carnem ſuam cum ſuis concupiſcentiis crucifixerunt, affligentes eam pœnitentia, ac mortificatione; & quia chordæ in cithara diverſimodè extenduntur, aliæ magis, aliæ minùs, ſic pœnitentia non eſt æqualis, ſed magis, & minùs pro diverſitate ſubjectorum. 71

Pœnitentia, ac mortificatio ſit ſecundùm diverſa peccata.

Quintò Div. Bernard. ſerm. 68. in Cantic. ad noſtrum locum, alludens, ait: *Citharizant in citharis ſuis, qui voluptatis affluxionem pœnitentiæ reſtrictione reverberant.* In cithara chordæ aſtringuntur, ac reverberantur; ſic ſancti corporibus ſuis tanquam citharis citharizant, dum ſuas voluptates reſtringentes, ipſa corpora ſua verberant. Digni profectò, qui Angelorum choris ſuaviſſimam vocem cantici novi interſerant, quemadmodum David canit Pſ. 137. num. 2. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*; quomodo in conſpectu Angelorum perfectiſſimè pſallentium, audet pſallere? Fiducia nempe, quam ex pœnitentia hauſerat. D. Hieronym. *Vide*, ait, *perfectionem pœnitentis; quia poſt confeſſionem, & pœnitentiam, cum Angelis meretur pſallere.* Quid aliud eſt, in lachrymis, & pœnitentia vitam agere, quàm cœleſtibus jam nunc gaudiis frui, & ſocios fieri Angelorum? undè Paulus dicebat ad Philipp. 4. n. 4. *Gaudete in Domino ſemper.* Quo gaudio, & qua voluptate? Explicat Chryſoſt. hom. 6. in cap. 2. Matth. *Eam proculdubio, quæ ex his naſcitur lachrymis, ſignificans voluptatem.* 72

Pœnitentia nos exrollit ad chorum & gaudium Angelorũ.

Sextò Rupertus, Albert. Magn. & alii per citharas interpretantur ſanctorum corpora, per citharœdos, ipſoſmet ſanctos exponunt qui afflicti ludibria, & verbera experti ſunt; ſed cur hi citharis comparantur? Quia citharæ chordæ duo habent, extenſæ premuntur, repercuſſæ laborant, & extenuantur, alios verò dulci ſono recreant, ac delectant, imò non delectant, niſi ſint repercuſſæ: Taliter juſti ſe habent, ſibi labores eligunt, ut alios mira jucunditate recreent, ipſi fame conſumpti alios dulciter cibant, & multa alimenta exoptant, ipſi nudi, in aliis nuditatem non valent aſpicere, & cùm ſibi quidquid eſt moleſtum ament, aliis quidquid eſt jucundum libenter offerunt. Rupertus lib. 9. in Apocalypſim: *Notandum*, ait, *quod in cithara chordæ, audientes quidem delectant, ſed ipſa in extenſione ſua quodammodo laborant; ſic denique hi auditores delectaverunt, ſed ipſi apud ſemetipſos laboraverunt, & plerunque fatigati ſunt.* In cithara chordæ dum laborant, alios recreant; ſic ſancti ſuis laboribus fiunt aliis in levamen. 73

Sancti velut citharæ, alios delectant, & ipſi patiuntur.

Errantem ovem bonus Paſtor cum labore, ſuis humeris refert ad gregem: *Cùm invenerit, imponit in humeros ſuos gaudens*, Luc. 15. num. 5. ſic gaudet ſuper inventa ovicula, ac ſi totum gregem recuperaſſet, & inde magna commiſeratione proprios humeros laboranti oviculæ ſubjicit; ſed cur humeri facti ſunt requies, & ſcapulæ levamentum errantis? Quia Dominus humeros ſuos Cruci, ſcapulas flagris dedit; ea ergo membra, quæ labores ſuſtinuerunt, alienæ fuerunt fatigationis levamenta, ea enim membra moribundæ pecudis ſunt requies, quæ labores Crucis, & flagellorum exhauſerant. D. Ambroſ. ibi: *In illa patibuli nobilis cervice requievit ovis illa; genere eſt una, non ſpecie*; ac ſi nomine oviculæ dicat: Illa membra, quæ Crucis, & flagellorum mortificationem ſuſtinuerunt, mihi in levamenta converſa ſunt. Membra illa fuerunt Chriſto ad Crucem, & flagella, nobis verò ad ſalutem, ac levamen. 74

Humerus Cruce atritus, erranris ovis eſt levamentum.

Suffixo jam Cruci Domino, ſcribit Div. Matth. 27. num. 39. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à ſiniſtris. Prætereuntes autem blaſphemabant eum moventes capita ſua.* Nullus prætereuntium latroni- 75

latronibus molestus erat, nemo illis nota furta, & homicidia improperabat; cur hoc? Clementissimus judæorum Rex tunc universi generis humani gloriam, & honorem, ac cœlestem beatitudinem comparabat, & improperia omnia, ac opprobria uni sibi, tunc temporis præoccupaverat: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me*, Psal. 68. nu. 10. ipse solus pro omnibus opprobria sustinere volebat, ut & illis æternam fœlicitatem nobis compararet. D. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 130. *Pendebat quidem in patibulo, meridiano tempore; atque in metropolitana urbe, ac maximo festo, in quo neminem fuisse verisimile est, qui non interesset*; & subdit: *Quin etiam alii cavillis in eum ludebant, alii latus ipsius lancea feriebant, atque in eos quidem latrones, qui unà cum ipso in Crucem acti fuerant, nil tale perpetrabant.*

Christus nobis dedit gloriam, & opprobria, ac labores sibi præoccupavit.

76 Christiana charitas prodiga in bonis dispertiendis, avarissima in malis sibi reservandis. De alatis illis Cherubinis apud Ezechielem c. 1. n. 11. dicitur: *Duæ pennæ singulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum*; ecce sunt alæ extensæ, & sunt alæ contractæ ad propria corpora. In Christianis affectibus hæc duo maximè licèt observare; & quòd beneficentiæ alæ extensæ, ac dilatatæ sint ad alios, ut eos in sublime erigant, ac volare faciant, & sunt pennæ, ac alæ ad propria corpora, eo quòd pœnas, ærumnas, ac dolores sibi uni quilibet christianus reservat, nam per pennas extensas beneficentiam, per pennas ad propria corpora, pœnitentiam, & labores exponit D. Greger. Mag. homil. 4. in præsenti dicens: *Sanctorum pennæ conjunctæ sunt amor, & spes; duæ verò pennæ, quæ corpora contegunt singulorum, & sibimet ad alterum conjunctæ non sunt, timor, & pœnitentia.*

Christiana charitas sibi eligit labores, aliis levamen.

QUÆSTIO IX.

Are hi citharœdi citharizant, non in aliis citharis, sed tantùm in suis.

77 Ait sacer text. *Audivi vocem, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis.* Vox hæc, ut jam dixi ex Ruperto, vox erat scripturarum, quam citharœdi, nempe scriptores canonici libris suis, posteritati tradiderunt; sed ad quid hìc fit mentio de citharis? nonne sat erat dicere: Sicut vox citharœdorum citharizantium, sive pulsantium; ut habet Arabicus? citharizantes non pulsant alia instrumenta, nisi citharas: ergo superflue hoc exprimitur. Chordæ in citharis resonantes, audientes quidem delectant, ipsæ tamen in extensione sua quodammodo premuntur, ac laborant; inde citharas posuit text. Sic dicere possumus: dum scriptores canonici, sive citharœdi dum libros sacræ Scripturæ pulsant, hoc est, explicant, & explanant, magno studio ipsi laborant, tamen sono suæ doctrinæ alios demulcent, & delectant. Rupert. Abbas: *Sic per quos*, ait, *sacra Scriptura condita est, suo quisque tempore bona promittendo, bonos auditores delectaverunt, sed ipsi apud semetipsos laboraverunt, & plerunque fatigati sunt*; quod probat exemplo Moysis, & Apostoli Pauli.

Scriptores Canonici laborant studio, lectores verò delectant.

78 Ad præsentem quæstionem ait text. *Quòd virgines citharizabant in citharis suis*; omnes in Cœlo audiuntur cum suo instrumento, & cur necesse fuit, quòd hi omnes pulsarent instrumenta sua? nam frequenter in principis domo solent esse instrumenta ipsius principis, & in christianis templis musici frequentius utuntur instrumentis non suis; cur ergo necessarium fuit, quod isti citharœdi citharizarent in citharis suis, & non alienis? Ipse Joannes rationem insinuat, dum ait: *Audivi vocem de Cœlo*; sanè in cœlesti civitate non invenitur, qui alienis sonis, ac instrumentis resonet, sed qui suis pulsibus, ac operibus pertingat aures divinas, undè D. Bernard. in Apolog. ad Guillelm. ait: *Væ citharœdis citharizantibus, non ut illi de Apocalypsi, in citharis suis, sed verè, ut hypocritæ in alienis.*

Labori alieno nostra salus non est cedenda.

79 Cùm audisset Parens meus Elisæus filium viduæ Sunamitidis demortuum, mandat servo suo Giezi: *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, & vade: si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutaverit te quispiam, non respondeas illi, & pone baculum meum super faciem pueri*, 4. Reg. 4. num. 29. qua ergo confidentia cogitat posse baculo suo puerum suscitare, cùm ipse pallio Eliæ non potuerit prima vice aquas Jordanis dividere? 4. Reg. 2. num. 14. undè ergo concipit animo posse baculo puerum evocari in vitam? Baculum erat proprium: *Tolle baculum meum*; pallium verò alienum: *Pallium Eliæ*; & miraculum quod alieno pallio exequi non valebat, proprio baculo fieri reputavit.

Miraculò, quod non fit virtute aliena, propria exequitur.

Cùm de sacrificio agni lex ageret, disponebat 80
Exod. 12. num. 3. *Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas*; cur unusquisque tollere agnum ordinatur? nonne magis ad festum conduceret, si unus agnum asportaret, & cæteris omnibus pararet convivium? nonne maximè ad magnitudinem convivii spectaret, quod multi festivè adessent, quàm quod singuli domi sedentes, & tristes manducarent? In magno discrimine res agebatur, nam cùm intempesta nocte Angelus Domini pertransiret per vicos, & plateas interficiens omne primogenitum Ægypti, videns sanguinem agni impositum super liminare domus, transibat, & non sinebat percussorem ingredi domum, erat enim sanguis illius agni munimen ad salutem, & ubi de evitanda morte, ac negotio salutis agebatur, uniuscujusque opus erat necessarium: *Tollat unusquisque Agnum*; quæ enim salutis sunt, non diligentiis alterius, sed tantùm nostræ curæ committantur. D. Nazianzen. Orat. 2. de Paschat. *Mirandum non est, quòd maximè quidem per singulas domos agnus requiritur, quandoquidem optimum est, sibi unumquenque ad perfectionem sufficere, seque hostiam sanctam, vivamque vocanti Deo offerre*; ea enim, quæ ad perfectionem pertinent, & vocanti Deo offeruntur, unusquisque per se debet exhibere, & non in alterius ope confidere.

Unusquisque negotium suæ salutis per se agat.

Genes. 18. n. 7. refertur, quod Abrahamus Domi- 81
num hospitio recipiens, etsi multa esset cinctus servorum familia, ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum: *Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit coram eis; ipse verò stabat juxta eos sub arbore*; omnia ipsi per se perficit. Pro cujus majori intelligentia, verte mentem ad c. 24. n. 2. ubi Abraham, cum de uxore filio suo quærenda ageret totum negotium servo committit, etenim *dixit ad servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum Cœli, & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris.* Ecce magnus vir de peregrinis excipiendis nihil servo suo mandat, sed ipse per se solùm excipit, & cuncta ministeria persolvit, de uxore verò filio suo ducenda, non ipse per se negotium tractat, sed id etsi valde grave, etsi parentibus omnibus potissimùm, suo servo totaliter committit. Præclarus vir virtutum officia, salutisque negotia, nulli mandat, sed ipse per se ipsum universa intendit perficere: quæcunque alia temporalia negotia, licèt magni sint ponderis, servis, ac amicis libenter mandat, ac eorum dispositioni tradit. D. Chrysost. tom. 6. in illud Ps. 48. *Ne timueris cùm dives factus fuerit homo*; sic ait Sanct. Pater: *Abraham hospitalitatis jus, & munus executus est, nec servo id oneris imposuit, sed sibi, ac uxori; cùm autem & uxor, & nuptiæ filii apparuerunt, servo ut abeat, præcipit.* Econtrà verò homines sæculares faciunt.

Etsi temporalia alteri committantur, non verò quæ salutis animæ sunt.

QUÆSTIO X.

Quare sancti virgines, non aliud canticum cantant, nisi canticum novum, & hoc non alibi nisi ante sedem Dei.

AB hoc secundo incipio: Ait text. quòd *cantabant* 82
ante sedem, hoc est, ut dixi in expositione: Qui rectè, piè, ac virtute vivit, sic Deum laudat, ac orat in Ecclesia, ac si esset in Cœlo ante Dei sedem, ac thronum Trinitatis. Aliter secundo: Cantant ante sedem, idest, ante Angelos; novum illud canticum cantant, tanquam illis gratias agentes, quod speciali

Angeli assistunt virginibus, & eos custodiunt.

specialicura eos servassent, ut mente, & corpore integri perseverarent; ita S. Thomas in præsenti sic ait: *Jucundantur ante sedem, ideſt, ante Angelos, in quibus Deus ſedet. Hoc poteſt dici, quia Angeli maximè aſſiſtunt ſanctis virginibus, & eos cuſtodiunt, undè cùm virgines gaudent de flore virgineo, & quod tam nobiliter adhæreant Chriſto, ſic gaudere, eſt Angelos, qui eos cuſtodiunt, cantare.* Tertiò Richard. legit: *Ante ſedem Dei.* Non decantant divinas laudes ante Principes, & Magnates, ſed ante Dei ſedem, quia ſolius Dei, & non hominum gloriam quærebant. Albert. Mag. *In hoc*, ait, *notatur rectitudo intentionis, quaſi diceret: Non pro favore hominum, ut hypocritæ, ſed ante faciem Dei, ideſt, in præſentia Angelorum, in quibus Deus ſedet;* Pſal. 18. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.*

In Dei laudibus vana gloria fugienda.

83 Tota quæſtio eſt, quare hoc canticum, quod decantant centum quadraginta quatuor millia, qui virgines ſunt, ut dicitur Verſ. ſeq. dicitur canticum novum? Jam explicavi ſuper. tom. ad c. 5. quæſt. 25. n. 224. 225. in præſenti: Hoc canticum novum, erat quædam gratiarum actio, cum magna ſubmiſſione, & exultatione, pro præclaro dono integritatis animæ, & corporis.

Canticum hoc gratiarum actio.

84 Secundò, quod magnam difficultatem facit Div. Ambroſ. ſi virgines hìc cantant hoc canticum novum, ab hoc cantico novo decantando excludentur aliqui Apoſtolorum, ac martyrum, qui uxores habuerunt; ſed quamvis hi excludantur à cantico virginum, Virginitas etenim ſemel amiſſa, iterum recuperari non poteſt, & ideo dicitur: *Nemo poterat dicere canticum niſi illa centum quadraginta quatuor millia;* quamvis, inquam, alii ſancti hoc canticum virginum non decantent, alia magna, & præclara Deo modulantur.

Varia ſanctorum cantica ſecundùm ſuas prærogativas.

85 Deinde, ſic Deus eſt mirabilis in ſanctis ſuis, & ſic unicuique ſervorum ſuorum dat ſuam excellentiam, ac prærogativam peculiarem, ut de quolibet rectè decantet Eccleſia: *Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem excelſi*; & inde quilibet ſuo modo Deo decantat, quaſi canticum novum. Quod confirmo ex D. Bonavent. tract. de Dieta ſalutis tract. 10. Ubi ait, quod Angeli decantant Deo illud: *Benedictio, & ſapientia, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, &c.* Patriarchæ, & Prophetæ illud cantant: *Dignus es Domine accipere librum;* Apoſtoli dicunt illud Joan. 6. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei;* Martyres celebrant illud Pauli 2. Tim. 2. n. 11. *Si commortui ſumus, & convivimus, ſi ſuſtinuimus, cum eo regnabimus:* & ſic de cæteris ſanctis diſcurrit Seraphic. Doctor.

Quilibet ſanctorum ædat quaſi canticum novum.

86 Secundo quomodo hoc canticum de virginitate ſervata dicitur decantatum à virginibus, qui agnum ſequuntur, cum antea in lege veteri illud decantaverint Elias, & Eliſæus, ac filii Prophetarum, ut jam latiùs alibi dixi? Verum hoc eſt, tamen dicitur canticum novum, quia propoſitum virginitatis maximè confirmatum, ac multiplicatum in Chriſto; ſic ait Joachim. Abbas: *Licèt hoc ipſum canticum ante adventum Domini cantaverint aliqui viri ſancti, ſicut Elias, & Eliſæus, in Chriſto tamen ſolemniter confirmatum eſt; & ex eo tempore multiplicati ſunt, qui hoc novum canticum perſonarant.*

In Chriſto propoſitum virginitatis confirmatum, ac multiplicatum.

87 Tertiò dicitur canticum novum, quia nihil tam ſuave auribus Dei inſonuit. Et undè tanta ſuavitate hoc canticum modulatur? Ait Paulus 1. Corinth. 7. n. 34. Mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore, & ſpiritu; ecce cur hoc canticum, novum dicitur, ideſt, longè ſuavius, ac dulcius ſolito, quia virgo, quæ hìc in præſenti Deum arctiùs, ac intimiùs cogitat, in Cœlis Deum ſuaviùs laudat. Hoc videtur eſſe de mente D. Auguſtini lib. de Virginit. dum ad illam adhortatur: *Pergite*, ait, *ſancti Dei puri, cœlibes, & innuptæ, pergite perſeveranter in fine: Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs; ſperate feliciùs, cui ſervitis inſtantiùs; amate ardentiùs, cui placetis attentiùs; afferte ad agni nuptias canticum novum, quod cantabitis in citharis veſtris, utique tale, quod nemo poterit dicere, niſi vos, ſic enim vidit vos in Apocalypſi quidam præ cæteris dilectus agno,*

Virgines intimiùs, & ſuaviùs Deum laudant.

qui diſcumbere ſupra pectus ſolebat. Expende illa verba: *Laudate Dominum dulciùs, quem cogitatis uberiùs.*

De dilecta ſua ſponſa decantat Dominus Cant. 4. num. 10. *Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Et qualiſnam ſit hic odor ſuper omnia aromata, ſtatim explicat num. 11. juxta Chaldaicam lectionem: *Odor veſtimentorum tuorum odor Libani.* Libanus idem eſt, ac candidatio, quæ nota virginitatis eſt; inde odor veſtimentorum, ſeu operationum illius erat ſuper omnia aromata, quia à candore Libani, ſeu à Virginitate procedebant, & odoramentum virginitatis ſuper omnia aromata virtutum ſuaviſſimum eſt Deo. Div. Ambroſ. lib. 1. de Virginit. *Odor*, inquit, *veſtimentorum ſicut odor Libani. Vide quem nobis tribuat virgo proceſſum: Primus odor tuus ſuper omnia aromata, ſecundus odor tuus, ſicut odor Libani, dominici corporis integritatem, virgineæ florem caſtitatis exhalat.* Ex eo quod ſecundus odor eſt à virgineo flore caſtitatis, inde primus odor eſt ſuper omnia aromata.

88

Virginitas ſuaviſſimum odoramentum dat Deo ſuper omnia aromata.

Dicitur Luc. 1. num. 27. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, de domo David & nomen Virginis Maria.* Mittitur Gabriel ut inter Nazareth conjuges, quærat matrem virginem filio Dei; & quando inter conjugatas Mater Dei eligenda erat, cur neceſſum fuit ut virgo quæreretur? Benè poterat alta Dei providentia ordinare, ut filius ejus de corrupta naſceretur; cur ergo magis matrem virginem relegit? Multæ hujus rei ſunt aptiſſimæ cauſæ, ut dixi tom. 1. in Evangel. lib. 1. cap. 5. q. 17. illa in præſenti non contemnenda ratio, quia illa quærebatur Dei mater, quæ profundiſſimè Deum cogitans, ſuavitate, ac dulcedine ſuæ orationis Deum alliceret, ut ſalutem incarnationis nobis daret; ad quod opus impetrandum eximiè conducebat ejus ſingularis virginitas, & ideo bis eam notat Evangeliſta: *Ad Virginem deſponſatam*; & iterum: *Et nomen Virginis*; ac ſi ipſa admirabilis virginitatis puritas, inſigniter Deum ad ejus preces inclinaret. D. Bernard. ſerm. 3. in Advent. *Datum eſt*, ait, *Mariæ, ut per illam acciperes, quidquid haberes; quæ per hoc, quod Mater eſt, genuit tibi Deum, per hoc, quod virgo eſt, exaudita eſt pro reverentia ſua in cauſa ſua, & totius generis humani.* Expende verba: *Per hoc, quod virgo eſt, exaudita eſt*; ac ſi ipſa virginitas eximiam fragrantiam Deo exhalet, ut ejus preces exaudiantur.

89

Virginitas ſuaviter, ac efficaciter impetrat à Deo.

Loquitur Magnus Parens Elias ad Achab. 3. Reg. 17. num. 1. *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluvia, niſi juxta oris mei verba*; & undè tantus Vates hanc ebibit confidentiam, qua ſibi perſuaderet, voce ſua poſſe claudi, & aperiri cœlum, præcipuè cum de hac re nulla ei facta legatur revelatio? Ad hoc ait D. Aldhelmus epiſt. de Virginit. cap. 10. *Elias vates*, ait, *virginitatis gratia decoratus, & ſpiritu afflatus prophetico, cœleſtia clauſtra, & nimborum obſtacula precibus patefecit.* Expende verba: *Virginitatis gratia decoratus*; virginitas tale odoramentum virtutum dabat homini erga Deum, ut facilè ab ipſo Deo impetraret quidquid precibus exorabat.

90

Virginitas dat in gratiarum actionibus ad impetrandum.

Apoc. 14. nu. 4. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quòcunque jerit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno.

Num. 5. Et in ore eorum non eſt inventum mendacium: ſine macula enim ſunt ante thronum Dei.

VERSIONES.

Arabicus nu. 4. Sunt autem ji, qui ſe non contaminaverunt cum mulieribus. Virgines enim, atque iſti ſunt, qui ſequuti ſunt agnum, quocunque ſe contulit: ji denique ſunt, qui per Jeſum ab hominibus, à principio empti ſunt Deo, & agno.

Syriacus.	Hi sunt, qui cum mulieribus non se polluerunt, &c. illi à Jesu empti sunt ex hominibus.
Primas. Presp.	Hi sunt, qui non coinquinaverunt se, virgines enim permanserunt.
Tertullian.	Hi sunt, qui vestimenta sua non coinquinaverunt.
Arabicus nu. 5.	Et non invenitur quid de mendacio in ore ipsorum, quia sine vitio sunt.
Tygur. Vatabl.	Non est in ore eorum inventus dolus.
Syriacus.	Sine maculis enim sunt.
Aretas.	Sine macula enim sunt, & sequuntur agnum quòcunque jerit.
Alii.	Et sunt irreprehensibiles.

EXPOSITIO.

91 HI sunt, *qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt.* Explicat noster Joannes, de quibus loquatur in superioribus, & sermo est de Virginibus, qui erunt tempore Antichristi; & propriè de iis agitur, qui nullam carnis commistionem habuerunt, ac proinde excluduntur ab hoc numero conjugati, ut notant Menochius, Ferrarius, quia licèt usus sancti Matrimonii non coinquinet absolutè, respectivè ad virginitatem multum discrepat ab ejus flore, qui per talem usum deperditur. Et sub masculis hìc intelliguntur virgines fœminæ, quia sub genere masculino, utpote nobiliori, intelligitur fœmineus sexus.

92 *Hi sequuntur agnum, quòcunque jerit*; hoc est, secundùm virtutem, & gratiam; ficque hi sancti virgines se abnegantes, Christum sequentur, eique secundùm affectum adhærebunt, ac cum eo unientur, ut sequantur *agnum, quocunque jerit*; tum ob perpetuum versandi cum Christo in oratione, ac contemplatione studium, tum ob perpetuam sequelam secundùm ejus præcepta, & consilia, ut ab eo minimè declinent. Et licèt fuerint aliqui sancti martyres, ac confessores, qui perfectè Christum sequuti sunt, tamen nulla fuit unquam tanta multitudo, quæ inter tam gravissima tentamenta Christum sequuta sit, ut in ultimis temporibus erit.

Per virtutem, & gratiam sequuntur agnum.

93 *Hi empti sunt de terra.* Omnes electi empti sunt sanguine Christi, ut sint peculium Dei; sed Virgines peculiari quodam modo talem perfectionem acceperunt, & talem puritatem corporis, & animæ, ut nihil terrenum appareat, cùm in terris, cœlestem, & angelicum vitam agant. *Primitiæ Deo, & agno*; hoc est, sunt virgines Deo, & Agno gratissimi, ac selectissimi, ac maximè æstimabiles fructus, & oblationes, quales in antiqua lege, erant primitiæ frugum, & hominum.

Virgines gratissimi sunt Deo.

94 *Et in ore eorum non est inventum mendacium.* Puritas virginalis, hanc vitæ sinceritatem, hunc candorem veritatis secum afferre solet, cùm nihil ambiat, nihil aduletur, non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; vel cùm ad tribunalia, vel cruciatus ducerentur, in ore eorum non est inventum mendacium idololatriæ, vel hæresis, ad quæ maximè tempore Antichristi adurgebuntur. *Sine macula enim sunt*; hoc est, ut habet Græcus codex, incorrupti, irreprehensibiles. *Ante thronum Dei*; idest, non solùm in conspectu hominum, qui sæpè falluntur, sed etiam in conspectu ipsius Dei, qui corda intuetur omnium.

Virginitas dat candorem veritatis.

QUÆSTIO XI.

Quare sequentes agnum, non solùm dicuntur virgines, sed etiam quòd cum mulieribus non sint coinquinati.

95 MAximè text. advertit, quòd centum quadraginta quatuor millia, cum agno erant in monte, ipsumque sequebantur; quòd virgines sint, & non sint coinquinati cum mulieribus. Non potest fieri, ut multi commercium habeant cum mulieribus, & tamen Virgines existant, & ideo addidit: *Virgines enim sunt.*

96 Et cùm dicitur in text. *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; fœminæ non sunt prætermissæ, sed sub genere masculino, utpote nobiliori, intelligitur fœmineum, quia subalternum; & etiam quia virginitas adeo excellens virtus est, ut masculus sit, virilesque vires habeat, qui illam observat. Cum R. P. M. Dominicus Bannez, vir sapientia, eruditione, ac religione præclarus prima vice inviseret B. Theresiam, cum eaque per multas horas protraheret sermonem, interrogatus quid de muliere judicaret; respondit ipse se cum nulla muliere fuisse loquutum; cùm verò ei objiceretur: Nonne vestra R. Paternitas cum Theresia largum habuit colloquium? tunc ipse dixit: Mater Theresia non est mulier, sed vir barbatus, & multa barba repletus. Dicitur Cantic. 8. n. 6. *Pone me ut signaculum super cor tuum, & ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est, ut mors dilectio*; ac si dicatur, ut explicant D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 15. & serm. 22. D. Anselm. & alii: Pone me tanquam sigillum, ut imprimatur super cor, & brachium tuum, ut tuæ cogitationes, ac operationes, meæ potiùs (Christus ait) quàm tuæ videantur. Si verò quæras quomodo cor pavidum mulieris, illiusque debile brachium valet Christi fortitudinem induere? Respondetur: *Quia fortis est, ut mors dilectio.* Amor fortis est, & vi, ac impulsu amoris sic debilitas fœminina moritur, ac extinguitur, ut convertatur in Christi robur, ac fortitudinem; sic amor fortis est in virgine, ut muliebrem imbecillitatem excludat, & virilem fortitudinem acquirat.

Amor fœmineam imbecillitatem excludit, & virilem comparat.

Et profundè considera, quòd non solùm dixit: *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; sed addit: *Virgines enim sunt & sequuntur agnum*; & cur hæc addantur? nam qui à mulieribus se abstinet, virgo dicendus est. Rectè respondet D. Bernardin. tom. 1. serm. 59. art. 1. c. 2. triplicem esse virginitatem, corporalem scilic. mentalem, & virtualem propter Deum. Prima: hi Sancti habuerunt virginitatem corporalem, & ideo ait Joannes: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; scilicet corpore, sed incorrupti perseveraverunt. Secundò habuerunt virginitatem mentalem, quæ dignior est, quàm corporalis, & de hac subjungit: *Virgines enim sunt*; mente scilic. nam apud Deum parum prodest virginitas corporis nisi adsit virginitas cordis. Tertiò habuerunt virginitatem spiritualem, seu virtualem, quia illa duo habuerunt, non propter gloriam Mundi, sed propter gloriam Christi, nam sequestrantes mentem suam ab omni pollutione dæmonum, servientes Deo in omni virtute, *sequuntur agnum quòcunque jerit*. Parum prodest virginitas corporis, & animi, nisi habeas hanc virtualem, ut agnum sequaris in omni humilitate, ut ait citat. D. Bernardinus.

97

Parum prodest virginitas corporis, nisi agnum sequaris.

Hæc verba: *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati*; sic legit Tertullian. lib. de Resurrect. carnis c. 27. *Hi sunt, qui vestimenta sua non coinquinaverunt cum mulieribus*; virgines scilicet significans. Hæc lectio Tertulliani prima facie videtur præter rem, nam quid est non coinquinari cum mulieribus, cum hoc, non maculari vestimenta sua cum illis, quia virgines sunt? Valde profundè loquitur Africanus: Sic tenerrimus, ac delicatus est virginitatis flos, ut leni libidinis flatu marcescat, & inde optimè explicat hujus pulcherrimi floris naturam, quia virgines non solùm à concubitu, ac commercio mulierum sint immunes, sed etiam ab earum levi tactu in vestimento, ac ornamento se abstineant. Sic candidus, ac delicatus est virginitatis flos, ut levi contactu in filo, ac linea unius mulieris conteratur, ac maculetur; & relicto vulgari exemplo pallii Joseph in manibus fœminæ, Genes. 39. n. 12. sic rem confirmo.

98

Flos virginitatis luxuriæ afflatu marcescit.

Cùm Moyses moram faceret in monte, rigidè populus Aaronem adurget, ut ei constituat Deos ad itineris viam; tunc ad universos populi dixit Aaron: *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorum, filiarumque vestrarum auribus, & afferte ad me*, Exod. 32. num. 2. quas cum injecisset in ignem, nullo artificio appositio, ut multis placet, prodiit vitulus conflatilis; tunc erecto altari, omnes *surrexerunt mane, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere,*

99

bibere, & *surrexerunt ludere*. Multi Rabbini pro ludere, legunt, *fornicari*; & Tertullianus hunc ludum impudicum fuisse interpretatur lib. de jejunio; quid erat in illo auro, ut ex illo prodiret excitamentum idololatriæ, ac fomentum luxuriæ? ex auro communiter acuitur in hominibus appetitus, & inde nascuntur bella, & contentiones; non sic ex illo auro, sed ex eo occasionatur idololatria: *Obtulerunt holocausta*, & *hostias pacificas*; ex eoque occasionatur impudica luxuria: *Surrexerunt ludere*, *surrexerunt fornicari*. Aurum illud olim inservierat cultui, ac impudicitiæ mulierum: *Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque, & filiarum vestrarum auribus*; ex impudicis auribus, ac faciebus mulierum, quibus fuerat in ornamentum, aurum illud talem contraxit conditionem, ut induceret ad execrabile idololatriæ nefas, & ad luxuriam libidinosam: *Insurrexerunt fornicari*; ex contactu luxuriæ talem impudicitiam ebibit illud aurum, ut cum esset injectum in ignem, & ibi alias fœces amitteret, tamen luxuriæ fœces non valet deperdere. Ab hac cogitatione non multùm dissentit Clemens Alexand. qui 2. Pedagog. cap. 12. sic loquitur: *Beati quidem fuissent hebræi veteres, si Mundum mulierum abstuliissent, & abjeciissent, vel solummodo fudissent; nunc autem cùm aureum bovem conflassent, & in eo adorando idololatriæ peccatum admisissent, ipsi quidem nec ex arte, nec ex proprio instituto commodi quicquam cæperunt, sed omne incommodum reportarunt.*

Tactu impudicæ fœminæ, sic luxuria ebibitur, ut nec igne exinguatur.

100 Proficiscitur Judith in castra Assyriorum, ut sua pulchritudine capiat Holofernem; ait text. Judith. 10. num. 5. *Imposuit Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam, & palathas, & panes, & caseum, & profecta est*; & cum introducta esset in tabernaculum Holophernis, cumque ipse mandasset ut ex omnibus cibis mensæ suæ elegantissimæ fœminæ apponerentur, ipsa abstinuit, & expanso sinteo suo, solùm manducavit ex his, quæ ipsa secum attulerat, ut dicitur cap. 12. n. 19. *Et accepit, & manducavit, & bibit coram ipso ea, quæ paraverat illi ancilla ejus*; cur Judith non manducat, & bibit, panem, caseum, oleum, & vinum ex mensa Holofernis, cùm hæc omnia, tam liberaliter ei impenderentur? vel cur saltem illa apud se non retinet ad eleemosynas pauperum, sed universa illa à se rejicit? Glossa Ordinaria ad citat. cap. 12. *Ne coinquinaretur cibis eorum*. Timuit castissima fœmina manducare, bibere, ac tangere ea, quæ impudicæ, ac luxuriosæ mensæ inservierant; ne ergo ejus castitas coinquinaretur, ac aliquam maculam contraheret ab his, quæ ab impudicis manibus contacta sunt, à se abjicit, & magna circumspectione refugit, utpote reputans illa veneno luxuriæ infecta, ex cujus tactu facilè pestis contrahi poterat.

Casta mulier fugit, quæ à luxuriosis manibus tractatur

QUÆSTIO XII.

Quare omnes isti sequentes agnum, insigniter virgines dicuntur.

101 CEntum quadraginta quatuor millia stant cum agno, in monte Sion, ipsumque sequuntur, quocunque jerit; & notatur apertè in text. quod omnes isti sint virgines, ac si ob virginitatem ad tantum apicem evehantur, ut cum agno assistant in monte Sion, ipsumque ubique sequantur quocunque jerit.

102 Ad quod primò respondeo, quod puritas virginalis maximè Deo placet, eique magna in æstimatione est, & ideo ab eo maximè gratificatur, extollitur, ac remuneratur. Adsunt undecim fratres in convivio cum Joseph; ipse tamen sic rem ordinat, & disponit, Genes. 43. num. 34. *Major pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet*. Illi duodecim fratres, tribuum capita, ac Patriarchæ erant, in quibus maximè omnes virtutes, ac dona repræsentabantur, ut dixi tom. 1. ad cap. 7. n. 5. & 6. undè ergo Beniaminicæ partis augmentum? Inter hos omnes unus Beniamin virgo tunc, & castus erat, & castitatis gratia, ejus præmium quintupliciter auctum est. D. Ambros. lib. de Joseph cap. 10. sic ait: *Ideo in convivio pars ejus quintupliciter major effecta est, quod haberet superioribus*

Virginitas plus assimilatur, quàm omnes aliæ virtutes.

anteferri, non solùm mentis prudentia, sed etiam munditia corporis, & gratia castitatis. Expende ultima verba: *Gratia castitatis*; quia pro tunc adhuc mulieris non habuerat contactum.

Secundò dum virgines Christum sequuntur, ipse agnus dicitur, denotans suæ eximium candorem puritatis, ac virginitatis. Unusquisque maximè afficitur ad sui simile; sic Christus agnus purissimus virginitatis, maximè ad se advocat virgines, & castos; quod notat Div. Augustin. lib. de Virg. cap. 27. sic ait: *Sequimini agnum, quia & agni caro, utique virgo est*; *hoc retinuit auctus, quod matri non abstulit conceptus, non natus*. Expende illud, in se *retinuit auctus*; ac si diceret: Christus semper virginitatem retinuit, & in Cœlo etiam de ea multum gloriatur, hinc & agnus vocatur, quam tamen nascendo illæsam matri reliquit, tanquam rem maximi pretii, ac summæ æstimationis. 103

Christus maximè afficitur ad Virgines.

Hinc virginibus maximè gaudet, eisque vult semper adesse, eisque assimilari, ac adumbrari. Sæpe ego miratus sum, cur medio juventutis flore, permissus esset sanctissimus Abel occidi: *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum*, Gen 4. num. 8. & occiditur tantus vir in tanta virorum raritate, quando liberorum procreatio laudatissima foret; an non servaretur convenientiùs usque ad virilem ætatem, & post amplam filiorum segetem, tunc perimi potuisset? Sed juvenis interficitur, & ante nuptias; disponebatur ipse, ut esset prima imago, ac similitudo divini Verbi passuri, quæ nulli gratiùs, quàm Virgini commendatur; & nullus alius primo debuit splendescere imagine, ac typo Salvatoris, nisi virgo. Ad hoc respicit Div. Augustin. lib. 1. de mirabil. sacræ Scripturæ dicens: *Primus post delictum, Salvatoris nostri gestavit figuram, qui virgo, & sacerdos, & martyr*. 104

Deus maximè virginibus vult repræsentari & adumbrari.

Tertiò virgines in monte Sion associantur Agno. Virgines inter omnes aptissimi ut dæmonem destruant, ac devincant, de eoque gloriosè triumphum reportent: sic ait D. Aldhelmus epistol. de Virginitate: *Quod virginitas debellatrix sit dæmonum, ac vitiorum triumphatrix*. D. Gregorius Magnus consideratis his agnis super montem Sion, cùm vero agno Christo Jesu, statim oculos convertit ad Saulis factum; nam expugnaturus Amalech, ait text. 1. Reg. 15. num. 4. quod Saul *præcepit populo, & recensuit eos, quasi agnos*. Videtur injuriam fieri militibus exeuntibus in bellum, quod dicantur tanquam agni; cur non potiùs comparantur cum leonibus, vel aquilis? quod maximè videtur competere virtuti bellicæ, ut dicerentur fortiores leonibus, velociores aquilis, ut Jerem. 4. num. 15. sed tanquam agni introducuntur: *Recensuit eos, quasi agnos*. Egrediebantur ad pugnam contra Amalech, qui interpretatur turpitudo vitiorum, seu Diabolus, ut placet Tertull. lib. adversùs Jud. cap. 10. & ad pugnam contra vitia, ac Diabolum, nulli fortiores milites, quàm illi qui sunt veluti agni, qui sua puritate, munditia, ac castitate vitia, & Diabolum expugnant, & destruunt. D. Gregor. Magn. ad cit. loc. Reg. sic ait: *Quasi agni sunt, quia per gloriam perfectæ pudicitiæ, jam illis Virginibus cum Christo in regno gaudentibus, similantur*. 105

Virgines fortiter pugnant contra Diabolum & vitia.

Quartò virgines, & puri sua munditia, ac integritate maximè assimilantur supremo agno, & inde valde digni existunt, ut ei assistant, ejusque latere exeuntes existant. Psal. 44. num. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*; undè bona puella tantum honorem adepta est, ut esset Regina Regi adhærens, & non quocunque modo, sed à dextris ejus? Erat pura virgo dominans illecebris, ac voluptatibus carnis, & ex ipsa puritate sic evecta est, ut esset Regina, dexterum locum supremi Regis tenens; quod graviter expendit Div. Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Adverte*, ait, *ò Virgo, quantum tibi Spiritus Sanctus, Scripturæ divinæ testificatione, detulerit regnum, aurum, pulchritudinem; Regnum, vel quia sponsa es Regis æterni, vel quia invictum animum gerens, ab illecebris voluptatum, non captiva haberis sed quasi Regina dominaris*. 106

Virgines maximè assistunt & adhærent Deo.

107 Virginibus maximè congruit dominari.

O felices dominatoris agni laterones! de jis enim scribitur, quòd ſtabant cum agno in monte Sion, *habentes nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis, virgines enim ſunt.* Omnes nomen regium ejus, & Patris ejus habent in frontibus ſcriptum: Regalem ſuam ſtirpem, qua omnibus carnis concupiſcentiis dominaretur, ſuo ipſo nomine pandunt, undè pulchrè Arnold. Carnot. ait; *Maria, lingua ſyriaca, Domina dicitur; Chriſtus Dominus, Maria Domina,* cum omnibus dominentur.

108 Ubi virginitas, ibi regnum.

Sicut, ut dicitur Apoc. 4. nu. 4. In circuitu throni ſtabant viginti quatuor ſeniores, tanquam Reges, cùm haberent coronas aureas in capitibus ſuis, ſic nunc in monte Sion ſtant cum agno centum quadraginta quatuor milla virginum, tanquam magni Reges, cum omnibus concupiſcentiis, ac illecebris mentis dominentur. Cantic. 7. n. 6. dicitur: *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis.* Ubi caſtæ ſunt cogitationes, quæ crinium denotantur nomine, ut placet D. Ambroſ. & Anſelmus ſtatim regalis purpura fulget, & nitet.

109

Cùm Joſeph ab impudica muliere ſollicitaretur, reſpondet ipſe, Geneſ. 39. num. 9. *Nec quicquam eſt, quod non in mea ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præterte, quæ uxor ejus es;* Joſeph revera ſervus erat Putipharis, cur ergo non dixit ſervus: *Præter te, quæ Domina mea es?* cur non Domina à ſervo dicitur, ſed tantùm uxor, præcipuè cùm ab ingenuis quælibet fœmina Domina vocatur? Rectè pro Joſeph ſtat D. Ambroſius lib. 5. dicens: *Non ipſa Domina dicitur; quomodo Domina, quæ dominandi non habet officium, quæ diſciplinam Domini non tenebat? ille Dominus, qui amantis non excipit facies.* Equidem virgini adnatus eſt principatus; illa minimè Domina dicitur, quæ appetitui ſerviebat, illique ſe ſubjecerat, ſed potiùs Joſeph Dominus eſt nuncupandus: *Ille Dominus, qui amantis non excipit facies*; & jam ad principatum augurabatur, qui appetitui dominabatur, ardenteſque concupiſcentiæ ignes refrænabat.

Ille ſolus Princeps, qui appetitui dominatur.

110 Ad intuitum caſtitatis omnia imperia vileſcunt.

Ait Chriſtus D. Matth. 6. num. 26. *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* Proponit Dominus ante oculos campi lilia, & Salomonis regium ſplendorem in omni gloria, & hunc inferiorem reputat illis; & quomodo ſplendidiſſimi Regis, & ditiſſima gloria poteſt eſſe inferior campi liliis? In liliis conſideratur ſplendor caſtitatis, & nota virginitatis, ut ſatis notum eſt, & ubi puritas caſtitatis candeſcit, ac nitet, ibi major gloria fulget, quàm in omni ampliſſimo Regno. Lilia caſtitatis radios ob candorem exhibent, inde nulla eſt gloria gentis, nullus ſplendor Regni, qui cum illis poſſit conferri. D. Paſchaſius in Pſal. 44. *Virginitas*, ait, *quæ Angelis comparatur, per lilia ſæpè in ſacris Scripturis præfiguratur, & ideo dixit Dominus, quod nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis; in quibus nimirum floribus, renitet intus floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ caſtitatis.* Ad intuitum virginitatis omnia imperia vileſcunt.

QUÆSTIO XIII.

Quare virgines tam adhærenter ſequuntur agnum, ut cum eo tendant, quòcunque pergit.

111

VIrgines ſequuntur agnum quòcunque jerit, & diſcrepant multùm ab illo ſuperbo ſcriba, ut notat D. Paſchaſius lib. 5. in Matth. qui accedens ad Chriſtum arroganter de ſe dicebat: *Magiſter, ſequar te quòcunque jeris*, Matth. 8. num. 9. & inde ob ſuam ſuperbiam rejicitur; ſua verò puritate, ac humilitate hæ virgines ad agni ſocietatem, ac ſequelam advocantur.

112 Familiaritatis nota alliganda alligatis.

Tota quæſtio eſt, quare cùm de omnibus ſanctis dicatur: *Amicti ſtolis albis ſequuntur agnum quòcunque jerit*; peculiariter tamen hoc hic affirmat de ſanctis virginibus noſter Joannes? Qua phraſi, non aliud putant hic ſignificari Viegas, Alcazar, Cornelius, la Haye, quàm virgines eſſe Chriſto Domino familiariſſimos; nota enim familiaritatis eximiæ eſt aliquem ſemper aſſociare, & ab eo nullo modo divelli.

D. Auguſt. lib. de S. Virg. c. 27. & ſeq. hunc locum exponens cap. 27. quærit: Quò putamus eum ire, in quos ſaltus, & prata, quò eum nemo ſequi vel audeat, ve valeat, niſi virgines? Et reſpondet prata hæc, eſſe gaudia beatorum, virgineſque ſequi agnum in gaudia à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta, cæterique beati ſequuntur agnum, ſed non quòcunque jerit, cum in gaudia virginum non ſequantur, quia multi, virgines non ſunt, virgines autem in omnibus ſequuntur. Et confirmatur ex libello quodam, qui refertur inter opera D. Hieronymi, & inſcribitur *Laus Virginitatum*, ubi ſic dicitur: *Beatus Joannes Apoſtolus loquitur, quod ſequuntur agnum quòcunque jerit, quod ita intelligendum puto: Nullum eis locum in cæleſti aula claudendum, & cuncta eis divinarum manſionum habitacula reſeranda.* 113

Contra hæc facilè objici poteſt, quòd ſi conjugati non ſequuntur agnum in gaudia virginum, nec etiam virgines ſequuntur agnum in gaudia martyrum, doctorum, Prophetarum, ac Apoſtolorum, quia multi virgines tali munere non ſunt inſigniti, ac proinde non ſequuntur agnum quòcunque jerit. Hac de cauſa hanc difficultatem ſic ſolvit, & reſpondet Ribeira, quòd in illa virginum multitudine omnia virtutum merita inveniantur, multi enim erunt martyres, alii doctores, alii Epiſcopi &c. & addit, quod ſententia maximè procedit de virginibus ſub Antichriſto, qui omnium virtutum meritis erunt cumulatiſſimi. At hæc ſententia maximè derogat excellentiæ ſanctorum virginum, dum non de illis ſigillatim, ſed de tota eorum collectione intelligit, quod ſequantur agnum quòcunque jerit. 114 Objectio.

Vera noſtra ſententia eſt, quòd virgines ſequuntur agnum quòcunque jerit, ſecundùm ejus præcepta, mandata, ac conſilia; quod valde peculiare eſt virginibus, nam qui virgines non ſunt, jam non ſequuntur agnum, ſecundùm omnia ejus conſilia, quod maximè habent virgines, qui frequenter ſunt humiles, mites, pacifici, pauperes ſpiritu, qui agnum imitantur, ut ait D. Auguſtin. & ejus exemplum ſequuntur, ut loquitur hic Rupertus; quod maximè apparebit in virginibus noviſſimo tempore, qui non ſolùm tormentis afficientur, ſed etiam à viris apparenter ſanctiſſimis, ac eruditiſſimis, in eorum conſpectu multa mirabilia operantibus, quibus ſuam doctrinam confirmare conabuntur, eos ad laſciviam provocare curabunt; cui tentationi validiſſimè reſiſtentes, eorum virtus maximè refulget. 115 Sequuntur ſecundùm mandata, & conſilia.

Antequam alias expoſitiones morales referamus, in laudem Virginis Mariæ dicamus, quod hæc eſt magna virginum prærogativa, ut agnum ſequantur quocunque jerit; at in Virgine Maria multo quid eſt amplius, quod agnus ipſam ſequutus ſit. Profero teſtem Richard. à S. Laurentio lib. 1. de laudibus ejus cap. 5. *In laude*, inquit, *aliarum virginum quod ſequuntur agnum quòcunque jerit, de illa autem ſecurè poteſt dici, quod agnus ſequebatur eam quòcunque ivit*; undè Lucæ 2. n. 51. ſcribitur: *Deſcendit cum illis Nazareth, & erat ſubditus illis.* Agnum ſubſequi, pars gloriæ eſt, in Cœlo; & ipſe partem gloriæ ſuæ reputat in terris, matrem Virginem ſequi quòcunque jerit; ille, quem virgines gloriosè ſequuntur, Virginem virginum gloriosè ſequitur. 116 Virgines ſequuntur agnum, ſed agnus Deiparam.

Ad noſtram quæſtionem moraliter: Sequuntur agnum tanquam fideliſſimi ejus miniſtri, & quaſi duces, ac principes cœleſtis curiæ; ſic ait Joachimus Abbas in præſenti: *Virgines ſunt principes beatæ illius multitudinis, quæ dinumerari non poteſt.* Quid glorioſius virginibus, quàm quod beatorum cœleſtis exercitus, quaſi principes, & duces conſtituantur? Confirmatur; quia in cœleſti beatitudine omnes electi virgines, conjugati, & viduæ agnum ſequuntur; cur tamen de ſolis virginibus tanquam quid peculiare hoc dicitur? Quia virginitas, reſpectu aliorum ſtatuum ſe habet tanquam Sol, de cujus lumine, ac ſplendore conjugati, & viduæ tanquam luna, & ſtellæ participant; 117 Virginitas ſicut Sol alios virtutibus dat ſplendere.

cipant; ita docet Div. Augustin. lib. de Virgin. & ait: *Sicut se habent stellæ, Luna, & Sol, ita tres hi status; virginitas autem Sol est, & sicut Sol lumen, & lucem tribuit aliis, seu splendorem, & ipse incomparabiliter excedit: ita & virginitas aliis virtutibus.* Quod etiam confirmari potest ex Isaia de Eunuchis, cap.66. nu.5. de quo infra.

118 Secundò idem D. Augustin. citato libro de Virginit. *Sequuntur*, ait, *Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quòcunque ille jerit, sed quòusque illi potuerint.* In cæteris ad vocem Dei sequendam, spectari debet, quid ipsi possint, juxta impedimentorum rationem; in virginibus, eo ipso, quod virgines sunt, non dubitatur de eorum facultate, ac promptitudine, & facilitate ad omnia. Ut virginitas à se omnia impedimenta abiicit, sic de ea, non est dubitandum, quòd expeditissimè possit currere ad quæcunque munera, ad quæ Deus vocaverit. Cùm Moyses properaret ad visionem ardentis rubi, vox impediens clamat: *Ne appropies huc; solve calceamentum de pedibus tuis*, Exod.3 num.5. solutio enim calceamenti, apud antiquos Israelitas, ritus erat renuntiandi debitis ex lege nuptiis; ut ergo Moyses expeditus sit, & valeat accedere, quo vocabat eum magna Dei visio, nuptiis renuntiare mandatur, ut carnalia abiiciens, lacteam virginitatis viam arripiat, ut facilis, & expeditus abeat ad Dei vocem, ejusque mandata sequenda. D. Hieron. lib.1. adversùs Jovinian. sic ait: *Moyses cùm vidisset visionem magnam, & Angelum, sive Dominum loquentem in rubo, nequaquam valuit ad eum accedere, nisi solvisset corrigiam calceamenti sui, & abjecisset vincula nuptiarum.*

Virginitas promptissima ad Dei obsequia, ac sequelã.

119 Tertiò de his virginibus dicitur: *Sequuntur Agnum quocunque jerit*; & quando decantatur: *Vicit Leo de tribu Juda*, Apoc.5.num.5. cur non dicitur, hi sequuntur leonem? & quando dicitur Deuter.32. numer.11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis*; nempe populum suum; cur hi magis dicuntur secuti aquilam? Ad hoc sanè ut possis pertingere quemcunque locum, in quo Christus est, non tam leoni fortitudo, non tam perpetes aquilæ volatus proficiunt, quàm sequela agni occisi. Non prodest quod fias leo, quod fias aquila, nisi agnus fias mactandus, ut possis ad locum devenire, quem tenet agnus innocentissimus. D. Bernard. serm. 5. de Ascens. *Sequamur fratres*, ait, *sequamur agnum quòcunque jerit; sequamur patientem; crucifigatur vetus homo noster, simul cum illo, ut destruatur corpus peccati.*

Ille ad Christum venit, qui cum ipso crucifigitur.

120 Vidit Petrus Jesum super aquas ambulantem, & facultate accepta similiter super aquas gradiendi sese undis commisit; quid tunc? *Videns verò ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac*, Matth.14. nu.30. cur Petre sic mergeris? cur facuitate data nequis consistere super eas undas, super quas ipse Jesus consistit? Pro hujus causa indaganda, recole, quòd cùm Jesus dixisset discipulis suis, quòd oportebat eum ire Jerosolymam, occidi, & crucifigi à Principibus sacerdotum, *tunc assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, Matth.16. nu.22. ecce Petrus Crucis mysterium tollere nititur, ne inde inducatur per Crucem Christum sequi; ne miremur ergo, quod non possit super undas consistere, super easque ad Dominum venire, cum super aquas consistat Jesus, nam ille solus, ubi Christus est, potest eum sequi, qui non refugit, sed amat Crucis sequelam. Pulchrè Petrus Damian. serm.31. sic inquit: *Nec mirum, tibimetipsi, ò Petre, maris tunc formidasse periculum, qui pro mentis infirmitate magistrum, & Dominum tuum nolebas Crucis subire patibulum.*

Ille ad Christum venit, qui Crucẽ non refugit, sed amat.

121 Quartò virgines terrenis cupiditatibus dimissis eximia puritate præfulgentes, Dei consortes fiunt, & inde aptissimi inveniuntur, ut agnum quocunque jerit sequantur. Vehementer exortatur Paulus suos discipulos, ut cum Deo ambulent, ipsi placentes, & subdit: *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*, 1. Thessalon.4 num.3. & quænam est sanctificatio hæc, quam Apostolus exoptat ad ambulandum cum Deo ipsumque sequendum? D. Chrysostom. Div. Hieron. Tertullian. Cassianus relati à Justinian. ibi, per sanctificationem, castitatem interpretantur, quæ sic sanctificat, ac deificat hominem in omni virtute, ac sanctitate, ut soli Deo fiat consors, ut ipsum in omnibus sequatur. Auctor Caten. Græc. in cap.2. Luc. *Incorrupta utique*, ait, *est virgo illa sancta, & labe carens propter virginitatem deficantem, quæ modo quodam purissimorum ejus mysteriorum consortes gloriæ, soli, purissimoque Deo verè, propriè consortes facit, propter puritatem, incorruptionemque illi conjunctos.* Expende verba: *Virginitatem deificantem, quæ soli Deo verè, propriè consortes facit.*

Virginitas comitantes Agnũ ipsũ sequũtur.

QUÆSTIO XIV.

Quare cùm omnes homines empti sint pretio magno Christi; Virgines hìc tamen peculiariter dicuntur empti.

122 VIrgines in præsenti sequuntur agnum, quocunque jerit; & subditur: *Hi empti sunt ex hominibus.* Tales sine dubio pretio comparati sunt, & ab ipso agno empti sunt, ut statim dicam ex D. Paulo; sed cur non exprimitur hìc in text. quòd ab ipso agno sint pretio acquisiti? Tamen cùm dicitur, quòd *sequuntur agnum*, ibi apertè denotatur, quòd ab ipso agno empti sunt magno sui sanguinis pretio, nam qui Christo adhæret, & ipsum sequitur, securus est, quod omne medium, ac remedium vitæ, & salutis ei ab ipso Domino provideatur.

Qui sequitur Christũ ab ipso habet vitam, & salutem.

123 Nota deinde, quòd virgines electi, dicuntur empti primitiæ Deo, & agno, cùm tamen pro suis electis Christus proximus morti, cum ad Patrem oraret, dicebat: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*, Joan.17. nu.11. si empti sunt à Christo pretio sui sanguinis, quomodo dicuntur ei dati, tanquam gratis? Christus erat, qui loquebatur ad Patrem, qui quamvis suis meritis infinitis de rigore justitiæ, principatum inter suos electos obtinuerit, eosque redemerit, tamen amoris vi ejus opera pauca ei videbantur, & ideo eos quodammodo non pretio, ac morte sibi comparatos, sed ex dono tanquam gratis acceptos dicit; quod docet Richardus de S. Victore à me relatus tom.2. in Evang. c.3.qu.44.num. 251. vide ibi dicta.

Christus, quæ pro nobis egit, in pauca reputat.

124 Ad quæstionem propositam: Omnes electi empti sunt efficacitate sanguinis Christi, juxta illud 1. Corinth.6. num.20. *Empti estis pretio magno*; quid est ergo quòd virgines dicuntur empti de terra, empti ex hominibus? nunquid eos, qui sacro se connubio dedicaverunt, à pretio divinæ redemptionis excludit noster Joannes? Minimè sanè; omnes empti sunt pretio sanguinis Christi, quomodo ergo solùm de virginibus, vers.3. & 4. ait: *Empti de terra, empti ex hominibus?*

Difficultas quæstionis.

125 Respondeo cum communi sententia, quòd licèt omnes electi empti sint sanguine Christi, ut sint peculium Dei, tamen virgines peculiari quodam modo dicuntur empti, ac in eis collocatum pretium sanguinis Christi, dum illius virtute perfectam puritatem corporis, & animæ acceperunt, ut terra altiores vitam cœlestem ducerent; & notanter ait text. *Empti de terra, empti ex hominibus*, ut exuti à terra, ac humana conditione, quæ usus matrimonii habet, in cœlestem, ac angelicam sortem transmutarentur. Pannonius: *O donum admirabile! O meritum fragilis vitæ excellentissimum! cujus tanta est commendatio; sic nempe empti, segregatique de terra Virgines, ut præcipuum sortirentur præmium, & magis Angelis, quàm hominibus æquarentur, Deo in primis accepti.* Sic Deus virgines diligit, sic virginitatis complacet in flore, ut de ipsis solùm recordari, pro ipsisque solùm videatur sanguinem fudisse, quamvis cæteri à tanto beneficio non excludantur. Joachim. Abbas: *Ipse emit viros ipsos de terra, ne aliquid cogitarent, & ut essent in primitiis aliorum, quorum est infinitus numerus.*

Virginitas rapta est excellentior, ut peculiaritèr dicatur empta.

Deus in Virginitate complacet.

126 Loquens Deus de Eunuchis spiritualibus, id est, de puris, ac castis, ait per Isaiam 56. num.5. *Dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis*

Virgo inter Angelos habet insignissimum locum.

à filiis, & filiabus; & nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Puris, ac virginibus promittit Deus in domo sua, ac in sua tutela, & protectione, quæ per muros intelligitur, non solùm quemlibet locum, & nomen, sed etiam illustrius, ac excellentius super cæteros filios, ac filias in gratia, super cæteros nempe justos, ac sanctos, ac etiam super Angelos; & cur virgines, ac puri in tantum apicem extolluntur? Utpote pro splendore tantæ virtutis Deo maximè grati, ac intimè charissimi amici, ac familiares. D. Basilius lib. de vera Virginit. sic de Virgine loquitur: *Sciat se esse animatum Christi vas. Talibus pro humano nomine Angelorum immortale nomen dabo, ut Cœli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, & locum inter Angelos insignissimum, nomenque indelebile pro eximiæ virtutis splendore.* Virgo non solùm inter Angelos habet locum, sed etiam insignissimum cùm sit animatum Christi vas.

¶ 27 De Jeremia dicitur, cap. 1. num. 5. *Priusquam te formarem in utero novi te; & antequam exires de vulva sanctificavi te*; cur Prophetæ tam antelucana sanctitas, tam antelucanis donis cumulatur, ut in utero peculiariter dicatur à Deo agnitus, ibique sanctificatus? quod inter Patres veteris testamenti non facilè invenies; quid ergo in isto puero apparuit, ut tot, ac tantis donis esset sublimatus, ac super quamplurimos nobilitatus? Destinabatur puer, ut in sancta virginitate, ac puritate viveret, & ipsa virginitas, ad quam destinatus erat, sic allicuit ad se divinam benignitatem, ut multis donis cumulatus in altum apicem sanctitatis eveheretur. Div. Hieronym. lib. 1. contra Jovinian. *Jeremias*, ait, *in utero sanctificatus est, & cognitus in vulva matris; ideo hoc privilegio fruitur, quia virginitatis erat beatitudini destinatus.*

Virginitas magnis donis cumulatur à Deo.

¶ 28 Expende vim rationis subjectæ: *Quia virginitatis erat beatitudini destinatus.* Veluti si duæ sint beatitudines, una in Cœlis, altera in terris; illa implet cœlorum principes, hæc in virginibus resplendet; uti æquè sibi similes, & penè pares, adeo ut sicut cœlestis beatitudo non admittit aliquid coinquinatum, sed omnimoda puritas, & sanctitas ad illam sola accedere valet, sic necessum ut omnigena puritate, & sanctitate præparetur, qui aptatur beatitudini virginitatis; cum in terris quandam beatitudinis conditionem agere videatur. Pro quo maximè facit Div. Bernard. epist. 42. *Sola est castitas*, ait, *quæ in hoc mortalis, & loco, & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia, morem beatæ illius vindicat regionis, in qua neque nubunt, neque nubentur, præbens quodammodo terræ cœlestis jam illius conversationis experientiam.*

Virginitas quandam beatitudinis conditionem in terris.

¶ 29 De Gabriele Angelo ait D. Lucas cap. 1. numer. 26. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem.* Veniebat Angelus de Cœlis volitans ad Virginem, ut meditatur D. Basil. Seleuc. Orat. & ait: *Gabriel ad Deiparam missus, ad inferiora hæc descendebat, Cœlos utique à tergo relinquebat.* In tanta æstimatione virginitas est apud beatos spiritus, ac si citatis verbis innuat Sanct. Pater, cœlestia tergo dari ab Angelis, ubi præ oculis virginitatem possunt habere, cum illaque conversari, ac habere sermonem, eamque debita reverentia venerari.

Angeli pro Virgine veneranda cœlos relinquunt.

QUÆSTIO XV.

Quare sancti virgines ex omnibus electis dicuntur primitiæ Deo, & Agno.

¶ 30 PRima, & communis ratio omnium Interpretum est, quia primi fructus sui novitate sunt sapidissimi, ac omnium votis gratissimi; ad quod alludit Jerem. 2. num. 3. *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus*; sicut enim Israel præ omnibus gentibus fuit electus, & dilectus Deo, sique oblatus quasi primitiæ, ut esset primus populus sanctus, ac fidelis, ita ex omnibus electis virgines tanquam primitiæ illustrissimæ, acceptatissimæque Deo offeruntur, ac proponuntur, ut latè dixi supra q. 13. c. 14.

Virgines gratissimæ Deo.

¶ 31 Secundo virgines dicuntur primitiæ Deo, & agno, quia sicut primitiæ soli Deo offerendæ reservantur, ita etiam virgines integritatem carnis illibatam Deo servent; quam virgineam perfectionem in sua sponsa laudat Dominus dicens Cant. 1. nu. 10. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis*; quid est quod genæ sponsæ turturi comparantur? In gena honestas, puritas, ac verecundia animæ agnoscitur, inde ejus puritas, cum turture confertur, quæ unum tantùm comparem agnoscit, & alterum nescit; sic & virgo Deo dicata, soli Deo invigilet, omnium rerum mundialium obliviscens. Div. Bernard. serm. 4. in Cantic. sic ait: *Cur verò sicut turturis? Pudica avicula est, & conversatio ejus non cum multis, sed sola degere fertur contenta compare, ita ut si illum amiserit, alterum non requirat, sed sola deinceps conversetur. Tu, inquam, si inardescis dare operam, quomodo animam tuam facias sponsam Dei, stude, ut imitator castissimæ volucris sedeas solitarius, quoniam elevasti te supra te. Sede itaque solitarius, sicut turtur, nihil tibi, & turbis, nihil cum multitudine cæterorum, etiam ipsum oblivisce populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum. O Sancta anima, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam, quem ex omnibus tibi elegisti.* Ecce notissima signa perfectæ virginis, quod *conversatio ejus non sit cum multis*; sed ex animo, omnibus mundialibus abjectis, cum uno tantùm Deo, quem elegit, sit contenta.

Virgo dedicata soli cum ipso conversetur & agat.

¶ 32 Tertiò idcirco Deus offerri præcepit primitias fructuum, ut hac testificatione eum homines rerum omnium auctorem profiterentur: ita virgines, cum carnis suæ integritatem Deo offerunt, profitentur Deum esse omnium spiritualium donorum effectorem, qui potuerit tam excellens donum hominibus elargiri. Monet Apostolus Thessal. 1. epist. cap. 4. numero 3. ut vitam in terris castam ducant: *Ut abstineatis vos à fornicatione*; & argumentum urget ratione addita nu. 4. *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore*; corpus scilicet mundum, licet immundo conceptum semine; sed cur honoratum iri corpus dicit? Div. Athanasius optimè: *Tunc verò id corpus in honore habetur, cùm se continens, & purum præstiterit.* Vel honestas ipsa honoris status est, & ad honoris viam. D. Anselm. *Nam hoc etiam sæculo honoratur, qui mundam, & castam vitam ducit.* Div. Isidor. in rem nostram, sic ait: *Meritò in Mundo honoratus qui insigni, ac sublimi castitatis dono honoratus est à Deo*; ac si inter cætera dona, hoc tam insigne, ac sublime donum à solo Deo dilabi poterat in terram.

Ingens virginitatis donum à solo Deo.

Virginitas honoratur in terris.

¶ 33 Quarto Deus voluit sibi primitias, ut eis esset condecoratus, ac exornatus Dei cultus, templum, & altare; ita tantum virginitatis donum concessit Deus in terris, ut esset in ornamentum, ac decorem ipsius Dei. Decantat regius Vates Psalm. 92. num. 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est; induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Expende verbum: *Decorem indutus est*; & quonam ornamento extrinsecùs potuit Deus ornari, nisi virginea induta, ac assumpta carne? Rupertus lib. 3. Apocal. cap. 3. sic ait: *Ubi enim indutus Dominus decorem, & fortitudinem regnavit? id est, virgineam assumpsit carnem.* In Virginea carne decorem singularem induit Dominus, virgineus enim flos ad præstantissimum, ac condecorum ornamentum maximè spectat; hinc clamat ipse David Psal. 44. num. 4. *Accingere gladio tuo super fœmur tuum potentissime, specie tua, & pulchritudine tua*; sic explicant Tertull. lib. 3. in Marc. & Div. Hieronym. epistol. ad Princip. ac si intendat Deus accingi gladio illo suo, qui species, & pulchritudo, & honor, ac singulare ejus ornamentum sit. Sed in quo erit hoc ornamentum? Jam declarat dicens: *Super fœmur tuum.* Gladius, qui adversùs libidines amputandas est exactus, & pudicitiam illibatam servat, quemlibet etiam potentissimum, maximè speciosum, ac ornatum reddit.

Virginitas & castitas præclarum decus naturæ humanæ.

¶ 34 Quintò qui primitias Deo consecratas consumebant, & devorabant, tanquam grandis sceleris rei pœnas dabant, ut constat ex Jerem. 2. numer. 3. qui de Israele ita loquitur: *Sanctus Israel Domino, primitiæ frugum ejus; omnes qui devorant eum delinquunt, mala venient super eos, dicit Dominus*; quæ verba sic commen-

Dure punguntur, qui Virgines aut sollicitant aut violãt.

mentatur D. Hieron. dicens: *Primitiæ semper debentur sacerdotibus, & hostibus; & quomodo qui primitias devorant, nequaquam de genere sacerdotali, sceleris rei sunt, sic qui contaminant Israel malis subiicientur.* Ecce cur etiam virgines primitiæ Deo dicantur; quia sicut, qui primitias Dei consumunt, magni cujusdam sceleris rei existimantur, ita etiam qui virginum Deo sacrarum integritatem, aut violant, aut sollicitant, tanquam execrandi sceleris rei à Deo punientur. Pro quo facit id, quod refert D. Hieronym. Epistol. ad Lætam de horribili pœna inferni inflicta cuidam, qui virginem Deo dedicatam sollicitavit, & subdit Sanct. Pater: *Sic ulciscitur Christus violatores templi sui; sic gemmas, & pretiosissima ornamenta defendit*; undè valde diversimode se habebat Constantinus Mag. erga virgines Deo sacratas, de quo scribit Eusebius lib. 4. de Vita Constantini: *Virginum chorum tantùm non adorabat*; id est tanti faciebat virgines, ut omnem venerationem eis deferret Constant. Imperator, adeo ut si unam excipias latriam, qua Deum colimus, reliquis omnibus venerationibus virgines prosequebatur.

135 Sextò per primitias frugum Deo oblatas, reliquæ omnes fruges censebantur Deo oblatæ, ab eoque benedictæ, & auctæ, juxta illud Proverb. 3. numer. 9. ubi sic habetur: *Honora Deum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei; & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt*; ita & eodem modo per virgines tanquam per primitias Deo oblatas, Deus totis earum familiis, totique Ecclesiæ, ac populo benedicit, & multùm benefacit, eas fœcundando, bonisque temporalibus, & spiritualibus augendo. Ex quo rectè ait D. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Ubi multæ sunt virgines, ibi conjuges fœcundæ reperiuntur.*

Ex Virgine consecrata Deo, multa bona toti familiæ.

136 Valde notum est, quas preces, quas lachrymas in conspectu Dei fuderit illa Samuelis mater, antequam mater fieret, & quòd etiam vota fecerit. Audiens autem sacerdos Heli ejus vota, lachrymas, & preces, ait illi, 1. Reg. 1. num. 17. *Deus Israel det tibi petitionem tuam, &c.* post annos venit jam ipsa mater facta, afferens filium, ut eum Domino sistat, & afferat; quem filium sacratum sacerdos habens, & apud se retinens in templo, sic dicit parentibus, c. 2. num. 20. *Reddet tibi Dominus semen de muliere hac, &c.* Adverte; quòd cùm eam gementem, lachrymantem, orantem, & voventem audit sacerdos, solùm dicit: *Det tibi Dominus*; cùm vero filium oblatum, & sacratum in templo videt, jam dicit: *Reddat tibi*; non det, sed reddat, seu in recompensationem tribuat, tunc enim maximè obligatus constituitur Deus, & parentibus, & toti familiæ, quando vidit infantem, à primis annis sibi consecrari. Ait D. Chrysostom. homil. de Anna, & Samuele: *Initio non dixit, reddat tibi, sed det tibi Dominus; verùm postquàm illa Deum debitorem fecerat*, ait: *Reddat tibi*; *bonam de futuris spem ponens.* Ex filio uno consecrato, debitor constituitur Deus, & parentibus, & universæ familiæ, bona spe de futuris eos replens.

Ex uno filio dato Deo, multiplicatur filii.

QUÆSTIO XVI.

Quare cùm nullus sine crimine vivat, de sanctis virginibus dicitur, quòd sint sine macula, & mendacio ante Dei thronum.

137 EX eo, quòd sancti virgines dicantur sine macula, ac sine mendacio, magna insurgit difficultas; nam ut meritò dubitat D. Augustin. lib. 3. de Sanctorum meritis, cap. 7. quomodo hi dicuntur sine macula, & sine peccato, cùm nullus sit vivens ordinariè loquendo, absque aliqua nota peccati, saltem venialis? undè Ecclesia orans pro defunctis ait: *Non intres in judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Etsi in illa tantorum turba aliqui essent, qui aliquando gravi peccato fuerant coinquinati, tamen per pœnitentiam eorum iniquitas sic mundata est, ut dicantur mundi sine macula, ac sine mendacio; sic respondet D. Augustin. citat. *Dicitur non inventum fuisse in eis mendacium, sed sine macula vixisse, quia mendacium, vel quodlibet aliud peccatum, si pœnitentia deletum est, jam non est, & sic non invenitur*; & Div. Thomas: *Non est inventum*, ait, *jam dudum, ex quo ei adhæserunt, quia scilicet sic deletum est, & ideo non est inventum.*

Peccatum per pœnitentiam sic deletum, ac si non fuisset.

Tamen juxta literam dicuntur sine macula, ut 138
constat ex radice græca, id est, irreprehensibiles, ac proinde sine macula, hoc est sine culpa lethali, imò & sine gravi veniali, nam cum oratione, & lachrymis ita vitam transigere auxiliante Dei gratia, non est impossibile; & ad id nos hortatur Apostolus Petrus epist. 2. cap. 3. num. 14. *Satagite immaculati, & inviolati ei inveniri ex pace*; & Paulus Ephes. 1. num. 4. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Hi ergo virgines dicuntur puri, & immaculati, quia vitam egerunt virgineam, & angelicam sine macula gravi, nam sine aliqua veniali, nemo vitam transigit, juxta illud Jo: 1. c. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

Sancti immaculati, & irreprehensibiles.

Circa 1. Quomodo dicitur: *In ore eorum non est inventum mendacium?* nam regius Vates clamat Psalm. 115. n. 11. *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax*; quod confirmat Paulus Rom. 3. nu. 4. *Est autem Deus verax, omnis homo mendax.* Tamen hoc intelligendum est, omnis homo mendax ex natura sua, aut qui humano affectu loquitur, tamen effici potest, ut Dei gratia, ac ejus auxilio nunquam mentiatur. 139

Cùm autem à nostro Joanne de sanctis virginibus 140
dicitur: *In ore eorum non est inventum mendacium*; maximè eorum vitæ puritas, ac candor commendatur, quia sine fuco, atque fallaciis degunt, & ita Joannes hoc de illis dicit, sicut Christus Dominus dixit de Nathanaele Joan. 1. nu. 47. *Ecce verus Israelita, in quo dolus non est.* Cornelius hoc loco ait, quòd in ore eorum, cùm sisterentur tribunalibus, & eculeis cruciarentur, non est inventum mendacium idololariæ, vel hæresis, ad quæ maximè tempore Antichristi urgebuntur: hæc juxta literam; moraliter nunc.

Primò omnes justi, ac sancti ex gratia Dei fuerunt 141
veraces; quare hoc particulariter de solis virginibus refertur, quòd in ore eorum non sit inventum mendacium? Quia ipsa integritas mentis, & corporis, quandam eximiam sinceritatis, ac veritatis integritatem tribuit, in omnibus eorum operationibus. Ansbertus Abbas: *Sine dubio ostenditur*, ait, *quia ad comparationem aliorum, tanquam soli virgines dicuntur veraces, non quod alii non sint veraces, sed quod ad comparationem virginum non sint veraces; sed nec mirum, quòd hi veraciores æstimentur, qui veritati, quæ est Christus, propter virginitatem mentis, & carnis amplius inhærere videntur, ideo ex comparatione aliorum hominum, soli virgines dicuntur sine macula, atque veraces.*

Veritas maximè Virginitati annexa.

Confirmatur: Decantat regius Vates Psalmo 84. 142
num. 12. *Veritas de terra orta est, & justitia de cœlo prospexit.* Scire tamen optabis de qua terra veritas ortum traxit, an de terra corrupta luxuriæ sarculis exarata? Absit; ubi veritas nascebatur, nullum luxuriæ vestigium potuit dari, sed summa integritas, ac puritas carnis. D. Leo serm. 1. de Nativitate: *Meritò igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.* Veritas, & virginitas maximè connectuntur, nec aliunde veritas nasci poterat nisi ex præclara, & integra virginitate.

Veritas, & Virginitas connectuntur.

Secundò, ut ait D. Augustinus libro contra men- 143
dacium, cap. 10. *Mendacium corruptio est naturæ, & prævaricatio integritatis.* Inde in ore virginum non est inventum mendacium, cùm semper perseveraverint in integritate naturæ, absque ejus corruptione. Declarans Deus eximiam puritatem in summo pontifice, ait Levitic. 21. num. 11. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino*; & nihilominus tamen Moyses ipse Joseph ossa mortua secum asportavit, Exod. 13. n. 19. ubi ergo legum observantia? Quasi à Moysis ore respondit Divus Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 177. dicens: *Non violo*, ait, *non solvo legem, sed per hoc ostendo rem ipsam, quæ per Scripturas, ut verba legis significatur.*

Cultus incorruptus sine macula reputatur.

catur, diligenter esse attendendam; ego enim eum, qui castitatem coluit, pro mortuo non habeo. Joseph in integerrima puritate, ac castitate vixit; qui asportat ossa Joseph, non violat legem prohibentem tangere mortuum, nam purus, & castus, nunquam tanquam mortuus, sed semper ut vivens, ac florens sine corruptione reputatur.

144 Tertiò de sanctis virginibus decantatur hìc à Joanne: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Præclara, & magna laus eorum; tamen hæc laus potiùs videbatur evulganda de doctoribus, ac Magistris, quàm de virginibus, nam potiùs videtur spectare ad Magistros dicere verum, quàm ad virgines. Ait Divus Paulus 1. Corinth. 7. num. 32. *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt*; qui enim absque interventu carnis, ac alicujus dependentiæ ab homine, solùm Deo in omnibus attendit, ipsumque respicit, hic verum absque mendacii umbra dicit, & loquitur. In ultima Cœna ait Christus Dominus suis discipulis Jo: 16. num 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; cur modò Apostoli jam Christo associati, solidas doctrinas portare non poterant, sed ad eas portandas debebant expectare divini spiritus adventum? Dum adhuc erant cum Jesu, nondum erant omnino perfecti, sed mundialibus curis immersi, hominum timore, ac respectu tenebantur, undè Petrus negat, & cæteri erant clausi propter metum Judæorum, & inde proportionati non inveniebantur ad institutionem totius veritatis; at postquam divino spiritu induti sunt virtute ex alto, omni humano respectu, ac timore abjecto, aptissimi facti sunt ad firmas veritates excipiendas. Ait Div. Leo sermon. 2. de Pentecost. *Utique Apostoli postquam Spiritus Sancti nova abundantia sunt repleti ardentiùs velle, & efficaciùs posse cœperunt, proficientes à præceptorum scientia ad tolerantiam passionum, ut sub nulla jam potestate tropidantes fluctus sæculi, & elationes Mundi fide supergredientes calcarent, & morte contempta, omnibus gentibus Evangelium veritatis inferrent.*

Qui absque dependentia vivit veritatem dicit.

145 Quartò de his virginibus ait Joannes: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo, & agno*; & addit: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Ex constanti veritate denotat eorum martyrium, ac tormenta, ut auctor est Richardus apud Glossam: *Virginitati adjunxit meritum passionis*; *illi nimirum, agnum quòcunque jerit, sequuntur qui eum in utroque, id est, virginitate, & martyrio imitantur.* Inde tamen insurgit dubium; si martyrium describit, ut sæpè alibi: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione propter verbum Dei, & testimonium Jesu Christi*; cur etiam hic eorum tribulationem, & mortem non refert, sed eorum veritatem dicit? Omnia sanè, & breviter comprehendit, dum sine mendacio dixit, veraces enim omnes persequuntur, eosque omnes oderunt, ut verissimum sit proverbium: *Veritas odium parit*; proindeque brevi summa Joannes, quod alibi latiùs explicavit: *Interfecti propter verbum Dei*, cap. 6. num. 11. *Venerunt ex tribulatione magna*, c. 7. num. 14. Dum eos modò veraces testatur, simul ad se trahere omnia tormenta, gladios, lanceas, aculeos, quibus justi, ac sancti torquebantur, denotat.

146 Vidit Nabuchodonosor in somnis arborem magnam proceram, & altam, & cùm cuperet somni interpretationem percallere, ex ejus imperio vocatur Daniel, & cùm Rex proposuisset somnium: *Vates hæret, pallet, & friget. Cœpit intra se ipsum cogitare, quasi una hora, & cogitationes ejus conturbabant eum*, Dan. 4. num. 16. cur tantus Vates per integræ horæ spatium conturbationem sustinet? an quia interpretationem nesciebat? Absit; cur tanta conturbatio, quæ cum formidine videbatur annexa in tam magno Propheta, qui tam generosè in lacum leonum semel, & iterum ingressus est, interque eos famescentes absque formidine degit? Daniel. 6. num. 16. & cap. 14. n. 30. cur ergo Propheta sic conturbatur coram Rege? Expositurus erat somnium cujus veritas ut Regi amara timebatur: *Inde cogitationes ejus, conturbabant illum.* Div. Hieronym. *Tacitus intellexit somnium esse contra Regem*; inde prudenter sanè plus timet odium provenientem ex veritate proferenda, quàm sævitiam, ac rabiem famescentium leonum, & ideo, qui imperterritus inter leones versabatur, maximè conturbatus in veritate propalanda, sciens quia *Veritas odium parit*, & inde cogitabat, ut suum sermonem componeret sine Regis displicentia. Carthusianus: *Per illam horam præmeditabatur Daniel, quemadmodum sine injuria veritatis, & offensa Regis, responsum suum componi, & ordinari oporteret.*

Ex veritate manifesta odium nascitur.

Cùm Saul vidisset castra Philisthinorum cum magna multitudine, timore percussus, timens sui, ac suorum mortem, & interitum, *consuluit Dominum, & non respondit neque per sacerdotes, neque per Prophetas*, 1. Reg. 28. num. 6. cùm tamen maximè ipse instaret, ut rei eventum sciret, mittit Deus ei Samuelem vita defunctum, ut eum de suo tristi fato admoneret, ibidem num. 16. *Et ait Samuel: Quid me interrogas? &c. Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*; cur non vult Deus dare responsum per sacerdotes, & Prophetas, sed tantùm per Samuelem? Illi viventes, hic autem mortuus, & ne viventes sacerdotes, & Prophetæ ob iram, & odium Regis trepidarent in veritate dicenda, inde Deus ad talem legationem destinavit mortuum, qui nullius odii, & iræ timore tenebatur. Abulensis qu. 15. *Quia sacerdotes, & Prophetæ videntes intentum Saulis appropinquare, nolent denuntiare propter timorem*; *Samuel verò, qui mortuus erat, non timeret.*

147

Qui veritatem Regi dicit, iram & odium ejus timeat.

Apoc. 14. n. 6. Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum.

Num. 7. Dicentem voce magna: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus; & adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum.

VERSIONES.

Syriac. n. 6. Vidi alium Angelum in cœlo cum sanguine habentem Evangelium æternum, &c. & super omnem nationem, & tribum.

D. Cyprian. Vidi alium Angelorum volantem in medio cœli, &c. ut annunciaret super terram, & super omnes nationes, & tribus, & linguas, & populos.

Aretas. Vidi Angelum volantem.

Arabicus. Ut annuntiaret incolis terræ, & omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis.

Pagnin. Ut evangelizaret habitantibus super terram, omni genti, tribui, & linguæ.

D. Cyprian. n. 7. Metuite potiùs Deum, & date illi claritatem.

Arabicus. Et tribuite gloriam: jam enim venit hora judicii ejus.

Syriacus. Servite Deo, & date illi honorem.

Arias. Qui fecit cœlum, terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt.

EXPOSITIO.

148 *Vidi alterum Angelum.* Maximè torquet authores, quomodo noster Joannes dicat alterum Angelum, cùm nullius Angeli in hoc capite, & antecedenti facta fuerit mentio; & ideo Alcazar, Cornelius, Gagnæus, Sà, & alii legunt, *alium*, nempe distinctum à duobus subsequentibus. Sed verba textus minimè sunt immutanda, aliter nulla erit firma veritas in Scriptura. Cùm ergo noster Joannes dicat versu primo, quod viderit *centum quadraginta quatuor millia virginum, qui sequebantur agnum*, qui, juxta phrasim

Alter Angelus quomodo intelligendus.

sim Scripturæ, Angeli dicuntur non solùm sua puritate, & munditia, sed quia vita sua sequentes agnum annuntiabant Mundo salutem. Ait ergo: *Vidi alterum Angelum* distinctum à choro virginum, cœtum nempe prædicatorum religiosorum, ac ecclesiasticorum, qui verbum Dei prædicant, & juxta communem sententiam, per hunc Angelum intelliguntur prædicatores.

149 *Volantem per medium cœli*; id est, per Ecclesiam, quæ hìc sub nomine cœli significatur, celeriter, & alacriter munus prædicationis obeuntem. Et dicitur *per medium cœli*, ut significentur prædicatores per varias Mundi plagas in tota Ecclesia discurrere, vel prædicantem in publico, ac manifestè absque rubore: *Incedentem per publicum non erubescentem ministerium suum*; ut explicat Rupertus. *Habentem Evangelium æternum*; bonum scilicet nuntium de vita æterna. Et dicitur *æternum*, quia non sicut olim lex antiqua in Synagoga promittebat temporalia, sed nunc pollicetur futura bona æternæ vitæ, ut advertit Thomas Anglicus. *Sedentibus super terram*, seu ut legit clariùs Pagninus: *Habentibus in terra*; seu bonis terrenis suo affectu inhærentibus. *Et super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum*; quia sancti prædicatores non solùm prædicant per medium cœli, id est, Ecclesiæ, sed etiam expeditiones susceperunt ad gentes remotissimas, & infideles.

Prædicatores non erubescãt.

Prædicatores prædicant toto Orbe.

150 *Dicentem voce magna*; magno nempe animi affectu, & ut vox esset omnibus manifesta, eosque omnes attentos faceret ob rei magnitudinem. *Timete Dominum*. Non est sermo solùm de timore servili, sed etiam casto, & filiali; cùm dicit Dominum, summam rationem timoris denotat. *Et date illi honorem*; honor enim est signum reverentiæ, quam alicui exhibemus in virtutis, ac excellentiæ testimonium, & est sensus: Antichristus, ac tyranni non vos seducant sua tyrannide, ac blanditiis, ut eos timeatis, ac eis honorem deferatis, sed tantùm hoc exhibete Jesu Christo vero Deo, & homini: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potiùs timete eum, &c.* Matthæi cap. 10. num. 18. *Quia venit hora judicii ejus*. Sermo est de judicio universali, quod semper in januis cogitandum, licèt hora incerta sit; denotat etiam quod semper bene operandum sit usque ad ultimam horam judicii. Richardus Victorinus: *Date illi honorem in boni operis exhibitione, & videte ne deficiatis, quia venit dies judicii ejus: non ergo deficiendum, sed in bonis incœptis perseverandum usque in finem, qui erit hora judicii.*

Honor signum reverentiæ.

Bene operandũ usque ad finem.

151 *Et adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare*. Magna consideratione hæc dicta sunt, nam sancti prædicatores prædicant fidelibus, & infidelibus, & ad fideles prædicant: *Timete Dominum, & date illi honorem*; ad infideles verò dicunt: *Adorate eum, qui fecit cœlum, & terram*, &c. relictis idolis, ac Antichristo, adorate Deum omnipotentem, utpote Creatorem Cœli, & terræ, ac maris. *Et fontes aquarum*. Peculiariter fontes aquarum exprimit, quia in aquarum dulcedine, maximè resplendet divina sapientia, potentia, ac providentia, quia, ut ait hìc D. Thomas: *Aquæ per subterraneos meatus defluentes dulcorantur in hominum usus, ac alimentum vitæ humanæ*. Addit Ferrarius, & quia in fontibus est mira, & præclara venustas, ac amœnitas; ita & in scriptione, concione, ac expositione doctrinæ sacræ, tanta eruditione librorum hac nostra tempestate, est eximia jucunditas, ac delectabilitas animorum, veluti venustissimi campi magnis fontibus irrigati.

Prædicatio pro fidelibus, & infidelibus.

In expositione Sac. Scripturæ multa jucunditas.

QUÆSTIO XVII.

Quisnam sit iste Angelus volans per totam Ecclesiam, habens Evangelium æterna vitæ.

152 VIctorinus per hos tres Angelos nominatos tam hoc versu, quàm octavo & nono denotari contendit, tres famosos, ac insignes prædicatores, quorum primus volans, habens Evangelium æternum, est sanctissimus Parens Elias, de quo infra quæstione 19. secundus est secundus socius Eliæ, quem ipse existimat fore Jeremiam, sed sine fundamento, ut jam dixi c. 11. supra; tertius Angelus est tertius socius Eliæ.

153 Secundò Alcazar tres Angelos, quos noster Joannes hoc versu, & 8. ac 9. commemorat, ipse interpretatur tres magnos duces agni ab eo missos in Orbem, scilicet Joannem, Petrum, & Paulum. Primus autem iste Angelus per medium cœli volans, est ipse Joannes Evangelista, quia instar aquilæ res divinas inspexit, atque ad ipsam sanctissimam Trinitatem volavit, dicens: *In principio erat Verbum*. Secundus Angelus, ait ipse Alcazar, est Paulus: & canit Babylonis, id est, Romæ ethnicæ, & Romani Imperii ethnici ruinam, cùm cœpit regnare Constantinus, & posteri Christiani; hoc prædixit Paulus 2. Thessal. 2. numero 7. cùm ait: *Mysterium jam operatur iniquitatis, tantùm, ut qui tenet nunc teneat, &c.* Tertius Angelus est Petrus Apostolus, qui veluti hic Angelus in homines carnales, & luxuriosos gehennæ æternos ignes fulminat Epistola 2. cap. 1. num. 2. 4. & 6. & hi tres duces opponuntur tribus iniquis abominationibus, videlicet draconi, bestiæ marinæ, & bestiæ terrestri, sed noster Joannes, nihil hìc habet de Agno, nihilque de Imperio Romano.

Tres Agni Duces.

154 Tertiò Rupertus alia via incedit; existimat *in his* tribus Angelis quatuor Evangelistas denotari: sed si Angeli volantes per medium cœli sunt tres, quomodo in eis adumbrantur quatuor Evangelistæ? & quisnam est iste quartus, qui silentio involvitur? Respondet Rupertus, esse Joannem; & cur Joannes sui, seu quarti Angeli per medium cœli volantis mentionem non facit? Quia quo sublimior ipse evolaverit, eò humilior; & licèt ipse altissimè evolaret, ita tamen de se humiliter sentit, ut se obvolverit silentio, quasi nihil esset, nec pro aliquo censeri deberet. Sic ait Rupertus: *Post canticum montis Sion, quatuor isti non stant in monte, sed volant per medium cœlum, & voce magna, & voce publica toti Mundo prædicant; quartus est Joannes, qui de se humiliter sentiens, non dixit, Quartus Angelus secutus est, sed tres alios volantes per medium cœlum.*

Joannes Evangelista quo sublimior, eo humilior.

155 Quartò cùm juxta Rupertum per hos tres Angelos sancti Evangelistæ denotentur, Divus Laurentius Justin. serm. de Sancto Marco contendit per hunc Angelum habentem Evangelium æternum, intelligi Sanctum Marcum. At nonne sancti Evangelistæ Angeli nuncupantur? nonne habent Evangelium æternum? cur ergo sanctus Marcus potiùs in hoc primo Angelo figuratur, quàm alii? Quia existimat eum per suam eminentiam, ac vitæ excellentiam ita nuncupandum; & sic ait sanctus Pater: *Nemo sanè sufficienter edicit, quanta per hunc rudimenta virtutum, fidei sacramenta, dona gratiæ, futuræ vitæ indicia, stupenda Salvatoris gesta, veritatis testimonia, sancta percepit Ecclesia; iste enim est, quem Joannes mysterialiter prævidens ait:* Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret illud sedentibus super terram. *Angelus verò nuncupatur, quia degens in carne angelicam ducebat vitam, quamvis enim cum hominibus conversaretur, mente tamen, ac desiderio ferebatur in cœlum, ut cum Apostolo diceret:* Conversatio nostra est in cœlis. *Avolasse autem perhibetur, ut undique illum Evangelium sanctum annunciasse ostenderet, nempe in terram omnem; sonus ejus Evangelii concrepuit, & in fines Orbis terræ verba prædicationis ipsius manifesta noscuntur.*

S. Marcus per excellentiam Angelus.

156 Quintò vera, & genuina interpretatio est, quam tradunt Ticonius, Beda, Rupertus, Ansbertus, D. Anselmus, Albertus Mag. Gagnæus, Ribeira, la Haye, per hunc Angelum, ac duos sequentes, ac proinde per hos triplices Angelos, intelligi veros prædicatores vita sancta, religiosa, ac angelica viventes, de quibus dicitur Isaiæ c. 33. n. 7. *Angeli pacis amarè flebunt*; Malach. c. 2. nu. 7. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, legem requirunt de ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*; neque enim supernæ patriæ angelicis spiritibus Evangelium annuntiare commissum est, sed sanctis prædicatoribus. Sed contra hoc insur-

Prædicatio Evangelica ordinatur ad præcandum mysterium Trinitatis.

insurgit difficultas; quia concionatorum ordo denotatus est per septem Angelos cap.8. numer.2. propter septiformem Spiritus Sancti gratiam; quomodo ergo per trinum numerum designantur? Quia omnis prædicatio evangelica maximè ordinatur ad prædicandum mysterium Trinitatis. Ansbertus: *Propter Trinitatis annuntiationem, qua electos ad fidem congregant;* idem habet Richard. Victor.

157 Et hi Angeli, seu prædicatores dicuntur annuntiare Evangelium sedentibus super terram, & super omnem populum; nonne cum majori proprietate diceret evangelizare gentibus, tribubus, & populis, quàm super gentes, & populos? cur ergo ita loquitur? Ut sanè innueret concionatorem superiorem esse, id est, omnibus eminentiorem in virtutum exercitio. Albertus Magnus; *Nota*, ait, *quòd dicitur super gentes, &c. ad significandum, quod Prædicator debet esse excellens in vita;* Isaiæ cap.9. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas, &c.* Et dicitur: Evangelizare *sedentibus super terram*, nempe hæc terrena contemnentibus; & hi tanquam sedentes quieta mente sunt in Deo. D. Thomas: *Sedentibus super terram*, ait, *id est, terrena bona contemnentibus, & per hoc quieta mente requiescentibus, non enim est quies in vanis, sed in Deo cum contemptu vanorum.*

Prædicator sit eminens virtutibus.

Qui contemnunt caduca bona, requie fruuntur.

158 Hic Angelus magnus prædicator, dicitur de eo, habens Evangelium æternum, quia prædicator debet semper secum ferre in corde, & ore Evangelium, ut ex illo hauriat, quæ prædicat, ut in sana doctrina valeat populum ædificare, ut docet D. Chrysostom. in Psalmum 95. ad finem: *Non oportet*, ait, *quicquam dicere sine testibus, solaque animi cogitatione, nam si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum sermonem, ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens; verùm ubi è Scriptura divinæ vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.*

Prædicator Scripturæ testimoniis suam confirmet doctrinam.

159 Talis & fuit Apostolus Paulus, ut de eo significavit Christus Dominus Actorum cap.9.numero 15. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel;* sed cùm Apostolus constituitur prædicator ad gentes, cur non commemoratur ejus efficacia in persuadendo, eloquentia in dicendo, floridus stylus cum multa elegantia verborum, sed tantùm dicitur, quod sit vas? & ad quid vas istud? & quænam est ista proportio cum munere prædicandi? Div. Hieronymus epistola 103.ad Paulinum: *Cur dicitur*, ait, *Paulus Apostolus vas electionis? Nempe quia vas legis, & sanctarum Scripturarum armarium est.* Cùm Paulus designatur gentium prædicator, nihil aptius, ac proprius de eo dici potuit, quàm quòd sit vas electionis ad docendas gentes, quia Scripturæ est armarium, & quod dicebat ea, quæ ex Scriptura agnoverat.

Paulus Vas electionis ad prædicandum, quia Scripturæ Armarium.

160 Tertiò anno regni sui, ut Josaphat Rex consuleret saluti suorum populorum, ad civitates Juda principes regni sui misit, & cum eis levitas, & sacerdotes: *Et docebant populum Juda, habentes librum legis Domini*, 2. Paralipomenon 17. numero 9. sed ad quid doctores ferunt præ manibus tabulas sacrarum legum, cùm optimè essent in eis instructi, & optimè illas scirent? ad quid secum asportant? Ut legis doctores è sacro textu sermonem concinnarent. Abulensis quæst. 18. *Poterat esse*, ait, *ad studium in eo, quod dicerent*, idque optimo consilio, ne quis sine libro, & studio magister esse velit, & ne verbum quidem proferrent, nisi cum textu, & ex textu, ut ita doctrina maximè proficeret, & esset insculpta in memoria audientium.

Discat Magister, quæ docet, è sacro textu.

161 Constituitur Isaias à Deo ad docendum populum in via Dei capite 50. numero 4. *Ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo*; & undè Propheta præparatur ut tantus magister, ac doctor fiat? statim explicat: *Erigit mane, mane erigit mihi aurem*; excitatur auris Prophetæ, ut bene audiat priusquam doceat, & priùs sit auditor, ac discipulus, quàm in magistrum evadat, ut nihil dicat, & doceat, nisi quod priùs audierit ex divino verbo, sicut omnium magister de se dicebat Joannis cap.5. num 30. *Sicut audio, judico;* id est, sicut audio à Patre, sic judico; ita etiam auris Prophetæ excitatur, ut quæ audierit ex divino verbo in Scripturis prædicet, & doceat. Deinde subdit somno se ad vigilias antelucanas excussum esse, ut sacris vocibus aures daret: *Erigit mane, mane erigit mihi aurem*; quæ quidem vox laudat bene curam propheticam, & segnes somno mordet auditores, Hugone teste: *Mane dicit propter scholares dormientes, &c.* neque enim quis bene scire potest, qui somno deditus, nec magistros audit, nec libros legit.

Cõcionatores vigiliis ac studio sunt dediti.

QUÆSTIO XVIII.

Quare sancti Evangelistæ, dum sub figura quatuor animalium apparent, cum reliquis beatis stant in circuitu throni, nunc verò cùm se tanquam Angelos exhibent, per medium Cæli volitant.

IN præsenti ait noster Joannes, quòd vidit hunc Angelum *volantem per medium Cæli*; quia prædicator, cujus figuram gerit hic Angelus, non solùm debet esse sublimis vita, & moribus, sed etiam requiritur, quòd sit ardentissimus in Evangelio annuntiando, ut nulla teneatur desidia. Pannonius: *Quod hunc Angelum volantem describit, indicat sanè prædicatorum ardens studium in officio, ut non fatigentur, non cessent, velut enim quisque, cùm docet, aut scribit dogmata fidei; Isaias dicit 60. num.8. Qui sunt ii, qui ut nubes volant.* Quam celeritatem discant à supremo omnium magistro Christo Domino; Psalm.18. num.6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* Divus Augustinus libro 5. Confessionum, capite 12. *Non enim tardavit, sed cucurrit, clarigans dictis, & factis*; quam celeritatem in negotio nostræ salutis maximè indicavit Malachias c.4.n.2. *Et sanitas in pennis ejus.* 162

Prædicator sit ardentissimus in cõcionãdo.

Nunc difficultas quæstionis; quia, ut dixi ex Ruperto superiori quæstione, per hunc Angelum, & per duos sequentes numero 8. & 9. ac proinde per hos tres Angelos, quatuor Evangelistas intelligit Rupertus citatus, docens, quod Joannes ex humilitate seipsum subticet; quo posito est præsens quæstio: Cur sancti Evangelistæ denotati sub figura quatuor animalium, cum viginti quatuor senioribus, ac illa illustrissima cantorum copia, stant cum agno in monte Sion, Apocalyps. 5. numero 11. at verò modò, dum ut Angeli docentes, & prædicantes repræsentantur, eructantes sanctam doctrinam, ut patet ex versu 7.8.& 9. volant per medium Cœli? si antea stabant in circuitu throni, cur modò sic elevantur, ut medium Cœlum teneant? ad quid hæc tam repentina mutatio? sic ait Rupertus: *Post canticum montis Sion, quatuor isti non stant in monte, sed volant per medium cœlum, & voce magna, & voce publica, coti Mundo prædicant.* 163

Difficultas quæstionis.

Hac tam repentina mutatione docet Deus, quantum sacri scriptores, qui suis laboribus, ac studio perpetuò Ecclesiam instruunt, super cæteros extollantur, ac sublimentur; inde primum eos inter sanctorum agmina annumeratos ostendit, dum cum aliis in circuitu throni stant Dei gloriam decantantes, ac laudantes; tunc extensis pennis super omnes evehuntur, & ad medium Cœli, ubi thronus est Dei, festinantes conscendunt, nam semper scriptores altiora petunt, & à latere Dei sunt. 164

Scriptores sacri longè aliis eminent.

Graves sunt authores recentiores, qui tenent eandem esse revelationem Ezechieli factam cum illa, quam vidit Isaias, indeque dicunt in utraque quatuor Evangelistas denotari; pro quo maximè facit, quia Prado, & Pererius capite 4. in Apocalyps. disp. 7. tenent quatuor Seraphinos spiritus visos esse ab Isaia, licèt communis sententia teneat duos tantùm fuisse. Nec obstat quòd Ezechiel viderit Cherubim, Isaias Seraphim; quia illic denotatur plenitudo sapientiæ, qua fuerunt illuminati, hic ardor charitatis, qua accensi sunt in salutem proximorum. Tamen inter utranque visionem magnum est discrimen, nam apud Ezechielem 1. numero 22. dicitur: *Et similitudo super capita animalium firmamenti;* & ut notavit 165

Evãgelistæ pleni scientia, & charitate.

vit Divus Gregorius apud Gloſſam: *Notandus ordo, ſuper animalia firmamentum, ſuper firmamentum thronus*; apud Iſaiam verò Seraphim ſuper thronum divinæ majeſtati collateralia ſtabant: *Et vidi Dominum ſuper ſolium excelſum, & elevatum, &c. Seraphim ſtabant ſuper illud*, Iſai. 6. numero 1. cur ergo evangelici ſcriptores in his præfigurati ſpiritibus apud diverſos Prophetas, tam diverſa occupant loca, ut in Ezechiele firmamento ſubſtare, in Iſaia autem throno ſuperſtare legantur? His oppoſitis modis, Deus notat ſcriptorum dignitates; apud Ezechielem ſubjacent firmamento, in quo Dei thronus reſidet, quia Eccleſiæ firmamentum, ac ſtabilitas eorum pennis tanquam humeris, ac ſcriptis ut columnis innititur, ac firmatur, & inde ſic apud Iſaiam extolluntur, ut brachia pennis ornata ſuper thronum extendentes, ſummæ majeſtati appareant conſociati, ut diſcant fideles muneris excellentiam, quæ eos Deo conjunctiſſimos facit.

Scriptores ſacri fulcimenta Eccleſiæ, & ut digniores propius Deo accedunt.

166 In eadem Ezechielis viſione perſiſto: Quatuor Evangeliorum ſcriptores, ut valde excellentiores inter cæteros, celebri, myſticoque penicillo animalium hominis, aquilæ, leonis, ac bovis adumbravit Deus, quorum effigies explicans Ezechiel capite 1. numero 5. ait: *Et ſimilitudo ejus, ſimilitudo quatuor animalium*; græcus legit: *Tanquam ſimilitudo quatuor animalium*. Valde admiratione dignum eſt, quod Deus tanto Prophetæ non demonſtraverit eorum veram, & propriam effigiem, imò nec ſimilitudinem, ſed tanquam eorum ſimilitudinem; cur Prophetæ ſupernaturali lumine illuſtrato, tam obſcura viſio obiicitur, cùm aliàs magna, & alta apertè proſpexit? Voluit Deus ſanè his demonſtrare eximiam dignitatem, ac ſummam ſui propinquitatem, qua ſacri ſcriptores nobilitantur, ut enim Deus inviſibilis natura, humanæ menti inperceptibilis eſt, & præ illius excellentiæ celſitudine, non poteſt illius formam intueri humana mens, ſed tantùm informe quoddam illius veſtigium, ſic ſacram ſcriptorum celſitudinem nobis detegere volens non eorum proprias figuras, nec eorum majeſtatem, ac gloriam, ſed rudes, & imperfectas quaſdam imagines, imò tanquam imagines à ſuo Propheta permittit agnoſci, ut ex his quantum eorum ſplendor ſupremæ luci accedat, & noſtrum obſcurum captum tranſcendat, facilè intelligatur. Innuit Theodoretus: *Quis poſſet revelationem*, ait, *apertè declarare, cùm ipſe Propheta in ejus narratione defatigatus fuerit? non enim ſimpliciter quatuor animalia ſe conſpexiſſe dixit, neque item ſimilitudines animalium, ſed tanquam ſimilitudinem quatuor animalium, ut perſpicuum ſit, non ipſum vidiſſe divinum Prophetam eorum, qui nequeunt cerni, naturas, vel ſimilitudines, & formas.*

Altitudine & ſublimitatem ſacrorum ſcriptorum non valet noſter intellectus inveſtigare

167 Maximè ſolet inveſtigari à Patribus, ac Expoſitoribus: Cur ad ſublime, & altum myſterium transfigurationis, ut gloria Domini intueretur, ex ſuis Apoſtolis eligit Chriſtus Divum Petrum, Jacobum, & Joannem, & ex Patribus veteris teſtamenti Moyſem, & Parentem Eliam? ut patet ex Matth. 17. numero 1. & 3. & latè dixi tomo 4. in Evangelia, cap. 8. Illa nunc ratio eſt in præſenti: quia hi fuerunt illuſtriſſimi ſcriptores, qui ſuis magnis documentis Eccleſiam perpetuò illuſtrarunt, nam Jacobus Apoſtolus fuit primus ſcriptor novi teſtamenti in ſua epiſtola canonica, ut auctor eſt Lucius Dexter anno Chriſti 37. qui ait: *Quæ prima fuit ſcriptura novi teſtamenti, tanto Apoſtolo digna*, ut probat ibi ejus Commentator Bivarius, & docent etiam Divus Iſidorus lib. de Vita & morte ſanctorum, cap. 73. & Sixtus III. Epiſtola de malis doctoribus, & alii. Petrus ut Vicarius Chriſti, ac caput Eccleſiæ ad ejus magnam doctrinam, duas epiſtolas ſcripſit, Joannes verò Evangelium, epiſtolas, ac Apocalypſim ſcripſit; hos ergo tres magnos ſcriptores inter cæteros Apoſtolos voluit Chriſtus inſigniter condecorare, educens majorem divinæ ſapientiæ, ejuſque radiorum affinitatem iis deberi, qui poſteris ſuæ ſapientiæ teſtimonia, & documenta ſcriptis tradiderunt, & inde hos tres primis venuſtatis ſuæ corporeæ luminibus circumfudit. Pro quo maximè facit Syriaca inſcriptio apud Vvimaſtadium, in Epiſtola Jacobi: *Sigilltmus*, ait, *tres epiſtolas Jacobi, Petri, & Joannis. Iſti ſunt, qui teſtes fuerunt revelationis Domini noſtri, quando immutavit ſe ipſum coram oculis ſuorum in monte Thabor*; tanquam innuens, quòd ex eo quòd ſcriptores tam ſanctarum epiſtolarum extant, ideo ad tantam gloriam ſunt evocati.

Inſcriptio Syriaca.

Ex veteri teſtamento adducuntur Moyſes, & Elias, nam Moyſes ex antiquioribus primus extitit ſcriptor canonicus, ipſe enim Pentatheucum ſcripſit, Elias verò, ut innuit Origenes homilia 35. in Matth. poſt medium, ſcripſit librum quendam, de quo etiam dicam quæſt. ſequent. Deinde ipſe primus extitit, qui filiis Prophetarum tanquam religioſam regulam tradidit, ut eruditè docet ſapientiſs. P. Hieronym. de Guevara tom. 1. in Matth. ad cap. 1. verſ. 1. object. 16. numero 11. Et ait: *Non renuam dicere Eliam, qui prior religioſorum parens, & vitæ eremiticæ fuit inſtitutor nonnullas ſcripſiſſe regulas, quibus vivendi formam uniformem illis religioſorum conventibus, qui in Carmelo erecti fuerunt, præſcripſiſſe, quod jugi tenore omnes ſacrarum familiarum fundatores, qui illius ſunt veſtigia ſecuti, inviolabiliter obſervarunt.* Quibus forſitan conſonat Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 22. inquirens cur cum Chriſto Moyſes, & Elias in monte apparuerunt, ſic ait: *Sed quid tam Chriſtus Creatoris, quàm gloriam ſuam communicare cum principalibus ſuis, quorum alter populi informator aliquando* (nimirum Moyſes) *alter reformator quandoque?* (nempe Elias), qui ſolutam hominum vitam præceptis, & inſtitutis ad religioſæ perfectionis altiorem gradum provehebat. Indeque ad noſtrum ſcopum, hos quinque illuſtriſſimos viros tres Apoſtolos Chriſtus elegit, ad ſuam gloriam videndam, nam cum ipſi ſuis pennis, tanquam radiis Eccleſiam illuſtraſſent, inde voluit Chriſtus, ut ipſi viſis ſplendoribus ſuæ gloriæ, *mirificè inter cæteros* ſplendeſcerent.

168

Elias primus inſcripſit regulam monaſticam.

Quinque eliguntur ad videndam gloriam, quis ſuis ſcriptis illuſtrarunt Eccleſiam.

QUÆSTIO XIX.

Expenditur ſententia Victorini exiſtimantis quod iſte Angelus volans per medium cœli habens Evangelium æternum, ſit Magnus Parens Elias.

169 VIctorinus, ut jam retuli, exiſtimat quòd iſte Angelus volans per medium cœli velociter, habens Evangelium æternæ ſalutis excitans omnes ad Dei timorem, honorem, ac adorationem, eſt Magnus Parens Elias; ſic ait ipſe: *Angelum volantem in medio cœlo, quem dicit ſe vidiſſe, eundem eſſe Eliam, diximus*; qui ferviè, ac celeriter volans per medium cœli, per totam Eccleſiam prædicat, & annuntiat Evangelium æternæ ſalutis, ac vitæ; quam doctrinam magnis, & altis miraculis confirmabit, ut patet ſupra ex capite 11. numero 5. & 6. ut etiam fecit tempore Achab, dum inter viventes degeret ſuper hanc noſtram terram, ut conſtat ex 3. Reg. c. 17. 18. & 19. & 4. Reg. 1. & 2. & quàm alta, ac ſublimia fuerint hæc mirabilia perpende.

Elias Angelus volans per Eccleſiam.

Cùm Apoſtolus Paulus prædicaret Corinthiis Chriſtum crucifixum, ait 1. Corinth. 2. num. 9. *Sed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum*; quæ verba tractans Origenes tract. 35. in Matth. poſt medium, ait: *Sciens, quòd & Apoſtolus ſcripturas quaſdam ſecretorum profert, cùm dicit alicubi: Sicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit; nullo enim regulari libro hoc poſitum invenitur niſi in ſecretis Eliæ Prophetæ.* In nullo libro canonico inveniuntur ſcripta, niſi in ſecretis Eliæ; & quænam ſunt hæc tam alta, & ſublimia ſecreta Eliæ, quæ ſic ſuperant captum noſtrum, in quibus inveniatur ſcriptum, quod Deus ea, quæ præparaverit ſuis dilectoribus, nulla humana mens valeat aſſequi? Ipſa nempe opera, & facta Eliæ, quæ ſic perexcelſa ſunt, & tranſcendunt humanam intelligentiam, ut in illis inveniatur ſcriptum: *Quod oculus non vidit, nec*

170

Jacobus primus Scriptor teſtamenti novi.

auris

Opera & facta Eliæ maximè superant humanam mentem.

auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. Cùm in uno suo dilectore, Elia nempe, tot, & tanta legantur communicata, & data, ibi legitur, *quod nec oculus vidit, nec auris audivit*, &c. quæ Deus concedit, communicat, ac dat suis electis. Perpende, quòd opera Eliæ dicuntur secreta: *In secretis Eliæ Prophetæ*. Secretum est illud quod non videtur, nec agnoscitur; inde meritò opera Eliæ dicuntur secreta, quia quamvis legantur, & oculis nostris sint proposita, majus aliquid latet in eis, quod non videtur, nec agnoscitur. Hæc diximus in laudem Eliæ; ex citatis verbis Origenis jam aliquid adnotavi super. quæstion. ad fin.

171 Non mirum quòd tam illustria, ac præclara sint virtutum opera, ac facta Eliæ, cùm ipse Divino Spiritu esset plenus, à quo in suis actionibus totus gubernabatur, ac dirigebatur. Annuntians Gabriel Angelus nativitatem Joannis Baptistæ, Parenti ejus Zachariæ, ait Luc. 1. nu. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu, & virtute Eliæ*; & cur de Baptista prædicitur, quòd præibit ante Christum D. in virtute, & spiritu Eliæ? de eo enim ipse Angelus antea dixerat ibid. nu. 15. *Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris suæ*; quæ verba explanans D. Chrysost. hom. de S. Joanne Baptista, apud Metaphrast. sic ait: *Ante quem præcedet? Ante Dominum Christum. Cur ergo in spiritu, & virtute Eliæ dixit Gabriel præcedere Joannem? Audi prudenter: Elias Deus exponitur. Quoniam ergo Joannes Deum habebat in seipso, impletus est Spiritu Sancto ab utero matris; Spiritus autem Deus est: ea de causa, in spiritu & virtute Eliæ Joannes præcedit Dominum.* Elias interpretatur Deus, & quia Joannes Deum in se habebat, inde dicitur venire in spiritu Eliæ, & repleri Spiritu S. quem enim Spiritus Sanctus suis donis replet, in eo visitur, & agnoscitur spiritus Eliæ: *Spiritus S. Deus est, ea de causa in spiritu, & virtute Eliæ Joannes præcedit.*

In eo visitur spiritus Eliæ, quē Spiritus S. suis donis replet.

QUÆSTIO XX.

Quare Angelus volans habens Evangelium æternum, maximè nos provocat ad Dei timorem.

172 ECce thema magnorum Prædicatorum, qui in hoc Angelo habente Evangelium æternum repræsentantur; alta, & publica voce clamante: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorate eum.* Cum, nos excitat ad Dei timorem, reverentiam, ac adorationem, nobis proponit ante oculos judicii horam, & non ait, veniet hora de futuro, sed tantùm de præsenti: *Venit hora*; quia judicii hora semper in præsentiarum cogitanda, undè præclarè dixit D. August. in Psal. 51. *Deus* scilicet de mali judicio, *hodie hortatur te, ne judicet te, & qui tuus Judex est futurus, ipse est hodie advocatus tuus.* Dum de judicio admonet te.

Dei misericordiæ semper adjungit de judicio.

173 Nam ut rectè notat D. Thom. hoc loco: *Timete, & adorate Deum*, ait, *neque deficiatis per diversa tormenta, quia venit*, id est, *instat brevi*, (*omne enim tempus, est breve respectu Æternitatis*) *hora judicii ejus, quo judicabit omnes gentes, quo omnes honorantes, & timentes præmiabuntur, & contemnentes judicabuntur*; ac si dicat: In proximo est debitum stipendium operis cujusque, scilicet præmium timoris, & honoris Deo debiti, ac pœna illius contemptus, ut quos non allicit præmium, compellat pœna.

Quos non allicit præmium, coercet pœna.

174 His ergo noster magnus Prædicator in hoc suo themate: *Timete Dominum*; loquitur non de timore servili, sed casto, & filiali, quo aliquis timet culpam, quæ est offensa Dei, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 2. in corpore, & 3. p. qu. 7. art. 6. Hoc perfecto timore diligitur Deus, ut Pater, ac amicus; hoc perfecto timore refugimus ab omni Dei offensa, ab omni ira, & offensione illius, non solùm verentes pœnas ab eo infligendas, sed maximè verentes illum offendere, ac contristari, ab illoque in minimo recedere. Hic autem timor omnia bona secum involvit, & adducit. Psalm. 110. nu. 10. *Initium sapientiæ timor Domini*; idem habetur Eccles. 1. num. 16. & num 20. dicitur: *Plenitudo sapientiæ timere Deum*; & num. 22. *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum*; & n. 25. *Radix sapientiæ est timere Dominum*; & n. 34. *Sapientia & disciplina timor Domini.*

Timor Dei omnia bona secum involvit.

175 Et ut rectè notat Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 2. *Quocirca*; quòd iste timor sanctus, prout in voluntate existit est motus, seu affectus reverentiæ, cui respondet in intellectu apprehensio majestatis, ac magnitudinis Dei, illiusque potentiæ; & ideo noster Angelus dixit primò: *Timete Deum*; & secundò addit: *Date illi honorem*; honor datur in signum reverentiæ, quam alicui exhibemus in virtutis testimonium. Joachimus Abbas: *Quid est, quòd ait: Timete Deum, & date illi honorem? nisi quia ille honorat eum, qui timet illum, ille exhonorat, qui timere contemnit.* Et quia tali reverentiæ correspondet in intellectu apprehensio majestatis, ac magnitudinis Dei, & ideo addidit tertiò: *Adorate eum*, vero, ac proprio cultu latriæ, quo solus Deus est adorandus, *qui fecit Cœlum, & terram*; & inde maximè honorandus omni reverentia, ac observatione suorum mandatorum, ac detestatione peccatorum, cum vera pœnitentia ob illius offensam. D. Ambros. *Timor*, ait, *impellit ad pœnitentiam, pœnitentia verò ad bona opera agenda provocat, & ideo convenienter primò posuit timorem, & postea honorem.*

Qui Deum timet, Deum honorat, & glorificat.

Timor provocat ad pœnitentiā.

176 Meritò tamen dubitabis, quia, ut docet D. Chrysostom. homil. de diligendo Deo, non vult Deus, ut ab hominibus timeatur, quasi Dominus, sed ut diligatur tanquam Pater; cur ergo Angelus provocat ad Dei timorem, & non potiùs ad ejus amorem? cùm majus sit diligere, quàm timere. Respondeo, quod Angelus loquitur de timore filiali, qui est verè ab habitu charitatis, & est vel ipsemet amor, vel ad illum immediatè disponit, quia ille verè Deum diligit, qui refugit peccatum, & ex eo quòd refugit peccatum, quia est injuria, ac offensa Dei. Citatus Div. Chrysostom. loquens de timore filiali, sic ait: *Qui sic timet, vel jam amat, vel est in via*, scilicet ad amorem. D. August. citatus ad D. Thom. *Per timorem venitur ad amorem, nec potest Deus bene diligi, nisi timeatur, initium enim sapientiæ est timor Domini.*

Perfectus timor includit Dei amorē, vel est via ad illum.

177 Iste magnus Angelus, ac sublimis prædicator, exhortatur nos ad Dei timorem in perfecta charitate, ac amore Dei, & inde etiam nos excitat, ut non timeamus omnes sæculi potestates, magnates, ac tyrannos, ac ministros antichristianos, sed ut omnes illorum minas, terrores, aculeos, ac gladios, & blanditias contemnamus, veluti si diceret Angelus: Time Deum, nec Mundum timeas. D. Aug. de Martyrio: *Timor*, ait, *videtur ad ignaviam pertinere, sed videte, quid dicit Scriptura: Timor Domini spiritus fortitudinis*; *timeamus ergo, ut non timeamus, hoc est prudenter timeamus, ne ignaviter timeamus.*

178 Cùm Moyses post multam locutionem cum Deo tenderet in Ægyptum, ut suam legationem proponeret Pharaoni, ut dimitteret populum: *Cumque esset in itinere in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum*, Exod. 4. n. 24. Perpende textum, & nullam culpam invenies, in quam Moyses inciderit, ob quam tantam Domini iram in se concitaverit; cur ergo, Domine, interfectionem moliris homini obedienti, & eunti ad exequendum munus sibi commissum? cur ergo Domine te adeo terribilem exhibes viro, qui in Ægyptum properat, ut tuum mandatum exactè adimpleat? Timebat Moyses horribilem Pharaonis faciem, dicebat enim: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto*, Exod. 3. n. 11. Altissima sanè sapientia, Deus se terribilem ostendit Moysi eunti, & Pharaoni timenti, ut ira Dei territus, Deumque terribilem veritus, nihil inde posset vereri in creaturis, ut ita clavo clavum truderet, & Dei timore timorem hominum excluderet. Diodorus in Cat. Lippom. *Id totum factum est*, ait, *ut Moyses, qui Pharaonis timore correptus erat, adeo ut mittenti Deo diceret: Obsecro Domine mitte alium, quem missurus es; tanquam ab Angelo interficiendus mortis suæ discrimen, quam evaserat, secum in mente circumferret, & timor vehemens, quem illi Angelus incusserat, Pharaonis timo-*

Qui Deum timet, nec Principes, nec Magistratus hominum timet.

timorem, ut clavus clavum truderet. Deum timens, ut par est, nil aliud timet. O homo maximè hoc cura ut terribilis ira Dei sit tibi ante oculos, & nullam hominum etiam rabidissimam iram timebis.

178 Jonam fugitivum tempestas furens persequitur, nautarumque sortibus jactis, deprehenditur quòd ipse sit causa tempestatis, quod libenter ipse fatetur, & adjecit: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis; scio ego enim quoniam propter me, tempestas hæc grandis venit super vos*, Jon. 1. num. 12. quanta hæc animi constantia? Ipse sententiam in se fert, ipse se fluctibus maris damnat; cur non magis timet horribilem mortem? cur non magis veretur certum naufragium, ac inevitabile periculum? Præmiserat ipse in exordio sui sermonis: *Dominum Deum Cœli ego timeo*, ibidem n. 9. & cùm Dei timorem haberet, omnia temporalia mala non timebat, sed Dei timore, horrorem mortis, furentes ventos, sævientes tempestates, intumescentes, ac superbas undas, & maris fremitus, ac voraginem aquarum contemnebat, & pro nihilo faciebat. D. Zeno serm. de timore: *Jonas*, ait, *timens Dominum, spontaneum non timet adire naufragium.* Timor Dei non admittit secum timorem temporalium.

Timor Dei timorem temporalium excludit.

179 Loquens Isaias cap. 11. n. 2. de Sancto, ac justo, ait: *Requiescit super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* Maximè considera diversum loquendi modum, quo Scriptura utitur, dum de aliis donis Spiritus Sancti differit, ac dum agit de dono timoris; alii spiritus requiescunt in homine, at spiritus timoris replet: *Replebit eum spiritus timoris Domini.* Quod repletum est, quidquid aliud est, excludit; inde spiritus timoris Domini, replet hominem, quia nihil contrarium admittit, sed omne aliud à se rejicit, & excludit. Ex quo eleganter Orig. lib. 3. in c. 3. Epist. ad Rom. sic ait: *Opus ergo grande est, & magnificum semper habere ante oculos cordis timorem Domini, illum timorem, qui replevit virgam, quæ surrexit de radice Jesse, & florem, qui de radice ejus surrexit. In tantum autem perfectum reddit hominem Dei timor, ut cui sit, nihil desit, ut Propheta dicat: Quia nihil deest timentibus Deum.* Quem spiritus timoris Domini replet, omnia sunt in promptu, quia nihil aliud in se admittit, nisi quæ sunt Dei, & inde omnia bona secum habet.

Qui spiritu Dei repletur, nihil aliud in se admittit.

Apoc. 14. n. 8. Et alius Angelus secutus est dicens: Cecidit, cecidit Babylon illa magna, quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

VERSIONES.

Oecumen. Et alius, ac secundus Angelus.
D. Ambros. Alius Angelus prosecutus est.
Syriacus. Cecidit Babylon illa magna, quæ ex vino excandescentiæ scortationis suæ potandum dedit omnibus gentibus.
Pagninus. Babylon Civitas illa magna.
Arabicus. Cecidit ob vinum suæ necis, quod propinavit omnibus gentibus.
Vatabl. Quia à vino iræ fornicationis suæ.

EXPOSITIO.

180 ET *alius Angelus secutus est.* In isto Angelo denotantur prædicatores, qui venient, denuntiantes in proximo jam esse eversionem Babylonis; & hic Angelus distinctus est à primo, & tertio, ut dicam quæst. seq. *Dicens.* Notandum, quod de primo, & tertio Angelo ait text. n. 7. & 9. *Dicens voce magna*; non tamen in hoc secundo, sed tantùm simpliciter de eo scribitur, *dicens*, quia fortè tunc non erit tanta libertas dicendi, ut dicam citata quæstione.

181 *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Licèt aliqui hìc per Babyloniam intelligant multitudinem, ac collectionem iniquarum urbium, tamen communis sententia intelligit determinatam civitatem, nempe Romam, cujus eversio hìc denuntiatur, & prædicitur: casus vero, & ruina describitur infra c. 17. & 18. de quo ibi latiùs, & aliqua attingam quæst. seq. Et bis ingeminatur vox, *cecidit*, tam præ magnitudine doloris, ac etiam præ gravitate ruinæ, & casus; vel quia duplex est impiorum casus, unus in hoc sæculo, alter in alio. Richardus: *Dupliciter cadit Babylon; cadit in Mundo, cadit in Inferno; in Mundo per gravem actionem, in Inferno per æternam damnationem.* Et dicitur Babylon civitas *magna*, non solùm ob multitudinem populorum, sed etiam ob multitudinem iniquorum, ac vitiorum, quo sensu Ninive dicitur civitas magna; Judith. 1. n. 5.

Iniquus dupliciter cadit.

Quæ à vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes. 182 Non ait sacra revelatio, quòd à vino fornicationis suæ, sed à *vino iræ fornicationis suæ.* Quamvis fornicatio communiter dicatur de idolorum cultu, propriè significat omnem declinationem à bono, & recessum à Deo, sicut etiam vinum iræ, denotat multum furorem iræ divinæ, ac proinde sensus est: Ex supplicio eversionis in Babyloniam, ob antiquas idolatrias, & peccata sua, quibus allexit gentes ad peccandum, faciet Deus, ut de eodem calice iræ bibant, & similiter cum ea puniantur. Hoc intelligit potare vinum iræ fornicationis, ut gentes aliquam partem recipiant de ejus perditione, ac vastatione.

Gentes, quæ cum Babylonia peccarunt cum Babylonia puniuntur.

QUÆSTIO XXI.

Quare iste Angelus tam apertè denuntiat destructionem Babylonis, & quænam civitas est hæc, & quis Angelus iste.

183 TRia in hac quæstione inquiro: Quis sit iste Angelus; quæ civitas hìc intelligatur sub nomine Babylonis; tertiò, causa ejus destructionis. Ad primum Alcazar existimat quòd iste secundus Angelus sit Apostolus Paulus cohortans fideles ad acriter pugnandum pro fide contra imperium Romanum ethnicum, & ita ait in sua Epist. 2. ad Thessal. 2. nu. 3. *Ne quis vos seducat*; quæ sunt de eversione imperii Romani. Sed hoc nullo modo potest cohærere cùm text. ait: *Et alius Angelus secutus est dicens.* Notetur illud, *Secutus est*; nam Paulus in ea prophetia enuntianda de imperio Romano, non est secutus Joannem, sed antecessit, & magis secutus est Joannes Paulum, nam Paulus scripsit suam epistolam ad Thessal. antequam Joannes suum scriberet Evangelium, scripsit enim Joannes suum Evangelium post Domitianum Imperatorem, Paulus vero scripsit suam epistolam multò ante Domitianum, ut notant Commentatores.

Impugnatur.

184 Vera ergo sententia est, quod in isto secundo Angelo significantur prædicatores, qui proximi erunt adventui Antichristi, seu cum incœperit ejus potentia, ac proinde, ut clarè rem intelligas, hìc describuntur à Joanne tres Angeli, vers. 6. & hoc 8. ac sequenti vers. 9. in quibus significantur tres ordines, seu classes prædicatorum. Primus Angelus habens Evangelium æternum, significat prædicatores, qui modò sunt ab exordio Ecclesiæ, & erunt infra per multum tempus, qui prædicant fidelibus, & infidelibus, Deum timere, honorare, ac adorare, ut dixi superiori Exposit. nu. 150. Hic secundus Angelus denotat prædicatores docentes juxta adventum Antichristi, & cùm ipse cœperit regnare; hi denuntiabunt destructionem, ac desolationem Babylonis, seu Romæ, quæ fiet ab ipso Antichristo. Tertius Angelus significat magnos prædicatores Eliam, & Enoch, & ejus discipulos, qui prædicabunt adversùs Antichristum, regnante eo, & dominatum, ac imperium Orbis tenente, & clamabit vers. 9. & 10. *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, hic bibet de vino iræ Dei.*

Explicantur significata per hos tres Angelos.

185 Et hac de causa in primo, & tertio Angelo, n. 7. & 9. dicitur in text. *Dicens voce magna.* De hoc secundo tantùm simpliciter *dicens*, sine addita voce magna, quia fortè in hoc secundo Angelo, pro eversione Babylonis, non erit tam frequens, ac libera dicendi libertas, ut fuit sub primo Angelo, & est modò in nostris prædicatoribus, & erit sub tertio Angelo in magnis Prædicatoribus Elia, & Enoch; sic pro eversione Babylonis forsitan non erit tam libera prædicatio, ut fuit in primis temporibus cùm regnarent Imperatores ethnici. Vel secundus Angelus non extollet vocem, quia cùm deploramus domesticas, ac familiares calamitates, præ dolore vox comprimitur.

Cur hìc secundus Angelus non dicit voce magna.

Præ dolore vox comprimitur.

Ad secundum, quidnam significet Babylon? & 186

multis Expositoribus hìc fit magnum dubium: Ad quid hìc commemoratur eversio Babylonis, cùm de hac eversione latè sit sermo infra cap. 17. & 18. Facilè respondeo, quòd citato cap. 17. & 18. describitur actualis eversio Babylonis, seu Romæ, hic verò pronuntiatur ut futura. Sed dices, si loquitur de futuro, de iis, quæ evenient novissimis temporibus, cur dicitur de præterito, *cecidit*? potiùs debebat dicere, cadet. Tamen ait. *cecidit*, usitata Scripturæ locutione, qua solet præteritum tempus pro futuro ponere, cùm id, quod prænuntiatur infallibiliter sit adimplendum; sicut Psalm. 21. *Diviserunt sibi vestimenta mea*. Tamen nonne hæc Babylon mater est filiorum superbiæ? Ecce cur dicitur jam cecidisse; quia tunc cadit superbus, cùm jam intumescit. Primas. *Ruituram, jam sunt superbire, hinc Psalm. 72. n. 18. Dejecisti eos dum extollerentur; tunc utique dejecti, quando elati.*

Tunc cadit superbus, cum intumescit.

187 Quænam est ista Babylon, de qua hìc dicit Angelus: *Cecidit, cecidit*? Alludit hic Joannes ad Jeremiam 51. n. 8. *Subitò cecidit Babylon, & contrita est*; & ad Isai. 21. n. 9. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt*; quibus locis Prophetæ ad literam describunt excidium Babylonis, regnique Chaldæorum, per Cyrum; quid ergo sub hac allegoria intelligat Angelus, est tota quæstio.

Quænam sit ista Babylon.

188 Tichonius, hom. 11. Beda, Ambrosius, & Ansbertus, Haymon, Primasius, D. Anselm. D. Thomas, Gagnæus, per Babyloniam intelligunt civitatem Diaboli, seu Mundi, vel congregationem iniquorum, quam, ut dixit D. Aug lib. 14. de Civitate cap. ultim. *Ædificat amor sui usque ad contemptum Dei*. Tamen hìc Babylon videtur significare civitatem determinatam; Aureolus accipit Constantinopolim.

189 Andreas Cæsarien. Aretas, Ribeira, Sà, Menochius, Ferrarius, & multi alii per Babyloniam, Romam intelligunt. D. Augustin. D. Hieron. D. Thomas, Beda, & multi Patres apud Ribeiram hìc, & patet ex Epistol. 1. Petri cap. 5. n. 13. ubi ait: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus*; ubi sub nomine Babylonis figuraliter Romam intelligit, ut ait D. Hieron. in catalogo Scriptorum, in vita D. Marci.

190 De hac Romæ devastatione latè agitur infra, c. 17. & 18. de qua ibi Patres, & expositores, & nos etiam, Deo dante; quamvis enim Roma modò sub Romano Pontifice sit Urbs fidelis, ac sanctissima, in qua omnis justitia habitat, & à qua sacræ fidei mysteria dimanant in totum Orbem, ob rectam in Deum fidem, cujus caput, ac magistra est, tamen in fine sæculorum quando Mundus positus fuerit in maligno, regnante summa impietate Antichristi, Deus exercebit in illa judicium suæ iræ, ob omnia scelera in ea commissa ab ipsa Urbe condita; sicut Dominus in eversione Jerosolymæ, ac Synagogæ, punivit omnem sanguinem justum ab Abele, ut dicitur Matth. 23. n. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ*; sic in eversione Romanæ civitatis, puniet Deus idololatriam Romæ ethnicæ; puniet persecutiones omnes, quas fecit in christianos, & puniet omnia alia crimina, quibus est fornicata, ut latiùs explicatur, locis infra citatis.

191 Merito tamen dubitabis, cur Angelus instituens sermonem de eversione hac babylonica, ab his verbis incipit: *Cecidit, cecidit*! cur non priùs exprimit quænam sit hæc civitas, quodve ejus principium, ac genus, quibusque moribus constet? & tandem sermonem claudat ejus ruina? cur ergo à principio orditur à suo casu? Ut apertè intelligamus Mundo babylonico nequaquam fidendum, cùm priùs veluti videatur destructio, & perditio ejus, quàm exordium. Favet Richard. Victor. notans, quòd cùm primus Angelus non esset ad hortatus ad fidem Christi, statim ruinam Babyloniæ proponit, & sic ait: *Postquam admonuit, ut ad Christum rectâ fide accedamus, statim affirmat ruinam Babylonis, id est mundanæ confusionis, ne in ejus gloria confidamus.*

Rebus mundialibus non confidendum.

192 Primam Mundi Monarchiam dedit Deus Chaldæis; dicitur Gen. 10. n. 8. *Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra: fuit autem principium regni ejus Babylon*, &c. Nemrod, id est, descensio, seu lapsus, idem enim fuit, quòd in babylonico imperio ipse cœperit regnare, ac quòd simul caderet, & rueret. Inter quatuor Orbis imperia, regnum Chaldæorum primum extitit, quod periit, ac exterminatum est, ut patet ex Daniel. 5. n. 30. *Eadem nocte interfectus est Balthassar Rex Chaldæus, & Darius Medus successit in regnum*; & cur hæc prima perditio, ac destructio Chaldæis adscribitur? Bona temporalia quantò magis florent, eo citiùs evanescunt; Chaldæi primi fuerunt, qui ad regnum evolarunt, sic & primi erant in extremum exitium deturbandi. Paul. Orosius agens de Babylonis ruina, lib. 2. c. 6. *Exaggerare*, ait, *hoc loco mutabilium rerum, mutabiles status, non opus est; quicquid enim est opere manufactum, labi, & consumi vetustate, Babylon capta confirmat, cujus ut primum imperium, ac potentissimum extitit, ita & primum cessit*. Expende ultima verba.

Bona temporalia quanto magis florent, eò citiùs evanescunt.

193 Quod leviter rebus mundialibus uti debeamus, in eisque minimè confidendum gravi argumento probat Paulus 1. Cor. 7. nu. 29. *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes*. Suadet Apostolus, ut valde leviter in rebus mundanis nos habeamus, ut qui habent uxores sint veluti non habentes, & qui gaudent, ac si non gauderent, & qui emunt tanquam si nihil inde sibi compararent; & quodnam motivum hujus rei assignat? *Tempus breve est*. Omnia veloci transitu prætereunt, & ideo nihil in eis fidendum, sed sic habenda, ac si nihil essent. Tertul. lib. de cultu fœmin. *Qui emunt*, ait, *sic agant, quasi non possidentes. Cur ita? Quoniam præmiserat, dicens tempus in collecto est*.

Mundialia levi tractu habenda.

194 Magno documento à divino magistro de hac re instruimur. De eo loquens Petr. Act. 10. n. 38. *Unxit eum Deus Spiritu Sancto, & virtute, qui pertransit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo*; at de eodem meo Jesu ait Joan. c. 4. n. 6. dum Samaritanæ conversionem spectat: *Fatigatus, ex itinere, sedebat sic super fontem*; hìc sedet, illic pertransit; & quando ob unam tantùm mulierem Samaritanam sedet? cur propter tot homines sanandos non sedet, sed pertransit? In Samaritana, bona spiritualia quærebantur, quibus Deus studiosè attendere dignatur; & ideo tanquam cum magna cura pro illis sedet, & veluti operam adhibet, in aliis verò corporales sanitates spectabantur, quibus ut ostendatur Deus non multum intendens, tanquam si de illis parum agendum, ideo in hujusmodi sanitatibus, ostenditur brevi transiens; ex quo monet D. Synes. Epist. 57. dicens: *Cùm licebit, me ad inferiora demittam; hoc est, levi cura, & animadversione ingens aliquod bonum efficiam, itaut ipse sese gerere solet; affici autem, & adhærescere, penitus hoc demum malum est, quod neque Dei natura sustinet neque quisquis sese ad Dei exemplar componit.*

195

Non de transitoriis bonis agendum sed de spiritualibus.

QUÆSTIO XXII.

Quare ad devastationem Babylonis tria proponuntur; vinum, ira, & fornicatio.

196 DE Babylonia dicitur: *Quæ à vino iræ, fornicationis suæ potavit omnes gentes*. Sensum literalem, jam dixi; quia ex furore iræ divinæ, ob ejus idololatriam, & peccata, pœna, & punitio ejus redundabit in alias gentes, quæ facilè, ac suavi gustu potarunt de vitiis, ac turpitudinibus, quæ suavia, ac dulcia videntur reprobis. Pannonius: *Reprobis*, ait, *suaves gustus sunt, & ira, & fornicatio, quibus veluti suavi quodam liquore Babylon potat cives suos*. Moralem sensum quæro.

197 Primò tria hìc proponuntur ad excidium Babyloniæ, quæ illam ad tantam ruinam adduxerunt; vinum, ira, fornicatio. D. Thom. *Triplex*, ait, *est effectus vanitatis mundanæ, qua multi pervertit alios quasi potando decipiunt, quia pervertit animum, quod significatur per vinum; item meretur supplicium, ideo vinum iræ; item aufert Deum, ideo vinum fornicationis: isti tales amatores hujus mundanæ vanitatis cadent anima, & corpore in Infernum, à flore Mundi, quem dile-*

Mundani affectus, quantam miseriam pariunt.

dilexerunt; undè Babyloniæ tanta miseria, quæ etiam alias gentes apprehendit? Vinum nempe quo mens perturbatur, & à se alienatur; ira, quæ ad multa facinora nos impellit, & inde in multa supplicia cadit homo; & fornicatio, quæ à vero Dei cultu, ac adoratione nos avertit. Ecce quid faciunt mundani affectus, quibus maximè Babylon tenebatur, & undè in tantam ruinam est prolapsa.

198 Secundò vinum, ira, & fornicatio ad ruinam Babyloniæ conveniunt, quia sicut ebrius, ac furiosus tanquam à mente alienatus, sine verecundia, ac timore, ad omne turpe facinus rapitur, sic deditus fornicationis illecebris, ac delitiis mundanis, tanquam cœcus & mentis expers, in quodlibet execrabile nefas, sine verecundia, ac timore prorumpit. Ansbert. Abbas: *Pulchrè vitia temporalis gloriæ, vino iræ fornicationis, comparantur. Solent hi, qui inebriantur, dum fuerint mentis insania capti, sævientes turpiter furere; quod ita certum est reprobis evenire, qui dum illecebrarum omnium vitiis fuerint inebriati, atque ut ita dicam insensibiles effecti, furore cæco ad quodlibet scelus; absque ullo pudore prorumpunt.* Per fornicationem omne scelus, & facinus intelligit. Perpende: *Insensibiles effecti furore cæco, ad quodlibet scelus absque ullo pudore prorumpunt.* Mundani tanquam insensibiles, sine ullo timore, ac sine ulla verecundia in omne nefas se explicant.

Mundanus sine timore, ac verecundia præcipitatur in omne nefas.

199 Tertio: *Cecidit Babylon, quæ à vino fornicationis suæ potavit omnes gentes.* Licèt nomine fornicationis, idolatria intelligatur, tamen per eam carnis lascivia denotatur, ut vult Joachim Abbas; & Syrus legit *Scortationem*; & merito sanè hæc connectuntur, quia ex ebrietate, luxuria, tanquam filia primogenita prodit. Noster D. Cyril. Alex. lib. 7. in Levit. *Apertè pronuntiavit Apostolus* Ephes. 5. n. 18. dicens: *Vinum, in quo est luxuria*; ut ostenderet, *ex ebrietate veluti primogenitam filiam generari luxuriam:* idem ferè habet Orig. hom. 7. in Levitic.

Luxuria filia primogenita ebrietatis.

200 Quartò D. Thom. *Babylon*, ait, *est mundanorum, qui vanitatem Mundi amplexantur, & alios ad peccandum trahunt, vel exemplo, vel verbo; potavit vino iræ, id est, provocat iram divinam, quia meretur vindictam.* Ecce mundialis gloriola Antichristi, qui quantò magis se jactabat in multitudine divitiarum, ac in magnitudine potentiæ suæ, ut alias gentes ad sui similia turpia facta verbo, & exemplo alliceret, quanto magis florere videbatur, tanto vehementiùs, ac citiùs in se provocavit divinam iram, ut cito ac breviter periret.

Mundani dum magis florent alios decipientes pereunt.

201 Loquens Dominus de ultimis temporum angustiis, ait: *Ab arbore fici discite parabolam; cùm ramus ejus tener fuerit, & folia nata, dicitis, quia prope est æstas*, Matth. 24. n. 32. ecce ramus fici cum frondet, ac viridibus, & elegantibus foliis vestitur, ac exornatur imminentem ætatem denuntiat, qua universi florentes campi, adducto calore torrentur, & aduruntur; & quis est iste fici ramus, nisi mundanus, seu Antichristus in floridissimo statu regni sui, qui dum magis videbitur se pomposè crescere, ac dilatare, tunc subito marcescet, & peribit. Ecce quo tendunt temporalia, quæ dum magis florent, eò citiùs annuntiantur in extrema ruina, ac perditione. D. Hilar. Can. 26. in Matth. *Ramus igitur fici*, ait, *Antichristus esse intelligitur, qui cum tenerascere cœperit, atque frondescere, tunc proxima esse æstas, id est, dies judicii sentietur. Frondescere autem quadam peccatorum exultantium viriditate nascitur, est enim tunc flos criminosorum, & honor facinorosorum, & gratia prophanorum, quibus tamen æstus, id est, calor æterni ignis in proximo est.*

Flores Mundi in afflictione desiunt.

202 Dicebat illa anima sancta Cant. 5. n. 1. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea sponsa, messui myrrham meam.* Invitabatur divinus Sponsus ad hortum, in quo floridissimæ quæque plantæ fructum præbebant, suavia, dulcia, ac matura poma undique redundabant, quæ maximè sua pulchritudine omnium oculos ad se trahebant; venit ille in hortum, & ex omnibus horti fructibus, extendens manum, amaram myrrham collegisse dicitur: *Veni in hortum meum; messui myrrham.* Hortus ille Mundum figurabat, in quo omnia licèt videantur virescere, ac florescere, & multis dulcibus, ac suavibus pomis abundare, tamen cum manum extendis, & vis tenere, nihil aliud apprehendis nisi durum, asperum, & amarum. Ad hoc tendit Simon de Cassia lib. 13. in Matth. cap. 24. *Est & anima hortus*, ait, *in quem sponsum sponsa invitat dicens: Veniat Dilectus meus in hortum suum; cui ille respondit: Veni in hortum meum messui myrrham meam, quia doluit usque ad sudorem sanguineum.*

Mundi dulcia amari ubi tes pariunt.

Apoc. 18. *n.* 9. Et tertius Angelus secutus est illos, dicens voce magna: Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua.

Num. 10. Et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni.

VERSIONES.

Syriacus n. 9. Et alius Angelus tertius: Si quis adoraverit illud animal dentis, & imaginem ejus, & acceperit super domicilium oculorum suorum, aut super manum suam.

Arabicus. Et accipit nomen ejus in fronte sua, aut manu sua.

Syriacus n. 10. Ille bibet ex vino excandescentiæ Dei, quod mistum est merum in poculo iræ ipsius, &c. coram throno.

Arabicus. Quod temperatum est in calice furoris ejus, & in conspectu sanctorum Angelorum, & in conspectu sanctorum, & Agni.

Arias. Bibet de vino iræ Dei, misto meri in poculo iræ.

Primas. Punietur igne, & sulphure, sub oculis sanctorum Angelorum, & sub oculis Agni.

Aretas. Quod mistum est mero in charactere iræ ipsius.

Alii. Quod infusum est in Calice.

EXPOSITIO.

ET *tertius Angelus*. In hoc tertio Angelo denotantur magni prædicatores, Elias, ac Enoch, tanquam antesignani, ac alii contra Antichristum, qui incipient suam prædicationem duorum præcedentium Angelorum, seu prædicatorum, qui in eis denotantur, de quo egi quæst. 21. nu. 184. *Secutus est illos*. Cùm videretur dicere debuisse, secutus est illum; in quo apertè innuit text. quod primus Angelus simul cum secundo protrahet suam prædicationem usque ad tertium, ac proinde prædicatores religiosi in primo Angelo denotati usque ad finem sunt duraturi. *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus*. Denotantur magni prædicatores, ac fortes milites Christi, qui non solùm prædicabunt contra imaginem bestiæ, sed etiam contra ipsam bestiam, ubi ipse personaliter fuerit. *Magna voce*. Publicè, ac multa energia ejus immanem impietatem arguent. *Et acceperit characterem in fronte sua*: vide dicta super cap. vers. 9. 203

Prædicatores magna voce, & audacia.

Et hic bibet de vino iræ Dei; experietur nempe divinam ultionem, & severissimam, undè subdit: *Quod mistum est mero*. Dixi mistum non aqua, sed alio fortiori puro vino, ut efficaciùs accendatur divina vindicta, nullis undis clementiæ, aut consolationis, & refrigerii mitigata, sed multis, & variis tormentorum incrementis adaucta. *In calice iræ ipsius*, tanquam per mensuram, ut pœna proportionetur, & correspondeat culpæ. 204

Ira Dei efficaciter desæviens.

Et cruciabitur igne, & sulphure. His denotatur vehemens damnatorum cruciatus, ut passim significatur per ignem; infra cap. 19. *Vivi missi sunt in stagnum ignis*. Hic autem sulphuris fit mentio, ut ignis perennitas denotetur, aptissimum sanè ignis est alimentum. Deinde ut significetur teterrimus odor, quo multùm damnati cruciabuntur. *Igne, & sulphure*. D. 205

Pœna correspondet peccato.

Ambros. *Ignis exurit, sulphur autem fœtorem pessimum de se emittit; igne autem corporaliter cruciabuntur, qui ignem vitiorum in se extinguere noluerunt; fœtore sulphuris torquebuntur, quibus dulcis fuit fœtor luxuriæ.* Ecce quomodo genus supplicii peccato correspondet; igne cruciabuntur, qui in vita vitiorum igne comburebantur; sulphuris fœtor luxuriæ fœtori respondet. Addam etiam, ut notavit Barthol. Anglic. lib. 16. de rerum propriet. cap. 16. quòd si flamma sulphuris directè vultum hominis percutiat, ipsum horribilem, ac nimis pallidum ostendat, & inde, ut ait D. Isidor. lib. 16. c. 17. damnatorum desperationem exprimit.

QUÆSTIO XXIII.

Altiùs hæc tria examinantur; vinum iræ Dei, mistum mero, & calix iræ ipsius.

206 Ad pœnã, & iră Deus cõpellitur.

HÆc tria hìc ponit Joannes; & primò: *Bibet de vino iræ Dei*; hoc est pœna, & vindicta à Deo inflicta, nam vinum calidum, ac mordax est. Secundò, sicut vinum uvæ vi exprimitur ex uva, ita vinum iræ Dei, exprimitur ex divina ira, & utique expressio est quid violentum; ita Deus non amat perditionem hominum, nec illorum pœnas, sed invictus quodammodo ad illas venit: *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat*, Ezech. 33. n. 11. attamen hominum scelera compellunt, & accendunt ipsam iram, ex cujus expressione facta per divinam justitiam confluit vinum tormentorum commeritorum, quod bibent omnes peccatores terræ.

207 Cruciatus damnatorũ à seipsis originãtur.

Tertiò Andreas Cæsar. *Percommodè*, ait, *cruciatus iræ vinum appellatur, quippe quod ex impietatis uva conflctur; quod quidem inebriat omnes, quotquot ex illo bibunt, nam per quæ quis peccavit, per ea puniri quoque solet.* Perpende qua ratione cruciatus vinum iræ dicatur; quia ex intemperantia tua, *ex impietate tua conflctur, quod quidem inebriat;* quod tibi tantum damnum inferat, ut in terram collisus jaceas: cruciatus ergo, & tormenta damnatorum, ex impietatibus suis, tanquam ex uva exprimuntur.

208 Pœnã damnatorũ sine ulla miseratione.

Quo ad secundum: *Mistum mero;* quomodo mistum, si merum? Respondeo, quòd aliquando misceatur vinum aqua, & tunc vinum merum non est, sed dilutum, & tunc significat temperatam pœnam, & aliqua remissione imminutam. Aliquando verò vinum merum alio vino, vel aliqua vini fœce miscetur, ut acrius, ac acerbius fiat, juxta illud Psalm. 47. n. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto: & inclinavit ex hoc in hoc: veruntamen fæx ejus non est exinanita;* & tunc significat pœnam sine ulla remissione, & alleviatione, & quod uni pœnæ succedat alia, simulque junctæ efficient terribilissimum tormentum.

209 Dei judicium severum sine acceptione.

Aliter respondet Andreas Cæsar. Dicitur hìc calix merus propter judicii æquitatem, at verò propter peccati sponte electi, utroque perpetrati multiplicitatem, & diversitatem ex variis cruciatibus, pœnarumque generis mistus. Hic calix vini iræ Dei merus dicitur, quia Dei judicium est sine personarum acceptione, propter summam ejus æquitatem, mistum verò, quia propter hominum peccata severissimum erit multis tormentorum generibus.

210 Pœna commensuratur culpæ.

Ad tertium: *In calice iræ ipsius.* Calix hic est justa æstimatio, & veluti est mensura, ac divina conceptio, qua in se Deus concipit, & æstimat quidquid unicuique debetur peccato, & peccatori, & per verum judicium, & sententiam præparat, quousque propinet pœnam sua justa sententia præparatam. D. Bernard. Senens. tom. 1. Dominic. in Resurrect. art. 7. cap. 7. *Calix Dei*, ait, *est mentio districtioris judicii, quo Deus permittit secundùm mensuram sui judicii in hoc sæculo peccatores peccare, & ideo eos punit in æternum secundùm mensuram peccati*, ut dicitur Deuter. 25. nu. 2. *Pro mensura peccati erit plagarum modus.*

211 Pro mensura peccati pœna.

Ait Dominus zelo vindictæ in peccatores succensus, per Isai. 13. n. 17. *Ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint, sed sagittis parvulos interficient.* Ad summam vindictam sumendam, quales convocat Dominus carnifices? Medos potiùs, quàm alias gentes. D. Aldredus serm. 9. in Isaiam. *Ideo*, ait, *quia Medi interpretantur mensura;* ut denotaretur, quod cum maximè Deus ira inflammesceret in Israel, servata tamen erat mensura cum eorum peccatis, ac culpis.

212 Pœna respondet culpæ.

Gen. 19. n. 24. dicitur: *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de Cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitantes urbium, & cuncta terræ virentia.* Sic exarsit universa Sodomorum terra, ut tota redacta in cineres, fieret inutilis ad culturam, & ad humanum habitaculum. Pulchram rationem assignat D. Chrysostom. homil. de Adam, & Sodomitis: *Quia enim incultas animas ad pietatem præbuere, quia ad virtutem visi sunt inædificabiles, ea ipsa passi sunt quæ fecerunt, & ob sua mala condemnati sunt; unicuique enim Deus, quam seminavit, messem dedit.* Terræ uteros perdidit flamma, in cineres commutatos, tantum sibi profunditatis usurpans, quantum quis fodendo capiat, non daturque ibi solidum ædificiis fundamentum, sicut nec terra Sodomorum capax agriculturæ est, ut post tota cinerea. Et meritò sanè; terra enim quæ tales protulit homines, qui nullum virtutis fructum dederunt, nullumque germen spirituale protulerunt, fiat etiam ipsa fructuum, ac germinum infœcunda, & habitationum destituta: *Unicuique enim Deus, quam seminavit, messem dedit*; sic pœnæ ad mensuram delictorum correspondent.

213 Culpa parit supplicium sibi æquale.

Dicitur 4 Reg. 10. n. 7. quòd ministri Jehu *tulerunt Regis Achab filios, & occiderunt septuaginta viros, & posuerunt capita eorum in cophinis*; legit D. Chrysost. *Et posuerunt capita eorum in corbes.* Corbis vas est ex viminibus effectum, in quo solent trahi uvæ ex vineis ad torcularia; cur ergo tam notanter dicuntur capita filiorum Achab posita in corbibus? cur non potiùs in canistris, vel in alia re simili? Magnum peccatum Achab, in eo habetur scriptum, quod vineam Naboth vi abstulerit, ex qua extrahebantur uvæ in corbibus ad Regis mensam: meritò ergo etiam in eis ponuntur capita filiorum ejus, ut qui pauperis vindemiavit vineam, missis botris ejus in corbes, tales pœnas dedit, ut sui generis capita in corbibus, velut uvæ traherentur, & ita corbis, quod fuit veluti mensura peccati esset & mensura supplicii, & peccatum sibi simile pœnam pareret. D. Chrysostom. citata homil. de Achab loquens ait: *Posuerunt capita eorum in corbes, & miserunt eos in Israel. Justus es Domine, & rectum judicium tuum. In Israel Naboth occisus est, in eundem locum occidentis genus occisum missum est in sportis. Achab Nabothæ, peccavit in botris in corbes conjectis; tale est enim peccatorum debitum.*

QUÆSTIO XXIV.

Quare cruciatus dabitur in conspectu Angelorum, ac Agni.

214 Cur prius de Angelis mentio.

AIt text. *quòd cruciabitur igne, & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni.* Cùm dicere debuisset Joannes priùs, ante conspectum Agni, ut qui primo loco poni debet, ut major Angelis, data opera ponit secundo loco, ut crescat oratio, gravius enim erit damnatis cruciari igne in conspectu Agni, quàm in conspectu Angelorum sanctorum, ac proinde ex hoc Joannes ascendit ad aliud.

215 Quia eorũ monita cõtẽpserũt.

Ad quæstionem: primò cur damnati in conspectu Angelorum tormenta patientur? Angeli sancti dati sunt nobis, ut interiùs nos moneant, & viam rectam, qua in Cœlum itur, ostendant, quorum tamen monita, ac inspirationes negleximus, indeque maximè torquebuntur damnati, quod eis obsequentes non fuerint; coram ergo Angelis punientur. D. Thom. *Quia*, ait, *ostenditur hic æquitas justitiæ, quæ exigit, ut coram Angelis sanctis, quorum monita respuerunt, torqueantur.*

216 Cruciatur in præsentia ejus, quem cõtẽpserũt.

Secundò meritò dicuntur puniri in conspectu Angelorum, ac Agni, quia eorum præsentiam contemnentes, impudicè peccarunt; eorum ergo præsentia magnum erit in tormentum. Ansbertus: *In conspectu*, ait, *Angelorum cruciabuntur, & in conspectu Agni,*

Agni, videlicet, ut eorum conspectu crucientur, in quorum conspectu non timuerunt multa mala perpetrare. Primas. *In conspectu Agni dicit, cujus judicium patientur, quem contemnebant superbè, & cujus dominari membris affectabant injustè.*

217 Tertiò Arabicus legit: *In conspectu sanctorum, & Agni.* Absque dubio intolerabilis confusio miseris continget ex Christo, eos in inferno conspiciente; quid enim in majorem confusionem erit, quàm Christum ab ipsis videri, qui pro eorum salute tot, ac tanta passus est, & tamen ab ipsis in vili pretio habitus est, cujus pretiosissimum sanguinem nefariis pedibus conculcaverunt, Hebræor. 10. n. 29. & quid est etiam, quòd coram Angelis, ac sanctis, talis cruciatus dabitur? an ut ipsis compatiantur? Imò ut majori confusione afficiantur. D. Bernard. tom. 1. Domin. in Resurrect. art. 7. c. 3. *Primam*, ait, *confusionem patientur à sanctis, qui videntes in Inferno damnatos contemplabuntur, in exemplo damnationis eorum, & turpitudinem culpæ, & pulchritudinem divinæ justitiæ; sicut de quolibet sanctorum Psal. 57. ait David: Lætabitur justus cùm viderit vindictam; scilicet, super damnatos exercitam, eò quòd concordet, & complaceat, atque condelectetur justitiæ Dei; & sequitur. Manus suas levabit in sanguine peccatorum, scilicet, punitorum.*

Multa in damnatis confusio.

218 Quartò ad quid divinus Agnus dicitur præsens damnatis? Ut denotetur, quòd, sicut in æternum duratura est ejus præsentia circa ipsos, ita & pœna, qua afficientur in conspectu ejus, nullum finem est habitura. Albert. Magn. *Ante conspectum Agni*, ait, *id est, tanto terrore terrebuntur, ut videatur Deus omnipotens semper illis præsens esse, eisque iram vindictæ suæ semper infligere.*

Pœna inferni æterna.

219 Quintò quare cùm de pœna damnatorum fit mentio, dicitur quòd *cruciabitur igne, & sulphure?* & adhuc ad majorem exaggerationem pœnæ additur: *Ante conspectum Angelorum, & in conspectu Agni?* Rup. *Notandum*, ait, *quòd cùm dixisset, cruciabitur igne, & sulphure, addit, in conspectu Angelorum sanctorum, nec isto contentus, addit adhuc, in conspectu Agni: Judicem sic Agnum appellavit;* cur in tam acerba causa convocantur ut judices, ac veluti executores benevoli Angeli, ac benignissimus Agnus? cur non potiùs dæmones crudelissimi, ac superbissimus Lucifer cum suis satellitibus? Sed *Judicem* ipsum *Agnum appellavit?* ut pœna esset durior, & supplicium vehementius. Nil sanè regidius, ac durius, quàm ab uno mansuetissimo Agno justitiæ rigores experiri, ac pati, & undè omnes sibi promittunt pietatem, ac clementiam,

Summus Rigor in manibus pietatis cruciari.

220 inde calicem justitiæ amarum potare, ac haurire. Dei omnipotentis manu tradita est civitas Jericho in destructionem, ac devastationem, ad cujus rei executionem præcepit Deus Josue cap. 6. n. 3. *Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem; sic facietis sex diebus: Septimo autem die Sacerdotes tollant septem buccinas, quarum usus est in jubileo;* quæ tubæ erant argenteæ ad annum festivum jubilei, ut tenet ibi Abulens. quæst. 7. ad quarum sonitum muri Jericho statim corruerunt, quod maximè hìc est expensione dignum, quòd ad devastationem Jericho, non quæcunque tubæ eliguntur, sed *quarum usus est in jubileo;* nonne ad devastandam civitatem aptiores videbantur bellicæ tubæ? cur festivæ ac jubilei assumuntur? *Quarum usus est in jubileo.* Hujusmodi tubæ insonabant ad indulgentiam, pietatem, ac ad jubileum,

Magna pœna, pietatis instrumento perire.

& nulla severior pœna quàm perire, ac destrui pietatis, ac misericordiæ instrumento, & quòd tibi vertatur in desolationem, ac devastationem, quod est institutum ad ædificationem.

221 Acerbo, & duro supplicio minatur Deus Jerusalem per Ezech. 16. nu 37. dicens: *Congregabo super te omnes amatores tuos*; quod explicans Theodor. ait: *Per ipsos amatores tuos ulciscar te.* Dum durissimum, ac rigidissimum supplicium parat Dominus, ad illum convocat intimos, ac charissimos amicos, cur non potiùs adducuntur crudeles, ac immanes tyranni, ut suam rabiem, ac odium exercentes pœnam execrabilem undique, absque ulla misericordia inferant? *Per ipsos amatores ulciscar te;* ut ita cruciatus sit gravior, & dolor vehementior, dum amatores fiunt tortores, & favores in austeros justitiæ rigores, & dulcia, ac tenera, in amara, & aspera vertuntur.

Grande supplicium, ut amatores fiant sui tortores.

Ad cujus rei gustum dicebat Jerem. Thren. 5. n. 15. 222
Defecit gaudium cordis nostri; versus est in luctum chorus noster; non solùm ait, quòd defecit gaudium, sed addit: *Versus est in luctum chorus noster*; non solùm gaudia sunt ablata, & dolores multiplicati, sed adeo crevit miseria, ut ipsa exultationis materia commutata sit in angustiæ ac afflictionis argumentum. Figuered. ibi: *Nota non dixisse, cessavit chorus noster, sed, conversus est in luctum, quia justo judicio Dei fit, ut non solùm peccator ipsa creaturarum delectatione privetur, sed & easdem ipsas habeat, tortores, & instrumenta supplicii.*

Magnus dolor, quod Chorus fiat in luctum.

Apoc. 14. n. 11. Et fumus tormentorum eorum ascendit in sæcula sæculorum: nec habent requiem die, ac nocte, qui adoraverunt bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus.

Num. 12. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu.

VERSIONES.

Arabicus n. 11. Et ascendit fumus cruciatus eorum in sæcula sæculorum; non erit eis requies die, ac nocte.

D. Cyprian. Et fumus de tormentis eorum ascendit, nec habebunt requiem quicunque adorant.

Aretas. Ascendit fumus tormenti ejus.

Vatabl. Tormenti illorum.

Syriacus. Non est ipsis quies, qui adorant illud animal dentis.

Arabicus n. 12. Hic est tolerantia sanctorum, qui servant.

Primas. & Bern. Hic est sapientia sanctorum,

Arias. Hic custodientes mandata Dei.

Pagninus. Hic quo custodiunt præcepta Dei.

EXPOSITIO.

Ascendit fumus. Ribeira, Cornelius, Menochius, Tirinus, & alii dicunt ignem hìc metonymicè poni, pro ipso igne, qui est causa fumi, quia in Inferno videtur quòd non sit fumus, vel ignis fumans, quia ibi nihil est corruptibile, & resolubile, sed omnia constantia, & permanentia sunt. Sed hæc ratio non multum urget; quia sicut divina virtus perpetuò servat damnatorum corpora, ne ab igne absumantur, cùm ejus ardentissima voracitas non impediatur, sic etiam non repugnat eadem divina via fumum turbidissimum perpetuò conservari absque alimenti diminutione, & in proprio sensu intelligitur Scriptura hìc: *Ascendit fumus tormentorum;* & cap. 9. n. 2. *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ;* ita docent Andreas Cæsar. D. Bonav. tract. 10. cap. 1. D. Bernard. tom. 2. serm. 22. art. 2. c. 3. & ut optimè docet D. Thom. 4. contra Gent. cap. 9. hic ignis maximè inservit ad rigidum tormentum damnatorum, capitis nempe perturbatione, horribili fœtore in naribus, aspera, & acuta amaritudine in ore, oraculorum conturbatione, ac dolore, & etiam horrenda, ac caliginosa obscuritate; & insuper ipse fumus ingrediens per os, nares, & oculos miserum damnatum videtur suffocare, & strangulare. 222

In inferno datur fumus.

Ex fumo multa tormenta damnatis.

Ascendit. Hoc verbo insinuatur, quòd pœna illa nunquam remittatur. Et tria habemus de tormentis damnatorum importabilia; æternitas: *Ascendit fumus in sæcula sæculorum;* secundùm: *Non habent requiem die, ac nocte.* Apud inferos perpetua nox est, & nulla diei claritas; sed quia apud nos est talis vicissitudo ita loquitur, & significatur continuitas pœnæ sine ulla intermissione. Albert. Magn. *Dies, ac noctes, id est, continuè; undè sicut nox, & dies succedunt sibi continuè, sic pœna pœnæ.* Tertium, est publicitas: *In conspectu Angelorum, & Agni.* Sæpè maximè cruciat dehonestari tormentis in conspectu eorum, quorum vultum reveremur. 223

Tria tormenta damnatorum

224 *Hic patientia sanctorum est.* Refertur hoc ad periodum totam præcedentem ab eo loco: *Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus*; ut sensus sit: Etsi tales bestiæ adoratores puniendi sint omnibus dictis suppliciis, tamen hoc non tollit, quin, *hìc*, seu in præsenti, magna sit necessaria patientia bonis, & sanctis, dum non sectantur cum antichristianis vitia carnis, & sanguinis, adorantes bestiam, & accipientes characterem ejus. *Qui custodiunt mandata Dei, & fidem JESU.* Et cùm fides, quæ est principium salutis, sit prius, quàm custodire mandata, ponitur tamen secundo loco, quia ascendit oratio ad majora; & quamvis in illa persecutione Antichristi magna patientia erit necessaria ad custodienda Dei mandata, tamen major patientia exigitur ad tunc fidem Jesu confitendam, & in hoc maximè relucet, & resplendet patientia sanctorum.

Patientia Sanctorum in sustinendis malis.

QUÆSTIO XXV.

Quare post descriptos damnatorum cruciatus, illico noster Joannes addit: Hic est patientia sanctorum.

225 UBi nostra Vulgata habet: *Hic est patientia sanctorum;* D. Bernardin. citand. legit: *Hic est sapientia sanctorum;* quare noster Joannes post recensitas damnatorum pœnas, eorumque tormenta futura expressa, statim apponit: *Hic est sapientia sanctorum?* Merito sanè, quia ille prudentia christiana sapiens est, qui agnoscit præcauere supplicia æterna. D. Bernardin. Senens. tom. 2. serm. 22. art. 3. cap. 2. *Joannes dicit: Hæc est sapientia sanctorum, scilicet per fidem prævidendo, evadere pœnas æternas, & ob hoc dæmonum illecebras, quæ illis cum criminibus proponuntur, sapienter evitant*; undè Proverb. 1. n. 17. dicitur: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Diabolus quidem animarum anceps retia peccatorum ante illos tendit, in quibus solummodo capit fideles, qui oculos non habent ad prævidendum, nec pennas, nec alas ad altè volandum; sancti verò, & justi pœnas ideo evadunt, quia his omnibus muniti sunt.*

Ille verè sapiens, qui scit præcavere æterna supplicia.

226 Secundò D. Bernardin. persistens in sua lectione: *Hic sapientia sanctorum est;* cur ubi nos habemus patientiam, legit ipse sapientiam? Quia qui patiens est, etiam sapiens est, & tantò quilibet videtur esse sapiens, quantò amplius probatur esse patiens. Ad hoc tendit Salomon, cùm ait Proverb. 19. nu. 11. *Doctrina viri per patientiam noscitur*; ubi doctrina pro sapientia ponitur, undequaque parta sit, undè in originali sic legitur: *Intellectus viri per patientiam noscitur*; sensus ergo est: Patientia, & tolerantia hominem verè esse prudentem, & sapientem demonstrat, & intellectus viri maximè per patientiam in laboribus ostenditur, nihil enim à sapientia magis alienum, quàm incidentes ærumnas ægrè ferre, & iræ habenas laxare. Favet citat. D. Bernard. *Ad virtutem spectat injurias fortiter ferre; ad sapientiam in tribulationibus gaudere.*

Quantò quis sapiens, tantò magis patiens.

Originale.

227 Tertio Rupertus sic ait: *Hic patientia est sanctorum in eo, quod dicitur agnus fore illis ad misericordiam in sæcula sæculorum. Inflexibilis & patientia sanctorum est, dum non quasi de nimia severitate murmurant, qui custodiunt mandata Dei, videlicet custodientes, scilicet futurum esse judicium, qui custodiunt fidem Jesu, scilicet non dubitantes fidelem, & veracem esse Jesum, qui tam terribile prælocutus comminatus est judicium.* Cur postquam commemoravit cruciatus damnatorum in sæcula sæculorum, in conspectu agni, statim conjungit patientiam sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Jesu? Quia nisi veritas infallibilis eos doceret in fide, non possent sibi persuadere, quod agnus, qui semper fuit mansuet issimus, tantæ futuræ sit severitatis in finali judicio, quòd reprobos sine ulla ipse misericordia in æternum damnet. *Qui custodiunt fidem Jesu, scilicet non dubitantes fidelem, & veracem esse Jesum, qui tam terribile prælocutus comminatus est judicium.*

Quanta severitas in finali judicio.

228 *Quartò* cur post recensitos gravissimos damnatorum hominum cruciatus, illico additur: *Hic est patientia sanctorum, qui custodiunt mandata Dei?* cur dicitur, *Hic?* Quia in hoc confisi, id est, in hac observatione mandatorum Dei à pœnis æternis immunitas. D. Bernardin. citatus cap. 3. *Hæ sunt duæ alæ columbinæ christiani, scilicet duæ tabulæ mandatorum, quibus per observantiam anima christiani ad Cœlum volat, quod concupiscens Propheta ait,* Psalm. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? Volabo per observationem mandatorum, & requiescam scilicet in gloria Beatorum; ideo juveni poscenti quomodo posset conscendere in Cœlum, ab eodem* Matth. 19. *responsum: Serva mandata; quasi diceret: Assume alas.*

Obfertationes damnatorum eruciatus supplicia æterna.

Quintò in quo hìc relucet hujusmodi patientia sanctorum? in observatione mandatorum Dei, aut in confessione fidei? hoc omnibus fidelibus est commune; in quo ergo insigniter hìc apparet patientia sanctorum? Sermo est in præsenti de tempore novissimo sub Antichristo; in quo ergo tunc erit sita eorum patientia? Ille perditionis filius multis, & extraordinariis modis, coget omnes suo charactere insigniri, quo se servos suos esse profiteantur; meritò ergo talis patientia sanctorum celebratur, eò quòd magno animo omnes cruciatus potiùs sustineant, quàm hujusmodi characterem suscipere, illiusque obsequio dedicari; & patientia sanctorum maximè commendanda, cùm omnes cruciatus contemnat pro fidei confessione. Richard. Victor. *In non accipiendo charactere nominis ejus, quia propter hoc patientur sancti tribulationem, & pergent ad beatitudinem;* quam interpretationem secutus sum in expositione.

229 Vera patientia omnia sustinet mala pro confessione fidei.

Ait Paulus Roman. 8. num. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in iis omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* Etsi Apostoli tanquam agniculi infirmi videbantur, undique circumvallati lupis, & si oves sint jam ad occisionem, ac ad macellum raptæ reputabantur, de lupis, de carnificibus, de fatis, de malo sydere, ac de omni crudelitatum genere triumphabant; & quibus armis, quove instrumento? Patientiæ nempe scuto protecti, quo munimine firmati, de omnibus triumphabant. D. Leo Epist. Decretal. 91. cap. 10. *Scriptum est,* ait, *quia propter te morte afficimur; tota die æstimati sumus, ut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus in eo, qui nos dilexit; & ideo Ecclesia, quia corpus est Christi, nihil de Mundi inæqualitatibus metuit, quia nihil de bonis corporalibus concupiscit, nec timet inani strepitu factorum gravari, quæ patientia tribulationum novit augeri.*

230

Patientia de omnibus infortuniis triumphat.

Semel, & bis ausus est Satan Deo permittente insurgere in Job; primò omnem ejus substantiam perdidit, filios morti tradidit, & cum tot tela repulsa videat à fortissimo Dei athleta, nihilominus non erubescit adstare Deo, & ampliorem permissionem nocendi petere. Deus deinde corporalem Jobi substantiam permittit dæmoni: quid ille? Ait text. c. 2. n. 7. *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem ejus, qui testa faniem radebat, sedens in sterquilinio,* &c. Sic Diabolus percutit hominem sanctissimum, & percussum relinquit, nec ampliùs audet apparere coram Deo aliquid petens adversùs Job; cur non intendit ut iterum ipsa mala repetantur? Miror quod sic quiescat fera bestia; cur, Satana, amplius non instas? cur non urges percussum? cur dolores non multiplicas? cur ampliorem permissionem non petis? Sustinebat invictissimus Job, & dum est, qui paulisper patienter sustineat in hac vita, o quam citò, ac brevi evacuantur, ac exhauriuntur, mundialium malorum omnium pharetræ, omnium adversariorum machinationes pereunt! Orig. hom. 2. in Job, *Cum in istis ergo perseveraret Job, nequissimus Diabolus obstupuit, desperavit, dicens: Ubi est præsumptio mea? ubi est audacia? omnem sollicitudinem exercui, & in Job nihil feci; omnes sagittas nequissimæ pharetræ meæ evacuavi, & nihil feci.*

231

Hostiles omnes impetus à patiente exhauriuntur.

Iterum in ipso Job persisto, c. 40. n. 10. quem Dominus longa sustinentia exercitatum sic loquitur: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos come-*

232

comedet; Græci legunt: *Sed ecce jam bestiæ apud te fœnum quasi boves comedunt*. Feralissimæ belluæ, quæ tanquam leones carnes comedebant, integrosque glutiebant leones, ad tantam jam mansuetudinem devenerunt, ut veluti boves fœnum degustent apud Jobum; & undè tanta mutatio facta est? unde carnivoræ belluæ sic mansuescunt, ut earum truculenta rabies omnino dispareat, & fugiat? Belluæ homines glutientes ad patientissimi Jobi præsentiam convenerunt, cujus admirabili intuita patientia, sic mansuescunt, ut omnis earum ferocitas abeat, recedat, ac dissipata sit. Olympiodor. in Catena Græca: *Adversarias potestates bestiarum nomine significari dixerunt, ut hoc appositè dicatur ad illud: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Apud te igitur, inquit, & apud omnem, qui est patientia instructus, hæ belluæ mansuescunt, atque subjiciuntur.*

Ad præsentiam patientiæ omnis adversitas dispareat, & emolliscit

Apoc. 14. *n.*13. Et audivi vocem de Cœlo dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur: amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, opera enim eorum sequuntur illos.

VERSIONES.

Aretas.	Scribe amodo beati.
Syriacus.	Beati sunt mortui, qui in Deo moriuntur ab hinc etiam dicit Spiritus.
Arabicus.	Beati mortui, qui morti sunt pro fide Domini; jam dicit Spiritus, ita est; requiescant ab omnibus angoribus suis, & opera eorum sequuntur eos.
Primas.	Felices illi mortui sunt: ab hinc etiam dicit Spiritus: opera eorum comitantur eos.

EXPOSITIO.

833 *Audivi vocem*. Hæc nihil videntur pertinere ad ea, quæ immediatè antea sunt dicta, de patientia, fide, ac custodia mandatorum; maxima tamen est connexio, quia nec patientia, nec custodia mandatorum aliquid prosunt, nisi detur perseverantia usque ad mortem, & ideo Joannes ait: *Audivi vocem;* nempe multorum Angelorum inter se loquentium, ut exponit Viegas. *De Cœlo*. Ne quis de ejus veritate dubitaret. *Dicentem mihi;* nempe ipsi Joanni, sub ejusque nomine intelligitur, ut ait Ansbertus, universa Ecclesia, & ad magnam fidelium consolationem, ut ait D. Anselmus, quia sic adorantes bestiam, & habentes characterem nominis ejus, in æternum cruciabuntur, Deo verò adhærentes, in eoque morientes requiescent à laboribus suis. *Scribe*. Hæc non prædicetur tantùm, & volet, ut volant verba, sed remaneat exarata, ac scripta ad testimonium æternitatis.

834 *Beati mortui, qui in Domino moriuntur;* id est, diem ultimum obeunt, in fide, in gratia, in charitate, tanquam in ejus amplexu, & sinu, de quibus dici potest illud Stephani: *Obdormivit in Domino*. Prosequitur text. *Amodo;* id est, à modo, seu à nunc, sive deinceps sive ab isto puncto mortis eorum: ita Ambrosius, Beda, Haymon, Cornel. *Jam dicit Spiritus;* id est Spiritus Sanctus, sive tota Trinitas; sive Spiritus, nempe Angelus, qui loquebatur cum Joanne; sed primum melius, ac probabilius.

835 *Ut requiescant à laboribus suis;* nempe quos in hac vita exantlarunt mortificando proprias passiones, observando divina præcepta, & persecutiones tolerando, ut explicat D. Aug. lib. 20. de Civit. c. 90. & ne quis existimet hanc requiem illis præstari gratis, subditur: *Opera enim eorum sequuntur illos*. Opera, quæ fecerunt in vita, quibus promeriti sunt requiem, illos non destituunt, sed individuè illos comitantur ad requiem, & felicitatem, ut opus mercenarii ad denarium diurnum.

QUÆSTIO XXVI.

Quare non dicitur: Beati, qui in Domino moriuntur, sed: Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

IN limine quæstionis altiùs est explicandus text. præsens. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Hoc ad solos martyres coarctant S. Ambrosius, Anselm. Haymon, Alcazar, Ribeira, quia sæpè in sacra Scriptura, propositio, *in*, idem valet, ac *pro*, seu *propter;* nam ubi nostra Vulgata habet, Gen. 29. nu. 18. quod Jacob servivit septem annis, *pro* Rachele Labano, in Hebræo est, *in* Rachele; ac proinde dicunt: *Beati, qui in Domino moriuntur*, hoc est, *pro* Domino, seu *propter* Dominum, ut sunt martyres sanguinem suum fundentes. 236

De martyribus sermo.

Communis tamen, & vera sententia est, quam tradunt Primas. Andreas, Beda, Richardus, Joachimus, Pannonius, D. Thom. Cornel. Viegas, & etiam Ribeira, qui docent, quòd illi dicuntur beati mortui in Domino, qui in fide, charitate, gratia, ac amicitia Dei decedunt. Et huic sententiæ favet Ecclesia, dum in Missa cujuslibet defuncti hoc decantat; & hoc expresè docet D. Bernard. Epist. 98. qui sic ait: *Beati mortui qui in Domino moriuntur. Non solùm, qui pro Domino sunt martyres, sed qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profectò beati sunt. Duæ proinde res mihi videntur, mortem facere pretiosam, vita, & causa, sed amplius causa, quàm vita. Porrò illa erit pretiosissima, quam & causa commendat, & vita*. Pro majori explicatione hujus rei, aliqua sunt notanda. 237

De omnibus fidelibus.

Primò non dicuntur beati, qui cum Domino moriuntur, sed qui in Domino moriuntur. Est inter mori cum Domino, & mori in Domino aliquod discrimen, ut notavit Hieronym. Guadalup. in cap. 1. Lucæ: *Morientur enim ferè omnes homines christianæ vitæ professores cum Domino, id est, cùm jam sint emigraturi, ostendunt illis Jesum crucifixum, ponunt in manibus, ut deosculentur: isti quidem cum Domino moriuntur, at hoc non ait Joannes, sed: Qui in Domino moriuntur; hoc est, qui habent cum Simeone Spiritum Sanctum in se, qui moriuntur acceptis Sacramentis, qui restituunt, qui indulgent inimicis, illis promittit Spiritus, sicut Simeoni requiem à laboribus*. 238

Non solùm cū Domino sed in Dño moriendū.

Secundò sicut dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*; cur non dicitur etiam: Beati viventes, qui in Domino nascuntur? quid beatius potest contingere homini, quàm Domino nasci? tunc enim homo à filio iræ mutatur in filium gratiæ, à mancipio Diaboli in servum Christi. Tamen non ait renascentes beatos, sed qui in Domino moriuntur, quia non faustum operis initium, sed illius consummatio, celebratur, ac gratulatur. Profectus Moyses ex Madian cum Sephora, & filiis suis: *Cumque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum*, Exod. 4. n. 24. quem locum tractans D. August. q. 11. in Exod. *Dimisit eum*, ait, *postquam dixerat, sponsus sanguinum ob circumcisionem. Alia litera: Et recessit ab eo; propter quod dixit: Stetit sanguis circumcisionis. : : Non ait, recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem, sed quia stetit sanguis circumcisionis. Non quia cucurrit, sed quia stetit*. Magnum acumen Augustini, ut ipse ait: *Magno, ni fallor, Sacramento*. Non placatur dum puer circumciditur, & dum sanguis circumcisionis currit, sed dum usque ad pedes deveniens, stetit; & cur non quievit Angelus, dum puer circumciditur, & sanguis defluit, sed cum stetit, quia veluti ibi totum mysterium circumcisionis absolvebatur, quia non exordium operis, illiusque progressus, sed ejus consummatio gratulatione à Deo excipitur, periculum avertit, Dominum placat, & rem feliciter consumit: *Magno, ni fallor, Sacramento*. 239

Non exordium operis, sed illius cōsummatio à Deo maximè gratulatur

Tertio, & tota quæstionis difficultas: Quid vult significare, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*? cur non dixit absolutè: Beati, qui in Domino moriuntur? vel, beati homines, vel beati fideles, qui in Domino moriuntur, sed *beati mortui, qui in Domino* 240

moriuntur; quis mortuus mori potest? Nullus proculdubio mortuus mori potest, nisi priùs animam recipiat, ut iterum mori possit.

241 Cornelius ait, *Beati mortui*, significare propriè mortuos, & amplè, ut supponat pro mortuis tam in præsenti, quàm in futuro, & præterito, ut significet tam morientes, & morituros, quàm de facto jam mortuos; quasi dicat: Beati mortui, morientes, & morituri. Sed hoc non evacuat difficultatem; quia ad hoc, sat erat dicere: Beati, qui in Domino moriuntur. Deinde illud quod subditur: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant*; ad jam mortuos non potest referri, quia ipsi jam requiescunt.

Impugnatur.

242 Vera, & genuina sententia est, quam tradunt D. Ambros. Alcazar, Gagnæus, & alii: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*; ac si dicat: Beati, qui antequam morte naturali moriantur, jam mortui sunt morte morali, & mystica, priusque sunt mortui sæculo, postea verò carne, de quibus loquitur Paulus ad Colos. 3. n. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*, & 2. Cor. 4. n. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore vestro circumferentes*. Verba nostra refert D. Ambros. ad Monachos in monte Cassino; pro quo nota, quòd non ait: Beati occisi, seu interfecti tanquam ab aliquo carnifice; sed beati mortui Mundo, scilicet animo, ac corde, ut eleganter notavit Philipp. Abbas Epist. 24. & sic ait: *Cœlestis præco non occisos, sed mortuos in Domino beatos prædicavit, in quo nostris claustralibus obtinendæ beatitudinis spem donavit, qui dum sublato carnifice, quasi vivere conceduntur, quotidie morte satis misera, sed planè salutifera moriuntur; quæ mors cum à Domino medicinaliter inferatur, & ab illis æquo animo, juvante gratia, sufferatur, sufferentes laboriosa quadam via ad aliam vitam ducit, quæ laborem jam terminans ad beatitudinem jam inducit.*

Religiosi viventes jam mortui sunt.

243 Ait Paulus ad Galat. 6. nu. 14. *Mihi Mundus Crucifixus, & ego Mundo.* Non solùm Mundum sibi esse mortuum testatur, sed etiam se Mundo mortuum dicit; ac si non sufficeret Mundum sibi esse mortuum, & crucifixum, ut ipse in Mundo, tanquam in mortuo nihil delectamenti haberet, ac teneret, & omnino ab illo fugeret, sed etiam ut ipse esset crucifixus, ac mortuus Mundo, cum tam sanctè, ac rectè viveret, ut Mundus in eo tanquam in mortuo nihil inveniret, quæreret, ac exoptaret, sed omnino ab illo abhorreret. Sanct. Dorotheus tom. 3. Biblioth. *Quo pacto*, ait, *Mundus crucifigitur homini?* Respondet: *Cùm homo abrenuntiat Mundo, Mundum deserit, & exinde solitarius fit, relictis parentibus, possessionibus, & negotiationibus, ac rerum copia*; & subdit: *Quo pacto homo crucifigitur Mundo?* Respondet: *Per abrenuntiationem, eam scilicet, per quam homo postquam Mundi rebus excessit, certat adversùs Mundi concupiscentias, adversùs voluptates, subigitque innatas passiones, & vitia.*

Ille vivit Deo; qui mortuus est mundo.

244 Postulanti Moysi, ut se Deus, illi videndum exhiberet, respondit Dominus: *Non videbit me homo, & vivet*, Exod. 33. num. 20. & cur vivens non potest Deum videre? Ac si veluti necessaria, & prævia conditio sit ad videndum, & possidendum Deum spiritualiter, mors huic sæculo; & quanto quis perfectiùs moritur, tanto perfectiùs Deum videt, hic per fidem, ac spiritualem cognitionem, in Cœlo vero facie ad faciem, undè rectè dictum est illud Glossæ: *Tantum videmus, quantum sæculo morimur.* Perfectè morere, ut perfectè Deum videas. D. Gregorius Magn. lib. 18. Moral. cap. 37. *Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur, nullus quippe eam videt, qui adhuc carnaliter vivit, quia nemo potest simul Deum amplecti, & sæculum, qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis, ab hujus vitæ delectationibus, tota mente separatur, undè adhuc ad Moysen dicitur: Non enim videbit me homo, & vivet; ac si apertè diceretur: Nullus unquam Deum spiritualiter videt, & Mundo carnaliter vivit. Undè Paulus quoque Apostolus, qui adhuc Dei invisibilia, sicut ipse testatur ex parte cognoverat, jam huic Mundo totum se mortuum esse verbibebat, dicens: Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Quo perfectiùs mortuus fueris mundo vel sæculo, eo perfectiùs Deum videbis.

Per locutionem internam in mente, & phantasia, ut est communis vox Interpretum, *dixit Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & cognatione tua*, Gen. 12. nu. 1. & postea cùm jam egressus esset ex terra Chaldæorum, & venisset in terram Chanaan, *apparuit Dominus Abraham, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc*, ibid. n. 7. cur primò ei non apparet, ac se ei manifestat, ut in secundo loco, sed tantùm internè per inspirationem in mente, ac phantasia loquitur? Quando primò ei loquitur, adhuc Abrahamus terrenis tenebatur, & temporalibus inhærebat, ac philosophorum studio de syderum cursu erat intentus, at postquam à terra, ac cognatione sua exierat, jam terrena exuerat, à temporalibus segregatus, Mundum deserens, & ideo dignus inventus, ut divina præsentia, illiusque familiari colloquio recrearetur. Eleganter Philo lib. de Abrahamo: *Memoratur enim, quàm primum profectus est ille sapiens, Deum apparuisse Abrahamo, cui videlicet priùs non fuerat conspicuus, quando more Chaldæorum intentus erat syderum cursibus, extra Mundum, & sensibilem essentiam, nullam prorsus naturam intelligibilem percipiens; at postquam solum vertit, necessariò cognovit, Mundum esse subditum, non Dominum.* 245

Terrena dimittenda ut cœlestibus fruatis.

QUÆSTIO XXVII.

Quare laborantibus solùm promittitur requies.

IN limine quæstionis notandum, quòd dum post superior. vers. egit de patientia SS. etiam subnectit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, ut requiescant à laboribus suis.* Et meritò, unum aliud sequitur, ad patientiam enim requies beatitudinis sequitur. Joachimus: *Bene postquam*, ait, *agitur de patientia sanctorum, nunc adjunctum est, de requie Sabbati, quia nimirum in sexta die passus est Dominus, septima autem die requievit à laboribus suis; ita in sexto tempore complebitur passio corporis Christi, & erit post hoc Sabbatum gloriosum, sed illis, qui regnabunt in Christo.* 247

Ad patientiam sequitur requies æterna.

Ait text. *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Divinus Spiritus nos adjuvans in articulo mortis, suos electos mirificè recreat, cùm attestatur: *Requiescant à laboribus suis.* Ipsemet Dominus omnium exemplar ait: *Me oportet operari, donec dies est, venit nox, quando nemo potest operari*, Joan. 9. nu. 4. quia nox, scilicet mors, requiei tempus est, & non laboris, dies vero, vitæ laboris: *Cùm dederit dilectis suis somnum*, scilicet, *mortis, ecce hereditas Domini*, Psalm. 126. num. 2. *Sicut Mercenarius prestolatur finem diei*, Job. 7. nu. 2. sic & Justus præstolatur finem suorum operum in morte, ut mercedem recipiat, undè in parabola vineæ habemus, quòd cùm sero factum esset, dictum est œconomo, à Patrefamilias: *Voca operarios, & redde illis mercedem*, Matth. 20. num. 8. Non redditur merces operis, nisi in fine diei, in quo & finitur labor, proindeque dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, in fine operum, ac post mortem. 248

Justis datur præmium operũ post mortem.

A laboribus suis, ait, quia non unus labor est, nec una molestia, nec unum periculum, nec una tentatio, sed multiplex ærumna, labor, ac miseria, undè exclamare liceat cum Magno Bernardo serm. 2. de Sanctis: *Nemo, ait, parvam aliquam requiem, aut lætitiam suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ; lætantur pro diebus, quibus humiliati sunt, & annis, quibus viderunt mala, cum jucunda admiratione, & mira jucunditate considerant pericula, quæ evaserunt, labores, quos pertulerunt, certamina, quæ viceruut, & pro his omnibus certa, & indubitata fide expectant beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris sui, qui suscitabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati.* 249

Labor hujus vitæ multiplex.

Tertiò: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant*; cur *Amodo* dicit Spiritus, ut requiescant, postquam nempe beati moriuntur? Ut omnibus esset manifestum requiem perfectam non esse sperandam in hac vita, sed tantùm in alia, siquidem Spiritus dicit: *Amodo*; id est, à tempore mortis denuntiat sanctis requiem à laboribus suis. In hoc sensu ait Paulus Hebr. 4. num. 9. *Relinquitur sabbatismus populo Dei; qui enim* 250

In hac vita non est sperandæ requies.

enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut & à suis Deus. Veluti Deus ad sui similitudinem erudivit populum suum; nam sicut post operationem sex dierum creationis totius Orbis, Deus die septimo requievit, sic & ordinavit, ut populus suus per sex dies laborans manna colligeret, in die seprima sabbati requiescens, comederet cibum, quem antea collegerat; & cùm in figura omnia contingerent illis, hæc figura denotabat, quòd in spatio sex dierum vitæ hujus laborandum, requies autem non datur, nisi finito cursu sex dierum vitæ hujus, ut eleganter ponderat Origen. ho. 23. super Numer. & ho. 3. super Ps. 36. *Sicut*, ait, *in deserto sex diebus colligebant manna, in sexto autem die, non unius diei victum, sed quantum sufficeret in crastinum colligebant, & unusquisque comedebat die sabbati, quæ collegerat in die sexta, ita etiam nunc velut sexta quadam die putandus est Domini nostri adventus, ac tempus, atque idcirco, dum sumus in die sexta, colligamus manna dupliciter, ut sufficere nobis possit, dum advenerit vera sabbati observatio.*

251 Quartò: *Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Ex illa particula, *Amodo*, colligit eleganter Alcazar notari in præsenti, non eos qui vita functi sunt, sed illos qui se se exponunt morti, ut ille, qui dicebat 1. Cor. 15. *Quotidie morior.* Dum adhuc hi in hoc sæculo degunt, & mortem pro Christo sibi eligunt, imò appetunt, non funereas presbyterorum voces expectant, quibus cadavera jubentur requiescere in pace, sed amodo, à momento, quo animo suo mortem amplexati sunt, sibi requiem omnimodam, & à laboribus vacationem cani audiunt per spirituum voces immortalium. D. Chrysost. in illud Rom. 16. n. 3. *Salutate Priscam*; sic ait: *Qui semel vitam despexit præsentem, magna cum facilitate conficit omnia, cœli municeps est, & ad futuram festinat vitam.*

Pati pro Deo est requiescere

252 In hujus rei argumentum, maximè ponderandum est, quod magno ululatu audiatur: *Rachel plorans filios suos, & noluit consolari*, Matth. 2 n. 8. cur Rachel filios suos plorat, cùm illos videat incolumes, dum videt sororis Liæ filios ab Herode morti datos? quid felicius ei contingere poterat, quàm quòd filii sui essent exempti à tyranni gladio? At inde merito plorat, quia maximè ad mortem pro Christo currendum est, ut inde suavis requies percipiatur, & ideo maximè dolendi, ac lamentandi reputantur qui vivi manent. Origen. ho. 3. in diversos: *Ploravit*, ait, *Rachel filios quasi nihil passos pro adventu Domini, & quasi non essent, existimavit, ad illos, qui pro Christo mortui sunt, & martirii tulerunt coronam.*

Nulla major felicitas, quàm Pati pro Deo.

253 Postquam bis à somno excitavit Dominus discipulos suos, tandem tertiò ait eis: *Dormite jam, & requiescite. Ecce appropinquavit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatoris, surgite eamus*, Matth. 26. n. 45. in paucis verbis ingentem repugnantiam videtur loquutus Dominus, nam simul ait: *Dormite jam, & requiescite*; &, *Surgite, eamus*; si surgendum est, quorsum ait: Requiescite? satius tunc videbatur dicendum: Nunc tempus est, de somno surgere, jam venit certaminis hora; surgite, eamus; quomodo ergo verba, sic inter se repugnantia videtur Dominus dicere, ut merito addubitat D. Aug. lib. 3. de consens Evang. c. 4. *Videtur autem hic sermo secundùm Matth. sibi contrarius; quomodo enim dixit: Dormite jam, & requiescite, cùm connectat: Surgite, eamus*: Optimè utrunque cohæret: *Surgite eamus: Dormite, & requiescite*, nam qui pro Christo surgit, & vadit ad mortem, dormit, & requiescit.

Pati pro Christo requies.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare post requiem justis promissam adnectuntur bona opera.

254 POstquam Divinus Spiritus dixit, ut requiescant à laboribus suis, quid ampliùs addidit: *Opera eorum sequuntur eos*; vel, ut legit Primas. *Comitantur eos*; & cur immediatè cum requie sanctorum conjungit opera eorum? Ut denotaretur hanc requiem illis non præstari gratis, ac ex libito, sed interventu bonorum operum esse promeritam. Andr. Cæsar. *Quod ex operibus nascitur*, ait, *illud immarcescibilium coronarum, glorioſissimorumque præmiorum causa extitit; quæ quidem coronæ, & præmia multis partibus excedunt certamina & pugnæ labores.* Joannes Cuikius Burem. Epist. in c. 4. collat. Cassiens. *Æquum*, inquit, *ut qui se bonis operibus toto vitæ tempore exercuerunt, & fatigaverunt, tandem pausa, id est, fine vivendi facto, in Domino requiescant, juxta illud Apocal. Amodo jam dicit Spiritus.*

Requies beatitudinis, operibus comparatur.

Secundò: *Opera eorum sequuntur eos*; hoc est merces 255
retributionis datur bonis operibus mortuorum in Domino; sed cur non dicitur, quòd fides eorum sequitur illos? nam fides totius ædificii spiritualis est fundamentum, & sine ea impossibile est Deo placere. Tamen asseritur opera sequi eos in beatitudine, non quia fides non sequatur, at non sola, sed multis bonis operibus stipata. Richard. Victorin. *Nemo*, ait, *si habeat tempus operandi, sine operibus se posse salvari credat, fides enim sine operibus mortua est, si habeat tempus operandi, nam si tempus non possit habere, sufficit sola cum fide voluntas.*

In adultis fides sit cum operibus.

Tertio sermo est in præsenti, ut dixi supra quæ- 256
stione 26. num. 242. de fidelibus Mundo mortuis, Christo vivis; at, sicut ait Spiritus, ut requiescant à laboribus suis, cur non etiam ait, ut requiescant ab operibus suis? Quia quandiu vivimus, bene operari debemus, opera enim indicia sunt salutis, & rectitudo animi in operibus demonstratur; quod acutè ponderat Gillib. Abb. serm. 11. in Cantic. *A laboribus enim*, ait, *requiescant, non ab operibus: Opera enim illorum sequuntur illos. Opera sequuntur Spiritum, sicut calor ignem, umbra corpus, lux Solem, effectus causam.* Considera ultima verba, & inde facilè deprehendes, opera esse, quæ substantiam spiritus ostendunt, ita ut deficientibus operibus deficiat substantia vitæ spiritualis.

Opera bona salutis spiritualis indicia.

Prodigus ille filius acceptis bonis paternis, *peregrè* 257
profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam, vivendo luxuriosè, Luc. 15. num. 15. Maximè expendendum est illud: *Dissipavit substantiam.* Extremè deplorati, ac miseri hominis est totius substantiæ resolutio, ac consumptio; & undè dignoscitur, quod totaliter substantiam suam consumpserat? Quia eam nempe vivendo luxuriosè, bonis operibus vacuam habebat, & inde totam vitæ spiritualis substantiam perdiderat, opera enim sunt, quæ ostendunt substantiam spiritus, & cum deficiunt opera bona, deficit & substantia vitæ spiritualis, quæ bonis operibus, tanquam firmissimo fundamento enititur. D. Ambros. lib. 2. de pœnit. c. 3. *Consumpsit*, ait, *substantiam suam; meritò consumpsit eam, cujus fides in operibus claudicabat.*

Vita spiritualis demonstratur bonis operibus.

E contra verò ipsa interna virtus ad salutem bonis 258
operibus demonstratur. Annam Sampsonis matrem monet Angelus de filio habendo, & illico subdit, Judic. 13 n. 4. *Cave ergo ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries filium, cujus non tanget caput novacula; erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex matris utero; & ipse incipiet liberare Israel de manu Philistinorum;* duo hìc dicit Angelus bonæ fœminæ, & quòd caveat vinum, jam consecrans Deo filium, & quod filius magna patraturus sit adversùs Philistinorum populum; quid tunc mulier? Angeli verba merito narrat, inquiens: *Hæc dixit mihi: Ecce concipies, & paries filium; cave ne vinum bibas, nec siceram, & ne aliquo vescaris immundo, erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia sua, & ex utero matris suæ, usque in diem mortis suæ*; hæc dixit, & cætera, de libertate Israel tacuit; quod præclarè notavit D. Aug. q. 52. dicens: *Et quod legitur dictum: Ipse incipiet salvum facere Israel; non est à muliere memoratum;* & quare pia mulier, quæ latè explicavit abstinentiam à vino sibi inditam, & consecrationem pueri nasciturì ab infantia sua, pueri tamen facinora, ac victorias de Philistinis sibi revelatas, quæ essent valde marito gratæ, nec dixit, nec retulit, sed omnino tacuit? Bona fœmina nihil aliud curavit in puero nasciturò, nisi tantùm ut referret piam, & religiosam vitam ex utero matris, usque in diem mortis, ejusque

Præstantia interiùs virtutis operibus manifestatur.

bono-

bonorum operum fructum, quæ tanquam indices erant interioris animi roboris, ac valoris ad omnem victoriam obtinendam, ad omnemque salutem universo populo dandam, quia ex tanta animi virtute, ac religione, cætera bona colligebantur.

QUÆSTIO XXIX.

Quare opera justorum eos sequuntur, & non potiùs præcedunt.

259 Merces debita in sanctorum operibus, eos comitatur.

AIt textus: *Opera eorum sequuntur illos*; & quomodo sequuntur, & non potiùs præcedunt? sic Cornelio opera sua præcesserunt, ei enim ab Angelo dictum est: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, memoratæ sunt in conspectu Dei*, Act. 10. n. 4. si opera præcedunt, quomodo dicitur, quod justos sequuntur? Præcedunt opera, & sequuntur; præcedunt ad reconciliandam divinam benignitatem, ut multa suæ gratiæ dona largiatur justis, ut in hac vita ad majora merita promoveantur; sequuntur, seu comitantur, ut æterno præmio remunerentur. D. Ambr. *Sequi*, ait, *pro comitari positum est, nam exercitus, qui Regem comitatur, eum sequi dicitur, cùm alii præcedant, alii sequantur, alii ad dexteram, alii ad sinistram incedant. Igitur opera sanctorum sequuntur illos, quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum.*

260 Bona opera post mortem coram Deo, laude, & præmio nos efferunt.

Secundò: *Sequuntur eos.* Ad quid sequuntur? Ut eos perpetuis laudibus efferant, ac illustrent coram Deo, & ut etiam eos æterno præmio dignos ostendant. Hæc interpretatio est de mente D. Bern. ser. 2. in fest. omnium Sanct. *Opera*, ait, *illorum sequuntur illos. Ad quid sequuntur, nisi ut laudent eos in portis? Ad quid sequuntur, nisi ut multiplicentur à fructu eorum, accipientes de fructu manuum suarum, & saginantur vituli, quos ex prophetico testimonio, cùm reedificabuntur muri Jerusalem super altare Domini novimus imponendos.*

261 Licet opus transeat, bonitas illius manet in acceptatione divina.

Tertiò opera transeunt, & desinunt esse; quomodo ergo justos post mortem sequuntur? quod enim non est, alterum sequi non potest. Opus quidem transit, sed bonitas illius in divina acceptatione remanet. Hìc docet Hugo à S. Victore, à D. Bonav tr. de donis Spiritus Sancti, c. 2. de dono pietatis: *Visibilis actio*, ait, *est quasi quoddam corpus, devotio ejus, quasi spiritus ejus, quia devotio charitatis actionem vivificat, sicut anima corpus, undè omnis actio, sine devotione, mortua est, quia licèt, quod vivit, moriatur, tamen vita non moritur; actio quidem transit, sed pietas actionis licèt fiat in tempore, non tamen finitur cum tempore, opera enim illorum sequuntur illos.*

262 Opus Deo oblatum licet minimum non marcescit.

Quartò: *Opera eorum sequuntur illos.* Non ait: Mors pro Christo, vel sanguis effusus pro eo, sed opera eorum absolutè, sive magna, sive parva, ac minima sequuntur illos: omnia sanè, etiam minima sequuntur eos, id est, non prætereunt, non defluunt, sed in æternum eos ad præmium, ac coronam comitantur: ita D. Ambros. *Opera igitur illorum sequuntur illos in perpetuum*; cui eleganter adhæret Andr. Cæsar. *Quod ex operibus illis*, ait, *nascitur immarcescibilium coronarum causa extitit.* Nullum opus quantumvis minimum Deo oblatum marcescit, sed æterno decore viget, ac floret.

263 Nihil amittitur ex his, quæ in obsequio Dei facis.

Pro cujus confirmatione mente evolve quatuor illos celebres fluvios egredientes à Paradiso voluptatis, Gen. 2. n. 11. *Nomen uni Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ubi nascitur aurum; & nomen secundi fluvii Gehon; ipse est, qui circuit omnem terram Æthiopiæ; nomen verò fluminis tertii Tigris; ipse vadit contra Assyrios: Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates;* in quibus id maximè est expendendum, quod tres priores auro, lapidibusque pretiosis divites dicuntur circuire, transire, vadere, currere, quod non solùm intelligitur de toto fluxu aquarum, sed etiam de variis earum partibus, quæ veluti à terra absorbentur, & pereunt; at solùm de Euphrate non dicitur, quod transeat, quod currat. Euphrates idem est, *ac fructificatio eorum*; hi autem, qui ex Christi gratia, fructus pariunt Deo, nihil unquam amittunt, nec lachrymula perditur, sed in æternum ad præmium asservatur; quod acutè ponderavit D. Anastas. Sinaita lib. 8. Hexaemer. dicens: *Non scriptum est Euphratem, nec transire, nec vadere, nec currere, sed esse stabilem, & immobilem.* Fluunt cæteræ hominum res, & tandem ab ipsa terra, vel marinis sorbentur à fluctibus, tamen de bonorum operum fructibus, nihil præterit, nihil, nec aquæ frigidæ guttula, perfluit, sed stabili thesauro asservata perdurat, quod ita testatur D. Matth. 10. n. 52. *Quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis; non perdet mercedem suam.*

Quintò: *Opera eorum sequuntur eos*; vel ut legit Primas. *comitantur.* Forsitan ad pompam, ac majestatem, vel etiam honoris gratia, ut famuli præstant comitatum Domino suo? Minimè sanè, sed etiam ut eos in cœlum sublevent, longa enim est via, quæ à terra ducit in cœlum, & cùm facilis sit descensus terreno homini, indeque ascensus difficilis, adsunt proinde bona opera, quæ operantem sublevent, eumque sursum conscendere faciunt, & adjuvant assurgentem; quod confirmatur ex D. Aug. ponderante verba illa Psal. 103. n. 3. *Qui ambulat super pennas ventorum*; sic ait: *Pennæ ventorum virtutes animarum, quibus sursum attolluntur, pennæ bona opera rectè facta in duabus alis habent omnes penuas, omnia enim præcepta in duobus præceptis sunt: Quisquis dilexerit Deum, & proximum, animum habet pennatum liberis alis.* 264 Bona opera in cœlum sublevant operantem.

Sextò: *Opera sequuntur illos*; id est, *comitantur eos*; ad tribunal nempe Dei, justique prodeunt ante Dei conspectum, bonis operibus, quasi famulis stipati, hi enim veri comites, ac famuli, dumtaxat Dominum suum comitantur, nam in morte ab omnibus deserimur, ab amicis, à parentibus, opibus, & honoribus, sed solùm bona opera nobis adhærent, & pro nobis loquuntur, & exigunt mercedem sibi debitam. Ait Paul. 2. Tim. 4. n. 7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex*; ibid. D. Anselm. *Quam non dabit, sed reddet mihi quasi debitam.* Non ibi spectanda sunt dona gratuita, sed debita tuis operibus, quæ te sequuntur, & concomitantur: Ubi cursum consummaveris, non de alienis favoribus, sed de tuis factis, ac operibus vives. 265 Sola bona opera nos comitantur post mortē.

Amicos convocat Abraham, ut pro ipso loquantur ad Ephron: *Ut det mihi*, ait, *speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui; pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri*, Gen. 23. n. 9. In nullo alio loco habemus Abraham emisse terram, nisi hoc loco in possessionem sepulchri, quando totus intentus erat ad sepeliendam uxorem suam, nec ullis precibus adducitur, ut sepulturæ terram gratis accipiat, antequam illam persoluto pecuniæ pretio emat; & cur, qui viventi nullam emit terram, tam sollicitè eam emere curat defunctæ? Magno Dei nutu præclarus vir agebatur, ut nobis esset documentum, nos dum viventes sumus, posse de aliorum beneficiis consistere, ac frui, at verò post mortem, nihil nos posse habere, nisi tantùm, quod meritorum pretio comparatum fuit. D. Basil. ho. in Ps. 14. *Incola*, ait, *fuit Abraham, qui nec terræ quidem vestigium propriè possedit, sed ut opus ei sepulchro fuit, id argento mercatus est. Ex quo sanè Scriptura demonstrat, quemadmodum in carne viventem incolam esse oporteat, migrantemque ex hac vita in locis propriis requiescere.* Perpende ultima verba: Ubi ex hac vita exieris, illa tantùm tecum defers, quæ ex propriis operibus comparasti: *Migrantemque ex hac vita in locis propriis requiescere.* 266 Post mortē non habet homo, nisi quod suis operibus cōparavit.

Ait Paul. 2. Tim. 1. n. 12. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est Deus depositum meum servare in illum diem*; qualenam erit hoc Pauli depositum? Explicat D. Th. *Opera mea*; & cur Paulus sic æstimat, quòd opera sua apud Deum sint servata, ut in depositum ad diem judicii? nonne melius peteret, ac confugeret ad Dei gratiam, ut cum solita sua benignitate multis afficeret, maximè cum ipse frequenter diceret: *Gratia Dei sum id, quod sum*: cur ergo modò suum depositum apud Deum recogitat? Sciebat sapientissimus gentium Doctor, quòd in illa die, non licebit homini abire nisi in sua, & ideo apud se statuit, quod tunc nihil aliud homo asportabit, quàm opera sua, facta ex Dei gratia in vita, & inde affirmat, quòd pro illa die ultima custodita erunt in thesauris divinis. 267 Opera nostra servantur in depositō apud Deū

Apoc.14. n.14. Et vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem, similem filio hominis, habentem in capite suo coronam auream; & in manu sua falcem acutam.

VERSIONES.

Arabicus. Aspexi autem, &c. Et in manu ejus falx acuta.

Syriacus. Et ecce nubes albata, & super nubem sedet similis filio hominis habens super caput.

D. Augustin. Super nubem sedentem filium hominis.

EXPOSITIO.

268 ET *vidi.* Significatur hìc nova prophetia de re valde nova, & mirabili, nam hucusque dictum est de his, quæ spectant ad statum Ecclesiæ sub Antichristo, quibus finitis, veluti apparebit manifestè regnum D.N.J.C. Ecclesiaque tanta illustrabitur pace, ac quiete, ut quodammodo videatur Christus fieri palam in nube miri candoris, tanquam in magnifico throno, proindeque toto in Orbe fides christiana fiet omnibus conspicua, Ecclesiaque magnum de perfidia habebit triumphum. Et hic mihi est sensus genuinus, & non ille Alcazar, qui hæc refert ad messem Apostolorum, ac ad primævam Ecclesiam, de qua hìc non est sermo, sed potiùs de postrema, ac fine sæculi. Nec placet sententia Ribeiræ, ac Cornelii, qui hæc referunt ad diem judicii, nam post extinctum Antichristum, ac diem judicii, aliquod interjacebit tempus, de quo in præsenti est sermo.

Prosperitas Ecclesiæ post Antichristum.

269 *Et ecce nubem candidam;* tanquam signum supremi Regis pacis, & quietis, quam candor denuntiat. *Et super nubem sedentem.* Particula, *sedentem*, denotat moram, ac proinde in ea non annuntiantur aliquot dies, ut aliqui dixerunt, sed anni illius felicitatis, nam post Antichristum, per aliquot annos Ecclesia mirè florebit. *Similem filio hominis.* Non ait filium hominis, sed similem, nam fides, ut dixit Paulus, habet speculum, & non immediatè faciem, ac rem ipsam attingit, sed veluti similitudinem illius. *Habentem in capite suo coronam auream;* quæ est symbolum dominationis, ac regni, quo denotatur tyrannos Ecclesiæ persecutores ampliùs non esse futuros, sed ubique Christum, ejusque Ecclesiam pacatè regnaturum.

Pacificum Ecclesiæ regnum.

270 *Et in manu ejus falcem acutam.* Hæc falx utique est messoria, ut sequentia declarant, & symbolum hoc duo apertè indicat, primo prope jam esse consummationem sæculi, secundò tunc temporis colligendam innumerabilem messem electorum, tunc enim plurimi salvabuntur; & signatè ista falx dicitur acuta, ut ostendatur velocem fore istam electorum collectionem, acuta enim falx celeriter secat.

Innumeri tunc salvabuntur Electi.

QUÆSTIO XXX.

Quare post narratam gloriam justorum, hìc introducitur filius hominis tanquam veniens ad judicium; & quis sit iste filius hominis.

271 AB hoc secundo quæstionem incipio. Constans est Patrum, ac Interpretum sententia, quod iste similis filio hominis sit Christus, qui passim in hac Apoc. c. 1. & alibi, ac in toto Evangelio filius hominis dicitur; quod facilè etiam deprehenditur hìc ex omni circumstantia, nube candida, corona, falce acuta, undè non est audiendus Aureolus, qui in filio hominis hìc intelligit Pipinum filium Caroli Martelli, qui factus Francorum Rex pro Chilperico regnum illud propagavit. Hoc accommodativum est, & non genuinum.

Similis filio hominis Christus D.

272 Hic vir juxta multorum sententiam, erat quidam Angelus repræsentans, ac exprimens personam filii hominis venientis ad judicium universale. O præclarum documentum cunctis judicibus, quod dum tribunal conscendunt, sint veluti Angeli, immunes ab omni carnis, ac sanguinis affectu! Cum Regina Esther ingressa esset ad virum suum Assuerum Regem, cùmque ipsum vidisset in suo regali throno, tota conturbata expavit, & ait: *Vidisti Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum, præ timore gloriæ tuæ,* Esther. 15. n.16 sed undè bona Regina sic turbatur? si vidisset eùm tanquam Satanam, vel dæmonem, non mirum, quod spiritu anxiaretur, sed videns eum tanquam Angelum Dei, cur sic percutitur timore? Dum Rex in suo throno se tanquam Angelum exhibet, cunctis est formidabilis, sive uxori, sive fratribus, sive consanguineis, ac amicis. Angelus expers est carnis, & sanguinis; si ergo judex veluti Angelus denudatus est omni affectu, cunctis est terribilis.

Judex sit tanquam Angelus expers carnis, & sanguinis.

Joachimus Abbas per hunc virum similem filio hominis, intelligit denotari in ultimis temporibus certum religiosorum Ordinem, quibus dabitur perfectè imitari Christum D. Et quamvis hic Ordo inter mortales deget, tamen sedet super nubem candidam, quia ejus conversatio, non terrena, sed cœlestis erit; & dicitur habere coronam auream in capite propter victorias illustres, quas de infidelib. ac vitiis reportabit; gestat in manu falcem acutam, quia opere, labore, ac verbo, ingentem messem congregabit in horrea Dei, sic ait cit. Abbas: *Qui Ordo,* ait, *rectè habere coronam auream describitur, quia in veritate certabit contra omnia vitia, & superabit ea; & idcirco coronatus pro superiori victoria dignus æstimabitur, qui evangelizet electis, & congreget triticum in regnum cœlorum: qui bene etiam super nubem candidam sedere describitur, quia nubes corporea quædam res est, nec tamen gravis, & ponderosa, sicut terra, sed levis, & conversatio illius non erit ponderosa, & obscura, sed lucida, & spiritualis.* 273

Typus veri Religiosorum Ordinis.

Altera pars, & prima quæstionis inquirit, quare post descriptam beatitudinem sanctorum, ac suam mercedem adeptam in gloria superiori vers. 13. hìc connectit, ac describit juxta multorum sententiam, Christum ad judicium venientem. Respondet D. Ambr. *Nunc,* ait, *quia pœnam illorum, qui in Antichristum crediturisunt, narravit, beatitudinemque illorum, qui in fide perseveraverunt usque in finem breviter comprehendit, consequens est, ut diem judicii describat, in quo cuncta comprehenduntur.* Cùm his tamen obstat, quod non statim extincto Antichristo, erit judicium, quia tamen multorum est sententia, quòd hìc agitur de die judicii ideò ad moralem thesim. 274

Cur ergo judiciaria Christi potestas, extremumque judicium, hìc exprimitur immediatè, postquam factus est sermo de gloria beatorum? dixerat enim antea: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur;* quænam connexio inter sanctorum supremam felicitatem, ac severum judicem, cum falce acuta? Hoc tibi ante oculos obiicitur, ut efficacissimum medium ascendendi ad illam supernam beatitudinem, si semper mente retineas, & cogites extremum illum diem, ac severum illum judicem. Cum Christus D. magno triumpho ascenderet in cœlum, astant duo Angeli Apostolis, qui eis dixerunt: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum,* Act. 1. n.11. cur in tanta lætitia, in tanto Christi triumphantis jubilo, ipsius venturi ad judicium finale fit mentio? Ut demonstraretur via in cœlum ascendendi, si extremi judicii memoria refricaretur, qua fideles urgentur, ut Christi vestigia sequantur, & ad cœlum se parent. 275

Via ascendendi in cœlum memoria extremi judicii.

Paulus postquam continua mortificatione concupiscentiam defæcaverat, velut virginea continentia florens, ita ad suum Timotheum de se fatur: *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die,* 2. Tim. 4. n.8. quænam est hæc *dies,* quam velut omnibus notam, innominatam relinquit? Magna quidem cum emphasi, diem hanc subticet Paulus; pro quo ibi audiendus est D. Ansel. *In illa die,* ait, *in illa notabili die communis judicii, de qua sedulò cogito.* Tam frequens, ac assidua erat in Pauli memoria terribilis illa communis judicii *dies,* tam sedulò de illa dies nocteque cogitabat, ut quasi cæteri homines nil aliud mente haberet, quàm tremendam universalis judicii diem, inde absolutè dicit: *In illa die,* nulla etiam judicii specifica mentione facta, cùm tremendi judicii diem intelligeret. Ad hunc modum interpretatur 276

Recognitio diei illius ea-rat coronam justitiæ.

Ori-

Origenes illud Magdalenæ: *Si tu sustulisti eum;* nullius particularis hominis hactenus facta mentione; sic & Paulus in mente defixam habebat communis judicii diem, & inde magna spe concepta dicebat: *Reposita est mihi corona justitiæ.*

QUÆSTIO XXXI.

Quid in præsenti significent nubes, & candida, corona, ac falx.

277 DE sensu genuino, ac literali, jam dixi in expositione, nunc verò, & sigillatim altiùs rem inquiramus, & ad morales theses.

278 *Nubes.* Christus D. ascendit nube in cœlum, Act. 1. n. 10. ait D. Luc. *Elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum;* sic & ad judicandum in fine sæculi, ut dicitur cit. loc. dixerunt Angeli Apostolis: *Quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, sic veniet*; ait Matth. 26. n. 64. *Videbitis filium hominis venientem in nubibus cœli;* imò & quando de cœlis descendit, ut naturæ humanæ uniretur, juxta illud Isai. 19. n. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum*; quod Rupertus interpretatur de ipso filio Dei, quando ingressus est Mundum, assumens carnem de Virgine; & cur semper in nube, vel super nubem visitur Dei filius? nonne dicitur de Æterno Parente: *Nubes, & caligo in circuitu ejus?* Ps. 96. num. 2. ecce & cur similiter de Christo idem annuntiatur, ut ipsius cum Patre æqualitas manifestetur. Oecumen. in c. 1. Act. *Nubes quidem Dominum suscepit, ut honoris æqualitatem ad Patrem demonstraret, de Patre enim dictum est: Nubes, & caligo in circuitu ejus; & incarnatus quidem Deus, nube tanquam vehiculo usus est.*

Christus demonstratur æqualis Patri.

279 Aretas aliter rem interpretatur: *Per nubem*, ait, *interpretati sunt sancti Mariam semper Virginem; de terra quidem velut evaporantem, hoc est, à terrena crassitate egredientem, sed levitate contexta est, virtutibus in cœlum currentibus, quæ ipsi attribuitur.* Et meritò Maria Virgo nubes dicitur, hæc enim ab obnubendo appellatur, & B. Virgo humana carne velavit Dei unigenitum. Obnubere idem valet, ac operire. Candida etiam dicitur ob omnimodam puritatem, ac virginitatem. Et cur in ea sedens Christus in Mundum venisse describitur? Ex eo enim, quia per Mariam Mundo Christus datus est Salvator, & Judex; sic ait cit. Aretas. *Eò quod per ipsam Dei filius felici fato nobis præsens fuerit.*

Per Mariã Christus Mundo datus est.

280 *Candida.* Per nubem, ut modò diximus, & tenent multi, intelligitur caro Christi, juxta illud Isaiæ proximè citatum: *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum*; & bene candida appellatur, quia nullis peccatorum maculis coinquinata extitit. Ansbertus vult per hanc nubem, Ecclesiam denotari, supra quam Dominus, tanquam in suo throno sedere describitur; at cur hæc nubes, supra quam filius hominis sedere narratur, candida dicitur? Non mirum quòd candida dicatur, cùm per eam Ecclesia significetur, quæ absque macula omni puritate fulget: *Quæ nubes*, ait Ansbertus, *rectè candida vocatur, cùm electorum Ecclesia, quam sibi Dominus exhibuit, non habentem maculam, aut rugam lavacro aquæ in verbo mundatur.*

Ecclesia pura & sine macula.

281 Aliter rem expendo: Cur Dominus, qui sedere dicitur super Cherubim, Ps. 79. n. 2. modò apparet sedens super nubem candidam? & cur non potiùs super nubem albam? siquidem, ait D. Isidor. de differ. lib. 1. differ. 7. *Inter album, & candidum hoc interest, quod album naturale est, candidum verò cura fit;* ex qua differentia sequitur, quod lilium album dicendum, cùm ex sua natura talem sortiatur colorem, linteum verò candidum, cum cura, ac labore ad ipsum candorem deveniat. Deus ergo, qui sedebat super Cherubim, modò visitur sedere, non super nubem albam, sed candidam, quia non solùm Dominus sedet cum purissimis spiritibus Cherubim, qui sunt in stolis albis, sed etiam cum iis, qui labore, pœnitentia, ac exercitatione lachrymarum puritate candidati inveniuntur.

Deus congaudet innocentiæ, ac pœnitentibus.

282 *Corona aurea.* Christus D. corona aurea insignitus apparet, quia Rex Regum est, & Dominus Dominantium, tum etiam quia non solum Rex est, sed sacerdos, utraque enim dignitas corona aurea demonstratur. Rupert. Abbas: *Duplicem ob causam*, ait, *Filius hominis auream in capite suo dicitur habere coronam; tum quia Rex, tum quia sacerdos; nam quod sacerdotii honor coronam habeat, testatur Sapiens, Eccl. 40. cùm in laudibus Patrum dicit Aaron: Corona aurea supra mitram ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.*

Christus Sacerdos & Rex.

283 Aliter tamen rem considera, juxta multorum sententiam. Hìc introducitur Christus D. veniens ad judicium exercendum; sed ad quid judici corona aurea? nonne ei sufficiebat in manu habere falcem acutam? ad quid insuper corona aurea in capite? Quia verus judex, si habet falcem acutam ad supplicium iniquis inferendum, habet coronam auream in capite, qua Reges justos, & bene meritos coronet; & & in hoc sensu D. Aug. serm. de Ascens. introducit Angelos Apostolis loquentes: *Non vos*, ait, *terrebit adventus, quos consolatur ejus ascensus; sic veniet, clavorum illæsa vulnera demonstrans, & foraminum cruenta monilia. Nobis filiis sponsi coronam cœlestis imperii exhibebit, Crucis vulnera, non mutabit, quin signum filii hominis fulgebit.* Perpende verbum: *Nobis filiis sponsi corona cœlestis imperii exhibebit*; quia servos suos in judicio coronabit.

Judex præmiat bonos, punit malos.

284 *Falx acuta.* Per hanc falcem Haymon, & Ansbertus intelligunt prædicationem verbi Dei; sed quæ proportio inter utrumque, falcem scilicet, & prædicationem? cùm eloquium Dei sit dulce super mel, & favum, falx autem rigoris, ac severitatis argumentum. Quod falce metitur, in horrea congregatur; ecce cur per falcem rectè divini verbi prædicatio intelligitur, ille enim, qui verbo Dei commotus à Mundo, ac concupiscentiis ejus metitur, ac separatur, in divinis horreis reponitur. Cogitationi patrocinatur Ansbert. *Quæ alia ista falx esse creditur, nisi evangelica prædicatio, qua homines à terrena cupiditate videntur demeti, & ut ad horrea cœlestia transeant, purgari, & in unitate fidei tanquam manipuli congregati, tritura tribulationis agnoscuntur conteri.*

Verbi Dei prædicatione ad horrea cœlestia transferimur.

285 Secundò multorum est sententia, quòd hìc describitur Christus veniens ad judicium, ut jam dixi; cur tamen veniens ad judicium falce acuta armatur, quàm potiùs alio instrumento? Sanè hoc denotatur, ut falce ipsa scindat impios per medium, & dissectos tanquam aridam paleam coniiciat in ignem æternum; hanc explicationem tradit Richard. à S. Laur. lib. 7. de laudib. Virg. tit. Maria Nubes: *In manu sua*, ait, *habet falcem acutam, id est, judiciariam potestatem, quàm in judicio exercebit, quando secabit malos in corpore, & animas à terra, quam dilexerant, & arefactos ponet in clibanum ignis æterni.*

In judicio impii ut paleæ conjicientur in ignem.

286 Tertiò ait Zachar. Proph. c. 5. nu 1. *Levavi oculos meos, & vidi; & ecce volumen volans*; Septuag. Arabic. D. Cyril. Alex. Theodoret. & Græci passim vertunt, *Falx volans;* & fortè fit allusio ad nostrum locum Apoc. quomodo ergo idem valet volumen volans, in quo exarantur characteres, ac falx acuta, quæ est symbolum punitionis, stragis, & excidii? Merito sanè idem valet unum, ac alterum, nam volumen judicis illud est, in quo scribuntur delicta, & criminum inquisitiones reponuntur, & ipsa crimina trahunt ad se falcem acutam supplicii, ac pœnæ; & sicut ubi falx messoris non accedit, non amputat, sic ubi culpa non intervenit, judicis pœna non percutit. Et ut notat D. Chrysost. hom. 27. ad pop. *Falx volans*, ait, *velocissimum ultionis incursum denotat; è cœlo verò volare, significat, è supremo tribunali judicium ferri, falcata verò forma, inevitabilem supplicii sortem dicit.*

Peccatum ad se trahit & sollicitat pœnam.

287 Vidit Nabuchodonosor statuam illam magnam, in qua designabantur quatuor Orbis Imperia, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum: *Tunc abscissus est lapis de monte, & percussit statuam in pedibus ejus, & redacta sunt omnia quasi in favillam æstivæ aræ, quæ rapta sunt vento*, Dan. 2. n. 34. quomodo unus parvus lapis potuit tam ampla regna Mundi, uno suo tactu, in favillam cineris, quæ vento agitatur, reducere? & quod magis mirabile est, quomodo potuit hic lapis sine alicuius manu excitari, ac impelli, ut sic curreret, ac volaret, ut tam magnifica regna

Ubi est peccatum, ibi sine manibus venit pœna.

dissiparet, ac destrueret? Ipsa pœna peccato debita sine manibus, sine alicujus interventu venit, & currit, utpote prodiens ex ipsomet peccato, ut peccatorem apprehendat, ac teneat, à qua minimè poterit effugere, pœna enim peccati est consequentia; quod eleganter dixit N.D. Cyril. ad Regin. *Etsi tortores non adsint,*
288 *carnifices desint, pœna peccato statuta nunquam deerit.*

Huc refero illud Num.32. n. 23. ubi ait Moyses populo: *Si autem quod dicitis, non feceritis, nulli dubium est, quod peccetis in Deum; & scitote, quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* Clariùs in rem præsentem Septuag. transferunt hæc ultima verba, dicentes: *Et cognoscetis peccatum vestrum, quando vos apprehenderint mala;* quippe mala, & tormenta, tanquam consequentia peccati apertissimè testantur peccatum antecedens. Et tam inseparabilis comes peccati est pœna, ut eodem vocabulo soleant peccatum, & pœna intelligi; Levit.10. n.17. apud Septuag. ita habetur: *Quicunque acceperit sororem suam ex patre suo, aut matre sua, & viderit turpitudinem ejus, peccatum accipiet;* ubi D. Aug. l.3. locutionum ex Levit. ait: *Peccatum posuit pro pœna peccati.* Sic juncta sunt peccatum, & pœna, ut sub eodem nomine intelligantur: vide supra c.13. q.20. n.156. & seqq.

Peccatum, & pœna maximè connectitur.

Apoc.14. n.15. Et alius Angelus exivit de templo clamans voce magna ad sedentem super nubem: Mitte falcem tuam, & mete, quia venit hora ut metatur; quoniam aruit messis terræ.

Num. 16. Et misit, qui sedebat super nubem falcem suam in terram, & demessa est terra.

VERSIONES.

Arabic. n.15. Alius Angelus egressus è cœlo, clamans voce magna ad sedentem nubi.

Primas. Alius Angelus venit proclamans ad sedentem, &c. quia jam seges arida est.

Syriacus. Ad eum, qui sedebat super nubem. (*Alia omnia omisit, quæ sunt in Vulgata.*)

Pagninus. Tempus est, ut metas.

Siriac. n.16. Et projecit falcem suam super terram.

Arabicus. Posuit igitur, qui insidebat nubi falcem suam.

Primas. Tunc ille sedens super nubem.

Ambrosius. Misit super terram.

Alii. Fruges terræ demetendæ.

EXPOSITIO.

289 ET *alius Angelus.* Hic Angelus, nec est Christus D. nec Joel Propheta, nec Angelus missus à choro martyrum, ut multi dixerunt, de quo q. seq. sed est Michael Archangelus custos, protector, ac præses Ecclesiæ militantis, ut jam supra dixi, ac proinde cunctorum filiorum ipsius Ecclesiæ, ac fidelium omnium protector, & præses; qui cùm vidisset numerum filiorum ipsius Ecclesiæ electorum in cœlum, *exivit de templo*; & non dicitur de templo, quod est in cœlo, ut habetur de Angelo sequenti n.17. *Exivit de templo*; terrestri nempe, quod est in terra, videlicet in monte Sion, & est Ecclesia in terris, quæ ejus cura est commissa. *Clamans voce magna*; præ vehementi affectu, ac desiderio, ut ait Richard. Victor. *Ad sedentem super nubem.* Ad Christum D. qui tanta conversione hac populorum veluti se manifestabat.

290 *Mitte falcem tuam, & mete;* hoc est: Exerce jam judicium finale. Falx judiciariam potestatem significat, ut jam dixi, & collige eos, qui vivi inventi sunt. *Mete* dicit ordinem ad messem; qua allegoria hic optimè utitur Joannes, quia non solùm conversio animarum ad Deum, frequenter in Script. dicitur messis, Luc.10.n. 2. *Messis quidem multa*; Joan.4. nu. 35. *Regiones albæ sunt ad messem*; sed etiam, quia jam est ultima populorum conversio ad Deum, proindeque magis ei, quàm ulli alteri convenit allegoria messis. *Quoniam aruit messis terræ*; quia jam nempe matura est, quia jam venit hora, & tempus colligendi fructus, hoc est electos in vitam æternam, cum eorum numerus jam omnimodè sit completus, & ideo nil ultra est cunctandum, ac differendum.

Cum numerus electorum fuerit completus. Nullus enim finiendus.

Et misit, qui sedebat super nubem. Citò exaudit Dominus orationem Angeli clamantis: *Mitte falcem tuam, & mete;* & tam citò exaudivit, quia *messis aruit*, matura nempe est; & ideo Christus non distulit, sed illico misit falcem, quia quando justus rogat, ut expedit, indilatè ejus oratio postulata impetrat. Richard. Victorin. *Salvator noster precibus suorum*, ait, *benignè intendit, & sine mora, quando salubriter rogatur.* Subdit text. *Et demessa est terra.* Cœpit metere, & sustulit de terra viventes; sicque ostenditur fructus maximæ Mundi conversionis, eventusque consummationis, qua electi colligentur ad Deum, & tollentur de hoc sæculo. 291

Orationes suorum exaudit Christus.

QUÆSTIO XXXII.

Quare iste Angelus mittit falcem, & quisnam sit ille.

UT clarè procedamus, ab hoc secundo incipio. Quisnam est iste Angelus? Et primo Haymon, Pannon. Ansbert. Primas. Rupert. Beda, Viegas, sentiunt hunc Angelum esse Christum Dominum. At hoc non multum cohæret cum text. nam primus Angelus n.14. qui habebat falcem acutam in manu, ut ipsimet doctores docent, & nos ibi diximus, est Christus Dominus: ergo cum hìc introducitur alius Angelus clamans ad primum, scilicet Christum, est alia persona distincta; nemo ad se ipsum clamare dicitur. 292

Alcazar tenet, quòd iste Angelus sit Joel Propheta, eo quòd ipse habeat similia verba cap.3. n.13. *Mittite falces, quoniam maturavit messis terræ.* Incommodat Alcazar; ad quid hìc veniat Joel, ut admoneat Christum in hac sacra prophetia, quam ipsi Christo dedit Deus palam facere servis suis? ut dicitur cap.1. nu.1. & quid utilitatis habet quod cum sua veteri decantata prophetia prodeat hìc Joel? 293

Impugnatur.

Tertio Ribeira, Cornelius, Menochius, Tirinus, M. la Haye docent, hìc denotari Angelum quendam, exeuntem de penetrali Dei cœlesti, scilicet de loco beatorum in Cœlo, deferentem ad Christum cœlitum desiderium de consummatione Mundi, & punitione impiorum. Huic expositioni obstat primò, quòd hìc non dicitur de templo, quod est in Cœlo, ut habetur vers. sequenti 17. sed tantùm de templo: ergo diversus est sensus, proindeque hic non est sermo de templo, quod est in Cœlo sed in terra, ut jam dixi. Deinde voces, ac orationes cœlitum non deferuntur ad Christum sive ad Deum, ministerio Angelorum, sed ab ipsis immediatè offeruntur, undè c.6. n.10. dicunt sancti martyres: *Usquequo Domine, non vindicas sanguinem nostrum;* nec ibi ullum intercedit ministerium Angelorum. 294

Quartò Ferrarius sub hoc Angelo interpretatur Dei operarios, ac ministros salutis animarum, ac sacerdotes, quos Malachias Angelos vocat. Sed obstat quod ad hos operarios non spectat agere de die judicii, nec ipsi possunt scire tempus esse diei judicii, ac numerum electorum esse completum, sine peculiari revelatione, quæ sine fundamento non est astruenda. 295

Impugnatur.

Stat firma nostra sententia, quod iste Angelus est sanctus Michael, custos, præses, ac protector Ecclesiæ militantis, quia cùm jam in divina essentia videat numerum electorum completum, & fructum Ecclesiæ consummatum, pro illius fine clamat: *Quia aruit messis;* seu matura est; non restat aliud expectandum, nisi ut fructus colligatur in horrea, sic & justi transferantur ad beatitudinem. 296

Vera sententia.

Ait Deus Moysi: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiat in via, & introducam in locum, quem paravi*, Exod. 23. num. 20. Maximè dubitatur inter interpretes, quisnam sit iste Angelus: D. Athanas. lib. de communi essentia Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Rupertus ibi, & alii dicunt esse Verbum Divinum, quod per excellentiam An- 297

gelus Domini dicitur. Alii verò magis ad literam accedentes, ut D. Hieronym. in Habacuc, cap. 3. dicunt esse Archangelum Michaelem, qui antonomasticè, ob suam præclaram magnitudinem Angelus Dei dicitur; qui & Daniel. 10. num. ultimo vocatur Princeps populi Israelis, indeque ejus Synagogæ præerat, sicut & nunc præest Ecclesiæ christianorum.

Michael per excellentiã Dei Angelus.

298 In quo ostenditur mira Ecclesiæ dignatio, quod Deus ei talem Angelum dederit custodem adversùs tot hæreticos, judæos, ac paganos; ipsummmet Angelum Ecclesiæ suæ destinavit Deus, quem ipse elegit pro defensione suæ gloriæ, honoris, ac majestatis, nam cum serpens antiquus Lucifer insurgeret contra Deum dicens: *Similis ero Altissimo;* sese illi opponit Michael proclamans: *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat?* Ps. 112. n. 5. quæ verba ponderat D. Bernard. ser. 2. de verbis Isaiæ: *Quis sicut Dominus*, &c. *Fortè*, ait, *Michaelis verbum est, superbo illi dicenti: Similis ero Altissimo; in faciem resistentis: Michael quippe, interpretatur, Quis ut Deus.* O eximius Christi amor in Ecclesiam suam! quod tantum, ac talem ei dederit protectorem, quem ipse sibi elegit defensores sui honoris, ac majestatis, ut proclamaret: *Quis sicut Deus noster?* vide multa cap. 12. qu. 55. & 56. ac qu. 57.

Michael destinatur, ut defensor honoris Dei.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare sedens super nubem mittit falcem suam super terram.

299 SEnsum literalem jam dedi in expositione. Postulat Angelus, ut Dominus sedens super nubem, mittat falcem suam super terram, hoc est, ut exerceat suam judiciariam potestatem, quia venit hora, seu tempus metendi fructus, seu congregandi electos in æterna beatitudine, cùm eorum numerus sit completus. Ad moralia accedamus.

Ratio literalis.

300 Primò Haymon: *Mitte falcem tuam;* id est, tuam prædicationem in Judæos; & ad quid? ut eos disperdas, ac interficias? Minimè, sed mitte falcem tuam ut metas; *& demessa est terra;* messuit, inquam, non perdendo, sed eos colligendo, non percutiendo, sed ab incredulitate sanando, & ad veram fidem suæ divinitatis convocando. Citatus Haymon: *Mete*, ait; *separa Judæos à terreno sensu, & à terrenis desideriis; nec jam carnaliter accipiant, quia venit hora, ut metatur, id est, tempus, quod prædictum est per os Prophetarum, quod jam colligi debet ad spiritualem sensum, & fidem Christi: Quoniam aruit messis terræ; id est, præparata sunt corda populorum ad credendum, & ideo tempus est, ut excidantur à terra; id est, collecti sunt omnes simul quotquot fuerant præordinati ad vitam æternam.*

In fine Judæi convertentur ad Christum.

301 Secundò similis filio hominis, sedens super nubem, visus est à Joanne falcem manu tenens, & minimè eam movebat, adveniente tamen hora, falcem misit in terram, & demessa est terra; & cur Christus D. Mundum judicaturus comparatur homini falcem manu tenenti? Ille, qui falce aliquid demetit, vi eam retrahit, ut quodlibet obvium validè præscindat. Ecce cur Christus primò apparet, falcem manu tenens, deinde cùm tempus adest, eam in messem mittit; ut significetur, quod quanto magis Christus patiens, ac longanimis judicium differt, cum tempus advenerit, eò rigidiùs illud exercebit. D. Bernardin. Senens. to. 2. ser. 11. art. 1. c. 3. *Hæc ostendunt*, ait, *Christum habere justitiam rigorosam; ideo dicitur: Mitte falcem tuam acutam; falx enim judicium agendum indicat, undè prohibet Dominus dicens: Nemo mittat falcem in messem alienam; id est: Nemo temerario judicio, judicet opera aliena. Hanc autem falcem Christus in manu tenet, cum rectæ rationis judicio ultimum exterminium Mundi peccatorum expectando conversionem per longanimitatem suam patienter sustinet; sed hanc falcem suam tunc quidem in messem mittet, cum eodem rectæ rationis judicio opera hominum discutiet, quando scilicet tempore judicii generalis venerit.*

Quòd Christus longanimis judicium differat, eò severiùs exercebit.

302 Tertiò, ut rectè ponderat M. Didacus de Baeza to. 3. in Evang. lib. 14. c. 15. § 24. ad quid mitti oportet falcem acutam à filio hominis? Non quidem ad perdendum, ac devastandum, sed ad metendum, ac congregandum; quod enim metitur, in custodiam reponitur; ut conservetur, & salvum, & incolume habeatur, non enim filius hominis aliam venit mittere falcem, alium misit gladium, nisi illum, sub quo quidquid venit, ac cadit, tanquam in depósito reponitur, & servatur, ut integrum habeatur; gladius filii hominis non est, ut pereat, sed ut custodiat in vitam. Ex quo Tertullian. lib. de Resurrect. extollit illos, qui carnem suam, & vitam contemserunt pro Christo: *Resurget caro*, ait, *& quidem integra, in depósito est ubicumque apud Deum per fidelissimum sequestrem Dei, & hominum Jesum Christum.* Nil perdis ex his, quæ pro Christo fundis, sed sequestrata omnia, & repósita, ac custodita tibi invenies.

Christus nil scit perdere.

Tunc filii securius habentur, quando, pro Deo periculis exponuntur.

Propone ante oculos Saulem Regem, is mandatum à Deo accepit, de perdendis Amalecitis, & ne cuiquam eorum parceret, & dum Amalecitas devastat, videt eorum Regem specie insignem, vidit & multa alia bona locupletissima, nescio qua pietate ductus Regem, ac pulchriora bona salva custodit: *Pepercit Saul, & populus, Agag, & optimis gregibus ovium, & armentorum, & vestibus, & arietibus*, &c. 1. Reg. 15. num. 9. Verte nunc oculos, quòd cùm Saul pergeret armato exercitu contra Philisthæos, & juramento adjurasset populum: *Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec ulciscar me de inimicis meis*, 1. Reg. 14. num. 24. tamen Jonathas filius ejus amantissimus deprehensus fuit juramentum violasse; necessitate compulsus gustavit paululum mellis: *Tunc*, ait, *Saul: Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia morte morieris Jonatha*, ibid. 44. & tamen quid evenit? Amalech, & Amalecitæ, eorumque bona perduntur, & Jonatha vivus à mortis periculo eripitur; & undè tantùm evenit discrimen, quod morti adjudicatus liberatur, & in vitam custoditus deperditur? Sanè dum Saul parcit Amalecitis, anteponit eorum vitam, ac bona Dei imperio, quod vetitum erat divino mandato, & inde evenit illis omnibus perditio, at verò dum morti tradit filium, ut religionis sacramentum de cibo non sumendo fractum vindicaretur, postponens religioni etiam vitam amantissimi filii, quem, quia propter religionem contemnit, servat, & quia destinat jugulare, non jugulat, sed ipsamet perditione ob Dei cultum, ejus mercatur vita, & à morte liberatur. At hæc Josephus lib. 6. de Antiquit. cap. 5. ait: *Saul jurat se filium occisurum, pluris, quàm genus, aut naturam, aut affectus jusjurandum faciens. Omnis multitudo jurat non laturos se, ut occidatur Jonathas auctor tam luculentæ victoriæ, atque ita juvenem irato patri eripiunt.* Ecce undè Jonathas vivit, dum pater filium, ac naturam contemnens morti tradit, ob juramenti religionem, & ipsa tunc mortis traditio, mortis tutela extitit; at dum Dei imperium contemnitur, & Amalecitis parcitur, eorum vita contemnitur, & morti datur.

303

Tunc filii vita mercatur, quando pro Deo Perditur.

Vidua illa Sareptana, 3. Reg. 17. num. 12. ad eas erat redacta angustias, ut post pugillum farinæ, necessariam expectaret mortem; ait enim: *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: En colligo duo lingua, ut ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* Ecce tota vita fœminæ, ac filii à pugillo farinæ pendebat, quo consumpto, de vita jam amplius non erat agendum; quid tunc? Accedit Elias, petit de illa farinula cibum sibi in primis parari, & quod mirandum magis, mulier illico de farinula cibum priùs parat Prophetæ, quàm sibi ac filio ejus: *Quæ abiit, & fecit juxta verbum Prophetæ;* non juxta verbum suum, quæ post concoctionem, mortem expectabat, sed juxta verbum Prophetæ, non jam amplius cogitans de morte etiam si ipsa farina consumatur; quid agis mulier? sic vitæ sustentaculum perdis, dum tibi, ac filio tuo paratum cibum ex pugillo farinæ defraudas? cur vicinam mortem non metuis? quippe ajebas *Ut comedamus, & moriamur*; cur ergo priùs præbes Eliæ? cur mortem non caves, & tibi consulis? Sanè dum Propheta cibat, mortis periculum non meminit; sciebat sanè vitam deperdi

304

Quando pro Deo contemnitur, tunc firmiter custoditur.

non

non posse, quæ Deo, ac virtuti postponitur, & dum propria vita ob Dei charitatem contemnitur, tunc securiùs habetur, ac custoditur. Eleganter D. Cyprian. de opere, & Eleemosyn. *Promptè, ac liberaliter*, ait, *quod petebatur, offertur; nec de abundantia portio, nec de modico totum datur, & esurientibus liberis, alter priùs pascitur, neque penuria, & fame cibus, antequam misericordia cogitabatur, ut dum in opere salutari vita carnalis contemnitur, spiritualiter anima servetur*. Nunquam securiùs bona habentur, quàm dum pro Deo periculo exponuntur.

Apoc. 14. n. 17. Et alius Angelus exivit de templo, quod est in Cœlo, habens & ipse falcem acutam.

Num. 18. Et alius Angelus exivit ex Altari, qui habebat potestatem supra ignem; & clamavit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam: Vindemia botros vineæ terræ, quoniam maturæ sunt uvæ ejus.

VERSIONES.

Arabic. n. 17. Et alius Angelus prodiit è templo, quod est in Cœlo clamans.

Aretas. Quod erat in Cœlo.

Syriac. n. 18. Clamavit clamore magno dicens: Mitte illam tuam falcem acutam, &c. quia adoleverunt uvæ terræ.

Arabicus. Clama altissima voce: Præcide botros vinearum terræ, jam enim maturavit uva ejus.

Vatablus. Vindemia botros terræ.

EXPOSITIO.

305 ET *alius Angelus*. Aptè, & concinnè omnia ordinantur, nam supra vers. 14. apparet similis filio hominis, scilicet Christus Dominus, sedens super nubem candidam, ac habens falcem acutam in manu ad colligendos bonos *in judicio finali*; tunc num. 15. Michael Angelus exivit de templo terrestri, seu Ecclesia militanti ejus curæ commissa, clamans jam esse completum numerum electorum, & judicium finale peragendum, & inde filius hominis misit falcem suam in terram ad exercendam judiciariam potestatem. Nunc sequitur noster text. num. 17. *Et alius Angelus exivit de templo, quod est in Cœlo*. Non jam de templo, quod est in terra, ut supra num. 15. sed de ipsomet Cœlo. Alius Angelus distinctus à superiori, & sub hoc Angelo intelligitur cœtus Angelorum, ut ait Albert. Magn. juxta illud Matth. 13. num. 41. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis*. Prosequitur textus: *Habens & ipse falcem acutam*; scilicet vindemiatoriam, quæ est cultellus curvus, & significat punitionem, ac excidium impiorum; & est discrimen inter messem, ac vindemiam, ut dicam quæstione sequenti ex Scriptura. Messis ordinatur ad justos, ad cujus collectionem, ut ad præmium falcem tenet Christus; vindemia respicit punitionem iniquorum, cujus falcem, seu executionem committit Christus suis ministris Angelis, qui ex ejus imperio è cœlo egrediuntur.

Optima Textus connexio.

306 *Et alius Angelus* distinctus à duobus præcedentibus, *exivit de altari*; thymiamatis nempe, in quo sancti martyres tanquam gratissimæ victimæ Deo offeruntur; vel ex altari sub quo martyres quiescunt, Apoc. 6. n. 9. ubi sancti martyres postulant diem judicii, ut impii tyranni puniantur, & dictum est eis, *ut quiescerent, donec compleantur conservi eorum, & fratres eorum*, ibid. n. 11. Exivit iste Angelus tanquam legatus martyrum, quia numerus electorum, ac fratrum ejus jam erat completus. *Venit hora ut metatur, quia aruit messis terræ*; seu matura est sup. n. 15. *Habens potestatem super ignem*; ad inducendum ignem conflagrationis in Orbem, vel ut mittat reprobos in ignem gehennæ, nam ut ait Aretas, unus Angelus præest aquæ, alter aeri, alter terræ, & alius igni.

307 *Et clamavit voce magna*; hoc est, magna efficacia, & affectu, nam cum *ipse habeat potestatem super* ignem conflagrationis, non poterat Orbem igne devastare, nisi priùs homines tollerentur è vita, & inde clamavit *ad eum*, scilicet ad alium Angelum, *qui habebat falcem acutam*, putatoriam, vel vindemiatoriam: *Vindemia botros*; nam sicut per messem, & triticum denotantur electi, ita per vindemiam, & botros denotantur reprobi calcandi in torculari Inferni, ut ex sequentibus patebit, & dicam sequenti quæstione. *Botros vineæ terræ*; hoc est, homines terrenos, terrenis deditos. *Quoniam maturæ sunt uvæ ejus*; completæ nempe sunt eorum iniquitates.

Iniqui calcandi in inferno.

QUÆSTIO XXXIV.

An isti tres Angeli verè, & propriè sint Angeli, vel alii sub eorum persona intelligantur.

PRæter filium hominis, seu Christum Dominum, 308
sedentem super nubem habentem falcem messoriam, num. 14. introducuntur hìc tres Angeli, unus, qui est Michael, & clamat, num. 15. jam tempus esse judicii finalis, quia numerus electorum completus est, & alius Angelus, seu cœtus Angelorum, num. 17. exiit de ipso cœlorum palatio, seu templo, & colligent eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, & ideo iste secundus Angelus portat falcem vindemiatoriam; tunc, num. 18. exiit tertius Angelus de altari, in quo degunt sancti martyres, tanquam eorum legatus, ac minister clamans jam esse tempus ut puniantur iniqui tyranni, & ideo hic habet potestatem super ignem ad conflagrandum Orbem.

Recensentur tres Angeli.

Valde tamen diversimodè diversi hos Angelos ex- 309
ponunt. Alcazar contendit primum Angelum esse Joelem Prophetam, secundum, mysticum Moysen, tertium mysticum Eliam; & hæc contendit referre ad martyres in primitiva Ecclesia. Nescio quo fundamento Alcazar hæc sibi potuit persuadere, quia hic sermo est, non de Ecclesia primitiva, sed de illa in fine sæculi, & expressè Joel loquitur de valle Josaphat. Deinde secundus Angelus habet falcem vindemiatoriam, quæ est reproborum, quam tertius Angelus clamat mittendam esse; & quid hæc habent cum mystico Moyse, Elia, ac martyribus?

Impugnatur.

Pannonius existimat, quod iste tertius Angelus 310
sit Elias in propria persona, qui ter ignem de cœlo evocavit. Ansbert. Haymon tenent, quod tam Angelus, qui exivit de templo, n. 15. quàm iste, qui exivit de Altari, sit Christus D. Aureolus, Lyran. dicunt, quòd Angelus, qui tenet falcem sit Carolus Magn. qui demessuit infideles, Angelus vero, qui exivit de altari, est Adrianus Papa, qui opem Caroli impetravit, seu imploravit contra Desiderium Regem Longobardorum, quem Carolus bello vicit, victum cœpit, regno spoliavit, & regnum Longobardorum extinxit. Joachimus Abbas in hoc tertio Angelo prædixit Ordinem Eremitarum S. Augustini. Hæc tamen valde mystica sunt, & aliena à vero sensu, quia hìc agitur de fine sæculi post extinctum Antichristum, quando jam in proximo est dies judicii.

Vera & communis sententia est, quod isti tres ve- 311
rè, & propriè sint Angeli natura, & officio: ita Gagnæus, Cornel. Tirin. la Haye, Ferrarius, & alii. Patet ex eorum officio, & ministerio, quia *omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi*. Deinde quia ea, quæ spectant ad judicium universale ministerio Angelorum sunt agenda; sic dicitur Matth. 13. n. 41. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, mittent eos in caminum ignis*; & Matth. 24. n. 31. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis*.

Verè & propriè Angeli.

Cùm divina justitia procederet contra peccatrices 312
civitates, *venerunt duo Angeli Sodomam, sedente Loth in foribus civitatis*, Gen. 19. n. 1. & ad quid veniunt hujusmodi Angeli, ut civitates tot scelerum matres igne perdant, & Loth cum suis filiabus ab incendio liberent? Sophronius Orat. 9. *Adsunt Dei ministri pro diversitate meritorum*; ut peccata pœnis, merita præmiis afficiant.

Angeli divinæ justitiæ administri.

Prom-

313 Promptissimi sunt Angeli ad Dei nutum; quod colliges ex Tobiæ cap. 12. num. 15. ubi ait Raphael: *Ego sum unus è septem, qui adstamus ante Deum;* addit Laudunensis: *Servire parati quòcunque missi sumus.* Et preme, quod dicuntur adstare, non sedere, ut seniores sup. c. 4. utpote promptissimi ad Dei obsequium, nec alio spectant. *Septem oculi super lapidem unum*, id est, Christum; communi placito apud Zach. c. 3. n. 9. septem oculi, id est, septem Angeli, qui mentis oculo defixi sunt ad Dei nutus. Lyran. ibi: *Qui semper sunt intenti ad exequendum ejus mandatum.*

Deò adstant Angeli, ut ejus nutu exequantur.

QUÆSTIO XXXV.

Quare ad significandum diem judicii duplicem falcem introducit Joannes, unam messoriam, alteram vindemiatoriam.

314 DUplices falces hìc referuntur, una est messoria, quam in manu habet filius hominis: *Et in manu sua falcem acutam*, n. 14. altera falx est, & vindemiatoria, quam tenet Angelus exiens de templo cœlesti, n. 17. quæ duæ falces ad diem judicii spectant, de quo hìc agitur.

Duplex falx.

315 Viegas ait, *quod duæ falces non solùm ad extremum judicium, sed ad cujuscunque mortem referendæ sunt, ea enim est quæ duplicem hanc falcem gerit, quarum altera juvenes vindemiat, altera senes;* cur utriusque falcis symbolo, judicium adumbratur, cum altera satis esse videatur? Adverte senes, qui matura jam ætate decidunt, meritò messi aridæ, ac maturæ, quæ jam apta est ad metendum, comparari, adolescentes verò jam ætate, vineam pulcherrimis botris refertam, redundantemque repræsentare, & ideo ad vindemiatoriam falcem meritò pertinere. Ecce cur duabus falcibus messoria, & vindemiatoria repræsentatur, judicium enim sicut mors, nec juvenibus, nec senibus scit parcere.

Mors nec juvenibus, nec senibus parcit.

316 Vera, & genuina sententia est, quòd hìc in die judicii simul sermo est de messe, & vindemia, quarum una falx nimirum messis, ut ostenditur num. 14. est Christi Domini, & ordinatur ad electos, altera nimirum vindemiæ, est Angelorum, ut habemus in hoc secundo Angelo, nu. 17. qui ideo exivit de templo, quod est in Cœlo, & spectat ad reprobos, quorum supplicium exequetur Dominus ministerio Angelorum, ut ostendunt loca Scripturæ supra citata in expositione.

Vera sententia.

317 Quod autem messis sumatur in bonam partem, & dicat respectum ad electos patet ex Matth. 9. n. 37. & Luc. 10. n. 2. *Messis quidem multa, operarii autem pauci: Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* & Joan. 4. n. 35. *Videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* Nec obstat quòd Matth. 13. n. 39. interpretatur Dominus messem, consummationem sæculi. *Messis verò consummatio sæculi est.* Loquitur Dominus de consummatione sæculi, ut includit collectionem electorum.

Messis pro collectione justorum.

318 Quod autem vindemia accipiatur in malam partem, & quoad reprobos, patet Ps. .... n. 13. *Ut qui destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam.* Threnor. 1. n. 12. de sua vastatione sic clamat Jerusalem: *Vindemiavit me, ut locutus est Dominus in die iræ furoris sui;* & n. 27. *Vindemia eos, sicut vindemiasti me;* & hìc in nostro præsenti textu istam vindemiam esse ad punitionem, & stragem, ut ostendunt sequentia verba: *Et misit in lacum iræ Dei magnum.*

Vindemia pro punitione iniquorum.

319 Optimè cum nostro Apostolo Joanne concordat Propheta Joel 3. n. 12. dicens: *Consurgent, & ascendent gentes in vallem Josaphat, quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu;* & subdit: *Mittite falces, quoniam maturavit messis. Venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia, quia multiplicata est malitia eorum;* qui locus communiter à Patribus, ac expositoribus de judicio finali interpretatur, ut indicant illa verba: *In Valle Josaphat.* Et dicitur: *Mittite falces;* quia simul est sermo de messe, & de vindemia. *Quoniam maturavit Messis;* quæ spectat ad bonos, quia eorum numerus maturus, seu completus erat, ut jam dictum est: *Quia plenum est torcular, exuberant torcularia.* Plenum est torcular botris, & uvis, nempe impiis premendis, & conculcandis in Inferno, undè Chaldæus vertit: *Conculcate interfectos.* Torcular metaphora est Scripturæ, & significat acres pœnas de reo sumere; Thren. 1. n. 15. *Torcular calcavit Dominus Virginis filiæ Juda.* Sequitur text. *Quia multiplicata est malitia eorum*, usque ad exuberantiam, ac redundantiam: *Implete mensuram patrum vestrorum*, Matth. 23. num. 32. & in hoc sensu dicitur: *Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, Gen. 15. num. 16.

Christus vers. 14. habet falcem messoriam ad præmium; Angelus, seu cœtus Angelorum, vers. 17. habet falcem vindemiatoriam ad malos puniendos. Et meritò quidem præmiatio Christo, punitio verò Angelo tribuitur, magni enim Reges, cùm maxima pietate, ac clementia exornentur, præmia per se solent distribuere, hoc regia Majestas peculiariter exoptat, supplicia verò per alios infligunt. 320

Christus per se ipsũ dat præmia, supplicia per ministros.

Valde mirum tamen, quòd Deus supplicia per Angelos, qui sunt nostri custodes, & tutelares irroget, & exequatur juxta illud Matth. 13. n. 41. *Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis;* & cur Angeli, qui dati sunt ad custodiam hominum: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis;* nunc tamen tam severi in homines esse permittuntur? nonne dæmones aptiùs eligerentur, ut malos separarent, & in ignem mitterent? cur hoc severissimum munus Angelis committitur? Hoc tamen maximè spectabat ad plenitudinem, ac consummationem angelicæ administrationis; cum ipsi regimen hominum susceperint, & tot peccatores per tam longum tempus sustinuissent, multum videretur ab eorum perfectione distare, nisi aliquando delinquentes debito supplicio punire, ac castigare viderentur. D. Paschas. lib. 8. in Matth. ait: *Nec dubium; quin Angelos suos, per quos nunc regitur Ecclesia, tunc implebit benignus Salvator, ut tollantur impii de medio justorum, ne videant gloriam Dei, & foras mittentur in tenebras exteriores.* Perpende illud: *Tunc implebit.* Angelorum Ecclesiam regentium summa plenitudo, ac perfectio. Non tantùm splendescit quando hominum peccata dissimulant, sed potiùs quando se exhibent iniquorum turbas castigantes. 321

Angeli rectores Mundi maximè exornantur cũ iniquos puniunt.

Cùm Debora juberet, ut Barach pergeret oppressurus Jabim hostem Israelitarum, ait Barach; Judic. 4. n. 8. *Si venis mecum vadam, si nolueris venire mecum, non pergam;* quæ verba sic legunt Septuaginta: *Si ibis, ibo, & si non jeris mecum, non ibo, quoniam nescio diem, in qua prosperat Angelum Dominus mecum;* quæ verba magnam faciunt difficultatem D. August. lib. 7. qu. super Judic. qu. 26. Et meritò addubitat August. quid sit *Prosperat Angelum Dominus mecum;* quomodo ad prosperitatem Angelorum pertinebat, quod Barach Victoriam reportaret, & quòd Sisara crudelis hostis Israelitarum occideretur, ac occumberet? cum Angeli maximè salutares sint hominibus, qualem prosperitatem ex hominum morte acquirunt? Angeli constituti sunt rectores, ac gubernatores Mundi, & tales ad omnem prosperitatis, ac perfectionis apicem evehuntur, cùm coronas justis tribuunt, & simul impiis supplicia, ac mortem inferunt: meritò ergo Barach illam Angeli prosperitatem nominat, ac dicit, qua justis Israelitis coronæ triumphales donabantur, illorum verò hostibus promerita damnatio infligebatur. 322

Prosperitas Angelici ministerii præmiare honos & punire malos.

Apoc. 14. *n.* 19. Et misit Angelus falcem suam acutam in terram, & vindemiavit vineam terræ, & misit in lacum iræ Dei magnum.

Num. 20. Et calcatus est lacus extra civitatem & exivit sanguis de lacu usque ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.

VERSIONES.

Syriacus n. 19. Et projecit Angelus falcem suam, &c. Et projecit in torcular excandescentiæ Dei illud magnum.

Ara-

Arabic. Protulit ille Angelus falcem suam in terram, & vindemiavit vineas universæ terræ, posuitque vuam in lacum vinarium Dei magnum.

Primas. Et misit in torculari iræ Dei magni.

Syriac. n.20. Et calcatum est illud torcular usque ad fræna equorum, à stadiis mille & sexcentis.

Arabicus. Tum subactus fuit lacus extra Orbem, effluxitque ex eo lacu sanguis multus, adeo ut pertingeret frænos equorum, per spatium milliarium mille sexcentorum.

Primas. Calcatum est in torculari, & manavit inde sanguis.

EXPOSITIO.

323 *ET misit Angelus falcem suam acutam in terram.* Per hanc falcem, judiciariam Domini potestatem interpretatur Divus Gregor. lib.35. Moral. capit.14. expendens illud Job.40. numero 21. *Nunquid pones circulum in naribus ejus?* sic ait Sanct. Doctor: *Quid hoc loco circulum, Scriptura sacra per Joannem in Apocalypsi falcem vocat? Potestas enim divini judicii, quia undique stringit, circulus dicitur; & quia inter se omnia judicando amplectitur, falcis appellatione signatur, in falce enim quicquid inciditur, quaquaversum flectimur intus cadit. Et quia potestas superni judicis nullatenus evitatur (intra ipsam quippe sumus, quòlibet fugere conemur) rectè cùm venturus judex ostenditur, falcem tenere perhibetur, quia cùm potenter ad omnia obviat, incidendo circumdat;* & subdit text. *Et vindemiavit vineam terræ.* Sicut per messem diximus bonos intelligendos, sic per vindemiam malos dicimus. *Et misit in lacum iræ Dei magnum;* scilicet infernum, calcandos ibidem in æternum à dæmonibus divinæ justitiæ lictoribus.

Nullus effugiet Dei judicium.

324 *Et calcatus est lacus.* Lacus in Scripturis dicitur Infernus: *Salvasti me à descendentibus in lacum,* Psal.29. numero 4. *Posuisti me in lacu inferiori,* Psalm.84. numero 7. Lacus autem iste, est de quo immediatè antecedenter dicitur: *Lacus magnus iræ Dei;* nam Limbus Patrum fuit lacus, Limbus parvulorum est lacus, Purgatorius est lacus: lacus autem magnus iræ Dei, solus est Infernus. Et non dicuntur calcati botri, seu vuæ, sed lacus; sumitur continens pro contento, seu ex eo quod Infernus receperit peccatores, deterior, ac magis calcatus est. *Extra civitatem.* Scilicet Ecclesiam, & consortium electorum, qui constituunt civitatem Dei, juxta illud Matth.13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, &c.* Vel per civitatem intellige cum Ruperto cœlestem Patriam; Psalm.86. numero 3. *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei;* Psalm.47. numero 3. *Civitas Regis magni;* & ibid.numero 9. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* Divus Thomas ait, quod notatur hic *pœna damni, qua in Inferno semper puniuntur, quia exclusi erunt à civitate cœlesti.* In quæstione.

Infernus deterior ex peccatoribus receptis.

325 *Et exivit sanguis de lacu.* Retenta metaphora vocat sanguinem mustum ex vuis expressum, simile enim sanguini est, & ita solet in Scriptura appellari; Gen. 49. numero 11. *Lavabit in sanguine vuæ pallium suum;* & Deuteronom.32. numero 14. *Ut biberent sanguinem vuæ meracissimum.* Hìc autem non solùm attenditur similitudo, sed etiam res; est enim sermo de vuis rationalibus, quarum liquor sanguis est, & per metonymiam stat pro tota persona, sive pro ejus punitione. *Usque ad frænos equorum.* Metaphorica locutio ex his, quæ accidunt in crudeli bello, quando tantus sanguis effunditur, & ita campus eo repletur, ut usque ad frænos æquorum perveniat; hac ergo allegoria denotatur, quòd ex illa conculcatione vuarum, seu hominum in Inferno, tanta erit pœnarum inundatio, ut usque ad summum videatur pervenire, & totum hominem tenere.

Metaphorica locutio.

326 *Per stadia mille sexcenta;* quæ conficiunt milliaria italica 160. leucas verò hispanicas 50. nam unum milliare apud nos continet octo stadia, apud Græcos verò, unum milliare continet stadia decem; & apud ipsos Græcos centum passus efficiunt stadium, apud nos tamen sunt necessarii centum viginti quinque: quanto verò mysterio hæc stadia hìc ponantur, dicam quæstione sequenti.

Quid sit stadium.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare hìc ponitur præfixus numerus stadiorum mille sexcentorum.

IN hac sacra revelatione, omnia mysteriis plena sunt, nec unus quidem apex illi caret; quid ergo denotatur, cùm dicitur: *Exivit sanguis de lacu per stadia mille sexcenta?* Alcazar hoc refert ad terram promissam, quia tot stadiis terminatur, ac si in hoc significetur Ecclesia sancta, toto Orbe sanguine martyrum irrigata. Sed hoc non est ad rem, quia hìc agitur de pœna, seu tormentis damnatorum. 327

Ratio dubitandi.

Primò Ribeira, & Cornelius volunt in his stadiis 1600. denotari Inferni capacitatem, ita ut Infernus in longum, & in altum, & in profundum quaquaversum extendatur ad stadia 1600. Lessius verò, de Dei justitia cap.24. vult longè minus esse spatium, probans, etsi una tantùm esset leuca, capere tamen posse plusquam octingenta millia millionum corporum, consignato singulis corporibus spatio sex pedum quadratorum. 328

Ut verum fatear, neutra sententia, mihi placet, quia post universalem resurrectionem, ac finale judicium propemodum infinita erunt corpora damnatorum ex tot barbaris, infidelibus, hæreticis, ac peccatoribus, cùm dicat Salomon Proverbior.30. numero 15. *Tria sunt insaturabilia; quartum nunquam dicit: Sufficit;* scilicet, *Infernus;* & Isai.5. numer.14. *Dilatavit Infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino;* & Habac.2. numero 3. *Dilatavit quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, & non adimpletur.* Divus Hieronym. ad illud Job.36. numero 16. *Salvabit te de ore angusto, latissimo, & non habente fundum;* ait Infernorum habitacula ibi describi, undè ait Beda lib.1. in Job. cap.5. vix posse credi, quàm capax sit gehenna ad recipiendos malos, & angusta extra modum, ut inde exeant; ferè idem habet D. Gregorius Magnus lib.6. Moral capit.24. & ut ipsemet Beda refert lib.5. Historiæ Anglicæ, quod S. Diethelius viderit corpora damnatorum in Inferno constipata sic volutari, ut jam in altum conscendere, jam in abyssum mergi, jam ad latera quaquaversum latissimè gyrari, & raptari videantur. 329

Infernus valde capax & latus ad recipiendū.

Damnati versantur in gyrum.

Magno ergo mysterio hic numerus 1600. ponitur, nam hic numerus est quadratus, quadragies quadraginta faciunt 1600. proindeque, ut notat Petrus Bongus de numerorum mysteriis, hoc numero totus Mundus significatur, cujus quatuor sunt partes; Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies: tali ergo numero denotatur totus Mundus sanguine irrigatus, nam throni Jeremiæ quatuor sunt, distincti quadruplici alphabeto, quia in illis Jeremias, *non* solùm judæorum, sed etiam totius Mundi scelera deplorat. 330

Proindeque videtur hìc à nostro Ioanne denotari quod solet fieri in magnis sceleribus puniendis, ut scilicet illo loco exerceatur justitia, & spargatur fontium sanguis, vel affigantur eorum membra, ubi deliquerunt; cùm ergo impii totum Mundum suis sceleribus contaminaverint, & terram corruperint, ut dicitur supra c.11. nu.18. ad significandam commeritam retributionem, proponit hìc noster Joannes totum Mundum ipsorum sanguine stagnantem, torculari iræ Dei pressorum. 331

Iniqui, ubi deliquerint puniuntur.

Tertio numerus quadragenarius est pœnæ, & punitionis, juxta illud Ps.94. v.10. *Quadraginta annis offensus fui generationi illi, & dixi: Semper hi errant corde;* sicut & quinquagenarius indulgentiæ, & remissionis, numerus autem 1600. est ex omni parte quadratus ex quadraginta, qui in se recurrit; cùm autem dicit Joannes: *Exivit sanguis de lacu per stadia* 1600. ostendit pœnam reproborum sine indulgentia, & re- 332

Pœna damnatorum completa, & sine indulgentia.

stiarum, & de manu hominis, Gen. 9. n. 5. cur, Domine, dicis te sanguinem hominis effusi vindicaturum? nonne extant multæ leges politicæ, quibus homicidæ puniuntur? vindictam ergo relinque hominibus; nonne etiam sæpè homicidæ favoribus, muneribus, vel alio modo pœnas sibi debitas evadunt? Ideo Deus asserit, se homicidas puniturum, ut intelligamus homicidia non esse impunita, sed semper debita pœna homicidas prosequitur; & tenet D. Ambr. l. de Arca: *Deus noster*, ait, *ultionem promittit, ut vel sic frangatur metus, qui pietatis est oblitus; & sicut, quòd, etiamsi homines effugiat, homicida tamen Dei judicium non possit evadere, sed majori, & æterno supplicio reservatur.*

Homicida nō effugiet supplicia.

CAPUT XV.

Nexus hujus capitis cum superioribus in eo consistit, quòd postquam noster Evangelista c. 13. egit de regno Antichristi, ejusque persecutione in sanctos c. 14. enarrat illustria facta sanctorum martyrum, virginum, ac Ecclesiæ prædicatorum; deinde de die judicii, ac vindemia facienda in malos scribit; & quia hæc vindemia, seu punitio iniquorum facienda est ministerio sanctorum Angelorum, Matth. 13. nu. 14. & cum omnia debita distinctione, non possint simul referri, ideo Evangelista, ut absque confusione procederet, postquam pertractavit de vindemia, ac malorum condemnatione, agit de Angelis executoribus, effundentibus phialas novissimas iræ Dei, inter quas sancti super mare vitreum canebant canticum Moysis, undè non approbo sententiam Ribeiræ, Cornelii, la Haye, existimantium, quòd Joannes c. 14. fecerit digressionem ab eo, quod incœperat, c. 13. de Antichristo, ac fine Mundi, valde enim ordinatim nostra suprema Aquila procedit.

Apoc. 15. n. 1. Et vidi aliud signum in Cœlo magnum, & mirabile; Angelos septem, habentes septem plagas novissimas; quoniam in illis consummata est ira Dei.

VERSIONES.

Syriac. Vidi signum admirabile, &c. habentes septem illas ultimas plagas; quoniam in illis consummata est excandescentia Dei.

Arabic. Septem Angelos habentes septem exitia ultima, quibus finem habet ira Dei.

Primas. Quoniam in illis indignatio Dei consummata est.

Ticon. D. Aug. His finita est ira Dei.

Oecumen. Ipsis completur ira Dei.

Alii. Expleta est ira Dei.

EXPOSITIO.

1 *Idi aliud signum in Cœlo, magnum, & mirabile.* Hoc signum magnum, de quo maximè admiratur Evangelista, est supremum arcanum divinæ sapientiæ, cum summa æquitate in inferendis plagis, & suppliciis in homines, maximè contemperatis cum eorum peccatis, ac prævaricationibus, quæ ministerio Angelorum exercenda sunt, quod statim explicat. *Angelos septem.* Et sunt iidem, qui c. 8. & deinceps canunt septem tubis; & nulla hic est hysterologia, seu anticipatio, ut contra aliquos Recentiores dicam q. 2. *Habentes septem plagas.* Erant parati Angeli, ut omni genere plagarum, ac suppliciorum reprobos perderent. *Plagas novissimas.* Dicuntur novissimæ, non quia sit novus modus plagarum, ante Deo inusitatus, ut exponit Alcazar, sed simpliciter novissimæ, quia erunt postremæ, ac ultimæ, ex quibus ultima se extendet ad finem Mundi, ut contra Cornelium, & alios dicam qu. 3. Et confirmatur nostra sententia ex judicetis verba: *Quoniam ipsa consummata est ira Dei.* Et si in ipsis consummata est ira Dei, jam amplius non erit in aliis plagis, ac suppliciis.

QUÆSTIO I.

Quare hoc signum hìc ostensum Joanni, dicitur magnum, & mirabile.

2 SUpra, c. 12. cùm noster Joannes vidit mulierem amictam Sole, ait: *Signum magnum apparuit in Cœlo*; hic verò amplius addit dicens: *Signum magnum, ac mirabile*; seu, ut legit Syrus: *Admirabile.* Hoc autem signum magnum, & mirabile est supremum arcanum divinæ justitiæ disponentis, ac ordinantis septem Angelos habentes septem plagas novissimas. Et cùm dicit noster Joannes, se vidisse in Cœlo hoc signum magnum, & mirabile, non solùm significat has plagas de Cœlo venturas, sed etiam tales plagas fabricatas esse in divinis arcanis, summa sapientia, admirabilique æquitate multum contemperatas, ac proportionatas cum hominum, Mundique demeritis ministerio Angelorum immittendas, ut ex præsenti litera patet.

Valde mirabile arcanum divinæ justitiæ, commensurātis pœnas cum peccato.

3 Altum, & supremum est secretum divinæ justitiæ, maximè commensuratum cum hominum delictis, ac peccatis, quod humana ratio nullo modo valet investigare. Cum arca Domini transferretur de domo Abinadab in domum Obededom, & calcitrassent boves, tenuit eam Oza ne in terram caderet: *Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate; qui mortuus est*, 2 Reg. 6. n. 7. valde difficile, in quo hìc inventum fuerit peccatum Ozæ, ita ut circa hanc rem circumferantur ferè novem, vel decem opiniones; & augetur maximè difficultas, quia juxta Angelomum, ac Glossam, ipse Oza erat sacerdos, quo dato ipse ex munere suo tenebatur opem suam interponere; quomodo ergo dum pietatis officium ex zelo Dei videtur exsolvere in grande nefas incidit, ut ex illo mortem reportaret? In hoc si non vis errare, noli judicare; ad quod tendit Salvianus lib. 6. de Providentia: *Multum abditum est arcanum providentiæ Dei, nam dum cogitas Ozam religionis opus adimplere, grande peccatum in eo invenit.*

Abditum arcanum divinæ justitiæ.

4 Alta, & suprema sapientia, Deus castigat, punit, ac judicat. Post sanatum Paralyticum, dicebat Christus, Jo. 5. n. 22. *Neque enim Pater judicat quenquam, sed omne judicium dedit filio*; & cur Pater non judicat, sed omne judicium dat filio? an ut durius exerceatur judicium ab eo, qui non est Pater? absit; cur ergo Pater non judicat, sed omne judicium dat filio? Patri attribuitur potentia, sicut & filio sapientia; inde Pater non judicat, sed judicium dat filio, quia Dei judicium non exercetur potentia, sed summa sapientia, ac prudentia, qua rigorem severitatis valet temperare, omnia æqualiter summa æquitate ponderare, cùm idem sit Judex, & Advocatus. Ad hoc respicit Arnoldus Carnot. tract. de laudibus Mariæ, in fine, dicens: *Datum est*, ait, *filio à Patre omne judicium, & ejus est temperare, & dispensare severitatis districtæ sententiam, & decretum, qui non facilè eos, quorum advocatus existit, condemnet, cùm idem sit advocatus, & judex.*

Dei judicium cum summa sapientia.

5 Flammantibus linguis descendit Spiritus Sanctus super Apostolos; Act. 2. n. 3. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, sedit que super singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu Sancto*; & ad quid tantis splendoribus, ac luminibus venit Spiritus Sanctus? Munus adventus ejus est: *Arguet Mundum de peccato*, Jo. 16. n. 8. arguiturus ergo Mundum Divinus Spiritus, non aliter venit, quàm splendentibus igneis linguis, nimirum omnigenum sapientiæ splendorem præmittens, qua cuncta rimatur, & ad libram ponderat; quod attigit D. Bernard. ser. 2. de Pentecoste: *Spiritus S.* ait, *qui scrutatur profunda peccatorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis, qui nec minimam paleam intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit.* Expende illud: *Igne subtilissimæ circumspectionis.* Non igne sortiter sæviente, sed igne, qui facem præferat, & subtiliter, & circumspectè cuncta noscat, & videat exurendum exurat, servandum servet.

Ad judicandum, ac arguendum multa scire tua necessaria.

6 Hoc magnum documentum habemus in primo Ec-

Ecclesiæ fundamento, ac universali ejus Pontifice; nam cùm comprehenderetur meus Jesus in horto, Petrus evaginato gladio, servi Pontificis Malchi auriculam abscidit, & statim ei Dominus præcipit gladium recondere, Jo:18.n.12. *Dixit ergo* Jesus *Petro: Mitte gladium tuum in vaginam*; & tamen postea in Actis Apostolorum 10. n.13. ei ostenditur linteum plenum serpentibus, ac reptilibus, eique dicitur: *Occide, & manduca*; antea mandatur ei gladium recondere, & vulnus inferre non permittitur, & modò non solùm gladium stringere, sed etiam occidere clara voce è cœlo monetur. Antea rudis, & impolitus erat Petrus, modò verò adventu Spiritus Sancti, sapientiæ divinæ plenitudine illuminatus est; & merito rudi, & impolito gladius prohibetur adversùs homines, maximè verò divinæ sapientiæ lumine illustrato porrigitur; hinc meritò qui primus gladium adversùs hominem accepit, Gen 3. n.24. in Paradisi limine Cherub dicitur, nimirum scientiæ plenitudo; & non aliter D. Paulus reprehensionis gladium concedit suis discipulis, nisi certus, quod omni sapientia abundent, undè ad Rom. dicebat c.15. nu.14. *Certus sum de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ut possitis alterutrum monere*. Expende illud: *Repleti omni scientia, ut possitis alterutrum monere*.

Solus, qui Dei sapientia est illustratus, potest homines judicare.

QUÆSTIO II.

Quare Angeli tenentes septem plagas sunt tantùm septem, nec plures, nec pauciores, & quinam sint isti septem Angeli.

7 AIt noster Joannes: *Vidi aliud signum mirabile; Angelos septem habentes plagas septem*. In limine quæstionis notandum, quòd hìc hysterologiam dari dicunt Ribeira, Alcazar, Corn. la Haye, & alii; hic enim versus, ait Cornelius, postponendus est versui secundo, tertio, & quarto, nam priùs vidit Joannes, sanctos stantes super mare vitreum, & canentes canticum Moysi, post hanc enim visionem subdit vers.5. *Et post hæc vidi, & ecce apertum est templum; & exierunt septem Angeli habentes septem plagas*; de quibus Angelis hìc facit mentionem exeuntibus à templo.

8 Rectè Ferrar. hanc sententiam existimat non esse veram, quia in hac sacra prophetia, omnia sapientissimè digesta, ac ordinata sunt, & sic scripta, ut vidit, ac proinde priùs elevans oculos, vidit septem Angelos in cœlo, quàm sanctos victores stantes super mare, nam isti sancti non fuerunt ante plagas, sed simul erant in Mundo, cùm ipsæ plagæ effundebantur, ac proinde non potuerunt videri ante Angelos, sed simul cum ipsis, nam ex eo quòd Angeli apparuerunt in cœlo minantes tantas plagas, inde sancti decantabant Deo laudes, & gratias; & quia simul visa non possunt simul referri, ideo post canticum sanctorum scribit, quomodo exierunt de templo, & ideo hìc nulla est hysterologia.

Impugnatur dicta sententia.

9 Primò quæstio inquirit, quinam sint isti Angeli, & cur septem? Ad primum Primasius, Joachimus, Ansbertus, Richardus, Haymon, Pannonius, Albertus Magn. docent esse septem genera prædicatorum; sed illis repugnant verba sacri text. *Habentes septem plagas novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei*: Prædicatores sunt ad salutem, & non ad mortem. Ex quo fundamento reiicitur sententia Alcazaris dicentis, hos Angelos septem esse septem viros apostolicos, scilicet D. Paulum, D. Petrum, S. Clementem Papam, quartum Pontificem tempore S. Agnetis, & sic de cæteris; quæ sententia ex eodem fundamento corruit. Alensis tamen, & Ribeira volunt esse illos ipsos septem Angelos, qui c.1 connumerantur. Negat Viegas, quia illi omnino sunt Principes, quibus unum de animalibus non daret septem phialas, sicut dat; vult tamen esse Angelos minores, quibus executionis ministerium demandatur, & putat numerum septenarii definitum esse pro indefinito, & significat multitudinem Angelorum; quod etiam tenet Gagnæus.

10 Sententia mihi vera astruit hos septem Angelos illosmetipsos esse, qui supra c.8. septem tubis canunt, nam ad illos ipsos spectare videtur, qui introduxerunt in Mundo doctrinam sacram, prædicationem evangelicam in tubis significatam, immittere plagas, quas Deus Mundo, quod malè responderit, respondeat, ac responsurus sit tanto beneficio, est immissurus; perbellè enim habet, quòd sicut misericorditer tubas inflant, ita suo tempore severè, ac districtè phialas effundant, est enim in divina sapientia mira concinnitas, & in re ipsa mira proportio, ut per quos ministratum est beneficium, quo abusus est Mundus, ministretur supplicium, quo puniatur Mundus. Multis placet quod ille Angelus, qui percutiebat Israel peste 2.Reg.24.n.16. erat Angelus custos regni, ut sicut custodiebat regnum fidele, puniret, & rebelle.

Deus per eosdem ministros beneficit judiciis, & punit iniquos.

Secunda quæstionis pars est: Cur Angeli dicantur 11
septem? Quia in septem generibus, ac modis plagarum, ac pœnarum consummatur mysterium iræ Dei, ut dicam quæst. seq. & quia juxta multos DD. in hac quæstione datos per hos septem Angelos significatur universitas Prædicatorum, ideo autem septem scribuntur. Alex. Alens. *Dicuntur septem*, ait, *quia docent septem virtutes plantare, septem vitia extirpare, septem misericordiæ opera clamare, septem dotes præmuntiare*; addit Albert. Magn. *Et septem dona Spiritus Sancti prædicare*. Sed hoc secundum mysticum est.

Prædicator septem annuntiare debet.

Secundò signum magnum, & mirabile vidit noster Joannes; & in quo hoc signum tantam admirationem excitat? Numero septenario, nempe septem diebus Mundus perfectus, & consummatus est, ideo & hìc visuntur septem Angeli habentes septem plagas, in quibus consummatur ira Dei, & Mundus destruitur. Aretas: *An non ergo admirandum, Mundum esse consummandum ab Angelis, qui eodem sunt numero cum diebus hebdomadæ, à quibus habuit initium, & in eundem finire numerum cum Angelis, qui id muneris sortiti sunt, ut ipsum perdant, & ad perdendum totidem habent plagas?* Inde se ostendunt Angeli boni, & recti Dei ministri, quia formam Dei creatoris imitantur; ipse septenario numero Orbem condidit, sic & Angeli septem plagarum numero Mundum destruunt. In eo stat summa ministri præstantia, quòd primi opificis lineamenta sequatur.

Præstantia boni regis, ac ministri summi opificis lineamenta sequitur.

Christus D. ad salutem animarum duodecim Apo- 13
stolos destinavit: *Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit*, Luc.6.n.13. & ad ipsos ait Joan.6. n. 71. *Nonne ergo vos duodecim elegi?* si plures, aut pauciores in Apostolos elegisset, nonne & sancta, & immaculata voluntas ejus appareret? cur ergo à paucioribus, vel pluribus eligendis abstinuit? Crediderim id factum, ut probaretur se primis semper creatoris lineamentis insistere. Tertullian. lib.4. in Marc. *Cur duodecim elegit*, ait, *& non alium quendam numerum? Hujus numeri figuras apud Creatorem deprehendo; duodecim fontes Elim, duodecim gemmas in tunica Sacerdotali, & duodecim lapides a Jesu de Jordane electos*, &c. Creator in suis ostensionibus duodecimum numerum elegit; Jesus etiam ut formam Creatoris, ac Patris sui delinearet, duodecimo numero Apostolorum gaudet.

Bonus Rex in premiò artificis imitatur.

Ad hujus rei gustum, intuitus Jesus Petrum, Jo.1. 14
nu.42. *Tu es Simon filius Jonæ; tu vocaberis Petrus*; & cur Simonis nomen in Petrum mutavit Christus D. Ait Tertull. supra citatus: *Mutat & Petro nomen de Simone, quia & Creator Abrahæ, & Saræ, & Ausee nomen reformavit, hunc vocando Jesum, illis syllabas adiiciendo*. Adeo ex sui Creatoris forma procedebat Jesus, ut quia Creator in primo populi Israelitico fundatore Abrahamo, adjiciendo literas, nomen mutaverat, Gen.17.nu.5. sic & ipse Ecclesiæ suæ fundamentum nactus Simonem ejus nomen mutavit; sic & ipse bonus Jesus summi opificis lineamentis inhærebat.

Sequere vestigia magni artificis.

Hinc Tertull. citatus maximè extollit præcellentiam Christi D. *Nil Christus*, ait, *novi intulit, quod non sit ex forma, ex lenitate, ex misericordia, ex prædicatione quoque Creatoris*; quo plenus spiritu Salomon, Sap.9.n.2. sic ait: *Deus*, &c. *qui fecisti omnia verbo tuo, & in sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, ut disponat Orbem terrarum in æquitate, & justitia, & in directione cordis judicium judicet, da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam;*

Distant Reges à supremo artifice normam regiminis.

ecce Salomon regnandi sapientiam postulans, nil priùs in Deo memorat, quàm primi hominis regnaturi opificium, inde magnam præstantiam ostendens, quod videatur velle primi Regum opificis lineamentis inhærere, illius vestigia sequi, ab eisque non declinare. O utinam sic universi homines sese lineamentis accomodarent divini Creatoris in operibus suis, ut nihil nisi ex forma ejus efficerent, nec efficiendum amarent!

QUÆSTIO III.

Quare ultimæ punitiones immissæ in peccatores dicuntur plagæ novissimæ, in quibus consummata est ira Dei.

15 VIdit noster Joannes septem Angelos, à quibus finaliter punientur peccatores ultimi temporis; & cur has punitiones finalium plagarum nomine appellat? nonne pœnas dicere potuit? plagas tamen dixit, quæ ex phrasi Scripturæ videntur innuere valde acerbam, & duram in æternum esse Dei manum in impios, cùm moniti ad eum converti neglexerunt. D. Th. *Pœnæ dicuntur plagæ*, ait, *quia valde acerbè natura rationalis leditur in pœnis, quas divina justitia in perpetuum infert*; *Jerem.30. n.12. Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.*

Valde dura, & acerba manus Dei in impios.

16 Inquirendum ergo restat, cur hæ plagæ dicantur novissimæ? Alcazar existimat, quòd dicuntur novissimæ, id est, novæ, quia in eis est novus modus vindictæ, ac punitionis, qui olim Deo non erat in usu, ut temporalibus plagis emendaret peccatum. Contrarium tamen apertè habemus probatum ex Ps.77.n.34. *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum*; ecce plagæ illæ mortis, & olim immissæ à Deo in judæos, quæ castigabant peccatum cum vera ejus emendatione, & pœnæ æternæ extinctione: ergo istæ plagæ non possunt dici novissimæ, eo quòd sit novus plagarum modus ante Deo inusitatus. Deinde hæc sententia mutat verba text. & novissimum dicit esse novum, quod est contra germanum significatum.

17 Nec etiam nobis, nec Ferrario placet id, quod docent Cornel. Menoch. la Haye, & alii, quod hæ plagæ non futuræ sint ultimæ, nam post has veniet excidium Babylonis, & excidium Antichristi, & Gog, & Magog. Tamen hæc excidia sub his plagis includuntur, & aliqualiter tanguntur, licèt exactè non hic explicentur, quia indigent particulari, & magna explicatione, & ideo rectè differuntur infra ad suam propriam explicationem, & prophetiam. Ultima tamen ex istis septem plagis attinget finem Mundi, post quam nulla ampliùs erit plaga hujus temporis, nec mille anni regni sanctorum sunt futuri post has plagas, etiamsi infra ponantur, ut suo loco videbimus, & sub his plagis continentur. Confirmatur nostra sententia ex sequentibus verbis text. *Quoniam in ipsis consummata est ira Dei.* Hac causa ostenditur verissimè fuisse dictas novissimas plagas; sine dubio illæ novissimæ esse debent, in quibus consummanda est ira Dei, post autem consummatam iram, jam non est ira. Nec satisfacit Alcazar dicens, quòd idem est consummata ira, ac perfecta ira. Repugnat text. legens: *Expleta est ira*; & optimè cohærent, *consummata ira*, cum plagis novissimis.

18 D. Bernard. Senens. moraliter explicat dici plagas novissimas, id est, in gravitate, & idem valet, ac omnium severissimas; sic ait citatus Sanct. Pater: *Plagas dici novissimas, id est, gravissimas, quia gravissimè punientur, quoniam gravissimè peccaverunt.* Et ad hunc sensum spectat Rupert. qui iram consummatam de pœna æterna interpretatur, dicens: *Ira Dei occidendo corpora incboatur, & postquam occiderit animas in gehennam mittendo consummatur.*

Cum Deus animas perdit, se veriſſimè irascitur.

19 Dicuntur istæ plagæ novissimæ, quæ effundendæ sunt super impios, quæ quidem plagæ temporalem eorum respiciunt punitionem; verùm, cur antequam eveneriut prædicuntur? cur ante tot sæcula annuntiantur plagæ novissimæ? Ut cùm in eas impii incurrent, prorsus sint inexcusabiles, siquidem cum eas declinare potuerint, & à peccatis cessare, & virtutis exercitio indulgere, vitiis se ingurgitarunt. Richard. Victorin. *Quæ omnia*, ait, *idcirco scribuntur, ut justi ex ipsis habeant consolationem & superbi de sua pravitate minorem excusationem*; inde enim supplicia à Deo immittuntur, ut inde impii timore, & metu concutiantur, ut medelam, & non damnationem accipiant.

Iniquidum punitiones sunt inexcusabiles.

Job 41. n.16. de Leviathan ait: *Cùm sublatus fuerit,* 20
timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Angelos vocat eos, qui à Deo electi sunt, sancti prædicatores, doctores, sacerdotes, qui in Scriptura dicuntur Angeli, qui in fine Mundi constituti, ut viderint dæmonis, & peccati regnum tantis plagis conteri, ac exterminari, & inde ipsi multo metu, & timore quatientur; sed quò illos ducet ille tantarum plagarum tremor? Ait text. *Et territi purgabuntur.* Terroris illa pœna electis illata, non erit in damnationem, sed in bonum, illos enim magis, ac magis purificabit, & undique maximè puros ad salutem trahet, timor enim, & tremor in iis, qui sapiunt maximè est ad salutem. D. Greg. lib. 34. Moral. c. 7. *Cùm Leviathan iste rapitur, prædicatores sanctos, quos adhuc in suis corporibus illud tempus judicii invenerit, spes de regni propinquitate lætificat, & carnis infirmitas de iræ ostensione perturbat. Erit ergo in eis, aliquo modo tremor lætus, & timor securus, qui & cœlesti regno se remunerari certi sunt, & per tanti turbinis metum, pro carnis infirmitate contremiscunt. Et quia in sanctis prædicatoribus, hoc pavore excoquitur, si qua eis inesse potuit vitiorum rubigo, postquam dixit: Cum sublatus fuerit, timebunt Angeli; & meritò addit: Et territi purgabuntur.*

Supplicia à quæ à Deo veniunt, cùm tremore sunt ad emendationem.

Ait regius Vates Psal. 75. n.9. *De Cœlo auditum fecisti* 21
judicium: Terra tremuit, & quievit. Ecce tibi à Deo factum est, quòd terra tremeret, quòd in metu, & tremore esset, magnaque formidine tota commota, ac perturbata consisterent, quid enim ex tanto timore, ac tremore consecutum est? perditio ipsius? Minimè, sed potiùs sanitas, ac salus ipsius, quod nempe ab omni malo, ac flagitio quiesceret, hoc enim habet timor de Cœlo veniens: *De Cœlo auditum fecisti*; quod peccatores ad salutem dirigat. Rem eleganter tractat Guerric. Abbas ser. 3. de Adventu: *Cùm enim*, ait, *auditum fecit de Cœlo judicium, audito solo terra tremuit, & terrore purgata quievit. Beati, qui nunc eatenus excoquunt in se omnem scoriam peccati, ut tunc solo sufficiat timore purgari. Et quidem comparatione mali, bonum vel per ignem salvari, sed indubitanter longè melius, sola purgatione metus consummari.*

Aliquando fit terræmotus de Cœlo ad hominum medelam.

Apoc.15. n.2. Et vidi tanquam mare vitreum, mistum igne, & eos, qui viceruntbestiam, & imaginem ejus, & numerum nominis ejus, stantes super mare vitreum habentes citharas Dei.

VERSIONES.

Primas.	Et vidi mare vitreum igni permistum, & super stantes vidi eos, qui de bestia, & imagine ejus victoriam ferrent.
Ticonius.	Vidi sicut mare vitreum.
Syriacus.	Et eos, qui victoriam reportarunt ab illo animali dentis, & ab imagine ejus, & à numero.
Arabicus.	Stantes prope mare vitreum.
Arias.	Vincentes ex bestia, & ex imagine ejus.
Aret. Oecumen.	Et de imagine ipsius, & de charactere ipsius.

EXPOSITIO.

Vidi tanquam mare. Cùm noster Joannes antea 22
immediatè dixisset, se vidisse septem Angelos habentes plagas novissimas, hoc mare de quo hic agit ad has plagas spectat, & sub illis plagis est. Hoc ergo mare vitreum, vel est multitudo iniquorum, ut exponunt Ribeira, & Gornel. vel, ut est mihi probabilius, est illud præsens sæculum Antichristi; & rectè quidem, quia mundiale tempus fluit tanquam unda maris. Et hoc mare dicitur *vitreum*, tum hominum respectu, quia omnia illorum sunt fragilia, tum etiam respectu Dei, cujus oculis pervium, ac patens est, totumque à longè jam cognitum, ac si esset ad instar vitri pellucidum. *Mistum igne.* Respectu iniquorum,

Probabilior sententia.

10.

totum illud sæculum deflagrabit igne luxuriæ, ac vitiorum, cui respondebit ignis æternus, respectu verò sanctorum igne charitatis in persecutionibus, ac laboribus, cui respondebit gaudium cœleste in charitate perpetua.

33 *Et eos, qui vicerunt bestiam.* Vidi illos stantes, qui se passi non sunt à bestia vinci, ut illam colerent, aut in fidem ejus nomen suumederent. *Et imaginem ejus*; quia scilicet noluerunt adorare imaginem Antichristi. *Et numerum nominis ejus*; quia scilicet noluerunt insigniri charactère nominis ejus. *Super Mare vitreum.* Ribeira, Menochius sic explicant, ut idem sit super, ac juxta. Etsi aliquando supra mare idem valeat, ac juxta, hoc est in littore, tamen hìc germanè accipiendum est supra mare, nam hoc est magnum mysterium, quod Dei electi, in tanta temporum contradictione, in tanta Mundi colluvie, ac ruina, in tanta persecutionis acerbitate, sint his omnibus superiores, quietè & securè consistentes, tanquam super solidum vitrum, & placidè, ac jucundè tenentes, ac pulsantes citharas Dei. *Citharas Dei*, quia non sibi, sed Deo dicunt suæ victoriæ laudem, & inde dicuntur citharæ Dei.

QUÆSTIO IV.

Quare apud Salomonem legitur Mare æneum, nunc apud Joannem Mare vitreum in quo pœnitentia adumbratur.

24 POstquam noster Joannes superiori versu scribit, quod vidit septem Angelos tenentes septem plagas novissimas, statim subdit quòd viderit super mare vitreum sanctos, qui Antichristum non adoraverunt, gloriosè suam victoriam Deo canentes; cur immediatè post enumeratas plagas impiis infligendas, statim justorum mentionem fecit, qui in talibus plagis non sunt participes, & de iniquis gloriosam victoriam retulerunt? cur talis est ordo, & dispositio? Est alta, & divina ordinatio, quòd qui cum aliis in delicto non communicat, nec etiam in supplicio. Rich. Victor. *De plagis malorum præmittit, pauca de justitia bonorum, ut patenter ostendat, quòd sicut boni à pravitate malorum sunt liberi, ita etiam à plagis eorum sunt liberi.*

Qui ab aliorum Peccatis est liber, etiam & à supplicijs.

25 Præsens quæstio est, quòd de Salomone inter cætera templi opera dicitur: *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum à labio usque ad labium*, 3.Reg.7.n.23. fusile, id est, fusum ex ære, ut communiter dicunt interpretes, & tamen nunc apud nostrum Joannem valde diversum mare invenimus, non æneum, sed vitreum mistum igne. Joachimus existimat in mari æneo intelligi vitam sacerdotalem, in mari vitreo, monasticam; sed cur potiùs, vita sacerdotalis mari æneo, quàm vitreo, & vita monastica, potiùs vitreo, quàm æneo significatur? Mare æneum sonorum est, mare autem vitreum, non ita, sed solùm pellucidum. Quia sacerdotis vita debet sonare prædicatione, monastica verò resplendescere contemplatione; sic ait citat. Joachim. *Ideo in mari æneo adumbrari vitam sacerdotalem, quia debet esse prædicatione sonora, in vitreo conversationem monasticam, quia vita eorum debet esse contemplatione perspicua.*

Vita Monachorum sit contemplatione manifesta.

26 Antequam deveniamus ad particulare hujus maris significatum, quod est de pœnitentia, adverte, quod sæpè per mare significatur pœnitentia, juxta illud Thren.2. nu.13. *Magna est enim velut mare contritio tua*; secundùm radicem hebraicam, id est, dolor, afflictio, undè rectè dixit D.Ambros.lib.ad Virg.lapsam: *Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Pro grandi culpa, in tanta copia fluant lachrymæ, ut maris repræsentationem exprimant. Tempore passionis negavit Petrus, & cùm post suam resurrectionem, Christus stans in litore suis discipulis appareret, qui sine fructu in navi erant piscantes, tunc divini magistri monitu ad dexteram navigii retia mittunt, & magnam piscium multitudinem capiunt; quo miraculo Petrus illuminatus, ut ad agnitum magistrum citiùs perveniret, *tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare*, Jo.21.n.7. & cur non magis expectavit navis volatum, ut iret ad Jesum? cur maluit se maris fluctibus committere? Pulchrè, ait Div. Chrysol. serm.78. *Misit se in mare, ut mare diluaret, quod negatio taliter sordidaverat*; agnovit se Petrus negationis crimine infectum, totum se inde curabat efficere lachrymarum mare, ut inde lotus Jesu approximaret: Magnæ pœnitentiæ se peccator committat, ut ad salutem perveniat.

Pro delictis peccatis magis pœnitentia requiritur.

Secundò ad quæstionem. Mare æneum fecit Salomon in Templo, ut modò dixi in limine quæstionis, per quod, ut vult Ribeira lib.2. de Templo c.17. denotabatur Sacramentum pœnitentiæ, quæ ob sui gravedinem cum mari æneo comparatur; dicebat enim David de peccatis per pœnitentiam delendis, Psal.37.n.5. *Sicut onus grave, gravatæ sunt super me*; ut rectè ponderat M. Bacza to.5. de Christi figurat. lib.9. c.10. §.34. at mare æneum templi, in Apocalypsi in mare vitreum versum est; mare nempe grave in mare leve: gravedinem autem maris ænei illud ostendebat, quod humeros duodecim boum premebat; ait text. *Stabat supra duodecim boves*, 3.Reg.7.nu.9. at qui supra mare vitreum extabant, adeo leves ostendebantur, ut quietè, & securè supra illud consisterent; ait text. *Qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, vidi stantes super mare vitreum.* Et quando tanta gravitas erat in mari æneo, ut sub illa duodecim juvencorum humeri fatigarentur, undè hæc mutata est in tantam levitatem, ut jam non mare æneum, sed vitreum sit, ut supra illud victores videantur stare? quanta gravitas, ubi gemitur sub mari, quanta levitas, ubi statur supra mare! Et undè hæc levitas in mari, nisi quia quod æneum erat, jam vitreum apparet? quia nimirum peccata, etiam cum pœnitentia, quæ in conscientia tanquam in vase æneo erant occultata, & abscondita, jam confessione sacramentali, tanquam vitrea, perspicua, & pellucida facta sunt, & inde ænea peccatorum gravitas ablata est. Rupertus lib.9. in Apocalyps. *Idcirco*, ait, *mare vitreum dictum esse intelligitur, ut cognoscas, quia omnes, qui accedunt, debent esse vitrei, id est, simplices per veritatem puræ confessionis.* 27

Peccata abscondita gravant, in confessione manifestata levantur.

Confirmatur: Postquam peccarunt primi parentes, *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*; & cùm se sub latebris abscondissent, clamat Dominus: *Adam, ubies?* Gen.3. nu.9. non quia ignoret locum, cui omnia erant in promptu, sed ut hominem fortè jam pœnitentem sub asperitate foliorum ficuum, ut suspicatur D.Irenæus, & tamen sub latibulo absconditum, ad pellucidam, ac perspicuam confessionem alliceret, & inde peccatum ejus maximè levaretur; pro quo audiendus est Tertull.lib.2. in Marc. *Interrogat Deus*, ait, *quasi incertus, ut hinc liberi arbitrii probans hominem in causa negationis, aut confessionis, daret ei locum sponte confitendi delictum, & hoc nomine relevandi.* Cum dabatur locus confitendi, dabatur & locus levandi, ac relevandi delictum. 28

Non abscondas sed manifesta, ut inde leventur.

Tertiò illud Salomonis mare æneum erat, quod ob sui densitatem tenebras, & obscuritatem generat, hoc verò mare vitreum, & pellucidum, ac transparens, & quod inde ex natura vitri habet visum acuere, ut promptiùs res videantur, quomodo unum mare tantum discrepat ab alio? Quia illud mare æneum ob sui duritiem significat animam peccatricem in suis peccatis obduratam, ut multis placet apud Cornel. cit. lib.3. Reg. vers.33. Ex quo facilè differentia deprehenditur; quia peccata in anima abscondita tenebras diffundunt, ne cœlestia videantur, at verò si peccata in confessione tanquam pellucido vitro manifestantur, omninò tenebræ dissipantur, mens acuitur, ac maximè perspicax fit, ut divina penetrentur, ac agnoscantur, undè Salomon ait juxta Septuaginta: *Novissimè ego egi pœnitentiam, & respexi, ut eligerem disciplinam*, Proverb.24. n.32. primo ponit pœnitentiam, deinde addit: *Respexit.* De pœnitentiæ fructu venit, quod quis videat divina. 29

Peccata occultata in anima dant tenebras, in confessione aperta salutem.

De Prodigo illo substantiæ suæ dissipatore in regione tam longinqua, ait D.Luc.15.17. *In se autem reversus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo*; undè juvenis ille, vitiis, ac voluptatibus totus deditus post totam substantiam consumptam, adhuc habet oculos, quibus 30

Lachrymæ pœnitentiæ acuunt oculos ad divina dirigenda.

mercenarios, ac Patris domum videat? quibus oculis, o bone adolescens domum Patris, ac mercenarios illos vides? hoc ostendunt text. verba: *Ipse autem reversus*; resipiscens nempe, ac dolens, multisque lachrymis lugens, oculos acquisivit, quibus ea videret; de animo per pœnitentiam dolente venit, quod oculi acuerentur, ut divina, ac salutis viam agnoscerent. Beda ibi: *Undè hoc scire poterat*, ait, *in quo tanta erat oblivio Dei sicut in omnibus idololatris fuit, nisi quia ista recogitatio jam resipiscentis est?* Illa resipiscentia, pœnitentiæque luctus fuerunt in causa, quòd juvenis videret divina, salutisque suæ viam agnoscere t, quæ minimè videret, nisi pœnitentia præcederet.

31 De muliere peccatrice sic scribit D. Lucas 7.nu.37. *Ut cognovit, quòd accubuisset Jesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retrosecus pedes ejus, lachrymis cœpit rigare pedes ejus*, &c. videns autem Pharisæus, qui invitaverat eum, ait intra se dicens: *Hic si esset Propheta*, &c. Cum hoc Pharisæo confer modò hanc mulierem peccatricem; uterque coram Jesu astat, peccatrix ipsum cognoscit totius suæ salutis auctorem, ac remedium, quam ab illo tantis pietatis officiis sollicitat, Pharisæus autem Jesum non agnoscit, imo & in dubium vocat, an sit Propheta; ex quonam principio provenit, quòd mulier peccatrix sit tam perspicax erga Jesum, circa quem Pharisæus tam caliginosè cœcutit? Causam nobis aperuit Jesus Pharisæo dicens: *Aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigavit pedes meos*; lachrymæ pœnitentiæ sic mundarunt oculos peccatricis, ut eam oculatissimam erga Jesum redderent; & quia tali aqua Pharisæus caruit: *Aquam pedibus meis non dedisti*; sic obtenebratus cæcutit, ut præsentem Christum, nec videat, nec agnoscat. D. Ambros. epist. 89. *Ergo*, ait, *Simon Pharisæus, qui aquam non habebat, non habebat pœnitentiæ lachrymas, nam si habuisset, lavisset oculos suos, ut Christum videret, quem adhuc, cùm simul accumberet, non videbat, nam si vidisset, non utique de ejus potestate dubitasset.* Defectus lachrymarum pœnitentiæ. Pharisæo intulit cœcitatem, quarum abundantia si esset repletus oculatissimus evaderet.

Defectus lachrymarum obtenebrat, earumque copia oculatissimum facit.

QUÆSTIO V.

Quare per hoc mare vitreum mistum igne, Sacramentum Baptismi significatur.

32 IMmediatè antea superiori versu fecit noster Joannes mentionem de septem plagis novissimis, per quas Alensis intelligit omnes pœnas, quas patiuntur in Inferno damnati; ex multorum autem sententia, ut referam statim, per hoc mare vitreum, de quo hìc agitur, intelligitur Sacramentum baptismatis, & ideo post visionem septem plagarum novissimarum, statim obiicitur Joanni visio maris vitrei, ut denotetur salutare remedium ad evadenda supplicia reprobis debita, quod sit susceptio Sacramenti Baptismalis. Alexander Alensis: *Hic ostenditur*, ait, *evadendi supplicium remedium: remedium autem primarium contra plagas prædictas, sive contra supplicium æternum, est baptismus.* Cur post plagas statim de hoc mari vitreo agatur aliam rationem jam dedi superiori q. in limine.

Baptismus efficax remedium evadendi pœnas æternas.

33 Hoc mare vitreum significare Baptismatis Sacramentum, docent Primas. Richard. Ruper. Ansbert. Alexand Alensis, Albert. Magn. D. Thom. Gagnæus, Estius, & alii, nam per mare frequenter in sacra Scriptura Baptismi Sacramentum designatur, teste Apostolo 1.Cor. 10.n.1. *Omnes baptizati sunt in nube, & mari*; ad quod hic alluditur. Et præclarè citata Pauli verba expendit D. Athanas. quæst. 134. *Hoc*, ait, *Baptismi signum erat, quod per mare rubrum pertransivit Israeliticus populus; nam sicut illi transmissi effugerunt inimicorum insidias, & in deserto nutriebantur manna, sic etiam baptizati liberantur à spirituali Pharaone, & ab Ægyptiis dæmonibus, sustentaturque cœlesti pane.* Hoc autem mare visum à Joanne, erat vitreum quia facit christianos puros, & sinceros instar vitri: *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*, ad Eph. 5. n. 26. Et hoc mare est mistum igne, quia tribuit Spiritum Sanctum, ut de Christo D. dicit Joannes: *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*, Matth. 3. n. 11.

Per baptismum purificamur, ac mundamur

Cur autem hoc mari vitreo misto igne denotetur Baptismus, jam patet ex dictis; & quia virtute Baptismi tria designantur contraria peccato originali, quæ virtute Baptismi habentur; mundities animæ ab omni culpa, quod dicit mare, lux, & claritas contra omne peccatum, ut denotat vitreum, & inflammatio, ac charitas Spiritus Sancti, ut indicat mistum igne; ita D. Thom. in præsenti: *Baptismum*, ait, *qui est meritorum origo, describit Joannes, quantum ad triplicem effectum, contra tria, quæ facit peccatum originale, quod facit in animo horrendam fœditatem, internam obscuritatem, ineptam tepiditatem; de contrario autem Baptismus introducit sinceritatem, ideo dicitur mare, id est, vas lavatorium. Item Baptismus infundit claritatem contra culpæ caliginem, undè dicitur vitreum. Vitrum perspicuum est, & clarum, & Solis claritas ultra se transcendit; per quod signatur, quod Baptismus animam facit claram, per fidem, & gratiam; item accendit charitatem contra teporem, undè sequitur mistum igne, propter Spiritus Sancti inflammationem*; quæ tria altiùs à nobis sunt examinanda. 34

Baptismus tria confert peccato originali contraria.

Prima sinceritas, ac mundities animæ est, quam Baptismus nobis confert. Sanctissimus Parens Elias 4.Reg.2.n.8. pallio suo tetigit aquas Jordanis, *& divisæ sunt in utramque partem*; illæ enim aquæ, quæ à parte superiori veniebant, non progrediuntur, sed paulatim reflexo amne, in primum fontem sese extendentes remeant; quid hoc tam mirabili facto denotabatur? D. Ambros. serm. 4. in Epiphan. *Sicut*, ait, *sub Elia fluctus primordia fontium, de quibus exierant, petiverunt, ita & sub Christo D. homines ad originis suæ infantiam, de qua fuerant exorti, sunt reversi.* Sicut sub pallio Eliæ, aquæ ad primordia sua renatarunt, sic etiam sub Jesu in ejus Baptismo, homines, qui delabebantur sicut aquæ, primævi status gratias resumunt. 35

Ex baptismo primæ gratiam amissam recuperat homo.

Et confirmatur ex filio prodigo ad Patrem revertenti; tunc servis suis ait Pater: *Citò proferte stolam primam, & induite illum*, Luc. 15. nu. 22. ex quonam thesauro stola prima proferenda est, quando ille omnia bona ex Patre accepta dissipaverat? in quo mansit illa stola prima, ut inde possit educi? D. Astetius in Catena Græca: *Prima stola*, ait, *est gratia Dei, quam in Baptismo singuli accipiunt*; itaque de Baptismi thesauris prima stola educitur, qua baptizati Dei gratia induuntur, eamque gratiam in superiori statu Paradisi habitam, hoc Baptismo recuperat homo. 36

Ex baptismo venit gratia in Paradiso amissa.

Secundò lux, & claritas à Baptismo. Ait Paulus 2. Corinth. 3. n. 18. *Nos verò omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem*; & quando, & quo medio sic speculamur gloriam Domini, ut transferamur à claritate in claritatem? Ingressi nempe Baptismi aquas; de illarum natura sumus maximè divinorum speculatores, nam sicut aqua radiis Solis, ac lucis acceptis, maximè illuminatur, ut videatur ipsa aqua in Solem, & lucem, quem repræsentat, conversa, sic & nos à Divino Spiritu visitati in Baptismo, ejus radios concipimus, in imaginem Domini transformamur à claritate in claritatem, ab una divina cognitione in aliam. Ait D. Chrysost. hom. 7. ad citat. Corinth. locum: *Sed quid est gloriam Domini speculantes, secundùm eandem imaginem transformamur? Simul enim ut baptizamur, etiam ultra Solem refulget anima spiritu purgata, ac non solùm intuemur in gloriam Dei, verùm etiam inde recipimus splendorem quendam, non aliter, quàm si argentum mundum ad Solis radios expositum emittat & ipsum radios ex Solis fulgore. Similiter & anima argento facta lucidior accipit radium à gloria Spiritus, & hunc vicissim ex se remittit.* 37

Per baptismum omnia fiunt lucida & clara.

Tertiò inflammatio, & charitas Spiritus S. Scribit D. Matth. 3. num. 16. *Baptizatus autem Jesus exivit de aqua; & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam.* Jesu ab aquæ lavacro ascendenti statim advolat Divin. Spiritus, ut fiat 38

mani-

manifestum, quàm juncta aquis veniat nobis Spiritus Sancti unctio, ab ipso enim spirituali lavacro, oleum Spiritus Sancti in te descendit, quo totus ejus divinis donis perfundaris. Optatus Milevitan. lib. 4. adversùs Parmenianum: *Venturum oleum aquæ*, ait, *debuit antecellere ad mysteria initianda, & ordinanda, & implenda Baptismatis. Apertum est Cœlum Deo Patre agente; spirituale oleum descendit in imagine columbæ, & insedit capiti ejus, & fudit eum.*

Baptismus replet donis Spiritus Sancti.

39 Quartò hoc Baptisi Sacramentum dicitur mare vitreum, quia omnes, qui ascendunt ad illud, debent esse vitrei, ideſt, simplices per veritatem veræ confessionis, habetur enim scriptum Sapient. 1. nu. 5. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Dicitur autem mistum igne, quia in Baptismo visibilis aqua nihil ageret, nisi invisibili Spiritus Sancti virtute solidaretur, ac corroboraretur, ut firma & stabilis persisteret. Ansbert. *Bene*, ait, *ne aqua fluida sit ignis ardore, vitro comparatur, ut videlicet Spiritus Sancti facibus inflammata, Christique passionibus, tanquam auro probata, & puritate resplendeat, & omni doctrinæ vento non fluctuet.* Cùm ergo tanta virtute sint corroborati, ac firmati, qui hoc mare Baptismi transeunt, inde dicuntur vicisse bestiam, & imaginem ejus, ac etiam numerum nominis ejus, ut ponderat Rupert. Abb. *Dum credunt*, ait, *& baptizantur, vicerunt bestiam, & imaginem ejus, ideſt: Diabolum, & omnem impium hominem imitatorem ejus: denique cuncta crimina, universa peccata tam originalia, quàm actualia quæcunque sive suasione, sive exemplo ingessit illis bestia ista, & illa imago ejus, in mari isto obruuntur.*

Baptismo absorbetur peccata, & victoria obtinetur.

40 Valde nota est historia Israelitarum, cum eos insequerentur exercitus Ægyptiorum, ipsi autem ingressi mare rubrum pergebant tutissimi; dicitur Exod. 14. nu. 29. *Filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris; aquæ eis erant quasi pro muro, à dextris, & à sinistris. Liberavitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super littus.* Itaque aquæ erant Israeli pro muro adversùs hostes; & cur in solis aquis voluit Deus murum, & tutamen ponere, qui suos protegeret, & hostes abigeret? Repræsentabatur ibi virtus christiani Baptismi, quo maximè protegimur adversùs inimicorum insultus, qui enim sacri fontis undis abluuntur, eos sibi acquirunt muros, qui diabolicas cohortes repellant, & sibi appropinquare non sinant. D. Cyrill. Alexandrin. lib. 6. in Joan. cap. 15. *Populus Israel*, ait, *Duce Moyse mare rubrum sicco pede pertransiit, submersis ibidem Ægyptiis; quod per Baptismi susceptionem, totam diabolicæ pravitatis cohortem à nobis dimoveri, & expelli insinuat.*

Per Baptismū protegimur contra inimicos.

41 Timebat vehementer Achaz duos validissimos Syriorum exercitus contra se venientes, quando illis minimè resistere poterat; quid tum Isai. 7. n. 3. *Egredere in occursum Achaz, tu, & qui relictus est Jasub filius tuus ad extremum aqueductus piscinæ superioris in via agri fullonis, & dices ad eum: Vide ut sileas, noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigantium*; in quo duo maximè notanda sunt, & primò: quomodo jubetur, ut tam quietus, & securus sit, quasi hostes non videat, sed duos titiones plenos fumo? Deinde, & secundò: quomodo duos & validissimos hostium exercitus, sic deprimit, quasi duo essent titiones fumigantes, statim exsufflandi, ac extinguendi de Mundo? sed cur tanta requies, ac securitas datur Achazo, tantaque infirmitas, ac tenuitas validissimis hostibus assignatur? Propheta rem nobis aperit dicens: *Egredere in occursum ad extremum aqueductus piscinæ superioris*; quod valdè notanter apponitur, quia illi fontes in piscina erant figurativi Baptismi, & inde fontes extabant victoriarum, ac omnis securitatis ab omni hostili impetu, ubi enim sacri fons affulget Baptismi, non mirum est, quòd validissimi exercitus dispareant, & reputentur hostilia cornua, quasi abjectissimi titiones fumigantes. Noster D. Cyrill. Alexandr. lib. 1. in Isai. orat. 4. *Typum Dei*, ait, *repræsentans Propheta percommodè affert politicationem auxilii in piscina superioris viæ agri fullonis. Figura est piscina salutaris fontis sacri Baptismi, quæ nos etiam in viam deducit superiorem, & fullonis, qui sordes nostras detergit, & ab inquinamentis liberat. Firma est ergo hæc pollicitatio.*

A baptismi aquis superiores sumus hostibus.

QUÆSTIO VI.

Quare relatis variis opinionibus secundùm veriorem sententiam, in hoc mari vitreo, misto igne denotatur Mundus, vel præsens sæculum.

42 CIrca hoc mare vitreum mistum igne, variè varii sentiunt auctores. Et primo, Aureolus tenet hìc notari pietatem, & zelum Caroli Magni, indeque mare vitreum esse populum Gallicanum, qui transiens per aquas maris, ideſt, Baptismi, per quod transierunt Galli, adeo firmiter Christo adhærentes, ut dicti sint christianissimi, ignem verò illorum fervorem fidei ostendere, hi bestias vicerunt, ideſt Saxones, Sarracenos, Hunnos; & cantant canticum agni, quia sic volente, & jubente Carolo, acceperunt Canticum, & Officium Ecclesiæ Rom. Quæ quidem adaptatio ingeniosa est, non literalis.

43 Secundò alii dixerunt hoc mare vitreum esse pœnitentiam, & alii, & multi Baptismum, ut supra retuli qu. 4. & 5. Tertio alii, ut Sà, Tyrinus, la Haye esse Cœlum empyreum pellucidum, quod vocatur mare, propter sui amplitudinem. Vitreum mare dicitur mistum igne, ideſt, coruscum splendore divinæ præsentiæ, & fervens ardore charitatis sanctorum. Quartò, & ad proximè dicta videtur spectare, Aret. s, & Andreas tenent per mare vitreum significari multitudinem beatorum, & ideo dicitur mare vitreum, non solùm propter eorum puritatem, sed etiam propter ipsorum splendorem. Andreas Cæsar. *Mare vitreum*, ait, *eorum multitudinem, qui salvi fiunt, futureque quietis puritatem, tunc ipsorum quoque sanctorum splendorem significare arbitramur, hi enim virtutum radiis ornati instar Solis fulgebunt.*

44 Quamvis quelibet ex his sententiis inserviat ad mores, tamen à litera mihi videtur aliena, ac proinde ex nullo principio melius possumus cognoscere, quid hoc mare vitreum sit, quàm ex his, quæ habemus in principio capitis, quod est veluti thema dicendorum. In exordio proponit Joannes septem Angelos à se visos, *habentes septem plagas novissimas*; ergo hoc mare, de quo est sermo modò debet spectare ad istas plagas, ac proinde non potest esse zelus, & pietas Caroli Magni, quia non plagis, sed beneficiis sublimatus est à Deo. Deinde non est pœnitentia, nec baptismus, ex eodem fundamento, quia pœnitentia, & baptismus ab instituta Ecclesia, semper in ea fuerunt. Nec potest esse Cœlum empyreum, nec multitudo beatorum, quia hæc quiete secura sunt, libera ab omni plagarum sævitia.

Impugnatur superiores sententiæ.

45 Quintò Ribeira, Cornelius, Estius, Menochius, & alii docent mare vitreum denotare multitudinem hominum, qui Antichristum sequentur. Mare quoque scriptum est Isai. 57. num. 20. *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundans fluctus ejus in conculcationem, & lutum. Non est pax impiis dicit Dominus Deus.* Vitreum, quia quamvis impii scelera sua contegant, etiam eorum cogitationes Deo manifestissimæ sunt, ac si lucido quidem vitro tantùm tegerentur. Hoc mare mistum igne vidit, quoniam & igne qui judicem Christum præcedet, flagrabunt, & priùs æstu, atque igne affligentur. Hæc sententia probabilis est, illam tamen incommodat, quòd statio sanctorum pro illo tempore non stabit super homines mundanos illius temporis, ac super afflictas Antichristi, sed potiùs eo tempore impii futuri sunt super sanctos, undè sancti de illis possunt dicere: *Imposuisti homines super capita nostra.*

Impiorum scelera, etiam cogitationes eorum mala, Deo manifestissimæ.

46 Sextò, ut etiam tenent Cornelius, & Ferrarius, & mihi est verisimilius, hoc mare significat sæculum, seu Mundum illius temporis secundùm suum regimen politicum, & tempestuosissimum, innumeris & variis agitatum procellis, commotionibus, ac altercationibus; & vitreum dicitur, quia omnis illa tempestas iniquorum cito frangetur, peribit, & corruet,

Verior sententia.

corruet, quod erit respectu iniquorum; at verò consideratione habita ad electos, dicitur vitreum, quia electi sic custodientur à Deo ab omni vento commotionis, tanquam inclusi in quodam vitreo vase, & quia tam firmiter super illud mare stabunt sancti, ac si esset congelatum in vitrum. Respectu verò Dei, vitreum dicitur, cujus oculis sic totum est pervium, ac patens, ac si esset adinstar vitri præclarum. Dicitur igne mistum, quia in tali sæculo multoties ignis descendet de Cœlo; sic Elias, & Enoch ignem deducent de Cœlo, supra cap. 11. nu. 5. Antichristus dæmonis arte ignem evocabit de Cœlo cap. 13. num. 13. Mistum erit igne respectu sanctorum, igne nempe persecutionum, laborum, ac passionum, quibus omnibus sancti erunt superiores, & ideo super mare stare dicuntur. Erit etiam mistum igne, respectu malorum, igne scilicet, luxuriæ, concupiscentiæ, iræ, furoris, ac rixarum, & aliorum vitiorum, ut dixi expositione.

47 Diversa ergo consideratione dicitur mare vitreum cap. 4. num. 6. ac in præsenti, nam illic sumitur pro Cœlo empyreo, ut rerum circumstantiæ postulant, in quo est sedes Dei, & ideo dicitur ob sui splendorem simile chrystallo; hìc verò mare vitreum sub illis septem plagis denotat illud sæculum, ut rerum circumstantiæ indicant, & ideo dicitur mistum igne, nempe charitatis sanctorum, ac persecutionis malorum, in cujus summis undis igne ebullientibus, atque ardentibus calamitatum, ac malorum, sancti quietè, & placidè consistent tanquam super mare quietum, & congelatum, & inde rectè à nostro Joanne dicitur: *Signum magnum, & mirabile*; arguens summam Dei potentiam, summam sapientiam, summamque charitatem erga suos, qui tam placidè à tot malis servat.

Sancti in laboribus, ac erumnis placidè cōsistunt.

48 Rectè ex plurimorum sententia modò diximus, mari denotari hunc Mundum, seu præsens sæculum; & meritò, nam in mari sunt intumescentes fluctus, tempestates, furentes venti, Charybdes, Syrenæ, Piratæ, & multa alia pericula, ut dicitur Eccles. 43. nu. 26. *Qui navigant mare, narrent pericula ejus, & audientes auribus nostris admirabimur;* sic & totus hic Mundus multis periculis abundat, undè maximè timendus, ut monet Clemens in Catena Græca super cap. 1. Job. *Quis absque timore istius vitæ pelagus navigeat, tot calamitatum fluctibus agitatum, tot periculorum æstibus plenum, quod jam terribilis infestat Pirata.*

Mundus periculis plenus.

49 Et hoc mare erat vitreum, seu, ut habet Arabicus, mare vitri, quia Mundus, cujus symbolum est, totus vitreus ac fragilis est; vitrea potentia ut in Antiocho, vitrea vita, ut in Alexandro, vitrea magnificentia, ac rerum opulentia, ut in Nabuchodonosore degenerante in bestia, vitrea gratia principum, ut in Amano, vitrea fortitudo ut in Sampsone tonsione capillorum, vitrea pulchritudo ut in Absalon, vitrea fama plurimorum, qui se dicebant ex semine Deorum natos, ut Cæsar, & alii; ex quo cecinit Poeta Lyr. lib. 2. ser. Satyr. 1.

Et furiosus erit, quem vitrea fama....

50 Et etiam hoc Mundi, seu hujus sæculi mare dicitur à nostro Joanne vitreum: & cur non potiùs cum cœnosa palude, turbulentove stagno confertur? Quia ut jam diximus, quamvis iniqui, ac impii sua scelera contegant, eorum cogitationes apertæ, ac manifestissimæ sunt Deo, ac si lucido quodam vitro tantùm tegerentur. Canit regius Vates Psal. 138. nu. 12. *Tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; hoc est, peccata secreta, & in tenebris commissa, non absconduntur, quia non minus tibi innotescent, quæ nocturno tempore, quàm quæ meridiano lumine committuntur, undè illa verba: *Tenebræ non obscurabuntur à te*; leguntur à Div. Hieronym. *Nec tenebræ habent tenebras apud te*; ac si dicat: Cum omnia, Domine, tibi sint manifesta, tenebræ non faciunt tibi tenebras. Et ultima illa verba: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus*; D. Hieronym. sic legit: *Similes sunt tibi tenebræ, & lux.* Ut explicat D. Chrysost. apud Deum tenebræ sunt similes luci, & lux tenebris, proindeque apud Deum sic sunt omnia manifesta, ut idem valeant respectu illius absconditæ tenebræ cordis, ac illius declaratio, ac manifestatio.

Deus perscrutator humanii cordis.

Salomon Ecclesiast. 23. num. 28. ait: *Oculi Domini plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum, & hominum corda intuentes in absconditas partes*; nam Sol Mundi oculus est, ut appellatur à D. Ambros. lib. 4. Hexaemer. cap. 1. & tamen neque utrunque simul hæmispherium, neque intima terræ viscera, neque secreta cordium consilia intuetur, quæ tamen omnia clarissimè divinus intuitus contemplatur, undè eleganter Philo lib. de Victimas offerentibus ait: *Deus est ipsius Solis Sol, illustrans sensibilem intelligibilis*; sicut enim Sol res sublimes conspicit, & conspicuas facit, ita Deus res omnes creatas, & etiam inter ipsas, ipsum Solem, clarissimè videt, & visibiles reddit. 51

Cuncta Sole clariora sunt Deo.

Clamat regius Vates Psalm. 138. num. 15. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.* Monent D. Augustinus, D. Hieronymus, Arnobius, ac omnes Patres, & Interpretes hìc, juxta radicem hebraicam, & græcam, non esse *os oris*, sed *os ossis*, undè D. Augustin. ponit *ossum ossi*; tunc modò meritò dubitabis: Cur maluit ponere os meum, quàm uxorem meam, vel primam mulierem, seu Evam dicere? Sine dubio ut primam mulieris fabricationem meminerit, & inde maximè extolleret supereminentem Dei scientiam non solùm attingentem præsentia, sed etiam futura, & longè distantia. Dum ait: *Non est occultatum os meum à te*; ac si diceret: Non solùm non sunt tibi occultata, quæ prima mulier, seu uxor mea Eva dixit (in persona Adami loquitur) cum jam esset efformata, & existeret, sed etiam ante ejus fabricationem, quando adhuc in costa, seu osse meo informis consistebat, tu optimè noveras, & tibi non erat occultatum verbum ab ipsa proferendum. Accipe pulchram verborum Adami paraphrasim apud D. Isidor. Pelusiot. lib. 1. epist. 330. excogitatam, dum inquit: *Non te fugit uxoris meæ lapsus, quam ex osse meo, cùm me somno gravi oppressisses, occultè condidisti, verùm animorum nostrorum latebras perspectas habes, qui eam occultè procreasti.* Sic Creator occultas nostri cordis latebras lustrat. 52

Non solùm præsentia cordis sunt nota Deo, sed etiam futura.

Quis Creatoris sui oculos fugiet? Prodigus ille filius partem accipit suam, & à Patris præsentia recedens, *profectus est in regionem longinquam*, Luc. 15. num. 13. à patris præsentia corporaliter recedit, sed semper super se oculos patris habuit, ut ejus mortifera crimina, ac delicta videret, & ut ejus cordis contritionem, atque dolorem agnosceret, sicque dixit seniori filio: *Hic frater tuus mortuus fuerat, & revixit.* D. Chrysolog. serm. 2. *Peregre profectus est iste*, ait, *& in regionem longinquam fugit, sed accusatores suos, sed testes suos, divini Patris oculos non refugit. Hoc David clariùs aperit, dicendo* Psalm. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me.* Vidit noster Joannes cap. 5. n. 1. in dextera sedentis, scilicet Christi Domini, *librum scriptum intus, & foris*, in quo libro juxta multorum sententiam, continebantur scripta hominum facta, & opera; intus, quæ erant in interiori secreto mentis, voluntatis, ac memoriæ, foris verò, quæ foris patent, ac videntur, ut rixæ, & furta, ac adulteria, quæ omnia, ut agnita, & cognita, sunt scripta in libro Dei. 53

Non potest homo fugere à Dei intuitu.

QUÆSTIO VII.

Quare hoc mare non solùm erat aquaticum, sed etiam mistum igne.

HOc mare vitreum mistum igne visum à Joanne, erat aquaticum, cùm esset mare vitreum, & mistum igne, de quo multas rationes dedi superioribus quæstionibus 4. & 5. ac 6. uberioris doctrinæ gratia, cur dicatur mistum igne, peculiariter hìc inquirimus. 53

Ad quod respondeo primò: Quis unquam ignem 54

simul

simul mistum aquis vidit? nam si aquæ in multa copia sunt validiores, ignem extinguent, si autem ignis efficacior existit, aquas absumet. Ad mysticum sensum hìc recurrendum, ut omnes fatentur: Graves sunt auctores, qui per hunc ignem Spiritum Sanctum denotari contendant, qui in igne super Apostolos descendit; ecce cur in hoc mari ignis ostenditur, nam qui navigant per mare hujus sæculi, ne aberrent, spectare debent lumen Spiritus Sancti, à quo dirigantur in suis actionibus. Ad hunc modum loquitur D. Anselmus, in Alloq. cœlestibus n. 19. *Veni mundator scelerum*, ait, *navigantium sydus, naufragii portus, veni & miserere mei, apta me tibi.*

Qui Mundi mare navigant, sydus divini Spiritus spectent.

50 Secundò apparet hìc mare vitreum mistum igne, ut videatur tanquam caminus exæstuans, velut nota, ac character salvandorum, ut illi, qui per hoc Mundi mare navigant, igne laborum, ac pressurarum sint probandi, ac examinandi. Andreas Cæsar. *Mare vitreum*, ait, *eorum multitudinem, qui salvi fiunt, futuræque quietis puritatem, tum ipsorum quoque sanctorum significare arbitramur; hi enim virtutum radiis ornati instar Solis lucebunt. Quod autem mare illud ignem admistum perhibetur habere, ad apostolicum illud referri potest: Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit*, 1. Cor. 3. num. 13. quæ verba Apostoli licèt à Concilio Florentino, secundùm literam, ac sensum germanum intelligantur de igne Purgatorii, tamen in sensu morali, ac accommodatitio de igne tribulationum, ac laborum, quos justi patiuntur in hac vita interpretatur D. Augustin. in Psalm. 37. D. Gregor. 4. Dialog. cap. 39. D. Anselm. & alii.

Character justorum passio laborum.

57 Tertio mare significat illud sæculum tempestuosum sub Antichristo: Quomodo sic tranquillum, ac serenum, tanquam vitreum? Erat mistum igne, per quem charitas denotatur; charitas aculeos martyrii suaves, ac mites reddit, sævas tempestates tyrannorum tranquillas, ac mitigatas efficit. D. Ephrem: *O præclarum, & dulce vinculum charitatis*, ait, *sublime, atque mirabile, quod nec scindi queat, neque dissolvi! hanc in sanctis, neque ferrum rupit, nec ignis exolvit. Concidebantur frustatim membra, sed charitas inviolabilis durans, non poterat rumpi; ardebant membra, nec tamen tam forte vinculum solvebatur; submergebantur sanctorum corpora, verùm charitas in ipsis mergi non noverat; vincebantur justorum membra, cæterùm in illis charitas penitus vinci non poterat.*

Charitas Christi procellas martyrii tranquillas facit.

58 Quartò & quando mare illud erat igne mistum, cur audebant in illo stare citharizantes? cur non magis timebant exuri? Si mistum erat igne, erat tamen mare aquaticum plenum aquæ divinæ pietatis, ac clementiæ eos protegentis, ac animantis. Felix, & multum felix, cui non ignis sine aqua venit, sed si est ignis laborum, & est simul aqua consolationis, ac recreantis.

Miseris datur ignis laborum absq; aqua divinæ pietatis.

59 Dicebant illi apud regium Vatem Psal. 65. num. 12. *Transivimus per ignem, & aquam.* Perpende illud: *Transivimus*; mirabile sanè, quod semel intrantes ignem, possent inde transire, & evadere; & quomodo sic potuerunt per medium ignis transire? Equidem de aquæ beneficio, ut enim perituris datur solus ignis, sic datur evasuris ignis simul cum aqua. In fornacem Babylonicam immissi sunt tres pueri hebrei, & inter ipsam ardentissimam fornacem, illæsi, ac securi canentes degebant, & qui juxta fornacem erant ministri inevitabiliter ab igne cremabantur, & consumebantur; & quando isti foris cremabantur, undè illi illæsi remanebant? Sanctis pueris non erat solus ignis, sed simul aquæ ros: *Angelus autem Domini descendit, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem*, Daniel. 3. num. 50. ministris immittebatur ignis sine aqua, quo miserè peribant, & cremabantur, at sanctis erat ignis simul cum rore aquæ, quo felicissimè transibant, laudantes, & benedicentes Deum; quod eleganter ponderat Divus Ambrosius in Psalm. 36. *Alii in igne remanebunt*, ait, *illis torabit ignis, ut hebræis pueris, qui incendio fornacis ardentis objecti sunt, ministros autem impietatis ultor ignis exuret.*

Justis datur ignis cum aqua, non vero iniquis.

Miseris solùm est ignis sine aqua. Diviti epuloni in Inferno solùm erat flamma ignis absque aquæ guttula, Luc. 16. num. 24. Admiratus Jeremias 1. n. 13. clamat: *Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis*; hoc est: Jerosolymam video Babylonicis flammis ardere, ut interpretatur D. Hieronym. Theodoret. Raban. D. Thomas, Dionys. Hugo, & alii. In hoc extrema calamitas Jerosolymæ notabatur, quòd cùm olla soleat aqua plena conspici, in hac verò metaphorica olla, solæ videbantur exundare flammæ igneæ, & inde extrema ruina denunciabatur, cùm solùm esset ignis absque guttula aquæ divinæ clementiæ, ac pietatis. 60

Iniquis flamma ignis sine aqua.

QUÆSTIO VIII.

Quare discipuli Christi in lege gratiæ stant super mare, antiquus verò populus ut illud transiret, ad ejus ingressum dividitur mare, ut per terram siccam pertranseat.

VIdet modò Joannes Christi discipulos stantes super mare vitreum; quo looco Alcazar existimat fieri allusionem ad illud magnum miraculum, quo Deus filius Israelis per medium maris rubri transvexit, Exod. 14. at quomodo hæc concinnant inter se? cum ad Israelitici populi transitum maris undæ, & fluctus diffugerint, ut expeditam, & siccam gradienti populo viam præberent, hìc verò à Joanne maris aquæ divisæ, aut fugientes non inducantur, sed fideles potiùs super ipsas firmis vestigiis stantes, atque gradientes videantur. 61

Difficultas quæstionis.

Respondet citatus Alcazar: Ad novæ legis præstantiam, & spiritualium Israelitarum, sive discipulorum Christi excellentiam, id esse referendum; hi nimirum nudi, expediti, & sine terrenorum sarcina degentes, sive currentes, eleganter per ipsas maris undas tanquam levia corpora gradientes, quin submergantur, à Joanne conspiciuntur, ad eum modum, quo Petrus dicens: *Ecce nos relinquimus omnia*; Matth. 19. num. 27. fidenter per maris aquas earumque superficiem firmiter calcans ad Christum ivit, Matth. 14. num. 29. at vero carnalibus Israelitis, utpote divitiis, & opimis spoliis, quæ ab Ægyptiis retulerant, onustis, Exod. 12. num. 36. maris undas diffindi, ut in ulteriora littora evaderent, necesse fuit, terrenorum enim sarcina gravati per aquarum summitatem, minimè poterant urgere vestigia. Hoc priùs consideravit Magn. Bernard. in Declamation. *Longè aliud est*, ait, *in luto aquarum multarum divisi fundo maris iter carpere, terrena licitè possidendo, aliud ipsam quoque novis gressibus undam calcare omnia relinquendo; sed tempori gratiæ prærogativa hæc debebatur. Petro novum iter, & novi typus itineris servabatur.* 62

Christi discipuli relinquentes omnia, ambulant super mare, non sic Israelitæ illis onusti.

Profundè perpende latum discrimen inter antiquos legis scriptæ Patres, & Christi Apostolos, ac discipulos; illis antiquis tantùm mandatur ambulare, his verò Christi assectis currere; quod facilè patebit Scripturas consideranti. Abrahamo suggerebat Deus: *Ambula coram me*, Genes. 17. num. 1. eadem locutione Salomoni ait 3. Reg. 3. num. 14. *Si ambulaveris in viis meis, sicut ambulavit Pater tuus*; universoque populo similiter ait Deuter. 8. num. 6. *Ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis ejus*; & cap. 20. num. 12. *Et nunc Israel audi, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus*; & Zachar. 3. num. 7. *Si in viis meis ambulaveris*; & passim aliis multis in locis veteris testamenti; at de Christi discipulis jam olim prophetizatum erat in Cantic. cap. 1. num. 3. *Trahe me post te, curremus*, &c. & de se Paulus testatur 1. Corinth. 9. num. 26. *Ego igitur sic curro*; & idem generali oratione affirmat. *Qui in stadio currunt*; & statim: *Sic currite ut comprehendatis*, ibidem n. 24. & iterum: *Per patientiam curramus*, Hebr. 12. num. 1. cur ergo antiquis Patribus tantùm dabatur ambulare, novæ vero legis discipulis non ambulare, 63

sed

Justi exrenta bonis temporalibus currunt; impii impediti ambulant.

sed currere mandatur? Illi Patres antiqui terrenis bonis, & facultatibus abundabant, atque adeo gravi sarcina pressi communi passu potiùs ambulare, quàm grandioribus vestigiis expeditè currere valebant. A Christi autem discipulis, qui omnia reliquerant, & nudi nudum sequebantur, non solùm ambulare, sed velocissimè post eum currere exigendum fuit. Quod acutè, & ingeniosè notavit Galfridus in allegoriis Tilmani ad illa Christi verba: *Si exaltatus fuero à terra*, Joan. 12. num. 32. sic ait ille: *Ambulabat communi gressu, sed invitatus ad cursum, tristitia præoccupatus est, qui mandata quidem servaverat à juventute sua, sed consilium perfectionis de relinquendis omnibus non admisit; currebant alacres, & expediti posito gibbo Cameli, qui venditis omnibus pretia ante pedes Apostolorum in commune distribuenda ponebant.* Expende verba: *Ambulabat communi gressu, qui consilium de relinquendis omnibus non admisit. Currebant alacres, qui pretia ante pedes Apostolorum ponebant.*

64 Compone modò Principem Absalon cum Magdalena peccatrice; uterque elegantibus capillis abundat: De Absalon dicitur 2. Reg. 14. num. 24. *Quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum Cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico*; de Magdalena scribit D. Lucas 7. num. 38. *Lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat*; quo pietatis officio levamen suorum peccatorum obtinuit, ut de ea ait Divus Isidorus Pelusiota alibi à me citatus; & cur capilli Absalon sunt in gravamen, ac onus, Magdalenæ verò in magnum levamen? Absaloni inserviebant crines ad Mundi vanitatem, ac ad lucrum pecuniæ, quod ex eorum pretio comparabat, Magdalena verò capillos suos ad pedes Jesu demittens ad officia pietatis consecrabat, & quæ mundanæ vanitati, ac lucro applicantur in grande pondus, & onus degenerant, à quo maximè pietatis officia levant, & expediunt. Accipe id à D. Ambros. lib. 10. epist. 89. qui postquam differuit de Absalone, sermonem vertit ad capillos hujus sanctæ peccatricis, ubi docet, quòd divitiæ sunt onus, nisi ex manibus pauperum levamen accipiant: *Capilli*, ait, *in superfluis corporis æstimantur; si non ungantur oleo ingravant, oneri sunt, si his uti nescias, si non aspergas his Christi odorem; si verò alas pauperem, sanes eorum vulnera, illuviemque detergas, terssisti utique pedes Christi.*

Quæ damnum Mundo gravant, quæ Deo levant.

65 D. Paulus 1. ad Timoth. 6. num. 9. ait: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Observa phrasim *mergendi*, sive ut in græco est, *in profundum mergendi*; qua humanam vitam, non secùs, ac maris transitum, sive navi veharis, sive natando transgredi velis, considerat Apostolus: qui ergo mare hujus sæculi transvadare vult, divitias à se dimittat, quæ sic graves, & ponderosæ sunt, ut homines submergant in profundum; ne ergo submergaris & ut ad portum devenias salutis, abjice eas à te. Ad hoc tendit Div. Nazianz. orat. de Episcopis: *Nunc*, ait, *alius quidem pauper est; verum erat aliquando tempus, quum divitiis abundaret. Nimirum mallebat exonerationem quasi navis fieri, ut levius, & expeditius navigaret abjecto illo in pauperes onere.*

Divitiæ sic gravât, ut demergant homines.

QUÆSTIO IX.

Quare sancti victores stantes super mare habent in manibus citharas, non qualescunque, sed tantùm Dei.

66 VIdit noster Joannes sanctos stantes *super mare vitreum mistum igne, qui vicerunt bestiam & imaginem ejus, & numerum nominis ejus.* Celebratur hic sanctorum victoria ex triplici capite; ex firmitate perseverantiæ, ex sinceritate innocentiæ, ex luce divinæ gratiæ, ut optimè ponderavit Alexander Alensis, sic dicens in præsenti: *Hic ostenduntur tria, quibus viri sancti vicerunt, & vincere potuerunt Antichristum; scilicet soliditas perseverantiæ in, Stantes; sinceritas innocentiæ in, Super mare; claritas luminis gratiæ in Mare vitreum: Vidit ergo, qui sic vicerunt Diabolum, & Antichristum, stantes super mare, & sic semper stantes, & vincentes.*

Perseverantia, innocentia, & gratia universa vincunt.

Ecce qui armantur perseverantia, innocentia, ac gratia Dei, omnia vincunt, universaque elementa eis cedunt; ecce istis cedunt maria: *Stantes super mare*; cedunt: *Mistum igne*; cedunt crudeles bestiæ terræ: *Qui vicerunt bestiam*; ceditque universus vanitatis aer: *Et imaginem ejus, & numerum nominis ejus*, seu literarum nominis ejus. Perbellèque cantatissimi victores, non solùm dicuntur de bestia triumphasse, sed etiam de ejus umbra, & imagine, imò & etiam de numero, seu literis nominis ejus, in quo ostenditur excellentia triumphi, non solùm de magnis, sed etiam de minimis bestialibus affectibus triumphare: felix, qui post illa superata, etiam ab his cavet. Potuit David Saulem occidere in spelunca, & ab ejus nece abstinuit, contentus scindere oram chlamydis, de quo statim compunctus, ait text. *Post hæc percussit David cor suum, eò quòd abscidisset oram chlamydis Saul*, 1. Reg. 24. num. 6. an in eo aliquid deliquisset contra Regis auctoritatem, ut notat Lyran. sed quando David abstinuit à cæde hominis, cur sic dolet abscissionem chlamydis? Sapiens homo dum se agnovit victorem in maximis, timuit ne deliquisset in parvis. 67

Omnia elementa justi obediunt.

Qui separat majora, cavet, ne deliquat in parvis.

Quæstio tota est, cur hi victores habent citharas in manibus? Et primò ratio est in promptu, tanquam Deo gratias agentes de tam celebri victoria, de tam crudeli hoste, nempe Antichristo. Rupertus: *Qui scrutatur corda, & renes Deus, ipse videt, qua mente, quove affectu, quisquis stet super hoc mare, quali, vel quanta cum gratiarum actione accipiat, sive respiciat mare, quod pertransivit, quales, vel quantos inimicos persequentes evaserit, quomodo super, non ingratus humili exultatione trepidet, aut tripudiet in laudem Dei.* 68

De victoria dantur gratiæ.

Secundò, ut patet ex fine superioris capitis, describitur condemnatio, ac horribilis pœna iniquorum ob adorationem exhibitam bestiæ, scilicet Antichristo; inde sancti triumphatores, qui vicerunt bestiam, & imaginem ejus, pro tam singulari beneficio decantant gratias, eò quòd supplicia, quibus impii afficiuntur evaserunt; quomodo à multis explicatur illud Psalm. 57. num. 11. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam*, damnatorum nempe, non quòd ipsi puniantur, sed quòd justi ab illa pœna sint immunes. Sic considerat Ribeira: *Quia videntes illa supplicia magna impiorum, lætabuntur, & gratias Deo agent toto corde, quod per ejus gratiam liberati fuerint.* 69

Dant gratias sancti, quia immunes sûnt à pœna impiorum.

Tertiò communiter Interpretes, & Patres variis locis citandi in sequentibus per citharas carnis mortificationem interpretantur. In cithara duo reperiuntur, lignum, & chordæ; in ligno denotatur duritia, quæ est in pœnitentia, in chordis verò significantur membra hominis, quæ per mortificationem extenduntur, & pœnitentiæ adhærent, inde ille, qui carnem suam mortificatione premit, bene citharizat. Justi ergo videntur à Joanne non habentes citharam, sed citharas in plurali; & meritò, quia non unica, & simplex, sed multiplex debet esse mortificatio. Alensis: *Dicit in plurali citharas*, ait, *quia pluribus modis mortificatio fit carnis, jejuniis, vigiliis, disciplinis, &c. Vel pluraliter dicit, quia triplex est cithara; prima, carnis mortificatio, quæ tot habet chordas, quot modis caro affligitur; secunda cordis passio, quæ tot habet chordas, quot modis subvenitur proximis; tertia oris prædicatio, quæ tot habet chordas, quot prædicantur vitia, pœna, & gloria.* 70

Magna, & multiplex sit mortificatio.

Quartò justi hic non solùm dicuntur habere citharas, sed cum addito, citharas Dei; pro quo adverte, quòd aliquando commemorantur citharæ sine appositio, ut cap. 5. num. 8. *Habentes singuli citharas*; aliquando cum appositio *suis*, ut cap. 14. num. 2. *Citharizantium in citharis suis*; aliquando ut hìc appositio, 71

Dei:

Dei: *Habentes citharas Dei*. Cap. 5. significantur cœlites pro Mundo advocati, & orantes; cap. 14. denotantur Dei magnalia prædicantes, in præsenti verò, justi humiliter Dei beneficia agnoscentes, ac venerantes, eaque gratificantes, Deumque omnium auctorem agnoscentes, eique omnia referentes, quod multum gratum Deo est. Tum etiam, quia tam gratificatio, quàm mortificatio in citharis denotata erat illis, non ob gratiam vanitatis, sed ob Deum unicè dilectum, quod breviter dixit Albert. Magn. *citharas Dei*, *ideſt propter Deum*.

72 Quintò ad proximè dicta; Joannes dicit citharas Dei; & ad quid? cùm omnia sint ipsius Dei, ut decantat regius Vates, Psal. 23. num. 1. *Domini est terra, & plenitudo ejus Orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo*; satis ergo erat dicere citharas, ad quid cum addito, *Dei*? Meritò hæc connectuntur, quia mortificatio per has citharas denotata non potest esse sine speciali gratia Dei. Aretas: *Porrò ipsas citharas*, ait, *esse Dei, ideo quòd nullus quantumvis sedulus homo, industria id* (nempe mortificationem) *præstare potest, divino destitutus beneficio, nam citharæ, ut modò dixi in hac quæstione mortificationem denotant*.

Non datur mortificatio sine Dei gratia.

73 Sextò non solùm sancti transeunt per mare vitreum mistum igne, hoc est per aquas baptismatis, quibus victores de peccatis abluuntur, sed insuper habent citharas Dei; & ad quid hujusmodi citharas? Ansbertus, per hujusmodi citharas intelligit fideles configuratos passioni Christi; passio Christi est lignum citharæ, chordæ verò sunt sanctorum corpora Christi ligno cohærentia, eique compotita, ac terrenis concupiscentiis emortua, de quibus loquitur Paulus ad Galat. 5. num. 24. *Carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis*. Ex quo meritò colligitur, quòd postquam transierunt per mare illud vitreum, adhuc videntur cum citharis in manibus, quia non solùm sufficit fidem accipere in Baptismo, nisi etiam carnem ligno Crucis affigamus, Christoque passo configuremur, ac assimilemur quantum fas est. Ansbertus: *Citharas habent*, ait, *voluptates scilicet, carnis, ligno passionis affixas*; ut ita plenitudine cœlestium donorum fruerentur.

Ut cœlestibus bonis fruamur, ultra fidem debemus nos conformare Christo passo.

74 Vehementer exoptabat Moyses videre Dei majestatem, dicebatque: *Ostende mihi gloriam tuam*; ut ejus optatis satisfaceret Dominus, ait illi: *Ecce*, inquit, *est locus apud me, & stabis super petram*; *cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis posteriora mea*; *faciem autem meam videre non poteris*, Exod. 33. num. 21. 22. cur, ut Moyses videat posteriorem, seu partem gloriæ Dei, necesse est, ut se recipiat in foramine petræ? cur non potiùs in alto, & splendido monte, ut quando legem accepit in Syna? quidnam est hæc petra? D. Augustin. lib. 4. de Symbolo ad Catechum. cap. 3. ait, quod illa petra est, quæ percussa produxit aquas populo sitienti, de qua loquens D. Paulus 1. Corinth. 10. num. 3. ait: *Patres nostri bibebant de spirituali, consequente eos petra. Petra autem erat Christus*. Juxta Apostolum petra hæc erat Christus; ut ergo Moyses optata Dei visione, ac gratia fruatur, ei mandatur: *Ponam te in foramine petræ*; ut in fissuris, foraminibus, ac vulneribus Christi passi ingrediatur, eisque mente, spiritu, ac mortificatione adaptetur, ac componatur, ut inde ab ipsis Christi foraminibus, tanquam pretiosissimis fontibus, gratia, ac gloria repleatur; sic subdit citatus D. August. *Hoc vidit Moyses*, ait, *prophetando, quod Paulus exponit dicendo ad* Galat. 4. num. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus*; tunc prophetando vidit Moyses, quod Paulus nobis aperuit, exponendo de redemptione per Christum facta.

Ex conferitate cū morte Christi cōparamus gratiam & gloriam.

75 Omnis nostra gratia, & gloria à Christi passione nobis est. Christus Jesus orat in horto: *Factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram*, Luc. 22. num. 44. cur Domine tui sanguinis profusionem anticipias? brevi tempore largissimè profundendus est in Calvariæ loco, ad quid necesse est modò in horto profundi? Profudit in horto, in quo tanquam in Ecclesia, ac domo Dei plantabantur novellæ olearum, ac virtutum, veluti novi justi, qui ut palmæ florerent, irrigandi erant divino Christi sanguine. Sapienter D. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 18. *Consummaturus Jesus susceptæ carnis officia, cum perfectionem in discipulis jam videret, quos verborum suorum radice fundaverat, hortum ingreditur, ut olearum novellas in domo Domini plantaret, & justum palmæ florentem modo, vitemque fœcundam rivo sui sanguinis irrigaret*. Optimè noverat sapientissimus hortulanus justorum palmas absque sui sanguinis irrigatione non posse exurgere, ac crescere.

Ex irrigatione sanguinis Christi exurgunt novæ plantæ virtutum.

Testatur sacer text. Josue 24. num. 29. ubi tanti ducis mors scribitur: *Post hæc mortuus est Josue filius Nun, servus Domini, centum & decem annorum*; *sepelierunt eum in finibus possessionis suæ*; quæ verba sic transcribit noster D. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Joan. c. 51. *Post hæc mortuus est Josue filius Nun, servus Domini, centum, & decem annorum; sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ, & in sepulchro ejus posuerunt cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israel*; ecce in eodem sepulchro Josue reconduntur cultri, quibus peracta fuerat Israelitarum circumcisio, ad quid tamen circumcisionis cultri conduntur in sepulchro ejus? cur tantæ religionis instrumenta, in parte valde nobili tabernaculi non constituuntur? In sepulchro tamen Jesu reponuntur cultri illi, ut denotaretur, undè proficeret, ac vim haberet omnis humana virtus, ac religio, ex veri nempe Jesu morte, ac sepulchro repræsentabatur; sic ait eleganter citat. Cyrill. *Non enim absque causa, cultri eodem cum illo in loco positi sunt, verùm ut nos discamus circumcisionis spiritualis gratiam, quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba, Salvatoris morti esse affixam*. Equidem quæ virtus nobis cœlestium bonorum pronuba est, Salvatoris morti est affixa, nihil enim valerent actus nostri, nisi de Jesu sepulchro reviviscerent.

76

A morte Christi prodiit gratia, & virtus in nobis.

Apoc. 15. nu. 3. Cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum Agni, dicentes: Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ & veræ viæ tuæ Rex sæculorum.

Num. 4. Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum? quia solus pius es; quoniam omnes gentes venient, & adorabunt in conspectu tuo; quoniam omnia judicia tua manifestata sunt.

VERSIONES.

Syriacus nu. 3. Et canunt canticum Moysis illius servi Dei.

Oecum. Magna, & miranda sunt opera.

Arabicus. Justæ, ac veræ sunt viæ tuæ: tu es Rex gentium.

Vatabl. Pagnin. Rex sanctorum.

Arabicus nu. 4. Quis est, qui te non formidet, ò Domine, & glorificet nomen tuum? Nam tu solus sanctus es, & omnes venient, & adorabunt coram te, quia judicium tuum jam apparuit.

Primas. Quis non timebit, & dabit claritatem nomini tuo? &c. quoniam justa judicia tua manifesta sunt.

Syriacus. Propterea, quod tu sanctus, & justus es, &c. & judicia tua patefacta sunt.

Biblia Gothic. Judicia tua magnificata.

EXPOSITIO.

ET cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum agni. Mihi probabilius est Joannem loqui de cantico 77

tico Moysis, & agni, non tanquam de uno cantico, sed ut de duobus; quod indicat illa geminatio: *Canticum Moysis & canticum agni*; nam si de uno solo loqueretur, dixisset: Canticum Moysis, & agni. Si autem tibi placet cum multis, idem esse canticum Moysis, & agni. Canticum Moysis est illud Exod. 15. *Cantemus Domino gloriosè*. Et eleganter hi victores assumunt hoc canticum, non secundùm verba, sed imitativè quoad sensum, quia ipsi incolumes evaserunt, & Antichristum cum suis obrutum viderunt, quemadmodum Pharaonem, qui mersus est in aquis Maris rubri, ad cujus historiam hìc alluditur. *Moysi servi Dei*. Hoc dicitur de Moyse, non verò de agno ad differentiam utriusque. Moyses servus; agnus, idest Christus Filius Dei naturalis. Et rectè hic dicitur, *Agnus*, nam per sanguinem agni Paschalis factum est Phase, & Israelitæ egressi sunt de Ægypto, figura nempe veri agni Jesu, cujus virtute à potestate Diaboli sunt liberati, atque ad gloriam pervenerunt.

Christus Filius Dei naturalis.

78 *Dicentes*: *Magna, & mirabilia sunt opera tua*. Ecce thema cantici; hæc duo epitheta magna, & mirabilia, sunt distincta, magna ob sui celsitudinem, mirabilia verò, quæ non sunt consueta, sed nova, & quæ raro fiunt; & non celebrant beneficia communia, ut creare cœlum, & terram, sed peculiaria, quòd liberati sint ex septem plagis novissimis, & à persecutione Antichristi; ex cujus morte totus Mundus mirabiliter est conversus ad fidem, & dicunt *opera tua*, quia suos triumphos adeptos Deo referunt. Lyran. Mirabilia tua, *dictas victorias attribuunt divinæ omnipotentiæ*.

Suas victorias Deo referunt.

79 *Domine Deus omnipotens*. Supremam Dei dominationem, ac omnipotentiam extollunt, quæ tot mirabilia potuit brevi tempore operari. *Justæ, & veræ sunt viæ tuæ*. Viæ hoc loco, idest, tuæ dispositiones, ordinationes, ac rationes agendi ex supremo, & alto consilio sunt. *Justæ, & veræ*; quod est magna laus, nam homines multa faciunt per fas, & nefas. Apud Deum nihil tale est, sed omnia perfecta, ac sapientissima voluntate mensurantur, ut patet in punitione Mundi, ac septem plagis emissis. *Et veræ*; adimplendo promissa, ut patet in præmio justorum. *Rex sæculorum*; ut verè legendum est, qui per universa sæcula molitur sua consilia, & init suorum operum tramitem.

Deus omnia disposuit summa æquitate.

80 *Quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum?* Ecce optima deductio, ac conclusio ex proximè dictis, quia magna, & mirabilia sunt opera tua, & quia tu es Domine Deus omnipotens, justus, & verus Rex sæculorum. *Quis non timebit te?* &c. quia potes iniquos anima & corpore damnare, & justis præmia dare, & cùm sis Rex sæculorum, non per hoc, & illud tempus, sed per omne sæculum. *Quia tu solus pius es*; græcus: *Quia tu solus sanctus innocens*; ac si dicat: Quis non magnificabit te, quia tu solus pius, & sanctus. Alii sunt pii, sancti ex accidenti, tu verò substantialiter. *Quoniam omnes gentes venient*; nempe ad te. *Et adorabunt in conspectu tuo*. Ribeira, & Cornelius dicunt, quòd illud, *quoniam* non sit causale, sed explicativum: mihi cum Ferrario videtur esse causale deductum ex superioribus, & *quoniam*, in suo genuino sensu retinendum. *In conspectu tuo*; quia destructo Antichristo, tanta erit fidei claritas, ac si Christus toti Mundo manifestaretur, ut dixi super cap. de sedente in nube candida. Et peculiariter hic fit mentio de gentibus Deum adorantibus, & non de judæis, qui superbè gloriabantur de cognitione Dei, tanquam filii Abrahæ; at gentes cum omni humilitate suam à Deo fuisse electionem agnoverunt. Ansbertus in præsenti: *Sciendum nobis est*, ait, *quia gentium humilitas hic ostenditur*.

Humilitas gentium commendatur.

81 *Quoniam judicia tua manifestata sunt*. Circa Mundum, & circa suam Ecclesiam. Tunc manifestafient divina judicia; dispositioneque circa Mundum, puniendo illum septem plagis novissimis ob sua peccata, circa Ecclesiam purgando illam, & perficiendo per illas crudeles persecutiones, & ex illis deducendo lætissimam totius Mundi conversionem.

QUÆSTIO X.

Quare Israelitæ cum Moyse canunt post transitum maris, sancti verò in lege gratiæ stantes, & ambulantes super mare.

SAncti, ac justi isti, ut patet ex super. vers. cantant stantes super mare vitreum; at Moyses cum Israelitis, non stans super mare, sed cùm egressus esset ab illo, suum canticum edidit Exod. 15. nu. 1. *Cantemus Domino gloriosè*; cur ergo, quando ji Moysis canticum æmulantur, ut dixi in expositione, non æmulantur etiam, & cantici locum, & tempus? cur supra mare stantes canunt, & non magis cum Moyse post superatum mare? 82

Difficultas quæstionis.

Primam hujus rei rationem colligo ex verbis text. *Stantes super mare vitreum*. Erat jis mare vitreum, hoc est, tanquam congelatum, quietum, stabile, non ventis agitatum, non fluctibus tumidum, sed veluti in stagna salutis redactum. Moysi verò, cùm suis fuit mare fluxum, instabile, plenum periculis; à tergo instabant hostes, à dextris, & à sinistris aquæ intumescentes tanquam muri insurgebant: omne ergo, quod in mari apparebat, tremendum videbatur, Exod. 14. num. 22. undè ergo tanta differentia? Dum Israelitæ erant transeuntes per mare circumdati periculis, adhuc ipsum Dei beneficium non erat consummatum; quod maximè perfectum, & completum erat in sanctis stantibus super mare vitreum, ut stabile, & congelatum, indeque sancti stabant super mare, ut superiores omni periculo, contradictione, ac adversitate, & tunc beneficia maximè celebrantur, ac habentur in magna æstimatione, quando undique completa habentur sine ullo sensu periculi, ac adversitatis. 83

Beneficia tunc maximè venerantur, cum perfecta, & completa sunt.

Secundò aliam rationem assignat M. Baeza tom. 4. de Christo figurato c. 10. §. 9. Moyses cum suis transivit per medium furentis maris, cum undique pericula hostium, undarum, ac debacchantium ventorum adurgerent, ut modò notavi; at sancti stabant super mare vitreum, non fluctibus tumidum, sed quietum, & stabile. Undè hìc etiam apparet alia differentia, quod dum canit Moyses post superatum tremendum mare, dicitur Maria sumpsisse tympanum in manu sua Exod. 15. nu. 20. Dum autem canunt isti stantes super mare vitreum, dicuntur habere citharas Dei; & cur tympanum pulsatum à Maria, non dicitur tympanum Dei, citharæ autem ab jis, qui supra mare vitreum sunt, dicuntur citharæ Dei? Pertinebat hoc ad præstantiam ostendendam salutis obtentæ, ut enim, quæ Dei sunt, præstantissima omnium habentur, sic celebritas, & præstantia salutis eorum, qui mare vitreum calcant, hoc est, qui non frementes fluctus, nec rapidos ventos sustinent, sed stagna habent salutis, penè sine ullo sensu, pressura enim periculi præstantissima est, indeque maximè celebranda. 84

Præstantissima salus præstita habetur sine periculi sensu.

Tertio per mare, ejusque fluxus, ac refluxus intelligitur Mundus, illiusque perturbationes, ac commotiones, indeque Israelitæ non canunt Deo, nisi post transactum mare, sicut & nostri victores dum stant super mare divina cantica intonant, veluti eodem spiritu, non enim, nisi ab animo demissis, ac superatis terrenis cum Deo agendum sive cantico, sive oratione, ac contemplatione; sic & Ezechias postquam invertit faciem suam ad parietem tanquam omnia terrena post tergum abjiciens, suum eructat canticum: *Ego dixi in dimidio dierum meorum*, Isa. 38. n. 10. sic & Gen. 21. n. 33. dicitur: *Plantavit Abraham nemus, & invocavit ibi nomen Domini*; ut procul à convictu hominum Deum oraret, & ab ipso edoctus servus ejus, quærens uxorem filio suo Isaac extra oppidum orat, Gen. 24. n. 12. sic & Parens Elias sese à Rege Achabo, ac populo segregans, ascendit in verticem Carmeli, & ibi pronus orat, 3. Reg. 18. n. 42. 85

Secessus à Mundo aptus ad Dei laudes.

Hoc altiùs nobis docuit divinus magister Jesus; Patrem oraturus longè à suis discipulis, Luc. 6. nu. 12. *exiit in montem orare*; deinde mensa turbis apposita, 86

Matth. 14.

Matth. 14. n. 23. *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare*; in horto oraturus à suis Apostolis separatur: *Avulsus est ab eis, quantum jactus est lapidis, & positis genibus orabat*, Luc. 22. n. 41. in cujus verbis pulchram emphasim invenit Drogo de Passione: *Longè, ait, avulsus est à nobis, quia lapis est abscissus sine manibus, & jactus est lapis, & percussit Goliam in fronte, & stratuam in pedibus; iste est jactus tuus longè à nobis*. Oratio illius, qui à suis longè fit, sic efficax est, tanquam jactus lapidis, & cujusnam lapidis? Illius nempe, qui *percussit Goliam in fronte, & stratuam in pedibus*. Omnis contraria potestas prosternitur ab oratione longè facta ab hominibus; cujus rei documentum nobis dat divinus magister. Intimè amabat discipulos suos, Petrum, Jacobum, & Joannem, inter quos quasi in propria regione versabatur, tamen oraturus, avulsus est à discipulis suis, quasi jactus lapidis: *Ipse est jactus tuus longè à nobis*; suo exemplo suos instruens, quod oratio separata, & longè ab hominibus facta præstantissima esset, ac si inde validior, & efficacior fieret.

Oratio longè facta ab hominibus hostiles potestates devastat.

87 Vox est Christi ad piam animam dilectam Cant. 2. n. 14. *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*. Vult Christus vocem dilectæ audire; an in publico, & patenti loco, ut omnibus manifestus, ac testatus sit vehemens virginis affectus erga ipsum? Minimè sanè, sed potiùs postulat, ut se virgo antro abdat, & sylvis condat, hominum commercium fugiat in foraminibus petræ. Authore Theodoreto vult *illam à præsenti vita remotam*; & tunc jubet: *Sonet vox tua in auribus meis*; ac si ex eo quòd ipsa sit curis exuta, & procul ab hominibus, intimo recessu existens, inde vox ejus sit dulcis, & maximè apta, ut in auribus ejus resonet.

Ex recessu vox apta auribus Dei.

88 Vita rusticana valde familiaris fuit antiquis magnis viris, ut Jacobi filii ingenuè apud Pharaonem fatentur Genes. 46. nu. 34. & dixerunt: *Viri pastores fumus servi tui ab infantia nostra, nos, & patres nostri*; & inde repetunt, Gen. 47. n. 3. & cur magni illi Patres divites, ac potentes pastorum vitam agebant? Abrahamus enim trecentos decem & octo vernaculos habebat, Gen. 14. num 14. de eoque scribitur: *Erat dives valde in possessione auri, & argenti*, Gen. 13. num. 2. de Isaac etiam refertur: *Locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est*, Gen. 26. n. 13. similiter & de Jacob habetur: *Ditatus est homo ultra modum, & habuit greges multos*, Gen. 30. n. 43. si ergo tot, ac tantis abundabant, cur pastorum vitam agebant? Ut rusticanæ vitæ prætextu ab hominum commercio separati tunc orationi, ac contemplationi vacarent. D. Thom. Genes. 46. ad illa verba: *Viri pastores sumus*, &c. sic ait: *Quia istud officium aptum est simplicitati, & orationi, ubi propter pecorum multitudinem, magna est sequestratio à plebe, & turba*, &c.

Sequestratio ab hominum turba apta est orationi.

QUÆSTIO XI.

Quare simul noster Joannes conjunxit canticum Moysi, & canticum agni, quod canunt citharis suis.

89 Alt textus, quòd isti sancti victores essent *cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum agni*. Moyses dicitur servus ad differentiam agni, scilicet Christi, qui est filius Dei naturalis; sed cur Moyses cum magna dignitate esset conspicuus, non alio titulo insignitur? nam ipse, ut testatur D. Chrysostomus homil. 2. in Genes. legatus fuit Dei apud homines; & Clemens Alexandr. lib. 2. Strom. eum insignem theologum appellat; D. Gregor. Magn. homil. 1. in Ezechiel. de eo affirmat, quòd fuerit celeberrimus inter Prophetas; Philo Judæus eum celebrat ut Regem, legislatorem, ac pontificem; cur ergo noster Joannes tam præclaris titulis omissis, eum solùm Dei servum dicit? Et rectè quidem; quia ut ait D. Ambros. in exhortat. ad Virgines: *Nulla major dignitas, quàm Christo servire*; hinc David clamat Psal. 115. n. 16. *O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*; ubi se non solùm Dei servum semel atque iterum appellat, sed etiam matrem suam Dei ancillam, honoris gratia testatur, ut notat Agellius, ut inde maximè eam extolleret: vide tom. 1. cap. 1. q. 5. n. 33. 34. & n. 64.

Nihil sublimius quam nomen servi Dei.

Cantantes canticum Moysi servi Dei, & canticum agni. 90
Cornel. Ribeira, la Haye, volunt quòd sit idem canticum Moysi, & agni; Moysis tanquam figuræ, & typi, agni verò tanquam exemplaris, & antitypi, ac proinde volunt, quòd sit idem canticum, quod isti victores dicunt, Moysis, scil. & agni, *illud* scil. quod cecinit Moyses, & filii Israel, postquam transierunt mare rubrum, demerso, ac extincto in eo Pharaone eorum inimico; sic isti victores, ut ait Ansbertus, postquam transierunt mare hujus sæculi, superatis multis periculis, extincto, & demerso Antichristo, cum suis Deo canunt, & gratias agunt pro tanta victoria.

Canticum novum.

Alcazar non solùm vult idem esse canticum, sed 91
illud ipsum in sensu literali significare transitum fidelium per mare gentilitatis ad fidem, & salutem, ac transitum hebræorum, per mare rubrum in Chanaan, allegoriam verò esse de transitu gentium per fidem, & baptismum in Ecclesiam; sicut & transitus maris rubri in litera significat transitum maris, allegoricè baptismum juxta Paul. 1. Cor. 10. n. 1.

Impugnatur.

Prima sententia, quòd sit idem canticum Moysis, 92
& agni, satis probabilis; in ea tamen advertendum, quod non dicitur idem canticum Moysis, & agni identicè, ac si isti victores illud ipsum canticum dicant jisdem verbis, quibus Moyses decantavit, nam sequenti versu subdens Joannes verba, quæ dicunt, ait: *Magna, & mirabilia sunt opera tua, &c.* non ergo illa ipsa sunt, sed est canticum Moysis imitativè, & secundùm sensum, quatenus ipsi, ut Moyses, dicunt canticum in laudem Dei, & agni pro sua liberatione, & felici ad salutem transitu.

Idem canticum non identicè, sed imitativè.

Probabilius mihi videtur Joannem loqui de can- 93
tico Moysis, & agni, non ut de uno cantico, sed de duobus. Hanc meam sententiam firmat, geminatus loquendi modus: *Canticum Moysi servi Dei, & canticum agni*; si enim de uno solo loqueretur, videbatur dicendum: Cantantes canticum Moysis, & agni; non repetivisset iterum, *Canticum agni*. Canticum Moysis est illud Exod. 15. *Cantemus Domino*, &c. canticum agni sunt sequentia verba: *Magna, & mirabilia sunt opera tua, &c.*

Propria sententia.

Tamen juxta primam sententiam non immeritò 94
dubitabis, cur in unum conjunxit canticum illud vetus Moysis, & novum agni immaculati, nempe Christi D. nonne sufficiebat ad Dei magnalia publicanda, unum vel alterum proferre? Utrunque simul intonant, ut discamus, testamentum novum, & vetus maximè inter se convenire, nec contrarium Moysem agno fuisse, nec è contra, sed unum alteri convenire, undè ait Agellius in Psalm. 32. *Illud canticum vetus in figura, novum in veritate*; quod dixit Clemens Alexandr. lib. 1. Pædagog. n. 7. *Novum testamentum veteri literæ impressum erat*; undè Christus Joan. 5. n. 46. ait: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit*; & daturus legem, ab antiqua se non discrepare significat Matth. 5. nu. 17. *Non veni solvere legem, sed adimplere*. Isidorus Clarus: *Vide*, ait, *quàm sit metuenda suspicio novitatum*; daturus scilicet *Christus celsiores leges, quæ novæ viderentur, docet eas non adversari legi eorum*.

Christus, & Moyses novum testamentum & vetus inter se consonant.

Nova doctrina ingienda.

Cur tamen isti victores dum canunt cāticum Moy- 95
sis, ac agni citharas manibus tenent? nam ex solis vocibus sæpè suavissimus cantus auditur; cur ergo insuper adduntur citharæ, quæ digitis pulsantur? Quia non sufficit solo ore Deum laudibus extollere, nisi etiam & manuum operibus extollamus. Beda: *Habentes citharas, & cantantes canticum, id est, corda laudantium Deo dicata gerentes, & utriusque testamenti veritate canora; ubi non tantùm sonus vocis, sed etiam boni operis significatur effectus*.

Non solo ore, sed & opere Deus laudandus.

In hoc maximè resplendet christiana perfectio, ut 96
verbis manus respondeant. Apostoli dicunt de se ad multitudinem Actor. 6. n. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis: considerate ergo, fratres*,

fratres, viros ex vobis boni testimonii, septem plenos Spiritu S. & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio, verbi instantes erimus. Videbant magni Ecclesiæ proceres valde necessarium esse instanter prædicare verbum Dei ob conversionem gentium, quæ quotidie augebatur, deinde charitate adurgebantur pauperibus, ac egentibus ministrare necessaria, ac alimenta distribuere; ne in uno, vel altero deficerent, sed ut verba manibus connecterentur, ipsi sibimet assumunt quotidianum munus prædicandi, & eligunt viros sanctissimos, ac probatissimos, per quorum manus necessaria egentibus suppeditarentur; in quo consistit christiana perfectio, dum ipsi ore suo instant Deo, & per aliorum manus expendunt necessaria; quod eleganter considerat in præsenti Cæsar. Nazianz frater, dialogo 3. *Christi discipuli*, ait, *relicta mensurarum observatione, pietatis sermonem potiùs capescere voluerunt, non verbis tantùm sapienter docentes, sed & factis instituentes; nam bene loqui lyræ, vel cymbalo simile est, utiliter autem agere, cum Angeli natura conjunctum est.* Quid elegantius? Qui verbis floret, illisque nititur sese ostendere, is lyræ, aut cymbali præstantiam non excedit, is autem humanam infirmitatem transcendit, angelicamque attingit perfectionem, qui verbis opera jungit.

97 In catalogo virorum fortium dicitur: *David sedens in cathedra sapientissimus*, 2. Reg. 23. n. 8. & in quo David tanta sapientia enituit, ut dicatur sapientissimus? quod de alio similiter dictum facilè in Scriptura non invenies. Quando nempe, in campum exiit contra Philisthæum. Quid tunc dixit, ac fecit? Dixit David ad Goliam 1. Reg. 17. nu. 45. *Tu venis ad me, cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te, in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie*; & statim n. 49. *Tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte.* Ecce David in cathedra. Ubi David sapientissimus? quando alioquin tacens? Minimè, sed nunc in acie constitutus, ore quidem oracula fundit, magnalia Dei prædicans: *In nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel*; & manu fortiter se gerit, hostem blasphemum, ac Dei inimicum prosternens. Nullus quidem suggestus splendidior, nulla cathedra clarior, nec ad docendum aptior, nec ad persuadendum efficacior, quàm arena est, ubi ore, & manu, verbo, & opere religionis documenta proponuntur. Theodoret. 1. Reg. q. 40. *Os quidem fundit oracula, manus autem se fortiter gerit, & lapide perimit alienigenam.*

Sapientissimè persuadetur doctrina, ore & opere.

QUÆSTIO VII.

Quare isti victores Deum hìc celebrant tot, & tantis nominibus; quæ sigillatim expenduntur.

98 OCto nominibus Deus hìc celebratur. Primò, & secundò, ut justus, & verus: *Justæ, & veræ sunt viæ tuæ.* Via metaphoricè est ratio, ac institutio vivendi, ac agendi cujusque; Genes. 6. nu. 12. *Omnis quippe caro corruperat viam suam;* Job 34. nu. 11. *Opus enim hominis reddet ei, & juxta vias singulorum restituet eis.* Viæ ergo Dei in præsenti ait Albert. Magn. sunt institutiones, per quas Deus venit ad nos. Div. Bernardinus, Gagnæus, sunt præcepta, & mandata Dei, per quæ homo in salutem tendit. Viæ autem hoc loco, idem valent, ac ordinationes, dispositiones, & institutiones Dei, ut dixi in expositione.

Quænam dicantur viæ Dei.

99 Et ait: *Justæ, & verè sunt;* homines enim multa sive justè, sive injustè faciunt, & ut dicitur per fas, & nefas, quod provenit tam ex malitia, ac pravitate voluntatis, quàm ex errore, ignorantia, ac deceptione, assumentes falsum pro vero, proinde viæ illorum, ut plurimum sunt viæ injustæ, & dolosæ; at apud Deum nihil tale est, sed omnia ex mente sanctissima, ac sapientissima voluntate, ac ex summa & infinita bonitate projecta mensurantur metro justitiæ, & veritatis, cùm pleniissima omnium cognitione, cui omnia sunt in promptu, proindeque viæ illius justæ, & veræ, ut ait Richardus; justæ, quia unicuique reddit secundùm suum meritum, veræ quia promissa complete adimplet.

In Deo summa justitia, & veritas.

Tertiò: *Omnipotens.* Si omnipotens cum punit, nullam servabit mensuram, sed exiget pœnas prout voluerit, tamen cùm sit justus & verus, tantæ æquitatis est, ut cum summa mensura, veluti linea ad lineam exigat pœnas. Ait Isai. 18. num. 2. *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem.* Verba ultima, *ad gentem expectantem*, leguntur in hebræo lineæ: *Lineæ, seu ad lineam; lineam*, hoc est: Ite ad gentem, supra quam ducta est linea, ut destruatur ad mensuram, & lineam suorum delictorum, ita ut sit linea ad lineam culparum ad pœnam. 100

Deus omnia disponit cum summa æquitate, & justitia.

Quartò: *Rex sæculorum.* Et hoc primo loco sic legendum, & non *Rex gentium*, ut aliqui legunt. Dicitur ergo *Rex sæculorum*, quia Deus per sæcula molitur sua consilia, & operatur suorum operum tramitem, ut quòd tali tempore venerit in Mundum, quòd tali tempore miserit Apostolos ad prædicandum, & quòd talibus temporibus permiserit tot persecutiones in Ecclesia sua, & quòd tali tempore permissurus sit Antichristum in Mundo. Secundò dicitur *Rex sæculorum*, quia in quolibet momento potest cuncta operari, & non indiget longo temporum tractu, ut homines. Tertiò dat præmia, & supplicia, non pro hoc, & illo tempore, sed per sæcula; & hìc fit allusio ad illud Daniel. 4. n. 11. *Ubi Deus vocatur vivens in sempiternum*; Chaldæus: *Vivens sæculorum*; Syriacus: *Gigas sæculorum.* 101

Quo pacto Deus dicitur Rex sæculorum.

Quintò: *Deus timendus. Quis non timebit te Domine?* ac si diceret: Nullus est, qui te non timeat; undè Deus per Malach. 1. n. 6. ait: *Si ego Dominus, ubi est timor meus?* cur cùm se Dominum dicit, aliud non requirit nisi timorem? Quia sicut vectigalia Regibus debentur, ita timor, veluti tributum proprium Deo solvendum est ab omnibus; ita docet D. Gregor. Nazianz. orat. 24. *Cæsari ut par est, quæ sunt Cæsaris contulisti, Deo etiam, quæ Dei sunt tribuuntur; illi nempe vectigal, huic timor.* 102

Timor tanquam tributò Deo solvendum.

Sextò: *Magnificus. Et magnificabit nomen tuum.* Si Deus ita magnus est, ut omnem terminum magnitudinis excedat in infinitum, quomodo ergo nos infimi tantam magnitudinem possumus magnificare? Nosmetipsos coram eo humiliando, ac deprimendo; in quo habemus documentum à SS. Maria Virgine. Luc. 1. n. 46. ait: *Magnificat anima mea Dominum*; & quomodo ipsa potest Deum magnificare? Sanè sua profundissima humilitate, quia quantò humiliores fuerimus, tantò magis Deum magnificabimus. D. Bonavent. ad citat. loc. D. Lucæ: *Tunc*, ait, *anima nostra verè Deum magnificat, quando sub ipso se ipsum captivat, & humiliat, quoniam magna potentia Dei solis ab humilibus honoratur, undè Virgo Maria, quia præ cæteris se ipsam humiliavit, ideò cæteris altiùs Deum magnificavit, & ideò à magnificatione incœpit, quia hoc competebat humilitati Virginis decantantis.* 103

Profunda humilitas Deum honorificat.

Septimò: *Quia solus pius es.* Meritò extollunt sancti divinam pietatem, quia, adveniente persecutione Antichristi, quæ erit tam sæva, & crudelis, qualis non fuit ab initio, nec erit, tunc omnes abominationes, tyrannides, sacrilegia, crimina & scelera abundabunt, ob quæ veluti debebat Deus omnes gentes abjicere à se, ac perdere, tamen sua infinita pietate omnes adducet ad se, & convertet ad fidem. Ecce cur dicitur solus Deus pius; & causa est ingens fructus salutis, quem Deus educturus est ex persecutione antichristiana, ac ex tot plagis, nam post illam persecutionem, non erunt amplius hæreses, non sectæ, non Mahometismus, & totius Orbis judæi convertentur, maximè per Eliam, & Enoch. Et meritò ista sola causa, præter multas alias, digna esset, ut dici deberet Deus solus pius. Hæc est immensa pietas ex tot malis educens tot, & tanta bona. 104

Summa Dei pietas ex malis præparat bona.

Decantat regius Vates Psalm. 86. num. 4. *Memor ero Rahab, & Babylonis, scientium me*; quæ verba D. Cyrillus Jerosolymitanus, Catechesi 2. parum immutans superiorem lectionem, ait: *Memor ero Rahab, & Babylonis; & postea cognoscent me. O magnam Dei bonitatem! etiam inhonestæ mulieris meminit in peccatis.* 105

Dei bonitas mirificè peccatores trahit.

Adhuc

Adhuc in peccatis agentem respicit Deus; adhuc Rahab meretrix luxuriosè agebat, & adhuc Babylon, seu Ægyptus, ut multi interpretantur, de vino fornicationis suæ in idololatria propinabat, & tamen ex tot, ac tantis peccatis Deus arripuit occasionem, ut eos perduceret ad fidem, & cognitionem suam: *Scientium me*; ut gratiam, & salutem invenirent.

106 Abimelech Rex Geraræ captus pulchritudine Saræ, putans illam esse Abrahami non uxorem, sed sororem, sibi eam rapuit; quid tamen ex hoc raptu evenit? Audivit Deum sibi minantem in somnis, eique dicentem: *Redde viro suo uxorem, quia Propheta est, & orabit pro te*, Gen. 20. n. 7. & statim Abimelech loquitur cum Abrahamo, ab eoque totam veri Dei ebibit providentiam, & religionem: ex illa immoderata cupiditate, ex illaque injustitia præparatur occasio, qua homo ad veram Dei cognitionem veniat; quod in præsenti notat Theodoret. serm. 10. de Providentia: *Injustitia*, ait, *Abimelech pietatis viam aperuit, atque iniqua, illigetimaque cupiditas Dei cognitionem conciliat.*

Ex injustitia Præparatur occasio ad justitiam.

QUÆSTIO XIII.

Quare cùm Apostolus dicat judicia Dei esse incomprehensibilia, hìc tamen à nostro Joanne dicuntur manifesta.

107 Difficultas quæstionis. TOta quæstionis difficultas est, quia præsens textus videtur repugnare cum multis locis Scripturæ, nam Paulus Rom. 11 n. 33. Dei judicia appellat *incomprehensibilia*; & David Psal. 35 n. 7. ait: *Judicia Dei abyssus multa*; quomodo ergo judicia Dei hìc dicuntur manifesta? si manifesta, ergo perscrutabilia, ergo aperta, & non abscondita, nec imperscrutabilia.

108 Judicia Dei imperscrutabilia. Ad hoc respondet Haymon, & ait: *Sublimitatem quidem judiciorum Dei, quare, scilicet, hoc vult, ut illud fiat, nemo comprehendere valet; quis enim dicere potest, quare Deus, qui priùs gentes vias suas liberè ingredi permisit, judæos sibi asciviit, & deinde judæos repellens, gentes advocaverit?* Manifesta verò sunt in hoc scilicet justa, quia quidquid Deus fecit, justum esse ab omnibus vera scientibus intelligitur. Judicia Dei in se ipsis maximè abdita, & recondita, tamen à nobis apertè, & manifestè veneranda sunt, ut sanctissima, ac justissima, supremo & alto consilio ordinata, ac dispositа, ut loquitur Paulus ad Ephes. 1. nu. 11. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

109 In finali judicio manifesta fient Dei judicia. Secundò Gagnæus, Estius, Tirinus, & alii arbitrantur hæc referenda esse ad finale judicium, in quo bonos præmio donabit, & malos supplicio afficiet, & tunc judicia ejus, quæ modò ut abscondita venerantur, erunt aperta, & manifesta toto Orbi. Cui sententiæ patrocinatur D. Augustinus lib. 2. de civit. Dei cap. 2. Cùm, inquit, *ad illud Dei judicium venerimus, non solùm quecunque ab initio judicata, & quecunque usque ad illud tempus adhuc judicanda sunt apparebunt esse justissima.* Dubitat Estius, an in illo finali judicio patebunt rationes divinæ, cur hi præ illis prædestinentur, vel reprobentur. Quia tamen illud finale judicium solùm est de factis, ac operibus hominum, ideò fortasse talia judicia non revelabuntur.

110 Vera sententia. Tertio, & est mihi vera sententia cum Ferrario, & la Haye: Tempore Antichristi maximè abundabit omnis iniquitas, ac perversitas malorum, ac peccatorum, & tunc Deus per septem Angelos mittet septem plagas novissimas; & tunc extincto Antichristo, omnes gentes venient ad verum Deum Christum Jesum, & cognoscent Dei judicia, quod tot, & tantas plagas dignissimè meruerit in Mundum ob tot, & tam gravissima peccata, quibus peccatores supplicio affecti sunt; & ab illis omnibus maximè Ecclesia liberata est, & ejus filii justi, ac sancti custoditi, imò & sub illis persecutionibus, ac plagis multum purgati profecerunt in sanctitate, ac justitia, & ita illis plagis impii puniti sunt, justi verò ab illis liberi, & incolumes gratias referunt Deo.

Impii puniti, justi liberati à Deo.

111 Venerunt tres viri ad tabernaculum Abrahæ, ab eoque hospitio excepti, Abraham mirabili filii promissione recrearunt, & etiam se maximè contrarios Sodomitis ostendunt, ad cujus eversionem parati erant, & tunc ait textus Genes. 18. n. 22. *Abraham verò adhuc stabat coram Domino*; paulo ante num. 2. dicitur: *Apparuerunt ei tres viri*; si tres viri esse dicuntur, quomodo nunc quasi unus tantùm Dominus Deus ostenditur? & quando antea tres viri, cur modò unus Deus dicitur adesse? *Abraham stabat coram Domino?* Considera: Filii promissione justum Abraham remuneravit, ac plenissimè ditavit, & pessimis Sodomitis debitum supplicium inferre parabat, & inde jam non aliud, nisi unus Deus verus demonstrabatur; quando primò ad Abrahamum adventarunt, tres homines, seu viri credebantur, at ubi cœperunt justum exoptatissimi filii promissione remunerare, & nefandos Sodomitas supplicio premere, apertè jam Deus esse deprehendebatur. D. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 10. *Visus est*, ait, *Dominus Abrahæ. Invitat ergo, & pedes lavat, & deducit abeuntes, tanquam homines. Loquitur autem tanquam cum Domino Deo, sive cùm ei promittitur filius, sive cùm ei Sodomæ imminens interitus indicatur.*

Deus agnoscitur in recreandis justis, & in puniendis peccatoribus.

112 Mittens Deus Moysem ad Pharaonem ad educendum populum suum de ergastulo Ægypti, ait ei: *Virgam quoque hanc*, quam scilicet ipse tenebat in manu, *sume in manu tua, in qua facturus es signa*, Exod. 4. num. 17. tradidit ergo Deus Moysi virgam, ut in ea faceret signa, & si diligenter sacrum textum advertas, invenies quòd non omnes plagas adversùs Ægyptios Moyses virga ediderit, sed valde paucas; si virga data est à Deo ad ipsas plagas inferendas: *In qua facturus es signa*; cur ergo non omnes, sed paucas tantùm cum illa operatur? Divina dispositione ordinatum est; plagæ illæ supplicia Ægyptiis inferebant, Israelitis salutem parabant, inde si omnes per virgam efficerentur, credi poterat aliquid divinitatis in virga illa latere, sub qua impii vexabantur, & justi liberabantur. Macharius Philadelphensis orat. in exalt. S. Crucis habita apud Gretser. tom. 2. postquam refert decem plagas subdit: *Non tamen omnia per virgam fiunt, neà suis Dei loco haberetur.* Magna ansa aliquibus daretur credendi virgam Deum esse, si per illam cuncta fierent, quibus salus bonis, & pœna malis irrogabatur.

Signum divinitatis liberare justos, castigare malos.

Apoc. 15. *n.* 5. Post hæc vidi, & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo.

Num. 6. Et exierunt septem Angeli habentes septem plagas de templo, vestiti lino mundo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis.

VERSIONES.

Primas. n. 5. Tum post hæc aspexi templum tabernaculi martyrii in cœlo.

Arabic. n. 6. Egressi sunt illi septem Angeli, qui habebant septem exitia, amicti vestibus lineis, ac lucidis.

Primas. In cœlo, & processerunt septem Angeli, cum septem plagis de templo, vestiti linteа munda, & candida, & cincti circa pectora zonas aureas.

Syriacus. Induti lino puro, splendido, & vincti ad pectus suum zonis aureis.

Arias. Quierunt vestiti linum, & purum, & splendidum.

Ambros. Vatabl. Vestiti lapide candido, & mundo.

Haymon. Vestiti lapidibus mundis.

D. August. Præcincti super pectora.

EXPOSITIO.

113 Denotatur hæc visio futura. *POst hæc vidi.* Post superiùs narrata, refert Joannes quod vidit, quamvis simul fuerint, cum antea dictis. *Ecce.* Innuit aliquid magnum dicendum. *Apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo.* Denotatur hìc pars intima, & sacratissima templi, videlicet, *Sanctum sanctorum*, in quo tanquam in proprio tabernaculo asservabatur *testimonium divinum*, id est, lex divina, scripta in tabulis legis, seu decalogi in arca. Et nostet

Joannes, nomine tabernaculi testimonii in cœlo, indicat se non loqui de materiali templo Salomonis, sed de re sublimiori; ab illo tamen antiquo templo analogia desumpta, quod sicut Sancta sanctorum erat locus abditissimus, & maximè proprius Dei, ita nunc, ex abditissimis, Dei penetralibus, & secretissimis ejus consiliis prodiit tanquam lex constituta, & ibi ab æterno servata, ut exeant septem Angeli tanquam vindices, ac ultores legis divinæ violatæ.

114 Supplicia, & pœnæ ex Dei decreto veniunt. *Et exierunt septem Angeli*, verè, & natura Angeli, *habente septem plagas de templo*; nempe de abditis, & penetralibus consiliis Dei, ut modò dixi. Et nota, quòd non ait Joannes, exierunt de templo habentes septem plagas, sed: *Habentes septem plagas de templo*; sacratissimo nempe Dei oraculo, ex quo docentur Mundi plagas ab ipso Dei oraculo fabricari, demeritoriè quidem à nobis per peccata, constitutivè, ac punitivè ab ipso Dei decreto, proindeque nullus cogitet, quòd hæc accidunt ex causis secundis, ex necessitate materiæ, vel fati, sed ex sapientissima Dei ordinatione.

115 In Dei judicis summa mundicies & puritas. *Vestiti lino mundo*. In symbolum candoris, ac puritatis suæ naturæ angelicæ, maximè verò ad ostendendum munditiem, quam munda, & pura sint judicia in decernendis his plagis, ac exequendis ab

157 omni passione, sive furoris, sive odii, ab omnique suspicione erroris, ac injustitiæ. *Præcincti circa pectora zonis aureis* justitiæ, sapientiæ, & charitatis. Charitas maximè movet Angelos, ut de impiis pœna exigant, qui justos tyrannicè, ac injustè vexaverunt.

QUÆSTIO XIV.

Quare isti septem Angeli dicantur exire de templo, & an verè sint Angeli.

116 ISti septem Angeli, ut jam dixi quæst. 2. verè, & propriè sunt Angeli natura sua, qui hic adsunt ut ministri divinæ providentiæ, undè, ut dixi cit. qu. non sunt viri apostolici, ut vult Alcazar, missi in Mundum ad expugnandam idololatriam, & plantandam fidem, nisi tantùm in sensu mystico; nec etiam ut ibi dixi, sunt prædicatores, qui ab initio sæculi fuerunt, sunt, & erunt in fine Mundi, ut volunt Rupertus, Beda, Haymon, Ansbertus, Richardus, Alensis, Albert. Magnus, & ita mysticè interpretantur: Exeunt de templo, id est, Ecclesia; & dicitur apertum, ut ait Richard. quia Ecclesia semper habet portam apertam, ut prædicatores exeant ad prædicandum, & qui volunt converti, ad ingrediendum: Et habent plagas septem, quia, ut ait Albert. Magn. *Quorundam corda vulnerant ad salutem; quorundam ad mortem*; comminatione æterna.

Ecclesia porta semper aperta.

117 Vera sententia. Tamen constans, & vera est sententia, quòd verè, & propriè sint Angeli, ut dixi cit. q. 2. & docent Aretas, Andr. Cæs. & communiter Recentiores, Cornel. Tirin. Ribeir. la Haye, nam exeunt habentes septem plagas novissimas iræ Dei, quæ respiciunt extremum tempus in fine Mundi, ob tot gravissima peccata sub Antichristo commissa. Et rectè dicuntur exire de templo tabernaculi testimonii, hoc est, de abditissimo Dei consilio, ut dixi in expositione, ut ex tanta sanctitate loci colligamus, quoddam genus sanctitatis esse impios punire, cùm ii, qui eos castigaturi sunt, non ab alio loco, quàm è sanctissimo exire videantur.

Genus sanctitatis punire impios.

118 Angeli ergo ob suam eximiam sanctitatem, & puritatem exeunt ad impios castigandos zelo justitiæ, & Dei, contra quem graviter deliquerunt. Gen. 16. n. 1. Dicitur: *Venerunt que duo Angeli Sodomam vespere.* Mirabar multùm, quòd Angeli illi dicantur venire Sodomam; quomodo paululum à Sodomitis abfuerunt? nam illi Angeli, ut aliqui existimant, erant custodes illius Provinciæ, ac civitatis, quomodo ergo aberant? Angeli ut custodes aderant, ut eos impulsu, ac suasione sancta in bonum ducerent, at cùm illi noluerint, sed sese in omni turpitudine peccatorum explicaverint, indèque dum ipsi nequissimi Sodomitæ impunè peccabant Angeli tanquam absentes videbantur, dum autem illorum supplicium appropinquabat, tunc jam Angeli præsentissimi aderant. D. Cyrill. Alex. in Amos, c. 3. *Sodomam venerant Angeli, ignibus incensuri scelestos; velut absentes dum non punirentur.* Cùm non puniebantur iniqui, velut absentes erant Angeli, præsentes erant, dum ipsi iniqui puniebantur, & qui erant custodes, ut in bonum inducerent, dum Sodomitæ eos non audiunt, fiunt ipsi Angeli vindices justitiæ in eos.

Angeli præsentes adsunt cùm peccatores ad castigandos.

119 De Moyse pergente in Ægyptum, ait textus, juxta lectionem Septuaginta Exod. cap. 4. num. 24. *Factum est autem in via, in diversorio, occurrit illi Angelus Domini, & quærebat interficere illum. Et accipiens Sephora petram circumcidit præputium filii sui, & procidit ad pedes suos, & dixit: Stetit sanguis circumcisionis filii mei. Et abiit ab eo Angelus, quoniam dixit: Stetit sanguis circumcisionis filii mei.* Magna ponderatione expendendum est, quòd dum vulnus infligitur, ac sanguis profluit in signum illati vulneris, adest Angelus, at ubi stetit sanguis, & vulnus jam dabatur curationi, statim discessit Angelus; & cur non discessit, cùm vulnus fiebat, sanguisque fluebat, sed quando hæc omnia cessarunt? Hoc ad magnum sacramentum spectat, ut docet Divus Augustinus quæstione undecima in Exod. & ait: *Non enim recessit ab eo, propter quod circumcidit infantem, sed quia stetit sanguinis circumcisionis: non quia cucurrit, sed quia stetit, magno ni fallor sacramento.* Deliquit Moyses, ut docent Isidorus Pelusiota, Rupertus, Lyranus, Abulensis, Cajetanus, in eo quòd filium non circumciderat juxta Domini præceptum, Genes. cap. 17. num. 12. ecce sacramentum præsentiæ angelicæ; adest Angelus cum pœna, seu vulnus infligitur delinquenti, sanguisque in signum vulneris defluit, at verò cùm sanguis stetit, & jam vulneri datur medela, tunc Angelus discessit, abiit ab eo, quoniam dixit: *Stetit sanguis circumcisionis*; ac si illud vulnus non solùm esset vulnus circumcisionis, sed etiam pœnæ vulnus parentibus ob eorum eximium dolorem, eo quòd adimpletum non fuerat Domini mandatum.

Non discessit Angelus quousque pœna infligatur.

120 Post grande peccatum idololatriæ populi, ait Deus Moysi Exod. cap. 32. num. 34. *Duc populum istum, quò locutus sum tibi; Angelus meus præcedet te*; cui respondet Moyses: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto*, Exod. capite 33. num. 15. cur Moyses sic recusat Angeli ducatum, ac protectionem, & solius tantùm Domini exoptat? Multùm distat Domini præsentia ab Angeli, ac ministri præsentia, nam Dominus optimè agnoscit indulgere, & parcere, non verò minister, ac Angelus, qui solùm assistere solent dum castigatur peccator, & inde Moyses refugit Angeli præsentiam, quæ in usu habet peccatoribus puniendis adesse. Divus Basilius Magnus in capite 6. Isaiæ. *Ejus præsentia*, ait, *egebat Moyses, quem penes est potestas dimittendi peccata, quod exhibere nequaquam possunt Angeli. De iis quidem, qui iniquè agunt, exspectant ultionem Angeli, non ita condemnant delicta. Eam ob rem efflagitat Moyses adventum Dei.*

Dominus dat indulgentiam; Angelus, seu minister pœnam.

QUÆSTIO XV.

Quare Angeli habentes decem plagas exeunt vestiti lino mundo, & candido.

121 EXierunt, ait textus, *de templo septem Angeli habentes septem plagas, vestiti lino mundo, & candido*; de cujus sensu literali jam dixi in expositione, nunc verò doctrinæ gratia res altiùs est examinanda.

Dei minister alienus sit ab omni affectu carnis, & sanguinis.

Primò *Vestiti lino mundo*. Cur non potiùs lana munda? ita enim perfectè, & eos undique tegeret, vestiret, ac exornaret, & à quolibet noxio defenderet, sicut linum. Lana originem habet è pellibus animalium; ecce cur lino mundo, & non lana vestiti conspiciuntur; Angeli exibant, ut ministri divinæ justitiæ, portantes septem phialas, & ideo vestiti conspiciuntur lino, & non lana, quia in vero Dei ministro nihil debet apparere animale, nec connexum cum carne, & sanguine, ut undique candor, & puritas angelica in eo demonstretur. Aretas: *Lino*, ait, *sanctos vestitos fuisse, eo quòd nihil animal alliceret eos ad affectiones, quæ vitæ candorem notæ sunt obscurare.*

122

Secundò hi septem Angeli significant prædicatores, juxta graves Patres citatos superiori quæstione,

123

nimò

Prædicatores mortificatione accinguntur.

linò universitatem prædicatorum, nam septenarius numerus universitatem denotat de quo q. 1. dixi; Vestiuntur ergo Angeli lino mundo, & puro, quia prædicatores debent componi vitæ puritate, ac mortificatione. Linum, quia variè, & diu maceratur, & carminatur, mortificationis nota est, qua prædicatores maximè debent indui, ac accingi.

124 Tertiò: *Candido, & mundo.* Angeli exierunt habentes septem plagas iræ Dei, & quomodo ad has diffundendas procedunt? Ait noster Joannes: *Vestiti lino candido, & mundo;* Syrus, *puro*; & cur non potiùs nigra, vel rubra veste induuntur, ut sic aptiùs Dei iram manifestarent, iniquorumque etiam supplicium, quibus sanguis eorum effundendus denunciabatur? Non rubro, vel nigro indumento vestiti prodeunt, sed puro, & candido, ut puritate, ac candore vestis indicarent puritatem, ac candorem divini judicii, absque ulla suspicione odii, furoris, ac absque omni injustitiæ labe, undique enim divinum judicium irreprehensibile est. Ansbertus: *Candor in linteis apparet*, ait, *quando mortificatus à propria voluntate animus, irreprehensibilia esse Dei judicia in cunctis supernis dispositionibus, & credit, & firmiter tenet.*

Judicia Dei pura & irreprehensibilia.

125 Quartò prodeunt Angeli habentes septem plagas, quibus homines sunt puniendi, & apparent vestiti lino puro, & mundo; ad quid tales vestes? cùm parùm conferat vestimentorum genus, ei, qui alteri parat inferre pœnas. Tamen talibus vestibus exornati conspiciuntur, quia, ut ait D. Thomas: *Vestiti lino mundo, & candido; mundo à malitia peccati, candido virtutibus, & meritis;* ut ita puritas, ac sanctitas Angelorum demonstraretur, maximè cùm in eis denotentur prædicatores, ut dixi quæst. 1. juxta multorum sententiam, æquum enim est, ut qui alios increpat, vel punit ab omni impuritate sit alienus, ne supplicia mereatur, quæ in aliis arguit, eisque infert. D. Greg. Mag. in Gregor. *Necesse est*, ait, *ut manus esse munda studeat, quæ diluere sordes curat.*

Quid alios arguit, & punit, immunis sit à delicto.

126 Hoc apertè nos docet Apost. monitis egere monitore, cum moneret homines scholæ Ephesinæ, c. 6. n. 14. *State*, ait, *succincti lumbos vestros in veritate & induti loricam justitiæ*, &c. scilicet castè, & justè vobis agendum esse memineritis; & cur sic eos adhortatur ad justitiam, & veritatem? Statim explicat n. 15. *Et calceati pedes in præparatione Evangelii*, &c. Ut ipsi valeant aliis prædicare, priùs se ipsos debent componere veritate, ac justitia omnium virtutum, ac si Paulus otiosè admoneret de ratione docendi, nisi priùs adhortaretur de norma vivendi; quod optimè ibi advertit D. Anselm. *Postquam*, ait, *libidinem vicerimus, & nos justæ operationis lorica induerimus, tunc & aliis bona prædicare erimus idonei.* Hac vivendi formula Prætores adstrictos esse voluit Cassiodor. lib. 6. form. 21. *Esto vitæ continens*, ait, *ut possis in alios judex esse.*

Doctrina Magistri ab ejus vita vim capit.

127 Mittitur Ezechiel à Deo, ut homines carperet turpes vitiis, infames sceleribus, aitque ei c. 3. n. 11. *Vade, & ingredere ad transmigrationem, ad filios populi mei, & loqueris ad eos;* pergit Vates juxta Dei mandatum, convenit homines, & tacens magister bonus nihil docet, & de se ait n. 15. *Et mansi ibi septem diebus mœrens in medio eorum.* Vates Deo deditus, precibus, & lachrymis hebdomadam absolvit integram, & antequam suam provinciam, ac missionem aggrediatur, priùs suos expendit mores, cùm se tàm piè ac sanctè tantis lachrymis exercet; & statim subdit n. 16. *Cùm autem pertransissent septem dies, factum est verbum Domini ad me dicens: Annuntiabis eis ex me*; quomodo tantus Vates, quando primò mandatur à Deo: *Vade, & ingredere ad filios populi mei*; differt executionem, & mandatum non implet, ut necesse sit secundò exhortari ad destinatam prædicationem? Maluit magnus Propheta de obtemperandi mora potiùs interpellari apud Deum, quàm notari de loquendi protervitate apud homines, si monendus adhuc moneret alios, & ideo ne perdatur energia, & efficacia in texendis hominum moribus, priùs à se rationes exigit vitæ anteactæ dolore intimo. D. Hier. ibi: *Qui enim speculator futurus est, & Dei verba populo narraturus, multo tempore debet quiescere, dolere ea, quæ videat, & nihil habere in conscientia eorum, quæ in aliis correpturus est.*

Monendus ne Magister moneat.

128 Magna consideratione dignum est, quòd Adamus, nec dicto quidem filium reum cædis fraternæ castigare ausus est, cùm maximè incumberet parentibus filios reprehendere, ac monere, ut docent D. Chrysost. l. 3. adversus Vituparat. & P. Damian. l. 7. epist. 11. ex cujus culpa maximè arguitur Heli, 1. Reg. c. 3. n. 13. neque enim text. habet, quid Pater objecerit filio sanguinario, Gen. 4. n. 8. lego Cainum à Deo notatum, ac punitum esse, Gen. ibid. n. 11. & quod ab Adamo reus malè acceptus fuerit, non lego, quod valde mirum est; cùm Adamus esset sapientissimus, quomodo tantum filii facinus non increpat? Cùm Adamus esset sapientissimus mussitare non ausus est contra filium fratricidam, cùm sciret se peccasse lapsu turpi. Morum censuram non capit Adamus erratis affectus plurimis. Perbellè dixit Tertull. de patientia, c. 1. *Oportet constantiam commonendi propriæ operationis auctoritate dirigere.*

Inepte peccantes filios carpit Pater errati reus.

QUÆSTIO XVI.

Quare Angeli exeunt juxta aliam lectionem vestiti lapide candido, & mundo.

LIcèt verè & propriè cum nostra Vulgata legendum sit: *Vestiti lino mundo, & candido;* tamen occasione sumpta ex radice græca aliqui, ut Ambros. Vatabl. legunt: *Vestiti lapide, candido, & mundo;* Haymon: *Vestiti lapidibus mundis;* tanquam lapillis pretiosis candidis, ut carbunculis, & adamantibus, quod ad ornamentum, ac decorem gloriæ eorum refert Gagnæus. 129

Secundò dicuntur vestiti lapidibus mundis; & quis unquam aliquem intuitus est, vestitum lapidibus? lapis enim materia est apta ad ædificia, minimè verò ad vestes; quomodo ergo Angeli dicuntur induti lapidibus? Per lapidem dicimus Christum significari juxta illud Psal. 117. n. 22. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*, Zachar. 3. n. 6. *Ecce lapis, quem dedit coram Jesu; super lapidem unum septem oculi sunt.* D. Greg. Nyssen. de vita Moysis ait: *Lapis, ut Apostolo placet, Christus est*; exinde ergo Angeli habentes septem plagas ad diffundendam iram, vestiti lapide mundo, hoc est, Christo, apparent, tanquam induentes ejus virtutem, & constantiam in exequendo suo ministerio absque ullo partiali affectu amoris, vel odii, & etiam absque alicujus timore. Haymon, ait: *Christus bene lapis dicitur, quo electi circumdentur, quia murus est impenetrabilis.* 130

Ait sacer text. 3. Reg. 10. n. 18. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem*; ex quo jus dicebat, & populum judicabat, & ad hoc respicitur fortè Cant. 7. n. 4. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Cùm nulla turris in Scriptura à Salomone, nec à David facta ex ebore legatur, nec eboris materia apta videatur pro turribus ædificandis, inde à multis creditur turrim eburneam vocari thronum hunc erectum in altum, ad modum turris; sed cur, qui thronus illius judicialis erat, turris vocatur, turrisque eburneæ vocabulo exprimitur? Meritò sanè, tanta enim erat illius throni judicialis præstantia, ut veluti turris inexpugnabilis à nullo labefactari posset; & hæc turris non ex qualibet materia fabricata dicitur, sed tantùm ex ebore, tum ob sui candorem, quò ejus integritas cunctis erat aperta, & manifesta, tum etiam quia eboris materia ex animalibus prodit, & nascitur, in ea tamen nil carnis, & sanguinis invenitur; sic Salomonis justitia nullo affectu carnis, & sanguinis movebatur, sed debito supplicio carceris, vel mortis delinquentes puniebat. Ad hoc non distat Chald. ibi sic fatus: *Judex tuus, qui judicat judicium tuum, fortis est super populum, ut affligat eos, & ut trahat eos, qui condemnantur in judicio, ad carcerem; sicut Salomon Rex, qui fecit turrim eburneam, & subjecit populum domus Israel, & convertit eos ad dominatorem seculi.* 131

Fortitudo judicis, & Principis, nullo moveatur.

Secundò: *Vestiti lino mundo*; alii legunt, lapidibus mundis; quid inter lapidem, & linum commune? quid lino mollius? quid durius lapide? Haymon vult hujusmodi lapidibus denotari virtutes; sed quid quæso inter utrunque commune? Lapides solidissimi sunt: Ecce cur fortè hi Angeli prodeunt 132

Virtutes sunt firmæ, ac solidæ, ut lapidi bus conferantur.

vestri lapidibus, quia in fidelibus per eos denotaris; ita firmæ, & solidæ debent esse virtutes, ut lapidibus conferantur. Haymon: *Vestiti lapidibus mundis, sicut in quibusdam Codicibus invenitur; per hos lapides designantur virtutes, spes, videlicet, fides, charitas, & humilitas, & cæteræ virtutes, quibus ornantur fideles.* Et in hoc sensu de justis, ac sanctis, ut interpretantur Justus Orgelitanus, Divus Anselmus, dicitur illud cantic. 5. num. 15. *Crura illius columnæ marmoreæ*, ob firmitatem & constantiam, *super bases aureas*, scilicet charitatis, in qua omnes virtutes fundantur.

133 Prædicator multa fortitudine debet armari contra inimicos veritatis.

Tertiò: Vestiti lapidibus Angeli; & ad quid lapides in vestimenta dantur? Angeli isti, concionatores denotabant, ut ex Ruperto, Anselmo, Beda, & aliis retuli, quæstione prima. Vestis undique circumdat, ac protegit hominem; ecce cur hi angelici concionatores lapidibus vestiuntur, tanquam si thorace firmissimo obarmati milites sint, ne ab auditorio veri adversario, malè habeantur, si quid veri dicant. Thomas Anglicus: *Vestris*, ait, *hominem undique circumdat, & protegit; sic undique prædicator debet esse circummunitus fortitudine contra omnem tentationem, & adversitatem, ut protegatur à nocumentis peccati*; ferè similia habet Rupertus. Hinc cùm Jeremias mittitur à Deo ad prædicandum dicitur ei c. 1. num. 18. *Ut murum æneum dedi te*; ad repercutienda omnia adversariorum tela: vide supra.

134 Angeli portionantur, ac conformantur suo Domino.

Quartò: Descendunt Angeli amicti lapide puro, & mundo, nempe Christo, cui nomen lapidis pluries in oraculis datur, ut dixi in exordio quæstionis, teste Paulo 1. Corinth. dicente: *Petra autem erat Christus*. Ecce cur Angeli induti lapide prodeunt, qui Christus est; ut eorum affinitas, ac conformitas cum suo Domino, ac Principe denotetur. Favet Andr. Cæsarienſis: *Tribuitur illis hujusmodi amictus, vel propter munditiem naturæ, vel propter affinitatem, quam habent cum Christo, qui lapis est.*

135 Majorum, ac Principum virtutibus inhærendo.

Arguebatur à Judæis Jesus, quòd discipuli ejus sabbato vellebant spicas, quibus vescebantur; ait eis Dominus Matth. 12. num. 3. *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant? Quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit.* Multis poterat calumniantium ora comprimere, maximè tamen voluit objecto Davidis exemplo eos revincere; cur tamen cæteris omissis ad Davidis exemplum recurrit? Optimam rationem assignat D. Athanas. homil. de semente: *Ille, qui ex Davide est, Davidis meminit.* Cùm se filium Davidis ostenderet, Davidis virtutibus insistebat, seque illi conformabat, ne ab illo degener reputaretur.

136 Qui ex cœlesti Patre est, cœlestia intendit.

Semper meus Jesus omnium exemplar, sui principii virtutibus respondit. Dicitur de illo Psal. 112. n. 6. *Qui in cœlis habitat, & humilia respicit*; & Cant. 5. n. 15. *Species ejus, ut Libani, electus ut cedri.* Cedrus altissima arbor est, comis, ramis, ac fructibus cœlestia contingens; cur humilis Jesus tam altæ arbori comparatur? quomodo ejus humilitas cohæret cum tanta sublimitate? Christus à cœlesti patre prodierat, & licèt ut homo radicaverit in terra, fructibus suis cœlestia tangebat, primæque suæ origini respondens, utpote qui habebat Patrem cœlestem, fructus semper cœlestia attingentes proferebat. D. Amb. l. 1. de Virg. *In altis habitat, & humilia respicit, & species ejus sicut cedrus, quæ comam nubibus, radicem in terris inserit. Principium ejus in cœlo, posteriora ejus in terris, fructus cœlo proximos ediderunt. Christus habebat suum principium in cœlis ex cœlesti Parente, fructus operum ejus cœlis respondebant.*

QUÆSTIO XVII.

Quare septem Angeli exeunt præcincti zonis aureis circa pectora.

137 Angeli præcincti ad ministeria.

EXeunt è templo, seu ex cœlo, *septem Angeli præcincti circa pectora zonis aureis*; cur præcincti, cùm hebræi vestibus dimissis usque ad talos uterentur? cur ergo Angeli præcincti, Joanni objiciuntur, & frequenter, ita depinguntur? Ad denotandum eos in procinctu esse ad subveniendum hominibus, & ad quodlibet ministerium exequendum ex Dei voluntate; ita Andr. Cæs. *Præcincti*, ait, *ut intelligantur obedientes in cunctis ministeriis, & ita expediti, ut impediri nullatenus queant.*

138 Animi, & corporis munditiæ necessariæ.

Secundò ad hoc, ut nobis proponerentur eorum vestimenta zonis ligata, satis erat ut dicerentur cincti, at verò dicuntur præcincti, tanquam bis ligati, quod ex magno mysterio dicitur, ut pronderat Hugo à S. Charo: *Nec dicit cincti, sed præcincti, quia duas debent habere cinctiones, castitatis scilicet corporis, & sanctimoniæ mentis*; ex quo Joachimus Abbas adjungit: *Multi sunt, qui carnis continentiam servant, paucorum verò, mentis munditiem possidere.*

Tertiò: *Præcincti circa pectora zonis aureis*; D. Aug. *Super pectora*; cur potiùs super pectora, quàm super lumbos vel renes præcinguntur? cum hic cingendi usus valde sit frequens in Scriptura juxta illud: *Sint lumbi vestri præcincti.* Cingulum symbolum est castitatis, è pectore verò, seu corde exeunt cogitationes: ecce cur super pectora Angeli eorumque imitatores præcinguntur; quia non solùm opus libidinis coercendum, sed etiam illius cogitatio reprimenda. Albertus Magnus: *Per zonam*, ait, *qua præcingebantur eorum pectora, vinculum castitatis ostenditur, & significatur per hoc, quia in novo testamento, non solùm opus libidinis, sed etiam ipsa restringitur cogitatio vigore mentis; vetus enim dicit: Qui adulterium commiserit, puniatur; novum verò: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.*

139 Non solùm opus malò, sed & illius cogitatio reprimenda.

Quartò: *Præcincti circa pectora zonis aureis*; cur non alio cingulo, sed tantùm aureo? Per illud & meritò denotatur vinculum charitatis, nam sicut aurum superat alia metalla, sic charitas cæteras virtutes, & inde perfectionis vinculum vocatur à Paulo Coloss. 3. n. 14. *Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis*; præclarè ergo hujusmodi spiritus angelici exeuntes in sui Domini ministerium dicuntur præcincti zonis aureis, charitate nempe, qua moventur in obsequium. Haymon sic ait: *Sancti non timore pœnali, sed per charitatem se invicem solo Dei amore stringunt.* Albertus Magnus: *Sic præcincti, quia sola charitate se invicem amplectuntur.*

140 Dei Ministri non timore, sed amore ducuntur.

Quintò: *Exeunt Angeli vestiti lino mundo, & candido præcincti circa pectora zonis aureis*; in quo eximiæ virtutes denotantur. *Lino* significatur mortificatio, ut dixi superiori quæstione. *Mundo*, puritas à malitia peccati. *Candido*, decor virtutibus, & meritis. Præcinctio cingulum castitatis dicit. *Zonis aureis*, charitatis fervor indicatur; & hæc ponuntur, & non primo, ut dici poterat præcincti zonis aureis, vestiti lino mundo, sed zonæ aureæ charitatis ultimum tenent locum, ut innuatur, quod omnes virtutes præcedentes, una charitate uniuntur, ac conservantur. D. Thom. sic ait: *Hæc omnia, scilicet, virtutes, quas in concionatoribus dixerat necessarias, non conservantur nisi per charitatem.*

141 Omnes virtutes charitate uniuntur, ac conservantur.

Sextò profundè ponderandum, est, quod septem Angeli exeunt habentes plagas septem, præcincti circa pectora zonis aureis. Ecce in manibus deferunt rigida supplicia quibus impii afficiendi sunt, & tamen præcincti apparent zonis aureis charitatis, quia si in manibus sunt plagæ dirè vulnerantes, in corde est charitas benignè refovens: *Zona aurea circa pectora, charitas in corde perfecta.* Exibant Angeli tanquam Dei ministri deferentes plagas furoris in manibus, intimam verò charitatem in corde, ut significetur lenitatem, & severitatem in gubernatore, ac principe debita proportione temperandam. Præclarè in hanc rem Prælatorum ingenium explicavit Michæas Propheta cap. 1. numero 7. & 8. *Erunt*, ait, *reliquiæ Jacob in medio populorum multorum, quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, & quasi leo in jumentis silvarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum*; quem locum pulchrè expendit Rupertus: *Quid*, ait, *magis dissimile, quam suavitas roris à ferocitate leonis? Quid magis diversum, quàm lenitas stillarum stillantium super herbam, levitia catuli leonis rugientis in gregibus pecorum? Attamen eisdem reliquiis Jacobi, & suavitas roris, sive lenitas stillarum, & feritas leonis, sive impetus catuli leonis adscribitur hic. Quare? Videlicet, quia magistri populorum, & surgentium Apostoli, & leones, & severterant; leones in do-*

142 Lenitas, severitas conjungenda.

decendo, sive exhortando, severè in corripiendo, & ulciscendo.

143 Septimò Angeli Dei ministri, ac gubernatores exeunt præcincti *zonis charitatis, id est, fulgore sapientiæ*, ut explicat Gagnæus. Et frequenter in sacra Scriptura, aurum sapientiam denotat; ait regius Vates, Psal. 71. n. 15. *Dabitur ei de auro Arabiæ*; ibi D. Aug. *Prophetatum est, etiam sapientes hujus Mundi in Christum fuisse credituros; per Arabiam etiam gentes intelligimus, per aurum sapientiam, quæ ita excellit inter omnes doctrinas, ut aurum inter metalla, undè scriptum est Proverb.... Prudentia sicut argentum, & sapientia sicut aurum probatur.* Cinguntur ergo Angeli, ut optimi ministri, & strenui milites, ideo præcincti circa pectus, in signum suæ fortitudinis, ac roboris, quo maximè corroboratur animus, erant ut strenui bellatores prompti ad pugnam. Zonas verò aureas in symbolum sapientiæ gestant, quia ex optimo ministro debet relucere sapientia cum fortitudine; sapientia, ut universa dirigat, & ordinet, fortitudo, ut adimpleat, & ad effectum perducat.

Sapient conjuncta sit cum fortitudine, ut producat effectum.

144 Ait Job. 12. num. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia, & fortitudo.* Confert sapientiam senium mundialium cum sapientia Dei, ut appareat, quàm frigeat sapientia hominum comparatione facta cum sapientia Dei. In quo tamen illa sapientia friget in comparatione hujus? Apertè ostendit cùm ait: *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo*; in antiquis senibus sapientia tantùm erat sine fortitudine, proindèque talis sapientia absque fortitudine inutilis erat, cùm omni executionis effectu careret. Quæ verò à Deo est sapientia, ipsa venit adjuncta cum valore, ac fortitudine, ut omnia ad finem, ac ad ultimum terminum perducat. Rupertus lib. 1. cap. 3. agens de utraque sapientia sic ait: *In hoc differunt, quòd in illis sapientia tantùm est, apud istum autem sapientia simul, & fortitudo est; etenim illi, quod sapiebant, ad effectum perducere non poterant, iste autem sapientiam actu perduxit usque ad victoriam.* Valde inermis, & imbecillis est sapientia, quæ non valet removere, quod agnoscit removendum, nec potest acquirere, quod agnoscit acquirendum; illa sine dubio æstimanda vera sapientia veniens à Deo, quæ juncta est cum fortitudine, & bona, quæ agnoscit, illa prosequitur usque ad effectum contemnens omnem laborem, undè dicitur Ecclesiast. 1. num. 18. *Qui addit scientiam, addit & laborem.*

Vera sapientia producit effectum, & executionem.

145 De B. Stephano Act. 6. num. 8. dicitur: *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Asia disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.* Proponitur Stephanus fortitudine repletus: *Plenus gratia, & fortitudine*; & statim subjungitur ejus præclara sapientia de adversariis triumphatrix, & tam fortis quòd nullam patiatur resistentiam: *Et non poterant resistere sapientiæ*; quæ sola sapientia cum tanta fortitudine æstimationem habet apud Deum, at verò si tali fortitudine careat, nullius valoris habetur, undè dicitur Ecclesiast. 7. num. 6. *Noli quærere fieri Judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitatem.* Quamvis tibi multa sit sapientia, si fortitudo tibi non adsit, fuge dignitatum culmina, non enim stabit sapientia, quæ fortitudinis expers reperitur.

Sapientia cum fortitudine æstimanda, sine illa inutilis.

146 E contra verò fortitudo sine sapientia nihil valet. Quis Sampsone fortior? lege apud Judices cap. 16. hujus magni viri fortitudines & miraberis; ut leonem strangulaverit, ut Philisthæos sæpè percusserit, ut portas civitatis in montem portaverit, ut fortissima vincula ruperit; sed etiam hujus lege calamitates, ut deceptus fuerit à muliercula: *At illa dormire eum fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocavitque tonsorem, & rasit septem crines ejus*, Judic. 16. num. 19. & inde ad molam venit religatus; undè vir adeo fortis in tam miseram incidit calamitatem? Etsi illi erat multa fortitudo, à sapientia tamen erat destituta, & ideo, qui vicerat fortes ab infirmitate devincitur. Pulchrè D. Paulin. Ep. 4. sic ait: *Utinam tam prudens Sampson ad cavendam mulierem, quam fortis ad strangulandum leonem, sed carnali victus illecebra, qui gratia spirituali vicerat cùm prævaluisset forti, ab infirmitate superatus est. Parum profuit ei tanta fortitudo, cum sapientia esset destitutus, & ideo prostratus jacuit.*

Fortitudo sine sapientia ad nihilum valet.

Apoc. 15. *n.* 7. Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum.

Num. 8. Et impletum est templum fumo à majestate Dei, & de virtute ejus: & nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum.

VERSIONES.

Arabicus n. 7. Dedit septem phialas aureas, quæ plenæ erant ira in sęcula sæculorum.

Syriacus. Pœnas excandescentiæ Dei, qui vivit, &c.

Arabicus n. 8. Et impletum est templum fumo gloriæ Dei à potentia ipsius; nec poterat quisquam ingredi, donec complerentur septem exitia.

Syriacus. Impletum est templum è fumo ex gloria Dei, & ex potentia ejus, usque dum explerentur.

Oecum. Nullusque ingredi poterat donec complerentur septem phialæ.

Primas. Repletum est templum fumo de claritate, &c. donec finirentur septem plagæ.

EXPOSITIO.

147 ET *unum de quatuor animalibus*; id est, primum animal, & maximè proportionatum ad præsens institutum, leo scilicet, ut patet ex cap. 4. num. 7. leo enim typus est imperii, fortitudinis, & severitatis, sub qua hæc debemus intelligere. *Dedit septem Angelis.* Non post egressum de templo, sed antequam egrederentur de illo, ut verificaretur dictum: *Exierunt habentes septem plagas.* Prosequitur textus: *Septem phialas plenas iracundiæ Dei.* Hæ phialæ, quas acceperunt Angeli, denotant potestatem, & commissionem datam Angelis, ut explicat Panuonius, quæ eis tradita est à divinis decretis, & judiciis, ac sententiis, in quibus, tanquam in vasis, inclusæ sunt ultiones, & supplicia: Mundo, & impiis inferenda, sicut aromata, & thymiamata, in phialis asservantur.

148 *Viventis in sæcula sæculorum.* Hæc verba ad incutiendum terrorem impiis addita sunt, ut, apertè sciant Deum vivere in æternum, proindèque sine fine improbis daturum supplicia. Albertus Magnus: "*In hoc*, ait, *notatur, quòd ira Dei, non est transiens, sed permanens æternum.*

149 *Et templum est impletum.* D. Ambrosius per templum interpretatur cœlestem beatitudinem; Ansbertus Ecclesiam. Genuinè, & ad literam Primasius, illud divinissimum penetrale secretorum Dei. *Fumo*; densa nempe obscuritate, ac caligginosa obtenebritate nostris quasi noctuarum oculis inducta, ac objecta. *A majestate Dei, & virtute ejus.* Videntes homines tot plagas, ac pœnas ex ira Dei, ac potentia ejus emissas in Orbem, admirantes stupebant, nescientes quorsum illa tendant; & eriam quid Deus intendat tot prodigiis, ac ostensionibus suæ majestatis, ac virtutis. *Et nemo poterat introire in templum*; hoc est, penetrare absconditum oraculum divinorum secretorum, ac consiliorum, eorùmque fines, ac modos.

Dei secreta valde abscondita.

150 *Donec consummarentur decem plagæ*; nam illis finitis, & terminatis, adveniet universale judicium, in quo omnium scelera fient manifesta, & tunc intelligentia apprehendetur, ac cognoscetur quid Deus tanta pla-

plagarum immissione, ac pœnarum acerbitate intendere voluerit; ita Div. Ambrosius, Ansbertus, Primasius, Richardus, & alii.

QUÆSTIO XVIII.

Quare unum è quatuor animalibus dat septem phialas, & quidnam est hoc animal.

151 Unum sæpè pro primo ponitur.

AIt Textus: *Unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas*. Tota difficultas est, quidnam esset hoc unum è quatuor animalibus? Communis tenenda est sententia, hoc animal fuisse leonem: ita Alcazar, Cornelius, Menochius, Tirinus, la Haye, Ferrarius, & alii. Et fundatur hæc sententia, quia frequenter in Scriptura unum significat primum; Genes. 1. num. 5. dicitur: *Factum est mane, & vespere dies unus*; id est, primus; Marc. 16. num. 2. *Una sabbatorum*? pro prima sabbatorum ponitur, & alibi; & cum noster Ioannes 4. num. 7. referat quatuor animalia, primum eorum est leo: ergo cùm unum idem valeat, ac primum, cùm dicitur unum animal, id est primum, hoc est leo. Deinde leo est typus fortitudinis, rigoris ac severitatis.

152 Impugnatur.

Tota quæstio est, quid hic leo supponat, seu quid sub hoc leone intelligatur. Cornelius ait quatuor animalia Ezechielis, & Ioannis, non esse homines, nec Evangelistas, sed quatuor primarios Angelos, puta Cherubim stipatores Dei, ac proinde dicendum hoc unum animal esse primum, è quatuor hisce Cherubinis, qui quasi divinæ justitiæ præsens, septem Angelis inferioribus, has suppliciorum plagas seu potestatem tradit. Hanc tamen sententiam impugnavi tomo 1. ad caput 4. quæst. 25. numero 224. 225. & quæst. 26. tenui communem sententiam Patrum, quatuor animalia significare quatuor Evangelistas, ideo

153

Ribeira, Viegas, la Haye docent leonem in præsenti denotare unum ex quatuor Evangelistis; nam etsi Evangelium Christi totum sit suave, nec habeat minas antiquæ legis, tamen habet leonem, & in leonem convertitur in illos, qui eo abutuntur, & talis maximè erit in ultimis temporibus; pro quo facit illud, quod dicitur Matth. 11. numero 12. quod remissius erit sodomitis, quibus non est prædicatum, quàm iis, quibus prædicatum est Evangelium; & ideo unus ex quatuor evangelicis scriptoribus dat septem Angelis septem phialas ad puniendum Mundum, ob contemptum Evangelii.

154 D. Marcus eximius Evangelii zelator.

Adhuc tamen dubitabis, quisnam sit iste Evangelista. Aureolus, ait quod sit Sanctus Lucas, hic enim tristissima Jerosolymitanis & antichristianis in fine Mundi supplicia pronunciat, cap. 21. & alibi. Alii multi, quod mihi est verisimilius accipiunt sanctum Marcum, hic enim inter quatuor Evangelistarum symbola per leonem significatur; ipse incipit suum Evangelium, tanquam à rugitu leonis, à voce clamantis in deserto, ad pœnitentiam vocantis, ac zelantis salutem animarum, Marc. 1. n. 4 & ideo ipsi D. Marco tanquam eximio zelatori evangelico datur, ut tradat phialas Angelis ad Orbis castigationem.

155 Christus sic humilis, ut cum aliis numerari velit.

Est etiam tertia sententia in hac re, quam tradunt Ansbertus, D. Thom. Albert. Magn. Unum è quatuor animalibus est Christus; è quatuor unus, nam fuit homo nascendo, vitulus patiendo, leo resurgendo, aquila ascendendo; dedit autem phialas, id est, sacræ Scripturæ intelligentias universas suis discipulis, ac suis prædicatoribus; vel quia ita Christus est humilis, quia licèt sit super omnes, tamen inter suos prædicatores tanquam eis æqualis patitur numerari. D. Thomas: *Unum de quatuor animalibus*, ait *est Christus, qui fuit nobilissimus inter prædicatores omnes, qui licèt super omnes prædicatores sit doctor omnium, tamen per hoc quod homo esse voluit, non dedignatur inter eos enumerari*: hæc sententia moralis est.

156 In die judicii misericordia convertetur in justitiam.

Ex quo Antonius Valasquez tomo 1. in Epistola ad Philippenses cap. 1. vers. 10. Annotat. 9. n. 12. magnam excitat quæstionem; nam apud Ezechiel 1. num. 10. dum hæc animalia referuntur, primum animal est homo, & apud nostrum Ioannem hic, & cap. 4. n. 7. leo primum est animal, & ut modò dixi ex Sanctis Patribus in his quatuor animalibus Christus denotatur. Quomodo primò homo dicitur, nunc verò leo? idemne simul est homo, & leo? & quomodò ab hominis persona in leonis iram transit, dum ultoribus Angelis tradit phialas effundendas iræ Dei? Solutio est ad manum: Christus, quà homo primo veniens in Mundum in diebus carnis suæ, largiter suam humanitatem, ac benignitatem in peccatores diffuderat, quos ad pœnitentiam vocabat, at in die furoris sui, tanquam Iudex leo apparebit; & tunc ira sua magis, ac magis accendetur, ac acuetur, ut tantæ ingratitudinis, ac spretæ benignitatis pœnas reposcat, de quo commonet nos Apostolus, Rom. 2. n. 4. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ*. Iræ cumulus, ac thesaurus ex contemptæ divinæ bonitatis injuria consurgit.

Multis in locis clamat Isaias divinam benignitatem 157
40. n. 1. *Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Deus vester, loquimini ad cor Jerusalem*, &c. & iterum cap. 35. n. 4. *Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere. Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis, Deus ipse venite, & salvabit vos*. Tantæ tamen clementiæ, quid respondebit? Ipsemet Isaias ait 13. num. 6. *Ululate, quia prope est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet*; quæ verba sic legit D. Cyrill. Alex. *Desperantes cùm in vos ira Dei sit armata*; ac si dicat: Cùm dies Domini advenerit, jam omnia vestra, vosque desperationi tradite, quia nulla spes misericordiæ erit; ecce enim Deus vester veniet, non inermis ut salver, sed armatus gravi succensus ira, ut puniat. Et hoc considerans D. Chrysost. homil. 19. in Genesim admonet: *Memores nunc estote, quòd terribili illo die, & judicium illud non poterit deprecari, & unusquisque nostrum ob peccata desperabit; videns ante oculos terribilia illa tormenta & inevitabiles pœnas, nullam inde habiturus utilitatem, tempore destitutus*.

In die judicii judex justitiæ armatus prodibit.

Considera invitantis parabolam ad nuptias; & primò qui invitat, ac allicit, homo benignus introducitur, dona sua præparans, ac distribuens; Matth. 22. n. 2. *Simile factum est regnum cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo*; at vero cùm de pœna ingrato inferenda jam agitur, nulla hominis mentio fit, sed alto silentio premitur, & Rex, à quo humanitas exulare solet introducitur; & non solùm Rex dicitur, sed etiam iratus; ibid. n. 6. *Rex autem cùm audisset iratus est*; ac sic Deus in die hominis humanissimum se ostendebat cum homine, at in die iræ suæ humanitatem exuens, Regis personam, quæ severitatis est index, ostentat, & iram, multo furore concepto, repræsentat; ac sic in illa die non solùm apparebit ut Rex, sed ut Rex iratus, cui nullus resistere valet. D. Paschasius ibi: *Introducitur primùm Rex, & homo quando invitat ad nuptias, & agit opera clementiæ; tunc siquidem appositum est nomen hominis, nunc quando ad ultionem festinat, homo bene tacetur, & Rex tantùm dicitur, quia ira Regis nuntius mortis*: vide cap. 14. q. 25. n. 227. 158

In judicio finali abscondita benignitate justitia fulgurabit.

QUÆSTIO XIX.

Quare hujusmodi phialæ non solùm sunt aureæ, sed etiam plenæ iracundia Dei.

VAria sunt phialarum genera; quædam sunt lato, & amplo ore, quales sunt calices, qui ad bibendum propinantur, & ita ex græco idiomate phiala à bibendo, seu potando derivatur; & latæ erant phialæ, quæ in sacris adhibebantur, Exod. 25. num. 29. & cap. 37. num. 16. & ad has sacrorum hic fit allusio, est enim annuntiatio plagarum in fine sæculi, in quibus solemniter sacrificabitur divinæ justitiæ, & iræ Dei affatim, & largiter propinabitur peccatoribus, ut statim dicam; alia vero sunt vasa in inferiori parte lata, & superiori parte in angustum os desinentia, & veluti ab his pro tempore hujus mortalitatis ira Dei effunditur, juxta illud Danielis 9. num. 11. *Stillavit super nos maledictio, & detestatio*; Ezechiel. 20. numero 46. *Stilla ad Africum*; ubi D. Hieronymus ait: *Ut non tota ira Dei videatur effusa, sed stilla quædam, & pars*. Si autem stilla tantæ sævitiæ est, quid in totis imbribus existimandum erit? 159 Phialæ in duplici genere.

In sensu literali has phialas vult Pagnonius esse de- 160

Sensus literalis

decreta, & judicia Dei, atque sententias, in quibus contineantur inclusæ pœnæ, supplicia Mundo, & impiis inferenda, proindèque cum dicitur: *Dedit septem phialas aureas plenas iracundia Dei;* per illud, quod dicitur, *dedit*, intelligitur potestas, & commissio facta Angelis exequendi, & inferendi supplicia, & pœnas statutas in Dei judiciis, ac decretis, quæ in eis continentur tanquam in vasis, & phialis.

161 Supplicia data à Deo commensurantur culpis.

Et rectè divina decreta, ac judicia dicuntur phialæ, quæ sunt vasa quædam, certam, & determinatam mensuram habentia, divina enim supplicia inferuntur cum mensura, & proportione ad culpam, ut jam explicavi superiori cap. 14. quæst. 23. num. 210. & seqq. Deinde ira Dei non explicatur per ignes, flammas cruciatus, & gladios, sed per phialas plenas; facillimè enim liquor aliquis ex phialis diffunditur, ac spargitur. Ecce cur supplicia iracundiæ Dei inferenda per phialas plenas liquore declarantur; quia tam facilè immittitur, sicut liquor ex inverso vase Pannonius: *Scimus phialas orepatulo esse, ventre mediocri, undè facilis possit esse liquoris tota simul effusio, ut nihil in fundo remaneat; sic Dei quoque iracundia quandoque effunditur in commeritos tota.*

Supplicia data à Deo facile immittuntur.

162 Deus semper ex charitate, ac amore operatur.

Hæ autem phialæ dicuntur *aureæ;* & magno sanè mysterio. Primò aurum symbolum est charitatis, ut denotetur quod hujusmodi supplicia immittuntur à Deo, non cupiditate nocendi, sed charitate, ac amore suæ justitiæ, & æquitatis, quo maximè nos excitat ad amorem supernorum bonorum; tum etiam amore justorum, qui sive perficiuntur hìc talibus purgati pœnis, sive exhilarantur mirificè recreati justitia, dum ei satisfactum esse vult ob crudelitatem suorum adversariorum. Et etiam amore, ac benevolentia impiorum in hoc sensu; ut aut impii corrigantur, aut certè quatenus hìc castigati levius in futuro puniantur. Est etiam aurum symbolum sapientiæ, quæ maximè relucet in tam justis Dei decretis. Et tertiò aurum est purissimum metallum, & pretiosissimum; inde phialæ plenæ iracundiæ Dei, dicuntur aureæ, quia ira Dei pura, & pretiosa est, nihilque habet admistum perturbationis, ac commotionis, undè dicitur Sapient. 12. num. 18. *Qui cum tranquillitate judicas*; sic loquitur Aretas Episcopus: *Pretiosa est ira, quæ bonum, ac utile adfert; & quamvis mœrore afficiantur hi, qui puniuntur, Dei autem ira non est ex affectione.*

Ira Dei absque perturbatione

163 Prædicatores, ut debito suo officio fungantur cœlesti sapientia illustrétur

Quia tamen graves Patres, & auctores per hos septem Angelos, intelligunt universitatem prædicatorum, cùm phialæ, quæ eis dantur, aureæ sunt, quia ut debitè suum prædicandi munus adimpleant, sapientiæ fulgore resplendeant; Sic ait Ansbertus: *Benè phialæ*, ait, *quas accipiunt, aureæ esse describuntur, quia ut prædicandi officium explere possint, cœlitùs sapientiæ fulgore illustrantur.*

164 Summa Dei ira quod verbum ab auditoribus contemnatur.

Sed quomodo in his phialis prædicatio sanctorum ostenditur, cùm hujusmodi phialæ dicantur plenæ iracundia Dei in æternum? & quæ sanctorum prædicatio tantam Dei iracundiam prætendit? Illa nimirum, quæ ab auditoribus contemnitur; ita D. Ambrosius in præsenti ait: *Phialæ igitur septem Angelorum plenæ iracundiæ Dei, quia quantum ad reprobos pertinet, prædicatio sanctorum iram Dei in se continuit, quia pro eo quod eorum prædicationem contempserunt, iram Dei incurrerunt;* & cur ad Dei iram non pertineat, quod quis audiat periculum, & contemnat liberari ab illo?

165 Peccatum irremissibile contemnere Dei verbum.

De deploratis hominibus loquens Amos cap. 5. num. 10. hoc tanquam omnium malorum caput illis adscribit: *Oderunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt:* ibi Rupertus sic ait: *Corripientem oderunt, loquentem perfectè abominati sunt. Hoc est irremissibile peccatum, hoc robustiorum, atque potentum, non per ignorantiam, sive per infirmitatem peccare, sed peccatum superbe defendendo corde impœnitente, correptionem quoque odisse.* Expende illud: *Hoc est irremissibile peccatum*; quippe quod homines alioquin scioli, & sapientes, secundùm carnem minas divinas audiant, & contemnant, & prædicatores prudenter loquentes odio prosequantur, ab illa ira Dei venit, quæ permittit homines ire in peccata à quibus nunquam liberentur, sed in eis demersi, ac impœnitentes moriantur: vide tom. 1. in Evang. lib. 3. c. 3. q. 5. n. 25. 26.

QUÆSTIO XX.

Quare cum hujusmodi phialæ superiùs dicantur plenæ orationibus sanctorum, nunc verò proponuntur plenæ iracundia Dei.

166 Difficultas quæstionis.

MEritò addubitat Ansbertus: Quomodo hæ phialæ c. 5. n. 8. dicuntur plenæ odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum, nunc verò dicuntur plenæ iracundia Dei viventis? si ergo plenæ sunt orationibus sanctorum, quis est in eis locus vacuus, quo possint vel iracundiæ, vel septem plagæ adhuc recipi?

167 Prædicatores justis præbent suavia, impiis terribilia.

Primò Haymon respondet confugiens ad sensum moralem, dum per hujusmodi Angelos concionatores intelligit, & ait: *Ipsi etiam sunt Angeli qui & seniores, quia videlicet in eorum doctrina, & plena est electorum salus, & plena reproborum damnatio undè illi vitam, isti mortem accipiunt, undè Apostolus: Odor mortis in mortem, aliis sumus, odor vitæ in vitam; huic etenim ipse Dominus, quibusdam in ruinam positus dicitur, quibusdam in resurrectionem.* In his septem Angelis prædicatores evangelici denotari jam ex multorum sententia dixi quæst. 1. quomodo ergo eis traduntur phialæ plenæ odoramentis, ac ira Dei? Quia prædicator justis præbet suavem rorem cœlestis doctrinæ, impiis verò plagarum ultionem.

168 Dei judicium plene justis dat præmium & iniquis pœnam.

Secundò Ansbert. sic: ait *Non sicut in materialibus, ita & in spiritualibus difficultatis apparet effectus, ac per hoc in singulis prænominatis partibus ipsæ phialæ plenæ reperiuntur; quia enim & perfecta electorum salus, & consummata reproborum damnatio in eis continetur, rectè in singulis partibus plenæ memorantur, nam propter electorum salutem plenæ odoramentis, propter reproborum verò mortem iracundia Dei plena.* Superiori quæstione ex communi sententia explicavi, per has phialas denotari Dei decreta, ac judicia, in quibus tanquam in phialis continentur præmia justorum, eis ob sua merita largienda, & supplicia iniquorum juxta demerita eis irroganda, ac proinde hujusmodi phialæ, seu decreta sunt plena odoramentis, seu meritis sanctorum ad debitam mercedem dandam, & sunt plena ira Dei ob impiorum peccata, ut digna pœna afficiantur, ab ira nempe Dei viventis in sæcula sæculorum, à qua nec effugere, nec declinare per omnem æternitatem poterunt.

169 Deus suavis est justis, fortis impiis.

De Christo Iesu celebratur Cantic. 1. num. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* Valde mirum quòd nomen Dei fortissimum, quod omnia superat, & vincit, possit in suavitatem olei converti, idque tribuendum est creaturis, quibus Mundo communicatur. Sic Rupertus interpretatur: *Nomen Dei tam forte, tam magnum, est oleum effusum. Mira res, quid verbo fortius, & quid oleo suavius? ergone verbum à sua natura est immutatum? Non, sed qualitates creaturarum, cum quibus illi ratio est, diversæ sunt; & pro qualitatibus diversis, unum idemque Verbum Diabolo ut fulmen, & B. Virgini ut oleum se exhibuit.* Itaque divinitatis rivus qualitatibus creaturarum, per quas fluit sese accommodat, ubi per sulphuream dæmonum regionem transit, ibi sic exardescit, ut totus appareat fulmineus, ubi in Mariæ viscera delabitur, sic mollescit ut oleum videatur effundi.

170 Deus justis benignus, iniquis dominus.

Ad hoc respicit illud Moysis Deut. 23. n. 13. *Constituit eum* (nempe Dominus, populum suum *super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.* Isidor. Peluliota lib. 2. *Oleum de saxo durissimo, quod nec roris guttulam stillat*; improbis, & iniquis, sed eis semper durissimum saxum sine ullo humore se exhibet; at bonis, & electis mel, & oleum in abundantia largitur. Alii legunt, *de silice durissima*, quæ dat oleum, & ignem pro conditione creaturarum, impiis, ac iniquis ignem ad comburendum, electis, ac bonis oleum & mel ad delectamentum, & recreationem.

QUÆSTIO XXI.

Quare templum tanto repletur fumo à majestate, ac virtute Dei, ut nemo possit in illud introire.

171 ELegantem quæstionem hìc excitat Ansbertus Abbas: Si templum ita erat repletum fumo, ut nemo posset in illud corpore, ac mente introire, quomodo noster Joannes vidit in templo septem Angelos vestitos lino mundo, & candido, præcinctos circa pectora Zonis aureis? nam antequam Angeli egrederentur de templo, ut notavi superiori expositione, nu. 147. unum è quatuor animalibus dedit eis septem phialas; si ergo templum ita erat plenum fumo, ut nullus mente, & corpore in illud introiret, quomodo Joannes tam minutim Angelos vidit, eorumque vestes, & zonas? Nostra sublimis Aquila semper divina mysteria acutissimè penetravit, & quæ aliis sunt clausa, semper ei sunt aperta, & reserata; sic de justis, ac sanctis ait Ansbertus: *Certum est eos quotidie ingredi templum, non de majestate ejus fumo repletum, sed eadem majestate, ac virtute.*

Joannes Evangelista divina secreta penetrat.

172 Sensus ergo literalis est, ut dixi in expositione. Hic fumus significat obscuritatem divinorum secretorum, & incomprehensibilitatem consiliorum Dei, ad quam nemo potest prevenire, quousque consummato hoc sæculo Deus per judicium illuminet abscondita tenebrarum, & manifestet consilia cordium, indeque additum est illud: *Donec consummentur septem plagæ septem Angelorum;* in ultima enim plaga consummabitur sæculum, ut videbimus, proindeque ex mirabilibus effectibus septem phialarum in Mundum effusarum excitatur cordatorum intelligentia, ad investigandum illarum causas, quę nobis sunt absconditę, dum sumus in hac mortalitate, tanquam si quis ingrediatur in templum fumo repletum, in quo nihil valet videre.

Sensus literalis.

173 Ex his ergo habemus dum sumus in hac mortalitate, divina mysteria esse nobis tanquam in caligine, ac fumo: *Dominus dixit ut habitaret in caligine*, 2. Paral. 6. n. 1. *Et caligo sub pedibus ejus*, Psal. 17. n. 10. *Nubes & caligo in circuitu ejus*, Psal. 96. n. 2. sic Moyses accedens ad Deum ingressus est in caliginem, Exod. 19. & 20. sic & cum Isaiæ manifestatur mysterium Trinitatis, domus repleta est fumo, cap. 6. n. 4. ut notat Rupert. *Quod exemplo*, ait, *confirmat Isaias, quia clamantibus Seraphim, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth, impleta est domus Dei fumo. Quidquid de Deo in hac vita intelligimus, ænigma est: Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, 1. Cor. 13. n. 12.

Divina mysteria nobis abscondita

174 Secundo valde mirabilis est Dei dispositio, ac gubernatio in hoc universo, undè ait Ecclesiast. 11. n. 14. *Mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius*; quare Jeremias exclamat cap. 12. n. 1. *Justus quidem tu es, Domine, si disputem tecum, verumtamen justa loquar de te, quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt*; pro quo sic fatur in præsenti Ansbertus. *Plagis de templo exeuntibus, quid est templum fumo repleri, nisi electorum Ecclesiam in infirmantibus membris suis ex inflictione plagarum mentis caliginem pati? cùm enim infimi quilibet intra Ecclesiam sanctam constituti, non valeant considerare, cur reprobi ex audita verbi prædicatione detrimentum incurrant, per quam omnes justi incrementum salvatoris inveniunt; cur falsi fratres excitata in Ecclesia persecutione per temporalia flagella ad æternam mortem perveniant, per quæ electi ad sempiternam vitam proficiunt, cum hæc, & his similia ab eisdem infimis non valent respici, in eorum parte certum est templum repleri fumo.*

Investigabilis viæ Dei in gubernatione mundi.

175 Tertio templum repletur fumo cum illud incomprehensibile judiciorum, ac consiliorum Dei arcanum volumus investigare, nam ex una parte relucet infinita sapientia, ac majestas Dei, ex alia vero præpeditur nostra intelligentia, dum volumus oraculum divinorum consiliorum penetrare, quod verè penetrare non possumus in his plagis, donec ipsæ plagæ finiantur; quod canit David Psal. 72. n. 16. *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum*; quæ verba sic commentatur in præsenti Pannonius: *Id est cogitabam mecum, si quomodo causam hujus rei scire possem; sed dum cognoscere voluero, semper laborabo, donec intrem in templum Dei, à quo hæc judicia, & consilia exeunt, hoc est, donec fiam particeps divinorum secretorum, quod fiet cum fine eorum*; seu post hujus vitæ cursum.

Dei secreta nobis valde abscondita in hac vita

176 Quartò de augustissimo primo Christi adventu ait Isai. 9. n. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis*; at verò nunc in præsenti ait noster Evangelista: *Impletum est templum fumo, à majestate Dei, & de virtute ejus, & nemo poterat introire in templum.* Primò apparet cum luce, ac splendore illuminante: *Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*; modò verò in nostra Apocalypsi cum fumo obcæcante, & tanquam densa caligine nostris quasi noctuarum oculis induta; undè tanta differentia? Apud Isaiam describitur veniens Dominus, ut Salvator, ac hominum amator largiens multa beneficia, at in nostra Apocalypsi proponitur ut Judex severus ad puniendum; non ergo mirum quòd in primo adventu, tanta luce, ac fulgore appareat, cum modò in nostro text. tam caliginoso fumo abscondatur, quia in beneficiis largiendis, tanquam in eis gloriosus maximè vult videri, at in pœnis inferendis faciem suam Deus occultat in eisque dedignatur apparere. Joachimus Abbas: *Quia sicut humilitas*, ait, *& infirmitas ad redemptionem, ita majestas, & virtus pertinet ad Judicem Christum; ut enim se aliquando exhibuit parvum, quatenus effusa desuper luce misericordiæ suæ illuminaret humiles, & mansuetos terræ, ita post ascensionem suam in Cœlum residens cum Patre in throno gloriæ suæ exhibet se ipsum ineffabiliter magnum, ut effusa caligine judicii sui, eos qui gradiuntur in superbia percutiat cæcitate, ne quando videant oculis.* Expende verba: *Effusa luce misericordiæ illuminaret*; & iterum: *Effusa caligine judicii sui percutiat cæcitate.*

Deus in misericordia vult manifestari in rigore judicii absconditus.

177 Cùm Abrahamus in ipso fervore diei sederet in ostio tabernaculi sui, *cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri*, Gen. 18. nu. 2. at verò Loth sedenti in foribus Sodomæ, cum jam Sol fulgentes suos radios abscondisset, *venerunt duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus civitatis*, Gen. 19. nu. 1. Manifestè dubium insurgit, cur cum tam Abrahamo, quàm Loth Angeli apparent, maximè tamen diverso tempore, illi in ipso diei fervore, hoc est meridiano tempore, quando Sol miro suo splendore fulget, huic verò, scilicet Loth vesperi, quando adveniente nocte omnia obscuritate involvuntur. Ad Abraham venerant Angeli, ut eum multis beneficiis cumularent, & ut filii, ac innumerabilis successionis promissione secrearent, ad Sodomam verò, ut eam igne consumerent. Ecce cur Angeli ad Abrahamum in luce, ad Sodomam nocte advenerunt; quia ubi erat benignitas misericordiæ, ibi Deus vult videri in suis ministris, ubi verò justitiæ rigor erat explicandus ibi maximè occultari, ac abscondi affectat. D. Greg. lib. 2. Moral. c. 2. *Angeli*, ait, *ad Abraham meridie veniunt; punituri autem Sodomam, ad eam vespere venisse memorantur.*

Deus dum beneficit, manifestatur, dum punit, absconditur.

CAPUT XVI.

Cum superiori Cap. annuntiatæ sint cum septem Angelis septem plagæ novissimæ, septem aureis phialis inclusæ. Jam nunc in hoc capite sacra Prophetia venit ad demonstrandam earum effusionem, earumque mirabiles, ac horribiles effectus. Primus Angelus effudit phialam in terram, & induxit sæva vulnera; secundus suam in mare; & tertius in flumina, & fontes, & vertit in sanguinem; quartus quartam in Solem, & adurit homines, & terram; quintus quintam in regnum Antichristi, ipsumque sic dolorum efficit, ut homines linguas suas manducent; sextus sextam, & siccat Euphratem; septimus septimam, & adducit fulgura, tonitrua, terræmotus, & grandinem.

Apoc. 16 n. 1. Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem Angelis: Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram.

VER-

VERSIONES.

Syriacus. Ite, & evacuate septem phialas.
Arabicus. Abite, & effundite illas septem phialas excandescentiæ Dei.
Oecumen. Plena iracundia Dei.
Alii Codices. Audivi vocem magnam de throno.

EXPOSITIO.

1 POstquam Angeli acceperunt phialas iræ Dei, ut vidimus in fine superioris cap. ait noster Joannes: *Et audivi vocem magnam*; vocem nempe validam, & horribilem propemodum miseriam, ut ait Aretas, denunciantem mortalibus. *De templo*; scilicet de sacratissimis penetralibus judiuiorum Dei. *Dicentem septem Angelis: Ite.* Phialæ non solùm sunt fabricatæ Dei auctoritate, sed etiam per eandem dantur, ac committuntur Angelis, Angelique egrediuntur de templo, & eas effundunt, nihilque suo arbitrio faciunt Angeli, sed quæ mandat divina majestas, & quo tempore fieri mandat, exequuntur adamussim, ut hìc notat Richardus.

Boni ministri nil faciunt nisi ex mãdato sui Domini.

2 *Effundite septem phialas iræ Dei.* Pœnas, quas Deus malis infert, quæ per phialas denotantur, quæ certam habent mensuram cum proportione ad delicta, ut jam notavi superiori cap. q. 19. & ait: *Effundite*; non totam iram simul, sed paulatim, ac guttatim, ut jam dixi citata quæst. 19. ut ita locus pœnitentiæ daretur.

3 Adverte tamen has septem plagas, esse ferè similes, non tamen omnino easdem, quæ per septem tubas in septimo sigillo denotantur cap. 8. & 9. Dixi similes esse ob irrogata supplicia, non tamen esse easdem, nam hæ denuntiatæ per tubas sunt in sigillo, & præcedent Monarchiam Antichristi, proindeque minores sunt, quæ verò modò denunciantur per phialas sunt in libro, regnumque Antichristi comitantur, proindeque majores, ac universaliores sunt, ut in una quaque phiala explicabo, simulque dicam has plagas esse adumbratas in illis, quæ fuerunt in Ægypto.

Hæ plagæ ferè similes cum illis tubarum, ac Ægyptiorum.

QVÆSTIO I.

Quare vox mandans Angelis effundere phialas iræ Dei, dicitur audiri de templo, seu de throno Dei.

4 SEpè noster Joannes in hac sua sacra Apocalypsi testatur se audivisse vocem magnam, tanquam tubæ, cap. 1. num. 10. vocem Angelorum multorum, cap. 5. num. 11. vocem quatuor animalium, cap. 6. n. 1. & ex multis aliis locis; & cap. 14. num. 13. ait: *Audivi vocem de cœlo dicentem mihi: Beati mortui*, &c. at verò, quòd audiverit vocem de templo, seu de throno Dei, hoc est à summis penetralibus judiciorum, ac consiliorum Dei, hìc modo habetur, cum Angelis mandatur: *Ite, effundite phialas iræ Dei super terram*; scilicet super homines terrenos, iniquos, & peccatores, ut denotetur, supplicium illatum peccatoribus, ut quid maximè sanctum, ac sacrum excipi debere, tanquam quid exiens à templo Dei, ac secreto judicio, & verbo ejus in salutem totius Orbis, ac universi populi.

Punire iniquos valde sanctum ac sacrum.

5 Cùm dura servitute Israelitæ premerentur sub jugo Regis Moabitarum Eglon, excitavit eis Dom. Salvatorem nomine Aod, qui cum Rege simulato negotio, ad regalem aulam pervenit; quid tunc? *Ingressus est Aod ad Regem, sedebat autem in æstivo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te; qui statim surrexit de throno. Extenditque Aod sinistram manum, & tulit siccam de dextro femore suo, infixitque eam in ventrem ejus*, &c. Judic. 3. nu. 20. ex quibus maximè exoritur quæstio: Cum Aod intenderet interficere Regem Eglon, dixit se habere verbum Dei ad illum, & nullum verbum invenitur à Deo factum de interficiendo Rege; quomodo ergo ait Aod se tale verbum habere? an bonus populi Israelis dux, & salvator in hoc mentitus est? Minimè, erat enim ille probatæ, & integræ vitæ; eo tamen ipso, quòd ex alto Dei consilio populi salvator fuit creatus, ibi etiam intelligebatur ex ipso Dei consilio verbum, ac mandatum ejus habere, ut penitus extirparet nefarios, ac nocentes populi hostes; & cùm hoc sit magnum populi bonum à solo Dei verbo venit. D. August. quæst. 20. in Judic. scribit: *Dixit Aod: Verbum Dei mihi ad te Rex; sed potest esse mendacium, quandoquidem verbi nomine, solet etiam factum appellare Scriptura, & revera ita erat. Quod autem dixit verbum Dei, intelligendum est, hoc illi Deum, ut faceret præcepisse, qui eum populo suo excitaverat Salvatorem*; in eo enim, quod Deus Aod dedit populo suo Salvatorem, ibi agnoscitur factam jussionem, impulsum, & dictamen, ut nefarium quenque populo infensum interficeret, cum hoc maximè pertineat ad salvatorem à Deo datum.

Valde sacrum, ac salutiferũ populo malum hominem perdere, ac interficere.

Cùm Saul in spoliis Amalecitarum transgressurus esset Domini mandatum, statim Dominus ait: *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem, quia dereliquit me, & verba mea non implevit*, 1. Reg. 15. num. 11. & illico de eo à regno excludendo cum Samuele pertractat; cur tanta severitas Dei? cur non magis semel delinquenti pepercit? cur tam citò, ac irreconciliabiliter de eo eiiciendo à regno agit? Non hìc consideres multam Dei severitatem, sed potiùs summam, & maximam ejus benignitatem in populum Israel, ut hominem noxium, ac nefarium ab eo expelleret, à tantoque malo suum populum liberaret, ab eo hominem iniquum, & protervum removendo. Ibi Theodoret. q. 33. *Verbis ergo*, ait, *usus est Deus humanis, loquens cum hominibus, & dixit: Pœnitet me, quòd unxerim Saulem Regem, pro eo, quod est; volo alii dare regni potestatem, facere autem, ut hic a regno cesset propter meam benignitatem, & in homines benevolentiam.* Perpende divinum motivum in expulsione Saulis à regno: *Propter meam benignitatem, & in homines benevolentiam.* De benignitate Salvatoris venit, & non de alicujus crudelitate, quod iniqua membra præscindantur? vide supra cap. 15. q. 14. num. 117. & seqq. 6

Magna benignitas hominem nefarium à Regno, ac populo expellere.

QUÆSTIO II.

Quare cum mandatum sit Angelis effundere phialas iræ Dei in terram, ipsi non solùm eas effundunt super terram, sed etiam super mare, flumina, Solem, & aerem, &c.

7 DIctum est Angelis: *Ite, & effundite septem phialas iræ Dei in terram*; at ex illis unus effudit super terram, alius in mare, alius in flumina, & fontes, alius in Solem, alius super sedem bestiæ, alius in flumen Euphratem, & alius in aerem: ergo non exequuntur Dei mandatum, sed transgrediuntur. Difficultas quæstionis.

8 Rectè ad literam respondent Haymon, Pannonius, & Cornel. Ferrarius, omnia supradicta comprehendi nomine terræ, neque enim per terram hoc loco accipit noster Joannes terram, quam pedibus calcamus, sed terrenos homines terreniſque rebus addictos, qui sæpè in Scriptura, terra dicuntur; Isai. 1. num. 2. *Auribus percipe terra*; Job. 20. num. 27. *Terra consurget adversùs eum*; ac proinde dicitur: *Effundite septem phialas iræ Dei in terram*; hoc est, in homines terrenos, terreniſque rebus deditos. Sensus literalis.

9 Secundò, & moraliter: Hoc documentum ex his elici potest, sæpè justitiæ ministros in suppliciis inferendis mandatum Principis, ac Regis excedere, & ubi potestatem aliquam à Rege irato acceperint, continuò omnia sibi licere reputant, ut hìc notat Viegas; quod confirmari potest supra ex cap. 7. num. 2. ubi Angelus voce magna clamavit quatuor Angelis, *quibus datum est nocere terræ & mari dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus*; Angelis quatuor solùm fuit datum nocere terræ & mari; vidit ille alius Angelus eos ultra sibi potestatem datam facere, inde eos cohibet, ne ultra mandata procedant, & ad arbores manus extendant, ut ibi citato cap. 7. ponderavi, q. 8. num. 65. 66. & vide in hoc tomo cap. 13. q. 25. n. 191. Ministri sæpe addãt aliquid de suo.

Tertiò

10 Tertiò Haymon sic respondet: *Quantum ad literam pertinet*, ait, *quasi mandatum videtur transgredi, sed non faciunt quantum ad mysticum sensum, quia quod est terra, hoc est mare, &c. id est omne corpus Diaboli cum capite suo; sicut enim Christus cum suis membris unum est, quia ipse est caput, electi membra, ita Diabolus, & omnes iniqui, unum sunt corpus, & unione malignitatis vincuntur.* Diabolus, & reprobi omni turpitudine uniuntur. Quamvis Angelis mandetur effundere phialas super terram, tamen non transgrediuntur mandatum, secundùm mysticum sensum, quia in illis omnibus denotatur Diabolus cum suo corpore mystico reproborum. Terra significat homines terrenis cupiditatibus deditos, mare superbos, qui continuis motibus agitantur, flumina, & fontes delitiosos, Sol ipsum Antichristum, ut multi Patres volunt, sedes bestiæ, illius regnum, Euphrates potentes, & divites, aer vanos jactantia plenos: ergo licèt Angeli jubeantur phialas effundere in terram, dum eas effundunt in mare, fontes, Solem, &c. eas effundunt in homines omni diabolica spurcitia, ac turpitudine vitiorum plenos.

11 Peccator ab ira Dei non potest effugere. Quartò jubentur Angeli effundere phialas iræ Dei in terram, & tamen effundunt in mare, flumina, fontes, & Solem, in sedem bestiæ, ac in Euphratem, ut denotetur, quod quamvis iniquus, ac terrenis deditus, velit effugere ab ira Dei ad mare, ac flumina, ad fontes, ad potentes, veluti Solem fulgentes, ad sedem bestiæ, & ad Euphratem, hoc est, ad divites hujus sæculi, in nullo loco poterit effugere ab ira Dei, sed ubicunque ille sit, ira Dei eum apprehendet, & tenebit, ut debitas pœnas exolvat.

12 Iræ Dei nil obsistere potest. De ultrice ira Dei loquens regius Vates ait Psalm. 76.n.19. *Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.* Transeunt, ait, non hærent non sistunt primo in vulneris limine, sed omnia pervadunt, & transfossis corporibus, ibi non sistunt, sed adhuc currunt, & volant, & omnia pervadunt. *Vox tonitrui tui in rota*; vox nempe tua horribilis, & tremenda, tanquam tonitruum. *In rota*; ut explicat noster Incognitus in toto Orbe, qui rotundus est ut rota, in illoque vox irati Dei sonat, & nullus est locus, in quo quis ab ea valeat effugere: *Etenim sagittæ tuæ transeunt* ad omnem illum locum, ita ut nullus effugiat. Incognitus.

13 Dei flagella non detinentur impedimento. Ait Job.38.num.35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus?* De jaculatis à Deo fulminibus loquitur, quod transeunt, & volant, & revertentia dicunt: *Adsumus*; & quando fulmina jaculata à Deo, reverti dicuntur? Postquam omnia pervaserint, omniaque perdiderint; sicut enim Dei imperium ad omnia sine aliquo obice pertransit, sic & fulgura ejus, ea enim sunt Dei jacula, quæ sine ulla resistentia pertranseant omnia, & post vulnera, & ruinas illatas, adhuc sint in cursu, quo se exhibeant prompta ad quid majus peragendum. Ad hæc Philippus Abbas ait: *Revertentia fulmina eo modo dicuntur, cum effectum fuerit aliud, ad quod dirigitur jubentis scientia.* Jaculata à Deo fulmina in impios non quiescunt uno inflicto vulnere, sed post mortes, post vulnera, adhuc illis paratus est cursus, quo se ostendant in promptu Deo irato obedire, absque ullo impedimento, & obice.

Apoc.16.n.2. Et abiit primus, & effudit phialam suam in terram, & factus est vulnus sævum, & pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.

Num.3. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui: & omnis anima vivens mortua est in mari.

VERSIONES.

Syriacus n.2. Ivit ille primus &c. & factum est ulcus malum, & doloriticum super homines illos, qui habent characterem illius animalis dentis.

Arabicus. Abiit igitur Angelus primus, & evacuavit phialam suam in terram, ortaque est inde calamitas maxima, & pessima.

Aretas. Ulcus malum, ac noxium.

Arias. Factum est vulnus magnum, & malignum.

Primas. Super omnes, qui habent inscriptionem nominis bestiæ, & adorant simulachrum ejus.

Pagnin. Et adorabant imaginem ejus.

Arabic.n.3. Secundus Angelus evacuavit phialam suam in mare, factumque est totum mare sanguis mortuorum, & omnis anima viventium, mortua est, qui erant in mari.

Gagneus. Mare factum est tanquam sanguis mortui.

EXPOSITIO.

ET *abiit primus*; scilicet Angelus, ut exprimit Arabicus. Aureolus vult hunc Angelum esse Adrianum Pontificem; Alcazar Paulum Apostolum; Primasius, Richard. Haymon, Ansbertus, Pannonius, dicunt denotare prædicatores apostolicos. Has sententias jam rejeci superiori cap.15. quæst. ubi cum communi sententia dixi, quod isti, qui inferunt has plagas affectis Antichristi, sint verè & propriè Angeli. *Effudit phialam suam.* Symbolicè sumitur pro ira, vindicta, ac pœna ex divino decreto constituta, quæ per phialam significatur, quæ dicit certam mensuram, & pondus. *In terram*; in judæos nempe, ut explicavit Gagneus, & alii. 14 Quid denotat.

Et factum est vulnus. Non explicat Joannes quodnam esset. Græcus habet *ulcus*; & non quodlibet, sed *sævum*, magno, ac vehementi dolore crucians. *Et pessimum*; durissimum, horrendum, maximè putidum, pudendum, ac fœtidum. In qua parte corpore fuisset, non exprimit noster Evangelista, tanquam innuens, tali ulcere fuisse totum corpus plenum. Multi Recentiores dicunt fuisse simile plagæ Azotiorum in secretiori parte natium, 1.Reg.cap.4. de quo seq. quæstione. *Et eos, qui adoraverunt imaginem ejus.* Notatur in eis, ut advertit Rupertus, idololatriæ scelus. 15 Quale vulnus.

Hæ septem plagæ correspondent illis, quæ fuerunt in septimo sigillo per septem tubas, & illis, quæ fuerunt in Ægypto; hæ tamen denotatæ per phialas, graviores, & universaliores sunt. Prima hæc plaga inducit sævum vulnus; correspondet primæ tubæ, nam ex cantu primæ tubæ c.8. nu.7. facta est grando, & ignis mista sanguine, in quo significatur obduratio recipientium Antichristum, & inde eos apprehendit hoc vulnus sævum, & pessimum; & hæc plaga etiam adumbrata fuit in sexta Ægyptiaca ulcerum, Exod. 9.num.10. 16 Cõbinatur cum prima tuba, & plaga Ægypti.

Et secundus Angelus: Qui nec sunt aliqui crudeles ex Republica Romana, ut dixit Aureolus, nec D. Petrus, ut Alcazar ait, nec prædicatores, ut alii scribunt, sed est verè Angelus, ut tenent Ribeira, Viegas, Cornelius, & alii. *Misit phialam suam*; iram nempe, ac pœnam constitutam divino decreto, cujus commissionem accepit Angelus. *In mare.* Aliqui symbolicè accipiunt, ut D. Thom. Ferrar. per mare gentiles, seu antichristianos, Christi servos persequentes; tamen ad literam hæc plaga cecidit super mare. *Et factus est sanguis.* Totum mare versum est in sanguinem. *Tanquam mortui*; sic aqua maris versa est in sanguinem, ac si ibi magna facta esset mortuorum copia. *Et omnis anima vivens mortua est*; omnes nempe pisces, qui erant in mari, mortui sunt, pisces enim non sanguine, sed aqua vivunt. 17

Similis plaga facta est ex secunda tuba canente, c.8. num.8. ubi dicitur quod tertia pars maris versa est in sanguinem, & tertia pars piscium interiit; hic verò totum mare versum est in sanguinem, & omnes pisces mortui sunt. Hæ plagæ sub Antichristo majores sunt, quàm illæ, quæ præcedunt: Hæc etiam plaga correspondet primæ plagæ Ægypti, in qua aquæ 18 Cõbinatur cũ secunda tuba, ac plaga Ægypti

Ægy-

Ægypti versæ sunt in sanguinem, Exod.7.n.19.& circa hæc, aliquid magni ponderis annotabo infra.

QUÆSTIO III.

Quare hæc prima plaga desevit in hujusmodi homines terrenos, & maximè gulosos.

19 HIc primus Angelus exequitur suam commissionem: *Et effudit phialam suam*, seu plagam, ac iram Dei, *in terram*. Terra hìc strictiùs accipitur, quàm primo versu: *Ite, & effundite septem phialas in terram*; nam ibi terra complectitur omnia, super quæ hujusmodi plagæ cadunt, hìc verò terra spectat maximè ad judæos, & ad eos ex Christianis, qui prævaricati fuerint adhærentes antichristo: sensus ergo est, quòd primam pœnam, quam Deus suo judicio decrevit, immittet per suos Angelos, cùm venerit Antichristus, in judæos, ac christianos recipientes Antichristum; & hoc apertè denotat text. cùm ait: *In homines, qui habebant characterem bestiæ, & in eos, qui adoraverunt imaginem ejus.*

Sensus literalis.

20 Moraliter. Primò Rupertus per terram in præsenti intelligit homines nefando Sodomiæ, crimine infectos, in quos primo, & districtè sævit divina justitia; sic ait citatus Abbas: *Primus Angelus effudit phialam suam in terram, id est, in eos, qui peccaverunt peccatum Sodomorum, per quæ eos redarguit, & convincit, & idcirco tam pessimè ulceratos esse*; & ideo tale vulnus, de quo hìc agitur, juxta graves auctores, Cornelium, & alios fuit illud Azotiorum, in secretiori parte natium. 1.Reg.5. Et meritò sanè in tali parte puniuntur, ubi fuerunt pudendæ libidines; undè rectè ait D.August. in Psalm.7. *Deus ipsa peccata sic ordinet, ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, sint instrumenta Deo punienti.*

Peccatum Sodomæ maximè contra se provocat divinam justitiam.

21 Secundò per hos septem Angelos septem phialas iræ Dei effundentes, ait Albertus Magn. in præsenti: *Moraliter septem comminationes accipiuntur, secundùm septem peccata mortalia. Et prima comminatio fit gulosis, & bene, quia prima tentatio hominis fuit de vitio gulæ, & quia hoc videtur esse fomentum aliorum*; undè D.Gregorius in pugna Christi: *Priùs de gula agitur, quia nisi prius refrenetur, frustra contra alia laboratur*; *undè & primus Angelus effudit phialam suam in terram; id est iram Dei nuntiavit gulosis imminentem.* Et meritò gulosi terra designantur; terra namque vix imbribus satiari potest, sic & isti vix expleri possunt, & terminum suis delitiis imponere. Rupertus Abbas: *Comparantur gulosi terræ*, ait, *quia sicut non potest aqua satiari, nec isti delitiis*; similiter & Alensis de gulosis interpretatur.

Gula radix vitiorum.

22 Prima phiala, seu comminatio in gulam, tanquam in radicem omnium malorum. Considera text. *Factum est vulnus sævum, & pessimum in homines*; ex gula enim omnis infirmitas, miseria, calamitas, ac ægritudo, in omni ulcere pessimo vitiorum nascitur, ab illa omnis impudentia provenit. *Qui habent characterem bestiæ*; ut rejecto sanctissimo christiano nomine de charactere bestiæ, seu Antichristi glorientur: Ex gula ad idololatriam devenitur, ut notat Alensis. *Et eos, qui adoraverunt imaginem ejus.* Gula etiam reddit homines tanquam bestias: *Qui habent characterem bestiæ, & adorant imaginem ejus*; undè de talium sculptilium adoratoribus canit regius Vates Psalm.113. nu. 8. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis*: Per immoderatam gulam fit homo bestiis campestribus similis.

A gula omnia vitia nascuntur.

23 Describens regius Vates eximias virtutes viri sancti, ac justi, illud in primis & tanquam in capite proponit: *In cathedra pestilentiæ non sedit*, Psalm.1.nu. 1.& quæ cathedra pestilentiæ est, à qua maximè vir justus, & probus debet declinare? Gulæ nempe rabies, à qua si fuerit liber omnes virtutes facilè comparabit. D. Ambros. ibi: *Cathedras de templo Salvator ejecit eorum, qui se de honore jactabant, primatus quærerent dignitatum, & eorum qui indulgentes gulæ, nequaquam debitam continentiæ præstarent custodiam; hæc vera est pestilentia. Denique filii Heli, erant filii pestilentiæ.* Perpende illud: *Hæc est vera pestilentia.* Immediatè antea proposuit malum indulgentium gulæ, & statim adnectit: *Hæc est vera pestilentia*; ac si gulæ indulgere, sit pestilentissimus status, quo omnium virtutum flos marcessit, & ideo talem statum Deus in populo suo omnino abstulit, ut patet in filiis Heli, qui ob carnes sacrificiorum ante debitum tempus sublatas, 1.Reg.2.num.16. à populo, ac loco suo sublati sunt per Deum.

Ut pestis locuva.

Tam pestilentialis, ac pestifera est gulæ rabies, ut inter cætera tentatio nominetur, à qua specialiter in oratione dominica petimus à Deo liberari, in fine enim illius jubemur petere: *Et ne nos inducas in tentationem*, Matth.6.num.13. circa quæ ita commentatur Hugo de Sancto Victore apud Tilmanum in Allegoriis: *Hæc petitio contra vitium gulæ ponitur, & idcirco specialiter hæc pestis, tentatio appellatur.* Ecce quantum malum sit gula, ut dicatur per antonomasiam tentatio, & insuper, ut inde discant mortales omnes quantum debeant ab ea fugere.

24 Gula gravissima omnium tentatio.

Valde notum est omnibus in quanto sanctitatis apice primus homo creatus est, & tamen cùm mulier ei dedisset de pomo vetito, ait text. *Dedit viro suo, & comedit, & aperti sunt oculi amborum*, Gen.3.num.6.circa quæ verba sic ait Tertullian.adverſ. Psychicos: *Post extasim spiritualem, in qua magnum illud sacramentum in Christum, & Ecclesiam prophetaverat, necjam capiens, quæ erat spiritus, faciliùs ventri, quàm Deo cessit, pabulo potiùs, quàm præcepto annuit, salutem gulæ vendidit, manducavit denique, & periit.* Maximè ponderandum, quòd Adamus non comedit ubi primùm creatus est, sed postquam valde in sublime evectus, sed post admirabilem extasim, in qua magnorum mysteriorum revelationem accepit, postquam prophetavit admirabile sacramentum unionis Christi cum Ecclesia, magnamque salutem spiritualem adeptus erat, & tamen hæc omnia uno levi gusto gulæ perdidit, tantarum rerum oblitus, ut inde cautè vivas agnoscens, quàm vehemens, & fortis sit gulæ tentatio.

25 Ob gulam omnia bona deperduntur.

QUÆSTIO IV.

Quare ex prima phiala effusa in terram, fit in hominibus vulnus sævum, & pessimum, & quodnam sit hoc vulnus.

EX prima phiala, seu ira Dei effusa in terram, fit in hominibus vulnus sævum, & pessimum, id est, valde horrendum, putidum, pudendum, ac fœtidum; quod clariùs expressit græcus, ulcus horrendum, & pessimum: quidnam tale vulnus significet, & in qua parte corporis esset, est tota quæstio.

26

Existimo, ut jam dixi in expositione, quòd totum hoc ulcus erat sparsum per totum corpus. Hæc plaga adumbrata fuit in illa sexta Ægypti, de qua dicitur Exod.9.n.10. *Facta sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, & jumentis*; de qua sic scribit Philo: *Videbatur*, inquit, *unum ulcus à vertice usque ad fines pedis, bis, quæ membratim sparsa erant continua prurigine in unum coeuntibus*; ita isti antichristiani punientur, & hoc videtur in præsenti significare vulnus sævum, & pessimum, absolutè, & simpliciter dictum in hominibus. Et merito sanè, ut qui toto corpore & animo Deum dereliquerunt habentes characterem bestiæ, & adorantes imaginem ejus, etiam toto corpore, capite, pectore, pedibus, ac manibus puniantur.

27

Vera sententia.

Cornelius, Estius, la Haye existimant, hìc fieri allusionem ad plagam Azotiorum, de quibus dicitur 1.Reg.5.num.6. *Aggravata est manus Domini super Azotios, & percussit in secretiori parte natium Azotum*; & ideo hoc vulnus dicitur *sævum, & pessimum*, juxta illud Psalm.77.num.66. *Percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis*; nam illa vulnera non solùm habuerunt dolorem, sed & quoque opprobrium, & pudorem: ita accidet antichristianis hic significatis. Nullum tamen potest assignari fundamentum, cur hìc potiùs fiat allusio ad talem plagam Azotiorum, quàm ad quamcunque.

28

Tertiò Ferrarius ait quod hæc pœna sit conscientiæ

29

tiæ sævus, & pessimus cruciatus, quo tales tabescent perpetuò in corde excruciati: facit hìc antithesim facilitas accipiendi Antichristum, cum gaudio, ac pace eorum, qui Christum receperunt; non recipientibus rependitur vulnus sævum, & pessimum conscientiarum, quod amarè sentient sectatores Antichristi. Quamvis conscientiæ stimulus maximè torqueat, ut dixi tom.4.in Evang.cap.28.q.11.num.52.& tom.5.lib. 8.cap.6.quæst.6.num.32. & ad hoc pertinent dicta supra cap.12.quæst.68.num.563. tamen in præsenti vulnus valde impropriè sumitur pro conscientiæ stimulo, nam denotat plagam fœdè, & horrendè ipsum corpus in omnium oculis affligentem.

Stimolus conscientiæ dirè torquet.

Non placet dicta sententia.

30 Quartò, & moraliter: Quodnam est vulnus sævum, & pessimum? Vulnus nempe incurabile, quod illis infligitur, *qui habent characterem bestiæ, & in eos qui adoraverunt imaginem ejus*, scilicet Diaboli, qui hìc nomine bestiæ denotatur: illi ergo, qui habent characterem Diaboli, ingeniumque ejus hauriunt, percutiuntur vulnere sævo, & incurabili, ut tanquam Diabolus, in rebus manifestis, nunquam se victos fateantur, sic immobiliter in suo errore persistunt. Tale est Diaboli ingenium, quippe post Dei potentiam notam, post ejus supremam virtutem expertam in mirabilibus sanctorum, in propriisque suis tormentis, tamen victus, nunquam vult reputari, sed semper nova instaurat bella adversùs Deum, ac sanctos ejus. Qui ergo non sustinet vinci, & quamvis se victum agnoscat, tamen per fas, & nefas tanquam se victorem gloriatur, is characterem bestiæ, seu Diaboli secum asportat. Mens est D.Ambrosii in præsenti: *Sunt nonnulli ita irrevocabiles, ut quamvis sciant pravam esse assertionem suam, nullo modo ab ea revocari possunt, timentes vinci ab hominibus. Cætera vitia medicamento pœnitentiæ sanantur; istud autem solùm est, nescilicet per confessionem victi esse videantur. Quicunque ergo tales sunt characterem portant Diaboli.* Ecce immedicabilis affectus, qui omni medela caret, in quo apparet Diaboli character, si ita victoriam intendas, ut nunquam à proximo sustineas te esse victum, ne unquam scias victi morem gerere. Obstinatio pro victoria, quædam perditio est, & quòd semper pro victoria decertes, aliquando enim salutare est victi habitum, & fugam capessere; sic addit citat. D. Ambros. *Fertur avis quedam esse, quæ serpentem vincit, & comedit, sed post paululum veneno illam perimit; similiter, & isti gaudent se vicisse proximos, sed talis victoria interfetrix est animarum illarum.* Victoria mors est avi, sic & multis victoriæ studium, mortis est occasio.

Lethalis affectus, quod homo nesciat aliquando cedere, ac victum se agnoscere.

31 Confirmatur: Valde nota erant in toto Orbe mirabilia, quæ Deus fecerat pro populo suo Israele, tam in Ægypto, quàm in itinere, & in ingressu terræ promissionis; quomodo Jordanis conversus est retrorsum, Sol, & Luna in Cœlo steterunt, & tamen de tribus Regibus septentrionalibus dicitur, Jos.11.nu. 1. *Quæ cùm audisset Tabim Rex Asor misit ad Joab Regem Madon, & ad Regem Semeron, &c. Convenerunteque omnes Reges isti in unum ad aquas Meron, ut pugnarent contra Israelem.* Nabuchodonosor Imperator, ut vidit fornacis ignem famulantem pueris hebræis, sine ulla cunctatione cessit, & se victum Deo fatetur, Daniel. 3.& similiter Darius Rex Dan.14. ubi vidit leones obsequio Danielis addictos, sine mora victoriam Deo Israel clara voce decantat: si ergo Nabuchodonosor, & Darius visis mirabilibus non dubitant victoriam Deo cedere, cur Jabim, & Reges Chananæi septentrionales, post visa tot signa in Cœlo, & in terra Israeli famulantia, adhuc contra Israelem prælium instaurant? Eorum fatalis mors ad hoc eos impellebat. Hic est finè deploratorum hominum affectus, qui nescit aliquando vinci patienter sustineat. In præsenti Carthusianus: *Ecce quanta est malitia, excæcatio, & obstinatio cordis humani; impii isti viderunt superadmirabilem stationem Solis, & Lunæ in Cœlo, nec tamen compuncti sunt, sed Deo, ac Israeli adhuc se opponere præsumpserunt. Nabuchodonosor visa puerorum incorruptione in fornace ardente, Deum Israel confessus est, similiter Darius, viso quod Daniel à leonibus mansit illesus, hi autem visis tot, & tantis mirabilibus non sunt moti nisi ad resistendum.*

Mortis occasio si homo semper victoriam intendat.

Quintò Rupertus Abbas hìc: *Quod est istud vulnus sævum, & pessimum? Propterea tradidit eos Deus in passiones ignominiæ, &c. quid hoc vulnere sævius, aut pejus? est enim non solùm peccatum, sed pessima pœna peccati.* Effusa prima phiala, factum est vulnus sævum, & pessimum in hominibus; & quodnam fuit tam horribile vulnus? Ut propter peccata sua, in alia nova peccata, & ignominiosa caderent, & ex uno peccato in aliud horribilis ruerent; & hoc vulnere nil sævius, ac pejus. 32

Grande peccatum in sui pœnâ parturit aliud majus.

Cùm Samaria magna fame opprimeretur, duæ matres convenerunt, ut carne suorum filiorum vescerentur, nam una dixit: *Da mihi filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras. Coximus ergo filium meum, & comedimus*, 4. Reg.6.num. 6. undè tam immanis rabies in matre, quæ non dubitet carnibus filii saginari? quod etiam omnis natura execratur, cunctæque silvestres bestiæ exhorrescunt; quæ ergo res illam in tantam impulit cladem, ut super omnem ferarum crudelitatem filium suum devoraret? Teste D. Augustino conscientia depravata peccatis in nefariissima illa parricidia traxit, super omnem ferarum rabiem, & quod feræ exhorrescunt, una depravata conscientia impudicè aggreditur. D. Augustin.serm.211.de tempore: *Interea*, ait, *crescunt cum vitiis augmenta famis, & peccata matrum, cadavera appetunt filiorum, & alternis vicibus mulieres duæ suos natos devorare disponunt. Proh dolor, in cibum pietas vertitur, in pabulum suscepta soboles commutatur. Ante parricidium geritur, quàm ad funestas epulas veniatur.* 33

Gravia peccata, graviora cũ ignominia parturiunt.

De peccatis gentium loquens Paulus Rom.1.num. 25.ait: *Coluerunt, & servierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, nam fœminæ eorum immutarunt naturalem usum, in eum usum, qui est contra naturam.* In valde ignominiosa peccata permissum est gentes abire, mutantes naturalem usum, quod valde abominabile est apud universas gentes, ut inde non solùm peccarent contra Deum, sed etiam infamiam, ac ignominiam in hominum oculis contraherent; sic permissum est à Deo, ut præcedentia peccata manerent castigata gravitate, ac infamia subsequentium. D. Augustin. lib.1. contra adversarium legis, & Prophetarum cap. ult. *Non est veritas*, ait, *dic..... Apostol..... ut qui creaturæ, potiùs, quàm Creatori servierunt, erroris sui mercedem, non inviti hæc impia patiendo, sed libenter faciendo receperunt; judicio scilicet non alicujus hominis immundissimi, quem talia delectarent, sed justissimi Dei, qui tradidit eos in passiones ignominiæ, ut crimina vindicarentur, & supplicia peccantium, non sint tormenta, sed incrementa vitiorum.* 34

Crimina criminibus puniuntur.

QUÆSTIO V.

Quare effusa secunda phiala, mare non solùm vertitur in sanguinem, sed in sanguinem mortui.

BEno, post effusam primam phialam in terram, sequitur hæc secunda effusa in mare, & optima sanè consequentia; nam sicut per terram intelliguntur gulosi, ut dixi supra hoc capite quæst.1.num.21. sic etiam per mare, quod fervet, spumat, fœtet, denotantur luxuriosi, ut statim hac quæstione dicam ex Alberto Magno: optimè ergo post primæ phialæ effusionem in teram, sequitur evacuatio secundæ in mare, quia ex crapula, & potu sequitur luxuriosa libido. D. Bernardinus: *Turpis mater generat filiam turpiorem, & venter, qui saturatur libenter venerem amplexatur.* Ex his Tertullian. lib. de Jejunio deducit rationem, cur Deus populo antiquo tot, ac tanta ciborum genera prohibuerit: *Quia sanctitati inimica ciborum luxuria est*, ait ipse: vide supra cap.14. quæst. 22.num.199. 35

Gula luxuriæ mater.

Ad quæstionem, sensum literalem jam dedi in expositione. Hæc est secunda plaga, & punitio, quæ in Dei decreto, tanquam in phiala inclusa continebatur, quam ex commissione divina Angelus effudit super mare; & quamvis D. Thom. & alii graves au- 36

ctores

ctores per mare intelligant judæos, & gentiles, & sequaces Antichristi, ob quorum peccata tales plagę ceciderunt, tamen hic ad literam, per mare propriè mare intelligo, nam sicut prima plaga effusa est super terram, sic & hæc super mare. Et cum dicitur: *Factus est sanguis tanquam mortui*; Arabicus legit: *Factum est totum mare sanguis mortuorum*; id est, facta est tota maris aqua, sicut sanguis mortui, ac si ibi factæ essent multorum hominum cædes. *Et omnis anima vivens mortua est*; quia pisces non sanguine, sed aqua vivunt. Moraliter exponit D. Ambros. per mare ob suas elationes intelligens honores, ante quorum acceptionem multi sancti, & justi sunt; ait ipse S. Doctor: *Verùm acceptis honoribus, dum domum Dei pervertunt, quod mortui, & non vivi fuerint, patet omnibus.* Tota quæstio est, quare mare non solùm dicitur factum, ut sanguis, sed cum addito sanguis mortui; de morali sensu agimus.

Sensus literalis.

37 Et respondet primò D. Thomas: *Sanguis factus est tanquam mortui, quia infertur damnatio impiis, pro sanguine justorum quem effuderunt.* Per mare intelligit S. Doctor gentiles Christi servos injustè, ac iniquè interficientes, inde alta dispositione divinæ justitiæ ordinatum est, quia sicut ipsi gentiles servos Dei occidentes, eorum sanguinem ut mortui effuderunt, sic ipsa divina justitia sanguis ipsorum gentilium ut mortuorum effunditur, ut pœnam, quam injustè irrogarunt, justè ipsi sustineant.

Qui alterius sanguinem fundit, sanguis ejus effunditur.

38 Ex quo rectè notat ipse D. Thomas, quòd cum dicatur, quòd *Mare factum est tanquam sanguis mortui*; statim subditur: *Et omnis anima vivens mortua est.* Per mare intelliguntur gentiles Dei servos interficientes, inde ipsi juxta Dei vindictam non solùm interficiuntur, sed etiam *omnis anima vivens mortua est*; id est, omnis homo vivens, qui erat eis adhærens, eisque consentiens, cum ipsis simul periit, quia iniquus cum ipsis eadem pœna multatur. Idem D. Thomas: *Mortua est in mari, id est, in societate persecutorum Ecclesiæ, & ideo damnabitur propter consensum. Rom. 1. Qui talia faciunt, digni sunt morte, non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Qui iniquis consentit, cum illis punitur.

39 Secundò per hoc mare denotatur luxuriæ deditus, ac inquinatus, qui velut mare fœtet, & grave olet, fervet, & spumat, amarescit, spatiosumque est in manibus. Hæc in luxuriosis inveniuntur, fœtent enim; Joel 1. num. 17. *Computruerunt jumenta in stercore suo*; D. Gregor. *Jumenta in stercore putrescere, est vitam in fœtore luxuriæ finire.* Ardent, & æstuant; Osee 7. num. 4. *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Amaritudinem patiuntur; Eccles. 7. num. 27. *Inveni mulierem amariorem morte.* Spatiosumque manibus; nam hoc luxuriæ vitium per omnem gradum se extendit, omnem sexum, ac ætatem confundit, ac corrumpit, invadit namque mulieres, & virgines, mares, & fœminas, superiores, ac inferiores, sæculares, ac ecclesiasticos. Ecce cur super hoc mare luxuriæ sanguis quasi mortui effunditur; quia qui hoc luxuriæ vitio laborat, morte premitur non solùm corporali, sed etiam spirituali, ita ut difficulter valeat respicere, seu resurgere. Albert. Magn. *In his verbis, Et factus est sanguis, tangitur evadendi ab hoc peccato difficultas; sicut enim à morte nullus resurgit, nisi per miraculum, ita à peccato luxuriæ.* Proverb. 23. num. 2. *Fovea profunda meretrix.*

Luxuriæ deditus moritur, & difficulter resurgit.

40 Tertio Albert. Magn. sic ait: *Hic determinatur effectus in gentilibus reprobis, & dicuntur hic duo; primò, quòd puniuntur irrevocabiliter; secundò, quòd jam mortui sunt spiritualiter. Dicit ergo: Et factus est sanguis; id est, ultio, vel vindicta sanguinis, id est, peccati, quod commiserunt persequendo judæos, tanquam mortui irrevocabiliter, undè Glossa: Sicut mortuus non redit ad vitam, sic illa sententia damnationis non revocabitur.* Per mare reprobi gentiles hic denotantur propter fluxus, & refluxus multorum peccatorum; per superbiam, ut notat Rupertus in altum feruntur, per luxuriam spumant, & fœtent, per gulam inquieti, & nulla mercedum copia satiantur, per iram, & sævitiam amari sunt, & ut dicitur Isai. 57. num. 20. *Impii autem quasi mare fervent, quod quiescere non potest.* Ecce cur de præsenti, & non de futuro dicitur, fiet sanguis tanquam mortui, & morietur omnis anima vivens in mari; sed cur de præsenti sententia profertur? Ut innuatur, quod qui in peccatis sepultus jacet, jam spiritualiter mortuus est, & de præsenti pœnas sustinet: *Vindicta sanguinis tanquam mortui irrevocabiliter.*

Qui Deum offendunt jam de præsenti aliquo tui, & pœnas sustinent.

Quartò Richard. Victor. *Factus est sanguis tanquam mortui, quia secuta est ultio divina; mox etiam in præsenti, quæ est similitudo futuri tormenti.* De reprobis gentilibus est sermo per mare denotatis. Et dicitur, quòd *Factus est sanguis tanquam mortui.* Nonne ut agnoscere-mus aquas sanguine infectas, dicere sanguinem esse factas? ad quid additur hunc sanguinem fuisse tanquam mortui? Sanguis mortui est niger, fœtidus, horribilis, vermibus plenus: tali ergo pœna afficiuntur miseri, ut hoc temporali tormento prægustent aliquo modo angustias æterni, solet enim Deus in temporalibus suppliciis præmittere gustum æternorum. 41

In præsenti supplicio iniqui aliquid degustant de æterno.

Dicitur Genes. 19. num. 24. Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de Cœlo, & subvertit civitates has; cur non igne tantùm, sed igne sulphureo evertuntur civitates? Ut in hoc præsenti prælibarent gustum æterni supplicii, quod perignem sulphureum eveniet, sicque disposuit Deus gehennalem ignem de Cœlo ruere super turpissimas civitates, ut obdurati in suis peccatis prægustarent aliquid acerbitatis futuræ. Salvian. lib. 2. de Provid. *Cùm enim*, ait, *ad supplicium malorum gehennam in futuro arsuram manifestum sit, Sodomam, & vicinas ejus urbes cœlesti flamma consumpsit. In præsenti autem, illud, quod futurum est, Deus voluit declarare judicium, quando super impium populum gehennam misit è cœlo.* 42

In præsenti supplicio sui acerbitatem ostendit Deus.

Ait regius Vates Psalm. 10. num. 7. *Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Ait ipse Propheta, quod super peccatores emittet Dñs laqueos, ignem, sulphur, & tempestatum furorem: *Pars calicis eorum*; quod maximè est expendendum. Cur non totum calicem, sed partem? Quia temporale flagellum, quo in præsenti miseri affliguntur, pars quædam est illius æterni, ut tali gustu, ac sapore aliquid hauriant de illo æterno supplicio, quod illos in æternum expectat. D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 21. sic ait: *Non totum calicem, sed partem calicis dixit, quia eorum passio hìc quidem per dolores incipitur, sed in ultione perpetua consummatur.* 43

Iniqui in hac vita partem calicis æternæ pœnæ propinant.

Flens Dominus super Jerusalem dicebat: *Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique*, Luc. 19. num. 43. sermo est de obsidione à Tito, & Vesp. peracta, qua præclara illa Jerosolymorum civitas ad ultimas calamitatum angustias redacta est, ob horrendum delictum commissum in morte filii Dei; & cur tam execrabile urbis facinus, tam rigida obsidione castigatur? cur non potiùs terra aperit os suum, & eos vivos deglutit, ut factum est cum Dathan, & Abiron? In illa strictissima obsidione temporali maximè exprimebatur, quas afflictiones, & angustias patiatur anima reproba, cum ab hac vita egreditur, ut arctissimè omni angustia cingitur, ab inimicis, accusatoribus, ac carnificibus, ita ut nullum ei relinquatur effugium; jamque judæi obsessi à Romanis prælibabant pressuras, quas eorum animæ passuræ erant, cum circumdatæ à malignis spiritibus ab hac vita essent exituræ. D. Greg. homil. 39. in Evang. *Qui unquam*, ait, *sunt animæ humanæ majores inimici, quàm maligni spiritus, qui hanc à corpore exeuntem obsident? quam vallo circumdant, quia ante mentis ejus oculos reductis iniquitatibus, quas perpetravit, hanc ad societatem suæ damnationis coarctant, ut in ipsa jam extremitate vitæ deprehensa, à quibus hostibus circumclusa sit, videat, & tamen evadendi aditum invenire non possit.* 44

Supplicii quo iniqui premuntur in hac vita adumbrat futurum.

Apoc. 16. n. 4. Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

Num. 5. Et audivi Angelum aquarum dicentem: Justus es Domine, qui es, qui eras sanctus, qui hæc judicasti.

VER-

VERSIONES.

Syriacus n.4. Et ille tertius Angelus, &c. Et factæ sunt sanguis.

Arabicus. Deinde tertius evacuavit phialam suam, & versæ sunt aquæ omnes in sanguinem.

Pagnin. Effudit in flumina, & in fontes.

Arabic. n.5. Justus es, tu æterne electissime, quòd hæc judicaveris in eos.

Arias. Justus es, qui existens, qui eras sanctus.

Syriacus. Justus es ille, qui est, & qui erat, & priùs, vel indulgens, quia hæc judicasti.

EXPOSITIO.

45 ET *tertius Angelus*: Ecce describitur tertia plaga, seu pœna, qua Mundus puniendus est ob contemptum Evangelium, cum venerit Antichristus. Aureolus existimat hunc Angelum esse Carolum Magnum; Alcazar esse Sanctum Clementem; sic Angelum aquarum Moysen, & Angelum altaris Eliam, hæc enim mystica sunt. Verus est Angelus Dei minister. *Et effudit phialam suam*; nempe plagam, pœnam, seu vindictam iræ Dei. *Super flumina, & super fontes aquarum*; Quamvis Albertus Magn. Haymon per hujusmodi flumina, & fontes, intelligant hæreticos, ac magistros falsæ doctrinæ, tamen genuinè & ad literam; sicut secundus Angelus effundit suam phialam super mare, sic hic tertius verè super flumina, & fontes. *Et factus est sanguis.* Ecce crescunt plagæ, & vindictæ iræ Dei, gravior enim plaga fuit fontes, & flumina verti in sanguinem, quàm mare, quod potui idoneum non est sicut fontes, quibus commutatis in sanguinem, necesse est mortales perire. Lessius lib.3.de perfectione divina, cap.18. tenet vivaria stagna, sicut lacus non fuisse versos in sanguinem, proindeque pisces in eis inventi non sunt mortui. In tanta plaga relucet semper divina misericordia.

Super misericordia divina relucet.

46 Hæc plaga adumbrata fuit in prima plaga Ægypti, quando in sanguinem aquæ versæ sunt, Exod. 20. & correspondet etiam tertiæ tubæ, supra cap. 8. num.10. ubi tertia pars aquarum fluminum, ac fontium, versa est in sanguinem, hoc enim erat in septimo sigillo libri; hæc verò plaga, de qua agimus, cùm sit in materia contenta ipsius libri, utpote sub Antichristo, durior, ac gravior erit, cum omnis aqua fluminum, ac fontium vertatur in sanguinem.

47 *Audivi Angelum aquarum*; cui nempe aquarum cura commissa est. Angeli ex Dei ordinatione præsunt creaturis, ac singulis elementis, ut docent D.August. lib.83.quæst.79.dicens: *Unaquæque res visibilis in hoc Mundo habet angelicam potestatem sibi præpositam.* Origenes hom.14.in Numer.homil.23.in Josue, D. Thomas 1.part.quæst.110.art.1. Angelus ergo, qui præsidebat aquis, clamat, non ut aqua liberetur à plaga sanguinea, quæ illata erat propter peccata hominum, in quo supplicio maximè glorificatur divina justitia, & ideo ait: *Justus es Domine*; hoc justitiæ absolutissimum opus est. *Qui es, & qui eras sanctus*; ac si dicat: Qui nunc sanctus es in ista ultione, sanctus quoque eras, id est, fuisti in tali permissione, qua judicasti hæc fieri, id est, sanctus in exequutione, & etiam in permissione.

In supplicio peccatorum glorificatur Deus.

48 Dubitabis: Cur non addit Joannes; qui venturus est? nam in præfatione Apocalyps. cap.1.num.4.deprecans pacem, & gratiam ait: *Ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est.* Respondet Glossa: *Non dicit venturum, quia in proximo venturum intelligit.* Aliter respondet Albertus Magn. *Ideo venturum non ponit, ait, quia hic secundò laudant Deum pro his, quæ faciet in die judicii, post quem non erit alius adventus.*

QUÆSTIO VI.

Quare hujusmodi plagæ non fuerunt effusæ simul, sed successivè, & quanto tempore duraverint.

A B hoc secundo incipio de tempore durationis harum plagarum, in quibus communiter conjecturatur ex illis, quæ factæ fuerunt in Ægypto, undè graves auctores existimant, non nocituras fidelibus, sic ut non nocebant hebræis in Ægypto; ita etiam de earum duratione dicitur. Torniel. Pereira Cornel. c.7. in Exod. ad fin. q.3. tenent omnes plagas Ægypti per integrum mensem durasse, omnesque in ipso mense peractas esse, ac consummatas. Alii verò, ut Tirinus hìc dicunt, quod unaquæque Ægypti plaga octiduo duraverit, ita in præsenti de hoc tempore Antichristi, has plagas non diu duraturas, sed post aliquod tempus, mare, & flumina pristino colori, ac sapori restituenda. 49

De duratione plagarum Ægypti.

Et bene notant Lessius lib.3. de perfectione divina, cap. 18. Cornelius, Ferrar. & alii communiter, has omnes plagas non simul, sed successivè, & per intervalla in impios immissas, ut per eas ad pœnitentiam provocarentur, & ita ex text. patet, quia unus Angelus post alium effundit phialam suam, ut notat Joachimus Abbas: *Non omnes simul*, ait, *sed unusquisque in ordine, & tempore suo.* Ut denotaretur etiam pœnas ordinatè, opportunèque à Deo infligi, & ordine in plagis inferendis observato provocari malos ad pœnitentiam, bonosque ad majoris culmen perfectionis, orationemque pro illis fundendam, super quos ira Dei paulatim effunditur. In hoc sensu ait D. Basil. Seleuc.orat.9. *Cur* Deus non una plaga, sed decem perdidit Ægyptum? *Talis erat hominum cum Deo contentio. Impediri se tantisper patiebatur, & promissioni suæ de Israele liberando animadvertens injuriam obiici, ferebat, pœnitentiæque spe supplicium differens, procrastinansque punitionem, ut sensum, notitiamque sui daret Ægyptiis.* 50

Deus supplicia paulatim immittit, ut det locum pœnitentiæ.

Core, Dathan, & Abiron magnam seditionem in populo excitarunt contra Moysen, & Aaron servos Dei, indeque Deus adversùs eos iratus, ait ad Moysen: *Præcipe universo populo, ut separetur à tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron*, Numer.16.num.24.cumque Moyses ex Dei mandato populo nuntiasset: *Recedite à tabernaculis hominum impiorum*; cumque populus obediens recederet, dirupta est terra sub pedibus eorum, *& aperiens os suum devoravit illos*; ad quid hujusmodi separatio? bene poterat Deus facere, ut absque ulla separatione rebelles perirent, & alii omnino incolumes præsisterent; nonne fecit Deus in Ægypto ut tantis plagis Ægyptii premerentur, & absque ulla molestia Israelitæ ab illis essent custoditi? tenebræ erant Ægyptiis, lux Israelitis; aqua sanguinea erat Ægyptiis, pura, & chrystallina hebræis; ad quid ergo hujusmodi separatio? Cùm Deus posset rebelles perdere, aliis illæsis permanentibus, cunctabatur tamen Deus in illis perdendis, & dilationes quærebat, ut dum auditur sententia separationis, ab illisque omnis populus recedebat, an fortè ipsi Dathan, & Core cum suis timore percussi, pœnitentia dolerent, remedium invenirent, & pœnas effugerent. Opportunus patronus adest D. Basil. Seleuc.orat.5. reddens rationem, quare Deus voluit Noemum in arca salvare; sic ait: *Erat enim facile, vel absque ligno Noemum salvare, sed ipsum constituit lentum arcæ ædificatorem, ut vel ex visis concepta formidine, intuentes ad pœnitentiam attraherentur. Erat & hoc divinum in hominum gratiam commentum, invitamento ad pœnitentiam.* Expende illud: *Divinum commentum invitamento ad pœnitentiam.* 51

Deus efficatur in supliciis, ut det locum ad pœnitentiam.

Hunc divinum spiritum ebibit Moyses, cùm constitutus fuit Deus Pharaonis, ostendens se castigaturum rebellem tyrannum virga sua; ait text. *Tulit virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum*, Exod.7.num.10. cur non potiùs in leonem, & ursum? Leo, ursus, & coluber terrifica animantia sunt, tamen in eis hæc interjacet differentia, quòd leo, & ursus vehementi impetu, ac conatu feruntur in prædam, at coluber morosè, & tardè procedit reptan- 52

Deus dum punit, dat misericordiæ locum.

reptando, per gyros, & tortuosos gressus. Ideo Virga in ostensionem tot signorum, quæ facienda erant, non mutatur in leonem, & ursum, sed in serpentem, quia ira Dei, etsi terreat, tamen non est multum cita in perdendis peccatoribus, sed tardè, & morosè procedit, ut solet serpens in suis gressibus; quod acutè notavit D. August. q. 8. ex veteri testamento: *Utique*, ait, *serpentem fecit, qui & terrorem incuteret, non tamen obesset, per id, quod stupore quodam ad nocendum tardior sit, si enim leonem feciſſet, aut ursum, quomodo evaderent, qui aderant?*

QUÆSTIO VII.

Quare Deus tam rigida pœna, aqua scilicet conversa in sanguinem, punit peccatores.

53 HÆc quæstio communiter excitatur de prima plaga Ægypti, in qua aquæ conversæ sunt in sanguinem, Exod. 7. num. 2. Ad quod prima est solutio; quia ibi ab Ægyptiis hebræorum pueri submergebantur. D. August. tom. 9. tract. de decem plagis: *Justo Dei judicio factum est, ut de illo fluvio sanguinem biberent, in quo infantium hebræorum sanguinem fuderant.* Idem habent Origenes hom. 4. in Exod. Theodoret. q. 19. vel quia Ægyptii colebant aquam; sic post Philon. lib. de vita Moysis, ait Theodoret. citata quæst. 19. *Intulit*, ait, *Deus primam aquæ plagam, quia valde gloriabantur Ægyptii de flumine suo, & hoc pro Deo habebant, ut qui parem illis usum præberet, atque nubes Cœli.*

Cur in Ægypto aqua conversa sit in sanguinem.

54 Quæstio tamen tota est: Quare homines regnante Antichristo, eique adhærentes, severè puniuntur aqua in sanguinem conversa? Aqua, ut indicat D. Hippolytus de consummatione sæculi, erit eis in oblectamenta, delitias, & voluptates: & est suprema dispositio divinæ justitiæ, ut per quæ quis peccat, per eadem puniatur; sic Nadab, & Abiud, offerentes Deo ignem alienum, quod prohibitum erat, igne à Domino egresso consumuntur, Levit. 10. num. 10. ut notat D. Hieronym. in cap. 27. Ezechiel. sicque Simon ille magicis artibus suis, pedes contemnens tanquam alis assumptis, per aera volare voluit, orationib. D. Petri fractis cruribus præcipitatur, alas non habuit, & pedes amisit, ut notat D. Maximus serm. de Sanct. Apostol. *Ut qui paulò ante*, ait, *volare tentaverat, subitò ambulare non posset, & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.*

Per quæ quis peccat torquetur.

55 Absalon sollicitans corda filiorum Israel toto affectu regnum paternum sibi præripere conatur; & de hac re inito magno bello, ipse debellatus profugit: *Et cùm fuisset ingressus mulus subter densam quercum, & magnam, adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter Cœlum, & terram, mulus, cui insidebat, pertransivit*, 2. Reg. 18. num. 9. indeque mors ei paratur; cur impius Absalon non interiit jugulatus, vel sagittis appetitus, vel sub aquis depressus, sed capillis capitis suspensus? Ipse contra omne jus paternam regni coronam imponere nitebatur, inde omni jure disponitur, ut capite plectatur, & cæsaries capitis non coronæ, sed furiæ inserviat. D. Chrysost. in Psalm. 3. *Coma*, ait, *tenebat tyrannum, ibi eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat.*

Idem est peccati ac supplicii tormentum.

56 Amasias Rex Juda, ubi recessit à Deo, interficitur, & super equos ad sepulchrum deducitur; sic enim habet text. 2. Paralip. 25. num. 28. *Interfecerunt; reportantesque super equos sepelierunt eum.* Occiditur in bello, ut tradunt Rabbini, cadens ex equo, super equosque alligatus ad sepulchrum portatur; cur non potiùs humeris, seu manibus defertur, seu in magnifico curru, ut decebat auctoritatem regiam, sed vel luti vulgaris homo alligatus in equo ducitur? Amasias adoravit Edon, qui in equis portabatur: in equis ergo, quibus execrabile idololatriæ facinus commisit, ipsimet abjectè sine honore, ac decore ad sepulturam infertur. D. Hieron. quæstionibus hebraic. hic ait: *Colligitur ideo illum portatum super equos, qui Deos Edon, qui in equis portabantur, adoraverat.* Idem verò sanctus Doctor hac tantùm ratione hujus supplicii minimè contentus, aliam insuper addit, quæ nobis maximè inservit: *Ideo*, ait, *non portatur super humeros, quia neglexerat servire Deo Israel, cujus mysteria super humeros Sacerdotum portari jusserat:* vide supra cap. 13. q. 19. num. 150. & seqq.

Motivum peccati tumit Deus in supplicium

QUÆSTIO VIII.

Quare Angelus præses aquarum, dum eas vidit in sanguinem conversas, Deum justum & sanctum proclamat, ac gratificatur.

57 VIdens Angelus præses aquarum, eas in sanguinem conversas, proclamat: *Justus es Domine, qui es, & qui eras*; id est; Justus es Domine in exequutione tanti supplicii, ejusque permissione, ut in expositione dixi; sed cur solùm Dei justitiam celebrat, cùm etiam in hac occasione maximè resplendesceret Dei misericordia? nam ut jam dixi, & testatur Lessius lib. 13. de perfectione divina, cap. 13. stagna, lacus, & vivaria intacta remanebunt ab hac plaga sanguinea, nam in eis pisces non morientur, aquæ enim suum habebunt colorem, & saporem, eruntque aquæ potui idoneæ, ne homines siti pereant: ergo etiam in tanta ira, ac effusione hujus plagæ, misericordia Dei fulget, & nitet. In Deo misericordia comes est justitiæ.

In Deo justitia est cum misericordia.

58 Dicebat Deo regius Vates, Psalm. 144. num. 7. *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.* Simul in Deo recolit suavitatem misericordiæ, & severitatem justitiæ. Si, ò Propheta, proposui ei dulcedinem misericordiæ, cur ad justitiæ rigorem exultas? cur non times omnem misericordiæ suavitatem absorbendam esse justitiæ memoria? Hoc sanè daretur in homine, non verò in Deo, in quo solo, non se mutuò impediunt hi duo affectus, qui in eo amicabili concordia uniuntur. Ad hæc ait D. Hilar. *Habet Dei justitia miserandi voluntatem, neque tamen per miserandi voluntatem, ita à se erit denudata, ne justitia sit. Humana autem justitia solet in id devenire, ne misericors sit, & misericordia ita se præstare, ne justitia sit*, & præclarè subdit Sanct. Pater: *Hoc in Deo præcipuum, non Cœlum fecisse, quia potens est, non terram fundasse, quia virtus est, non hominem amasse, quia vita est, sed misericordem esse, quia Rex est, sed dissimulantem esse, quia Deus est.* Expende illud: *Hoc in Deo præcipuum.*

In Deo misericordia, & justitia non se impediunt

59 Secundo maximè text. ponderandus. Ait Angelus: *Justus es Domine, qui es, & qui eras sanctus, quia hæc judicasti.* Antequam Angelus de Deo decantet, quod rectè judicaverit in tanto supplicio emisso, de eo tamen priùs celebrat, quod *sit justus, & sanctus*; hoc est, ut explicat Richardus Victorinus citandus, à culpa alienus; & meritò jure sanè eum priùs collaudat à justitiæ puritate, antequam affirmet de eo, quod judicaverit, qui enim alios judicat, priùs ipse alienus à culpa sit. Richardus Victorinus: *Divinam justitiam collaudat*, ait, *quia à culpa alienus, qui hæc judicasti, id est, pravos, impios dissipasti, & damnasti.* De pessimis illis senibus, qui impudicè sollicitabant Susannam, dicitur Daniel. 13. num. 5. *Constituti sunt de populo duo senes judices illo anno, qui videbantur judicare populum.* Videbantur judices, sed non erant, utpote, qui locum dederant iniquitati, & ideo non dicuntur simpliciter judices, sed qui videbantur: vide cap. 15. q. 15. num. 125. & seqq.

Quis alios judicat à culpa sit alienus.

60 Tertio antequam Angelus affirmet, quòd Deus hæc judicaverit, suaque alta sapientia tanta supplicia miserit in Mundum, priùs tamen de illo testatur, quod sanctus sit: *Qui sanctus eras*; ut explicat Aretas: Sanctus, id est, ab omni affectu liber. Ecce cur Sanctum præmiit, antequam dicat judicium protulisse; qui enim judicat, ab omni affectu inordinato debet esse alienus. Aretas: *Sanctus*, ait, *quod sublatus sit ab eo omnis mortalis affectus; ideo hæc judicavit, ut qui sanguinem justorum effuderant, biberent sanguinem*: vide supra cap. 14. q. 30. num. 272.

Qui judicat à omni affectu sit liber.

61 Quartò valde mirum, quod Angelus præses aquarum in tantam mutationem, ac pœnam emissam videat in suis aquis, colorem, ac saporem amissum, & totum in sanguinem mutatum; & inde quod factum

Qui in justitia præest, quidquid ab illa abest, non grave reputet.

ctum sit, ut omnis anima vivens in aquis emortua sit, & tamen hoc Angelus ægrè non tulit, sed potiùs inde Deum laudat, & extollit, quia in hoc agnoscebat summam justitiam, & æquitatem Dei, ut ipse proclamat: *Justus es Domine, qui es, & qui eras*; & ubi justitia intervenit, quæ unicuique tribuit cum pondere, ac mensura, quæ secundùm merita ei debentur, nullique adversatur, nulli gravis videri debet, sed omnibus lenis, ac suavis, ut dicat Cassiodor. 11. Variar. 10. *Nullum lædit observata justitia.*

62 In primo molimine rerum, describuntur quatuor flumina egredientia à Paradiso, in quibus designantur quatuor cardinales virtutes, de quorum duobus dicitur: *Nomen verò fluminis tertii Tygris, ipse vadit contra Assyrios*; *Fluvius autem quartus ipse est Euphrates*, Gen. 2. num. 14. De fluvio Tygri asseritur, quod pergit contra Assyrios, de Euphrate verò non dicitur quòd decurrat contra aliquem; & quando de Tygri fluvio habetur, quod contra Assyrios vadat, cur de Euphrate cavet dicere, quòd contra aliquem tendat? In Tygri fluvio denotatur temperantiæ virtus, cujus est voluptuosæ adversari vitæ, in Euphrate autem juxta nominis significatum ostenditur justitia, quæ nulli contrariatur, nullique gravis, ac molesta est, sed cuique jus suum tribuit, indeque omnibus suavis. Philo lib. 1. Allegor. legis sic ait: *Contra Assyrios vadit Tygris fluvius, id est, contra voluptates temperantiæ. Porro justitia, quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quenquam, nec circumvallat, nec habet adversarium. Quare? Quia hujus est, suum cuique reddere, & est loco, non accusatoris, sed judicis; quemadmodum igitur judex, nec vincere vult quenquam, nec habere adversarium, sed lata sententia pondus addit parti justiori, ad eundem modum justitia quoque cum nemini adversetur, cuique rei, quod suum est tribuit.*

Id, quod à justitia venit, nulli est contrarium, nec molestum.

63 Ait Isai. 19. num. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra.* Dum Ægyptum gravi manu percutit, dum durissimis plagis affligit, dicitur ille super nubem levem ascendisse; at Zachar. 5. num. 7. vidit, & ait: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier una sedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc est impietas; & projecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os ejus.* Zacharias mulieris solium considerans, totum in illo plumbeum agnoscit, & sedile, & ferculum mulieris plumbeum erat, plumbeumque etiam in ore ejus erat. Confer verò modò sedile Dei, cum sedili mulieris; Dei sedile ingredientis Ægyptum, à nube levi fabricatur, mulieris verò è plumbo componitur, undè tanta diversitas? Præclarè D. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. *Venit in nube levi quasi justitia, iniquitas enim in talento plumbeo sedet.* Quidquid ab iniquitate venit, plumbeum, ponderosum, ac grave est, sub quo etiam gigantes oppressi gemunt; à justitia autem nil grave procedit: quidquid ab illa venit leve, & suave habetur.

Id, quod est à justitia non est grave, sed leve.

Apoc. 16 n. 6. Quia sanguinem Sanctorum, & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, quia digni sunt.

Num. 7. Et audivi alterum ab altari, dicentem: Etiam Domine Deus omnipotens, vera, & justa judicia tua.

VERSIONES.

Syriacus n. 6. Sanguinem eis dedisti bibendum.
Aretas. Sanguinem ipsis dedisti, ut biberent.
Arabicus. Et adegisti eos ad bibendum, quia digni sunt,
Syriac. n. 7. Audivi altare dicens: Verum est, & justum judicium tuum.
Arias. Audivi de altari, dicentem.
Ansbe. & Haym. Audivi de altari, dicens.
Aretas. Profectò Deus omnipotens.
Aliqui. Audivi vocem è Sanctuario.

EXPOSITIO.

64 *Quia sanguinem sanctorum, & Prophetarum effuderunt*; omni neque injustitia, ac iniquitate. *Sanguinem eis dedisti bibere*; quod sic aliqui explicant: In pœnam sanguinis sanctorum effusi, coacti sunt fontes, & flumina in sanguinem conversa, sanguineasque aquas potare. Tamen verus sensus mihi est, quòd sicut impii sanctos martyres persecuti sunt eorum sanguinem effundentes omni tormento, & angustia, sic divina justitia ipsis iniquis congruens supplicium variis inflixit tormentis. Ait regius Vates Psal. 59. n. 5. *Potasti nos vino compunctionis*; D. Hieron. legit: *Vino consopiente*; alii apud Lorinum: *Potasti nos vinum soporiferum*; lethale, venenatum, ut explicant D. Chrysost. D. August. D. Hieron. noster Incognitus plenum seu venenatum omni angustia, labore, ac persecutione; ita dedisti bibere vinum omni dolore, ac afflictione plenum. *Digni enim sunt* tali tormento, & pœna: *Qui gladium acceperit, gladio peribit*, Matth. 26. num. 12.

Vera sunt.

Et audivi alterum ab altari; ut legendum est cum græco, ac latino Codice, undè id, quod legunt Arabicus, Syriacus, & Rupertus: *Audivi altare dicens*; explicandum est: Audivi ex altari dicentem. *Audivi ergo alterum*; nempe Angelum. Quis sit iste Angelus inquirendum. Alcazar ait, quod sit parens Elias; sed hoc ut jam supra dixi, est mysticum, & non ad literam. Glossa tenet, quòd iste Angelus erat inferior ordine angelico præside aquarum. Gagnæus, quòd Angelus exierit jussu Christi, qui est verum altare; ad hoc tamen astruendum nullum video fundamentum: nec etiam ad id, quod Cornelius asserit, quòd scilicet, iste Angelus exivit de loco martyrum petentium vindictam; sed Angelus hìc non postulat vindictam, sed potiùs de pœna, ac vindicta emissa super antichristianos, dat Deo laudem. 65

Dico cum Ferrario, quod cùm in altari sit religio, ejusque symbolum sit altare, pro ipsa religione iste Angelus tanquam illius præses, confirmat laudem Dei dictam ab Angelo aquarum, Deique vera & justa judicia prædicat, quod per tot sæcula tantos iniquos magistros insipientes, tantosque tyrannos adversùs Ecclesiam suam, deindeque ipsum Antichristum, sequacesque ejus tot sceleribus, ac crassissimis erroribus exuberantes, sanctissimamque Evangelii doctrinam contemnentes permiserit, quibus sancta Ecclesia Dei non est submersa, sed potiùs maximè exaltata, ac sublimata; quibus sancti, ac justi non sunt extincti, sed potiùs eximiè corroborati, ac firmati in sancta religione catholica, & magnopere dilatati sunt. Et bene dicitur *Deus omnipotens*, quia tot tyrannos, ac sæculi potentes potuit destruere, & variis, ac miris modis castigare. *Vera, & justa judicia tua.* Et dicuntur vera, quia sicut promisit suis discipulis, sic adimplevit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. Et justa, quia dat unicuique secundùm sua merita; & unus Angelus alteri applaudit, quia Deus exigit pœnas ab iniquis, non quia lætentur de eorum perditione, sed quia dum in præsenti puniuntur, eorum cruciatus in altero sæculo minuuntur. Andr. Cæsar. *Gratias Cœlesti numini agunt de malorum punitione, qua vel partem contractorum debitorum per hujusmodi cruciatum in hoc mortali vita persolvant.* 66

Quis iste Angelus?

Ex pœna in hoc sæculo, minuitur pœna in altero.

QUÆSTIO IX.

Quare effundentibus sanguinem sanctorum datur eis in pœnam ut bibant sanguinem.

UT bibant sanguinem omnium tormentorum, dolorum, ac afflictionum, ac etiam æternæ pœnæ, ut explicant D. Thom. & Alensis, qui ait, quòd dicitur bibere pro pœna æterna: *Quia*, ait, *intrinsecè incorporabitur eis pœna*; sic elementum incorporatur cum homine, & ad hoc adducit illud Jerem. 51. n. 39. quod de damnatis dicitur: *Inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus*; in suorum delictorum ultionem inebriantur, & sopiuntur æternis pœnis usque ad nauseam. 67

Iniqui bibunt omnia tormenta.

Ecce peccati fructus, ut non alio ultore, seu vindice, sed ab ipsomet peccato perdatur, ac destruatur. Ex adulterio Bethsabeæ, natus est filius David, qui septima die mortuus est, juxta verbum Prophetæ: *Filius, qui natus est tibi morte morietur*, 2. Reg. 12. n. 14. & cur hic filius innocens mortis pœnam incurrit, quam luere debebat pater, vel mater? cur non magis pater, qui adulterium commisit, moritur, & fi- 68

Peccati fructus ab ipso peccato perditur.

magis

lius vivit? Erat iste filius peccati fructus, adulterii germen, & ideo non mirum, quòd ipse tam citò pereat; solet enim peccati fructus, ab ipsomet peccato perdi, ac destrui. Eleganter Salvianus lib. 2. de Providentia: *Ubique natum*, ait, *ex crimine puerum, crimen ipsum occidit, quod creavit.* Hoc proprium est peccati, ut tam instanter suos fructus persequatur, ut non quiescat, donec eos internecioni tradat.

69 Aod, ubi constitutus est salvator, ac dux Israelitarum animo concepit occidere Regem Eglon, ad cujus rei exequutionem, fabricavit gladiolum utraque parte acutum, accepitque munera, quæ Regi deferret, ad Regemque intravit afferens munera; quibus exhibitis ab aula egressus revertitur in terram suam, absque eo, quod exequeretur id, quod cogitaverat; tunc ait text. *Et reversus de Galgalis, ubi erant idola, dixit ad Regem: Verbum secretum habeo; & rursus ait: Verbum Dei habeo ad te: : : : Extenditque Aod sinistram manum, & tulit siccam de dextro femore, infixitque eam in ventrem ejus*, Judic. 3. nu. 19. sed cur quando bonus Dux primò ingressus est aulam, & regi munera obtulit, non illum tunc interficit, ut animo conceperat, sed magis postquam re infecta pergebat in patriam, & à Galgalis reversus eum interficit? Erant in Galgalis idola, ibi à Rege posita, ut notat text. *Reversus de Galgalis ubi erant idola;* in qua adoratione non solùm Rex peccaverat, sed & peccare faciebat populum; non mirum quòd inde certiùs directus fuerit in mortem Regis, ex nullo enim semine tam certissimè prodit fructus, quàm ex peccato mors, ab ipsoque peccato negotiatur, ab eoque optimè mortifera tela diriguntur. Lyran. ibi: *Usque ad illum locum redierat cum sociis suis, sed quando vidit idola, quæ Eglon posuerat in Galgalis: : : : ex hoc fuit accensus ad revertendum, ut occideret Regem Eglon.* Non invenerat priùs locum, nec modum, quo Regem percutere posset, sed ubi pervenit ad Galgala, & vidit Eglonis idola, ipsiusque peccatum, exinde animum concepit, & maximè directus in miserum revertitur tanquam ab ipso peccato impulsus, minimèque tunc ab scopo erravit, semper enim peccata miseris peccatoribus mortem parturiunt.

Germen peccati mortem generat ipsimet peccatori.

70 Hinc Christus D. monebat suos discipulos, Matth. 16. n. 11. *Cavete à fermento Pharisæorum.* Fermentum dicit malitiam, & peccatum eorum; sed quid habet fermentum cum peccatis? Ait Tertull. lib. 4. in Marc. *Quia*, ait, *post fermentationem clibanus, vel furnus gehennæ sequatur.* Fermentum totam massam fermentat; & quid inde habet ipsa massa fermentata, ut ad furnum deferatur? Sic ex peccato certissimum peccatori ignis supplicium infertur, undè ait D. Bern. ser. 11. in Ps. *Qui habitat: Ubi malum, flagellum quoque appropinquet, necessum est, semper enim malum pœna comitatur.*

Peccatum fermentat mortem ad gehennam

QUÆSTIO X.

Quare iniqui, ac protervi non puniuntur effuso sanguine, sed ebibito, ac potato.

71 QUia sanguinem sanctorum effuderunt. *Sanguinem eis dedisti bibere*; & cur non potiùs eis in pœnam datur, ut eorum sanguis effundatur, sicut ipsi effuderunt sanguinem sanctorum, sed tantùm datur eis sanguinem bibere? Meritò, ut qui tam impudicè sanguinem sitierunt, sanguinem bibant. Sic Scytharum Regina Tomiris, cùm Cyrum se aggredientem bello cepisset, & occidisset, præcisum mortui caput in utrem sanguine plenum immitti voluit, dicens: *Sanguinem sitisti, sanguinem bibe.*

Qui sanguinem sitit, sanguinem bibat.

72 Secundò: Tertius iste *Angelus effudit phialam suam super flumina, & fontes, & factus est sanguis*, nu. 4. & cur vitrei aquarum latices purpurascunt, & liquor, qui refrigerat vitam, in ardorem sanguinis abiit? Ut compellantur homines bibere sanguinem, ut aliquorum est opinio: *Sanguinem dedisti eis bibere.* Qui iratscitur in alium, illius sanguinem bibere concupiscit; quo quidem poculo ira non madescit, sed quantò magis bibitur, tantò magis ira augetur; sic iniquorum ira in sanctos progressa est, ut affectu, ac furore bibere vellent sanguinem eorum, quem effuderunt, inde præmissum est: *Sanguinem eis dedisti bibere.*

Tyrannus quantò magis sanguinem fudit, tantò magis sanguine sitit.

Sylveira in Apocalypsim. Tom. II.

re; quo hausto ira non tepescuit, sed maximè ad ipsorum iniquorum condemnationem, ad eorumque majorem ruinam furor iræ crevit, ac cumulata est. Cætera vitia in suorum actuum exercitio tepescunt, sensimque decidunt, & dum procedunt, supprimunt in operatione vigorem, sola ira in itinere convalescit, & tanquam ignis vires acquirit eundo, & in sui ardore nescit quiescere, sed sibi semper magnum satellitium comparat.

Stuprum violata Dina patraverat Sichem; ob tantam injuriam in Sororem, ac in Patrem Jacob accensi filii Simon, & Levi, interfecerunt Sichem, & totam devastati sunt Urbem, ob cujus rei causam Jacob benedicens filios suos ait: *Simon, & Levi vasa iniquitatis bellantia*, Gen. 49. n. 5. & cur vasa nuncupavit geminos fratres, qui in ferociente prodigium roboris in tot viros jugulandos habuerunt? Quoniam iniquitatis vas bibendo, non minuitur, sed magis dum bibitur augetur. Alia vasa dum recipiunt aliquem liquorem, nempe aquam, vel vinum, recipiendo adimplentur, at humanum cor si tanquam vas recipit iram, recipiendo non adimpletur, sed magis dilatatur, & ampliatur ut plus accipiat, ita ut quantum de furore bibit, tanto magis sitiat, & inardescat. Et considera, quòd ob violatam Dinam, ira inflammati Simon, & Levi, non solùm occiderunt Principem, Sichem, sed & parentem ejus Hemor, deinde depopulati sunt totam urbem, viros interfecerunt, parvulos quoque eorum, ac uxores captivas duxerunt, innocentibus nullam veniam dantibus, oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus, ac agris erant, Gen. 34. n. 26. 27. ut ira nullum haberet terminum, nisi tanquam ignis sublata omni materia, exterminatisque omnibus. Hanc veritatem confirmat id, quod docet D. Basil. Magn. homil. 10. de Ira; *Ob iram*, ait, *ensis acuitur, mors homini ex homine venit; non eis senectus venerabilis, non generis propinquitas, non parentes, quin & maximum se in malum coniiciunt, & studio vindicandi se ipsos negligunt, nam & omni fera venenata impudentiùs ruunt.*

73 Cor iniqui iniquitate non adimpletur, sed dilatatur ad aliam recipiendã.

Antiochus sex filios diris tormentis confecerat coram illustrissima Matre; lentum exhibuit spectaculum genitrici in singulis trucidatis materna dilacerans viscera, quæ ut in vitam regenerasset æternam, fœtibus suis ad calorem incubuit constantiæ; septimus supererat filius, qui dum ante tyrannum sisteretur, sic ad eum loquitur Machab. 2. cap. 7. nu. 39. *In me verò, & in fratribus meis desinet Omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum, justè super ducta est;* quid deinde? *Tunc Rex accensus ira in hunc super omnes crudeliùs desæviit.* Postquam in sex fratres ferocitatis suæ machinas, ac ingentia tormenta Rex erogaverat; quæ flamma superesse potuit in irato pectore Regis? Imò, quia Rex iniquus ira agebatur, plus in septimo fratre, quippe impetuosior fuit ardor, quàm flamma, quæ ex sex trucidatis fratribus cumulata emittebatur; sanguine effuso sex fratrum, tanquam præ furore ebibito, ira non quievit, sed incitantiùs accensa est, & tanquam de combusto frutice sumit nutrimentum ignis ab ipso sanguine aliorum.

74 Ira indigniti ex suo furore sumunt nutrimen ad majo crudelitatẽ

Ait Christus D. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, Matth. 25. n. 41. si corpora cremat, cur non facit cineres quibus parcat in æternum? Ignis infernalis nostro igne vividior, tamen cum sit ignis iræ divinæ, de ipso corpore concremato alimentum sibi reproducit, de suoque pascitur, ut vegetetur, & quantò magis cremat, tantò vivaciùs remandat ardorem, ut miseros damnatos torqueat, non tempore sistens, sed æternitate perdurans.

75 Ignis infernalis ex corpore sumit alimẽtum.

Apoc. 16. n. 8. Et quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, & datum est illi affligere homines æstu, & igni.

Num. 9. Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque egerunt pœnitentiam, ut daret illi gloriam.

VERSIONES.

Arabicus n.8.	Quartus evacuavit phialam in Solem, & datum est ei comburere homines.
Syriacus.	Et datum est ei urere homines igne.
D. August.	Effudit phialam suam super Solem.
Oecumen. Aret.	Datum est illi affligere homines per ignem.
Primas.	Et datum est ei injicere æstum, & ignem.
Arabicus n.9.	Quare exarserunt homines æstu maximo, & blasphemaverunt homines Dei nomen, & qui potestatem habet in hujusmodi pernicies, & non pœnituit eos.
D. August.	Et usti sunt ustione maxima, &c. in his plagis.
Syriac. Vatabl.	Convitiis affecerunt homines nomen Dei, & non resipuerunt.
Primas.	Et non egerunt pœnitentiam, ut darent ei claritatem.
Alii.	Non egerunt scelerum pœnitentiam.
Hugo Card.	Et æstuaverunt homines affligere æstu.

EXPOSITIO.

76 ECce quarta plaga, seu pœna, qua Mundus affligitur. *Et quartus Angelus effudit phialam suam;* executioni nempe dedit, iram, & ultionem divinam in suo altissimo judicio, ac decreto contentam. *In Solem.* Quid hìc intelligatur per Solem, variè varii exponunt; quidam intelligunt Antichristum, alii Prælatos Ecclesiæ, de quo latiùs quæst. sequenti. Simpliciter cum communiori sententia, nostrum Solem materialem, qui Orbem illuminat intelligo. *Et datum est illi affligere homines*; Sol nempe intensiùs, & acriùs solito impios aduret. *Æstu, & igni*; id est, æstu instar ignis ardentissimo, ita ut tam severè, ac rigidè homines premebantur, non solùm æstu, sed etiam igne, ac si emissus descenderet de Cœlo; & meritò ut qui igne concupiscentiæ, ac luxuriæ peccabant, igne etiam punirentur, ut de habitantibus Sodomam notat Albinus in Genes. cap. 19. n. 22.

Verus sensus.

77 *Et æstuaverunt homines æstu magno*; Arabicus legit: *Quare exarserunt homines æstu maximo*; præ nimio, ac vehementissimo Solis ardore. *Et blasphemaverunt nomen Domini*; cùm potiùs deberent rogare divinam clementiam, ut has plagas averteret, vel minueret. *Habentis potestatem super has plagas.* In quo notatur infinita Dei potentia, quæ potuit his plagis hos iniquos perdere, sed noluit, ut notat Andreas Cæsar. dans tempus ad meliorem mentem, ac pœnitentiam; & etiam resplendet summa Dei pietas, non respiciens ad suam potestatem, & majestatem, qua potuit iniquos delere, sed potiùs ad ea, quæ magis hominibus conveniebant. *Neque egerunt pœnitentiam*; firmati, ac obdurati in sua protervia. Et priùs notatur de eis, quod blasphemarunt nomen Domini, deinde in secundo loco, tanquam culpam exaggerans, quod non egerunt pœnitentiam; quid gravius, & deterius est, non agere pœnitentiam, quàm blasphemare nomen Domini? Richard. Victor. *Grave*, ait, *est peccatum, sed gravius non pœnitere*; *in primo est culpa, in secundo est contumacia.*

Principis est non ad suam potestatem quàm ad suorum utilitatem respicere.

Nil gravius, quàm non pœnitere.

78 *Ut darent gloriam illi*; scilicet Deo, verè enim pœnitens dat gloriam Deo, nam pœnitentiæ actus honorem ablatum Deo per peccatum, restituit, ac recompensat, quantum ei licet, undè Josue ad Achan, qui peccaverat in anathemate: *Da*, inquit, *gloriam Deo, & confitere quid feceris*, Josue 7. num. 19. seu ut ibi explicat Masius. Nullum aliud sincerius divinæ laudis sacrificium à nobis fieri potest, quàm ut nostrarum sordium ingenua confessione Dei sublimem majestatem efferamus, vitia, culpasque nostras detestemur. Maximum Deo sacrificium, & gloria est delictorum confessio; seu, ut ait D. Aug. in Psal. 94. *Confitere peccata tua*, ait, *tanto enim major est laus ignoscentis, quantò major exaggeratio est peccata confitentis.*

Delictorum confessio maximum sacrificium & gloria Deo.

Gloria Dei offenditur in dimittendis peccatis.

79 Hæc autem plaga respondet quintæ plagæ Ægyptiacæ, quæ fuit pestis, Exod. 9. n. 3. nam ex tanto æstu, ac igneo ardore Solis, pestis generabitur; & correspondet etiam quartæ tubæ Angeli canentis c. 8. n. 12. Et ibi solum percussus est Sol tenebris, ac obscuritate, hìc verò ardore, & æstu; & ibi tantùm tertia pars Solis percussa est, hic verò totus Sol, & suum ardorem transfundet in Lunam, & stellas.

QUÆSTIO XI.

Quare ex phiala missa in Solem affliguntur homines æstu, & igni; & quisnam sit iste Sol.

TOta difficultas in præsenti est, quid Sol hìc significet? Primò Cœlius Pannonius, & alii apud Viegas, & Alcazar, in qua sententia est Ferrar. per Solem intelligunt summum Pontificem, qui est unicus in Ecclesia, ut Sol in Mundo. Alii multi, ut D. Gregor. Magn. citand. Rupertus per Solem interpretantur sapientes, Prælatos, ac superiores Ecclesiæ, qui instar Solis lucere debent; si autem vincuntur ardore concupiscentiæ, & igne voluptatis, homines, id est, inferiores subditi eorum perverso exemplo adducti, æstuant omni libidinis, ac turpitudinis genere. D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 12. *Datum est illi*, ait, *ut affligeret homines æstu, & igni, quia dum sapientes viri cruciatibus victi, mali agendi errore tanguntur, illorum exemplo, perversi infirmi quique, temporalibus desideriis inardescunt. Ruinæ namque fortium argumenta præstant perditionibus infirmorum.* Hæc sententia est moralis, non tamen literalis, quia alias hæc phiala missa in Solem, percuteret tantùm bonos, & fideles, non verò malos, & infideles, quia malum exemplum superiorum solùm officit bonis, & fidelibus, non verò infidelibus. 80

Mala exempla superiorum argumenta sunt perditionis inferiorum.

Impugnatur.

Secunda sententia per Solem Antichristum interpretatur, qui quamvis sit omni tenebrarum caligine plenus, se Mundi Solem dicet; ita Glossa Interlineal. Ansbertus, Haymon, Richardus, Albertus Magn. Gagnæus, & alii: & diversimodè explicant. Emissa phiala in Solem, datum est illi *affligere homines igni, & æstu*; & quinam homines, justi, an impii? Improbos, ac malos interpretatur Richard. & ut faciat sibi omnino similes; & sic ait cit. auctor: *Datum est illi, per divinam scilicet permissionem affligere homines, scilicet reprobos, quos ut sibi faciat conformes, affligit æstu, id est, per minorem tribulationem, & igne, id est, per majorem tribulationem*, &c. Ex quo maximè deploranda est iniquorum sors, qui quamvis à suis principibus dura patiantur, adhuc tamen illis in suis peccatis adhærent. At alii auctores hujus sententiæ explicant, quòd inde datum est Antichristo, ut magno æstu, ac igni multarum tribulationum, ac laborum persequeretur bonos, ac fideles. At hoc de electis christianis nullo modo potest dici, nam statim subdit text. n. 9. *Et blasphemaverunt nomen Domini, neque egerunt pœnitentiam, ut darent gloriam Deo.* Deinde quia cap. 15. nu. 1. dicitur, quod hæ plagæ sunt novissimæ, in quibus consummata est *ira Dei*. In fidelibus autem christianis ira Dei non potest dici consummata, sed gratia, & benignitas, quæ eos producit in gloriam. 81

Impii à quibus dura patiuntur adhærent.

Impugnatur.

Tertiò sunt in hac re aliæ sententiæ, valde morales, ut Lyranus, qui per Solem interpretatur Carolum Magnum. Quartò Alensis dicit Solem esse hypocritas, qui instar Solis per honestam conversationem lucent exteriùs, cùm intus sint peccatis obtenebrati. *Datum est illi*; scilicet Angelo affligere æstu, & igni; interiùs æstu inordinati appetitus, exteriùs igne æterno; sic ait citatus doctor irrefragabilis: *Ostendit puniendos esse æstu, scilicet appetitus inordinati per interiorem inflammationem, & igne scilicet inferni exteriùs per combustionem.* Et etiam ad hoc spectat D. Bernardin. dum ait: *Datum est illi afficere æstu ambitionis cum laudantur, & igne confusionis, cum vituperantur.* Quintò Joachimus per Solem interpretatur religiosos contemplativos, qui in Mundo existimant se nitere, veluti Solem, & datum est illi, scilicet Angelo affligere æstu, & igne, iræ, ac livoris, quo accenduntur, dum de sua ficta sanctitate reprehenduntur; sic ait cit. Abb. *Verùm quia se sanctos, & justos, & dignio-* 82

Hypocrita audet intus affectu inordinato, exteriùs igne inferni.

Qui se ipsos arbitrantur sanctos increpantur in communi.

ventur.

digniores cæteris esse putant, tantò si increpantur ab aliquo magis accenduntur ira, quantò nihil esse putant vitam aliorum. Hæc omnia sunt valde allegorica, & moralia, & minimè ad literam.

83 Sextò vera, ac genuina expositio per Solem intelligit Solem hunc materialem, qui illuminat nostrum hemisphærium. Hanc sententiam docent Andreas Cæsarienſ. Ribeira, Cornelius, Estius, la Haye, & alii. Et probatur; quia sicut in tribus superioribus plagis immissis in terram, mare, flumina, fontes, intelliguntur materialiter terra, mare, flumina, fontes, ita etiam in præsenti, Sol ipse materialiter est accipiendus. Deinde probatur ex ipsis effectibus: *Affligere homines æstu, & igni;* qui effectus maximè spectant ad Solem, & propriè sunt intelligendi, & verba Scripturæ propriè sunt accipienda, quando non est aliqua ratio in contrarium adurgens; imò potiùs magna convenientia, in proprio significato habeatur, nam hæ plagæ sunt novissimæ, in quibus ostenditur consummata ira Dei, quæ maximè declaratur in commotione, ac perturbatione elementorum, terræ, aquæ, & cœli, & maximè ipsius Solis, qui est princeps ipsius Cœli.

Vera Sententia.

84 Pœnalis enim commotio illata præcellentibus, valde terribilis, ac formidabilis est inferioribus. Cum Sara uxor Abrahami ingrederetur Ægyptum, illius pulchritudinem universi admirati sunt; ait text. Gen. 12. num. 14. *Viderunt Ægyptii mulierem, quòd pulchra esset nimis. Et nunciaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum, & sublata est mulier in domum Pharaonis : : : Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis;* & quando mulier tam splendida facie fulgebat, ut omnium oculos ad se traheret, cur quilibet ex populo, seu ex nobilibus non eam sibi advocat, sed tantùm nuntiatur Regi Pharaoni, & in domum ejus defertur? Absque eo quod aliquis eam tangeret, ordinabatur res dispositione divina ad majorem decorem, ac honorem Abrahami, ut ex supplicio illato agnosceretur ipse ab omnibus tanquam justus maximè à Deo custoditus, ad quod maximè expediebat, ut flagellum, ac supplicium non apprehenderet aliquem privatum hominem, sed ipsummet Regem, ut ita universis esset valde notum, & formidabile: ad majorem ergo supplicii, & divinæ ultionis divulgationem, non peculiaris homo privatus, sed Rex magnus omnium oculis expositus in supplicii rete includitur, ut ibi innuit D. Chrysost. *Hoc factum est*, ait, *ut res fieret manifestior, & ultio non in privatum, & plebejum aliquem, sed in Regem sæviret, & ubique divulgaretur hoc factum.*

Supplicio Regi dato formidabile inferioribus.

85 Valde nota est historia, quòd Core, Dathan, & Abiron Israelitarum Principes, ut cum multis notant ibi Abulensis, & Lorin. cum se opposuerint contra Moysen, & Aaron, ob honorem sacerdotii summi, cumque divina ultio ad eorum supplicium procederet, ait text. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis : : : At verò omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicentes ne fortè terra nos deglutiat : Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros*, Numer. 16. num. 32. Profundè considera: Duo supplicia in præsenti commemorantur, unum à terra, alterum ab igne; In illo devoratur Core, Dathan, & Abiron, in hoc verò igne cremantur ducenti quinquaginta viri; cùm illi à terra deglutiuntur, totus Israel à voce pereuntium territus celeriter fugit, cùm autem ducenti ab igne consumuntur, nullus metus, nullaque fuga Israel notatur, imò nec ulla vox pereuntium auditur; & ex cujus rei fundamento, cùm tres illi à terra absorbentur, pereuntium vox, & astantium fuga intervenit, minimè verò cùm ducenti quinquaginta ab igne devorantur? Tres illi Core, Dathan, & Abiron erant Principes, ac capita Israel, ducenti vero populares, ac inferioris conditionis, & ideo illorum ruina maximum sonitum excitavit, magnumque terrorem, ac formidinem in toto populo incussit, quem vulgarium hominum pœna nec parturivit, nec excitavit, semper enim ultio in majoribus personis notior, & formidabilior est, quàm ea, quæ contingit in minoribus. Salvian. lib. 3. de Providentia: *Pœna*, ait, *majoribus data, disciplina est minoribus.*

Pœna, quæ apprehendit Magnates, valde terrifica, non sic quæ minores.

QUÆSTIO XII.

Quare ex ardore Solis homines tam vehementer exarserunt æstu magno, & vehementi.

86 Dictum est versu. 8. ex phiala missa *in Solem*: *Datum est illi affligere homines æstu, & igni*; in præsenti tantùm dicitur, quòd *æstuaverunt homines æstu magno*; & nulla hìc de igne fit mentio. Ad hoc inservit expositio Ruperti; quòd in præsenti æstuaverunt æstu magno, igne vero in futuro judicio, quando improbi condemnabuntur in ignem æternum. Hunc æstum de voluptate libidinosa exponit Rupert. sed de ira, ac invidia in sanctos martyres, videntibus improbis eorum constantiam in martyrio, Cardinal. Hugo interpretatur.

87 Genuina verò expositio est de ipso igneo æstu, ac calore, quo improbi terrebuntur, is enim contra ipsos improbos sese opponet, semper enim cœlestia in peccatores armantur. Cum factum est diluvium super universam terram, ait text. Gen. 7. num. 11. *Rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt*; non solùm fontes abyssi rupti sunt, cùm bene poterat sufficere ad diluvium inducendum, sed etiam cataractæ Cœli rumpuntur: Sed à quo hujusmodi apertio, ac ruptura, tanquam veluti naturali impulsu ab ipsismet rebus cœlestibus, & terrestribus, ut pro suo Creatore pugnarent, ac veluti arma sumerent contra peccatores? D. August. lib. 1. de mirabilibus sacræ Script. cap. 19. *Ut ostenderetur*, ait, *quòd contra Deum rebelles, & contumaces sese pariter universus Orbis armabat.*

Omnia Creatura pro suo Creatore armatur contra peccatores.

Dum incendio punitur Sodoma, & Gomorrha, dicitur: *Pluit sulphur, & ignem à Domino de Cœlo*; ad quid de Cœlo venit iste ignis? num poterat exire à terra, ut quando devoravit ducentos quinquaginta viros adhærentes Core, & Dathan? Num. 16. nu. 33. vel quando devoravit sacerdotes offerentes ignem alienum? Num. 3. n. 1. ad quid de Cœlo peculiariter narratur quòd venerit hujusmodi ignis? Peccata hominum contra Deum, ad Cœlum ascendunt; Cœlum pro suo Creatore contra delinquentes omnibus pugnat; aqua in diluvio, igne in Sodoma. Albinus: *Cœlum peccatum exhorret, & punit aqua, & igne.*

Cœli ignes & aqua armatur contra peccatores.

89 Postquam Adamus peccaverant, iraque Dei in eum fulminata est, *fecit quoque Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, Gen. 3. nu. 21. facile erat Deo facere vestes lineas, cur ergo pelliceas? maximè cùm pellibus se munire soleant homines adversùs hostes, ad repellenda inimica tela; & quorum tela, illi duo primi homines, cùm tantùm soliessent, timere poterant? ad quæ propulsanda pellibus muniendi essent? Planè in confesso est apud omnes, quòd tunc nullus illis extaret hostis in Orbe; at quia peccato suo iram Dei concitaverunt contra se, inde omnia cœlestia metuebantur armata in eos, ut totaliter eos perderent, & inde muniendi fuerunt, ut se defenderent, & ita suum miserrimum peccati statum agnoscerent. Eleganter Claudius Marius lib. 1. in Gen.

Cœlestia cõmouẽtur contra peccatores.

Dixit, & ignaros cœlum defendere membris,
Veste tegit pecudum.

Ut miser homo suum statum agnosceret, providus Deus vestimentum pelliceum dedit, ne miseri Cœli injuria perirent, ac læderentur, quando omnia cœlestia in promptu sint ad perdendos eos, qui peccatis suum Creatorem offendunt.

90 Adversùs Israelitas Madianitarum legatis annuebat Balaam; quid tunc? *Et iratus est Deus; stetitque Angelus Domini in via contra Balaam*, Num. 22. n. 22. Expende connexionem text. *Iratus est Deus, stetitque Angelus*; non dicitur Angelus missus, sed stetit Angelus; ubi Deus in hominem iram concepit, statim Angelus tanquam ex proprio motu suo evaginato gladio se se homini opponit, ac si à natura insitum sit angelicis spiritibus, ut se exhibeant adversarios, ac iratos in eos, qui iram Dei provocant. D. Aug. q. 49. super Numer. ait: *Et iratus Deus, quia ibat ipse, &*

Angeli tanquam naturali impulsu moventes in peccatores.

surrexit Angelus Dei differre eum in via. Ubi primò notandum est, quemadmodum iratus est Deus, & surrexit Angelus Dei; nec interposuit iratum Deum misisse Angelum, sed tanquam per Angelum iratum, Deum significabat, quoniam veritas, & justitia Dei irasci Angelum fecit. Expende illa: *Nec interposuit iratum Deum misisse Angelum;* ac si non videretur Angelus expectare, quòd mitteretur à Deo, adversùs eum, qui divinam iram meretur, sed ipsimet Angeli statim advolant, ut pro suo Creatore districto gladio pugnent.

QUÆSTIO XIII.

Quare homines promoti ardore Solis tam rabido ore blasphemant contra Dominum.

91 CUm homines æstuarent æstu magno, ac vehementi ardore Solis, rabido & iniquo ore blasphemias eructarunt contra Dominum: *Blasphemaverunt nomen Domini.* Rectè admiratur Rupertus in sua sententia, in qua per Solem intelligit Ecclesiæ Prælatos; cur non potiùs blasphemias coniiciunt in ipsos Prælatos, sicut Core, & Dathan, obmurmurarunt contra Moysen, & Aaron? Numer.16. nu.3. sed isti tantùm in nomen Domini. Rectè dicitur quòd blasphemaverint nomen Domini; ait citatus Rupertus: *Quia quidquid adversùs Prælatos, vel Patres insaniunt, totum redundat in Deum, quemadmodum dicti attestantur Moyses, & Aaron; inquiunt* Num. 16. n 11. *Quid sumus, quia murmuratis contra nos? neque enim contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.*

Cõtumelia in Prælatos, in Deum redundat.

92 Tamen in nostra sententia ex ardore Solis contra Deum blasphemant; & cur non potiùs cõsiderant, quòd hujusmodi flagella ab eorum peccatis tanquam à fonte, ac origine emanant, & quòd sua scelera tot cruciatus ediderunt? cur non potiùs in sua peccata irascuntur, & à convitiis in Deum abstinent? Tanta est iniquitas impii, ac blasphemantis, ut non se, sed Deum injustum reputet. Primas. *Blasphemantium iste mos est, ait, ut non se impietatis, sed Deum maluit iniquitatis arguere; nec post plagas pœnitentiam agere, sed flagellati contumelias irrogare.* Deinde addit Andreas Cæsar. *Insani homines pro lapsuum, & scelerum suorum agnitione, & detestatione linguam suam contra Deum exacuunt: quemadmodum hac quoque ætate multos ostendere licet, qui nefanda illa mala, quæ ex Barbaris, qui in circuitu degunt, inferuntur, ægro, & iniquo animo ferentes, divinam bonitatem iniquitatis insimulare non verentur, quasi tot illas, tantasque afflictiones, nostræ huic generationi reservare non debuerit.*

Blasphemus non se, sed Deum arguit iniquitatis.

93 Sic sanè præ ira, ac furore insaniebant, ut sine mente, ac ratione agerent illi homines, dicerent, ac cogitarent, ubi enim rabies, ac furor iræ intervenit, mens, & ratio suffocatur, nihilque judicio, ac prudentiæ consonum operatur. Cùm Aman vidisset, ac experimento agnovisset, quod Mardochæus ei non flecteret genua, iratus est valde, Esther.3. nu.5. totius populi judaici intendit perditionem, quam consulit Regi Assuero in sui regni bonum: *Si tibi placet, decerne ut pereat populus,* ibid.n.9. Pharao etiam de oppressione judæorum agens cum suis Magnatibus, ait illis: *Ecce populus filiorum Israel, multus, & fortior nobis est. Venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, si ingruerit contra nos bellum,* &c. Exod.1.n.9. Uterque Pharao, & Aman de judæorum interitu pertractant, sed Pharao taliter intendit, ut velit sapienter in ea procedere, Aman verò, nullius sapientiæ facit mentionem, sed tantùm ait, ut populus iste pereat; & quando Pharao sapientiam commemorat in perdendis judæis, cur Aman nullam sapientiæ facit mentionem? Aman agebatur ira: *Iratus est valde;* at Pharao movebatur metu multiplicationis populi, ne ita cresceret, ut expugnaret terram: *Ingruerit contra nos bellum;* & metus secum admittit consultationem sapientiæ, ut adversa præcaveat, quam nullam secum patitur ira, sed omne vestigium illius radit, sicque totum occupat hominem, ut omne rationis lumen opprimat, ac suffocare videatur, undè præclarè dixit D.Chrysost. ho.17. in Acta: *Ira enim nihil permittit videre, nec intelligere.*

Ira excæcat hominem & sapientiæ radit.

94 Tanquam de gladiatore loquens Job.41. n.17. ait: *Cum apprehenderit eum gladius, non poterit ei resistere, neque hasta, neque thorax.* Ecce validus, & strenuus gladiator, cui nec hasta, nec thorax resistere potest pugnanti, ac rixanti. Perpende modum loquendi: *Cùm apprehenderit eum gladius;* dicendum videbatur: Cùm ille gladium apprehenderit, nemo armatus resistet; cur ergo magis dicitur: *Cùm apprehenderit eum gladius?* Ingeniosè sanè irascentium hominum conditio exprimitur, qui cum ad gladium currunt, non ipsi apprehendunt gladium, sed potiùs gladius eos apprehendit, ut non hominis mens, sed furor gladii totum hominem tenens ipsum regat, & gubernet, illiusque manum, ac opus dirigat. Stephan. apud Tilman. in Allegor. ad c. 1. Nahum, sic ait: *Dicitur, qui per abruptæ furoris graditur, non apprehendere gladium, sed à gladio apprehendi.*

Ira totum hominem apprehendit, & non sinit in eo quidquam rationis.

Ait Ecclesiast.7. n.10. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stultorum requiescit;* quid est, quod ira requiescit in sinu stultorum? Quia ira in stultis habet suam sedem, & requiem, & sicut stultitia distat à sapientia, sic & ira, quæ in stultitia habitat, & sedet, ab illa distat. Cajetan. *Ubi quiescimus,* ait, *diutiùs moramur, & invenimur, tanquam in loco proprio. Juxta hanc similitudinem describitur ira quiescens in sinu stultorum, quasi proprius locus iræ sit animus stultorum.* 95

Ubi ira, ibi stultitia.

Apoc.16. n.10. Et quintus Angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, & factum est ejus Regnum tenebrosum, & commanducaverunt linguas suas præ dolore.

Num. 11. Et blasphemaverunt Deum Cœli, præ doloribus, & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

VERSIONES.

Arabic. n.10. Tunc quintus evacuavit phialam suam super thronum bestiæ; quapropter desiit Regnum ejus, & factum est tenebrosum, & corrodebant linguas suas præ dolore.

Syriacus. Super thronum illius animalis dentis, & factum est ejus Regnum obtenebratum, & mandebant linguas suas præ dolore.

Pagninus. Manducaverunt linguas suas.

D. August. Comedebant à laboribus suis.

Arias. Ex labore.

Syriac. n. 11. Et convitiis affecerunt Deum Cœli ex dolore suo, & ex ulceribus suis, & non resipuerunt.

Vatabl. Pagnin. Blasphemiis affecerunt Deum præ doloribus suis.

Arias. Blasphemaverunt Deum ex laboribus suis.

Oecumen. Propter dolores suos, & propter ulcera sua.

EXPOSITIO.

ET *quintus Angelus.* Verè, & propriè Angelus. *Effudit phialam suam;* nempe vindictam, & pœnam Dei, contentam in suo divino decreto, & ipsi Angelo commissam. *Super sedem bestiæ;* ipsius nempe Antichristi, super sedem ejus regiam. *Et factum est regnum ejus tenebrosum.* Quibus verò tenebris non explicat sacra revelatio, & variè exponunt; genuinè intelligo tenebrosum veris, & propriis tenebris, quæ densa, ac obscura caligine diffusæ sunt super totum regnum ejus; & etiam tenebris metaphoricè, ac symbolicè, nempe peste, fame, ulceribus, multisque aliis miseriis, & calamitatibus, totum illud regnum est denigratum, ac obscuratum. *Et commanducaverunt linguas suas præ dolore;* Momorderunt linguas suas, ac si præ rabie linguas suas discerperent, & devorare vellent, quod vehementissimæ indignationis, ac impatientissimi doloris est signum, ac pictura. Et non ait text. manducaverunt, sed, commanducaverunt; ac si præ rabie semetipsos mutuo excitarent, ad semetipsos mordendos, & dilacerandos. 96

Verè tenebræ occupaverunt regnum Antichristi.

Et

Et blasphemaverunt Deum cœli. Convitia jactarunt in
97 Deum cœli, & ut notat Andr. Cæs. maximè deploranda hæc hominum misera conditio, quia tot, ac tantis compulsi sunt cognoscere Antichristum esse seductorem, & falso se velle honorari ut Deum, & tamen adhuc in suo errore persistunt, & verum Deum cœli non agnoscunt, sed potiùs blasphemant. *Præ doloribus, & vulneribus suis.* His impatientes effecti blasphemant, impatientia sæpè in blasphemias erumpit, ut notat Joachimus, & sæpè vulnera corporis præbent occasionem vulneribus animæ; sic ait prædictus Abbas: *Ægritudinis doloribus fauciati, sæpè impœnitentiæ emittunt verba, aliquando impietatis, & blasphemiæ.* Et quod inde majus malum est: *Non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.* In pœnam suorum peccatorum permissi sunt in majora peccata, & in obdurationem suorum peccatorum labi. Rup. *Non egerunt pœnitentiam deserti judicio Spiritus Sancti, quia blasphemarunt Deum, non per ignorantiam, sed præ doloris invidia.*

Animus Improbus hec miseriis compulsus.

98 Hæc pœna respondet nonæ plagæ Ægyptiacæ, palpabilium tenebrarum, Exod. 10. n. 21. & quintæ plagæ septimi sigilli, ubi locustæ tenebras inducunt, quibus obscuratur Sol. Apoc. 9. n. 2.

QUÆSTIO XIV.

Quare iste Angelus, tam severam plagam effudit super sedem bestiæ; & altiùs inquiritur, quænam sit ista bestia.

99 CUm noster text. dicat, quòd Angelus effudit suam phialam, seu iram Dei super sedem, seu thronum bestiæ, id est, super regiam sedem ipsius Antichristi, seu super totum regnum ejus, quod sub nomine sedis ejus intelligitur; vel peculiariter dicitur super sedem ejus, quia ab ejus sede, tanquam à fonte, ac origine omnes viæ peccatorum, ac malorum dimanabant, & inde maximè Deus in suppliciis exurgit contra sedem bestiæ, id est, contra vias, ac occasiones peccatorum. Cantaturus regius Vates divinam misericordiam, ac justitiam, ait Psalm. 145. num. 8. *Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos, Dominus custodit advenas, pupillum, & viduam suscipiet, & viam peccatorum disperdet.* Cùm benefacit elisis, justis, advenis, pupillis, & viduis, ipsas personas expressè nominat, cum verò ulciscitur, non tam in ipsas peccatorum personas, quàm in ipsorum peccatorum vias, ac tramites iram suam fulminat. *Et vias peccatorum disperdet;* ac si plus furorem iræ habeat in ipsas vias peccatorum, quàm in ipsosmet peccatores, undè rectè ibi D. Chrysost. *Non dixit*, ait, *disperdet peccatores, sed viam ipsorum, hoc est ipsorum actionem, non enim aversatur naturam, sed odio habet vitium.* Similiter ipse David Psalm. 1. num. 6. *Iter impiorum peribit;* ubi rectè D. Ambros. *Perire*, ait, *iter impiorum, dixit, non impios; servat eorum substantiam, qui, si convertantur, solum iter impietatis amittent.* Consonat ipsius Regis exoratio Psalm. 9. seu juxta hebræos, nu. 15. *Contere brachium peccatoris, & maligni;* ubi D. Chrysost. *Non vult*, ait, *peccatorem absolutè conteri, sed vires, potentiam, & ejus improbitatis fomitem.*

Divina supplicia exardescunt non tam in peccato, quam in peccatorũ occasione.

100 Secundo per sedem bestiæ, seu Antichristi, Haymon, Ansbertus, D. Anselmus, Albertus Magn. Gagnæus, & alii intelligunt ministros, familiares Antichristi, seu Diaboli, ac impietatum ejus. Richard. Victorin. *Illi*, ait, *ergo bestiæ principaliter sedes sunt, qui se continuò semper, & absque interruptione temporis, illius principatui per infidelitatem subdunt*; at quomodo impii illorum sedes sunt? nam in sede requiescimus, nihil autem turbulentius, & magis inquietum, quàm homines depravatæ mentis: *Cor enim eorum, velut mare fervens*; ut ait Isaias 57. n. 20. quomodo ergo in eis sedere dicuntur? Quantò magis impius fervet, quantoque magis turbulentus est, ac dissensiones, ac perturbationes excitat, & commovet in Republica, tantò magis cor ejus sedes; ac domicilium Diaboli est. Ait Jerem. 1. n. 13. *Ollam succensam ego video, & faciem ejus à facie Aquilonis.* Locus ad literam intelligitur de Jerusalem devastata, & incensa per Nabuchodonosorem; ita communiter D. Hieron. Theodoret. Rabanus, Hugo, D. Thom. Lyran. Dionys. Venit namque Nabuchodonosor ex Aquilone, ex Chaldæa nempe in Jerusalem, spiritu diabolico plenus, Diabolum in corde retinens, tanquam in suo domicilio, & veluti olla succensa, cuncta destruens, ac devastans. Et ubi nostra Vulgata habet, *ollam succensam*, legunt Chaldæi, Pagnin. Vatabl. Hebraic. *ollam succensam, ferventem, ebullientem*; si olla erat fervens, ac ebulliens, quomodo poterat Diabolus in ipsa habere sedem, ac domicilium? Quantò magis ipse erat fervens, ac ebulliens destruens Jerusalem, succendens templum, violans sanctuarium, ac sacra prophanans, & sancta vasa in usus prophanos convertens, sacerdotesque, qui reputabantur tanquam Dei pupilla, occidens, ac injuriis afficiens, tanto magis ipse sedes, ac domicilium Diaboli erat. Favet D. Gregor. lib. 18. Moral. c. 11. & lib. 33. c. 40. *Olla succensa*, ait, *est cor humanum, carnalibus desideriis, & anxietatibus æstuans, à Diabolo succensum, & fervens per consensum, cùm tot undas quasi fervendo proicit, quot nequitias desideriorum ad opera exteriora extendit;* expende: *Olla succensa cor humanum à Diabolo succensum, & fervens.*

Impii quò magis turbulenti, & dissoluti, eò magis sedes Diaboli.

101 Tertiò Joachimus Abbas, per hujusmodi sedem bestiæ, interpretatur religiosos, qui à tramite vitæ regularis deficiunt, & sic ait: *Religiosos sui immemores instituti denotari, qui quondam sedes Dei, facti sunt sedes bestiæ, quæ est regnum Antichristi, regnantis utique à principio Ecclesiæ in membris suis;* de his loquens D. Augustin. ait: *Sicut nullos comperi meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, ita nullos comperi deteriores, quàm qui in monasteriis defecerunt.* Quæ depravatio nascitur frequenter in religiosis ex ambitione dominandi, ac odio in fratres, quibus totum regnum, ac monasterium tenebrosum fit; sic pergit citat. Abbas: *Quocirca*, ait, *effusa phiala super hanc sedem, efficitur regnum ejus tenebrosum, quia & ambitio ipsa per se cæcat oculos eorum, ne videant, & odium, quod concipiunt contra eos, qui se increpant, omnino aufert lumen ab oculis eorum*: vide tom. 3. in Evangel. cap. 22. q. 23. n. 147.

Malus Religiosus odium, & ambitio obcæcat.

102 Quartò quænam est ista sedes bestiæ, à qua tot tenebræ post effusionem phialæ, emerserunt? Mendacium esse existimat Rupert. lib. 9. in Apocalyps. & ait: *Quid ergo est sedes bestiæ, nisi illud, super quod bestia innititur? quid autem illud est, nisi mendacium? Denique sicut authoritas Dei, non nisi veritas est, sic fulcimentum Diaboli non nisi mendacium.* Sicut Deum semper comitatur veritas, ut proprietas intrinseca ipsius naturæ, ut rectè dixit Nyssenus Orat. Catechet. 34. *Quomodo*, ait, *in unoquoque eorum, quæ sunt, est quædam proprietas, quæ notam reddit naturam, ita divinæ naturæ propria est veritas.* Sic & semper malignum spiritum mendacium comitatur, & tam proprium ipsius Diaboli est mendacium, ut mendacium omnia maligni opera sequatur. Præcipiebat lex Levit. 19. n. 11. *Non mentiemini;* ad quæ verba ait Isychius lib. 6. in Levitic. *Quæ nos parva putamus, maxima sunt, siquidem in mendacio singulis diebus solemus delinquere: sed & omnibus peccatis cooperatur mendacium, nequaquam enim corrumperet Thamarem Ammon, nisi corruptionem, mendacio Davidem decipiens, prævenisset; sed neque Naboth Jezabel occideret, nisi falsam contra eum per seniores accusationem composuisset.*

Mendacii Diaboli regnum, & sedes.

Veritas proprium Dei mendacii Diaboli.

103 Sicque Diabolus totus in mendaciis positus est, ut omnia tela, quæ conjicit, quibus homines, ac regna destruit, ac disperdit, mendaciis fabricentur. Valde notus est regius hominis Principatus in Paradiso; omnibus animantibus dominabatur, immortalique vita perfruebatur; invidens Diabolus, ut eum à regali throno deturbaret, quasnam machinas adhibuit? quæ tela paravit? quæ arma? Unum mendacii tantùm verbum protulit, cum ascensum præberet, dicens Gen. 3. n. 4. *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii;* hoc mendacii verbum totum illud Paradisi regnum vastavit. D. Cyrill. Alex. and. lib. 6 in Joan. c. 6. *Diabolus*, ait, *contra primum hominem non ferro accinctus, sed mendacio, & lethifera persuasione armatus venit, nec eum gladio sed verbo necavit, cum illi fugessit:*

Mendacii Diaboli telum, & regnos destruit.

geſſit: *Nequaquam moriemini, ſed eritis ſicut dii.* Huc conveniant mundiales Principes, & ſibi tam timeant ab hoſtium ferro, quàm à telo mendacis linguæ ſuorum; & quòd ferratæ hoſtium phalanges regiam invadant, non tam timori ſint, quàm quòd domeſticorum linguæ ibi effundentes venena.

QUÆSTIO XV.

Quare ſuper ſedem beſtiæ tam horribiles, & denſæ tenebræ diffunduntur.

104 EFfuſa quinta phiala ſuper ſedem beſtiæ, factum eſt regnum ejus tenebroſum. Præſens qu. inquirit quænam ſint hujuſmodi tenebræ. Aureolus inſiſtens ſuæ Chronologiæ vult eſſe punitionem Creſcentii per Othonem Imperatorem. Alcazar hanc effuſionem quintæ phialæ ſuper ſedem beſtiæ eſſe ait excæcationem gentilium, qui fideles perſequentur tam in Urbe Roma, quàm in Imperio.

105 Tertiò Haymon, Joachim. Ansbert. D. Anſel. Albert. Magn. Gagnæus, Viegas, Ferrar. per ſedem beſtiæ interpretantur peſtiferam ſedem, ac poteſtatem Antichriſti, aliorumq; hæreticorum, ſupra quam effuſæ ſunt tenebræ multorum errorum, ac iniquæ, & falſæ doctrinæ cum multis depravatis dogmatibus, ac aſſertionibus, ex quibus panditur janua impuritatibus, & ſceleribus, ac turpitudinibus contra omnem legem tam humanam, quàm divinam. Hæ ſententiæ morales ſunt, & multum inſerviunt ad mores, tamen non bene conſonant literæ, neque quæ hìc dicuntur, bene eis accommodari poſſunt.

106 Quarta, & vera ſententia, quam docent Andreas Cæſar. Aretas, Ribeira, Cornel. Menoch. Tirinus, M. la Haye, tenet, quòd veræ, & palpabiles tenebræ occupaverint totum regnum Antichriſti. Et hoc maximè conſequens eſt ad ſuperiùs dicta, nam ſicut ex aliis phialis proprium vulnus factum eſt in terra, & maria, flumina, fontes converſi ſunt in ſanguinem, & Sol igneo calore æſtuavit, ſic & hìc propriæ tenebræ factæ ſunt. Et confirmatur, quia ut omnes fatentur, hæ plagæ temporis Antichriſti adumbratæ ſunt in plagis Ægypti; atqui plagæ Ægypti fuerunt veræ, & propriæ, Exod. 10. n. 21. proindeque quantum colligitur ex litera, hæ tenebræ erunt veræ, & ſymbolicæ; veræ, ut eſt dictum, ſymbolicæ, quia ex tanta immutatione aeris prodibunt peſtis, multi morbi, ulcera, & alia multa infortunia.

Veræ tenebræ & palpabiles denotãtur.

107 Et bene dicitur: *Factum eſt regnum ejus*; ſcilicet Diaboli, ſeu Antichriſti tenebroſum, quia in ſolo regno Chriſti, eſt lux, & ſplendor; ad quod reſpiciens regius Vates ait Pſ. 18. n. 6. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum*; hoc eſt, per Hypallagen, ut vult Genebrard. *Solem poſuit in tabernaculo ſuo*; ut enim pro foribus tabernaculorum, ac domorum ſigna ponuntur, ac ſtemmata, quæ habitantium ſunt peculiaria ſigna, eorumque indicant magnalia, ſic JESUS præ tabernaculi ſui foribus habet Solem, qui cùm ſit omnium luminum fons indicat JESUM ſolum eſſe omnium luminum originem, ac fontem. Ait Iſaias 62. n. 1. *Propter Sion non tacebo, & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur, ut ſplendor juſtus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur*; ubi noſtra Vulgata habet: *Egrediatur ut ſplendor*; Septuaginta legunt: *Egrediatur ſicut lumen*; Procopius: *Egrediatur ſicut fulgur*. Omnia nomina ſplendor, lampas, lumen, fulgur, quæ lucem indicant adunantur ad explicandam Chriſti claritatem, quæ ipſo apparente in Orbe refulſit, ac ſi totum antea tenebræ eſſent.

Solo in Jeſu vera lux, & ſplendor.

108 Cùm ergo in ſolo JESU ſit vera lux, qui à Chriſto diſcedit, totus eſt in tenebris, ac denſiſſima obſcuritate, ut invenitur in regno Diaboli, ut in præſenti dicitur: *Factum eſt regnum ejus tenebroſum.* De Juda notat Joan. 13. n. 30. *Cùm ergo acceſſiſſet buccellam, continuò exivit, erat autem nox*; non enim poterat non ambulare in nocte tenebris, qui reiiciens JESUM ab animo ſuo, etiam corpore recedebat ab illo, nam ſicut qui JESUM habet, tenebræ eum non comprehendunt, ſic qui JESUM relinquit, totus à tenebris tenetur; quod eleganter meditatur Origenes to. 32. in Joan. & ſic ait: *Non erat igitur nox in iis, quibus pedes JESUS abluerat, ſed dies clariſſimus, quod mundi eſſent; & præcipuè in eo, qui in JESU ſinu cubabat, nox non erat, neque in Petro profitenti: Tu es Chriſtus; nox erat: : : Nunc autem, cum accepta buccella, Judas continuò exivit, tunc in eo egreſſo nox erat, nec enim ei præſtò erat vix cui lumen oriens, cum egrediendo, juſtitiæ Solem reliquiſſet.*

Qui à Chriſto diſcedit in tenebris ambulat.

109 Et ſunt homines adeo à ratione alieni, ut umbrarum tenebris capiantur, Chriſtum veram lucem deſerentes, quorum miſeram conditionem deplorat Oſeas, c. 4. n. 13. & ait: *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama, ſubter quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat umbra ejus.* Maximè ex pendenda eſt ratio motiva, ob quam impellebantur ad lignum adorandum; nempe ait: *Quia bona erat umbra ejus.* Et tanto affectu ad umbras, vel tenebras ferebantur. ut præ illis Solem contemnerent, ac pro nihilo haberent, & inde in graviſſimam pœnam incidunt, ut ait Ruffin. lib. 1. in Oſeam: *Repudiantes lucis, & luminis conditorem, verè quaſi filii tenebrarum nemoris capiebantur umbraculis, &c. Hanc igitur impietatem calamitatis ultimæ diſpungat illatio.* Meritò in perditionem abeat, qui authorem lucis relinquens tenebras quærit.

Homines relinquunt lucem, & quærunt tenebras.

110 Et adeo ſunt propriæ tenebræ Diabolo, ut etiam quando *ipſe Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis*, ut ait Apoſtol. 2. Corinth. 11. nu. 14. non eſt, ut ipſe, qui eſt Princeps, ac *Rector tenebrarum*, ad Epheſ. 6. n. 12. illuminet, ſed ut ſub ſpecie lucis tenebras errorum, ac falſitatum diffundat, ut homines decipiat, ac in barathrum detrudat, ut ponderat D. Cyprian. lib. de Unitate Eccleſ. in initio: *Satanas*, ait, *ſecundùm Apoſtoli vocem transfigurat ſe velut Angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos, velut miniſtros juſtitiæ aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti, ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur.*

Diabolus dum ſibi aſſumit ſpeciem lucis, tenebras diffundit.

QUÆSTIO XVI.

Quare Impii præ rabie non ſolùm manducant linguas ſuas, ſed etiam inter ſe mutuò commanducant.

111 VIdentes impii tot, & tantis plagis ſuper præcedentes plagas adhuc ſuis doloribus, ac laboribus finem non eſſe impoſitum, ſed ſemper in majora mala incidere præ labore, ac anguſtia commanducaverunt linguas ſuas, quod vel certe ita verè fiet, nam de inſigni Duce Georgio refert Martinus Barletius in vita Scanderbergi, interdum præ angore animi cogitabundum ſibi labia dentibus præcidere ſolitum, ut etiam per barbam, & pectus ſanguis defflueret, hoc enim ſummi doloris, & indignationis nota, & grandis hyperbole eſt.

Eximia rabies, & indignatio.

112 Tamen ſacer text. ait: *Commanducaverunt linguas ſuas.* Nobis innuit, non tantùm ſingulos, ſed ſeipſos quoque ad invicem aſſociatos morſuros ſibi linguas, membraque ſua, & ſe ad rabiem provocaturos, lamentantes ſimul tanta ſua infortunia, ita ut præ furore unus in alterum irrueret mordendo ſeipſos; & hoc altiùs, ac moraliter eſt inquirendum.

Furore in ſeipſos irruent impii.

113 Primò ait text. præ angore, ac rabie homines *commanducaverunt linguas ſuas*; non ait, manducaverunt, ſed *commanducaverunt*; quomodo hoc verificari poteſt? nunquid unus alterius linguam laniare poterat, & ſimul etiam ſuam præ dolore manducare? quod ſic dicitur, tanquam ſi ſinguli ſuam, & alterius linguam, dilaniaverint; & quomodo hoc? Myſticè eſt intelligendum; dum ipſi impii ſemetipſos exhortantur ad veritatem reſpuendam, & ad mendacium ſectandum, & amplectendum, ſemetipſos mordent, & dilaniant. Ansbert. *Commanducatione linguarum mutua intelligitur exhortatio infidelium, qua ſe invicem monent, moventes conſentiunt, conſentientes avent veritatem non recipere, mendacium ſequi, id eſt Chriſtum reſpuere, Antichriſtum verò ſuſcipere; hoc eſt enim infidelibus linguas ſuas præ dolore inſenſibilis vulneris commanducare.*

Linguas cõmanducãt dum ad mendacia ſeipſos exhortãtur.

114 Pro quo optimè facit Michæas, cap. 3. num. 5. *Hæc dicit Dominus: Super phialas, qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem;*

hoc

Qui suadet mendacia, maligna mordet.

hoc est, qui populum inducunt ad deceptionem, & falsa, hoc est mordere dente pestifero, & canino; & in hoc prædicant pacem, cùm sit triste, & durum bellum. Noster D. Cyrill. Alexand. ibi: *Mordebant enim, nec parum lædebant persuadentes sermonibus suis eos assentiri, potiùs quàm à Deo per sanctos Prophetas profectis. Mentiebantur autem dicentes eos in pace, & rebus fecundis vitam traducturos, nequicquam triste molestiam illis creaturum. Verùm hic eorum sermo non manabat à Deo, nec adeo splendida, & acceptabilia proloqui linguis impuris concessum est.*

115 Secundò juxta Rupertum, ut dixi superiori quæst. Regnum Diaboli est mendacium, quod assertionibus, ac dogmatibus hæreticorum, maximè est obtenebratum. Dicitur autem, quòd isti hæretici *commanducaverunt linguas suas*, cum ex sententia Ansberti, & Haymonis commanducare linguas, idem sit, ac dilaniare, & dilacerare, nam quamvis isti hæretici concordi malignitate, ac unanimi odio armentur contra Ecclesiam Christi, tamen inter se ita dissident, ac decertant, ut tanquam canes rabidi se invicem dilacerent, mordeant, ac dilanient. Rupert. sic ait: *Quomodo isti commanducaverunt linguas suas? Nimirum contra semetipsos sentiendo, contraria sibimetipsis dicendo, adversùs semetipsos sectarum varietatibus discordando; nam contra catholicam quidem Ecclesiam pari, & quasi concordi malignitatis spiritu depugnant, sed contra semetipsos discorditer confligendo, hæreses multifidas fecerunt, & ita quique suas partes defendendo, contendendo, atque rixando linguas suas commanducaverunt.*

Hæretici dū Ecclesiā concorditer impugnant seipsos, ut canes dilacerant.

116 Tertiò dicitur: *Factum est regnum ejus tenebrosum*; & statim subditur: *Commanducaverunt linguas suas*; quid habent tenebræ cum linguarum corrosione? Nonne canis rabie infectus etiam propria membra dilacerat, ac corrodit? & quis magis canis rabidus, quàm invidus, qui sic ambulat in tenebris, ut in Christi servos, ac viros virtute conspicuos, maximè furore rapiatur? inde meritò dicuntur linguas suas commanducare, invidi enim pares sunt canibus rabidis seipsos mordentibus, ac dilacerantibus. Richard. Victorin. *Quia*, ait, *per majorem excæcationem in majorem erga sanctos prorumpunt livorem, & majorem divinitatis Christi derogationem, aptè sequitur, linguas suas præ dolore, id est, præ invidia, quam erga sanctos habebunt manducare*; & deinde addit: *Linguam comedere, est erga alium invidia tabescere, & ejus bonitati detrahere, ille enim linguam suam comedendo consumit, qui proximum per invidiam, & detractionem corrumpit.*

Invidus velutiī canis rabidus

117 Cùm quinque Reges debellassent Regem Sodomæ, & Gomorrhæ, eosque captivos ducerent, una cum præda occurrit Abrahamus, de victoribus triumphat captivosque in sua libertate unà cum præda reponit; tunc Rex Sodomæ, largè prædam remittit Abrahæ, qui sanctè jurat: *Levo manum meam ad Dominum meum excelsum, quod à filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, Gen. 14. nu 22. totam rem oblatam reficit Abrahamus, ne spoliis susceptis ditior factus invidiæ pateret, ut docet D. August. ibi; ait: *Rex & sui ex hoc facto facilè invidere divitiis Abrahæ*; timuit ergo Abrahamus fædare beneficium, & quos ab hostium manibus liberaverat, invidiæ morsibus tradere, quibus maximè cruciarentur, ac torquerentur.

Invidi seipsos mordent.

118 Quartò: *Commanducaverunt linguas suas*. Quomodo hoc fieri potest, cùm ut notant Ansbert. Haym. juxta Psalmistam, *Acuerunt linguas suas sicut serpentes*; ut interficiant justos, & sanctos? In hoc tamen ad invicem comederunt linguas suas, nam quæ impii dicunt, faciunt, ac machinantur inter se mutuo contra sanctos, totum in eorum perniciem, ac damnum reflectitur. Initio consilio iniqui in justos parant linguarum morsus, dentium dilacerationes, ac manuum interfectiones; hoc totum in suum caput molliuntur, & jacula, quæ in sanctos contorquent, in semetipsos resiliunt. De primo homicida habetur Gen. 4. n. 8. *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum*. Philo citandus legit: *Interfecit ipsum*; in quibus verbis latet aliqua æquivocatio, propter illud nomen *ipsum*; quod & si videatur referendum ad Abelem, tamen optimè referri potest ad ipsum Cain interfectorem, ut qui erecta manu potiùs sibimet, quàm Abeli intulisset mortem. Philo. lib. quod deterior potiori insidietur, sic ait: *Insurrexit Cain in Abelem fratrem suum, & interfecit ipsum; prima quidem facie, Abelem occisum subindicat, sin autem diligentiùs rem expendas, ipsum Cain à seipso; proinde sic legendum: Insurrexit Cain, & occidit seipsum, & non alterum.*

Linguas & Eloquia, quo impii contra justos acuunt, contra seipsos armant.

Crudelissimis hostibus Judas JESUM tradidit, & cùm immaculatus agnus ad victimam duceretur, scribit D. Matth. 27. n. 3. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum*; quid deinde? *Et projectis argenteis in templo, abiens, laqueo se suspendit*; cur miser homo tam præceps abis ad interitum? cur non magis tui sanctissimi magistri misericordiam expectas, de cujus clementia, tam magnum tibi erat experimentum? nonne paulò ante judæorum conventu cinctus dicebas illud Sap. 2. n. 12. *Circumveniamus justum, mittamus lignum in panem ejus?* si circumventionem justo parabas, lignumque mittebas in eum nunc justo parcis? *Peccavi tradens sanguinem justum*; & tu curris ad lignum ad tui suspendium? Necessum erat, quod qui in virum justum mittebat lignum, lignum eum ad sui interitum reciperet. Pulchrè D. Leo ser. 3. de Passione cum Juda loquitur: *Cur, ò Juda*, ait, *de JESU bonitate diffidis, qui te à corporis, & sanguinis sui communione non repulit? Sed homo inconvertibilis, spiritus vadens, & non revertens, cordis sui secutus est rabiem, & sante Diabolo à dextris ejus iniquitatem, quam in sanctorum omnium armaverat caput, in suum verticem retorsit.* Perfidus traditor lignum JESU paraverat, in quo lignum sibi comparavit; lignum JESU extitit trophæum victoriæ, clavis ad Cœlum; lignum Judæ fuit suspendium ad laqueum, & via ad barathrum. 119

Lignum armatum in justos, in peccatores desævit.

Sacerdotes babylonici insurgunt contra Danielem, Regemque adurgent, ut mittatur in lacum leonum, & ut celeriùs Danielem devorare possent, tota eorum cura in eo posita fuit, ne quid cibi leonibus præberetur; post septem dies venit Rex lugens Danielem, & absque ulla læsione eum invenit, festinus Rex protinus mandat Danielem exire à lacu: *Porro illos, qui perditionis causa fuerant, intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo*, Daniel. 14 n. 41. cur tam celeriter, ac in momento vorati sunt à leonibus? Ipsi ferarum dentes fame contra Danielem exacuerant, cautè prohibentes, ne quid annonæ leonibus ministraretur i id ergo quod in Danielem machinati sunt, in eorum verticem recidit, ut celeriter, ac momento à leonibus devorarentur, deglutirentur, ac minutim comminuerentur. Phil. lib. 1. Antiq. c. 7. *Sevierunt leones in babylonios, antequam pervenirent ad fundum foveæ, nihil enim discerpserant ab heri, & nudiustertius.* 120

Dentes exacuti in Danielem, in Babilonios desævierunt.

QUÆSTIO XVII.

Quomodo impii præcisis linguis poterant blasphemare.

DE istis iniquis ait text. *Blasphemaverunt Deum, & non egerunt pœnitentiam*; quibus ponderatis, rectè ait Alensis: *His notantur effectus phialæ iræ Dei, & ultionis divinæ, quæ in ipsis invidis habet esse; obcæcatio, quoad seipsum: Factum est ejus regnum tenebrosum; corrosio quo ad proximum: Commanducaverunt linguas suas; abnegatio quo ad Deum: Et blasphemaverunt Deum Cœli; obduratio mali: Et non egerunt pœnitentiam.* 121

Innumera ex invidia, mala.

Quæstio præsens est: Si isti iniqui commanducaverunt linguas suas, quomodo blasphemantia verba jactare potuerunt? abscissis enim linguis absque miraculo nullus loqui valet. Ad quod respondet Estius: Priùs blasphemarunt lingua, antequam comederent linguas suas, postea vero animo, & voluntate, quomodo & dæmones blasphemant sine linguis. 122

Blasphemant animo, ut dæmones.

Secundò juxta sententiam Alensis, Div. Thomæ, 123

Richardi Victorini, & aliorum, per commanducationem linguarum suarum, impiorum detractio de justis denotatur: corrodendo ergo, & murmuratione comedendo linguas suas de sanctis detrahendo blasphemarunt Deum Cœli, detractor enim justorum in Deum blasphemus invenitur. Favet Joachimus Abbas: *Primò quidem*, ait, *laniant dentibus bonos magistros; deinde crescente impatientia, & malitia usque ad blasphemias Creatoris erumpunt.*

Qui justos detrahit in Deum est blasphemus.

124 Cùm Core, & socii ejus murmurassent de Moyse, & Aaron, quod partiales essent, & quod ex carnali affectu ducti solos suos ad dignitates promoverent, crudelesque essent in reliquos populares, indeque contra eos se erexerunt, eorum jussa contemnentes; tunc Moyses ex Dei mandato fulminat in eos divinam iram: *Si novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suum deglutiat eos, descenderintque viventes in Infernum, scietis, quod blasphemaverint Dominum*, Num. 16. num. 30. Blasphemia est contumelia, seu injuria illata in Deum; Core, cum suis sociis solùm locuti sunt contra Moysen, & Aaron, quomodo ergo blasphemias dicitur eos protulisse? Sic Deus diligit suos ministros, eosque venerari vult, ut injuria irrogata in eos tanquam prolata contra Deum habeatur. Cajetan. sic ait: *Non solùm contemptus significatur, sed pejor quædam vilipendii species: Vilipendendo, contemnendo, spernendo, reprobando, irritando vicarios Dei, in Deum ipsum videbantur peccare*, juxta illud Levit. 10. n. 16. *Qui vos spernit me spernit*; & illud 1. Reg. 8. nu. 21. *Non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos.*

Qui offendit justos, in Deum peccat.

125 Ait Paulus. Ephes. 4. num. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei*; in Spiritum Sanctum non cadit tristitia, aut passio ulla, tamen metaphoricè contristari dicitur, cùm offenditur, & ut ait Tertull. ad cap. 15. de spect. *Urgentur homines sacro text. ne Dei lædant Spiritum pro naturæ suæ bono tenerum, ac delicatum*, &c. Et in quo nos exhortatur Apostolus, ne Dei offendamus Spiritum; immediatè subdit n. 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.* Peculiari phrasi nos admonet Apostolus: *Nolite contristare Spiritum Sanctum*; ne maledicta, ac blasphemias in fratres extorqueamus, utpote qui suam in aliena injuria injuriam agnoscit, & ideo erga fratres maximè os purum nos vult habere. D. Chrysost. ho. 14. in Moral. *Os*, ait, *habes spirituale obsignatum Spiritu Sancto; cogita quæ sit oris tui dignitas; Patrem vocas Deum, & fratrem mox vituperas? Perpende cum quibus tempore mysteriorum astas, nempe cum Cherubim, & cum Seraphim; quomodo ergo cum illis potes dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris?*

Deus injuriam in suos, suam agnoscit.

Apoc. 16. n. 12. Et sextus Angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccavit aquam, ut præpararetur via Regibus ab ortu Solis.

VERSIONES.

Arabicus.	Evacuavit phialam suam, &c. Et siccata est aqua ejus, ut fieret in eo via parata Regibus venientibus.
Syriacus.	Et aruerunt aquæ ejus, ut pararentur viæ Regum illorum, qui ex oriente Solis sient.
Arias.	Et exsiccata est aqua ejus.
D. Cyprian.	Ut præpararetur via eorum, qui sunt ab ortu.
Primas.	Ut præpararetur via, veniente Rege ab oriente Sole.
Vatabl.	Via Regum ab ortu.

EXPOSITIO.

126 ET *sextus Angelus.* Nec est, ut ait Aureolus, Gregorius VII. nec est, ut ait Alcazar, Fabianus Pontifex; nec etiam est, ut inquiunt Hugo Victorinus, Haymon, Pannonius, Albert. Magn. Prædicatores. Ex quo colligit Mendonza ad 1. Reg. c. 2. annot. 15. sect. 1. num. 17. esse hunc Angelum Beatissimum Franciscum Xaverium Indiarum Apostolum, qui exsiccavit fluvium magnum idololatriæ, ut Orientalibus Regibus pateret via ad Cœlum: hæc bene, & moralia sunt. Ad literam, & genuinè: Iste est verus, & proprius Angelus, ut sæpè dixi de aliis superioribus quinque. Effudit phialam suam, nempe divinam iram, ac vindictam sibi commissam. *In flumen magnum Euphratem*; nempe Babylonis. Dicitur magnus tum ratione profunditatis, tum etiam latitudinis, ac vastitatis; & hic fluvius à venientibus ex Oriente in Occidentem præsertim in Judæam, transeundus est. *Et siccavit aquam ejus.* Non ipsas aquas divertit per per varias fossas, & loca, ut fecit Darius ingrediens Babyloniam, sed exsiccavit eas, ostendens suam magnam virtutem, vel quia per aquas Euphratis aquæ baptismi denotantur, de quo infra.

Ut præpararetur via Regibus ab ortu Solis. Difficilis 127
quæstio; quænam sint isti Reges? Multi existimant esse bonos & pios, venientes in auxilium christianorum; tamen mihi probabilius, ut ex multis dicam qu. 19. esse malos, & impios, venientes in auxilium, ac obsequium Antichristi, nam hìc agitur de tertio anno regni ejus, jam ipso facto potentissimo Monarcha supra omnes, qui fuerunt in Orbe, subjectis omnibus totius Septentrionis, & Occidentis, usque ad Euphratem, & etiam magna pars Orientis ei jam subjecta erat; undè isti Reges veniunt in obsequium, ac auxilium Antichristi? Ad inquirendos christianos per varia loca ad necem, ad pugnandumque contra aliquem, si Antichristo noluerit obedire, ad celebrandumque magnum ejus triumphum, in loco, qui dicitur Armagedon, de quo infra nu. 16. quem impium Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui, cum istis Regibus, ac suis exercitibus.

Verus sensus.

Hæc sexta phiala, inducens exsiccationem Euphra- 128
tis, convocationemque Regum Orientalium, eorumque congregationem in locum, qui dicitur Armagedon correspondet sextæ tubæ c. 9. n. 14. ubi solvuntur quatuor Angeli ligati in Euphrate, qui soluti in aciem producunt ducentos milliones equitum, & respondet ultimæ plagæ Ægypti, quando exsiccato Maris Rubri alveo, submersi sunt omnes currus, & equites, & exercitus Pharaonis.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Angelus bonus exsiccavit aquas Euphratis, ut via præparata, & expedita fiat iniquis Regibus.

AIt text. quòd Angelus siccavit aquam fluminis 129
Euphratis. Alludit hìc sacra revelatio ad Darium, & Cyrum, Reges Persarum & Medorum, qui ab Oriente, id est, ex Perside, & Media venientes, ingressi sunt munitissimam Babyloniam, derivantes Euphratem, qui per mediam urbem defluit, in varias fossas, & loca, indeque sicco pede milites in urbem immiserunt, eamque repente ceperunt, ac sub sua potestate redegerunt, ut communiter Interpretes explicant, ac tradunt, Daniel. 5. n. 3.

Allusio textus.

Sicque etiam in fine Mundi iterum Euphrates ex- 130
siccabitur non hominum industria, ac labore, ut factum est sub Cyro, sed miraculosè, virtute Angeli, *ut præparetur via Regibus ab ortu Solis*, qui ab Oriente veniunt in obsequium, ac auxilium Antichristi contra fideles christianos, eos inquirentes per omnia loca, ac deserta, ut interficiant. Et hac de causa, ut multis placet, aquæ non sunt divisæ, ut aquæ Maris Rubri, vel Jordanis, sed exsiccatæ, quia in hoc sacro ænigmate, aquæ Euphratis denotant aquas baptismatis, quæ tunc publicè, ac patenter non erunt, sed tantùm in occulto, ac abscondito; vel quia Euphrates idem valet in suo significato, ac frugifer, crescens, & abundans, & bona temporalia, quæ in his Regibus apparebant, quæ citò crescere, & abundare videbantur, tantò citiùs erant eradicanda, ac exsiccanda; & ideo hæc exsiccatio Euphratis fit miraculosè opera boni Angeli, non ut cedat in bonum antichristianorum, sed ut citò deducantur ad commune macellum, in quo suas pœnas debitas recipient, ut patet infra, ex c. 19. Apocal. ad fin. n. 20.

Bona temporalia citò evanescùt.

Mora-

131 Prius consumanda nequitia iniquorum & tunc sancti judicabunt.

Moraliter etiam: primò Haymon per Euphratem, qui in multos rivos dividitur, intelligit malorum multitudinem, qui in multa vitia, turpitudines, ac depravationes dividuntur. *Et sextus Angelus effudit phialam suam;* nempe cœlestem prædicationem, qua exsiccantur aquæ fluminis Euphratis, hoc est, omnis malitia iniquorum. *Ut præparetur via Regibus ab ortu Solis.* Per Reges intelligit justos, qui se benè regunt, venientibus ab ortu Solis, à gratia nempe Christi, qui est verus Sol justitiæ; & cur priùs exsiccantur aquæ, quàm præparetur via Regibus, seu sanctis? Quia priùs extinguenda est malitia iniquorum, quàm sancti cum magno triumpho assumantur ad judicandum; sic subdit Haymon: *Nisi priùs malorum nequitia fuerit consummata, nequaquam ad judicandum apparebunt, ipsi enim post eorum damnationem remunerabuntur, qui eos sunt judicaturi.*

132 Adulantiũ ac iniquorum Magistrorum voces sollicitant Dei iram.

Secundò maximè admiratur Rupertus, quòd cùm præcedentes phialæ damnassent maria, flumina, & fontes, cur hoc flumen Euphrates propriam meretur phialam? Pro cujus rei explicatione adverte quæ sint hujus fluminis aquæ; existimat citatus auctor quod sint adulantium garrulitates, Poetarum figmenta, iniquorum magistrorum falsa dogmata, quæ maximè apud Babyloniam vigebant, Daniel. 2. nu. 4. & 2. n. 2. per cujus mediam civitatem Euphrates defluit, & ob has cathedras falsæ doctrinæ, divinam iram meruit, ut peculiari, ac insigni pœna puniretur; sic Rupertus: *Illis quoque ira debetur, qui illos dementaverunt vaniloquiis, imò & scripturis suis malitiosis illorum errores auxerunt.*

133 Falsa doctrina extinguenda, ut ad cœlũ transeas.

Sed cur priùs exsiccatur aqua hujus fluminis, *ut præparetur via Regibus ab ortu Solis?* Quia his, qui veniunt ab ortu Solis (qui est Christus Deus noster) ut præparetur via, & transitus ad cœlum, necesse est, ut priùs sit exsiccata ac extincta omnis aqua mundanæ sapientiæ, ac humanæ stultitiæ; sic ait citatus Rupertus: *Non poterant aquas illas transire Reges isti, cùm una lingua hebraica occurreret græcis facundis, disertisque latinis, grammaticis, rhetoribus, dialecticis, aut poetis tragicis, comicis, satyricis; at ubi venit ille Spiritus veritatis, ut argueret Mundum, nimirum arguendo, idque effecit, ut siccarentur tantæ aquæ, tam magna flumina; stultam enim fecit Deus sapientiam hujus Mundi.* Abulensis: *siccavit aquas ejus, id est, doctrinam sine humore gratiæ.*

134 Impiis aufertur gratia quam in Sacramẽto receperũt.

Tertiò per aquas fluminis, quæ maculas exterguntur, intelligit Richardus Victorinus, aquas Baptismi, quæ culpas abluunt; sed quid est, quod per effusam phialam ab Angelo, exsiccantur aquæ Euphratis? Quia merito, ob peccata impiis, exigentibus suis demeritis, gratia, quæ fuerat data in Baptismo, aufertur; sic ait cit. Doctor: *Fluminis aqua siccabitur, dum reprobis baptizatis, imminente vindicta, donum gratiæ spiritualis in Baptismo collatum auferetur.*

135 Cõtemptus terrenorũ præparatur via ad cœlum.

Quarto Euphrates interpretatur frugifer, vel crescens, vel pulverulentus, & inde divites significat, qui in terris crescere, & fructificare omni affectu contendunt, proindeque tanquam aquæ in perpetuo fluxu sunt; sed ad quid siccantur aquæ Euphratis, ut præparetur via Regibus venientibus ab Oriente? Quia si siccantur divitiæ per contemptum, nobis via præparatur ad regna cœlorum. Alensis: *Hic Angelus*, ait, *divitias terrenas contemnendas prædicabit, & sic aquas divitiarum siccabit, ut præparetur via Paradisi Regibus per contemptum terrenorum, & appetitum divitiarum cœlestium.* Et ideo isti Reges dicuntur venire ab ortu Solis, ut denotetur, quod hujusmodi rerum temporalium contemptus non fit, nisi in nobis oriatur verus Sol justitiæ. Ita D. Thomas: *Ab ortu Solis*, ait, *id est, ex eo quòd Christus orietur magis, ac magis in cordibus ipsorum per gratiam, qui est Sol irradians super sequentes se.*

Cõtemptus divitiarum ex gratia Christi.

136 Deus permittit justorum tribulationes ut magis probentur.

Quintò valde mirum sanè, quòd aquæ Euphratis exsiccantur, ut præparetur via Regibus; sed cur Deus permittit alto consilio suo exsiccari aquas fluminis, ut sine impedimento tot impii Duces cum suis copiis transeant? nonne cùm Ægyptii persequerentur Israelitas in medio maris submersi sunt? quomodo hìc tam diversum eventum reperimus, quod siccatur fluvius, ut impii Reges sicco pede pertranseant? Id tamen permisit Deus, ad exercitium justorum, & ad magnum augmentum eorum gratiæ, & gloriæ; & ut etiam justorum fides, & eorum amor in ipsum Deum, cunctis clarescret inter tot adversarios, ac barbaros tyrannos. Andreas Cæsariensis: *Transire*, ait, *Euphratem inducentes, aut animæ, aut corporis mortem; animæ quidem, eò quòd talia ex operatione dæmonum contingant ex permissu Dei, magis quoque ipso Deo illos adducente ad probationem famulorum suorum, non quòd ignoret, sed ut aliis manifestum faciat, qui ad se accedant.*

137 In peccatores citò adulat supplicium

Sextò siccatur Euphrates, ut impii Reges sicco pede transeant, cùm Ægyptii submersi sint inmare rubrum, cùm persequerentur Israelitas; cur ergo hi incolumes pertranseunt Euphratem exsiccatis ejus aquis? Siccatur fluvius ne ipsi in ejus transitu moram faciant; ducebantur ad carnificinam, ut citò & breviter cum suo Antichristo durissimam, ac terribilem mortem sustinerent. Minatur Deus supplicium, ac destructionem Jerusalem per Chaldæos, & ait per Jeremiam 1. nu. 12. *Vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud;* & ad quid vigilat? Ut valde mane, ac diluculo celeriter, ac festinanter mittat supplicium, ut explicant D. Hieron. Theodoret. & Chaldaica paraphrasis.

138 Suppliciũ Dei breviter, & sine mora.

Quis à supplicio Dei nimis properante poterit se expedire? Ait regius Vates Psal. 2. n. 12. *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa. Cùm exarserit in brevi ira ejus.* Sermo est de ira in judicio finali, ac damnatione æterna, sed hujusmodi ira, quæ in æternum durat, & perseverat, quomodo ira brevis dicitur? Quia etsi absque fine duret, & perseveret, tamen sine mora celeriter, ac breviter hominem apprehendit, dum minùs ipsa ira timebatur. Hesychius in Catena Lypomani sic ait: *Futurum describit, ut celeriter irascatur. Hic quidem indignatur, non tamen celeriter, sed animi utitur lenitate, molemque ignem ascendit.*

139 Judas ex summa miseria cucurrit ad laqueũ.

Prodidit Judas magistrum suum, meum Jesum, eundemque negavit Petrus; uterque suum facinus agnovit, Petrus à supplicio liber exivit, in quod dirum, ac rigidum incidit Judas; & cur Judas ab illo non eximitur? Ait de illo Matth. 27. n. 5. *Recessit, & abiens laqueo se suspendit;* alii legunt, *cucurrit ad laqueum.* Extrema miseria, ac deplorata Judæ pœna non fuit tantùm quòd laqueo se suspenderet, sed quòd ad illum festinanter cucurrisset, si enim moras interposuisset, poterat suum miserum statum recogitare, suam culpam deflere, ut Petrus, ac ut ille misericordiam invenire. D. Gregorius Nyssenus homilia in eos, qui alios judicant: *Ego autem*, ait, *& Judam Iscariotem existimo, nisi ipse sui ipsius carnifex esse properasset, sed supplex veniam petisset, ejus misericordiæ, quæ per Orbem erat effusa non fuisse expertem futurum.* Expende illud, *properasset;* hæc causa extitit extremæ illius ruinæ, quia pœna festinanter eum apprehendit, quod deplorat Jeremias Thren. 4. nu. 19. *Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli.* Rupertus cap. 88. *Persecutores, id est, peccata nostra, velociores fuerunt aquilis cœli, ut nullum usquam pateret effugium.*

QUÆSTIO XIX.

Quare exsiccato Euphrate, via præparatur istis Regibus; & quinam sint isti Reges, an boni, vel mali.

140 Impugnatur.

HOc est valde principale punctum in hac re; quinam sint isti Reges? Alcazar existimat esse Petrum, & Paulum Apostolos venientes ad invadendam Romam ethnicam, & adducit pro se Sanctum Laurentium Justinianum, in festo Sanctorum Petri, & Pauli. Sed Sanctus Venetiarum Patriarcha, loquitur concionatoriè. Ad sensum literalem non subsistit sententia Alcazar, nam ipse existimat, ut supra retuli, primum harum phialarum Angelum, esse Sanctum Paulum, secundum Angelum Sanctum Petrum; si sunt in hac sacra prophetia Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus duo primi Angeli

duarum primarum phialarum, quomodo nunc in sexto Angelo, & sexta phiala, mutant personam, & induunt personam Regum Orientalium? His omissis, quæstio satis agitata inter doctores est, an isti Reges sint boni, vel mali.

141 Prima sententia tenet, quòd isti erant boni, ac pii Reges venientes in auxilium Ecclesiæ, ac christianorum contra Antichristum; ita docent Haymon, Rupertus, Alensis, D. Thomas, Viegas hìc sectione 3. Gagnæus, la Haye. Probatur: Quia hi Reges videntur adduci à bono Angelo fluvium Euphratem exsiccante, ut velociùs succurrere possint Ecclesiæ, non autem videtur verisimile Deum tantum miraculum patraturum in favorem exercitus antichristianorum; tum quia Antichristus contra eos ingentem parabit exercitum, & Joannes subdit versu sequenti, quòd draco, & bestia, id est, Diabolus, & Antichristus, tres spiritus immundos mittent, qui omnes alios Reges fœderatos contra eos in suum auxilium evocent. Hæc sententia probabilis est.

Reges pii, & boni.

142 Contraria tamen sententia mihi est probabilior, quòd scilicet isti Reges sint iniqui, & pessimi, venientes in obsequium, ac auxilium Antichristi contra Dei Ecclesiam, ejusque filios christianos; ita docent Andreas Cæsariensis, Ansbertus, Albertus Magnus, Richardus Victorinus, Ribeira, Cornelius, Ferrarius; imo & hanc sententiam etiam tenet Viegas sectione 2. Probatur primò: Quia Angelus immisit phialam novissimæ iræ Dei, ad exsiccandas aquas Euphratis: ergo cùm id non sit opus misericordiæ, sed iræ Dei, non erat in auxilium Ecclesiæ, sed in damnum antichristianorum.

Vera sententia.

143 Probatur secundò: Quia, ut supra vidimus, juxta Danielem 7. num. 24. & juxta hanc sacram revelationem, cap. 13. n. 1. & ibi diximus quæst. 3. n. 26. & 27. ex decem Regibus, qui tempore Antichristi Orbis imperium tenebunt, tres occidentur ab ipso Antichristo, & reliqui septem ei se subjicient; & ex his aliqui erunt ex Oriente; & quia hæc jam pertinent ad tertium annum Antichristi, ut tenent Viegas, Cornelius, Ribeira, Ferrarius, in quo ipse jam erit potentissimus Dominus, ac Monarcha totius Orbis supra omnes, qui antea fuerunt, jam toto Occidente sub ejus potestate redacto, tunc isti Reges ex Oriente venient in auxilium, ac obsequium Antichristi, si fortè aliquis ei resistere, vel contra eum rebellare audeat; deinde etiam in ejus obsequium per vastissima Orientis deserta, ac loca, & cavernas inquirentes, & perquirentes omnes christianos, ut ab eis occidantur; & tandem ut conveniant ad magnum triumphum, quem Antichristus sibi præparat in loco juxta Jerusalem, qui dicitur Armagedon, ubi virtute spiritus oris Christi, dira morte peribit, ut dicitur hoc cap. versu 16. & cap. 19. nu. 15. & c. 20. num. 9.

Reges iniqui venientes in obsequium Antichristi.

144 Nec obstat, quòd aquæ Euphratis virtute Angeli exsiccatæ sint, quia Deo permittente ob alta consilia sua, mala, & magna fient ab Antichristo. Et aquæ exsiccantur, non in obsequium antichristianorum, sed ut ipsi celeriùs ad carnificinam trahantur, ut potentatus sæculi cum suo Antichristo digna, ac miserrima morte in infernum sepeliantur.

Solvitur fundamentum contrarii.

145 Reges Orientales non submerguntur in fluvio, ut Ægyptii in mari rubro, sed sicco pede transeunt, & ad duriorem, ac rigidiorem pœnam cum suo Antichristo reservantur: Supplicium sæpè differtur, ut durius, ac rigidiùs inferatur. De hypocritis in judicio clamantibus locutus Dominus Matth. 7. n. 23. ait: *Tunc confitebor illos, quia nunquam novi vos*; cur usque tunc tam longo tempore expectas, Domine, ut iniquissimos homines punias? Nadab, & Abiu filii Aaron, eo quod coram Domino obtulissent ignem alienum: *Egressus ignis à Domino devoravit eos, & mortui sunt coram Domino*, Levit. 10. n. 1. & cur istis tam citò pœna inflicta est, illis vero tam morosè? Filii Aaronis statim traduntur, ac puniuntur igne temporali, nam tanquam mente alienati, vel ex inconsideratione, vel ex aliquo timore, ut videre est apud Abulensem ibi, peccatum admiserunt, at hypocritæ, de quibus Christus loquitur, morosè ob suam multam nequitiam, ac malitiam gehennali igni deputantur, quia tam grandis ira, tamque grandis æterna pœna, non festinanter, sed valde morosè multa dilatione interposita fulminatur. D. Chrysostom. hom. 19. in Matth. *Usque tunc*, ait, *sustinebit, quia grandem iram grandis dilatio præcedere debet*.

Differtur supplicium ut rigidius inferatur.

Mittens Deus suos ministros, qui rationes peccatorum populi exigerent, debitumque supplicium pro eis inferrent, hoc in primis illis mandat apud Ezechielem 9. nu. 6. *A sanctuario meo incipite*; & Septuaginta transferunt: *A sanctis meis incipite*; & quomodo jubet sanctos suos in primis sub gladio premi? & cur non potiùs peccatores? Sicut misericordiæ est pœnam non differre, sic summi rigoris dilationes interponere, nam hujusmodi induciæ quid pariunt, nisi multam angustiam, prolixumque dolorem in his, qui judicium timent, ac expectant? D. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 20. *Quos miseretur enim*, ait, *citò castigat, ut non diutiùs afficiantur futuri expectatione judicii, ne prolixiùs misera reatus sorte macerentur*:

146 Pro gravi pœna supplicium differtur.

Maximè lachrymatur Jeremias Thren. 2. n. 4. *Tetendit arcum suum, quasi inimicus, firmavit dexteram suam, quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu*. Expende illud: *Tetendit arcum*; non ait, immisit sagittam, sed tetendit arcum, quod moram, & tempus exigit; sicut & illud: *Firmavit dexteram suam*; quod est ad scopum collimare, quod non citò, sed tempore interposito fit; & ad quid tot verbis dilationem importantibus utitur? Quia in ipsa dilatione posita est acerbitas flagelli, saginatur enim divina ira per patientiam, ut postea majori amne, quasi de pleno effundatur. D. Paschasius lib. 2. *Quantò magis*, ait, *ex Dei patientia, judicii tempus extenditur, tantò retributionis vindicta durior accumulatur*.

147 In dilatione posita est flagelli acerbitas.

Apoc. 16. *n.* 13. Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum:

Num. 14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, & procedunt ad Reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum omnipotentis Dei.

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Ex ore illius animalis dentis, & ex ore illius Prophetæ falsi, &c. tanquam prodeuntes.

Arabicus. Et ex ore arrogantis sibi prophetiam mendacii tres spiritus impuros similes ranis.

Pagninus. Vidi exire ex ore draconis.

S. Prosp. Primas. Exeuntes velut ranas.

Rupertus. In modum ranarum procedere.

Mariana. Tres spiritus lutulentos, vel loquaces.

Arabicus n. 14. Qui edunt miracula, quique pergentes ad Reges terræ, & totius Orbis congregant eos ad prælium magni illius diei inquam Dei omnipotentis.

Arias. Signa quæ procedunt ad Reges habitatæ totius terræ, congregare illos, in prælium diei illius magnæ Dei omnipotentis.

Syriacus. Qui abeunt ad Reges Orbis habitabilis ad congregandum eos.

Primas. Exeunt ad Reges terræ contrahere illos ad pugnam.

Oecum. Ad diem diei illius magni.

EXPOSITIO.

148 ET *vidi de ore draconis*; id est Diaboli, supple exire, sive prodire. *Et de ore bestiæ*; id est Antichristi. *Et de ore Pseudoprophetæ*; id est antesignani, seu magni ducis Antichristi, de quo facta est mentio cap. 13. n. 11. dicitur, *de ore*, hebraica phrasi, hoc est, eorum jussu, & auctoritate, sæpè enim os in sacra Scriptura, pro voluntate, vel jussione sumitur;

tur; hisque innuitur, quomodo Antichristus jam Dominus totius Occidentis fiet Dominus universi Orientis, eumque agnoscent omnes trans Euphratem; primòque hoc fiet *ore draconis*, jussu nempe dæmonis per energumentos, magos; secundò, *ore bestiæ*, jussu, & imperio Antichristi per suos legatos multis promissionibus, & terroribus; tertiò, *ore Pseudoprophetæ*, summi ejus ministri, per suos Prædicatores magna buccinantes de Antichristo.

149 *Spiritus tres immundos* modo explicato, in modum ranarum. Allegoria denotatur, quòd illa omnia fient per nuntios impurissimos, garrulos, impudentes, maximèque vocales, ac imbelles, quorum falsa mendacia facilè convinci poterunt. Et hæ ranæ dicuntur exire de ore draconis, & bestiæ, & pseudoprophetæ, quia eodem cum illo participant spiritu dicti nuntii, ac legati.

150 Consilium impiorum in ipsos cedit. *Sunt enim spiritus dæmoniorum.* Non habet hìc locum explicatio Alcazaris dicentis hos spiritus esse dæmonis, carnis, & Mundi, sunt enim spiritus, qui ab ore trium illorum, quos modò explicavi, exierunt. *Qui procedunt ad Reges totius terræ;* tanquam nuntii, & oratores testificantes ejus Monarchiam in Occidentem, ejusque eximiam potentiam, miracula apparentia, & etiam speciem divinitatis, quam falsò impostor sibi arrogat. *Congregare illos in prælium*; hoc est, ad indicendam magnam persecutionem contra nomen christianum; sed verè congrègabuntur contra seipsos, ut inde fiat manifestum, quod consilio, quo impii Christum oppugnare moliuntur, eodem miserrimè pereunt, ut notat Camillus Theanensis Eremita, ad Psalmum 2. *Astiterunt Reges terræ.*

151 *Ad diem magnum omnipotentis Dei.* D. Thomas videtur hoc referre ad diem judicii, & ait: *Dicitur dies Dei, quia præsentes dies sunt quasi nostri, sed ille dies erit Dei ad judicandum*; *Psal.* 74. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Tamen probabiliùs hic dies magnus dicitur, in quo Deus faciet magnam ostentationem suæ omnipotentiæ, ipsum Antichristum cum suis majori ex parte occidendo, destruendo, ac perdendo.

QUÆSTIO XX.

Quare ex triplici infausto ore prodeunt tres spiritus immundi, & quinam sint.

152 Cùm Deo obsequi volumus, tunc à Diabolò impugnamur. MAximè ponderandum est, quòd postquam noster Joannes facit mentionem aquas Euphratis exsiccatas esse, ut præparetur via Regibus piis, & christianis, qui se regere sciunt, venientibus, ut multis placet in auxilium Ecclesiæ, velut eis præparetur via salutis, tres spiritus immundi hìc mittuntur; sed ad quid hoc? Certè ut suos ministros suscitent adversùs tales Reges, quia cum Deo obsequi intendimus, & viam salutis præparatam sequi, tunc à dæmone vehementissimè omnibus modis impugnamur. D. Thomas: *Vidi ex ore bestiæ*, &c. *Hic ostendit effectum consequentem, quia dæmones occasione prædicationis magis student detinere in errore, & obfuscatione, ideò suscitabunt Princeps ad detinendum erroneos, & ad impugnandum pios.* Vel si Reges, quibus Euphrates exsiccatur, erant impii, ut cum communi sententia dixi, à Deo mittuntur tres spiritus immundi, quia dæmon in auxilium est suis.

153 Qui sunt isti tres spiritus immundi? Alcazar existimat hìc exprimi, dæmonis, Mundi, & carnis loquelam; & primus est spiritus nequitiæ, ac Diaboli, qui aliis dominatur. D. Bernard. Hi duo spiritus scilicet Mundi, & carnis, sunt satellites illius magni Principis tenebrarum, ut dominentur spiritus nequitiæ, hoc est, diabolico spiritui carnis, & Mundi. Idem etiam Alcazar, ait, hos tres spiritus, seu tres ranas esse judaismum, gentilismum, hæresim.

154 Secundò Fridericus Staphylus libro de Lutheranorum discordia, Gabriel Prateolus in catalogo hæreticorum, aptè hasce tres ranas adaptant tribus sectis, quæ à Luthero promanarunt; prima est Anabaptistarum, quorum pater est Rothmannus; secunda est Sacramentariorum, quorum auctor est Carlostadius, ex quo Zuinglius, & Calvinus prognati sunt; tertia est protestantium, qui ducem habuerunt Melanctonem. Tertiò, has tres ranas Prosper in dimidio temporis c. 11. vult futuros tres prædicatores Antichristi.

155 Quartò multi volunt per hos tres spiritus intelligi multitudinem iniquorum. Cornelius, la Haye, & alii contendunt esse tres dæmones, quos Viegas mittendos esse censet ab Antichristo, in hominum visibili quasi legatorum specie, ad gentes ad se congregandas; & inde dicuntur spiritus immundi tres, quia totius immunditiæ pater Diabolus est, & inde meritò hoc nomen Diabolo accommodatur. Expellit Christus Diabolum à puero, & dicitur: *Erat homo in spiritu immundo*, Marc. 1. n. 23. *Cùm spiritus immundus exierit ab homine*, Matth. 12. n. 14. & inde optimè immunditiæ pater dicitur, quia maximè omni impudicitia deturpare conatur: *Propter istam causam*, ait, *spiritus dicuntur immundi, quia spurcissimi sunt, quia hominum genus per suas suggestiones multimodis immunditiæ, atque ignominiæ passionibus afficiunt.* Ad impudicitiam maximè urget diabolus.

156 Quinam sint isti tres spiritus immundi. Quintò, & probabiliùs hi tres spiritus immundi sunt tres solemnes nuntii, ac legati, profecti per totum Mundum, & hi sunt tres ranæ, quæ exierunt ex ore ferarum horribilium; prima rana, quam videt hìc Joannes exire ex ore draconis, est ipsemet dæmon, qui toto suo conatu efficiet, ut Antichristus habeatur, tanquam supremus Dominus totius Orbis, excitando, & movendo, ut in omnibus finibus ejus, ut magnus Monarcha publicetur, per energumenos, magos, & incantatores, & cæteros homines, in quibus dominatur; secunda rana, quæ hìc procedit de ore bestiæ, nuntii, ac legati sunt ex hominum genere, quos Antichristus ipse destinabit ad omnes Orientales Reges, cæterosque Mundi remotissimos, qui ubique publicabunt, ac evulgabunt, mirabilia, quæ fecit maximè in Occidente, & quanta vi veluti divina sit præditus, & quomodo veluti universam naturam habeat sub sua potestate; tertia rana, quæ exit de ore Pseudoprophetæ, falsi prædicatores sunt, Antichristus enim mittet prædicatores maximè à se instructos, qui suam doctrinam multis mirabilibus per suam magiam confirmabunt, ubique prædicabunt magnalia Antichristi, usque ad extremas partes Orbis, omnesque Principes, ac gentes ad devotionem ipsius excitabunt, & deducent.

157 Omnia pecuniæ obediunt. Sextò, & moraliter D. Bernardinus tenet hos tres immundos spiritus, qui ex ore draconis exeunt, esse sagacitatem in acquirendo, tenacitatem in conservando, imprudentiam in expendendo, & distribuendo; sed quomodo de hujusmodi spiritibus verificari potest, quod signa, & mirabilia faciunt? Respondet D. Bernard. *Omnia obediunt pecuniæ.* Ubi pecunia adest, multa magna, & mirabilia fiunt, & ideo in text. sequitur: *Sunt spiritus dæmoniorum, facientes signa, & prodigia.*

158 Septimò ait Richardus Victorinus: *Tres sunt immundi spiritus universi scilicet dæmones, in electis oppugnantes sacramentum Trinitatis, & munimentum trium principalium virtutum, nempe fidei, spei, & charitatis.* Octavò Aretas Episcopus: *Tres sunt*, ait, *ut hoc numero fallerent, quasi laudatissimæ, ac sanctissimæ Trinitati grati essent.* Tres dicuntur spiritus tanquam in laudem Trinitatis, & ut ipsi Trinitati gratissimi, ut ita sub prætextu virtutis, & tanquam Deo grati seducant populos. Sub prætextu virtutis impii decipiunt.

159 Tres immundi dæmones artes. Nono Rupertus per hos tres spiritus interpretatur tres sectas scientiæ magicæ, poeticæ, & philosophicæ, quas spiritus immundus Spiritui Sancto contrarius aspirabit. Magi spiritus immundos tanquam patronos, iniquo quodam pacto sibi asciverunt; poetæ verò sub nominibus honestis, eosdem spiritus immundos rogitant sacrilega præsumptione, Deos appellantes; philosophis autem spiritus immundus vana inspiravit, de quibus loquens Apostol. Rom. 1. num. 22. ait: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corrupti.*

ruptibilis hominis. In tantam immunditiam evanuerunt, ut servirent potiùs creaturæ, quàm Creatori.

160 Poetarum figmenta homines impuros, ut numina decantent.

In hac ergo consideratione vult Rupertus, spiritum immundum, seu poetas, non quoslibet, sed gentiles, ethnicos, & vanos adumbrari exeuntes de ore bestiæ; sed quomodo eruditissimi poetæ, ut Homerus, Virgilius, qui ut tales ab omnibus sunt celebrati, dicuntur à nostro Joanne exire ab ore bestiæ? quid habent tot sapientes cum bestia? Revera tamen hujusmodi Poetæ bestiæ sunt, & à ratione omninò alieni, cùm homines etiam impuros, tanquam vera numina decantent, & exaltent. Rupertus: *De ore bestiæ*, ait, *sequens spiritus exivit, quia bestiali regno Mundi hujus adulando, humanæ mentis ignobilitas, Reges terrenos homines figmentis poeticis in Deos evexit, & in cœlum, stellarumque orbes translatos fabulosis naniis decantavit.*

161 Plaga Poetarum valde exitialis in Republica.

Valde exitialis est plaga, quæ ex scriptis, ac figmentis poetarum venit in Rempublicam. Satis vulgaris est historia ex Josue, c. 7. nu. 21. quando Israeliticus populus plagam mortis accepit ab hostibus suis; cujus plagæ causam aperiens Acham fatur: *Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli;* ubi nostra Vulgata legit, *regulam*, legunt græci *linguam auream;* quippe ubi in unius tabernaculo lingua aurea, ac venustè, & compositè loquens introducta est, universus periclitatur populus, & undique mala imminent; & quæ lingua aurea ita exitialis, ac perdens, ut lingua vanorum poetarum? ex quo ajebat Orig. hom. 6. *Si poetam legeris modulatis versibus, & præfulgidè carmine Deos, Deasque texentem, ne delecteris eloquentiæ suavitate; lingua aurea est, si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, si introduxeris in cor tuum ea, quæ ab illis asseruntur, polluet omnem Ecclesiam Dei;* ad totius Ecclesiæ pollutionem putat sufficere, quòd vel in unius tabernaculo vanus, & lascivus poeta legatur.

162 Cum vanis Poetarum versibus gentium mores bibuntur.

Hac de causa dicebat Jeremias 51. n. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram; de vino ejus biberunt omnes gentes, & ideo commotæ sunt: subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Calicem hunc ad Parnassi poculum refert Origenes, ex quo poetæ multa venenosa propinant in civitatum perniciem; sic ait hom. 2. in Jerem. *Cognosces quomodo unusquisque poetarum, qui putantur disertissimi, calicem aureum temperaverit, & in calicem aureum venenum injecerit idololatriæ, & venenum turpiloquii, venenum eorum, quæ animam hominis interimunt.* In aureis vanorum poetarum versibus, tot latent venena, quot sunt pestiferæ potiones. Expende, quod ubi nostra Vulgata habet: *De vino ejus biberunt omnes gentes, & ideo commotæ sunt: subitò cecidit;* vertit Arabicus: *De vino ejus biberunt omnes populi, & babylonizati sunt: subitò cecidit Babylon;* cum potu & mores hauserunt, & perierunt. *De vino ejus biberunt, & babylonizati sunt.* De babylonico calice à poetis temperato biberunt omnes populi, & quotquot biberunt babylonizati sunt, potu, lascivia, cæterisque pravitatibus babylonicos mores referentes, quibus perierunt.

QUÆSTIO XXI.

Quare hujusmodi tres spiritus exeunt potiùs ut ranæ, quàm quæcunque alia animalia.

163 Ranæ hic sumuntur metaphoricè.

Alt noster Joannes, quod vidit tres spiritus immundos exire in modum ranarum; licèt dæmon varia corpora sibi fingere possit, in eisque apparere, tamen non videtur verisimile, hos immundos spiritus sub ranarum specie missos esse ad totum Orbem convocandum sub servitute Antichristi, nam ut sic, maximè despectui haberentur: dicuntur ergo prodire ad modum ranarum, ob proprietates, ac conditiones, quæ in his animalibus imperfectis inveniuntur; & in quo ranis comparantur ipse dæmon, legati, ac falsi prædicatores Antichristi?

164 Hæretici sub nocte tenebris fuos errores spargunt.

Primò ranæ præcipuè nocturno tempore, vel sub vesperum, perstrepunt, inde hujusmodi spiritus ad modum ranarum exeunt suos errores nocte, tenebrarum, ac densa caligine cæcitatis mentium dissemi-

nantes, ac diffundentes. Primasius: *Istis Pseudoprophetis, ranarum more, tanquam animantibus coaxantibus nocte damnabiliter erroris latratu convenit obstrepere. Ranæ enim, & loco, & visu, molestoque strepitu sic odibiles habentur, sicut Diabolus cum suis agnoscitur abominabilis veritati; meritòque æterno igne justè damnandi.*

Secundò tradit Pierius lib. 29. Hierol. symbolo de ranis, quòd luce juxta apposita, ipsæ illico conticescunt; quo denotatur, ad veritatis catholicæ lucem, ipsosmet hæreticos elingues fieri. Huc spectat Divus Hieronymus 1. Apologia adversus Ruffinum: *Falsi magistri garruli, quidquid in buccam venit, confingunt, fidei lucerna, tanquam catena constringuntur.*

165 Lux veritatis Hæreticos facit elingues.

Tertiò cur hi tres immundi spiritus, sub quibus congregatio omnium falsorum doctorum intelligitur, ranis assimilantur? Rana aspectu abominabilis, odore fœtida, importuno strepitu cuicunque homini docto, & indocto odibilis: ecce cur immundi spiritus cum ranis componuntur; quia falsi magistri suo aspectu, odore, ac strepitu cum innumeris mendaciis omni abominatione digni sunt, tam erga doctos, quàm indoctos. Primas. *Tantùm*, ait, *distare doctores hujusmodi, quantum ranas ab hominibus sanctis, ut etiam, qui idonei non sunt, ejus fraudes discretionis potentia repellendas agnoscere, ranarum saltem horrore perculsi, tales studeant devitare, qui sicut ranæ ignaros impediunt, ne quieto devotionis cultu, percipiant veritatem.*

166 Falsi Doctores abomnibus fugiendi.

Quartò ad instar ranarum prodeunt hi tres spiritus; verùm cùm sint tres personæ distinctæ, nempe dæmon, ministri, ac Prædicatores Antichristi, cur non assimilentur tribus diversis animalibus, non autem unico, & immundo, & obscæno? Et meritò quidem, quia licèt dæmones, & impii ejus sectatores sint de genere diverso, tamen studio, & affectu sunt unanimes ad garrulitatem, obscænitatem, & immunditiam luto immersam, quibus ipsi sunt repleti, suosque sequaces replent. Andr. Cæs. *Assimilantur ranis*, ait, *propter virulentum, obscenum, & immundum illorum affectum, necnon ad cœnosas voluptates studium.* Richard. Victor. sic ait: *Etiam in modum ranarum immundi sunt, quia quos per suggestionem corrumpunt, verbositate loquaces, & luxuria lutuosos efficiunt.*

167 Dæmon suos inducit ad immunda.

Quintò ecce per hos tres spiritus immundos totus infernus concitatur ad Christi servos persequendos, & ut Antichristus in toto Orbe veneretur; at cùm ita se res habeat, cur non vidit Joannes illos spiritus tanquam fortissimos leones, vel ursos, sed veluti imbelles ranas, quæ carent viribus? Ut nobis denotetur quòd licèt adversarii, imò etiam, & dæmones adversùs Ecclesiam, ac ejus filios insurgant, contemnendi sunt, ut infirmi, ac debiles, qui minimè lædere possunt, licèt perstrepant; quod præclarè advertit Ambrosius Ansbertus: *His ostenditur*, ait, *malorum pars pro nihilo ducenda. Antichristus, scilicet, ejusque Prædicatores comparantur cœno, & luto paludico; Diabolus verò cum suis satellitibus, ranis, ac si eis Spiritus Sanctus diceret: O Martyres Dei, o milites invicti! pro nihilo ducite temporalem bestiæ potestatem, prædicatorumque ejus, quæ luto, ac cœno comparatur;* deinde subdit: *Despiciatur lutum, contemnantur, imò irrideantur ranæ.*

168 Ecclesiæ inimici, ut infirmi despiciendi.

Sextò cùm innumeri penè sint spiritus mali, quomodo à dracone eorum principe solùm tres mittuntur? Ne dicas paucos esse, cùm sub his tribus comprehendantur omnia vitiorum genera, quæ sua avaritia, gula, & superbia continentur. Cardinalis Vitriac. Domin. quarta post Pascha: *Mundus*, ait, *de triplici peccato arguitur, teste Joan. 2. cap. 2. n. 16.* Omne, quod in Mundo est, concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; *sub his enim tribus omnia peccata continentur, id est, luxuria, avaritia, gula, undè in Apocalypsi Joannes vidit tres spiritus immundos exire de ore draconis in modum ranarum; ranæ garriunt, & saltant, ecce superbia; quietem tollunt, ecce avaritia; & in locis lutosis commorantur, & molles habent ventres, ecce luxuria.*

169 Tria vitia dominantur in orbe; Avaritia, Gula, Superbia.

Sextò, ut dixi ad finem superioris quæstionis per hujusmodi spiritus immundos, ac ranas denotantur poetæ mundani, ac vani, quorum scripta magno Reipublicæ detrimento universas domos replent, &

170 Vani Poetæ sunt plaga innumerorum in regnis.

cubi-

cubilia maximè recondita, virginumque receſſus, & matronarum ſtrata, nulluſque eſt locus, qui hac plaga non putreſcat; da mihi locum, in quo poemata fabularum, vel amorum carmina, vel libri profaniſſimarum comœdiarum non legantur? nullum ſanè aſſignabis: ecce plaga populi chriſtiani in damno Ægyptiis ranis prorſus comparanda. Pro qua re audiendus eſt Rupertus lib. 2. in Exod. c. 32. tractans ranarum plagam, ſic ait: *Quid juſtiùs comparatur fœditati ranarum, quàm poetæ perſtrepentes in theatris ridicula figmenta fabularum? Hi planè aſſumunt Dei nomen in vanum, verbigratia, cum adultero Jovi, & meretriculæ Veneri nomen divinitatis adſcribunt. Et illæ quidem ranæ permoleſtæ fuerunt accedentes, & ingredientes domum Regis, & in cubiculum lectuli ejus, & ſuper ſtratum ejus, & in domos ſervorum ejus, & in populum ejus, & in furnos ejus, & in reliquias ciborum ejus: iſtæ autem ranæ, id eſt, fabuloſi poetæ animis exitiales extiterunt.*

171 Cùm Moyſes elevaſſet virgam ſuam, aſcenderunt ranæ, & operuerunt terram Ægypti, quibus maximè oppreſſus Pharao, *vocavit Moyſen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum ut auferat ranas à me*, Exod. 8. n. 8. cùm aquæ verò verſæ eſſent in ſanguinem, Exod. 7. num. 10. non dicitur Pharao petiiſſe, ut ſanguis à fluviis tolleretur, nunc verò maximè petit, ut ranæ tollantur; & cur Pharao magis pro repellendis ranis, quàm pro extinguendo ſanguine rigidè inſtat? Ait D. Aug. ſerm. 87. de tempore: *In ſecunda plaga, in qua inducuntur ranæ, indicari figuraliter arbitror carmina poetarum, qui inani quadam, & inflata modulatione, velut ranarum ſonis, & cantibus ſimiles Mundo huic deceptionis fabulas intulerunt*: non ergo mirum quòd principi Pharaoni acerbiores eſſent voces ranarum, ac vanorum poetarum adulantium, quàm rivi ſanguinis defluentes.

Vani Poetæ exitialis plaga regnis.

172 Valde execrabile, ac fatale Principibus eſt, ſi poetarum ſpiritibus afflantur. De Saule dicitur 1. Reg. 19. n. 23. *Abiit in Najoth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat uſque dum veniret in Najoth in Ramatha. Et expoliavit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat cum ceteris coram Samuele, & cecinit nudus tota illa die, & nocte;* cùm Saul ſtaret inter hos cantores, hymnos, & carmina modulantes, etiam Saul carmina, ac hymnos eructare, ac effundere cœpit. Illud verò maximè notandum quod ait text. *Expoliavit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat, & cecinit nudus;* nullus alius ſe veſtibus ſpoliavit, nullus alius nudus cecinit, ut bene notat Abulenſis quæſt. 39. in præſenti. Ubi Saul affatur ſpiritu canendi hymnos, & carmina, cùm ſolus ipſe eſſet inſignitus regalibus veſtibus, ſolus ipſe ſeſe cœpit nudare, ut oſtenderet valde eſſe contrarium regali ſpiritui, quòd inter conditores tandiu carminum appareret: *Sic cecinit nudus tota die, ac nocte;* non ergo mirum videatur, quod regio cultu ſpolietur Princeps, qui dies, noctesque integras conſumit in carminibus condendis, cum eorumque conditoribus aſſiſtens.

Principibus valde exitialis ſpiritus Poeticus.

QUÆSTIO XXII.

Quare potentes Reges, cùm inter ſe maximè diſſideant, in unum locum conveniunt.

173 COngregantur Reges ad indicandam, ac publicandam magnam perſecutionem contra Chriſti ſervos, ut eos in omni loco perquirant, & perſequentes interficiant, ut dixi in expoſit. ſed jam moraliter.

174 Primò ait text. *Congregate Reges totius terræ ad diem magnum omnipotentis Dei;* nempe ut interpretatur D. Thomas, ad diem Judicii: ſed etiam alii congregabuntur ad eundem diem Judicii, cùm oporteat nos omnes ſtare ante tribunal Chriſti; cur ergo hic ſpecialiter eſt ſermo de congregatione Regum, ad Judicium, & non aliorum? Quia durius ſane, ac rigidius erit judicium Principibus: & qua de cauſa? Ex eo nempe, quod Reges, ac Principes, & Prælati nullum unquam ſubjerunt judicium, ſed nunc primò, & ultimò conveniunt ad judicium. Sapient. 6. n. 6. dicitur: *Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* Vatabl. legit: *Quoniam judicium*

Dies judicii maximè terribilis magnatibus.

dicii *um rigidiſſimum in Proceres exercebitur;* quod optimè ad hæc verba differit Tilmanus in ſuis Allegoriis, ad citata verba, & ſic ait: *Judicant quotidie in Eccleſia Dei Prælati ſubditos, ſemel venit Dominus judicare Prælatos. Quotidianum monachis ſuis Abbates videntur ſubire judicium; ſed nunquid melior eſt Abbatum conditio, qui videntur expectare noviſſimum? & quàm miſeri ſunt, qui gloriantur, quod videntur humanum evaſiſſe; quàm trepidi venient ad divinum, quàm terribile illud capitulum erit, quod ſemel, & nihil deinceps ſuſceperint corrigendum.*

Secundo mittuntur ſpiritus immundi ad congregandos Reges contra veros Chriſti ſervos; ſed quomodo Reges, qui maximè inter ſe ſunt diviſi, nolentes ad invicem ſubjici, in unum ſociantur, ac conveniunt? an fortè in unum locum omnes congregabuntur? Nequaquam, ſed unuſquiſque manens in ſuo regno, animo, ac voluntate inter ſe maximè copulantur, ac uniuntur ad malefaciendum, ac iniqua perpetranda. Haymon: *Nunquid in unum venturi ſunt, ut qui ſunt in Occidente, tranſeant ad Orientem, aut rurſus ab Oriente in Occidentem? Non, ſed in unum conſenſum, & in unam malam voluntatem congregabuntur; propter unitatem quippe, de malitia illorum hoc dicitur, quia quod unus facit, hoc & reliqui.* 175

Maximè uniuntur impii ad malè faciendum.

Ait Zacharias cap. 5. nu. 7. *Ecce mulier una ſedens in medio amphoræ; & dixi: Hæc eſt impietas; & levavi oculos meos, & vidi, & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi milui, & elevaverunt amphoram.* Mulier hæc ut ſacer text. exprimit, eſt impietas: *Et dixi hæc eſt impietas;* & non ſtat, ſed moram trahit: *Sedens in medio amphoræ;* quæ amphora juxta D. Hieronym. Theodor. Haymon, Rupert. Albert. Hugonem Lyran. & alios paſſim ſignificat multitudinem, ſeu menſuram peccatorum judæorum. Nunquid hæc mulier impietas eſt ſola? Minimè; ſed: *Ecce duæ mulieres;* duo nempe primarii dæmones cum ſuis exercitibus omnium iniquorum, ut interpretatur Cornelius, veniunt in auxilium, ac adiuvamen ejus, ad omnem populum deſtruendum. *Habentes alas milui;* qui eſt impius, ſævus, & rapax; ſeu qui eſt avis nocturna, nocturno, ac clandeſtino tempore, multa mala facientes denotans. 176

Mala capita ad malè coadunantur.

Semel, & iterum negat Petrus divinum magiſtrum; negat & tertio. Variè videntur referre ſacri hiſtorici, nam apud Lucam 22. n. 59. unus eſt ſervus, qui Petrum urget: *Alius quidem affirmabat, dicens: Verè hic cum illo erat;* à Luca non diſſidet Joannes c. 18. n. 26. at Matthæus hiſtoriam referens ſic ait cap. 26. nu. 73. *Poſt puſillum acceſſerunt qui ſtabant, & dixerunt Petro, &c.* cum Matthæo cohæret Marcus 14. nu. 70. undè hæc rerum varietas? an quod Matthæus ait, Lucas negat? Id ego pernego; ſed quod unus ſervus facit ad Petrum urgendum, probant reliqui, & ſimul cum illo ſervo adversùs Patrem coadunantur. Janſenius ad citat. caput Luc. *Maximè*, ait, *cum in tam unanimi malorum conſortio, quidquid unus ageret, omnium fieret nomine*: vide tom. 2. in Evang. cap. 4. q. 2. n. 11. & ſeqq. & tom. 3. cap. 26. quæſt. 11. n. 65. 66. 177

Improbi cũ improbis coadunantur.

Apoc. 16. *n.* 15. Ecce venio ſicut fur: Beatus, qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.

Num. 16. Et congregabit illos in locum, qui vocatur hebraicè Armagedon.

VERSIONES.

Primaſ. n. 15. Qui venit ſubitò ſicut fur, & videat turpitudinem ſuam.

Alii legunt. Ecce venit ſicut fur.

S. Cyprian. Beati erunt, qui vigilabunt, & ſervabunt veſtimenta ſua, ne nudi ambulent.

Arias. Beatus vigilans, & cuſtodiens.

Syriacus. Servat veſtes ſuas, ut ne nudus incedat, & videant ignominiam ejus.

Arabicus. Ne nudus incedat, & pateant ejus verenda.

Siriac. n. 16. Et congregaverunt eos in locum Armagedon.

Vatabl.

Vatabl. Congregavit illos.
Arabic. Qui dicitur hebraicè Armachadon.
Ticon. Congregabit in illo, qui vocatur hebraicè Mageddon.

EXPOSITIO.

178 ECce venio sicut fur. Loquitur Christus D. in propria persona. Alii legunt. *Ecce venit*, tanquam de ipso D. differens Evangelista; & hæc verba sicut & cætera hujus versiculi, per parenthesim legenda sunt, nam versu subsequenti, continuatur interrupta narratio. Interposita autem est hæc parenthesis, occasione illius diei magni, cujus meminerat immediatè superiori versu. *Ecce venio sicut fur*; inexpectatò nempe, ac ex improviso, & referri potest ad diem ultimum judicii; vel etiam quod quando convenerint in Armagedon Antichristus, & totius terræ potentes cum suis exercitibus ad magnam celebrationem de subjectione totius Orbis facta Antichristo, tunc illis nihil opinantibus aderit Dominus rigidum supplicium inferens; & hæc est prophetia talis eventus.

Prophetia de inertu Antichristi cum suis.

179 *Beatus, qui vigilat.* Est admonitio ad suos, nam de reliquis infidelitatis somno sepultis frustra hoc dicitur; ad suos ergo ait Dominus: *Beatus, qui vigilat*; ne erroribus Antichristi involuatur. *Et custodit vestimenta sua*; scilicet virtutum, nam fides, spes, & charitas vestiunt animam, sine quibus anima est nuda, sicut sine vestibus nudum est corpus, *Et videant turpitudinem ejus*; seu, ut alii legunt, *ignominiam*, ac fœditatem peccatorum ejus, quibus maximè anima est abominabilis, ac execrabilis, unde ait Haymon: *Toties turpitudo apparet, quoties quodlibet crimen admittitur.*

Virtutes animæ ornamenta.

180 *Et congregabit illos*; scilicet Antichristus. Syrus legit: *Et congregaverunt*, in plurali, referens ad tres illos legatos, & spiritus immundos, de quibus agitur supra, vers. 14. *Qui vocatur Hebraicè Armagedon.* Quisnam locus iste sit, maximè dubitatur. Conveniunt omnes, quod sit locus propriè Jerusalem, quæ futura est regia Antichristi. Quid verò significet, variæ sunt interpretationes, de quo quæst. 25.

QUÆSTIO XXIII.

Quare Dominus comparat adventum suum cum furis adventu, non de futuro dicens, veniam, sed de præsenti: Ecce venio.

181 DIes adventus Domini cum adventu furis comparatur Matth. 24. n. 43. & Luc. 12. num. 39. 1. Thessal. 5. n. 4. & 2. Petr. 3. nu. 10. Apoc. 3. nu. 3. & hoc loco, & ideo similem hanc quæstionem variis in locis jam excitavi, tom. 4. in Evangel. cap. 22. q. 17. & to. 1. in Apoc. cap. 3. q. 11. Fur dicitur à furvo, id est atrox, & obscuro, quod scilicet per atras, & obscuras noctes furetur.

182 Communis solutio, ut citatis locis dixi, est, quòd Christus D. comparat se furi, non quoad actum furandi, sed quoad secretum, ac silentium, quo fur observat occasionem, & horam, qua vel putat Dominum abesse, vel dormire, ut ita clam, & incautè perfodiat domum, & cuncta bona illius diripiat, & ideo multoties homines incauti, ac inopinati, quando magis deliciarum somno sunt sepulti, ad judicium, ac mortem à Domino vocantur: Oportet igitur esse in continua vigilia, ne mortis dies nos inopinatos occupet, ut admonet D. Chrysost. hom. 9. in 1. ad Thessal. *Propterea dicens tanquam fur, sic venit in nocte, ne nos in vitium præcipites demus, ne in socordiam; ne mercedem nobis amputet.* Hac de causa diem mortis nobis incertum esse voluit, ut semper parati inveniremur.

Semper simus parati ad horã mortis.

183 Secundò ad quid nomen furis sibi assumit Dominus? Quia fur inexpectatus venit. Ad hoc potuit dicere: Præter omnium opinionem, & quando minus cogitatur, adveniam; ad quid ergo furis adventui se assimilat? Fur valde inexorabilis se præbet erga eos, quos deprædatur; eorum, nec bonis, nec etiam aliquando vitæ parcit. Ecce cur Deus ad judicium veniens, adventum suum instar furis dicit; quia tunc Dominus totus furore repletus, pietatis signa mortalibus exhibita, in rigorosæ justitiæ documenta convertet. Bruno Episc. Signiensis. homil. de finali Judicio: *Tunc Deus*, ait, *convertet in signa justitiæ, misericordiæ signa, qui filiis Israel in egressu de Ægypto justitiæ signa, in signa misericordiæ converterat.*

In fine judicio signa misericordiæ in signa justitiæ mutantur.

184 Tertiò ut Dominus nos admoneret sui adventus instar furis, non ait de futuro, cùm in extremis temporibus sit illius adventus, veniam, sed de præsenti loquitur: *Ecce venio*; ut ita erga suum adventum nos attentiores, & vigilantiores reddat, & ita incerti sui adventus melius, & cum majori præparatione ad eum recipiendum disponamur; & ita ad hoc magis nobis intimandum, adverbium demonstrandi, *ecce*, apponit. Richard. Victor. *Adventum suum, insinuat*, ait, *& adverbio demonstrandi, & verbo præsenti, ut hoc æstimationem diurnæ moræ tollat.*

Dies judicii semper præsens existimandus.

185 In oratione dominica, quam nos Christus docuit, illud quotidie petimus: *Adveniat Regnum tuum*, Matth. 6. n. 10. & quomodo illud Regnum à nobis est obtinendum, nisi mortis exitu, & judicis adventu, ut ita utriusque semper memoriam retineamus? D. Cyril. in Catena D. Thom. ad c. 9. Luc. sic ait: *Mandavit autem*, ait, *& in oratione petere illud tempus revera terribile, ut sciant, quod vivere decet eos non remissè.*

De morte, ac judicio quotidie cogitandi.

186 Pro colligendo cibo cœlesti, ait Moyses populo, Exod. 16. nu. 16. *Colligat quisque ex eo, quantum sufficiat ad vescendum, Gomor per singula capita.* Parva mensura datur, quæ non excedat unius diei cibum, ex qua nihil remaneat in alterum diem; & cur tam angusta cibi mensura assignatur? cur non magis conceditur aliquid in alium diem reservari? Sanè intendebat Deus in filiis suis hanc constituere perfectionem, qua in quolibet die, sic præ oculis haberent finem vitæ, quasi minimè aliud crastinum futurum remaneret; sic curabat Deus in filiis suis, ut minimè abstraherentur à contemplatione instantis finis. D. Pasch. lib. 4. in Matth. sic ait: *Gradienti per desertum populo præcipitur, ut singuli non amplius ad victum quotidianum, quàm Gomor unum colligerent. Ex quo christianorum regula signabatur, quod perfecti quoque non debeant solliciti esse de crastino. Quòd si planè laboriosum putatur, & arduum, filiorum tamen debet esse ista perfectio, ut sic vivant quotidie, quasi mox morituri.* Expende ultima verba.

Dies præsens ut ultimus cogitãdus.

187 Matth. 16. n. 24. ait Christus suis discipulis: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me;* sed qualem crucem habet homo, quæ illi tollenda sit, ne sine illa gradum faciat ad Deum? Hæc sine dubio est cujusque mors, & vitæ exitus, qui præ oculis maximè habendus est, & quasi frequenti manu attrectandus est illis, qui velint ad Deum pergere; hæc est nobis crux tollenda, nimirum quòd nostram mortem, nostrumque finem ob oculos circumferamus, & in brevi nos morituros arbitremur. D. Chrysost. Orat. Sanct. Crucis in media Quadrag. habita apud Gretserum tom. 2. de Cruce: *Quid vult sibi dictum illud: Tollat crucem suam, & sequatur me? num ut quivis portemus lignum? Nequaquam, sed ut ad pericula simus prompti, sanguinem nostrum in animis nostris circumferentes, parati in singulos dies ad mortem, ita omnia agentes, quasi nunquam vitam nostram usque ad vesperam duraturam, sed certissimè nos morituros arbitremur.*

Exitus vitæ semper cogitatione habendus.

QUÆSTIO XXIV.

Quare Dominus, qui suis discipulis præcipiebat de vestimentis nil sollicitos esse, modò mandat vigilare, ut vestimenta custodiantur, ne si nudus quis, ejus turpitudo appareat.

188 ALit in præsenti text. *Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet;* non solùm laudatur, qui vigilat, sed etiam qui custodit vestimenta sua; & undè tanta vestimentorum cura ei, qui dicebat: *De vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis*, Matth. 6. n. 28. quid ergo in præsenti per vestimenta intelligit Christus? Non vestes laneas, vel fericas, sed virtutes,

Virtutes cooperiunt peccata.

tes, & inter eas maximè charitatem; sicut per nuditatem peccatum: ecce cur ita sollicitum se exhibet Christus, ut custodiamus vestimenta nostra; quia vult nos virtutibus, ac charitate operiri, ne iniquitas peccatorum pateat. Albert. Magn. sic ait: *Ne videant sancti Angeli turpitudinem ejus, id est, peccata, quæ fecerunt turpem animam; ista turpitudo operitur per vestimenta virtutum ne videatur ad vindictam*; 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*.

189 Valde frequenter in sacra Scriptura per vestimenta virtutes denotantur: *Vidit hominem non vestitum veste nuptiali*; super has ergo vestes, seu virtutes vigilare, & diligenter eas custodire præcipit, ne vanitatis ven-

Virtutes custodiantur, ne deperdantur, inani gloria, vel dæmonum suggestione

to, seu ludibrio pereant. Aretas, vigilantiam, & custodiam vestimentorum fieri dixit, ne pereant per inanem gloriam, vel etiam ne à malignis spiritibus per suas suggestiones, ac tentationes surripiantur. Ansbertus: *Non ideo homines*, ait, *pro vestimentis servandis vigilare admonentur, ut Dominus tanquam fur veniens eadem vestimenta proripiat, sed ut à malignis spiritibus custodiantur, ne cum Dominus improvisus venerit, nudos eos inveniat*.

190 De his virtutibus loquens Apostolus ad Eph. 6. nu. 11. ait; *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversùs insidias inimici*. Vestimenta, & arma maximè

Virtutes arma sunt, quæ tios muniunt.

differunt; vestimenta inserviunt, ut nuditas tegatur, arma verò, ut nos illæsos ab inimicis custodiant; quomodo ergo virtutes vestibus, ac armis significantur? Cardinal. Vitriacus Domin. 21. post Pentecost. ait: *Quia virtutes nos muniunt ut arma, ornant ut vestimenta, illuminant velut luminaria, tegunt ne appareat vitiorum turpitudo*.

191 Præcipit Dominus, ut quis vigilet, & custodiat vestimenta sua, seu opera sua bona, & sancta: *Ne videant turpitudinem ejus*; Syrus: *Ne videant ignominiam*

Publicati peccati confusio magnum supplicium.

ejus; nonne melius fuisset dicere: Ecce venio sicut fur, & quos somno sepultos invenero, desides in salutis cura, severè puniam, in Infernum demergam, ut ab Inferni flammis devorentur? nihil horum ait, sed tantùm: *Ne nudus ambulet, & videant turpitudinem*, seu juxta lectionem syriacam, *ignominiam ejus*; ac si gravissimum malum, & severissimum supplicium sit viro ingenuo, ac nobili aliqua confusionis nota, & ignominiæ suggillatio.

192 Maria, & Aaron fratres adversùs Moysem murmurarunt, Num. 12. nu. 10. *Et ecce Maria apparuit candens lepra, sicut nix*; Maria, & Aaron detractoriis verbis complicantur, Maria tamen sola lepræ supplicio afficitur, Aaron verò, à pœna murmurationis liber invenitur; cur Aaron similiter lepræ supplicium non sustinet? cur etiam eadem pœna ipse non multatur? an quia vir, & sacerdos, liber à peccati castigatione?

Peccati manifestatio, rigidissima pœna.

Absit, Mariam enim dum lepra afficit, Aaronis peccatum manifestat, & non mineri supplicio afficitur Aaron evulgati peccati confusione, & verecundia, quàm Maria fœtido lepræ morbo percutitur. Salvian. lib. 1. de Provid. sic ait: *Coercitio lepræ hujusmodi, non Mariam tantùm, sed & Aaronem humiliavit, quia etsi deformari lepra summum Antistitem non oportuit, & ipsum tamen Dei flagellatio castigavit; nec solum hac in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps coercetur, Maria enim supplicio afficitur, & Aaron confusione multatur*.

193 Sic confusio, ac ignominia intolerabilis est, ut etiam improbi dæmones suam confusionem, ac ignominiam, ex Jesu conspectu metuentes, eligant magis igne aduri, quàm in conspectum Jesu venire; de illis Isai. 9. n. 5. ait: *Quia omnem stolam congregatam doleo, vestimentum cum commutatione restituent, & cupient, si fiant igne combusti, quia parvulus natus est nobis*. Expende illud, *Cupient*; quis velit igne comburi? aut quomodo fieri potest, quod aliqua creatura adducatur, ut ipsa ex se se velit flammis ardere? Dæmones tamen libentissimè omnem machinationem in homines deponerent, & insuper majoribus flammis torreri eligerent, dum confusione carerent, quam ex Jesu in terris

Super omnis tormenta confusionis nota.

agentis conspectu sibi imminentem timerent, ut ibi considerat Procopius: *Quoniam*, ait, *animæ ornatum, ipsiusque stolam deprædari, nudamque relinquere, & deturpare ausus est Diabolus, ideo restituent, inquit; deinde restitutionis tempus metuentes, cupient potiùs esse igne combusti, quàm Salvatorem omnium inter mortales agentem intueri*. Quanta hæc confusio superbissimi Angeli, ad Dei thronum immoderatè aspirantis, adduci coram Deo, & Domino suo, qui non refugit humiliter sedere in pulvere! non ergo mirum, quod Diabolus ex Domini sui præsentia sic confundatur, ut potiùs eligat incarceratus flammis aduri, quàm tantæ confusionis, ac ignominiæ notam sustinere: *Cupient potiùs esse igne combusti, quàm Salvatorem omnium inter mortales agentem intueri*.

QUÆSTIO XXV.

Quare Reges universæ terræ congregantur in Armagedon; & quis locus, & quid significet.

194 At text. *Congregabit illos*; scilicet Reges universæ terræ, de quibus agitur supra, vers. 14. *& congregabit*, scilicet Diabolus, vel Antichristus, vel etiam tres spiritus immundi, de quibus agitur citato vers. 14. & cùm tres sint, dicitur in singulari, *congregabit*, propter impiorum unionem ad malefaciendum. Albert. Magn. *Nota*, ait, *quòd cùm sit dictum supra: Præcedent congregare Reges; hic tamen dicitur singulariter, congregabit illos, ad significandum, quòd Diabolus eorum ministerio illos congregabit; vel potest referri ad tres spiritus immundos, & tamen dicitur singulariter ad significandum unam intentionem illorum in malo*.

Unio impiorum ad malefaciēdum.

195 Quisnam locus iste Armagedon est, in quo Antichristus maximè florens, tanquam Nabuchodonosor universos Reges totius terræ congregabit cum magnis copiis, ad suum insignem triumphum, & applausum, in quo ut supremus totius Orbis Monarcha, ac ut Messias, & Deus publicabitur? ad istumque conventum præcurrent solemnitates non vulgares, musica instrumenta, hastiludia, convivia, adipes, & cætera omnia, quæ mundanos oblectare solent; sed tunc Dominus Jesus Spiritu oris sui ipsum impium cum suis sequacibus interficiet, & inde maximè nomen Christi exaltabitur, & publicabitur.

Magnus triumphus Antichristi, in quo occidetur.

196 Tota quæstio est, quis locus sit iste? Rectè ait Viegas: *Inscientiam nostram profiteamur, dicamusque hunc locum nobis esse incognitum*; & revera ita est. Liceat tamen in hac re conjecturis uti: Cornelius, Menochius, Ferrar. & alii sic tenent: *Armagedon, verisimilius est, fore juxta Jerusalem, & vallem Josaphat, tum quia ibi erit Regia Antichristi, tum quia in valle Josaphat futurum est judicium, tum quia Armagedon hebræum est nomen: erit ergo in Judæa, vel Palestina*.

Quis locus

197 Ticonius, & Ribeira, Franciscus Quaresmius, terræ Sanctæ Præses tom. 2. elucidat. Histor. ejusdem terræ Sanctæ lib 7. peregrin. 2. c. 4. la Haye, hic dicunt idem esse Armagedon, ac Magedon, de quo loquitur Zacharias 12. n. 11. quia cùm Joannes de loco quodam nominato, ac celebri locutus videatur, & Armagedon, neque apud sacram Scripturam, neque apud ullum, qui de locis Palæstinæ accuratè scripsit, potuit hactenus inveniri, nisi Magedo, hinc est, quòd unus, & idem locus debet censeri. De hoc campo Adrichomius in Theatro terræ Sanctæ in Tribu Isachar. n. 18. sic loquitur: *Campus magnus, qui & campus Magedo, & campus Esdrelon, & planicies Galilææ, sed illa nomina nunc in oblivionem abierunt, habet in longitudine decem milliaria, in latitudine verò ad mare Galilææ, & Jordanem usque extenditur; Gleba ejus optima est, fertilis supra modum in frumento, vino, & oleo, atque adeo rebus omnibus affluit, ut qui suis oculis aliquando conspexerint, affirment se nihil unquam perfectius, & in quo natura æquè omnia sua contulisset, aspexisse. In hoc campo Josias Rex Juda à Sagittariis Nechao Regis Ægypti vulneratus interiit, & in his Sisara, & omnis exercitus ejus, Barac vincente, prostratus est*: hæc ille. In hoc ergo loco tam lato, & amplo, ac perjucundo, & amœno elegit Antichristus sedem ad pomposam sui manifestationem.

198 Dices. Hic locus non appellatur Magedon, sed Armagedon. Respondeo cum Malvenda lib. 10. de Antichrist. c. 10. quod à nostro Evangelista dicitur

Objectio.

Arma-

Armagedon. *Ar*, in hebræis, montem significat, quia campus, seu planicies Magedo, in celsiora loca per partes intumescit; & rectè mons dici potuit, vel quia juxta se habet insignes montes, ut Gelboe, Thabor, Hermon (omnes istos montes esse in campo illo magno Galilææ cuncti affirmant) in aliquo ergo ex his montibus prætorium eriget Antichristus, reliqua multitudine longè, lateque diffusa.

199 Ab eventu nomen. Hoc nomen Armagedon impositum est ab Spiritu Sancto, ad significandum eventum rei, in Scriptura enim ab eventu frequenter nomen imponitur; ut *Horma*, id est, anathema, Numer.21. n.3. *Elevatio maxillæ*, ubi Sampson maxilla percussit mille Philisthæos, Jud.15. nu.17. *Lapis adjutorii*, ubi contra Philisthæos, adfuit divinum auxilium, 1.Reg.7.n.12. & ita ubi delendus est Antichristus, illiusque conjurati, Armagedon dicitur.

200 Armagedon, quid significet. Hoc autem nomen multipliciter interpretatur D. Hieron. tractat. de nominibus Hebraic. Primò, inquit, Armagedon, interpretatur consurrectio in priora, quod bene convenit Dei consilio, tali enim loco efficiet Deus, ut sua Ecclesia consurgat in priora, suamque pristinam gloriam vindicabit. Interpretatur etiam mons, & latrunculus, vel mons globosus; latrunculus erit Antichristus, & ad prædam cum suis conveniet. Monsque globosus, dicitur etiam locus, ac si Deus ibi paraverit selectorum militum globum ad perdendum cum suis Antichristum. Nicolaus Zegerus ait, quòd secundùm quosdam interpretatur Mons Evangelii, vel pomorum, seu fructuum. Et rectè, secundùm mysterium Mons Evangelii dicitur, quia in eo Evangelii veritas, falsitasque Antichristi declarari debet. Mons pomorum, sive fructuum etiam dicitur, quia ibi tandem omnes Christi gloriam agnoscentes, ejusque potentiam, & divinitatem prædicantes, tanquam pulcherrima poma ex Christo nobilissima arbore pullulare scient, & tanquam lectissimi fructus colligendi sunt. Malvenda citatus contendit ex radice hebraica, quòd idem valet Armagedon, ac turris exercitus, in eo enim tanquam in munitissima turri congregabuntur omnes Orientales exercitus.

201 Omnes Reges terræ, universique exercitus in illo campo in pompam, & triumphum Antichristi conveniunt, sed Dei consilio factum est, ut omnes adessent in confusionem, & ignominiam ipsius Antichristi, ut omnes suismet oculis ejus interitum, & perditionem viderent. Impiis irridens Isaias c.50. nu. 11. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis; de manu mea factum est hoc.* Expende illud: *De manu mea factum est hoc*; impii priùs dicebantur accendisse ignem, flammasque excitasse, in quibus jubentur ambulare, & tamen statim subditur: *De manu mea factum est hoc*; si ergo de manu Domini ignis accenditur, quomodo dicuntur impii illum accendisse? Equidem impii consilio suo illum ignem accendebant, quo sibi ingentem gloriam compararent pro tanto igne, tantoque splendore; at quòd ipsi sub illo perirent, à Deo factum fuit, qui dissipat consilia Principum, ruinam invehens, qua ipsi sibi consulebant magis.

Impio; suis consiliis Deus trahit in pœnas.

202 Ad hoc spectat Job.18.n.7. de impio loquens: *Arctabuntur gressus virtutis ejus, & præcipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat. Tenebitur planta ejus laqueo;* Græcus: *Erret consilium ejus. Immittatur pes ejus in laqueum, in rete involvatur, veniant super eum laquei.* Solent venatores, ut feram capiant, illius effugia meditari, ad quæ illa se recipere, & in quibus se soleat tutari, ibique & laqueos, & retia tendunt; sic etiam Deus cum impiis facit, illorum studia, & consilia speculatur, quibus ipsi sibi, & effugia, & monumenta constituunt, quibus inevitabilem calamitatem reportant. In Catena Græca ait Nicetas: *Quemadmodum animalia, quæ sese in laqueos retiave induxerunt, evadere non possunt, sic impii necessariis, à quibus eripere se nequeant, implicantur eventis, interim omni eorum consilio interverso, atque in contrariam partem abrepto.*

Impii tendunt laqueos, quibus comprehendun tur.

Apoc. 16. *n.*17. Et septimus Angelus effudit phialam suam in aerem, & exivit vox magna de templo è throno, dicens: Factum est.

Num. 18. Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram, talis motus terræ sic magnus.

VERSIONES.

*Arabicus n.*17. Tunc Angelus septimus evacuavit phialam suam super aerem, & prodiit è templo, quod est in Cœlo, & è throno vox magna, quæ dicebat, jam factum est.

Aretas. E templo cœlo.

Primas. Finitum est.

*Arabicus n.*18. Voces, & sonitus, atque terræmotus.

Aretas. Terræmotus non est factus à tempore, quo homines facti sunt.

EXPOSITIO.

ET *septimus Angelus*. Non expeditio est christianorum in terram sanctam, nec etiam septimus ordo prædicatorum, ut dicunt Haymon, Albertus Magn. sed propriè, & verè est Angelus postremus Dei minister, constitutus ad effundendam septimam phialam, id est, ad exequendum ultimum Dei decretum de puniendo Mundo ingrato. *In Aerem*. Angelus totum aerem movebit, & turbabit, in quo fient signa, fulgura, voces, & tonitrua, qualia non fuerunt ab condito Orbe. Albert. Magn. Gagnæus per aerem intelligunt dæmones aereos ad homines tentandos, & persequendos. *Et exivit vox magna*. Viegas has voces accipit articulatas, quasi voces sint spectrorum, scilicet exercituum discurrentium in aere, & cædes, ac strages conclamantium; sicut ante excidium Jerosolymæ apparuerunt armatæ acies, & vox de templo: *Migremus hinc*; ut refert Josephus lib.7. belli, cap.12. Alii interpretantur voces tonantes, seu tonitrua vocalia. Tertiò Cornelius, ait: *Si quis malit voces è cœlo terribiles accipere, non repugnabo.* 203

De templo; à sede nempe beatorum, & non ex qualibet templi parte, sed *à throno*, in quo scilicet Deus sedebat, dicens: *Factum est*; id est, omnia jam sunt terminata, & finis omnium rerum venit, cùm jam sint finitæ hæ septem plagæ. Et cur hæc vox non ex alio loco auditur, nisi tantum è templo, ac throno Dei? Richard. Victor. *Ut quanto ab excellentioribus testimonium finiendi sæculi profertur, tanto certiùs credatur dicens: Et factum est.* 204

Testimonium ab excellentiori maximè creditur.

Et facta sunt fulgura, & voces, & tonitrua. Hæc non ænigmaticè sumenda sunt, sed verè, & propriè, ut sonant, voces terrificas, nempe è Cœlo tonantes. *Et terræmotus magnus qualis nunquam fuit*. Primò, quia erit totius prorsus terræ, & non unius, vel alterius Provinciæ; secundò, quia innumeræ eo prosternentur civitates, & occidentur innumeri homines; tertiò, quia per illum omnes montes, & omnes insulæ de locis suis movebuntur, hactenus enim ab Orbe condito talis terræmotus non fuit, sed neque erit talis usque in finem. 205

Hæc septima phiala respondet septimæ tubæ c.11. n.17. ubi inducitur Mundi finis, ejusque consummatio, cum Cantico resonant voces magnæ dicentes: *Factum est regnum hujus Mundi, & Domini, & Christi ejus*; hìc verò dicitur: *Factum est*; & mox inducuntur fulgura, voces, & tonitrua, & respondet septimæ plagæ Ægypti, in qua Dominus dedit tonitrua, grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, Exod.9. n.23. 206

QUÆSTIO XXVI.

Quare ex hac ultima phiala missa in aerem, fit terræmotus magnus, qualis nunquam fuit ab initio.

HIc Angelus effudit hanc ultimam phialam in aerem, ex cujus commotione, ac perturbatione 207

tone fiunt voces, fulgura, & tonitrua, ut jam dixi in expositione. Per aerem Richard. Alb. Magn. Gagnæus, & alii intelligunt dæmones, seu aereas potestates, juxta illud Pauli ad Ephes.6. n.12. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, sed adversùs Principes, & potestates, & adversùs Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus;* cùm ergo hujusmodi potestates aereæ, quæ per aerem vagantur, modò præcipites in gehennam precipiantur recludi, hinc auditur vox de Cœlo, quasi cœlitum gratulantium, & dicentium: *Factum est*; ut Domine imperasti. Sed cur hæc phiala ultima, quæ continet plagam omnium durissimam, & acerbissimam effunditur super hujusmodi aereas potestates? Quia qui inventores, ac fautores malorum fuerunt, sicut dæmones præ aliis gravissimè puniuntur. Rupert. *Rectè in illos*, ait, *effunditur septima phiala, videlicet, quidquid malorum præcedentibus sex phialis indicatur, in ipsos redundat, qui malorum eorundem sunt inventores, Diabolus enim tunc cum Angelis suis in profundum Inferni præcipitabitur.*

Malorum inventores gravius puniuntur.

208 Secundò cùm hìc lego, fulgura, voces, & terræmotus factos esse, statim in mentem venit, quòd olim Deus daturus legem in monte Sinai, descendisset fulgurum corruscatione, tonitruum mugitu, & terræmotu magno excitato, Exod.19. n.16. cur ergo nunc similiter eadem fulgura videntur, eadem tonitrua audiuntur, & terræmotus sentitur? Quia eisdem signis veniet Deus legis transgressores puniens, quibus & venit eam legem daturus. Andreas Cæsar. *Fulgura*, ait, *& voces, & tonitruum stuporem, & terrorem, qui ex his rebus, quæ inusitato modo fient, exoritur, futurumque Christi adventum significant, eadem olim quoque Dei, supra montem Sinai descensum indicabant.*

Signis, quibus data est lex, puniuntur transgressores.

209 Tertiò ex septima hac phiala, seu plaga effusa, ingens pœna, ac castigatio resultat in homines, ita ut talis terræmotus factus sit, *qualis nunquam fuit, ex quo homines esse cœperunt;* & undè tantá rerum commotio, qualis nunquam fuit ab exordio? Hi homines post visas tot pœnas in aliis phialis effusas, adhuc in suis peccatis perseverarunt, inde meritò majori afficiuntur, qui enim post pœnam sceleris visam, adhuc ruit, majori, & certiori tenetur supplicio.

Pereunt, qui aliorũ suppliciis visis non sibi cavent.

210 Magnas pœnas ob suum sacrilegium reportavit Balthassar, dum sacra vasa in prophanos usus convertit, eique dicitur Daniel.5. nu. 28. *Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*; sed & Nabuchodonosor extiterat sacrilegus in Dei templum, illud spolians 4. Reg.25. n.14. & tamen non amisit regnum, licèt enim ab illo ejectus fuisset, iterum tamen in illud redit; si ergo sacrilego Nabuchodonosori, non eripitur regnum, cur Balthassar ab illo privatur? Quia Balthassar peccavit post visum parentem punitum, cujus agnitione caruit Nabuchodon. Theodoret. ad locum Danielis: *Quia Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat, idcircò dignus venia justo Dei judicio existimatur; sed iste Balthassar summum patris supplicium suspicatus, nihil inde percepit utilitatis: jure itaque illi justus Judex supplicium præscripsit, nullaque venia dignum censuit.* Sic necessum est ut pereant, qui aliorum suppliciis visis, nesciunt sibi cavere.

Durius punitur Balthassar, post parentis pœnam visam.

211 Oseas 6. nu. 10. ait: *In domo Israel vidi horrendum; ibi fornicationes Ephraim: Contaminatus est Israel. Sed & Juda pone messem tibi.* Dixerat ut supplicii falce demessæ fuerant decem Tribus, quæ nunc dicuntur Israel, & illa sunt in eis demersa, quæ horrenda videbantur; nunc & similiter Judæ mandat, ut se similiter præparet ad messem, dicens: *Sed & Juda, pone messem tibi*; & cur Juda etiam ad messem iræ Dei paratur? Quia Judæ Tribus vidit crimina Israelis magno supplicio punita, & quia adhuc illis hæsit, ideo in tantam ruinam prolapsus est. Ruffinus ibi: *In Juda, quem comitaris in flagitiis, etiam calamitatibus consequere: hoc tamen deterior æstimandus, quia nihil sibi profuit, quòd prior est ille damnatus.*

Post Israelis pœnam, rigidè punitur Juda.

Apoc.16. n.19. Et facta est civitas magna in tres partes, & civitates gentium ceciderunt; & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis iræ ejus.

VERSIONES

Arabicus. Disrupta est urbs illa magna, & corruerunt Urbes gentium, & de Babylone mentio facta est coram Deo, ut portaretur de calice Domini indignationis ejus.

Syriacus. Et urbs gentium cecidit, & Babel illa magna in memoriam venit coram Deo, ad dandum ipsi calicem vini illius, excandescentiæ ejus.

Primas. Et Babylon illa magna, recordata sub conspectu Dei venit, ut daret ei de vino iræ, suæ indignationis.

D. Aug. Aret. Venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum iræ.

EXPOSITIO.

Facta est civitas magna. Civitas hęc magna, non mysticè accipitur pro collectione malorum, ut aliqui dixerunt, de quo quæst. seq. Hæc ergo civitas magna ad literam, est Jerusalem, quæ temporibus Antichristi, erit maxima, & opulentissima, utpote Regia potentissimi Monarchę. *Facta est in tres partes.* Magno terræmotu concussa erit civitas, & illius partes mutuò à se dividentur, tribus magnæ terræ hiatibus. *Et civitates gentium ceciderunt;* vehementi illo terræmotu omnes præteritos superante: non tantùm ad unam civitatem ille se extendet, sed ejus vehementia multæ aliæ civitates impiorum corruent. 212

Jerusalem hæc civitas.

Et Babylon magna; idest, collectio reproborum de qua erit sermo cap. seq. *Venit in memoriam ante Deum.* Sermo est humano more, & est phrasis Scripturæ, qua dicitur Deum recordari alicujus, cùm aut bene, aut malè illi facere intendit. 213

Dare illi calicem vini indignationis iræ ejus. Hoc est debitam, & proportionatam suis delictis pœnam, de quo egi cap.14. n.10. undè ait Alexand. Alens. *Dicitur pœna æterna calix, quia mensurabitur secundùm culpam, sicut mensurat calix vinum, vel aquam. Undè ponit hæc tria, calicem vini, indignationis, iræ Dei; calicem, quo ad punitionem; iræ Dei propter suppliciorum additionem.* In calice denotatur mensura, in vino indignationis punitio, ac pœna inflicta, in ira Dei, pœnarum, ac suppliciorum multiplicatio; hæc tamen pœnarum impositio cum earum additione fit cum mensura, ac proportione ad culpam: dicitur etiam calix potiùs vini, quàm aquæ, ut ait Pannon. *quia vino quædam vis ardens inest usque ad insaniam dementans; sic & pœna illa gehennæ ita acuitate sui, quos comprehendit, dementat, ut cogantur miseri insanissimas loqui blasphemias.* 214

Pœna commensuratur culpæ.

Damnati tanquam insani blasphemant Deum.

QUÆSTIO XXVII.

Quare civitas facta est in tres partes, & quænam sit ista civitas.

AB hoc secundo incipio: Quænam est ista civitas, de qua hìc agitur? Primò Alcazar intelligit Romam sub Constantino, quæ in tres partes facta est, scilic. in christianos, qui publicè cœperunt profiteri christianam religionem; & in gentiles, qui recedere noluerunt ab Idolis; & in neutrales, qui nec religionem suscipere voluerunt christianam, nec stare in paganismo, videntes absurditatem idololatriæ. At contrà, quòd hìc in sacra prophetia non sumus sub Constantino, sed in fine Mundi. 215

Secundò Richardus per civitatem magnam intelligit mundanorum cœtum, qui divisus est in paganismum, judaismum, & falsum christianum, & ideo, ut ait Ansbertus: *Civitas hæc dicitur magna, sive pro magnitudine populorum, nempe reproborum, seu propter immanitatem scelerum magna, ideſt, vasta;* seu ampla, & lata. 216

Magnus reproborũ numerus.

Tertio civitas divisa est in tres partes, scilicet, in triplicem vitiorum differentiam, nempe in se, in 217

Deum, & proximum; vel cogitationis, locutionis, operationis: tamen si civitas est una, quomodo tot divisiones patitur? D. Thomas ait: *Mali unum sunt per convenientiam in amore vanitatis, & in statu damnationis, & in elongatione à Deo; sic est una eorum civitas, distincti autem secundùm diversitatem affectuum, & diversitatem vitiorum, & secundùm hoc diversæ sunt civitates eorum, scilicet, quòd quidam sunt sub uno genere vitiorum, alii sub alio; item etiam secundùm diversitatem locorum*: hæc moraliter.

Impii in affectibus divisi licèt in mala faciendo uni sint.

318 Quarta, & vera sententia tenet cum Areta, Ribeira, Viega, Cornelio, & aliis, quòd hæc civitas magna sit Jerusalem, quæ utpote regia potentissimi Monarchæ Antichristi, erit valde magna, & ampla, ita ut per antonomasiam dicatur civitas magna, quo nomine appellatur infra Apoc. 11. n. 8.

Vera sententia.

319 Et in eo, quòd civitas hæc magna in tres partes divisa describitur, inde ejus devastatio, ac perditio denuntiatur. Prædicens Deus destructionem Samariæ, ait per Michæam cap. 1. nu. 6. *Ponam Samariam, quasi acervum lapidum cùm plantatur vinea*; quid est ponam quasi acervum lapidum? cur non potiùs ut parietem, vel murum, ut inde ejus jactura esset miserabilior, sed ut acervum lapidum? Faciam nimirum ne ejus cives, aliquo unionis vinculo constringantur, sed divisi inter se sint, quo potissimè eorum ruina, ac perditio denotatur, ut ibi ponderat Rupert. *Samaria ponitur*, ait, *quasi acervus lapidum, quia videlicet acervus lapidum nimis infirma structura est; & quòd sine cemento sit, & lapis lapidi non hæreat. Samaria namque semper dissensiones habuit, maximè in Regibus suis, toties demutatis, aliis percussis, & succedentibus, imò & irruentibus aliis, atque ita factum est, ut usque ad diem captivitatis extremæ, nunquam sibi coherent adversùs semetipsos scissi.*

Divisio extremam ruinam infert.

220 Ex Dei mandato, offert Abrahamus in sacrificium, vaccam, capram, arietem, turturem, columbam: *Universa hæc tollens divisit per medium, descenderuntque volucres super cadavera*, Genes. 15. nu. 2. ecce rapaces furiæ, ac inimicæ potestates descendunt ad prædam; forsitan quandiu cadavera erant integra, & intacta? Minimè, sed quandiu in partes membratim divisa sunt, nunquam enim deficit pastus hostibus malignis, quando inter homines aliqua apparet divisio. Ad quod tendit D. August. lib. 16. de Civit. Dei cap. 14. *Aves*, ait, *descendentes super corpora, quæ divisa erant, non boni aliquid, sed spiritus indicant aeris hujus, pastum suum quendam de carnalium hominum divisione quærentes.*

Divisio prædam dat hostilibus potestatib.

221 Inter certissima signa Mundi funditus perituri illud à Domino ponitur Matth. 24. num. 7. nimirum: *Surget gens contra gentem*; nulla tunc erit unio, sed omnino erunt homines inter se divisi, ut inde ad extremum excidium Orbis veniatur; quod jam designatum, illa celebri statua Danielis manifestum est, in qua regnorum status denotabantur, cujus caput erat ex auro optimo, pectus, & brachia ex argento, venter, & fœmora ex ære, tibiæ ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis, & tam sublimis, ac alta statua, levi tactu unius lapidis tota comminuta est, & redacta in favillam æstivæ areæ; & quomodo potuit tam perexcelsa statua ex omni metallo fabricata, tam facilè cadere, ac corruere? Vide quod de ejus pedibus ait text. *Quod vidisti fervum mistum testæ ex luto; commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*, Daniel. 2. num. 43. ubi enim fundamentum, seu pedes partim ferrei, partim fictiles erant, quorum materia minimè inter se uniebatur, quid tunc factum est? statim casus, & ruina, minutus enim lapillus cadens in dissidentes, omnia convertit in favillas, ac in cineres redigit, præsagium enim divisionis, ac destructionis divisio est. Quo spectat Nazianz. orat. 31. *de pace*, qui dum suos divisos, ac dissidentes videt, ait: *Quònam hæ divisiones progrediuntur? ubi consistent? Equidem vereor, ne præsens rerum status, ignis illius in expectatione positi fumus quidam sit; ne his Antichristus superveniat, ac nostros lapsus, & mortes in principatus sui occasionem arripiat. Nec enim, opinor, sanos adorietur, nec claritate septos, ac munitos.* Perpende verba illa: *Præsens status ignis illius in expectatione positi, fumus quidam est*; sicut enim ante ignis conflagrationem fumus exoritur, sic etiam ante Orbis extremam ruinam, dissidium, ac mutua dissensio inter homines exurget.

Ubi partes non sibi cohærent, ibi certa ruina.

Apoc. 16. *n.* 20. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi.

Num. 21. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo, in homines; & blasphemaverunt Deum homines, propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.

VERSIONES.

Arabicus n. 20. Fugerunt insulæ.

Primas. Et omnes montes non sunt inventi.

Syriacus n. 21. Et grando magna, quasi talenti pondo facta est, & convitiis affecerunt illi homines Deum.

Arabicus, Et cecidere de Cœlo super homines grandines, quarum lapillus unus libralis erat, & blasphemaverunt Dei ob istas grandines, hoc enim fuit exitium magnum vehementer.

Primas. Et grando ingens talenti ponderis de Cœlo super homines ruit, &c. quoniã magna plaga grandine facta est.

D. Augustinus, Quasi talenti pondere descendit super homines.

EXPOSITIO.

Et omnis insula fugit, & montes non sunt inventi. Ingenti terræmotu, in Mundi fine, insulæ absorbebuntur, & montes non apparebunt, ubi priùs erant, sed veluti solo æquabuntur; quo facto, ut ait Suar. 3. p. disp. 56. sect. 4. tom. 2. magna pars hominum interibit, & qui superstites manserint, ingenti pavore concutientur, maximè cùm impiis nullum erit effugium, ac præsidium, nec in terra, nec in mari. In terra non salvabunt illos montes, in mari non salvabunt illos insulæ. 222

Moraliter verò Ansbert. Haym. Albert. Magn. per insulas intelligunt populum fidelem, juxta illud Isai. 49. *Audite insulæ, attendite populi de longè*; per montes verò Prædicatores: tunc ergo fugient, & non invenientur in consortio impiorum, nec in eorum affectibus. Vel etiam, ut ajus Richardus, Gagnæus, & alii, per montes, perfectiores Ecclesiæ ventis persecutionum agitatos denotari, per insulas verò fideles non tam perfectos, qui fugientes ab ira venientis judicis, à Babylone, hoc est, à consortio impiorum se abduxerunt, & merito à terræmotu liberantur: *Omnis insula fugit*; qui non sunt culpæ participes, nec etiam pœna involventur. Sic ait Richard. *Qui non sunt in culpa, minimè participes invenientur in pœna.* 223

Qui non sunt in culpa, nec erunt in pœna.

Et grando magna, sicut talentum descendit de Cœlo. Talentum atticum continebat libras sexaginta duas cum dimidio, hebræum verò antiquum talentum erat attico duplo majus; his ergo in fine Mundi denotatur grando magnæ molis, ac vastæ magnitudinis. *Et blasphemaverunt Deum propter plagam grandinis.* Grandine tam ingentis magnitudinis homines oppressi interficiebantur, animalia peribant, ædificia, ac domus corruebant. Respondet hæc plaga septimæ Ægyptiacæ, Exod. 9. n. 18. & plagæ septimæ septimi sigilli, Apoc. 11. n. 15. quæ finem Mundi denuntiat. 224

Quid sit talentum.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare, cùm emittitur à Deo grando magna, sicut talentum, homines non compunguntur, sed blasphemant.

MAgnitudo hujus grandinis, quæ cadit de Cœlo, satis exprimitur, cùm dicitur: *Sicut talentum*; quod de vera grandine ad literam accipiendum est, ut dixi in expositione, & tenent Cornel. Ribeira, la Haye, & alii, cujus magnitudo tanta erit, ut nunquam fuerit antea talis visa, nec audita. 225

Alcazar accipit in ista grandine obdurationem, qua puniti sunt gentiles, qui ad fidem christianam 226

acce-

accedere noluerunt, quando Constantinus, & Roma fidem susceperunt. Richard. & alii explicant de obstinatione damnatorum in gehenna. Alii latiùs accipiunt de omni obstinatione iniquorum, de quibus est illa D. Augustin. serm. 3. de Innocent. tom. 10. sententia: *Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei sui.* Ferrarius ait, quòd grando ista sit immissa damnationis sententia, quæ nunquam mollietur, nec liquescet. Hæc omnia debile habent fundamentum, ac proinde de vera grandine intelligendus est text. sicut in cæteris plagis de vero ulnere, æstu, &c.

231 Hæc autem grando, ad explicandam sui magnitudinem, ac tantæ pœnæ, & vindictæ dicitur, quod erit, *sicut talentum*, ut ponderat Haym. qui sic ait: *Talenti ponderis pro magnitudine vindictæ ipsa grandinis ira fuisse perhibetur*; cùm enim peccata tunc sint valde magna, magna etiam erit ira, & pœna, quæ culpæ respondet.

Pœna respondet culpæ.

232 Secundò in hac re dicitur, quòd hujusmodi grando descendet veluti talentum; multi volunt tria esse talentorum genera, unum scilicet, centum viginti librarum, aliud septuaginta duarum, aliud sexaginta duarum; quo posito multi existimant de talento medio, hìc esse sermonem, sunt enim septuaginta duo præcipua idiomata in universo Mundo; inde grando descendit ut talentum super homines, quia ex omnibus linguis multi populi damnabuntur. Haym. *Bene autem*, ait, *talentum memoratur, quia videlicet ex septuaginta duobus linguis populi damnabuntur, nullusque ad mortem præscitus hanc mortem evadet.*

Ex omnibus linguis damnabuntur.

233 Tertiò dicitur hæc grando, seu ingens pœna sicut talentum. Talentum apud diversas nationes, alterius, & alterius est ponderis: ecce cur grando dicitur sicut talentum; quia omnes non eodem modo punientur, sed secundùm diversam demeritorum exigentiam. Primas. *Nec immeritò talenti ponderis memorat, nisi quòd divini æquitate judicii pro diversitatibus culparum singulis infligatur, talentum enim alterius apud græcos, alterius apud romanos quantitatis æstimatione pensatur.*

Unusquisque secundùm peccata sua torquetur in sæculo.

234 Quartò annuntiatur impiis ingens plaga grandinis, ut tanta ira Dei perculsi pœnitentiam agerent, & tamen Deum blasphemaverunt propter plagam grandinis; & quomodo, cùm ante oculos propositam, eam media pœnitentia fugere debebant? & cur pro tam insigni beneficio in Deum blasphemias conjiciunt? Quia impii quò magis arguuntur de sua impietate, etiam inter ipsas plagas, tanto pejores reduntur, & in ipsummet Deum convitia evomunt, ut observat Rupert. *Illi, qui ejusmodi sunt impii, & rebelles justitiæ, & veritati, quantò plus arguuntur, tantò deteriores fiunt, imò interdum verbo quoque resistunt, & contradicunt, & maledicunt.*

Impii inter ipsa supplicia, quantò magis arguuntur, tantò pejores.

235 Valde deploranda reprobornm conditio, quòd etiam inter ipsas pœnas non emolliantur, ut resipiscant. Ait Jerem. 6. n. 29. *Defecit sufflatorium; in igne consumptum est plumbum, frustra conflavit conflator, malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos.* Multus quidem erat plagarum ignis à Deo conflatore immissus, ut tantum plumbum liquefacere potuisset: *In igne consumptum est plumbum*; & tamen, inter tam vehementes plagarum ignes, malitia humani cordis, & frigus vitiorum vigebat: *Malitiæ eorum non sunt consumptæ*; quid inde sequitur? *Argentum reprobum vocate eos.* Ubi sanè peccatorum frigus cum ardentibus pœnarum ignibus non minuitur, id jam spectat ad reproborum supplicium, nam ut dicitur Psal. 67. n. 31. *Qui probati sunt argento*; hoc est, ut explicat Euthym. qui in omni virtute, ac sanctitate sunt consummati, ita argentum reprobatum dicuntur, qui in omni turpitudine, ac malitia sunt demersi, ut à reprobis Angelis parum, aut nihil abesse videatur.

Iniquorum plagæ inter supplicia non emolliuntur.

236 Quod de reprobo populo maximè deplorat Jerem. cap. 5. n. 3. *Percussisti eos, & non doluerunt; attrivisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; induraverunt facies suas supra petram, & noluerunt reverti.* Deplorati, ac mortui animi est, inflicto vulnere dolorem non sentire: *Percussisti eos, & non doluerunt*; nullum sanè reprobati animi evidentius signum, quàm inter suppliciorum verbera, integrum peccandi affectum conservare, & inter ardentes fornacis flammas, nullius ardore commoveri; quod ponderans D. Nazianzen. orat. de plaga grandinis, sic ait: *Non grave est plagis affligi, sed plaga meliorem non fieri gravissimum, & acerbissimum est. Atque eo nomine Propheta de duro illo, atque corde incircumciso Israele verba faciens ait: Percussisti eos, & non doluerunt; corripuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Super quod etiam maximè dolet reg. Vat. Ps. 34. n. 16. *Dissipati sunt, & non sunt compuncti*; Cardinal. Hugo: *Dissipati sunt, & non sunt compuncti ad pœnitentiam.*

Maximè deploratus qui sub flagello nō emēdatur.

Summam malitiam reproborum, cùm adhuc sub 237
judicis sententia positi sunt, explicans Dominus, ait illis Matth. 7. n. 23. *Et tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos: Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Expende illud: *Operamini*; adhuc sic obstinati sunt in malo, ut nec sub sententia flammarum à malo desistant. D. Chrysost. hom. 19. in Matth. *Non dicit illis: Discedite à me, qui operati estis iniquitatem, sed qui operamini, quia iniqui, etiam post mortem non desinunt esse iniqui, quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.* Nulla flamma, nulla mors homines reprobos à vitiorum affectu deterret, & pœnarum flamma, & vitiorum frigus, semper in eorum pectore viget, ac dominatur.

Reprobus nulla pœna deterretur.

CAPUT XVII.

Purpuratam meretricem inauratam auro, lapide pretioso, 1
ac margaritis, sedentem super bestiam habentem capita septem describit noster Joannes, cujus explicationem ab Angelo accepit.

Magna coherentia, ac connexione rem describit nostra Aquila; nam super. cap. 16. annuntiantur novissimæ plagæ iræ Dei, in quarum ultima etiam prædicitur ruina omnium civitatum gentium. Quomodo autem Babylon magna venerit in memoriam ante Deum, jam suprà cap. 16. nu. 19. explicavit; & quia tantæ mundanorum civitatis devastatio longam habet narrationem, ideo meritò eam sanctus Evangelista distulit, ut latiùs universa, quæ illius sunt, referantur, tam hoc cap. quàm sequenti 18. Inde hæc mulier quadruplici nomine appellatur, Meretrix, Mulier, Babylon, Civitas, quæ figillatim explicanda sunt. 2

Apoc. 17. nu. 1. Et venit unus de septem Angelis, qui habebant septem phialas, & locutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas.

VERSIONES.

Primas. Et unus de septem Angelis habentibus.

D. Cyprianus. Aggressus est me dicens.

Syriacus. Ostendam tibi judicium illius meretricis.

Arabicus. Exponemus tibi damnationem mulieris illius meretricis magnæ.

Alii Codices. Quæ sedet super aquas.

EXPOSITIO.



ET venit unus de septem Angelis. Alcazar per hunc Angelum, qui Joannem docet, intelligit S. Paulum Apostolum, quod jam in initio super. cap. refutavi. Haym. Albert. Magn. intelligunt prædicatores; & non ait, unus ex illis Angelis, sed indeterminatè, quia ut ait Richard. de S. Victore, omnes prædicatores unanimes sunt, in annuntianda impiorum damnatione. Tamen simpliciter dicendum quòd iste Angelus sit verus, & proprius Angelus. Dicitur unus more hebræo, pro primo, ut sæpè jam dixi. Vel unus accipitur pro quolibet eorum Angelorum, qui habebant septem phialas, quibus data est, & permissa potestas plagis universam terram afficiendi. 3

Prædicatorum unanimitas.

Dicens: Veni; ut eum attentiorem faciat, profunda, & alta consideratione, ac contemplatione, ut ait Haymon: *Ostendam tibi damnationem.* Per damna- 4

tionem intelligit executionem divini decreti; quòd nempe debitis pœnis imponendus sit finis huic improbæ meretrici. D. Thom. aliter explicat. *Ostendam tibi*; ait Angelicus Doctor: *Excitatur hìc ad cognoscendam causam damnationis impiorum*; quia Deus licèt sit æquissimus, & solùm ex demeritis puniat, vult tamen judicii, & damnationis iniquorum rationes, & causas manifestas facere. *Meretricis magnæ*. Per hanc meretricem intelligitur civitas Diaboli, multitudoque impiorum, & iniquorum collectivè sumpta, ut explicabo q. 1. Dicitur *Magna*, ob suam amplitudinem, ac magnitudinem iniquitatum, seu, ut ait Hugo, propter efficaciam decipiendi. *Quæ sedet*. Non firmiter stat, sed *sedet super aquas*; ut cadens submergatur, ut inde fallacia ejus magnitudinis ostendatur, ut subtiliter advertit Rupertus, & ait: *Cùm dixisset Angelus: Ostendam tibi damnationem meretricis; addidit, magnæ: sed profectò talis magnitudo, fallax est, quia non stat*. Additur in text. *Super aquas multas*; id est, multos populos: Aquæ populi sunt, ut explicat noster Joan. infra vers. 15.

Deus manifestat causam damnationis.

QUÆSTIO I.

Quænam sit hæc meretrix, quæ postea Babylon appellatur, mater fornicationum, & abominationum terræ.

5 VArii variè de hac meretrice existimant. Primò Aretas, Caponsachius per Babylonem accipiunt Constantinopolim, quæ est metropolis Turcarum hostium christiani nominis, quæ sedet super aquas multas, cum adjaceat Bosphoro Thracio. Secundò multi alii hìc intelligunt propriam Babyloniam, quæ extitit metropolis Chaldæorum; & ex hoc id sibi persuadent, quia ibi regnare cœpit Nemrod primus Orbis Tyrannus. Regnavit etiam Nabuchodonosor, & etiam Antiochus Epiphanes, germanus typus Antichristi, & eò maximè, quia ex ipsa Babylonia venturum tradunt Antichristum. D. Hieronym. In c. 11. Danielis, Soto in 4. dist. 49. quæst. 2. art. 1. & alii cum Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 54. sect. 2. §. *Queri verò*.

Antichristus in Babylonia oriturus.

6 Tertiò Aureolus, & Lyranus per Babylonem intelligunt sectam Mahometi, quæ cùm sit spurcissima, meritò mater fornicationum, ac abominationum terræ dicitur. In bestia intelligit Aureolus Sultanum Ægypti, quia regno Syriæ, & Ægypti spoliatus est à Sultano turcarum Rege. Quarto alii sub Babylonia accipiunt Jerosolymam, quæ erit civitas regia, & caput Imperii Antichristi, in qua virtute spiritus oris Christi ipse erit occidendus.

7 Neutra ex his sententiis potest subsistere, nec ea, quæ in litera de hac Babylonia fornicaria dicuntur illis possunt adaptari, nec conveniunt Constantinopoli, nec Babyloniæ Chaldaicæ, nec turcarum Imperio, nec civitati Jerosolymæ, ut ex dicendis patebit consideranti.

Impugnatur.

8 Quinta sententia est, quam docent D. Hieronym. in cap. 14. Isaiæ, Tertullian. adversùs judæos cap. 9. & lib. 3. advers. Marcion. cap. 13. D. August. 18. de Civit. Dei cap. 2. & sequuntur communiter Recent. Ribeira, Viegas, Cornel. Menoch. Tirin. la Haye, & alii, qui dicunt denotari hìc per hanc mulierem Romam non christianam, qualis nunc est, sed infidelem, & paganam, qualis erat tempore S. Joannis, qualisque rursum erit tempore Antichristi; sic sæpè contingit civitatem sanctam, decursu temporis, fieri meretricem, ut de Jerosolyma res est manifesta; nam Matth. 23. n. 37. vocat illam Dominus interfectricem Prophetarum: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas*; cùm tamen post mortem Domini dicatur sancta Matth. 27. n. 53. *Exeuntes de monumentis, venerunt in sanctam civitatem*; hinc Isai. 1. n. 21. ait: *Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis, plena judicii*.

Civitas Romana.

9 Fundatur hæc sententia, quia D. Petrus epistol. 1. cap. 5. n. 13. Romam vocat Babyloniam dicens: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*; idest, Roma, ut explicant Beda, Oecumen. D. Thom. Eusebius, & alii apud Benedictum Justin. Deinde infra vers. 9. dicitur, quod hæc Babylon habeat septem montes, & super totidem Roma est ædificata.

Sexta sententia, quam tuentur Joachimus, Seraphinus, Ubertinus, tenet per Babyloniam, intelligi improborum, non quidem omnium, sed tantùm malorum christianorum cœtum. 10

Est septima sententia mihi verior, ac probabilior, quam in præsenti docent D. Ambros. Ticonius, Andreas Cæsarien. Beda, Ansbertus, Primasius, Haymon, Rupert. Albert. Magn. Hugo, Gagnæus, & in hanc inclinat Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 56. sect. 2. §. *Respondetur*, hanc meretricem esse impiorum cœtum, seu multitudinem, seu Mundi civitatem cum sua gloria, opibus, ac delectationibus, quibus fundatur Babylon, sanctæ civitati Jerusalem omnino contraria, quam ædificat amor sui usque ad Dei contemptum, ita ut dicant D. Augustinus enarrat. 2. in Psal. 26. D. Prosper in dimidio temporis cap. 7. *Nec in imo loco existimes civitatem, quæ tota est sparsa in Orbe, de qua dicit Propheta: Filia Babylonis misera*; est ergo hæc meretrix civitas mundana, seu malignitas iniquorum, secundùm suam politicam rationem, seu convenientiam status, & inde hæc mundana civitas omni nefas perpetranti dat poculum humanæ ambitionis, vanitatis, ac mundanæ gloriæ. 11 Vera sententia.

Probatur primò, quia ea, quæ sacra revelatio testatur de hac meretrice babylonica, ad unam civitatem, ad reges romanos, ad regesque unius gentis non possunt coarctari, quia vers. 9. dicitur, quòd hæc mulier sedeat super septem montes, qui sunt septem reges, de quibus subdit text. vers. 10. *Quinque ceciderunt, alius nondum venit, & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere*; ubi septem Reges commemorantur, quinque jam abierunt, unus est in præsenti, & alius, ac septimus, nondum advenit, & cùm venerit, oportet illum breve tempus manere; ubi expresè sermo est de Antichristo per tres annos, & dimidium: ergo hæc non possunt dici de una tantùm civitate. 12 Primum fundamentum.

Secundò sicut cap. 13. num. 1. ad ostendendam omnem potentiam sæcularem contra Ecclesiam à Nemrod, sive Caimo usque ad ipsum Antichristum, & ad judicandam omnem malitiam, ac turpitudinem, ab exordio Mundi usque ad ejus finem, introducitur una bestia, habens capita septem, & cornua decem, ita hìc etiam ad significandam omnem colluviem improbitatis in multitudine reproborum, introducitur eorum cœtus sub typo impudicæ meretricis infidentis super bestiam cum septem capitibus, & decem cornibus, in quibus omnis pravitas, & iniquitas vitiorum exprimitur. 13 Omnis iniquitas denotatur.

Tertio de destructione hujus babylonicæ meretricis maximè lætantur cœlestes cap. 18. num. 20. *Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*; nec tanta lætitia, & exultatio exaggeranda est de eversione unius civitatis, sed de multitudine omnium iniquorum, & ideo subditur: *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*; hoc est: Pro nobis sententiam tulit, litemque pro nobis adjudicavit; quod maximè intelligendum est, de cœtu omnium iniquorum, qui tunc finiendus est. 14

Quartò cernitur ista meretrix, ut omnino opposita, atque contraria mulieri amictæ Sole; illa stat pro cœtu omnium reproborum, ista verò pro Ecclesia sancta cum omni justorum congregatione; illam purpura, & coccinum vestit, istam Sol; illam amiciunt ornamenta aurea, lapides pretiosi, & margaritæ, hujus verò caput duodecim stellæ ornant; illa sedet super bestiam habentem capita septem, & decem cornua, hoc est, commoratur, & sedet in omni vitiorum, ac turpitudinum perversitate, hæc verò Lunam, seu omnem mundanam vanitatem conculcat, ac sub pedibus habet; illa tenet in manu sua poculum aureum plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus, seu naturæ corruptæ, hæc vero manus suas, seu opera sua, ut notavi supra cap. 12. q. 27. habet abscondita, ut uni soli Deo placeant, & omnes ducat in cœlum; tandem hæc mulier amicta Sole, fœta est, & parit cœlo filium masculum, illa alia ut meretrix infœcunda scortatur 15 Oppositio inter hanc mulierem & aliam amictam Sole.

cùm

cum multis, & devoluit omnes amatores suos ad tartara. Habemus ergo in his duabus mulieribus, duas civitates, civitatem nempe, quam ædificat amor Dei cum temporalium contemptu, & Babylonem, quam ædificat proprius mundanus amor, cum Dei contemptu.

16 Illa de qua hìc est sermo in hoc capite, quatuor nominibus appellatur; Meretrix, mulier, Babylonia, civitas; quæ omnia nomina sunt metaphorica, saltem præter ultimum, ad inclinandam malitiam, ac nequitiam hujus mulieris sedentis super bestiam, cum septem capitibus, in quibus denotatur omnis congeries iniquitatum, ac tyrannorum, qui fuerunt in omnibus monarchiis, ac civitatibus; & quia hæc iniquitas multas civitates apprehendet, ideo forsitan etiam dicitur civitas; quorum omnium judicium, hìc sumitur in septimo capite scilic. Antichristo, ut dicitur de Jerusalem Matth. 23. nu. 39. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi.*

Quatuor nomina hujus mulieris.

17 Et quanquam in devastatione hujus meretricis, ac collectione iniquorum, variæ nationes, ac civitates involvantur, non sequitur quòd omnes in eis sint iniqui, ac depravati, sed etiam multi erunt justi, ac sancti, ut patet ex seq. cap. 18. n. 4. *Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa, populo meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis*; quod ad sanctos, ac justos refertur.

QUÆSTIO II.

Quare hæc mulier babylonica dicitur meretrix magna, cùm habitaret in deserto.

18 MEretrix non solùm dicitur de muliere fornicaria luxuriante, sed etiam de anima, civitate, ac gente idololatriæ causa, quia relicto vero Deo, ut vero sponso animæ nostræ, debitam fidem violans, transit ad cultum falsorum Deorum; sic ait Miche. 1. nu. 7. *Et omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur*; ita etiam Jerem. 3. n. 3. Ezech. 16. num. 30. Dicitur etiam meretrix ob propriam malitiam, ac scelera, quibus alios vocat ad consortium suæ turpitudinis. Isaias vocat Jerusalem meretricem propter alia scelera, ut homicidia c. 1. n. 21. *Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis plena judicii? Justitia habitavit in ea, nunc autem homicidia*; ecce Jerusalem dicitur civitas fidelis ob judicia recta, & servatam justitiam, & meretrix ob relictam justitiam, & homicidia, ac alia scelera; & subdit text. *Principes tui infideles, socii furum; omnes diligunt munera, & sequuntur retributionem, populo non judicant.*

19 Hæc mulier babylonica ex omni capite dicitur meretrix; ob idololatriam, sedet enim super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, in quibus maximè dominatur idololatria, introduciturque aperta inimica nomini christiano, dicitur enim ebria de sanguine sanctorum, ac martyrum Jesu. Aliaque etiam scelera hujus mulieris, quibus multas gentes induxit ad perditionem, apertè ostendunt supplicia ei inflicta, de quibus infra in hoc capite, & sequenti; illiusque luxuriam, ac turpissimam malitiam etiam ostendunt, vestitus inauratus, lapides pretiosi, ac margaritæ, poculumque plenum abominatione, & immunditia, cum qua fornicati sunt reges terræ.

Malitia hujus mulieris ex multis ostenditur.

20 Hæc mulier sicut anima peccatrix dicitur meretrix, omnibus enim satis notum est, in Republica, nihil vilius, & abjectius meretrice, inde meritò hoc nomine meretrix appellatur, quia anima peccans, abjectissima est. Alensis ait: *Peccatrix anima dicitur meretrix, propter vilitatem peccati.* Et hæc mulier non solùm dicitur meretrix, sed etiam magna meretrix, ut ait Albert. Magn. *Magna propter efficaciam decipiendi, & propter enormitatem prævaricationum, & propter multitudinem reproborum.*

Anima peccans abject. sima.

21 Meritò tamen dubitabis, quod maximè inquirit quæstio: Quomodo hæc mulier habitans in deserto dicitur meretrix? In desertum Angelus ducit Joannem ad eam videndam: *Abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem*; si mulier humanos declinavit aspectus, si in deserti latebris delitescit, quomodo meretrix dicitur, & ejus scortatio deprehenditur? Pudoris negotia curat, quæ humanos sollicitè declinat aspectus; quomodo ergo de hac expressè Joannes refert: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis?* Mulier semper otiosa sedet, purpura induitur, auro tegitur, pompatico, ac festivo cultu resplendet; quid ergo mirum si meretrix, ac prostituta habeatur? nam etsi desertum aliquale pudoris erat indicium, tamen pompatica, ac splendida vestis, sic desertum, ac solitariam vitam obscurat, ut prostitutionis fieret efficax, ac evidens argumentum; nulla etiam in deserto poterat esse pudicitiæ suspicio, ubi tam festivus, ac inauratus cultus luxuriantem animum indicabat. Tertull. de cultu fœmin. c. 12. ait: *Cùm prostitutæ appellationem à Domino meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est? Certè in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioso.* Quæris appellationis causam? habitum inspice; nam etsi scortatio in montium abditis peracta non sit, tamen purpura inaurata luxuriantem animum palam manifestabat: *Cum prostitutæ appellationem à Domino, mulier illa meruisset, quali habitu appellationi comparata est? Certè in purpura &c.*

Pomposus ornatus luxuriam animi detegit.

22 De dilecta anima cantat D. Sponsus Cant. 6. 3. *Pulchra es amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem*; & & cur confertur cum Jerusalem, quæ humili, ac aspero loco constructa erat, & non potiùs cum Babylonia, quæ civitas magnorum Imperatorum extiterat? cujus muri tanto artificio extructi exurgebant, ut inter Orbis miracula computarentur, & quæ etiam hìc à nostro Joan. tota splendenti auro, & purpura circumornata cernitur. Humilitas, ac asperitas Jerusalem fidei sinceritatem indicabat, nimius verò ornatus Babyloniæ luxuriam, ac turpitudinem animi propalabat, hinc suavitas, ac decor virtutum animæ sanctæ, non cum purpurata Babylonia, sed cum humili Jerusalem componitur. Petrus Damianus epistola 102. *Sicut Jerusalem*, ait, *non sicut Babylon, quam vidit Joannes ornatam purpura, & cocco, & inauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis*; *Babylonem sanè Diabolus, Jerusalem inhabitat Christus*; *ille luxuriantis amictus varietate reficitur, hic asperis, & humilibus.*

Inaurata vestis, index turpitudinis.

23 Admonet Paulus 1. ad Timoth. 2. nu. 9. *Similiter, & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se non in tortis criminibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod deceat mulieres promittentes pietatem*; quæ verba sic legit D. Cyprian. *Sed, quod deceat mulieres promittentes castitatem*; & cur juxta præceptum Apostoli non deceat mulieres promittentes castitatem vestis pretiosa & aurea? nihil enim in his vestibus apparet, undè castitas, aut mentis, aut corporis internoscatur. Eo ipso ergo quòd vestis per se non ferat castitatem, vix in habitu distinguitur virgo à meretricibus, vix creditur in animo esse castitatis virtutem, si externus cultus inauratus luxuriam indicat. D. Chrysost. in præsenti homil. 8. sic ait: *Hic habitus adulter est, atque adeò fœdus, ut meretrices, aut virgines ferè discernere nequeamus. Simplicem esse, neque accuratè compositam virginem decet, negligentiæque potiùs, quàm ejusmodi curæ notari: Quippe ejusmodi exterior ornatus ornamenta intima demonstrabit.*

Externa vestis castitatem mentis indicat.

24 Cùm populus Israel accederet ad montem Sinai, in quo Deus descendebat daturus legem, duo requiruntur ab Israelitis, ut Deo velint approximare, ut sanctificarentur, nempe, lavantes vestimenta sua; ait Deus ad Moysem, Exod. 19. num. 10. *Sanctifica illos hodie, & cras lavent vestimenta sua.* Per sanctificationem communiter intelligitur castitatis mundities, quæ tanta exigebatur, ut etiam à licitis uxorum amplexibus abstinerent; quod apertè indicat Moyses, dum sanctificationis disciplinam tradit ibidem n. 15. *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.* In eo consistebat omnimoda populi mundities, ut tanta esset illius castitas, ut etiam à licitis abstineret; & quando tanta corporis, & animi mun-

Ea castitas erat maximè Deo, quæ etiam in vestibus apparet.

dities commendabatur, ad quid necessarium erat addere: *Lavent vestimenta sua?* ad quid tanta vestium lotio, tantaque cura est de lavandis vestimentis? Meritò sanè tanta interna mundities petitur, ea enim castitas interna plurimæ æstimationis habetur apud Deum, quæ etiam in externis vestibus apparet, ac exprimitur. De Joanne Baptista eximiæ virginitatis cultore scribit D. Marcus cap. 1. num. 6. *Erat Joannes vestitus de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos ejus*; & cur Joannes tam austerum vestimentum de pilis camelorum confectum sibi habuit? Eleganter Aymon hom. 1. de Communi Confessorum, sic ait: *Castitatem quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat.*

QUÆSTIO III.

Quare hæc mulier cum purpura, & veste inaurata damnatur, cùm vile, & triste sagum ad mortem damnatis datur.

25 INvitat Angelus Joannem dicens: *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; executionem nempe divini decreti, quo hæc mulier punienda est, ut dixi in expositione, & hic est verus sensus. Aliter Glossa rem explicat: *Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; idest, causam damnationis malorum, qui sub hac muliere denotantur, qui relicto creatore suo fornicantur cum dæmone, idola colendo, terrena amando, & immunditiis serviendo.

26 Quæstio tota est: Quare hæc mulier purpura ornata, & inaurata auro, ac margaritis ad supplicium, ac sui damnationem ducitur: *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; cùm sagus, ac vilis habitus ad mortem damnatis detur? cùm vocaris ad videndam alicujus damnationem, maximè in primis spectas funebrem vestem, & tandem hominem damnatum sub sago tristi, seu cilicino, ut ex damnatorum habitu ostendatur imminens supplicium: ergo cùm Joannes vocatur ad damnationem meretricis magnæ videndam, quale sagum spectat, qualem præconem audit? Subdit text. *Abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, & mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso.* Mulier nobilitatis pompa ditatur, purpura vestitur, decore, ac regali apparatu fulget, & tamen inter hæc, illius lascivia publicatur, & meretrix dicitur: Ecce damnationis causa, & mortis præconium; nam sicut purpura nobilitatis est signum, ita luxuria damnationis index, mortisque præsagium est. Duos lascivos uno ictu interfecit Phinees, quorum nobilitas accuratè notatur in text. Num. 25. num. 14. *Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitides, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur, Principis nobilissimi*; non otiosè text. exprimit eorum nobilitatem, & quòd essent de primis Principibus, quia cùm essent tam nobiles, non poterant à gladio mortis fugere, sed ab ipso crudeliter apprendi. Petrus Damian. epist. 6. ad Nicolaum II. ait: *Ut doceret carnales illecebras in eminentioribus personis acriùs persequendas.*

Lascivia in nobilibus mortis index.

27 Secundò ecce vocatur Joannes ad videndam meretricis damnationem, & mulier proponitur auro, margaritis, & purpura composita; ad quid tantus splendor vestium cum damnatione? nonne damnatis luctuosa, ac vilis adaptatur vestis? Sanè nimius vestium cultus apud Deum maximè pertinet ad damnationem infligendam, ita ut dicat Rupert. in præsenti: *Viderat*, scil. Joannes, *jam meretricis habitum, qui si solus esset, ad damnationem ejus sufficere poterat.* Cùm in hac muliere tantum sit ornatus indicium, tantaque cura, in auratis, ac splendidis vestibus habendis, existimat Rupert. aliam jam damnationis causam, non esse investigandam; sufficiens damnationis testimonium profert, qui nimium luxum in vestibus ostendit: *Qui est solus esset, ad damnationis ejus causam sufficere poterat.*

Nimius vestium ornatus ad damnationem pertinet.

28 Ait Dominus Matth. 11. n. 8. *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt*; & qui tam splendidis ornamentis vestiuntur, in quorumnam Regum domibus habitant? Illorum nempe, qui sunt principes tenebrarum, ac si idem esse videatur pompatico nimis cultu componi, ac in domibus Satanæ habitationem constituere. D. Paulin. epistol. 4. sic ait: *Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; hoc est, principum aeris hujus, & nequitiæ spiritualis ducum, in quorum domibus, & regnis agunt, aut impietate duri, aut lascivie molles, quorum finis interitus, gloria in inferno, domus in sepulchro est.* Adeò deplorata creditur salus eorum, qui mollibus vestiuntur, ut jam in domo aerearum potestatum faciant suam mansionem.

Nimius cultus habitationem cum potestatibus aeris facit.

29 Postquam Israel peccaverat peccato grandi in adoratione vituli, curaturus Dominus populum suum, nil priùs mandat, quàm superbi ornatus depositionem; populo præcipit Dominus Exod. 33. nu. 5. *Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam quid faciam tibi*; expende illud: *Ut sciam quid faciam tibi*; quasi nesciat Dominus, ut aliqualiter dicam, viam salutis inferendæ homini illi, qui splendido ornatu indutus incedit; quod expendens Rupert. ait: *Quandiu peccator ornatus incedit, ideò, in peccatis suis superbit, quandiu pulchram cervicem erigit complacendo sibi, letabundus cùm malefecerit, quodammodo nescit Deus, quid faciat illi; nescit misericordia, quali aditu ad illum veniat, remota severitate judicii*; quid pulchrius? Tota Dei omnipotentia, quodammodo arctatur, & nostro dicendi modo, quasi videtur nescire, quid faciat homini, qui aureo ornatu fulget, & exultat in rebus pessimis. Valde miser, qui cùm multus in criminibus perpetrandis sit, & multùm pompaticè degit, inauratoque corporis cultu splendet; ad hunc *quasi nescit Dei misericordia, quali aditu veniat, remota severitate judicii.*

In superbo corporis ornatu vix est aditus ad salutē.

30 Testatur Zachar. 3. nu. 1. *Ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram Angelo Domini, ac Satan stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei; & dixit Dominus ad Satan: Increpat Dominus in te Satan, & increpat Dominus in te, qui elegit Jerusalem. Et Jesus erat indutus vestibus sordidis.* Jesus sacerdos adstat coram Angelo Domini, à quo habet tutelam, ac defensionem. Aliter tamen accidit Herodi Act. 12. n. 21. *Statuto autem die, Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem clamabat Dei voce, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, & consumptus à vermibus expiravit.* Compone modò Angelum cum Angelo, Angelum Jesu filii Josedech cum Angelo Herodis; ille patiebatur Satan adversarium, hic habebat populum acclamantem; ille defensus est ab Angelo, hic ab Angelo lethale vulnus accepit; & cur Jesus inter Satanæ impugnationes, invenit protectionem Angeli, Herodes autem inter acclamationes populares, iram Dei Angeli in se excitavit, qua percussus periit? Ea nunc mihi ratio: Humilis, ac sordida vestis fecit, quod Jesus protegeretur ab Angelo, & vestium splendor, pompaticusque regius cultus, hostilem iram Angeli ad mortem inferendam provocavit. In humili cultu locus est ad misericordiam, in superbo autem, ac nitido fastu nullus. Petrus Damian. lib. 6. epist. 14. *Herodes dum indutus veste regia, conspicuus cernitur, dum ei Dei voces habere, & non hominis acclamatur, protinus ab Angelo ferienter percutitur; sic nimirum divino dignus est judicio dejici, qui coram oculis hominum de nitore cultioris habitus ambit, arroganterque extollitur, non levis quippe languor est animæ de superstitioso corporalis amictus nitore gaudere, gratiam siquidem S. Spiritus, in qua delectetur, excludit, qui semper exterioris ornatus desiderium spargit*; ex quo meritò dicit D. Cyprian. lib. de habitu Virg. *Serico, & purpura indutæ, Christum induere non possunt.*

Nimius ornatus gladium provocat.

QUÆSTIO IV.

Quare purpurata meretrix, non alio in loco constituit suam sedem, nisi tantùm super aquas multas.

31 HAs multas aquas, super quas hæc mulier sedet, multos populos significare certum est; sic istas aquas ipsemet Angelus interpretatur infra num. 15.

Aquæ,

Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes & linguæ; & rectè quidem, quia populi instar aquæ dilabuntur, & sibi invicem succedunt. Ansbertus verò, per has aquas intelligit reprobos, quia in eis maximè lascivia meretrix dominatur, & sic ait: *Quia fornicatio in reprobos principaliter jus potestatis exercet, rectè super aquas multas meretrix sedet.*

Lascivia in reprobis dominatur.

32 Ex quo aliqui rectè inferunt, quòd hæc mulier non tantùm significat iniquitatem abstractè, sed etiam concretè, prout involuit hunc, & illum populum, hanc & illam civitatem, undè hìc alludere videtur ad veterem, ut ait Cornelius, Babylonis situm, ipsa enim Babylon sita erat in confluxu Tigris, & Euphratis, veluti utriusque domina, ut etiam modò multæ sunt urbes maritimæ, ut Tyrus, Ulyssipo, quæ tanquam dominæ maris habentur.

33 Et jam moraliter: Rectè quidem hæc meretrix non recumbit in lectulo, nec sedet in throno ex auro contexto; sed cur super aquas? Quia aptè meretrices aquis denotantur, aquisque gaudent, eisque comparantur, quia ad modum fluvii rapidè feruntur, & amatorum suorum fortunas secum rapiunt; ad quod respiciens D. Hieronym. epist. 2. ad Gaudentium, de meretrice, ait: *Bibat de fontibus suis, & non quærat cisternas dissipatas, quæ purissimas aquas pudicitiæ continere non valent.*

Meretrix aquis assimilatur.

34 Bene meretrix sedet super aquas. Olim in usu positum erat, ut lascivi statim à meretricis amplexu currerent ad aquas, ut in his abluerentur, tanquam enim viri immundi reputabantur: maximè notandum, quod cum alia delicta perpetrarent, ad balnea non ibant, ut in eis sordes mundarent; sed cur tantùm post lascivos amplexus, ad aquas tanquam impuri convolabant? Ut tali ritu innueretur luxuriam super omnia vitia fœditatem, ac turpitudinem importare; quod rectè admonet D. Chrysostomus in epist. 1. ad Corinth. cap. 6. homil. 18. & ait: *Avaritia quidem, fraude, & rapina, non curat quisque ire ad balneum, sed citra ullum discrimen redit domum, à concubitu autem cum meretrice, tanquam totus effectus immundus, venit ad balneum: ita turpiorem quandam existimationem ex hoc peccato habet conscientia.* Dicam etiam, quod ita major est luxuriæ fœditas, & ita altiùs inhæret, ut hujusmodi aquis nequeat abstergi.

Luxuria super cætera vitia maculat.

35 Tertiò sedet super aquas multas. Meritò voluptates aquis denotantur, non solùm, quia citò fluunt, sed etiam quia incautos suis fluctibus submergunt. Ita de luxuriæ fluctibus loquitur Theophylus Alexandrinus epist. 2. *Omni voluptate calcata, & compressis luxuriæ fluctibus, qui adversùs nos crebriùs intumescunt, cœlestibus misceamur choris, ut etiam nunc illuc mente translati, & augustiora videntes loca, simus, quod futuri sumus.*

Voluptates nos submergunt.

36 Quartò sedet mulier super aquas, quæ significant concupiscentias, & temporalia bona, quæ citò fluunt, & labuntur. Rupertus lib. 12. in Apocalypsim ait: *Sedet hæc meretrix super aquas multas, quæ defluunt ab ortu suo usque ad mortis occasum, & nunquam ad certum locum, in quo consolidentur, & sistant, perveniunt.* O terribilis, & maximè damnanda hominum mens, ac cogitatio, quæ in rebus inconstantibus, ac mobilibus velit invenire constantiam; sic enim pro illis anhelatur, ac anxiatur, tanquam si in illis habeat diu permanere.

Hominis amentia in mundanis vult requiem.

37 Datur in pœnam Cain: *Vagus, & profugus eris super terram*, Genes. 4. num. 12. condemnatur ut perpetuò sit vagus, nullumque habeat locum ad requiem, nec die, nec nocte, & tamen de eo testatur text. num. 17. *Ædificavit civitatem.* Ecce humana amentia; condemnatur Cain ad perpetuum, ut in nullo loco valeat sedem figere, nec in eo diu stare, & tamen civitatem ædificat, ac si in ea habeat per multos annos, per multa sæcula permanere, cui etiam per spatium unius diei, hoc est denegatum. Rupertus lib. 1. in Genes. cap. 20. *Vagus, & profugus super terram erat, idcircò civitatem, qua tueretur, ædificat; Caino etiam pro uno integro die non datur locus.* Ex quo debebat ipse omne ædificium, ac habitaculum contemnere, & tamen inde ipse movetur ad civitatem extruendam: *Vagus, ac profugus super terram erat, idcircò civitatem, qua tueretur ædificat.*

Cain ita amens cum sit vagus ex Domini sententia civitatem ædificat.

Quintò compone modò hanc mulierem blandè super aquas cum Petro intrepido gressu undas premente! *Ambulabat super aquas ut veniret ad Christum*, Matth. 14. num. 29. mulier miserabiliter facit naufragium, Petrus verò, mirabili sæculi prodigio fulget; cur ergo mulier aquis demergitur, cùm Petrus calcans undas ad portum appellat? Mulier in aquis temporalia denotantibus plausibiliter quiescere, ac delectari volebat, Petrus verò vortices marinos calcat, ac pedibus conterit; mulier sæculi voluptates amans miserabili naufragio demergitur, Petrus verò fluctus despiciens temporales conculcat, & inde securus ad portum venit, indeque Petro in aquis est iter, mulieri verò naufragium. Opportunè D. Augustinus apud D. Thom. ait: *Unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? ambulas super mare, sub pedibus est sæculi timor; amas sæculum? absorbet te.* 38

Amor Dei elevat, amor sæculi demergit.

Ascendit Elias radiantibus luminibus currum, & fertur in cœlum: *Ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrunque, & ascendit Elias per turbinem in cœlum*, 4. Reg. 2. num. 12. ascendit & Pharao currum, & mergitur in profundo: *Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare*, Exod. 15. num. 4. & etiam dicitur: *Subvertit rotas curruum, & ferebantur in profundum*, Exod. 14. num. 25. curru Elias attollitur ad sydera, curru & Pharao ad ima detruditur, undè tanta differentia? In causa est diversus curruum usus; Elias quadrigam ascendit, ut pro justis contra inimicos Dei pugnaret, ac ut pro veritate contra falsitates decertaret: *Currus Israel, & auriga ejus*; seu, ut est in Hebræo: *Militia ejus*; explicat Lyra: *Et militia ejus, ideſt, potentior ad defensionem Israel, quàm militia in curribus bellicis*; at Pharao ut injustus prædator, currum ascendit, ut pro iniquitate contra electos Dei debellaret, ut rapinis incumbens omnem veritatem, ac justitiæ jus diriperet, de eo enim subdit text. *Dixit inimicus persequar, & comprehendam, dividam spolia, & implebitur anima mea; evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea*, Exodus 19. num. 9. 39

Justitia elevat, iniquitas demergit.

Sextò: *Sedet super aquas multas.* Ubi multæ sunt adversitates, quot enim tempestates mari in magno debacchantur, tot mulier labores sustinet, ut suis perfruatur deliciis. Sedet super aquas multas, quæ voluptates significant: si enim tales priùs favo mulcent, statim tamen sale pungunt, labore tundunt, ac dolore premunt. Verè quicunque libidinari conatur, terra, marique laborat, amoris impatiens, neque enim parvo constat voluptas, sed multis, magnisque emitur laboribus, ac doloribus. Pingit Poeta amorem jaculis obarmatum, & pulchrè sanè; quod eleganter observat D. Zeno martyr, sermone de fide, & ait: *Quia illicitis ardoribus semper injunctus est gladius.* Quot lites serit adulter! quot rixas alit amasius! quot tumultus edit cupido! Nec tantus debacchandi amor est, nisi quòd amasius suam colit, & alit Venerem: *Quia illicitis ardoribus semper injunctus est gladius.* 40

Voluptas multis laboribus plena.

Recenset Paulus, quæ ab amore insano enascantur scelera ad Galat. 5. num. 19. & ait: *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria;* & statim adjungit: *Veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, &c.* & hæc ab amore improbo proveniunt veneficia, quæ homines dementant, & absque mente vagari impellunt multis inimicitiis, & contentionibus, quibus amasius rixari iratus contendit, ut suam libidinem explere valeat, ut insinuat Apostolus, & optimè Anselm. interpretatur: *Ex his, ideſt, omnibus apparet, quàm magnum sit vitium fornicatio, de quo tot partes prodeant*; & ideò cum immunditia, impudicitia, luxuria, intimè adjunguntur veneficia, inimicitiæ, contentiones, & rixæ; intimo fœdere connectuntur hæc omnia. 41

Voluptas amentiam, ac rixas secum adducit.

Imò, si rectè res expendatur, quid percipitur ex vitio, ac peccato nisi tantùm labor ac angustia? Caimo in pœnam sui delicti dicitur: *Maledictus eris super terram*, 42

terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua; cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos, Genes. 4. num. 11. ecce quid parit peccatum, ut multo sudore terram præcidat, & tamen inde nullos fructus percipiat; quid ergo inde habebit, nisi tantùm laborem? Terra suos proventus ingratissimo denegabat, & tamen cupiditas, ut terram, labore improbo excoleret imprudentissimum compellebat: itaque nec laborem solabatur fructus, nec otium permiserat appetitus. Cajetanus ibi ait: *Ecce primum fructum, ex quo constat maledictio, quod videlicet terra non respondebit secundùm vim suam fructificando Cain colenti terram, quæ non parva pœna est agricolæ*; vide supra c. 12. q. 76. n. 636. & seqq.

Apoc. 17. nu. 2. Cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus.

VERSIONES.

Syriacus. Cum qua scortati sunt, & inebriati sunt, qui habitant in terra è vino scortationis ejus.

Arabicus. E cujus vino scortationis inebriati sunt incolæ terræ.

Pagninus. De vino fornicationis ejus.

EXPOSITIO.

43 *Cum qua fornicati sunt Reges terræ.* Scilicet, qui principem locum inter alios tenent, & alios regere debent, ad quorum exemplum totus componitur Orbis; subditos in vitiis suis conformes fecerunt, fornicatique sunt, quando recedentes à vero Dei cultu, cum Babylonia, ac conventu malorum, eorum acceperunt idololatriam, malasque leges, ac depravatos mores, ut sanctos persequerentur. *Et inebriati sunt, qui habitant terram*; hoc est, homines terreni, tanquam ebrii vana magnitudine, sæculari dulcedine, ac voluptate, atque gloria, exorbitantes à recta ratione, ac sanis consiliis, sine intellectu insania furentes, magnoque ebrietatis pondere præcipites ruunt. Et non ait, habitant terram, sed, *inhabitabant*; est enim discrimen inter unum verbum, & aliud, nam habitare est justorum, dicitque tantùm, ac solummodo esse in aliquo loco, at inhabitare est justorum, dicitque tantùm, ac solummodo esse in aliquo loco, at inhabitare est iniquorum, & dicit moram in loco cum affectu, ac amore inhæsionis. In hanc cogitationem me ducit Divus Thomas, dicens: *Sancti non habitant terram, sed transeunt per contemptum*; ac proinde per inhabitantes terram, intelligit homines terrenos, terreniseque deditos.

Justi habitant terram, non inhabitant.

44 *De vino prostitutionis ejus.* Hoc vinum sunt opes, honores, dignitates, lucra, voluptates, quibus homines implicantur. Et non dicit vinum fornicationis, sed *prostitutionis ejus*; quia fornicatio sæpè fit occultè, ac in tenebris, at prostitutio dicit manifestationem, ac publicationem, ut denotaretur, quòd terreni ita à vitiis sunt inebriati, ut in omnem impudicitiam, ac inverecundiam sese ingurgitent. Favet D. Thom. *Vinum dicitur prostitutionis, in quantum publicè, sive manifestè, quasi meretrix se prostituens.*

Peccata publica gravissima.

QUÆSTIO V.

Quare primi omnium dicuntur fornicare cum hac meretrice Reges terræ.

45 Dicuntur fornicare Reges terræ, ac illius inhabitantes, & tamen primi omnium ponuntur Reges terræ, & statim in fronte eorum crimen affigitur. *Cum qua fornicati sunt.* Preme verbum; non ait fornicantur de præsenti, sed fornicati sunt de præterito, quia deliciæ, ac voluptates hujus sæculi, sic breviter transeunt, ut nunquam habeantur in præsenti, sed semper in præterito considerentur: vide sup. c. 14. q. 21. n. 192. & seq. & c. 16. q. 18. n. 130.

Delicia hujus sæculi breves transeunt.

Ad quæstionem: Primi omnium ponuntur Reges terræ, tanquam causa omnium malorum, quorum exemplum, ad malum secuti sunt inferiores, ut ponderat Haymon, & ait: *Per Reges, Principes mali intelliguntur; per inhabitantes terram, subjecti eorum, qui inebriantur vino fornicationis, hoc est, omnibus peccatis replentur, & Reges malorum sunt auctores; per inhabitantes terram, imitatores eorum capiuntur.* 46

Subditi Regum exempla sequuntur.

Secundò primi ponuntur Reges terræ, quo eorum impietas, ac nequitia maximè notatur, quia mali, quò sunt potentiores, eo pejores, & primi in quælibet scelera rapiuntur. Richard. Victor. patrocinatur dicens: *Ad literam intelliguntur Reges terræ, quia mali quique, quantò sunt potestate fortiores, tantò sunt malitia deteriores, & inde specialiùs cæteris, in descriptione nequitiæ merentur nominari; quò sceleftiùs aliis noscuntur contaminari.* 47

Mali quantò potentiores, tanto pejores.

Tertiò ecce in limine ponitur peccatum Regum, & secundò peccatum inhabitantium terram; & cur primò peccatum Regum, & dum de eorum crimine agitur, Reges nominantur? Ut eorum crimen magis execrabile appareat, & magis præ oculis omnium esse ostendatur, quia quo quis aliis dignitate superior est, eò gravius est ejus peccatum, & magis abominabile habetur. Richard. Victor. sic ait: *Inde specialiùs in descriptione merentur nominari, quòd sceleftiùs aliis noscuntur contaminari. Regibus peccantibus, ac fornicantibus, quodammodo fit supra modum peccatum, cùm videlicet illi, qui alios regere debuerunt, semetipsos sceleribus fœdare student.* Expende illa: *Quòd sceleftiùs aliis noscuntur contaminari*; ut enim fœda, & sceleratiora sunt Regum peccata, sic & majora omnibus aliis. 48

Superiorum peccatum gravius.

Clamat Oseas 5. num. 1. *Audite hoc sacerdotes, attendite domus Israel, & domus Regis auscultate, quia vobis judicium est*; & quando universus Israel reus denuntiabatur, cur necessarium fuit Reges, & sacerdotes exprimere? cur non magis hi prætermittuntur, ac sub ratione communi populi Israelis intelliguntur? Quia sceleratiores erant in crimine, & quia etiam eorum peccata maximè in omnium oculis posita erant, ideo specialiùs, & expressiùs fuerunt notanda. Ruffinus ibi ait: *Illud est, quod in sacerdotibus, & Regibus accusat, quia cùm eum locum essent de gente sortiti, ut ageret non minus honestè, ac religione, quàm potestate, ac dignitate reverendi, atque ad id, quod rectum erat, tam sermone, quàm exemplo debuerint subditos excitare; illi verò è contra, vel conciliationem criminibus præbuere, vel formam, idque solùm de fastigio priore retinentes, ut procul, quæ fecerunt apparerent.* Expende illud: *Idque solùm de fastigio priore retinentes*; quia sacerdotes, ac Reges, dum in peccatis submerguntur, id solùm ex regali fastigio retinent, ut eorum scelera maximè cunctis pateant, ac sint in omnium oculis. 49

Regum, ac Sacerdotum peccata gravissima, ac in omnium oculis.

Cùm Nathan argueret Davidem de adulterio Bethsabeæ, & de homicidio Uriæ, cumque ipse pœniteret de suo peccato, & inde à Deo esset dimissum, dixit ei Nathan: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc*, 2. Reg. 12. n. 14. Peccatum Davidis fuit in causa, ut inimici Domini, nempe Philisthæi, ac Ammonitæ blasphemarent nomen Dei; ex quo rectè colligunt Div. Hieronym. Procop. Interlineal. Lyran. Abulens. ibi quæst. 3. quòd peccatum Davidis fuit maximè publicatum apud exteras nationes, ita ut testetur citat. Abulensis, quòd in commune proverbium abiret; sed quomodo hoc peccatum tam manifestè divulgatum est, cum maximè factum fuisset in secreto, ac occulto? ut ipsemet Nathan dixit Davidi: *Tu fecisti absconditè*, ibid. num. 12. si ita absconditè commissum est peccatum, quomodo ita propalatum? Regis delictum, quamvis maximè in secreto, & abdito fiat, tamen maximè divulgatur non solùm in uno loco, in una civitate, in uno regno, sed etiam in omnibus regnis, ac Mundi partibus; sic ait Sanchez ad illa verba: *Quoniam blasphemare fecisti Regum peccata, neque celari possunt, neque angustis finibus contineri*; ita hoc Regis peccatum grave, & abominabile visum est apud gentes, ut non solùm loquerentur contra Deum, quod elegisset, 50

Regis peccatum valde publicum, & abominabile.

ac con-

ac constituisset Davidem in Regem repudiato Saule, sed etiam ejus sanctissimum nomen blasphemarent, quod est suprema, & maxima contumelia, ut notat Salvianus lib.4. de Gubernatione Dei, ad finem, & ait: *Tale peccatum est supra humani criminis mensuram, quia per convitia plurimorum inæstimabilem Deo facit injuriam*: vide supra cap.12.qu.65. n.541. & seqq.

QUÆSTIO IV.

Quare potantes de vino hujus meretricis dicuntur ebrii.

51 NOn solùm inhabitantes terram, seu terreni homines dicuntur potare de vino hujus meretricis, sed etiam ab illo inebriari; qui enim terrena plusquam divina diligunt, facilè in quaslibet lascivias, ac turpia crimina labuntur, ita ut nullum fœdum vitium exhorrescant; sic & ebrius, qui à nullo præcipiti, ac immundo loco refugit. Richardus Victorinus sic ait: *Quemadmodum ebrii, nihil pensant pondus mali, quod operantur, ita ipsi excæcantur, dum immoderatè terrenis inhærent, ut nec Deum diligant, nec deinde pœnas metuant.*

Vitiosi in quælibet peccata facilè ruunt.

52 Non solùm ait Angelus, quod inhabitantes terram inebriati sunt, sed addit de vino prostitutionis ejus, seu scortationis ejus. Ecce simul uniuntur vinum, & scortatio, seu fornicatio; non mirum, quòd hæc duo simul connectantur, vinum, scilicet & libido, quia illius usus intemperatus ad magnam libidinem provocat; quod ad hanc rem rectè ponderat Alcuinus ad illa verba Genes.9. numero 21. *Noe bibens vinum inebriatus est, & nudatus est in tabernaculo suo*; ubi sic ait citatus Alcuinus: *Cur nudatio fœmorum post ebrietatem secuta est? Quia sæpiùs satietatem libido subsequitur.* Facilè à potu immodico ad luxuriam fit transitus, indeque ebrietatem materiam, ac matrem luxuriæ esse indicavit Apostolus Roman.13.nu. 13. *Non in comessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, ac impudicitiis.* Aptus quidem modus, & mysterio plenus; post ebrietatem apponitur impudicitia, tanquam filia ab illa pronata, ut bene notat Primasius in eadem Epistola, & ait: *Sequitur ebrietatem impudicitia, ebrietas enim materia est luxuriæ.*

Vini usus libidinem generat.

53 Tertiò si meretricis methaphoram servat Evangelista, quæ omnibus ad fornicandum prostituta est, cur non dixit, quòd cum illa fornicati sunt inhabitantes terram, sed ait: *Inebriati sunt vino prostitutionis?* Per inebriationem deperditur mens & ratio; dicit ergo eos ebrios, ut doceret verè ebrios, ac proinde mente captos esse qui idola sequuntur, cùm scriptum sit: *Similes illis fiant, qui faciunt ea.* Divus Basilius Magnus: *Quid aliud sunt ebriosi, quàm idola gentium? Oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt, manus resolutæ sunt, pedes mortificati sunt.*

Idolis servientes ebrii sunt.

54 Quarto hæc mulier valde iniqua, depravata, ac crudelis introducitur, ita ut in eam inflictæ sint omnes pœnæ, omniaque vasa iræ Dei, ut patebit ex consequenti, ut notant Alcazar, Cornelius, & alii; & in hoc maximè ejus crudelitas, ac iniquitas ostenditur, quia non solùm Reges terræ in omnem turpitudinem traxit: *Cum qua fornicati sunt Reges terræ*; sed etiam eorum offuscavit intellectum. *Inebriati sunt*; & quæ major mulieris crudelitas, ac malitia, quæ Mundi principes, non solùm omni vitio, ac nequitia fordescere fecit, & à suis divitiis, ac bonis spiritualibus spoliavit, sed etiam in eis usum intellectus ejusque discursum impedivit, ne suam extremam calamitatem perciperent, ac intelligerent? & nulla sanè major miseria, quàm ipsa intellectus cæcitas. Div. Ambrosius hic: *Ebrietas verò malitia est Babylonis; quia sicut ebrius tandiu impletur vino usque dum à sua mente alienus efficitur, ita & reprobi, tandiu omni malitia semetipsos replent, usque dum à mente sua alieni effecti, timorem Dei, omnemque bonitatem, à semetipsis abjectant.*

In peccatore summa miseria & mentis cæcitas.

55 Deplorans Isaias capite 28. numero 7. in quantam malitiam, ac ignorantiam sacerdotes, & principes delapsi sunt, ait: *Hi quoque præ vino nescierunt, præ ebrietate erraverunt; sacerdos, & Propheta nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate.* Considera quoties nesciendi, ac errandi verba replicantur, ut extrema quædam ignorantia significetur; considera etiam, quoties vini, & ebrietatis verba repetantur, & ideo hac phrasi utitur, quia sicut ebrietas à vino non ex conditione innata provenit, sed ex propria hominis voluntate, maximè se ingurgitante in potu, ita hæc cæcitas mentis, non innata, sed affectata denotatur, neque enim ex cœli, terræve conditionibus, crassioribus, aut pinguioribus qualitatibus orta est, sed tantùm ex nostra malitia, ac immodico nostro appetitu, omnem vim rationis obcæcante, ac opprimente. Divus Chrysostomus homilia 11. in 1. ad Corinthios ait: *Quando ab impudica libidine capta fuerit anima, sicut nubes, & caligo corporis oculos obcæcat; ita illa eripit vim prospiciendi, & facultatem, nihil sinit videre ulterius, non præcipitium, non gehennam, non timorem.*

Multiplex peccatorū cæcitas, & maximè affectata.

56 Loquens Job. cap. 3. n. 4. de tempore, in quo sub peccati debito conceptus est, ait: *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine; obscurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo.* Maximè hìc expendendum, quot tenebrarum species congerat Job, quibus offenditur, ac circumcingitur dies peccati. Ecce tenebras, carentiam luminis, & umbram mortis, & caliginem advocat, ut tot obscuritatum nominibus ostendat obtenebrositatem, ac cæcitatem peccati, quæ tanta est, ut uno nomine, una phrasi, ac methodo non valeat explicari, & ideo ad eam declarandam multa vocabula fuerunt congerenda, ut ex tot, ac tantis deprehendas, quantam tenebrositatem peccatum secum involvat, ut inde maximè homines attendant, quanto conatu ab illa debeant effugere. Severianus in Catena Græca ait: *Illud ad hanc sententiam Jobi pertinet, ut peccatum, per seipsum quale sit, nempe omni privatum luce, ab hominibus cognoscatur, ne aut insimulatam virtutem in se inducat, aut specie quadam lucis rudioribus animis fucum faciat, sed quò cæca ejus perspecta caligine volare facilè possit.*

Peccatum tenebrosū cæcitatem generat.

57 Cùm ob ablatam vineam Naboth multa mala prædixisset Elias Achab, ipse multo timore percussus est; ait text.3. Reg.21.numero 27. *Itaque cùm audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, & jejunavit, & dormivit in sacco*; postea verò cum audisset Achab instare jam mortem suam, & exitum suum cum magna jactura populi, ac perditione exercitus sui, nullo timore corripitur, sed cum multa audacia pergit ad bellum: *Ascendit itaque Rex Israel, & Josaphat rex Juda in Ramoth Galaad* 13. Regum 22. numero 21. & cur, qui tam vehementer contremuit in sermone Eliæ, nil facit audito verbo à Michæa denunciante mortem, sed illo contempto aggreditur rem sibi adeo infelicem? Cùm audit verba Eliæ timuit, & ad pœnitentiam confugit, & pronunciata mala declinavit ut Deus Eliæ dixit: *Quia humiliatus est Achab mei causa, non inducam malum in diebus ejus*, citato cap.21. numero 29. at cùm Achab accepisset verba Michææ obduratus perstitit in suis peccatis, nullo pœnitentiæ lavacro adhibito, & ideò sic ab illis obcæcatus est, ut evidens, ac eminens periculum non timeret, nec præcaveret, sed præceps in illud rueret, & hoc frequenter peccata in hominibus pariunt. Salvian. lib.6. de Guber. suæ patriæ calamitatem tractans ait: *Ita cunctos crimina cæcant, ut nec metuant periculum suum. Prænoscebatur captivitas, nec formidabatur, ablatus quippe erat à peccatoribus timor, ne posset esse cautela. Itaque barbaris in conspectu omnium positis, nullus metus erat hominum. Tanta animorum, vel potiùs peccatorum cæcitas fuit, ut cùm absque dubio nullus perire vellet, nullus tamen id ageret, ne periret.* Achab dum confugit ad pœnitentiam illuminatur, & in diebus suis evitat periculum, dum vero in peccatis obduratus perstitit, inevitabiliter in illud ruit.

Pœnitentia illuminat, peccata verò cæcant homines.

Apoc.17. n.3. Et abstulit me in spiritu in desertum; & vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ habentem capita septem, & cornua decem.

VER.

VERSIONES.

Arabicus. Itaque abduxit me spiritu; & ecce mulier insidens bestiæ rubræ, plenæ nominibus infidelitatis.

D. August. Tulit me in spiritu in eremum, & vidi mulierem sedentem super bestiam pretiosè ornatam.

Syriacus. Vidi mulierem sedentem super animal dentis rubrum, plenum nominibus convitii.

Vatabl. Abstulit me spiritus, &c. Plena m nominibus maledicentiæ.

Pagnin. Plenam nominis blasphemiæ.

EXPOSITIO.

58 ET *abstulit me in spiritu*; mentali nempe raptu, in desertum, seu eremum, ut ab omni re, ac tumultu abstractus, altiùs, ac attentiùs viderem, ac contemplarer. *Mulierem*; nempe mundanam malitiam, ac perversitatem, secundùm suam politicam rationem, politicumque statum. *Sedentem super bestiam.* Quænam sit hæc bestia, diversa sunt auctorum placita, de quo quæst. 9. Mihi probabilius, quòd sit ipsa tyrannica potestas, quæ in septem imperiis maximè significata, ac demonstrata est. *Sedentem*; quia humana malitia, ac perversitas secundùm suam politicam rationem, maximè sedet, ac dominatur, in tali tyrannica potestate, quia talis nec Deum, nec homines timet, pro augmento, & conservatione sui status.

Politicus status multas perversitates machinatur.

59 *Coccineam*. Bestia dicitur coccinea, vel propter crudelitatem, & sanguinem effundendum, vel propter superbiam, seu delicias, purpureus enim color, symbolum est superbiæ, vel delitiarum; Nahum. 2. num. 3. *Viri, exercitus in coccineis*; 2. Reg. 1. num. 24. *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos in coccino, in deliciis*. Sequitur text. *Plenam nominibus blasphemiæ*; quia humana, & tyrannica potestas multas blesphemias, ob suam politicam rationem, ac sui status conservationem coniicit in Deum, & in sanctos, ac alios homines. *Habentem capita septem, & cornua decem*; quorum significatio infra explicabitur, vers. 9. & 12.

Politicus status blasphemias machinatur.

QUÆSTIO VIII.

Quare hæc mulier tanto apparatu adornata habitat in deserto, ad quod ducitur Joannes ad eam contemplandam.

60 ALt noster Evangelista, quòd Angelus eum spiritu abstulit in desertum ad contemplandam hanc mulierem. In limine quæstionis quærunt interpretes, quid hìc per desertum intelligatur. Alcazar existimat per desertum denotari gentilitatem, cujus caput erat Roma; & gentilitas frequenter in Scriptura desertum, seu solitudo appellatur. Secundò Ribeira, Cornelius dicunt, quod his verbis significatur Babyloniam seu Romam post supplicium in magnam solitudinem esse convertendam.

Quid sit hoc desertum.

61 Tertiò D. Ambros. ait: *Per desertum omnis impiorum multitudo designatur, eo quòd ipsi deseruerunt Deum, & ideo derelicti sunt à Deo.* Desertum est illud, à quo viri absunt, ac proinde ob multitudinem iniquorum, significatur Mundum esse quoddam desertum divinæ gratiæ, ac hominum justè, & sanctè viventium; in hoc sensu ait Jeremias 4. numero 23. *Aspexit terram; & ecce vacua erat*; & statim numero 25. subdit: *Intuitus sum, & non erat homo*. Thren. 1. numero 1. dicitur: *Quomodo sedet sola civitas plena populo*; si plena populo, quomodo sola? Quamvis esset plena multitudine, sola tamen, & deserta erat ab hominibus, debitè, ac juxta rationem operantibus, undè est illud Diogenis, in media diei luce cum lumine incedentis, qui dicebat, *se quærere hominem, & non invenire.*

Impii quasi deserta, & non homines.

62 Quarto Joannes ad contemplandam Mundi gloriam, seu amplissimam civitatem, nempe Romam, ad quid necessarium fuit ut in desertum spiritu raperetur? ut denotaretur viro spirituali & justo, Joanni scilicet, omnem Mundi pompam esse instar deserti; illam innumeram ethnicorum Romæ agentium turbam eximiamque urbis structuram, Palatiorum, ac templorum manificentiam, senatus splendorem, ac cætera omnia viro sancto, ac justo, veluti instar deserti, ac solitudinis reputari; in illis omnibus nihil aliud est, nisi tantùm vanitas, ac inanitas, undè de Mundi rebus loquens D. Gregorius, lib. 5. exposit. in 1. Regum, ait: *Quidquid in hoc sæculo lætum, delectabile, sublime, aut prosperum cernitur, vanum profectò est, quia difficile habetur, & citò amittitur.* Repentè quidem sæculi magnalia corruunt, pulchra transeunt, læta, & prospera evanescunt: vide supra c. 14. q. 21. n. 192. & seqq. & cap. 16. q. 18. n. 130.

Viro spirituali mundus cũ suis delectationibus desertum.

Quinta & ultima interpretatio, & mihi verior; dicitur Joannes duci in desertum, ut tanquam ab omnibus rebus separatus, & abstractus, altiùs, & profundiùs valeat hanc magnam visionem considerare, ac contemplari, & ideò non solùm dicitur duci in desertum, sed etiam *spiritu*, tanquam ab omni affectu carnis, ac Mundi denudatus, ad magis indagandam sublimitatem hujus visionis. Rupertus ait: *Quia profectò quisquis hujusmodi quærit solitudinem, non carne, sed spiritu ducitur*: vide supra c. 12. quæst. 75. n. 628. & qu. 77. n. 642. 63

Separetur animus à terrenis, ut alta penetret.

Tandem ad moralem thesim, mulier erat in deserto, ad quod ducitur Joannes; res sanè alta indagine digna, quòd mulier tam pompatico ornatu fulgens: *Erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, lapide pretioso, & margaritis*; habitaret in deserto; si inter frequentissimas civitates degeret, non mirum, sed quòd per deserta incederet, magnum nobis præstat dubium; desertum enim quid valde asperum pane, ac fructibus caret, expers etiam aquarum est, nihilque ad vitam alendam profert, nec etiam habitaculum in quo requiescas, invenitur, ita incultum & inhabile est, undè dixit Hugo ad cap. 12. Apocalyps. *Solitudo excludit tumultum Mundi, non verò res*; *desertum verò utrunque*; si ergo desertum omnia excludit quæ ad recreationem, ac sustentationem humanæ vitæ conducunt, quomodo cùm mulier tam pretiosa veste inaurata fulgeat, per sterilem locum incedit? Maximè in hoc mulieris ingenium describitur, quod ipsa nempe non curat de pane, cibo, ac potu, nec de domo ad habitandum, sed tantùm de vestitu, ac ornatu; fulgeat mulier splendido cultu, libenter cum patientia sustinebit famis tormento vexari; componatur exteriùs splendida pompa, ut pulchra, ac elegans appareat, esto interiùs jejuna degat, tanquam in sterili deserto sine panis buccella, ac tenui alimento, & tunc grato erit animo. O quot duram sustinent famem, ut pompaticam induant vestem! Lugens David mortem Saul, dicebat: *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro*, 2. Reg. 1. numer. 20. non ad planctum invitat, quia dabat illis cibum, ac panem, sed quia dabat eis splendidum cultum, mulieri enim gratior, ac charior est pretiosa vestis, quàm panis ad alimentum. 64

Sustinet mulier veris famẽ dum exterius fulgeat veste.

Ait Isaias, cap. 3. num. 6. *Apprehendet vir fratrem suum, domesticum patris sui, vestimentum tibi est, princeps esto noster*. Sermo est ad literam de ruina, ac extrema devastatione populi Israel, ac totius Jerusalem, in qua omnes carebant pane, cibo, potu, ac vestitu, omnibus ad vitam necessariis, indeque in subsidium tantorum malorum de principe eligendo curabant; & quid primò, & ante omnia in eo quærebant? *Vestimentum tibi est*; non sunt solliciti de pane, ac alimonia, quæ sunt simpliciter necessaria ad vitam, sed tantùm de vestimento. Plus sæpè æstimat humana conditio splendidam vestem, quàm panem, ac alimoniam, ac ea quæ sunt requisita ad vitæ sustentationem, ac illius conservationem. Interlineal. Hugo, & alii: *Vestimentum tibi est, ideo princeps esto noster*. Expende illud, *ideo*; non quia tibi est panis, & alimonia, sed quia vestimentum. 65

Homines magis solliciti de splendida veste quam de pane.

Cùm

66 Cùm Jacob haberet sibi præparatum quoddam pulmentum ad cœnam, advenisset que ex agro valde fatigatus Esau, partem pulmenti à fratre postulat; cui ait Jacob magnis mysteriis repletus: *Vende mihi primogenita tua*, Genes. 25. numero 31. acquievit Esau dictis, datque Jacob suam pulmenti cœnam, pro accepta primogenitura, quæ inter cætera secum involvebat quoddam vestimenti genus, ut ad citatum cap. 25. notat Hugo, & ait: *Constituisti jus primogenituræ in quinque; in veste speciali, qua induebatur primogenitus*, &c. Et hoc apertè indicat Scriptura, nam ut Jacob sibi præriperet benedictionem primogeniti Esau, hujus vestibus induit eum mater sua Rebecca: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum*, Genes. 27. num. 15. itaque Jacob paratam sibi cœnam vendidit pro comparanda splendida primogeniti veste. In tam sacris, ac mysteriosis actionibus, aliquale vestigium, ac delineamentum morale nostrarum actionum invenitur; si Jacob cœnaret, tam pretiosa veste non indueretur. Frequenter multi incænati manent, ut exteriùs splendido cultu fulgeant, & stomachum quandoque sine cœna vexatur, & corpus eximio ornatu congaudet, ac splendet, & viscera sunt vacua, & corpus exteriùs multum abundat.

QUÆSTIO VIII.

Quare delicati reges currunt ad aspera deserta veneno meretricis plena, cum illa fastidierint hebræi, cœlesti pane redundantia.

67 CUm hac meretrice, ut patet ex versu 2. *fornicati sunt reges terræ*; cùm ergo hæc meretrix habitaret in deserto, ad eam videndam ducit Angelus Joannem in desertum, ergo ut reges cum illa fornicarentur ad deserta concurrunt, nullam illius asperitatem recusantes, ut de vino, seu veneno abominationis ejus biberent; at contra Israelitæ cùm duro flagello vexarentur in Ægypto, & cœlesti manna recrearentur in deserto, desertum fastidiebant, Exod. 16. numero 3. & Numer. 20. numero 4. *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, ut nos moriamur?* quare ergo delicati principes, aspera deserta calcant gratiam mulieris ambientes, ut dæmonum veneno inebrientur? Rupertus ait: *Taliter fornicantes in eam quoque amentiam devenerunt, ut perdita rationis dignitate, homines dæmonia per varias simulacrorum species colerent*; at hebræi Angelorum pane alimentati, deserta respuebant.

Difficultas quæstionis.

68 Tam depravata, ac corrupta est natura humana, ut ab ea studiosè affectentur, ac curentur mundana, ac terrena, ut etiam sub mortis veneno appetantur; è contra verò cœlestia sic in parvo habentur, ut etiam cùm plena sint omni dulcedine, ac suavitate, respuantur. Reges isti non leguntur vocati, & tamen ob meretricis amplexus ad aspera deserti convolant; & hebræi à Deo vocati, ac pabulo divini panis invitati deserta damnant, & abhorrent; cœlestis manna omnem suavitatem spirans despicitur, & venenata venustas sumptibus, ac confragosis itineribus quæritur.

Homines Dei suavia respuût & mundi laboriosa amplectuntur.

69 Filius prodigus in se reversus veniens ad Patrem, benignè eum excepit cum simphonia, ac choro musico, & parata mensa, appositio vitulo saginato; tunc frater senior ex agro reversus cùm accepisset causam tantæ lætitiæ, ac festivitatis, *indignatus nolebat intrare*, Luc. 15. numero 28. respuens dulcem Patris benevolentiam, musicæ harmoniam, dulcedque vituli convivium, ac fratris consortium, ad quę omnia benevolè à Patre invitabatur: *Pater illius egressus cœpit rogare illum: Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt; hic frater tuus mortuus erat, & revixit*; at ille invidia stimulatus, Diabolo excitante, noluit acquiescere, sed in agro jejunus permanere vult. Theophylact. *In agro erat, & operabatur suam terram, ut impleretur panibus, & ferebat in lachrymis*. Valde mirum; persistit in agro, laboriosè operans terram, cum multo sudore, ac lachrymis instans agriculture, ut panem colligeret, modò verò epulum patris sine ullo labore paratum despicit, mensam, & choros recusat, eligit potiùs invidia concitatus labores, ac sudores agri cum odio fratris, quàm Patre vocante delitiis frui fraterna charitate.

Cœlestia sine labore data contemnuntur, terrena cum labore desiderantur.

Compone modò Moysem cum Adamo; Moyses à Domino in Ægyptum delegatur pro salute populi, Exod. 3. numero 10. *Veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel de Ægypto*; multa ad hoc negotium animum Moysis movere poterant; gravitas injuncti muneris, data fides antiquis patribus de hac re, & salus totius populi; mille tamen Moyses apponit excusationes, & ne antiquo odio Ægyptiorum aliquid mali sibi timeret, ait illi Deus: *Vade, & revertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam*, Exod 4. numero 19. quod dicitur, ut confidentiùs viam arriperet, ut notat Lippoman. Cùm extincti essent omnes ejus inimici, ut inde nullo timore teneretur, tamen Moyses adhuc sexcentas excusationes interponit. Verte modò mentem ad Adamum; cur interdicit Deus arborem expressis verbis morte fulminata? *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2. numero 17. & tamen mulier delusa à serpente, fructum suis manibus Adamo præbuit: *Dedit viro suo, qui comedit*, Genes. 3. numero 6. Adamus nullas difficultates apposuit, sed indilatè comedit; cur ergo Moyses securus de mortis periculo, gloriosam legationem detrectat, cùm Adamus mortem non expaveseret certissimam, & ab ipso Deo promulgatam? Moyses à mortis periculo liber, adhuc recusat Dei mandatum adimplere, & nimis tardè illud aggreditur, Adamus verò alacer, ac intrepidus, omne periculum deglutit, ut muliebri insaniæ acquiesceret. Sic sanè omni mortis metu excluso torpent homines, ut divina exequantur, & ut excellentissimam divini numinis gratiam acquirant, cum velociter currant, & nullo mortis metu refrænentur, ut mundanis obtemperent, & dispendiosam, ac nocivam suorum appetituum affectionem expleant. 70

Divina contemnuntur sine mortis periculo & cum illo terrena appetuntur.

QUÆSTIO IX.

Quid sit hæc bestia coccinea? & quid significet.

MAximè hìc est investigandum, an hæc bestia sit eadem cum illa, quæ apparuit cap. 13. nu. 1. Eandem esse affirmant Alcazar, Suar. tom. 2. ad 3. part. disp. 59. sect. 2. diversam tamen esse communior, & verior est sententia; illam tenent Ribeira, Viegas, Cornel. Ferrar. & alii. Ex multiplici circumstantia utriusque bestiæ veritas hujus sententiæ bene colligitur; nam illa prima cap. 13. ascendit de mari, hæc per desertum degit; illa Pardialis, hæc coccinea; illa blaspemias habebat in ore, hæc in toto corpore; illa septem capita habebat, quæ sunt septem vitia capitalia, ut dixi supra cap. 13. quæst. 3. hæc verò habet septem capita, quæ ut exponit Angelus infra, vers. 9. *Sunt septem montes, seu septem reges*; illa habebat decem cornua, quæ sunt transgressiones contra decem Decalogi præcepta, hæc verò portat decem cornua, quæ sunt decem reges, *qui regnum nondum acceperunt*; ut interpretatur Angelus infra, vers. 12. & ideo hæc bestia non est eadem cum illa, sed magna ex parte diversa. 71

Quid sit hæc bestia.

Bestia hæc diversa ab illa, quæ apparuit.

Quidnam hæc bestia significet, adhuc est inquirendum. Divus Thomas, Divus Anton. Ulyssiponen. dicunt per eam significari Diabolum; Primasius, D. Bernard. Antichristum; Mariana cum aliis existimat, quòd hæc mulier significet Romam, bestia verò Imperium Romanum, supra quod mulier dominans sedet. Divus Ambros. Rupertus, Albertus Magn. per eam intelligunt denotari hunc Mundum, seu hoc sæculum cum omni turpitudine, ac vitiorum pravitate, seu ut clariùs dicam, significat ipsam mundanam, ac tyrannicam potestatem, cum omni vitio, ac nequitia. Hæc tamen facilè in idem recidunt, nam hujus Mundi, ac mundanæ & tyrannicæ potestatis sustentator, ut anima eam dirigens, ac movens, 72

movens, & agitans Diabolus est, & consequenter Antichristus, ut Diaboli vicarius. Hæc autem bestia dicitur coccinea, sensu jam explicato in expositione, quia omnis mundana potestas secundùm suum politicum statum, crudelis & sanguinea est.

QUÆSTIO X.

Quare hæc meretrix nunc sedet super bestiam coccineam, cum infra dicatur sedere super montes, reges, ac populos.

73 NUnc ait noster Joannes: *Vidi mulierem super bestiam coccineam*; cùm tamen Angelus infra in hoc c. vers. 9. explicet, quòd mulier sedet *super septem montes, qui sunt septem reges*; & vers. 15. ait, quòd mulier sedet super aquas multas, *qui sunt populi multi*; si ergo mulier sedet super bestiam, quomodo sedet super reges, super populos? hæc est tota quæstio.

Difficultas quæstionis.

74 Isti reges, ac populi inebriati sunt calice babylonico istius meretricis, ut dicitur n. 2. *Cum qua fornicati sunt reges terræ, & inebriati sunt, qui habitant terram*; & inde tali potu fornicationis ab hominum descivere natura, ut in bestiam fuerint arcana criminis metamorphosi transmutati; sine ulla ratione agitati luxuriæ appetitui serviebant, nec jam homines rationales ad usum, sensibus abutentes ad appetitum hebetabantur: bestiam ergo appellat Angelus ebrios mero babylonico, nam ut bellua ratione caret, & sensibus viget ad appetitum, sic & illi vino sæculi ingurgitati, vigent sensibus ad vitia, & carent prudentia ad cognoscenda cœlestia. Huc pertinet illud Oseę 4. nu. 11. *Fornicatio, & vinum auferunt cor*; ubi D. Hier. ait: *Fornicatio, & voluptas pervertit sensum, animumque debilitat, & de rationali homine, brutum efficit animal.*

Luxuria homines trans mutat in bestias.

75 Ait Sapiens: *Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius*, Eccles. 9. n. 7. Clem. Alex. lib. 3. Pedag. c. 4. legit: *Nec erres in ejus solitudinibus*; Septuaginta. *Nec erres in desertis illius*; sed quo jure civitas plena populo, maximè frequentata ab hominibus, magnatibus, ac principibus, illius plateæ desertæ, ac vacuæ dicantur? loquitur Sapiens cit. loco de civitate, ubi dominabatur lascivia, & ideo immediatè subdit: *Averte faciem tuam à muliere compta.* Ubi lascivia vagatur, non est civitas hominum plena, sed desertum, ac solitudo ferarum abundans; sic optimè citat. Alexandr. *Est enim verè solitudo, etiam si turba sit incontinentium, ubi non est homo pudicus.* Ubi non est pudicitia, non est hominum, sed ferarum turba.

Luxuria ex hominibus facit belluas.

76 Ait Ezech. 14. n. 4. *Hæc dicit Dominus Deus; Homo, homo de domo Israel*; estne aliquis homo, qui non sit homo? ad quid ergo duplicatur homo, homo, ac si dicatur homo esto homo? Sermo est ibi de hominibus impudicis, de quibus dicitur ibi nu. 3. *Viri isti posuerunt immunditias in cordibus suis*; hinc clamat ad eos, ut talibus immunditiis ex corde demissis, in effectibus se verè homines ostendant, nam qui talia retinent, non sunt homines, sed serpentes, & viperæ, nam qui verbis & moribus munditiam exhibet, hic solùm verè est homo. Orig. hom. 3. in Ezech. ait: *Estote homines, homines, scilicet, quia non omnes, homines sunt. Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus; iste non est homo, homo, sed homo jumentum. Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? talis non est homo homo, sed serpens homo: absit ergo à nobis ut tales simus, qui mereamur audire, non esse nos homines homines, si enim boni, & modesti simus, duplicamus hominis nomen, ut sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo.* Sunt multi, qui in externa facie apparent homines, interiùs vero cordis immunditia, sunt belluæ, ac bestiæ sylvarum.

Apparent aliqui exterius homines & interiùs sunt belluæ

77 Refertur Num. 25. n. 2. *Ecce unus de filiis Israel intravit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem.* Valde notanter advertit sacer text. quòd insipientibus fratribus ad scortum intravit; hoc discrimen datur inter homines, ac porcos, quod porci ruentes in libidinem, ac luxuriam, oculos non effugiunt aliorum, à quibus maximè declinant homines ad lascivos amplexus; tamen homines aliquando sic brutescunt, & in pecora convertuntur, ut in *fociorum* oculis lascivire non dubitant, quo nil magis pecuinum, ut sapienter, ac eleganter ait D. Nyssenus de vita Moysis: *Voluptas palam agit, turpitudinem persuasit; ita bestialis ad libidinem impetus in pecudes homines vertit, nam humanæ conditionis obliti penitus, non modò sua crimina non celabant, verùm etiam pecorum more, alter in alterius oculis, palam sordibus devoluti, de turpitudine sceleris gloriabantur.* Expende illud: *Alter in alterius oculis palam sordibus devoluti.*

Lascivi homines brutescunt ut pecora.

QUÆSTIO XI.

Quare hæc mulier placidè, ac quietè sedet super hanc bestiam, à qua vehementissimè mulier amicta Sole impugnatur, ac persequitur.

78 VIdit Joannes hanc mulierem, sedentem super bestiam valde placidè, ac quietè. Hæc mulier erat regina, ei serviebant, ac obediebant multi reges; cur non sedet super thronum regium, sed super bestiam? Hæc mulier meretrix erat, lascivia autem brutæ stultitiæ conjunctissima est. De lascivis loquens Ezechiel. 23. n. 20. *Insanuit super concubitum eorum, quorum carnes sunt, carnes asinorum, & sicut fluxus equorum, fluxus eorum.* In lascivis hominibus maximè viget brutalis stultitia, & vesania. Damianus Epist. ad fratr. in Eremo, ubi proponitur unus sub forma asini apparens, & dixit: *Quia miserabilis ab ipso pontificatus exordio, usque ad finem vitæ in luxuriæ cœno conversatus est, non incongruè visus est, ab auribus incipere, & in caudam asini definire, asinus quippe luxuriosum animal est, sicut propheta ait: Et carnes asini, carnes eorum*; de quo multa dixi superiori quæstione, in fine.

Lascivia ad brutalem stultitiam pertinet.

79 Quæstio est tamen: Quomodo illa illustrissima mulier amicta Sole, magnis doloribus cruciatur, ut pariat, & draconem septem capitum crudelem adversarium patitur: *Ecce draco magnus, & rufus habens capita septem, & cornua decem, & persecutus est mulierem*, Apocalyps. 12. n. 13. at verò hæc præsens meretrix babylonica, auro gemmisque refulgens otio dedita, placidè, & sine molestia super draconem septem capitum sedet? *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, habentem capita septem, & cornua decem*; hæc nulla vexatione sedet, illa verò draconis afflictatur versutiis; undè tantum discrimen?

Difficultas quæstionis.

80 Respondeo primo: Draco septem capitum persequitur mulierem Sole, ac stellis radiantem, humeris verò suis portat mulierem meretricem, quæ est mater fornicationum, & ita crudelis, ut sit ebria de sanguine sanctorum, ac martyrum Jesu. Hæc est humana conditio, justos persequi, & vexare, eosque omni conatu deiicere, & deturbare, iniquos, ac depravatos extollere, & sublimare.

Mundus persequitur justos extollit, impios.

81 Secundò prima mulier radiabat Sole, stellis virtutum, & Lunam, hoc est, terrena bona pedibus conculcabat, ac conterebat, at verò hæc mulier meretrix, *circumdata erat auro, margaritis, & lapide pretioso*; & hæc mulier cum esset tam dives, multum ab ea obtineri, ac lucrari poterat; multaque bona valebat elargiri, & mundialis bestia non attendit ad merita, & demerita, sed tantùm ad nova bona obtinenda, & acquirenda, & inde juxta suum desiderium, ac affectum extollit, & deiicit. Ait regius Vates, Psalm. 82. nu. 14. *Pones eos ut rotam ante faciem venti.* Considera rotam unius currus, pars quædam illius dejecta est, terram attingens, altera verò elevata cœlum respiciens, & statim sors mutatur, & pars dejecta extollitur, & pars elevata deiicitur; & quisnam tot mutationes facit? Bestiæ quædam, quæ currum deferunt. Dic mihi, nunc quæso, quænam merita habet pars dejecta, ut tam citò extollatur, & quænam pars superior, ut tam citò deturbetur? Non attenditur hìc ratio meritorum, aut demeritorum; bestia quædam currum defert, & hæc justitiæ rationem, aut pondus, non scrutatur, sed hoc tantum sibi est fixum, ut ulteriùs progrediatur, & novam terram suis gressibus, acquirat & comparet; ubi enim est affectus terrenorum lucratitius, nulla nec rationis, nec justitiæ trutina perpenditur, & inde unus facilè deiicitur, & alter elevatur.

Mundana solum attendunt ad lucrū, non verò ad merita.

Ter-

82 Tertiò in una, & altera muliere eximius resplendet ornatus, erga unam & alteram mulierem, idem invenitur draco cum septem capitibus; cur ergo ipse draco babylonicæ inservit, veluti thronus, ac sedes, cùm mulieri in signo magno, sit tam crudelis, ac manifestus adversarius? Ratio discriminis est: Babylonica manu porrigebat poculum aureum plenum adulationibus, ac delectationibus: *Habens poculum aureum in manu sua;* at verò mulier in signo magno, tota erat intenta, ut fructum faceret: *Clamabat parturiens*; ut nempe doctrina sua filios cœlo pareret, ut ibi de Ecclesia explicavi; & cùm una tantùm intenta sit in diffundenda veritatis doctrina, quando altera in adulationibus ad captandam benevolentiam, inde tam diversi nascuntur effectus, ut una inveniat draconem tanquam thronum, altera tanquam crudelem adversarium. D. Ambrosius, sic ait: *Prædicando tandiu nutrit usque dum humanam formam accipiant, id est, usque dum in Christum credant, atque animam spiritualem accipiant. Clamat namque Ecclesia prædicando, clamat etiam pro auditorum suorum salute.* Dolores, ac adversitates deesse non poterant, ubi de fructu prædicandi tantum negotium erat, nec contradictiones deesse poterant, ubi mores erant reformandi; at babylonia magnos applausus sibi comparat, dum voluptates, ac delectationes unicuique negotiatur. Div. Ambrosius hìc: *Mulier inaurata erat auro, quia sapientiam hujus sæculi possidebat, quæ stultitia est apud Deum*; & paulò post subdit: *Per poculum aureum, quod manu tenuisse dicitur, philosophorum, & poetarum doctrina designatur, quod plenum abominationum, immunditiæ, fornicationis dicitur, quia doctrina philosophorum plena erat mendaciis*; non ergo mirum, quòd mulier in signo magno, tot patiatur adversitates, cum ejus studium sit mores corrigere, ac componere? babylonia verò adulationibus dedita, multa sit ut lucretur obsequia, ac famulatus.

Adulantibus obsequia defe-runtur, quæ prædicatoribus veritatis denegantur.

83 Postquam Christus D. magna, ac præclara edidisset miracula, ut patet ex Matth. 20. ingressusque in templum, altissimam, ac sapientissimam dedisset doctrinam, depravatos judæorum mores arguens finito sermone ait D. Matth. 21. num. 17. *Relictis illis abiit foras extra civitatem in Bethaniam*; ad hospitandum nempe nocte illa, ut est communis vox interpretum. Valde mirum: Christus in hac occasione, magna est operatus mirabilia, claudis pedes, cæcis visum præbuit, stupendæ suæ doctrinæ dedit documenta, & in tam magna, & alta civitate nullus fuit, qui eum ad hospitium invitaret, cum ob Christi modestiam paucissimæ expensæ erant necessariæ. Respondet D. Hieronym. Christus altissimam dedit doctrinam, manifestas, & apertas veritates prædicavit absque ulla umbra adulationis, ac complacentiæ, Mundus autem cum solùm adulationis obsequia veneretur, veræ doctrinæ documenta detestatur, & inde ex hac causa, nullus Christo obtulit hospitium, quod maximè fieret, si verba adulationis protulisset. D. Hieronym. ait: *Hoc quoque intelligendum est, quod tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullam inveniret mansionem.*

Solus adulator gratus est.

84 Quartò mulier amicta Sole pugnam habet cum dracone, babylonia verò otiosa sedet in dracone; quænam felicior? Ad speciem; facilis est solutio. Babylonia absque certaminis molestia dulci fruitur requie: ergo hæc fortunatior, illa deterior videbitur. O humana cæcitas! A desidia ruina negotiatur, à labore verò certaminis victoria comparatur; illa dum laborat certamina, aquilinis alis triumphatrix sublimatur, ac extollitur, hæc verò, dum otio torpet, ac sedet, dumque suam turpitudinem purpura fovet, præcipitium ascìscit, ac flammis immortalibus parit: *Ipsam igni concremabunt*; ut patet ex sequenti cap. 18. & in præsenti notat Glossa & ait: *Mulierem sedentem, id est, illos molles, qui Evæ, à qua peccatum incepit, conformantur.* Sedet molliter, torpet desidia, in Evæ ruinam cadit.

A desidia ruina, à labore victoria comparatur.

85 Lege Davidis historiam, & invenies eum frigore adustum, ardoribus vexatum, oves pascentem, cum leonibus & ursis certantem, eosque interficientem, qui & molem corpoream Goliath prosternit, Philisthæos debellat, cæterosque Israel hostes destruit, & Saulis fraudulenti certamina superat, vincit omnia, ejusque præclara virtus inter magnas oppositiones micantior effulget; interque multa alia pericula gloriosè triumphat, æterna fama dignus; si tamen tantis virtutibus sublimatus, dum otio indulget, ac à bellico sudore feriatur, ut refertur 2. Regum 11. nu. 1. *Eo autem tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit David Joab, & servos suos cum eo, & universum Israel, & vastaverunt filios Ammon. David autem mansit in Jerusalem. Dum hæc agerentur, accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ, & vidit mulierem*, &c. Dum David aliquantulum otio indulget, & à sudore, ac labore abstinet, suis oculis captus est, & inde crimine homicidii fædatur, adulteriique turpitudine maculatur, & filiorum suorum gladios contra se explicat, eorumque morte vulneratur: Ecce Davidi de certamine gloria, de otio verò ignominia grandis nascitur. O quàm sanè illi satius fuisset, procedere in campum, cum hoste armato rigidè decertare! tunc magnis triumphis laureatus, valde sublimis rediret; at dum lecto, & otio gaudet, miserabiliter prostratus cadit, & ruit. Div. Basilius Seleu. Orat. 17. ait: *Cum Rex David epulatus esset, ac pollucibili mensa emollitus, meridiana sese oblectaret obambulatione, tunc Diabalus, ipsis justi oculis usus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterii præcipitium deturbavit.*

Otiò ruinæ, bellò veræ gloriam parit.

Apoc. 17. n. 4. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.

VERSIONES.

Syriacus.	Erat amicta lapidibus pretiosis, habens calicem aureum plenum pollutionibus, & immunditiæ scortationis ejus, & terræ.
D. Cyprian.	Mulier illa amicta pallio purpureo, & coccino, adornata erat lapidibus pretiosis, habens poculum plenum execrationum fornicationis totius terræ.
Arabicus.	Habebat autem hæc mulier gemmis ornata calicem plenum sordibus scortationis suæ.
Primas.	Plenum abominationum totius terræ.
Aretas.	Immunditia fornicationis suæ.
Græc. Codex.	Circumdata inaurato auro.

EXPOSITIO.

86 *ET mulier erat circumdata purpura, & coccino.* Hæc omnia ad delicias, ac pompam spectant, nam cap. sequenti luxus, ac deliciæ maximè in hac meretrice puniuntur. *Purpura* pretiosissima vestis est, ut propria regum, ac magnorum procerum. *Et coccino.* Erat alia vestis coccinea, ex pulvere vermis infecta, de quibus latè infra quæst. 13. Hac autem geminatione purpura, & coccino maximè ostenditur pompa, luxus, ac deliciæ hujus mulieris, ejusque etiam crudelitas, ut citata quæst. dicam.

Pompa mulieris ostenditur.

87 *Inaurata auro;* seu, ut habet lectio Romana, & ut dicunt Tirinus, Ferrarius aptiùs legendum: *Inaurato auro*; circumdata nempe erat inaurato auro, id est torquibus, armillis aureis seu duplici auro, solent enim artifices in opere magnifico aurum vulgare cooperire, & inaurare alio præstantiore, & fulgentiore; tali, ac tanta pompa mulier erat circumdata, à fronte, à tergo, ac latere.

88 *Habens poculum aureum in manu sua.* Quanquam Divus Hieronymus, & Prado in Ezechiel. 23. num. 31. referant ad poculum damnationis æternæ hujus meretricis, tamen cum communi sententia dicendum, quod

quòd per poculum in præsenti denotatur impiorum doctrina, ac eorum perversum exemplum, quo sui imitatores inebriantur ad similia flagitia, ac scelera. Hoc poculum illi est in manu, quia propinat illud; & *aureum* est, quia splendidum, quod in apparentia præfefert, & tanquam quid pretiosum allicit. Aliqui hoc reducunt ad hypocrisim, quæ simulatis viriis auro sapientiæ decipit.

89 *Plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.* Abominatio denotat illa, quæ sunt contra Deum, ac divina, ut nempe idololatriam, & dæmoniacas observationes, erroresque contra veram doctrinam. *Immunditia* significat illa, quæ sunt contra mores & maximè involvit vitia carnalia; hæc omnia in suo calice propinat meretrix, & hæc omnia sub fornicatione clauduntur.

Quid sit abominatio & immunditia.

QUÆSTIO XII.

Quare eximius ornatus, ac apparatus hujus mulieris ex tantis circumstantiis describitur ab Evangelista.

90 EX multiplici circumstantia sacra revelatio advertit eximiam pompam hujus mulieris: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis;* ad quid tam accuratè tantus illius cultus describitur? nunquid ad venerationem, vel ad damnationem? Vestitus enim ornatus sæpè ad venerationem, ac honorem spectat. Postulante Saule suscitat Pythonissa animam Samuelis jam demortui, ut futurum imminentis belli eventum agnosceret; cùmque mulier vidisset Samuelem exurgentem exclamat ad Saul: *Deos vidi ascendentes de terra*, 1. Regum 28. numero 13. mulier benè sciebat Samuelem esse hominem, undè ergo eum Deum appellat, quem mortalem agnoscebat? ex quo motivo talis cogitatio in mulieris mentem venit? Apparuit ei Samuel *amictus pallio*, ut ibidem explicat text. Ob magnificum, & pomposum apparatum Deum dicit, nam cùm bene sciret mulier interiùs esse cadaver tamen ab exteriori splendore, ac fulgore, Dei appellatione eum extollit. Abulensis ibidem quæst. 31. *Dicendum quòd Pythonissa invocavit Samuelem, & credidit, quòd ille erat, qui ascendebat; dixit tamen, quod vidit Deos, quia Samuel, qui ascendebat, veniebat in habitu reverendo, præsertim, quia non veniebat modo aliorum.*

Vestium decus honorem, & veneratione cõciliat

91 At nimia vestimentorum pompa, formæ studiosior cultus, gemmarum splendor, auri fulgor, comptior capillorum ornatus, absque dubio gehennæ victimam prophetabant mulierem, & ideo cùm diceret Joanni Angelus: *Veni ostendam tibi damnationem meretricis*; hujus damnationis causam assignans text. ait: *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino*, &c. ac si idem fuisset pompaticè exornatam, ac damnatam spectare, idemque purpuræ, & coccini nitidis flammis conspicere lucentem, ac non morituris ignibus æstuantem. Ad hoc respicit D. Cyprian. lib. de cultu fœminar. c.6. dicens: *Audaci conatu, & sacrilego contemptu crines tuos inficis malo præsagio futurorum; capillos jam tibi flammeos auspicaris.*

Nimius ornatus damnationis æternæ auspicium.

92 Deplorans Oseas 12. numero 1. extremam perditionem Ephraim cujus regnum erat Samaria, ait: *Ephraim pascit ventum, sequitur æstum tota die, mendacium, & vastitatem multiplicat.* Maximè hic text. est expendendus: Ventus, & æstus, seu calor nimius, maximè inter se contrariantur; quomodo hæc uniuntur à Propheta? Optimè sanè, nam qui pascitur fluctibus ventorum, seu vanitatum, inde sequitur æstus, seu calor terrenorum, luxuriæ, ac concupiscentiæ, & etiam inde æstus gehennalis flammæ, & ideo adjungit Propheta: *Vastitatem multiplicat;* seu ut alii legunt, *ruinam;* ex tali fastu vanitatis tot ruinas sibi multiplicat, tam ventorum, quàm flammæ ignis. Ruffinus ibi: *Samaritæ verò sicut fallos Deos, relicta veritate coluerunt, ita ventis pasti, secuti æstum, id est vanitates, & perniciem multiplicant;* ut factum vidimus in hac babylonica muliere, quia ex ventosæ vanitatis fastu, ardens calore concupiscentiæ, ac luxuriæ in pernicioſissimam ruinam præcipitatur, undè de ea clamatur c. sequenti: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna*: vide quæ dixi supra, q.3. n.27. & seqq.

Semper ventosa vanitas ruinã & ea am importat.

Secundò: Dic mihi mulier; an tibi intrinsecum aurum? an ex propriis purpura, & coccinum? an nativæ gemmæ, & lapides pretiosi? Non quidem; cur ergo his omnibus ornaris? Ita amentes, ac à ratione alieni sunt filii vanitatis, ut ex alienis, & non ex propriis valeant fulgere. Rupert. hìc sic ait: *Omnes sunt istæ divitiæ mulieris, omnes sunt isti fructus humanæ cupiditatis falsæ, & fallentis; quærit enim extra se humana præsumptio, non suam pulchritudinem, sed alienam, quasi suum affectat fulgorem, dum non valens mutare naturam suam, cum ipsa sit lutum, rutilum scilicet circumdat aurum lapidesque pretiosos, & margaritas, ut interdum scabie squallens, & lepra lurida desuper instrumentis ad se non pertinentibus, superbissimè niteat.* 93

Non ex nobis, sed ab alienis fulgere intendimus.

Tertiò, & valde mirum, quòd cùm hæc mulier esset tam dives, ac opulenta: *Mulier erat circumdata purpura, coccino, & inaurata auro*, &c. tot, tantisque suppliciis tradita legatur, ut patet ex hoc capit. ac sequenti, cùm humana conditio soleat venerari divites, ac potentes, opprimere verò pauperes, ac debiles; cur ergo hæc mulier tam locuples, tot, tantisque afficitur, ut dicatur: *Ipsam igne concremabunt?* Ex sua magna opulentia grande ejus peccatum desumitur, si enim mulier fuisset pauper, & misera, omnibus, quæ ad sui ornatum, ac statum spectabant destituta, poterat ex quadam fragili humana conditione ad perpetranda ea, quæ non licebant, ac ad debita conscientiæ jura violanda excitari, at verò cùm tot & tantis esset abundans, & quod omnibus vitiis se traderet, proprium suum honorem contemnent: *Habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus*; ad omnes gentes inebriandas, quo maximè divinam justitiam provocabat ad pœnam, & vindictam: ipsa magna opulentia ejus, in causa erat, ut magno incendio deputaretur. Tertull de Cultu fœminarum, sic ait: *Quali habitu appellationis suæ comparata est, sed certè in purpura cum coccino auro & lapide pretioso;* & post pauca subdit: *Sine quibus non potuit maledicta, & prostituta describi.* Maledicta sub tot, ac tantis suppliciis non gemeret, nisi tot, ac tantis divitiis abundaret, & quod tanta rerum copia, ac laxis habenis, omni vitiorum turpitudine viveret; inde maximè ejus peccata in magnum augmentum creverent. 94

Peccatum grãde, quod ex abundãtia commititur.

Introducit Propheta Oseas, cap.2. num.8. quandam mulierem, quæ Deum habebat ut sponsum dilectissimum, qui eam omni indulgentia, ac rerum abundantia prosequebatur, & ait: *Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum;* & tamen cùm ipsa vitiis se ingurgitaret, licentiosè alios amatores quærens, dicit: *Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes*; ac Baalim sequens, maximè indignatur Deus contra illam usque ad extremum supplicium, dicens: *Vir non eruet eam de manu mea, & cessare faciam omne gaudium ejus;* si Deus ob suam singularem benignitatem in aliis majora delicta dissimulat, cur tam rigida pœna contra hanc tam indilatè irascitur? Etsi in aliis eorum peccata, ex aliqua circumstantia poterant minui, hìc tamen undique aggravatur malitia, nam cum illa haberet sponsum, qui absque ulla necessitate tanta rerum abundantia eam locupletabat, tamen quòd illa eum contemneret, & alios quæreret, omni pœna dignissima judicabatur, & inde ex hoc magna ejus cæcitas arguitur, & damnatur, ut docent D. Hieron. Lyra & alii. 95

Maximè aggravatur peccatum, quod ex donis acceptis fit.

Phinees filius Heli contempta sua dignitate præclara, suaque sponsa, quam in matrimonium habebat, valdè luxuriosè ipse & frater ejus vivebant: *Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi*, 1.Regum 2. numero 22. cujus criminis causa rigidè Phinees punitur à Deo, moritur ipse in bello, Pater ejus Heli è cathedra corruens moritur; similiter & uxor ejus partu, vitam effudit, 1. Regum 4. nu. 19. & filius ei natus, à pontificatu est exclusus & privatus; cur ergo Phinees tot, tantisque plagis vexa- 96

tur

tur ob suam lasciviam absque ulla misericordia, cum Prodigus simili crimine infectus eam inveniat? *Adolescentior filius peregre profectus in regionem longinquam dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè*, Luc. 15. numero 10. Prodigus in suis erroribus obtinet indulgentiam, cur tot pœnis inflictis ab illa excluditur Phinees? cur hic ob suam immodestiam tantis pœnis affligitur, cum ille valde licentiosa vita absque ulla castigatione, magna indulgentia gaudet, & lætatur? & cùm in utroque simile sit delictum, valde tamen dissimilis est benignitatis eventus? Verum est, quòd Prodigus deliquit *vivendo luxuriosè*; hoc tamen accidit in flore ætatis, in ardore juventutis, & in viriditate adolescentiæ, antequam haberet familiam, & sponsam, nec alicujus muneris obligationem, at Phinees, vivebat luxuriosè, cum jam esset maturæ ætatis, habens sponsam, & ex proprio officio tenebatur ad sanctam, ac venerabilem tabernaculi custodiam; à propria auctoritate, talia scelera erant ei prohibita; unus ergo magna indulgentia, alius verò severa punitione afficitur; & quamvis omne peccatum sit inexcusabile, tamen aliquando invenitur, quod ex aliqua circumstantia minorem habeat gravitatem. In prodigo minorabatur delictum ex sua ætate, tempore, ac statu, quod maximè aggravabatur in Phinees ob suam maturam ætatem, uxoratumque statum, ac sacerdotale munus, ad quod rigidè tenebatur; sic de Prodigo loquitur Chrysolog. & ait: *Ecce potestatis suæ filius, quo devenit voluptas luxuriæ, adolescentiæ libertas, quo promovit*; de Phinees sic habet Tertullian. adverf. Psych. cap. 15. *Eliditur præ templi foribus senior Heli ..... nurus expirat in partu; hanc enim meruerat à Deo plagam domus impudens, &c.*

Peccatum & si grãde malum, ex circũstãtia minuitur.

QUÆSTIO XIII.

Quare hæc mulier non solùm induitur purpura, sed etiam sibi ad ornamentum adjungit coccinum.

97 MAximè describit sacer text. vestium apparatum hujus mulieris, quæ circumdata erat purpura, ac coccino, id est, ex omni parte, duplici veste induebatur, purpura nempe, ac coccino. Purpura pretiosissima vestis est, ut quæ olim fuerit Principum, ac magnorum Procerum; Daniel. 5. numero 7. *Purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit*; & ita propria erat regum, ut testentur Ammianus lib. 16. & 17. Sozimus lib. 4. Hegesippus, & alii fuisse olim crimen læsæ majestatis purpuram affectare, vel pro indumento habere, cùm esset peculiare regum insigne. Purpura autem tingitur sanguine pisis ex conchiliorum genere, & nigrantis rosæ colore sublucet, ut habet Plinius lib. 9. c. 36.

Purpura regum propria.

98 Coccinum, vestis est ex pulvere vermis infecta, qui oritur ex cocco, sive ex grano arbusculæ, quæ cusculum dicitur, & hæc vestis, seu color nimium ruber ob sanguineam speciem crudelitatem denotat, ac superbiam & delicias, ut dixi ex Scriptura, superiori expositi. 3. n. 59.

Quid sit coccinum.

99 Respondeo primò, quòd hæc mulier dicitur circumdata purpura & coccino, ac auro, ut ejus luxus, ac libidinosa deliciarum petulantia denotetur; & hæc est communis sententia. Hæc omnia importat tale vestimentorum genus, 2. Regum 1. numero 24. *Filiæ Israel super Saul flete qui vestiebat vos coccino, in deliciis*; Nahum 2. numero 3. *Viri exercitus in coccinis*; coccineus enim color, peccata libidinis ignea, & etiam peccata homicidii, sicut tyrannicam crudelitatem significat, quia color sanguineus est; Isai. 1. num. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*.

Deliciæ hujus mulieris.

100 Secundò, & jam moraliter. Mulier circumdata erat purpura, & coccino, tanquam ostendens flammam charitatis, ac zelum pietatis, ac amoris Dei, & inaurata auro sapientiæ, cum dicatur: *Accipite sapientiam sicut aurum*. Insuper lapide pretioso, & margaritis ornatur mulier: quibus omnibus virtutes adumbrantur, & inde portat etiam poculum aureum in manu, quo potentia exprimitur; ad quid tot virtutes adumbratæ cum tanta potentia? Quia malorum congregatio in hac muliere significatur, & quod impii per potentiam non valent obtinere, simulata, ac palliata virtute intendunt perficere. Haymon ait sic: *Idcirco simulat se habere, quod non habet, ut quos non poterit per potentiam trahere ad errorem, decipiat per simulatam sanctitatem, & per fraudem auri similem*.

Impii si nõ potentia, saltem simulatione agunt.

101 Tertiò erat mulier circumdata purpura, & coccino, quæ sunt regalia indumenta, purpura regum erat indumentum; & quomodo mulier regalibus, ac purpureis vestibus ornata, tantaque regali dignitate insignis, tantis tormentis traditur, ut de ea dicatur seq. cap. *Ipsam igni concremabunt*? quid ergo purpura cum muliere in tanto igne, in tantaque damnatione? Imò nullo magis exprimi potuit miseræ mulieris conditio, quàm purpura, quæ regis, ac potestatis symbolum est, sæculi enim dignitates frequenter, humanæ naturæ sunt mortiferæ, si de eis plus agitur, quàm de regno Cœlorum. Div. Ambros. ait: *Purpura, & coccus sunt vestimenta regalia, per quæ potestas sæcularis designatur; purpura igitur, & coccus, sanguinis speciem habent, quia potentia sæcularis mortifera est, & periculum sempiternum affert his, qui eam amplius, quàm cœlestem gratiam amplectuntur*.

Dignitas temporalis sæpè mortifera suis possessoribus.

102 Quartò: *Mulier erat circumdata purpura, & coccino*; cur purpura cum coccino adjungitur? nam ad vestimentorum illius pompam ostendendam, satis erat dicere, quòd circumdata erat purpura & auro inaurato; cur ergo etiam illi adjungitur coccinum? Quia illud crudelitatem, & sanguinis effusionem denotat; sicut enim purpura dignitatem temporalem, non quamlibet, sed superbam, & tyrannicam dicit, ecce cur hæc duo simul copulantur; quia purpuram, ac regiam dignitatem temporalium regum, ac tyrannorum comitatur immanitas, ac humani sanguinis effusio, tyranni enim reges ob sua imperia dilatanda, ac conservanda, nullum nefas, nullamque crudelitatem refugiunt, sed omne turpe facinus libenter aggrediuntur. Observatio est Ruperti hìc: *Purpura est regius amictus, cunctamque regnorum, sive regum hujus Mundi almam potestatem, sive superbiam designat. Quis porro nesciat, quòd regiam potestatem semper comitata sit homicidialis crudelitas? pleni sunt libri*; imò *jam satiata sunt theatra Orbis terrarum regum tragœdiis, qui ob cupiditatem regnandi, non solùm in cæteros arma tulerunt, verùm etiam in cognatos vel fratres, aut etiam in parentes, ne participes aut æmulos regni paterentur, ferrum crudele transegerunt. Rectè ergo cum purpura sociatur coccinum dicendo: Mulier circumdata erat purpura, & coccino; quia profectò purpuram regnorum semper comitata est ignea crudelitas homicidarum*.

Impii reges crudeles pro conservando, ac dilatando suum imperium.

103 Quintò purpura symbolum est regiæ dignitatis, quæ ex sua sublimitate, ac conditione clementiam, & benignitatem importat, ut dixit Sidonius Apollin. lib. 6. Epistol 12. ad quid ergo in hac impia muliere cum purpura simul adjungitur coccinum? quod cum sanguineum colorem exprimat, crudelitatem indicat; & non mirum, quòd hæc simul in hac muliere videantur, quia impii reges se clementissimos profitentur, cum revera sint valde crudeles, & inhumani. Albertus Magn. sic ait: *Per hoc, quòd induta est purpura, videtur habere proprietatem, & virtutem regiam, quæ est clementia, sed mentitur, undè sequitur: Et coccino. Coccinum sanguinei coloris est, & signat crudelitatem illius mulieris, & effusionem sanguinis bonorum*. Semper humana potestas, auro & purpura fulgens, crudelis, ac terribilis est.

Impii reges se pios jactant, cum crudeles sint.

104 Maximè damnatur impietas divitis Epulonis, de quo scribitur Luc. 16. nu. 19. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè*; qui cùm haberet ante januam jacentem mendicum Lazarum famescentem, vulneribus plenum, qui cum præ fame cuperet aliquid de micis, quæ cadebant de mensa divitis, nullus erat, qui quid-

quam

Purpura & aurum ferrea viscera generant.

quam porrigeret; undè tanta crudelitas, ac durities erat huic epuloni, qui nulla pietate movebatur à miseria, à fame, ac ulceribus pauperculi, cùm hæc omnia ante oculos posita haberet? Rationem indicat sacer text. *Erat dives, qui induebatur purpura*. Frequenter in purpuratis, ac auratis hominibus ferrea durities, & execrabilis crudelitas dominatur. Div. Chrysolog. serm.121. ait: *Purpura, & byssо delicatis vestibus epulisque blandis, ferrea viscera crudelis anima nutriebat*.

104 Nabuchodonosor rex vidit statuam magnam, & sublimem in somnis, cujus caput erat ex auro optimo, pectus, & brachia ex argento, venter & femora ex ære, tibiæ erant ferreæ, pedum verò quædam pars erat ferrea, quædam fictilis, ad cujus imitationem ipse Rex *fecit statuam auream, altitudine cubitorum sexaginta*, Daniel.3.n.1. ex his difficultas est manifesta; si statua, quam rex vidit in somnis ex tam diverso metallo componebatur, quomodo statua, quam ipse ad ejus similitudinem fabricaverat, tota aurea componebatur? cur non etiam ex diversa materia? Nabuchodonosor erexit suam statuam, ut cunctis esset in metum, ac terrorem, quo universi cogerentur ad adorandum imaginem ejus, aliàs mitterentur in fornacem ardentem; inde ex auro constructur statua, ut ex oculorum aspectu cunctis terrorem, ac pavorem incuteret. Eleganter Theodoret. ibi: *Rex omnes materia, & arte, & magnitudine statuæ perterrefecit*. Ubi aurum nitet, ac resplendet suis radiis, tanquam telis, ac sagittis, humana corda transfigit, ut ejus potentia cunctis terribilis, ac formidolosa appareat. De Rege Assuero residente in solio regni sui scribitur Esther.15.num.9. *Ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auro fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu*.

Ex potenti auro nitēti gignitur pavor.

QUÆSTIO XIV.

Quare mulier fortis purpura induta ridebit gaudens, in novissimo die: hæc verò babylonia purpura lugens ardebit.

105 HÆc babylonia meretrix purpura splendens, margaritarum luminibus fulgens, valde consumpta in novissima die ardebit; dicitur de ea infra, vers.10. *Et desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt*; at verò si consideres mulierem fortem, etiam purpura ornatam, cum multa lætitia, ac gaudio exultantem invenies; de ea scribitur Prov.31. n.22. & 25. *Byssus, & purpura indumentum ejus: Fortitudo, & decor indumentum illius, & ridebit in die novissimo*; ecce in utraque muliere purpura splendet, diverso tamen exitu, nam una lætatur, & exultat gaudio sempiterno, altera miserrimè lugens damnatur igne sempiterno.

Difficultas quæstionis.

105 Respondeo primò, quòd ex multiplici circumstantia in utraque muliere latum est discrimen, indeque diversus exitus, nam de Proverbiorum muliere sic refertur: *Byssus & purpura indumentum ejus*. Byssus linum est candidum, atque pertenue; hunc autem candorem, & subtilitatem possidet, infinitis penè cruciatibus, ac tunsionibus, ut observat Plinius lib.19. c.1. Indeque post multa de eo subdit: *semper iniuria melius*; indeque ut docent Orig. in Exod. Isychius in Levitic. Beda ad citatum Proverb. locum, typus est carnis jejuniis, vigiliis, ac disciplinis maceratæ, purpura verò splendoris, ac florentis Regiæ felicitatis symbolum est. Mulier Salomonis priùs dicitur byssо ornatu, deinde purpura: *Byssus & purpura indumentum ejus*; ex propriis suis meritis, ac laboribus comparavit sibi purpuram. Jansen. *Significatur ergo tantam hujus mulieris esse diligentiam, & sapientiam, ut etiam suis, suorumque manibus, comparet sibi regiam supellectilem, & ornamenta sumptuosa*; at de babylonia mollitie delectationum, ac deliciis voluptatum dedita id tantùm scribitur: *Cum qua fornicati sunt Reges terræ*, vers.2. honos autem, & decus proprio sudore, ac meritis comparatus, æternam gloriam parit, secus verò sine illis, tunc non solùm evanescit, & perit, sed etiam casum, ac ruinam secum involvit; inde Salomonica mulier perpetuò gaudet, & exultat, babylonia verò indeficiente igne crematur.

Dignitas ex meritis ac laboribus perficitur secus sine illis.

Secundò mulier illa fortis ex propriis suis manibus, 107
ac laboribus comparavit, ac fabricavit sibi purpuram, ut dicitur ibi n.19. *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum*; at verò babylonia ex favore, ac gratia regum, quorum voluptatibus inserviebat: *Cum qua fornicati sunt reges terræ*. Honor, ac dignitas ex meritis, constans, & durabilis est, secus verò, si ex gratia, ac favore impetratur. Joseph elevatur à Pharaone, ut secundus regno habeatur, sicut & Aman ab Assuero, tamen Joseph firmiter perseverat, Aman citò cadit. Joseph ad tantum fastigium elevatur ob sapientiam; sic ait Pharao: *Nunquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero*? Gen.41. n. 39. Aman verò ob regis gratiam, & favorem: *Post hæc Rex Assuerus exaltavit Aman*, Esth.3.n.1. regia nempe benevolentia, ut communiter dicunt hebræi: meritis firmatur dignitas, sine illis corruit, & labitur.

Meritis firmatur dignitas, sine illis corruit.

Tertiò in utraque muliere, vestis purpurea nitet, 108
auro intexta, mira varietate depicta. O nobile virtutis documentum! babylonia purpura rubescit, sed fœdatur ignominia turpitudinis, at mulier Salomonica purpura exornatur, expers omni prostitutionis contemptu; babylonia plus rubescit de opprobrio, quàm de purpura, at mulier nobilis non solùm caret despectu, sed etiam plusquam ornatur, non tantùm purpura, sed puro, & candido byssо, cum eximia probitate splendet purpura, & byssо: Virtutis cultores, etsi eximantur à culpis, tamen aliquando à deliciis non privantur. Serpentis dolo *mulier tulit de fructu illius*, (ligni nempe quod erat in medio Paradisi,) *& comedit, dedit quoque viro suo*. Ficum fuisse, multorum est Patrum sententia; sic ait D.Basil.Seleuc. *Ab arbore tegumentum mutuantur*. Sponsa etiam ad easdem delicias invitatur: *Flores apparuerunt in terra nostra; tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra; ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum*, Cantic.2. n.12. & 13. Eva comedit ficum Diabolo suadente, sponsa etiam comedit evocata à divino sponso, qui per columbam, ac turturem significatur; utraque degustat pomum, Eva infectum veneno peccati, sponsa verò suavitate, ac dulcedine divinæ gratiæ, inter amœnissimos flores, ac præjucundissimos odores. D. Bernard. ser.60. in Cant. ait: *Quod in ea est, de Spiritu Sancto est, ac per hoc subtile totum, ac suave*. Sponsa sua probitate, gaudet suavitate pomi, quod cum iniquitate comedit Eva.

Virtutis cultores vitiis carent, ac honoribus gaudent.

Quartò babylonia purpura, & coccino exteriùs ful- 109
ger, at mulier fortis priùs exornatur byssо, deinde purpura: *Byssus & purpura indumentum ejus*. Byssus ad interna pertinet, purpura exteriùs apparet, priùs enim hæc accuratiùs splendidam, & delicatam conscientiæ vestem intexuit, & postea regiam, purpuramque cultui corporis fabricavit, ideo quando alii durè torquebuntur, ipsa gaudio adimplebitur: *Ridebit in die novissimo*; at meretrix illa interiùs tota sordida, exteriùs fulget, & inde internam byssum in hoc sæculo habere voluit, & flammam in futuro sæculo sopire non potuit: culpa conscientiæ paravit sibi blanditias, sed aggregavit sibi duras pœnas. Justus totus de conscientia agit, peccator verò de externa tantùm blanditie. Non alienus ab hac consideratione est Rupert. in præsenti, & ait: *Pulchrè dicitur, quia circumdata erat purpura, extrinsecùs namque pulchris speciebus colorari potest, quarum vel optima videtur regia purpura, sed intrinsecùs, vel subtus eandem purpuram, non solùm propter fluxam libidinem, ulcera, sed etiam per accidentium morborum genera diversa miseria, & tabida inest: Non minùs regum, quàm rusticorum corpora mortalia sunt*; hinc de suprema Regina decantatur: *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis*, Ps.44 n.14. priùs notatur gloria à conscientia interiori, deinde ab externis fimbriis.

In quorum pulchritudo ab exteriori, injustorum veto ab interiori.

Splendentibus invitatis regalium nuptiarum, sedentes omnes erant: *Intravit autem rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*, Matth.22.n.11. Unus inter tot discumbentes inv. ntus 110

est

est sordida veste, & hic agnitus est sordidus, non à ministris, sed ab ipso Rege. Multi ministri convivio
Sordes hominum non ab externa veste sed ab animo erumpunt
intererant, multi circumcursabant, nemo tamen illorum dicitur vidisse illius miseri convivæ sordes, sed tantùm unus Rex illas videt; cur rex solus, & non ministri valuerunt videre hominis sordes? Quia exteriùs splendida erat veste homo indutus, interiùs verò in conscientia maximè deturpatus, & sordes, quibus homo perditè inquinabatur, non ab externis, sed ab intimis eruperant animi, qui soli Deo patet D.Pasch.lib.10. in Matth.ait: *Quia malos in conscientia intus intelligere, non omnium est, ideo hunc malum solus Deus terribilis, & Rex magnus invenit.* Non mirum quòd solus Deus, & non ministri videant sordentem hominem, quando offensivæ sordes intus sunt ab hominis animo, qui soli Deo manifestè claret.

111 Ille verus est splendor, & cœlestium virorum proprius, qui non est ab extrinseca purpura, & veste, sed ab intrinseca perfectione, ac præstantia ortus. Cùm Jesus omnium virtutum exemplar, ostenderet glorias suas, scribit D.Matth.17. num. 2. *Resplenduit facies ejus sicut Sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix;* D.Ephrem. legit: *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut lucis;* candor lucis in vestimentis erat, & cur maluit ostendere pulchritudinem vestium ex lucis
Lux Justorum non ab externa veste, sed ab interno splendore.
candore, magis quàm ex purpura, vel cocco? Ubi cœlestis Principis gloria ostendebatur, cavit illam indicare pulchritudinem, quæ mera extrinseca esset, sed illam prætendit, quæ ortum ab intrinseco habebat, lucis enim candor in vestibus planè ostendebat intrinsecum Solem, qui in facie fulgebat, & sic à toto corpore exteriùs lux in vestibus emanabat, quo fulgebant. D. Ephrem. orat. de Transfigurat. ait: *Vestimenta sua ostendit alba instar lucis, quia ex toto corpore ejus, gloria divinitatis suæ scaturiebat, & ex omnibus membris ejus, lux ipsius refulgebat. Non ut Moyst, resplenduit ejus facies extrinsecùs, verùm ex ipso scaturiebat divinitatis ejus gloria, & in ipso manebat.*

QUÆSTSIO XV.

Quare hæc mulier offert manu poculum, Deus verò escas, & dapes.

112 Hic non est sermo de poculo damnationis, ut jam dixi in expositione, sed de poculo invitationis, ac provocationis ad delicias, ac voluptates, ut tenent omnes interpretes. Sanè mos erat antiquitus mulierem impudicam tanquam poculum suis amatoribus
Impuræ mulieres dãt venenũ ad bibendũ
præbere, quod plenum erat omni impuritate, immunditia, ac luxuria, ut colligitur ex D. Isidor.Pelusiota, lib. 2. Epist.289. & ex Stephano Canturiens. lib.Allegor.super Abacuc. undè rectè Philo Alexand. lib.de Gigantib.monet hoc poculum amatorium reiiciendum, ut virtutis pulchritudini, velut ferrum magneti adhæreamus, & ait: *Nocent ejus munera, quæ mox ablata prosunt, proindeque, ò anima, si apud te amatorium voluptatis invitat poculum, declina ab eo, & averss oculis, in genuinam, nativamque virtutis pulchritudinem, perge illam intueri, donec amore hujus correpta traharis, tanquam à magnete, ut attracta cum adamata cohæreas.* De hoc amatorio poculo loquens Damianus Epist.55. sic ab eo dicitur: *Virus mentium, gladius animarum*, &c.

113 Secudò mulier habebat poculum, non in ore, ut biberet, sed in manu, ut aliis ad bibendum offerret: perversi non solùm in vitiis se submergunt, sed alios
Impius non tolum ipse sectatur; sed alios vult perdere.
sua improbitate, ac nequitia inficere, ac perdere conantur. Andr.Cæsar.ait: *Poculum tenet, ut planum fiat, malitiam sectari, non ut inde satietur, sed ut perditionis illius studium, & sitis manifestetur.* O perversum iniquorum studium, qui non sunt contenti bibere iniquitatem, tanquam aquam, nisi aliis eandem propinent, & haurire faciant!

114 Tertiò mulier poculum tenet in manu. Manus quinque digitis constat; an digiti istius mulieris erunt expertes mysterio, cum in illius fronte scriptum legatur: *Mysterium?* Nequaquam; quinque digitis apprehendit poculum, omnibus nempe quinque sensibus apprehendit voluptates, & delectationes, ut explicat D.Antonin.2.part.tit.2.cap.1.nu.3. Hæc mulier
Cupiditas omnes sensus, ac Virtutes absorbet.
est cupiditas, cujus quinque sunt digiti, quos sic enumerat Archiepiscop. Florentinus: Primus digitus *est in pignoribus, quando quis scilicet pro mutuo alteri facto, recipit pignus ab eo;* secundò digitus *seu modus, est in dispositionibus, cùm scilicet quis deponit pecuniam, apud mercatorum, vel campsorem, ut utatur ea, salvo tamen capitali suo;* tertius digitus *cum scilicet venditur merces, ultra justum pretium ratione dilationis temporis solvendo pretium;* quartus digitus *in campsionibus & affectis assecurationibus;* quintus digitus *in mutuis, cum expressis lucri pactionibus, sive in pecunia, sive in operibus, sive in aliis, quæ pretio possunt æstimari.*

Quartò mulier habet poculum in manu, non craterem, quo ostenditur, quàm parva sunt bona delectabilia, quæ omnia parvo in poculo capiuntur. Cùm ægrotaret Ammon, ut optatis suis frueretur, postulat à patre Davide: *Veniat obsecro Thamar, soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas*, 2.Reg. 13.num.6. cur non escas postulat sibi parari, sed tantùm sorbitiunculas? Denotabantur ibi temporalia bona delectabilium, quæ sic diminuta, ac tenuja sunt, ut uno haustu sorberi videantur. Ait regius Vates, Psal.118. n.85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes*; D.August.legit, *sermones*. Omnes mundani sermones, omniaque temporalia, sunt fabulationes, quia sic sunt diminuta, ac exigua, ut sint tanquam quid fictitium, sine ulla veritate, ac soliditate.
115 Tẽporalia parva & angusta.

Quintò maximè ad quæstionem: Meretrix hæc poculum habet in manu, quod suis amatoribus offerebat, at Christus D. suis invitatis dicebat: *Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt*, Matth.22.num.4. à Deo prandium offertur, & escæ suavissimæ, taurus nimirum, & altilia, à meretice, non escæ, sed poculum propinatur; & cur Deus solidas escas, & meretrix, nonnisi pocula offert? Cœlestia, & divina bona, cùm manducantur suaviora apparent, bona autem temporalia, si manducarentur, maximè amaricant, ideo non proponuntur ut escæ, sed tanquam potus, qui minimè manditur, sed sorbetur ut potio amarissima.
116 Tẽporalia etsi videãtur dulcia sunt valde amara.

Dicitur Proverb. 16. n. 28. *Os impiorum devorat iniquitatem*; Aquila, Theodoret. legunt: *Deglutiet iniquitatem*. Talia voluptuosa bona, quæ non dicitur comedi ab impiis, sed vorari; & cur non comedi, sed uno haustu vorari dicuntur? Rectè Hugo ibi: *Devorari dicit, quia non masticat, sentiret enim amaritudinem amarissimam, quæ intus latet in fundo calicis, sed Diabolus dulcedinem falsam desuper apponit, quæ non sinit sentire fœcem amaritudinis, quæ intus latet.* Apponit Diabolus quandam eximiam dulcedinem apparentem bonis his voluptuosis, & simul facit, ut non masticentur, sed devorentur, & deglutiantur, talia enim sunt, quæ si masticarentur, ac consideratione examinarentur, amaritudinem comedenti inferrent intolerabilem.
117 Bona temporalia considerata sunt amarissima.

Dicitur Proverb. 5. n. 3. *Favus distillans labia meretricis; novissima autem illius amara, quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Significat Sapiens, mel sermonum meretricis, in fel tamen, seu venenum converti dolorum, qui tam acuti, & letiferi sunt, ac si gladio bicipiti inflicti fuissent. Ad hoc spectat D. Augustin. lib. decem cordarum cap. 4. & ait: *Quare ambalamus delectati cantibus lascivis, ad tempus dulcibus, postmodum amaris? talibus enim turpitudinibus allecti animi enervantur, & propter ipsas turpitudines postea sentiunt dolores, & cum magna amaritudine digerunt; quod cum dulcedine temporali biberunt.* Delectabilia bona sunt quadam temporali dulcedine temperata, quę dulcedo protinus evanescit; cùm ipsa manduntur, ac dentibus conteruntur, tunc in ipso ore, amarissimum fel effundunt, non tamen manduntur, sed bibuntur, & hac de causa, brevissimè sola dulcedo in ore sentitur, ubi autem paulisper in ore digeruntur, nil amarius homini invenitur, quàm sunt hæc terrena bona, ut meritò dicat D. Augustin. *Cum magna amaritudine digerunt, quod dulcedine temporali biberunt.*
118 Sub delitiis temporalibus fel, & venenum.

QUÆSTIO XVI.

Quare poculum in manu meretricis est aureum, & non ligneum, vel ex alia materia.

119 ALludit noster Evangelista ad Jerem. 51. n. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram; de vino ejus biberunt gentes, & ideo commotæ sunt.* Hic calix notat supplicium gentibus aliis per babylonios infligendum, undè est in manu Domini, à quo veniunt supplicia super iniquos; hic verò calix in præsenti innuit culpam scilicet propinationem idololatriæ, & scelerum, quæ à malo seductore, ac magistro proveniunt: sed jam moraliter.

Diserimen inter unum, & alium calicem.

120 Primò: *Calix aureus Babylon*; & tamen de illa clamat noster Vates: *Cecidit, cecidit Babylon*. Nunc verò videamus quid de vase fictili dicat Paulus 2. Cor. 4. n. 7. *Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei*; & statim multa de eorum fortitudine adjungit n. 8. *In omnibus tribulationem patimur sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; deijcimur, sed non perimus*, &c. ubi major fortitudo? ubi major constantia? Manifesta est in auro, aurum enim voraci flamma non absumitur, sed purgatur, testa autem quid imbecillius? & tamen babylonius calix aureus periit, ac ruit, vas verò testaceum, contra omnem Mundi tempestatem durat, & perseverat; undè tanta fortitudo? Ex Dei gratia; quidquid verò constans, & firmum Mundi videtur, sine Dei gratia, labitur, & corruit, at verò cum illa etiamsi debile, & imbecille sit, ut testa, valde forte, ac robustum est contra omnia mundialia. Haymon ad cap. 21. Luc. ad illa verba: *Amen dico vobis, quod non præteribit generatio hæc*; sic ait: *Quæ apud nos fixa videntur, apud illum transitoria sunt, & quæ apud nos transitoria videntur, in ejus verbis firma, & stabilia sunt.*

Quæ ex mundo sunt, fragilia, quæ verò ex Dei gratia fortia.

121 Tertiò Rupertus in præsenti sic ait: *Ut magis alliciat, & citiùs decipiat, non ligneum, aut æneum, sed aureum dicitur habere poculum in manu sua. Tale nimirum poculum mulier ista corripuit, quando ad seducendos faciliùs oculos hominum cupidinosos, atque ambitiosos, non solùm lapidea, sive lignea, verùm etiam aurea statuerunt reges Mundi simulachra, quæ colere nimirum abominationum summa, totiusque immunditiæ, ac fornicationis principium est.* Ut mulier immunditias propinaret, ac ut omnes illas biberent, poculum aureum porrigit, cujus nitore oculi potentium caperentur, ut omnia mala sub auri splendore obcœcati devorarent. Ad hoc spectat Lactantius lib. 1. de Origin. error. c. 7. *Tanta homines imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora dicantur illa, quæ vera sunt. Auro scilicet, gemmis, & ebore delectantur, horum pulchritudo, & nitor præstringit oculos, nec ullam religionem putant, ubicunque illa non fulserint.*

Splendor auri, ac tèporaliũ obcœcat, ne bonum videamus.

122 Quod confirmatur: Cùm Jacob pergeret in Ægyptum, ut videret filium suum Joseph, apparuit illi Deus, & post multa promissa illi facta, ait ei Deus: *Joseph quoque manus suas ponet super oculos tuos*, Gen. 46. n. 4. prænuntiatur Jacob, quod Joseph impositurus sit manus suas super ejus oculos, ne videat; & quando Jacob dicitur Israel, hoc est videns Deum, quænam sit manus Joseph, quæ ejus oculos sic præstringere, ac claudere possit, ne tantum bonum videat? In filiis Joseph, seu in tribu ejus extitit Ephraim, ex quo natus est Jeroboam: *Qui fecit duos vitulos aureos*, 3. Reg. 12. n. 28. proposuit populo adorandos, quibus sic fecit cœcutire Israelem, ut nec verum Deum, nec quidquam aliud præter illos videret. Origen. homil. 15. in Gen. ait: *Quoniam quidem de tribu Joseph fuit Jeroboam, ille qui fecit duas vaccas aureas, ut seduceret populum adorare eas; & per hoc velut impositis manibus suis excæcavit, & clausit oculos Israel, ne videret impietatem suam.*

Nitore auri obcæcantur oculi.

123 Quartò eadem Ruperti verba iterum premo: *Notanda pessimæ intentionis instantia; quia ut magis alliciat & citiùs decipiat, non ligneum aut æneum, sed aureum dicitur habere poculum in manu sua.* Ecce fœmineum lenocinium; auratum obsequium, & illecebrosum poculum Babylon vultu ad speciem gratissimo accedentibus officiosè propinat, ut mortiferè inebriare valeat; quod militari non potest ferro, doloso lucretur poculo. Nec contenta est naturalem sopire sitim, sed etiam detestando commercio inebriat, & deliramenta sugit. Sisara è cœlo territus fugiebat à pugna, fugiensque ad Joelis pervenit tentorium, cumque anxius fugæ labor ardentem excitasset sitim, aquam, qua illam extingueret postulavit: *Da mihi obsecro, paululum aquæ, quia sitio valde*, Judic. 4. n. 16. quid tunc? Joel. 2. lacteum ministrat potum, & officiosa accelerare gestat obsequia: *Aperuit utrem lactis & dedit ei bibere*; quærunt Patres: Cur aquam petenti lac ministravit? Respondet Abulens. quæst. 19. lac ministrasse, ut videretur urbanior, & principi inserviret obsequiosior, talia obsequia Sisaræ vocabant damna, maturabant detrimenta; sic ait citat. Abulens. *Cogitaverat occidere eum, quod non poterat, nisi ipso dormiente, ideo procuravit, quomodo eum citò soporaret, & istud erat dando lac.* Dum lac soporiferum præbet siti, urbanitate studiosa & neci studet; quia auferre discupierat vitam, dulce lac officiosa obtulit, & dum majus obsequium præbet, citiùs inferre mortem molitur.

Obsequia fœmineam quanto efficaciùs, tanto insidiosiùs.

124 Quintò mulier portat in manu poculum aureum, quod ad bibendum suis amatoribus offert; at scyphus Joseph, per quem ipse bibebat argenteus erat, Gen. 44. n. 2. undè tanta differentia, cum Joseph esset valde potens, & totius Ægypti gubernator? Poculum hujus mulieris erat plenum abominatione, ac fornicatione, iniquæ, ac pestiferæ doctrinæ, ut dicam quæst. seq. at scyphus Joseph, erat totus ad veram sapientiam; *Scyphus, ipse est, in quo bibit Dominus meus, & in quo augurari solet*, ibid. n. 5. in salutem nempe populi, ac totius regni; & quæ sunt falsa, & pestifera, nihilrem, ac splendorem auri tanquam sui tegumentum quærunt, de quibus minimè agunt vera & salubria, quæ sui candorem, ac sinceritatem ostendunt, quo animos devincunt; at vero meretrix, venenum abscondit, & ostentat aurum. Acutè Tertullian. lib. de Baptism. c. 2. *Idolorum solemnia vetò arcana de suggestu, & apparatu, atque sumptu fidem, & authoritatem sibi extruunt. Proh misera incredulitas! quæ denegat Deo proprietates suas, simplicitatem, & potestatem.* Auctoritas Idolorum tota in ampla pompa, & fastuoso apparatu consistit, & talia denegantur Deo, cujus potestas, ac simplicitas non in pomposo vestitu, ac magnifico ornatu demonstratur, sed sua sinceritate, ac veritate cunctis fit manifesta. Vera divinitas, ac potestas quocunque modo absque aliquo composito cultu magnifica, excelsa est, suaque sanctitate cunctis nota, ac maximè venerabilis.

Falsitas quærit ornamenta at veritas sinceritatem.

125 Sextò præclarè D. Ambros. in Psalm. 1. ait: *Calicem aureum Babylon excogitavit, ut quicunque biberent, plus sitirent; & quia potus placere non poterat, auri pretium illiceret ad bibendum. Propinavit de vino suo, cui metalli suffragia requisivit; at verò Dominus Jesus aquam de petra effudit, & omnes biberunt*; quæ verba altum examen requirunt. *Ut quicunque biberint, plus sitirent.* In poculo erant luxuriæ, universæque voluptates; cur voluptatum poculum aureum fit? Sanè in fœminea manu non duraret luxuria, nisi illi immistum esset aurum. O quàm citò fœmina, vel homo fastidiret manes voluptates! quas ne unquam fastidiat, sed quietè plus sitiat, plus appetat, intermiscetur lasciviæ aurum: *Calicem aureum Babylon excogitavit, ut quicunque biberint, plus sitirent.* De sapientissimo Salomone ait text. *Depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*, 3. Reg. 11. num. 11. & undè fieri potuit, ut ita cor ejus esset depravatum per mulieres, cùm multa earum esset ei copia, ita ut ibi dicitur n. 3. *Fuerunt ei uxores, quasi reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ.* Cùm ipse regnaret, incredibilis fuit auri copia in Jerusalem, ut patet ex 3. Reg. 10. num. 27. *Fecitque ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem quanta & lapidum.* Perbelle D. Anastas. Synaita in Hexaemer. ait: *Auri copia inflammavit libidinem, adauxit luxuriam.*

Aurum libidinis fomentum.

Septimo ad eadem verba Ambros. *Propinavit illa de vino suo, cui metalli suffragia requisivit.* Non

126

con-

Ab auro & crassitudine magis fu ffragium ad perditionem.

contenta est mulier in manu sua habere voluptates, sed eas habebat in auro, quasi nihil faceret omnes delicias, quibus aurum, & lucrum non suffragatur; non æstimantur voluptates, nisi ab auro habeant suffragium. Ait Job. 15. num. 27. *Operuit faciem ejus crassitudo, & de lateribus ejus ruina dependet*; D. Augustin. in Annotationibus legit: *Et fecit capistrum super femora*. Capistra ori equorum adhibentur, ut trahantur, quò homines velint, at spiritus malignus, quot libidini instrumenta videt, tot capistra, tot frena à crassitudine nota putat, quibus alligare possit, & trahere homines in extremam ruinam. D. Augustin. ibi: *Fecit capistrum super femora, ut libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem*. A crassitudine validissimum vinculum conjicit Diabolus in hominem, ut eum trahat in perditionem.

127 Octavò ad ea Ambrosii verba: *Propinavit de vino suo, cui metalli suffragia requisivit; at verò Dominus Jesus, aquam de petra effudit, & omnes biberunt*. Cùm populus in deserto sitiret Moyses ex Dei mandato, *percutientes bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ut populus biberet*, Numer. 20. num. 11. Ecce Deus, & mulier dant potum ad bibendum; Deus nudum lapidem proponit: *Aquam de petra effudit*; at mulier poculum ex auro pretiosissimo: *Propinavit de vino suo, cui metalli suffragia requisivit*; & cur quando Deus nudum lapidem proponit, mulier requirit vas aureum? Equidem quæ à creaturarum veniunt manu, auri, & metalli splendoris suffragia requirunt, ut placeant, ac ut satisfaciant, Deus autem per se solum, sine aliorum suffragio habet undè placeat populo suo, hominesque satiet; Deus inter durissima, saxa absque aliorum suffragio habet undè cunctos recreet, eosque omnibus repleat; creatura verò aliorum suffragia quærat, ut homines alliciat, eisque placeat; Deus per se solum sufficit illis.

Deus per se solum, sufficiens est homini.

128 De Jesu dicebant judæi. *Nonne hic est fabri filius? nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres Jacobus, & Joseph, & Simon & Judas?* Matth. 13. num. 55. verè mater ejus sponsa fabri erat, qui cùm posset filius reginæ nasci maluit mulieris pauperis haberi filius; & cur non magis voluit esse filius reginæ? Ait Theodotus tom. 6. in Concilio Ephesino in Appendice 5. cap. 2. homil. de Nativitate Christi: *Si filius esset imperantis, potestati utilitatem adscriberent; si legislatoris factus fuisset filius, præceptis utilitatem adscriberent; sed quid fecit? Omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimum obscura, ut divinitas sola cognosceretur, Orbem transformasse terrarum*. Deus per se solum, exclusis omnibus creaturarum adminiculis sufficiens est ad hominem trahendum ejusque omnimodam sitim explendam.

Deus per se solum valet homines trahere.

129 Dic mihi, quando Dei filius pauperior, ac nudior apparuit, quàm dum Cruci suffixus est? ibi omni splendore externo spoliatus videtur, clavis transfixus, opprobriis, ac injuriis affectus, ibi tamen fecit, ut homo rudis inter latrocinia enutritus ejus divinitatem acclamaret dicens: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum*, Luc. 23. n. 42. & quomodo ipse divinus Sol justitiæ, maximè obscuratus, ac obtenebratus in Cruce potuit latronis vocem excitare ad tam manifestam divinitatis confessionem? Ipse meus Jesus omni externo splendore denudatus absque ullis externis adminiculis, per se solum sufficiebat, ut daret suæ divinitatis radios, hominemque in salutem traheret. D. Chrysostom. serm. de Latrone ait: *Nec enim illo in tempore mortuum aliquem reddidit luci, mare à suo tumore compescuit, nec expulit dæmones, sed Cruci suspensus, clavis affixus, omnibus subjugatus, decoris incumbens infamiæ, latronis aversam mentem voluit commutare, ut omni ex parte ejus divinitas cognosceretur*; imò hoc fuit summum miraculum, quòd Christus in Cruce pendens latronem in peccato inveteratum, ad se attraheret, ac adduceret.

Divinitas & si maximè obscurata hominem trahit

QUÆSTIO XVII.

Quare poculum aureum mulieris non est plenum aliquo suavi liquore, sed abominatione, ac immunditiæ fornicationis.

POculum hoc aureum, quod mulier tenet dicitur *Plenum abominatione, & immunditia fornicationis*. Abominatio denotat illa, quæ sunt contra Deum, ac divina, ut idololatriam, & dæmoniacas observationes, erroresque contra divina; immunditia dicit illa, quæ sunt contra mores, & maximè involuit vitia carnalia; hæc omnia in suo calice propinat meretrix, & cuncta hæc referuntur ad ejus fornicationem, quibus omnibus homines ad se trahit, & sui participes facit: hæc ad literam, jam moraliter. 130

Quid sit abominatio, & fornicatio?

Primò in calice aureo offert mulier, an vinum suavissimum, an nectar Domini? Minimè; sed quid? Abominationes, & fornicationis immunditiæ. Sed quare mulier in suo poculo talia offert? an ut sitim extinguat? Nullo modo, sed ut eam adaugeat. Mulier hæc inordinatæ cupiditatis est symbolum, & inde intendit hujusmodi affectum augere, ut sic mentem valeat à Deo avertere, & in innumera scelera nos præcipites dare. Rupertus ait: *Poculum mulier habere dicitur, &c. quia nimirum totus cupiditatis fructus, sive effectus, est subvertere hominem rationalem, sensumque ejus funditus subvertere, ut à Deo vivo & vero, mente formicetur, & corpore traditus, & anima idololatriæ subditus sit*. 131

Cupiditas inordinata avertit à Deo, & trahit ad crimina.

Secundò: *Calix iste erat aureus*, & inde valde splendidus, & magnæ æstimationis, & ideo aliquid magnum promittit se habere; quid ergo hoc erit de quo est plenus? D. Anton. Ulyssipon. in fragment. in Apocalyps. *Poculum est calix aureus in manu Babylonis, est Mundi gloria; foris aurea, sed intus spurcitia & abominatione plena*. 132

Mundi gloria foris aurea totus abominabilis.

Tertiò D. Ambros. in præsenti ait: *Mulier erat inaurata auro, quia sæculi sapientiam possidebat, quæ stultitia est apud Deum. Per poculum aureum philosophorum, & poetarum doctrina exprimitur; quod plenum abominationum, & immunditiæ fornicationis dicitur, quia doctrina philosophorum tota erat plena mendaciis, omnibusque erroribus ad decipiendum genus humanum compositis*. In poculo aureo deprehenditur fucata auro falsitatis immunditia, & rhætoricæ fulgentissima eloquentia, nam mulier dum poculum foris propinat aureum, intus concinnat stultissimè dolum. In uno mulieris poculo invenies quotquot à poetis fabricatę fuerint abominationes errorum, ac fabularum; quotquot etiam ab obcœcatis philosophis immundæ falsitates, ac depravationes excogitatæ sunt, de quibus loquens Baruch. ait cap. 6. n. 7. *Linguæ ipsorum politæ à fabro ipsa etiam inaurata, & argenta falsa sunt*; quippe fallacium spirituum lingua, quæ expolita, & aurea est, falsitates habet sub aureis, ac argenteis flosculorum coloribus, populis nociviſſimas: vide quæ dixi supra cap. 16. q. 20. n. 160. & seqq. & q. 21. n. 170. & seqq. 133

Aurata lingua populis nociva.

Quartò D. Anselm. Alensis, Alb. Magn per poculum aureum, sacram Scripturam interpretantur; sed quomodo talis calix plenus dicitur abominatione & immunditia fornicationis? nunquid divinus sermo immuditias continet? Minimè: Eloquia Domini pura, & casta; quia tamen hæretici, & falsi magistri eam ad libitum, & non juxta verum sensum interpretantur, & iniquis, ac abominandis expositionibus eam detorquent ad suum libitum, ideo mulier, hoc est iniquorum cœtus, ipsum poculum aureum defert plenum abominatione, & omni immunditia sua, quam intendit perverso, & siniſtro sensu in bonos, ac rectos diffundere. Alensis ait: *Mulier hæc habens poculum aureum, id est, sacræ Scripturæ librum, in manu, id est, expositionibus pravis, plenumque abominationibus, id est, erroribus, & falsitatibus plenum, & immunditia fornicationis, quia eorum doctrina docet carnis immunditiam, & excitat ad luxuriam*. 134

Doctrina hæreticorum plena abominationum.

Quinto poculum erat *plenum abominatione, & immunditia fornicationis*; & cur hæc duo simul connectuntur, abominationes scilicet idololatriæ, & immunditiæ fornicationis, & lasciviæ? & quando hæc non conjunguntur, cùm una sit alterius 135

Lascivia idololatriæ ac erroris comes.

inseparabilis comes? Accusatores Susannæ turpitudinis locum ostendentes sub lentisco fuisse affirmant, Daniel. 13. n. 54. quod juxta D. Ambrosium est eadem arbor, sub qua Jacob infodit idola, Gen. 35. n. 4. Ex quo loco poterat prodire impuritas, ac immunditia lasciviæ, nisi ex eo, in quo jacebant idola, idololatriæque fomenta? D. Ambros. lib. 2. Hexaem. cap. 7. *Congruus error Presbyteræ veræ confessionis, ut ibi diceret contaminatam castitatem, ubi gentium defossa sunt simulacra.* Una alteri inseparabiliter adhæret.

130 Sexto in hoc poculo aureo denotantur mundanæ deliciæ, quæ ob earum suavitatem splendidæ, ac aureæ videntur; sed quomodo hoc poculum dicitur *plenum abominatione*; seu ut legit Primas. *plenum abominationum totius terræ*, D. Cyprian. *plenum execrationum*? si deliciæ aureæ videntur, quomodo execrationes dicuntur? Deliciæ humanæ omnes quidem in amaritudines, ac abominationes illico convertuntur. De delicioso homine ait Job. 33. num. 20. *Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus, ante desiderabilis.* Ea quorum desiderio ardebat, & in quorum fruitione omnes suas voluptates, imò ac beatitudinem cogitabat, & quæ erant ei, tanquam felicis vitæ fomentum, veluti panis, ac cibus jucundissimus, abominabilia ei facta sunt, & etiam maximè horribilia, ex quo ad ejus manus pervenerunt; sed quæ sunt hæ res, aut hæc bona, quæ posita in hominum manibus tam infeliciter mutantur? Hæ sunt delitiæ, & voluptates temporales, quæ cum primo aspectu dulces videantur, subitò in amaritudinem, ac afflictionem transmutantur. Ad hoc spectat D. Gregor. lib. 23. Moral. cap. 7. & sic ait: *Quid aliud, anem, quàm præsentis vitæ delectationem vocat? qui postquam vim tentationis exprimit, illico abominabilis ei fit in vita sua panis, & animæ illius cibus ante desiderabilis, quia videlicet omne, quod prius de ipsa prosperitate vivendi dulce sapiebat, postmodum amarescit.*

Voluptates sæculi abominabiles reddunter.

137 Deplorat Jeremias Thren. 1. num. 3. *Migravit Judas propter afflictionem, & multitudinem servitutis*; seu, ut Vatabl. Chaldæi, ac alii legunt: *Abiit in captivitatem.* Causa autem captivitatis, ac afflictionis Juda, fuerant nimia voluntas, grandisque vivendi libertas, quæ Judam rapuit, ut à Deo discederet; cur ergo dicitur, non ad gloriam, & voluptatem, sed ad afflictionem, ac servitutem transisse? Equidem ille credebat, se ad voluptatem, ac libertatem transisse, sed ut talia extra Deum quærebat, non delicias, nec liberum vivendi modum, sed servitutem, & afflictionem inveniebat; sine dubio quidquid extra Deum est, etsi splendidum, ac voluptuosum videatur, in re tamen amatitudo, ac afflictio est, & incomparabilis servitus. Rupertus, lib. 1. in Jerem. cap 15. *Migravit Juda à luce ad tenebras, à requie ad laborem, à regno ad captivitatem, à vita ad mortem. Quare? Propter afflictionem & servitutem. Mira res: nunquid afflictionem desiderabat? Non utique, sed sufficientiam, & libertatem se sibi acquirere existimavit. Verùm, quidquid illud est, quod hoc modo quæsivit, quod extra Deum invenit, afflictio, & multitudo servitutis.* Expende ultima verba: *Quod extra Deum invenit, afflictio est, & multitudo servitutis.*

Delitiæ mundi non sunt deliciæ, sed afflictio, & servitus.

138 Dicebat Job. 7. n. 20. *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihi metipsi gravis?* Dolet maximè sanctus, ac pius vir, quod Deus permiserit, quòd ille commiserit aliquid contrarium legi Dei, ac adversùs divina mandata, nam cùm ipse effecerit contrarium Deo, quamvis constituatur in cumulo omnium voluptatum, ac delectationum mundialium, nihil inde participat nisi intolerabile pondus omnium dolorum, ac afflictionum, & inde quod sit permissum in talia incidere, inde putat maximè se contrarium habere Deum. Rupertus proximè citatus, ait: *Mira & mirabilis deceptio migrantis, quia dum migrat spe divinitatis, quam fallax serpens promisit, nihil aliud invenit, quàm afflictionem, & multitudinem servitutis, & afflictionum, videlicet mortalitatis, qua sibimetipsi gravis fit, & multitudinem servitutis peccati; tot cum Dominis servit, quot vitiis.* Ex peccato nihil aliud invenit, quàm afflictionem qua sibimetipsi gravis sit.

Delitiæ tanquam cateræ secum afportant afflictiones.

Apoc. 17. *n.* 5. Et in fronte nomen ejus scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.

Num. 6. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu, & miratus sum cum vidissem illam admiratione magna.

VERSIONES.

Syriacus n. 5.	Et super domicilium oculorum ejus, &c. Babel illa magna, illa mater meretricum, & inquinationum terræ.
Arabicus.	Scriptum: Mysteria mater omnium scortationum.
Alius Arabic.	Nomen scriptum super frontem ejus, id est, mysterium Babylonis, matris fornicatorum, & immundorum cordibus, qui de terra sunt.
Primas.	Nomen scriptum sacramentum, mater execrationum totius terræ.
Quidam apud Marian.	Nomen scriptum: Attende.
Arabic. n. 6.	Mulierem inebriatam sanguinibus justorum.
Syriacus.	Et sanguine testium Jesu.
Primas.	Miratus sum, cùm vidissem eam miraculo magno.
Pagnin.	Cùm vidissem illam.

EXPOSITIO.

ET *in fronte*] Frons est locus valde patens, & pertinet ad publicam professionem. *Mysterium.* Quod græcè dicitur mysterium, latinè, idem est, ac sacramentum, ut rectè notant Viegas, Alcazar, Gagnæus. *Mysterium* hìc non videtur à Joanne poni tanquam nomen mulieris, sed est quædam advertentia, per parenthesim, ac si dicat: Attende mysterium. Nec contra hoc obstat lectio Arabica, ut vult Ferrarius quæ habet: *Nomen scriptum super frontem ejus, id est, mysterium Babylonis matris;* quia adhuc per parenthesim, legendum est, *mysterium*, & facit hunc sensum: Nomen scriptum ejus, id est, ipsius Babylonis, magnum habet mysterium, seu, ut alii legunt in plurali, *mysteria*: de hoc infra dicam q. 19. 139

Babylon magna; quod non est exponendum de Urbe Chaldaica, sed figuratè, ac mysticè; quia Babylon dicit confusionem. Et additur, *magna*, propter multiplicem diabolicæ civitatis confusionem, in qua nihil est rectum, nihil ordinatum, sed universa omni vitiorum turpitudine confusa. Communiter tamen interpretes, Ribeira, Viegas, Menoch. Tirin. la Haye intelligunt Romam ethnicam, qualis fuit ante susceptam Christi fidem, & qualis erit in fine Mundi; nos verò exponimus de cœtu iniquorum, per quem dicimus denotari Babylon: vide quæ dixi hoc cap. q. 1. 140

Mater fornicationum, & abominationum terræ; id est, fons, & origo omnium fornicationum, & impietatum. Et bene dicitur mater, quia multos filios ad omnia flagitia generat. Andr. Cæs. ait: *Vocatur mater fornicationum, quia omnis spiritualis fornicationis animæ magistra, & causa extitit, ut quæ subjectis quoque Domino suo civitatibus, multas execrabiles prævaricationes peperit.* Et notandum, quòd hæc mulier dicitur mater fornicationum, & abominationum terræ, non verò bestia, supra quam sedet, quia tyrannica potestas, seu tyranni omnium malorum Reipublicæ fuerunt tanquam patres; hæc verò civitas Diaboli, tanquam mater parturivit omnes immunditias, seu abominationes, sub quibus, ut dicit D. Th. intelliguntur omnia flagitia, *quæ fœtorem faciunt in anima, & horrorem abominabilem generant.* 141

Impii alios in illa impietate generant.

Mulier dicitur mater fornicationis, non bestiæ.

Et vidit mulierem ebriam; de qua est sermo. Et quamvis de hac nulli ebrietatis effectus ponatur, tamen oculi Prophetarum ad interiora rapiuntur, & occulta, ac interna penetrat. Dicitur hæc mulier ebria de sanguine san- 142

Qui distinctio sit inter sanguinem sanctorum & martyrum.

sanctorum, tanquam fera bestia, sanguinem bibens, ac præ suo eximio furore, tanquam mente alienata, solùm enim à maximo furioso tanta sanguinis copia effundi poterat. *De sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum* Jesu. Distinctionem ponit inter unum, & aliud; mulier dicitur ebria de sanguine sanctorum, qui occisi sunt in odium Dei, antequam adveniret Dominus Jesus, *& martyrum* Jesu, qui in odium Jesu, ejusque fidei, ac nominis occisi sunt, postquam sanctissima fides christiana annuntiata est Romæ, ac universo Orbi.

143 Cur Joannes tam vehementer hic admiratur.

Et miratus sum cum vidissem illam, admiratione magna. Quomodo Joannes tantopere miratur, cùm hactenus, cùm tot monstra viderit, nec unquam admiratus est, nec dicitur admiratus? *Admiratione magna*; quod scilicet mulier tanta pompa, ac apparatu insideret bestiæ septem capita habenti, & cornua decem; & ideo sequenti vers. 7. ait Anglus Joanni: *Quid miraris? Ego dicam tibi: Sacramentum mulieris, & bestiæ*, &c. Et quòd mulier esset ebria, non vino, sed sanguine præ nimia sua feritate, ac crudelitate, quod valde mirum est Joanni, ob suam lenitatem, ac suavitatem, ut ex Andr. Cæsariensi dicam q. 20. Et tandem tertiò miratur, ut ait Nicolaus Zegerus, eo quòd mulier cum tanta iniquitate, ac turpitudine ita esset prosperata de quo Jerem. 12. n. 1. maximè admiratus ait: *Justus quidem tu es Domine, si disputem tecum, veruntamen justa loquar de te; quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur.*

QUÆSTIO XVIII.

Quare meretrix nomen portat scriptum in fronte, & non potiùs alio in loco.

144 CUm noster Evangelista ait: *Et in fronte nomen ejus scriptum.* Alludit ad antiquam consuetudinem, secundùm quam, ut notæ fierent mulieres impudicæ, super cellas lupanarias, in quibus morabantur, nomina earum inscribebantur, ut apertè indicat Seneca Controvers. 1. *Meretrix vocata es; in communi loco stetisti; superpositus est cellæ tuæ titulus*; at verò si talis meretrix erat famosa, & valde impudica, non tantùm in cella, sed in fronte sua nomen, & elogium præferebat, ut habet citato loco Seneca: *Nomen tuum pependit in fronte*; quod etiam ex Martiali, Tertullian. Juvenali docet Durantius lib. 1. variar. cap. 2. & non est necesse, ut concipiamus nomen in ipsa carnis fronte conscriptum, sed ad eum modum, quo Aaron nomen Dei scriptum in fronte gestabat, in lamina nempe.

Antiqua consuetudo apud meretrices.

145 Secundò, & moraliter: In fronte inscriptum apparet nomen ejus, quod sit *mater fornicationum*; nonne, qui iniquè agit, odit lucem, & sua crimina ab omnibus vult abscondi, & nemini patere? quomodo ergo hæc mulier inscriptum importat in fronte, parte valde manifesta, quod sit meretrix? Lascivi ita depravatæ mentis sunt, ut publica professione, gestu, actione, & modo, suam impudicitiæ turpitudinem testentur. Adest patronus Rupertus, qui ait: *Cives Diaboli non solum abscondunt opera sua turpitudinis, imò lætantur cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Denique & in fronte scriptum, quod est Babylon habere, quid est, nisi opera confusionis publica testari professione? Hinc prostitutæ Judææ per Jeremiam exprobrando Deus dicit:* Frons mulieris meretricis facta est tibi, & erubescere noluisti cap. 3. *Rectè hæc mulier in fronte sua nomen scriptum habere dicitur Babylon magna mater fornicationum terræ, quia ipsa est corpus, sive universitas impiorum terræ, qui fornicationes, atque abominationes adinvenerunt, de quibus scriptum est Jerem. 3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec abscondunt.*

Lascivus sic perditus ut publicem suæ turpitudinem testetur.

146 Tertiò immunditiam, ac impuritatem, quam mulier habebat in corde apertè, ac manifestè gestabat in fronte, cum scriptum haberet *Mater fornicationum*; & cur in fronte agnoscitur quod gestabat in corde? Ut inexcusabilis sit homo apud Deum qui talibus se immisceat, ac implicet, ab eisque non recedit: Richard. Victorin. ait: *Ut nemo excusetur, si cum ea fornicatur, quia apertè potest cognoscere malum, quod debet cavere, scriptum est enim Matth. 7. A fructibus eorum cognoscetis eos.* Ansbertus Abbas ait: *Ne sub pallio simulationis objectæ falleret incautos, divina misericordia ex titulo frontis fecit esse sollicitos.* Luxuriæ fomenta secum habent signum ut ab eis fugiamus.

Inexcusabilis est homo lascivia & commissa.

Quartò quid est, quòd mulier gestat scriptum in 147
fronte, *mater fornicationum, & abominationum terræ*? & quomodo hoc est scriptum in ejus fronte? Suo nempe mundano cultu: *Circumdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro*; suoque gestu, suaque fucata hilari, ac composita facie, suisque nutibus, tanquam scriptum in fronte habebat, quòd esset meretrix, mater fornicationum, & abominationum terræ. De Thamar scribitur Genes. 38. num. 15. quod depositis viduitatis vestibus, mutatoque suæ viduitatis habitu, ornavit se & sedit in via; *quam cùm vidisset Judas suspicatus est esse meretricem*; undè Judas in talem cogitationem devenit, cùm frequenter contingat, quod quis se ostentat unum in habitu, cùm sit aliud in corde? de quibusdam hypocritis ait Christus D. Math. 7. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*; quod explicans D. Hieronym. ait: *Aliud habitu promittunt, aliud opere demonstrant*; undè ergo Judas conjicit Thamar esse meretricem? Quia in veste mulieris nimis composita, ac inhonesta, apertum signum est ejus impuritatis, ac meretriciæ artis. Abul. ibi: *Quilibet ex suo habitu judicatur donec probatur contrarium.*

Mulier, ex habitu ac ex gestu cognoscitur.

Præclarè ait D. Hieronym. ad Nepotian. *Si mulier* 148
se ornaverit, & vultus hominum ad se provocaverit, est nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patietur, quia venenum attulit, si fuisset, qui biberet. Castissima Judith. depositò viduitatis habitu, cum se ornasset vestibus suæ inquditatis, *ducta ad tabernaculum Holofernis, statim captus est in oculis ejus Holofernes*, Judith. 11. n. 7. Judith castissima, totiusque castitatis exemplar: puritas quæ est in corde, semper redundat in facie, & tamen vultus renitens, capillaturæ cincinni eleganter crispati, lenociniorum ingenia, fucorum artes, genæ industriè coloratæ, curiosa oculorum pellicia, ducis animum impudicæ suspicionis impleverunt, & oculus castæ, non castè vulnerat aspicientem, & pudicæ ornatus enervavit virile pectus. Optimè D. Cyprianus lib. 2. Epistol. 2. *Facies quædam læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia, etiam in casto pectore hæc fallacia videtur.*

Castæ decora facies indecoram dat occasione.

De filiabus hujus sæculi loquens regius Vates. 149
Psal. 144. n. 13. ait: *Filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi.* Tanto apparatu, ac pomposo cultu, ac vestitu deaurato omni gemmarum varietate exornantur, ut videatur tanquam templa aureis tapetibus, ac pretiosa supellectili, in die festivo, ac solemni adornata, & tanti apparatus, quænam est consequentia? *Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud.* Promptuaria, eorum nempe corda, quorumnam sunt plena? omni nempe immunditia, ac spurcitia. *Eructantia ex hoc in illud*; hoc est ex una turpitudine aliam majorem evaporant & diffundunt, ut hic dicatur abyssus, abyssum invocat. Cassiodorus: *Corda quantum copiosè plena sunt, tantum diversas eructationes pessimæ exaltationis emittunt.* In illa nimia compositione, ac cultu, filiæ eorum compositæ, tanquam in fronte leguntur eorum corda. *Mater fornicationum, & abominationum terræ.* Eorum corda *eructantia ex hoc in illud*; ex una nempe luxuria, ac immunditia, aliam majorem luxuriam, ac turpitudinem. Tantus cultus, tantusque ornatus, talia dicunt taliaque secum scripta deferunt.

Nimius mulierum ornatus, maximam impudicitiam vaporat.

Convocata omni domo sua ait Jacob. Genes. 35. n. 150
4. *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, mutate vestimenta vestra, & abscondamus Bethel*; tunc dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, *& inaures, quæ erant in auribus eorum, ac ille infodit ea subter terebinthum*; quid est quòd Jacob Deos alienos petit, ut eos abjiciat, & confodiat, & insuper, inaures etiam illi offerunt, ut ibi rectè ait D. Augustin *Quæritur, quare inaures, quæ ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant?* Intendebat

justus in sua familia integram, & sinc eram Dei fidem cum omni virtute, ac probitate stabilire, & ideo solerter curat, ut ab ea ablegentur idola, vicinaque idololatriæ ornamenta, quæ cum indicio turpitudinis, quam important, multum viderentur derogare de fidei integritate. Tertull. de cultu fœminar. cap. ita scribit: *Non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter inventorem libidinis scimus; quid igitur in te excitas malum istud?* & statim subdit: *Debemus quidem ita sanctè, & tota fidei substantia incedere ut securi simus de conscientia nostra*; ac si pulchra fœmina, quæ pretiosis vestimentis, ac monialibus excultius exornatur, aliquid ex *tota fidei substantia*, quodammodo derogat, nec fide integra conversatur. Accidentia quidem fidei externa religione ostendit, & ore præfert, sed totam fidei substantiam non implet. Præclarè D. Zeno Veronens. serm. 2. de Avaritia ait: *Ancilla Christi falsum idolum respuis, crede, in te colis, cujus ornamentum, cujus imaginem non deponis.* Mulier pompaticè vestita, quamvis dicat se non esse idololatram, tamen in se videtur colere idolum, cujus ornamentum, & imaginem non deponit.

Ornatus multus aliquid ex fidei substantia derogat.

QUÆSTIO XIX.

Quare meretrix scriptum gestat in fronte Mysterium, seu Sacramentum.

151 QUod à Græcis dicitur mysterium, à latinis Sacramentum appellatur, ut jam notavi. Ait noster Evangelista: *In fronte nomen ejus scriptum mysterium*; Primasius legit: *Sacramentum*; Arabicus *Mysteria*; quod etsi per parenthesim legendum sit, ut cùm communi sententia dixi in expositione, quod Joannes nos excitat ad magnam advertentiam, ac considerationem, tamen Pannonius, & Ferrarius existimant, mysterium pertinere ad nomen mulieris, ac si totum nomen ejus sit *Mysterium Babylon magna*.

152 Quod hìc nobis præbet ansam ad multas considerationes, nam *mysterium*, seu Sacramentum est id, quod cùm unum videatur, aliud sub illo latet; ita dicitur: Sacramentum est signum visibile invisibilis gratiæ, v. g. Baptismus, in quo aqua nostris sensibus objicitur, & sub illa latet vis divinæ gratiæ sanctificantis nos: ergo hæc mulier dicitur mysterium, quia unum est in se, & aliud apparet. Apparet inaurata auro, ornata gemmis pretiosis exteriùs, cùm interiùs plena sit omni immunditia, & ideo gestat in manu *poculum aureum*, cùm interius sit plena omni abominatione; rectè ergo mulier portat in fronte, *Mysterium*, seu Sacramentum ut alii legunt. Scyphus Joseph erat argenteus, & inventus est in ore saccorum, Gen. 45. n. 14. & tunc argumentum mortis videbatur, at verò poculum mulieris, cùm esset aureum signum vitæ poterat videri; & tamen Scyphus Joseph, vitam, ac libertatem cum multis donis attulit Beniamin: *Dedit trecentos argenteos, cum quinque stolis optimis*; poculum verò mulieris mortem inferebat: *Ipsam igni concremabunt*; undè tanta differentia? Scyphus Joseph erat ex Dei dono, quod & dabat divina responsa: *In quo Dominus meus augurari solet*; poculum mulieris ex Mundo, ac Diabolo. Quæ à Deo communicantur, vitam cum multis donis germinant, quæ autem à Mundo, & Diabolo mortem cum multis suppliciis inferunt.

Bona mundi foris aurea, intus venenosa.

Dei dona vitam, mundi vero mortem.

153 Secundo Albert. Magn. *Et in fronte nomen ejus scriptum Mysterium*. In his videtur latere quædam implicatio, nam quod in fronte ponitur, est valde patens & manifestum, quod autem mysterium seu Sacramentum dicitur, est multum occultum, & absconditum, quia immunditia, ac turpitudo, quæ justis est manifesta, est valde occulta, & abdita mundanis obcœcatis in sua pravitate. Albert. Mag. *Perfecti, & sapientes facilè cognoscunt ejus opera, ideo dicitur scriptum in fronte, id est, apertum, sed reprobis erit mysterium, id est, occultum*; & ideo abominationes, ac immunditiæ mulieris, quæ in poculo erant reconditæ agnoscuntur à Joanne, quæ regibus terræ, cum quibus fornicabantur, erant absconditæ.

Vitiorum nequitia justis patens iniquis occulta.

153 Tertio scriptum habet: *Mysterium Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ*: Antequam dicatur mater fornicationum, dicitur *Mysterium*, id est, occultum & secretum: tam fœda est turpitudo luxuriæ, ac fornicationis, ut ipsa natura, ejusque naturalis pudor maximè intendat, ut sit abscondita, & occulta, tanquam mysterium quoddam. Joachimus Abbas ait: *Idcirco id dictum, quia omnem fornicationis actum, in quo meretrix ista gloriatur, ipsa natura vult esse mysterium, id est secretum*; *& licèt meretricia procacitas prædicet, naturalis tamen pudor contendit fieri occultum*.

Natura contendit occultare lasciviam.

154 Quartò *Mysterium*; id est, arcanum, quod tanquam famosum nomen in fronte scriptum mulier præfert; & quodam est hoc mysterium? Mulier hæc degebat in deserto, ut patet supra vers. 3. de se ait Evangelista quod Angelus *abstulit me in spiritu in desertum, & vidi mulierem*, &c. magnum mysterium sanè erat quod fœmina pulchra facie, ambitiosè vestitu deaurato adornata in deserto versaretur, semota ab hominum oculis, cum fœmineum ingenium maximè sit videre, ac videri. Tertullian. lib. de Cultu fœminar. cap. 1. ait: *Propter ipsum conventum, & mutuum videre, ac videri, omnes pompæ in publicum proferunt, vel ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat*.

Mulier pulchra vult videre, & videri.

155 Quinto: *In fronte ejus nomen scriptum, mysterium Babylon magna mater fornicationum*; quodnam mysterium latebat in hac impudica fœmina, quæ maximè erat patens, & manifesta omnium oculis? In hoc interveniebat mysterium, quòd cùm esset maximè impudens luxuria, omnique vitiorum turpitudine fœdata, tamen pomposè circumdata erat vestitu deaurato, plena margaritis, & lapide pretioso; sic vitia divitias consumunt, & magnas opes citò in egestatem redigunt, ut inde tanquam magnum mysterium reputetur, quod hæc meretrix cum illis locuples, ac abundans exisseret. Prodigus ille filius magnam substantiam accepit à Patre, inde tamen profectus in regionem longinquam, & *ibi dissipavit substantiam vivendo luxuriosè*, Luc. 15. n. 13. licèt res accepta esset magna, tamen interventu luxuriæ citò evanuit. D. Bernard. apud Tilmanum in Allegor. ait: *Undè hunc egestas, nisi ex eo quod legitur dissipasse bona sua cum meretricibus vivendo luxuriosè? Meretrices istæ carnis suæ concupiscentiæ, cum quibus luxuriosè vivendo dissipabat bona naturæ, abutens eis ad voluptatem*.

Virtus divitias consumunt, ac depopulantur.

156 Sextò mulier hæc circumdata erat *purpura, & cocceino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, in fronte* habens *scriptum Mysterium*; & in quo latebat hoc mysterium? quòd cùm hæc mulier esset meretrix, mater fornicationum, & abominationum terræ, volebat tamen suo vestitu, ac apparatu reputari ut valde præpotens, ac regina, & domina: *Cum quo fornicati sunt reges terræ*; & inde tanto apparatu erat ornata, prout regalis conditio exigebat: sic in multis mulieribus accidit, ut earum vita, sit veluti mysterium. In cujusdam domum intrat amasius ad voluptates, vult tamen illa persuadere esse mysterium quod ingreditur, ut veteres scripturas, ac monumenta legat, ac inquirat. Domum alterius frequentat adolescens ad suas delicias *Mysterium*; & tamen persuadere vult, hoc esse necessarium ad sua negotia, ad suasque res pertractandas, nam alia omnia in perditionem abibunt. Ad domum alterius accedit vir alius ad lenocinia: *Mysterium*; tamen publicatur hoc esse ei necessarium, ut ei consilia præbeat, cunctaque illius dirigat, aliàs omnia illius ruinam facient; sic sæpè *Mysterium*; varios prætextus, & technas confingunt amantes, ut suas res occultent, & abscondant; sic & Samaritana, ficto pallio habebat amasium in domo sua, ut cùm ei dixisset Christus: *Quinque viros habuisti, & hunc, quem habes non est tuus vir*, Joan. 4. n. 18. ut explicat Glossa Ordinaria: *Non est tuus vir secundum veritatem*; respondet mulier: *Propheta es tu*; quia adeo occultum, & absconditum erat mysterium de tali viro in domo sua, ut à solo prophetico lumine perscrutari posset.

Lasciva mulieres sic sua lenocinia abscondunt, ut videatur mysterium.

157 Septimò hæc mulier ambitiosa ornamentorum pompa, & mentito capillorum artificio, auro, & serico composita fulget, cocco rubescit, & cujus su-

supercilia ferrugineo pulvere fulgurant, & genæ ficto nitore rutilant, & coacto rubore labia sudant, cùm tamen ipsa intrinsecùs omni ruga, inquinamento, ac labe sit turpis, ac deformis. Ecce meretricium *mysterium*; decor cum decoris injuria. Mulier cùm una sit in se, altera tamen vult videri, nam cùm in se sit inhonesta, fœda, ac distorta, exteriùs tamen, exquisito cultu, ac fucorum lenocinio, pulchra, & elegans intendit omni arte videri. D. Ambros. ait: *Quanta hæc dementia, effigiem mutare naturæ, picturam quærere*; & iterum ait: *Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare, quod nata est; ita dum aliis studet placere, priùs ipsa sibi displicet*. Expende ultima verba: *Priùs ipsa sibi displicet*. Dum mulier alienum, ac fucatum quærit ornamentum, maximè sibi displicet in his, quæ sua sunt, & propria sibi habet, dum aliena quærit.

Mulier cùm turpis sit pictura vult videri pulchra.

158 Ait regius Vates loco supra dato Psal. 143. n. 12. *Filiæ eorum compositæ ut similitudo templi*; comparantur, ut eruditè notat Lorinus, templis Ægyptiorum, ut etiam comparat Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. cap. 2. Apud Ægyptios talia erant templa: eorum porticus, & vestibula magnificè instructa, atria multis columnis cincta, parietes autem lapidibus externis artificiosè laboratis, ac depictis respondebant; ædes auro, & argento collucebant, & ex India, ac Æthiopia variis fulgentibus lapillis, adyta vero auro intexta fulgurabant, & ad magnificentiam nihil deesse videbatur, ita ut pro certo haberes verum Deum, veramque ejus divinitatem coli, tamen si intus ingrediaris, non invenitur Deus verus, qui quærebatur, sed dæmonis simulachrum, nempe felis, crocodilus, piscis, draco, vel serpens, vel aliqua hujusmodi bellua, quæ quidem templo indigna est. Lorinus ait: *Tales mihi videntur fœminæ, quæ aurum gestant, & in crispandis crinibus exercentur, & in genis ungendis, oculisque pingendis & pilis tingendis versantur, & aliam mollitiem arte improba persequuntur, carnalem ambitum amantes, verè Ægyptios imitantes, &c. filiæ eorum compositæ, & circumornatæ, ut similitudo templi*. Tales extrinsecùs collucent ornamentis, quæ divinitatem spondent, intrinsecùs verò incrustata vetustate, & intrita libidine adulteriis, & obscœnitatibus squallidè sordent.

Fœmina exteriùs multum ornata, interius valde turpis.

159 Servus ille, quem Abrahamus in Mesopotamiam miserat, ut dignam Isaaco puellam ad nuptias quæreret, ad puteum sedet afflatus de cœlo expectans: *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro*, Genes. 24. n. 16. Meritò dubitant Interpretes: Quorsum additum est, *& incognita viro*, cùm præceserit, virginis appellatio? si enim virgo est, apertè inde fit, quod sit *incognita viro*, & ideo hoc superfluè videtur positum. Meritò tamen hoc dicitur, quia sæpesæpiùs contingit, ut fœmina, quæ exteriùs virgo apparet, ac ut talis ab omnibus æstimatur, tamen virgo non est; puella virgo videtur, cùm tamen talis ipsa non sit, & ideo pro magno encomio Rebeccæ scribitur; quòd ipsa virgo exteritùs reputabatur, & talis revera interiùs extabat, cùm ipsa esset incognita viro. Cajetan. ait: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro. Itaque describitur ab ætate puella, à formositate, bona, aspectu valde, ab habitu virgo, ab integritate carnis, & vir non cognovit eam*.

Quæ virgo apparet, sæpè interius non est virgo.

160 Cùm ab Angelis audit Sara se filium parituram Abrahamo; erant ambo senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria; quæ risit occultè dicens: *Postquam consenui & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo*, Genes. 18. num. 12. Vox Hebræa *Hedna*, quam pro voluptatis opera transtulit Vulgatus, *tam voluptatem significat, quàm nitorem cutis, seu juventutis*, ut ibidem Mariana notavit, ac si idem sit, fucata pigmentis facies, ac libidinosæ operis significatio. In rem nostram: Maximè alienum reputavit sancta fœmina à se, suaque ætate nitorem à facie ostendere, quem in se non habebat; ut cum esset vetula, contracta cute, juvencula nitida appareret, valde enim indecorum mulieri fucorum artificio ambitiosè decorem quærere, ac mutuare faciem, de qua re eleganter audiendus est D. Zeno serm. de Pudicitia, & ait: *Interea miris excolit artibus, faciem suam in se, quam non habet, quærit: Pingit se in seipsam, & lenocinante vario magistri medicaminis fuco, vultum suum vultibus vestit alienis .... Sed quod ei ad examen speculi arbitrium temporale dictaverit;* & post pauca subdit: *Non domesticis non affinibus, non maritis nota, non sibi quia non potest esse notum, nec verum, quod est semper incertum*. Quid eloquentiùs?

Valde indecorum mulieri decorem suo affectare.

QUÆSTIO XX.

Quare hæc mulier dicitur ebria, non vino sed sanguine sanctorum, de quo maximè noster Evangelista admiratur.

INter tot, ac tanta mysteria, quæ Joanni in hoc libro revelantur, hìc tamen insigniter dicitur admiratus *admiratione magna*, cum vidisset hanc impiam, & crudelem mulierem, ebriam sanguine sanctorum; cujus admirationis rationes jam dedi in expositione: Et sanè tanta inhumanitas, ac crudelitas hujus mulieris magnum erat Joanni motivum admirationis, tanta enim impietas valdè erat aliena ab ejus natura, ac ingenio, ipse enim valde lenis, & mitissimus erat, ut observat Simon Metaphrastes in ejus vita; mansueti autem & humani, vix aliorum mores, & ferinos, & crudeles sibi persuadent. Aretas ait: *Verisimile bonum; & humanum virum, & majori, quàm dici possit mansuetudine ditatum, cùm ferocitatem intuetur bestialem hominum, maximo stupore fuisse occupatum, nam hoc demonstrat, quod ait, quod admiratione magna admiratus sit*.

161

Joannes valde lenis.

Et quamvis hujus mulieris ebriæ apertè nulli effectus hìc ponantur, tamen noster Joannes per spiritum eam vidit ebriam non vino sed sanguine sanctorum, veluti tanquam fera bestia & lamia, vel sphinx, multum sanguinis præ furore hauriens. Ebrietas fieri non solet, nisi ex multa copia, & tanta copia sanguinis sanctorum martyrum ab impiis effusa est, ut omnem numerum videatur excedere, ita ut juxta auctores graves computatione facta per singula sæcula numerus martyrum excedit undecim milliones, de quo latè dixi tom. 1. cap. 7. quæst. 17. n. 157. 158.

162

Hæc mulier velut fera bellua.

In limine hujus quæstionis notandum, quod hæc mulier dicitur ebria de sanguine sanctorum, non verò bestia cùm hæc magis videri poterat, quòd ebria esset dicenda de sanguine sanctorum, quàm mulier, nam hæc bestia denotat Diabolum, seu tyrannicam potestatem, mulier verò significat vitiorum, ac impiorum civitatem. Quamvis tyrannica potestas fuerit interfectrix sanctorum, tamen rectè mulier dicitur magis ebria, quàm bestia, quia plures cædes bonorum, ac christianorum, per injusta bella, ac per alias cupiditatis, ambitionis, superbiæ, invidiæ technas, ac coloratas rationes pietatis, ac versutiæ, perpetratæ sunt ab hac muliere, quàm à bestia, quæ bestia, & tyrannica potestas est.

163

Major persecutio à nostris affectibus, quàm à tyrannis.

Primò rectè hæc mulier dicitur ebria de sanguine sanctorum, quia præ sua nimia feritate, & insatiabili impietate, tanquam mente aliena fervebat in sanctos, & juxta phrasim Scripturæ impius multa impietate fervens dicitur ebrius; Jerem. 51. n. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram*; *de vino ejus biberunt gentes*; quia sua impietate, ac iniquitate replevit omnem terram, ut omnes viderentur, tanquam mente alienati, ac insani facti, ut in tot scelera, ac flagitia se præcipitarent, ita ut supra omnem modum videantur omni iniquitate saturati, ac repleti.

164

Iniqui saturati, ac repleti iniquitate.

Secundò D. Thomas ait: *Perversi inebriant se, & jucundantur, sicut ebrius in effusione sanguinis fidelium, gaudent enim præ crudelitate, cum eos mactare possunt abundè*. Solent aliquando ebriis gaudere, ac multa lætitia perfundi, inde hæc mulier dicitur ebria de sanguine sanctorum, quia impius non tantùm nescit miseris, ac afflictis compati, sed potiùs eorum morte maximè gloriatur, ac delectatur.

165

Impii aliorum sanguine tuto lacantur.

Tertiò admiratur Joannes, quod hanc mulierem ebriam de sanguine sanctorum viderit. Quiescat

166

Luxuria homines effectos ac insanientes reddit.

tamen admiratio, cùm hæc mulier non solùm fuerit impudica, sed etiam mater fornicationum, quia qui voluptate inflammatur, ira ardet, & qui in venerem solvitur, furore aduritur, & inde meritò dicitur ebria de sanguine sanctorum, quia luxuriosus tanta ira accenditur, ut extra se agatur, ac ille, qui vino madet. Libido, & ira hominem fatuum reddunt, adeo ut maximè furibundus videatur. Glossa in præsenti: *Ebriam, id est, depressam vindicta sanguinis, ut præ doloribus nimiis nesciat, ubi sit*; quod confirmatur ex Isaia 1.num.21. ubi dicitur: *Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii, justitia habitavit in ea, nunc autem homicidæ*. Adjungitur meretrix cum homicidis, nam hæc maximè cohærent, ac connectuntur, ut notavit D. Basilius ad hunc locum & ait: *Quippe, quæ per eam fornicationem in unum cœtum aggregavit homicidas*; ac si valde difficile sit luxuriam ab homicidio separari: vide supra, cap.13.q.7.n.64.65.

167 Ebrietas mater omnium vitiorum

Quartò hæc mulier dicitur ebria, ac si ibi in compendio dicantur de illa omnia mala, omnesque prevaricationes, ac iniquitates, omnia enim secum generat, ac parturit ebrietas, quæ est fomentum omnium vitiorum, incitativum omnium libidinum, mater omnium errorum, & tandem dæmonum nexus. D.Basil.hom.de ebrietate, ait: *Ebrietas dæmon voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica; fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est adversaria, ita vinum immodicum, rationem supprimit*; & Clemens Alexand.lib.2.de Pœdag.cap.2. *Vino agrestes, immanesque appetitiones, ardentesque cupiditates, & mores ignei incenduntur: itaque vino effervescente luxuriant homines, & ad scelera, ad flagitia provocantur*. Expende: *Agrestes immanesque appetitiones*; Ebrius, inurbanus, ac rusticanus est.

168 Post Sancti Spiritus adventum de ebrietate accusabantur Apostoli: *Alii autem irridentes dicebant; musto pleni sunt isti*, Actor.2.num.3. Crudeli ira, ac odio judæi fremebant in Apostolos; cur ergo eos ebrios dicunt, & non potiùs, fatuos, stultos aut dæmoniacos, sed tantùm ebrios? Ac si hoc esset major ignominia, gravior injuria, nam fatuitas sæpe provenit à natura; dæmoniacus fit à Dæmone obsidente hominem, at ebrietas ex propria voluntate, ex propriisque manibus provenit, qua intellectus deperditur, præstantissima hominis nobilitas, qua Dei similitudine insignitur, & tamen sua voluntate ad dæmonis sortem transit. D.Chrysost.hom.1. ad populum: ait: *Ebrius est mortuus animatus, est dæmon voluntarius, morbus veniam non habens, ruina excusatione carens, commune generis nostri opprobrium, cœlumque ipsum ebrius fit invisum*; & D.Basil.Admonit. ad filium spiritualem, sic ait: *Non est aliud ebrietas, quàm manifestissimus Dæmon: ebriosus quid minus habetur, quàm Dæmonium: cùm se putat bibere bibitur*.

Ebrietas summum hominis malo quo fit dæmon.

169 Ait Sapiens Proverb.20.num.1. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas*; ubi duo vini germina ponuntur, lascivia, rixa. Ubi nostra Vulgata habet: *Luxuriosa res vinum*, alii legunt: *Vinum facit derisorem*; alii: *Prodigum est vinum*; alii, *incastigatum*; alii, *effrænatum*; alii, *ex lege*; ac si vinum religionis prodigum, incastigatum, indomitum, effræne, & sine ulla lege faciat hominem. Ex Basilio ait D.Damasc. lib. 1. Paral. cap. 77. *Quod Moyses quadraginta totos dies jejunans perfecerat, id omne temulentia una irritum, & infructuosum reddidit, nam tabulas Dei digito conscriptas, jejunium acceperat, has ebrietas perfregit, quod videlicet indignum esse Propheta censuisset, temulentum populum legis à Deo accipere*. Divinam nempe legem, quam Moysis sobrietas, & frugalis inedia digito Dei in primis tabulis insculpsit, hebræus populus male sobrius, & largis compotationibus ebrius imprudenter fregit, & stolidè perdidit.

Variæ lectiones apud Salazar.

Ebrietas omne bonum ac donum frangit.

170 Innumera Babylonis flagitia Deus olim patienter coleravit, & ut etiam profundo destruerent cum incendio domum Dei, 4.Reg 25.nu. 9. at ubi primùm Balthassar præcepit jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, & argentea de templo, ut biberent in eis Rex, & optimates ejus, Daniel. 5. num. 2. non tulit amplius Deus tam sacrilegam abominationem: *In eadem hora*, ait Propheta, *apparuerunt digiti*, ibid. num.5. cur hìc tam citò advolat divina ira, quæ aliàs tam lentè immoratur? Præclarè ibi respondet Theodoret. *Quia Balthassar divini ministerii instrumenta fecit instrumenta ebrietatis*; & post pauca subdit: *Non tulit omnium rerum moderator sua longanimitate, sed statim suam omnipotentiam ostendit*. Expende illud: *Sua longanimitate*; qua alia execranda impiorum hominum scelera concoquit, ac sustinet; in hoc verò sacrilegio æstuavit, ac exarsit.

Ebrietas maximè iram Dei provo.

Etsi ebrietas multùm sit detestabilis in viro, maximè verò in muliere, ut in præsentiarum, undè dicitur Ecclesiast.26.num. 11. *Mulier ebriosa ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur*. Ex quo probat Clemens Alexandr.lib. 2.Pædag. cap. 2. ebrietatem magis esse fœminis, quàm viris indecoram; pro quo facit D.Chrysostom.hom. 39. in 1. Corinth. 11. *Nihil esse turpius muliere ebria, nihil fœdius, ac procacius*.

171 Ebrietas mulieris maximè abominabilis.

Apoc. 17. *n.* 7. Et dixit mihi Angelus: Quare miraris? ego dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quæ habet capita septem, & decem cornua.

Num. 8. Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, & ascensura est de abysso, & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ, à constitutione Mundi videntes bestiam, quæ erat, & non est.

VERSIONES.

S. Prosp.n.7.	Propter quid admiratus? Ego ostendam tibi.
Pagnin.	Quare miratus es?
Syriacus.	Ego dicam tibi mysterium mulieris, & animalis dentis, quod gestat eam, quod habet illa septem capita.
Arias.	Et bestiæ portantis eam.
Syriacus n. 8.	Animal dentis erat, & non est, & in perditionem abiturum, &c. à jactis fundamentis Mundi, videntes animal dentis, quod erat, & non est.
D. August.	Ibit ad perditionem iræ Dei.
Arabicus.	Antequam Mundus extitisset, mirabuntur cùm viderint hanc bestiam, quæ erat, & non est, & abitura est.
Pagnin.	Quæ ascensura est de voragine.
Vatablus.	A constituto Mundo videntes bestiam quæ erat, & non est.

EXPOSITIO.

172 MYsterium, & sacramentum, unum & idem est, græcum unum, latinum alterum, & quod supra interpres, vers. 5. posuit mysterium, retinens vocem græcam, nunc latinè vertit sacramentum, & significat id, sub quo multa, & magna reconduntur. Ait Angelus Joanni. *Quare miraris?* Admiratores secretorum Dei possumus esse, non tamen indagatores, nam qui majestatis scrutator est, à gloria ejus opprimitur. *Sacramentum mulieris, & bestiæ*; id est, occultam, & abditam interpretationem illius. *Quæ portat eam*. Alensis ait de peccato in peccatum, & de peccatis in Infernum. *Quæ habet capita septem, & decem cornua*; quæ iterum hìc repetuntur, quia habent magna mysteria.

Sacramentum, ac mysterium idem.

Et bestia, quam vidisti; scilicet Diabolum, cui insidet, & à quo portatur ista meretrix. *Fuit*; per multam nempe auctoritatem dominabatur; ante adventum Christi, maximè tunc regnabat mors per mortiferum peccatum. *Et non est*; nam Christi adventu ac passione, potestas, & auctoritas Diaboli est extincta, ac superata. *Jam princeps hujus Mundi*

173

ejicie-

ejicietur foras, Joan. 12. *Et ascensura est de abysso*. Alludit ad id, quod dicitur, cap. 13. num. 1. *Vidi de mari bestiam ascendentem*; in fine nempe Mundi hæc bestia seu Diabolus, iterum per Antichristum ascensurus est de abysso infernali, ac profundo peccatorum. *Et in interitum ibit*. Tam Diabolus, quàm Antichristus in infernum, nempe præcipitabitur: ita explicant D. Ambros. Beda, Aretas, Viegas, Ribeira, la Haye. Aliam explicationem, & fortasse aptiorem dabo infra, quæst. 22.

174 *Et mirabuntur inhabitantes terram*; id est, homines terreni, ac reprobi, quos Deus suo altissimo judicio non prædestinavit. *A constitutione Mundi*; hoc est, à decreto constitutionis Mundi, nam quamvis Deus Mundum creaverit in tempore, illum tamen ab æterno decrevit condere. *Videntes bestiam*; ejus nempe amplum regnum, ac magnificam potestatem. *Quæ erat, & non est*. Hac phrasi denotatur, ejus durationis brevitas, quæ tanta fuit, ut semper consideretur de præterito, ac si nunquam esset.

QUÆSTIO XXI.

Quare cùm Joannes, ac terreni homines admirentur de magnificentia mulieris & bestiæ, tamen solus Joannes reprehenditur ab Angelo de sua admiratione.

175 DIfficultas præsens est: Cùm Joannes vidisset pompam, ac gloriam mulieris, *admiratus* est *admiratione magna*, ut dicitur vers. 6. undè illi dicitur ab Angelo veluti, per reprehensionem: *Quare miraris*? Videntes tamen bestiam inhabitantes terram, *admirabuntur*; & tamen non reprehenduntur, nec Angelus dicit eis: Quare miramini? cur ergo Joanni prohibetur admiratio, quam omnes illi habent? Ut in hac re rectè dubitat M. Didacus de Baeza, tom. 5. de Christo figurato, lib. 10. cap. 5. §. 1. Joannes quidem ut bonus, ac sanctus erat, ita non debebat mirari illam gloriam, & pompam sæcularem, quæ in momento disparet, sed illam magis debebat contemnere, & præterire, quasi nihil esset, solùm enim de illa mirantur, tanquam quid magnum reputantes illi, qui ad illam avidè rapiuntur, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, ut reprobi. Eleganter Rupertus lib. 10. in Apocalypsim, & ait: *Mirabuntur illi, quod ego te nolo mirari, arguens te, & dicens: Quare miraris? Mirentur illi, qui cœlum non aspiciunt, sed terram; sicut corpore, ita mente habitant in illa, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ, id est, quos Deus ad vitam non prædestinavit. Illi mirabuntur, & semper mirati sunt magnitudinem bestiæ, sive pulchritudinem meretricis, purpuram ejus, coccinum ejus, & lapides pretiosos.* Bona mundialia contemnant justi; de illis terreni stupeant, cùm ab illis tota eorum felicitas pendeat. Inde Joannes ut justus non debuit admirari de mundiali pompa mulieris; hoc ad reprobos pertinet, ob multam æstimationem, quam de eis faciunt.

Reprobi ob æstimationem admirantur de temporalibus.

176 Miseria aliquid à temporali bus sperare. Hoc pulchrè nobis exprimit Jerem. Thren. 2. n. 12. *Matribus suis dixerunt: Ubi est triticum, & vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis*? Dixerunt matribus suis; & cur non potiùs patri suo, ad quem maximè videbatur spectare negotium de pane & vino? In patre intelliguntur bona spiritualia, & cœlestia, in matribus autem sola carnalia, & voluptuosa Mundi bona significantur; hi autem miseri deficientes, ac maximè egentes, non patrem suspiciunt, sed matres suas, hoc est, non Deum, sed carnalia bona stupentes quærunt, ab illisque petunt triticum, & vinum, sub qua petitione miseri pereunt. Et cur pereunt sub petitione panis, & vini? nonne panis confirmat, & lætificat cor hominis? undè ergo malum illis esse potest, quod confirmationem, & lætitiam cordis generat? Hoc petunt non à patre cœlesti, sed à carnalibus, ac mundialibus, de quibus mirantes stupent. D. Paschas. ibi: *Si cum Patre essent, aut ad domum Patris redirent, animas fame non exhalarent; sed quia caro eos decipit, errant, & si non in eo quod panem & vinum requirant, sed quòd in carne torpentes ab ea ista petunt*. Miseri errantes sola carnalia, & temporalia bona stupentes quærunt, ab illisque sperant, quidquid confirmationis, & lætitiæ cordis cupiunt.

177 Secundò monet Angelus, ne Joannes, ut tantus propheta ac Evangelista teneatur admiratione monstratæ gloriæ, in fœmina illa; & ideo ait illi: *Quare miraris*? & ut causam ipsius admirationis excludat, subdit: *Ego dicam tibi sacramentum mulieris*; hoc est secretum latens, ostensa gloria mulieris. Quod erat illud secretum tanto viro manifestandum, ac aperiendum, nisi damnatio, reprobatio, ac misera pœnarum inflictio, sub illa pomposa gloria latens, eamque infallibiliter subsequens? Rupertus, ibi: *Sacramentum hoc, id est, secretum; malum illius est, quod nunc ab oculis ejus absconditum est, dum in purpura, & coccino, auroque nitet, & fulget. Sacramentum ergo, id est secretum est, quod illi futurum est damnationis judicium, & hoc idcirco sanctis, & prophetis revelatur, ne moveantur pedes eorum, aut zelentur pacem peccatorum videndo.* Justus agnoscit, & penetrat mala latentia sub temporalibus.

Perpende illa: *Et hoc sanctis, & prophetis revelatur, ne moveantur pedes eorum*; quippe mala sub temporalibus abscondita, & latentia dantur penetrari, ac cognosci, non ab omnibus, sed ab illis tantùm, qui sanctitate, & prophetia excellunt, qui sese super mundana erigunt, & temporales glorias, tanquam è specula considerant, & eorum novissima attingentes, nihil boni in eis inveniunt; hinc dicebat Jerem. 31. n. 21. *Pone tibi speculam, pone tibi amaritudines*; Id est tanquam à terra subductus, ascende, ut inde visu possis pertingere, quot mala, quot amaritudines, sub bonorum temporalium splendoribus, ac suavitatibus lateant, quorum agnitio non datur, nisi excelsis viris, & in altum tanquam in specula elatis.

178 Ait regius Vates, Psal. 36. n. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani, & transivi, & ecce non erat, quæsivi eum, & non est inventus locus ejus*; quid est, *transivi*? & ad quem locum se contulit? Id est, transivi mente à terrenis, ac temporalibus, extulique me ad excelsa, ac sublimia, & inde conspexi temporalium novissima, eorum vanitatem, & quo modo citò, ac funditus deperdantur. D. August. ibi ait: *Si adhuc carnalia excogitas, & ista terrena felicitas tibi videtur, nondum transisti, aut æqualis illi es, aut infra es. Profice, & transi, & cùm proficiendo transieris, attende cum fide, vide novissima ipsius, & dices tibi: Ecce non est iste*, &c. Elevandum est igitur caput super terrena, & super excelsa statuendus es, & sic in excelso elevatis, statim temporalium novissima patent, ut connexa ruinæ, ac perditioni; sic pergit citat. Augustin. *Quid est transivi? profeci, perveni ad spiritualia intravi in sanctuarium Dei, ut intenderem in novissima, & ecce non erat; quæsivi eum, & non est juventus locus ejus*. Qui mente elevatur à temporalibus eorum mala agnoscit.

QUÆSTIO XXII.

Quare de bestia affirmatur ab Angelo, quòd fuit, & non est, & ascensura sit de abysso.

179 EXplicat Angelus nostro Joanni arcanum mulieris, & bestiæ, & ait, quod *bestia fuit, & non est*, sed quod futura, seu *ascensura sit de abysso*; quæ habent manifestam difficultatem, & repugnantiam, nam si fuit, & non est, quomodo futura est, ut iterum abeat in interitum, & perditionem? Difficultas quæstionis.

180 Alcazar, ut accommodet hæc suo placito, invertit ea, quæ dicit Angelus de persecutionibus, quæ ab imperio Romano ethnico facta sunt contra Ecclesiam; hæc tamen manifestè repugnant cum his, quæ dicit Angelus, nam si illud annuntiare vellet, diceret Angelus: Bestia, quam vidisti, est, & non erit; non vero diceret, fuit, & non est, quia quando hæc annuntiabat Angelus, tunc erat actualiter persecutio Domitiani. Deinde hæc interpretatio nullo modo potest stare cum his, quæ sequuntur de septem regibus, de quibus ait Angelus vers. 10. *Quinque ceciderunt*; cùm duo tantùm cecidissent, nempe Nero, Vespasianus, non vero quinque. Incognitus

181 Communiter Recentiores, Viegas, Ribeira, Cornelius, Gagnæus, Estius, Menochius, la Haye, hæc inter-

interpretantur de Diabolo, & regno ejus, quam explicationem, ut communem, ac probabilem apposui in expositione. Tamen contra eam primò faciunt, quia omnia quæ hìc dicuntur, per ænigma de ipso regno Diaboli, apertè & clarè dicuntur infra, c 20. & non debet idem bis dici in tam brevi, ac compendiosa Apocalypsi. Secundò quia hæc jam dicta sunt à Christo in Evangelio Joan. 12. n. 31. *Nunc princeps hujus Mundi ejicitur foras*; frustra ergo hoc idem hìc repetitur per ænigma. Tertiò si de ipso effectu persecutionis sermo sit, adhuc per ducentos annos, & amplius dilatatus est per Decium, Diocletianum, & Maximianum, ac alios usque ad Constantinum, ac proinde congruè non potest dici: *Bestia, quam vidisti fuit, & non est*; quia maximè vigebat adhuc.

182 Vera sententia. Vera & genuina interpretatio hæc mihi videtur. Pro cujus intelligentia, repetendum est, quod hæc bestia habet capita septem, quæ sunt septem reges: *Quinque ceciderunt*; *unus est & alius nondum advenit*, infra vers. 10. & ut ibi dicam per hos septem reges significantur septem Orbis monarchiæ, ac imperia, ex quibus jam quinque ceciderant, ac finita erant.

183 Hoc posito in civitate, ac republica, quod decrevit, ac vult major pars, dicitur totam civitatem, ac rempublicam velle, ac decernere, imò, sæpe una pars pro toto sumitur; dicitur ergo, quod *hæc bestia fuit, & non est, & ascensura est de abysso*, secundùm diversa capita sua: *Fuit, & non est*; ob quinque capita sua. In hac bestia, seu tyrannica potestate quinque imperia, seu monarchiæ, jam fuerunt, & non sunt utpote totaliter abolitæ, & extinctæ: *Et ascensura est de abysso, & in interitum ibit*; quod dicitur ratione septimi, & ultimi capitis, in quo totaliter desinet, & demum, in quo tota erit abolita; & hic erit Antichristus, in quo ibit in interitum, quia tunc in eo extinguetur tota tyrannica potestas, nam post illum non erit tyrannus, qui Ecclesiam Dei persequatur, & sibi vindicet regnum Mundi contra Christum, undè dicitur supra, cap. 11. num. 15. *Factum est regnum hujus Mundi Domini nostri, & Christi ejus*. De septem Orbis imperiis latiùs dicam infra, quæst. 25. num. 211. & seqq.

Explicatur vera sententia.

184 Jam secundò, & moraliter. Admiratur Joannes admiratione magna, videns mulierem sedentem super bestiam adornatam gemmis, & auro, ac veste labore intexta Phrygio, tunc ait illi Angelus: *Quid miraris? Bestia, quam vidisti fuit & non est*. Brevis est lætitia mulieris cum suo apparatu, cujus felicitas omnino fucata, ac personata est; veluti scena est, quæ suo stare loco nescit. Rupertus monet in præsenti lib. 10. in Apocalyps. *Sed quod valet, quod agit, quod potest, transitorium est*; undè eleganter dicit Philosophus apud Senecam Epist. 110. *Ostenduntur res istiæ, & non possidentur, & dum placent transeunt*; & Hildebertus Antist. Epistol. 56. ad Regem Anglorum, ait: *Hæc aliena esse ipsorum fuga denunciat, bona vaga, bona pennata sunt hæc, pennata, quia volant*.

Fortuna bona volat.

185 Miles meum Jesum donat sceptro arundineo: *Et arundinem in dextera ejus*, Matth. 27. num. 29. de sceptro Christi cecinit regius Vates Psal. 2. num. 9. *Reges eos in virga ferrea*; quomodo ergo arundinea ei imponitur? Miles nesciens, quod faceret, alto ducitur spiritu; dat sceptrum Christo, Mundi more, cujus omnis potestas etsi ferrea videatur, tamen debilis, ac fragilis est, ut in arundine denotatur. Ezechiel. 29. num. 6. *Pro eo quod fuisti baculus arundineus*. Drogo Tract. de Pass. *Potestas enim & regnum impiorum, arundo est, vento agitata*. Ad hoc spectat Jacob. Apostol. in sua Canonic. cap. 3. num. 6. *Inflammat rotam nativitatis nostræ*; & David. Psalm. 76. num. 19. *Vox tonitrui tui in rota*; undè ait Olymp. Ad Eccles. Hast. cap. 12. *Rota pro vita accipitur, ob ipsas revolutiones, & motus*. Velocissimè volvitur rota, & quod summo in loco est, ad ima statim devolvitur, nec regum vices meliores sunt, cito volvuntur, & ad ima feruntur.

Hominum vita fluxa.

186 Quinto Haymon. *Diabolus, qui fuit ab exordio seculi in hoc Mundo, ubique tenuit principatum, usque ad adventum Domini: Sed postquam Christus venit, in sua morte, mortis destruxit imperium, & ideo jam non est, quia comparatione prioris potentiæ, præsens illius potentia nulla est*. Si per hanc bestiam juxta multorum sententiam intelligitur Diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, quomodo dicitur, quòd fuit, & non est? Nunc quidem est, sed adeo imbellis potentiæ, ut si cum ea, quam habuit, ante Christi adventum conferatur, nulla omnino censenda est: *Comparatione prioris potentiæ, præsens illius potentia nulla est*. Ait Isaias, cap. 11. num. 8. *Delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet, non nocebunt, neque occident in universo sancto monte meo*. Expende verba: *Delectabitur infans*; ac si diceret: Illudet, irridebit tam Diaboli potentiam, quàm ejus imperium puerulus. Ad quam rem pulchrè ait D. Athanasius Orat. de Passione, & Cruce Domini: *Jesus cùm illusisset morti, nobis eam conculcandam tradidit. Olim adversarius noster Diabolus ut leo circuibat sitiens nostram animam, nunc autem hunc draconem conculcat, dicens: Brevi Dominus conteret Satan sub pedibus nostris, ac jam tempore despectui, & ludibrio est, ut qui jam in cavernam aspidum, mittat manum, non reformidet*.

Diabolus ut nullius momenti contemnendus.

187 Maximè levantur Dei servi dum suorum tyrannorum vident fines.

Sextò: *Dicam tibi sacramentum mulieris, & bestiæ, quæ portat eam, quam vidisti fuit, & non est*. Ecce sacramentum omnium tyrannorum, ac potentum, qui adversùs sanctos sævierunt, nimirum fuerunt, & non erunt; licèt aliquantulum videantur triumphare, & in deliciis esse, tandem miserrimè, ac brevissimè finientur; quorum finis meritò proponitur sanctis Dei, ut illo considerato, magnum levamen habeant suis laboribus. Rupertus lib. 10. in Apocal. ait: *Sacramentum hoc malum illius est, quod nunc ab oculis ejus absconditum est, dum in purpura nitet: Sacramentum ergo, id est, secretum est quod illi futurum est damnationis judicium, & hoc circa sanctis revelatur, quorum nunc Joannes typum gerit, ut consolentur in Deo, ne moveantur pedes eorum pacem peccatorum videndo*. Inter splendidos tyrannorum triumphos, & rigidas sanctorum afflictiones, solet Deus suis sanctis ostendere terribiles, ac horrendos suorum tyrannorum fines, quod non parum facit ad eorum levamen, qui calamitatibus tenentur, ut eorum damnata perversitas fiat manifesta.

188 Cùm Dei populus sub captivitate babylonica teneretur, & rex babylonicus crudeliter sæviret in Dei servos, eos ferociter, ac bestialiter tractans, tunc Daniel. 7. num. 11. *Vidi quoniam interfecta esset bestia, & periisset corpus ejus*; & tunc feritas bestialis babyloniorum, maxima felicitate florebat, populum Dei omni crudeli modo conculcans, & opprimens; quomodo ergo testificat Propheta, bestiam à se visam, esse interfectam? Hæc erat manifesta providentia Dei, quæ ostendebat miserrimum tyrannorum finem, ut exinde servi Dei in suis afflictionibus haberent levamen. Rupertus ubi supra: *Non prætereundum, quia tunc maximè cœpit, ejusdem mulieris, sive bestiæ damnatio revelari, quando in captivitatem babylonicam ductus est populus Dei, ut non moverentur à spe sua cives regni Dei, videntes prosperitatem, & quasi matutinam gloriam hujusmodi regni, sub quo tenebantur captivi; tunc enim Daniel hujusmodi visiones vidit, quemadmodum dicit: Vidi quoniam interfecta est bestia*; si enim captivo Prophetæ datur, quod inter glorias tyrannorum ac pressuras sanctorum, videat tyrannorum exitum, inde magnum levamen capiunt servi Dei, cùm tyrannorum gloria tam brevis sit, ac si non esset.

Finis tyrannorum justis propositus, levamen.

189 Validissimus ille adolescens Machabæus, cùm se suosque fratres multis tormentis cruciari videret, inter hæc tyrannum multa felicitate regnare, sic ad eum loquitur: *Potestatem inter homines habens, cum sis corruptibilis, facis quod vis. Noli genus putare nostrum à Deo esse derelictum. Tu autem patienter sustine, & videbis magnam potestatem illius, qualiter te, & semen tuum torquebit*, 2. Machab. cap. 7. num. 16. ut sanctus martyr oculos conjecit in tormenta suo tyranno imminentia, inde levamen habet. De quo ait D. Cyprian. lib. de exhortat. ad martyrium, cap. 11. *Quale illud levamentum fuit martyri! quàm grande solatium! In cruciatibus suis, non tam tormenta propria cogitare, sed tortoris sui*

Justi levantur agnito fine suorum adversariorum.

sup-

supplicia prædicare. Maximè levantur Dei servi in suis laboribus, dum suorum adversariorum prædicant pœnas, ut inde omnes temporalium instabilitatem agnoscant.

Apoc.17.n.9. Et hic est sensus: Qui habet sapientiam, septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt.

Num.10. Quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit; & cum venerit, oportet illum breve tempus manere.

VERSIONES.

Syriac.n.9. Hic mens ei, qui habet sapientiam, &c. ubi illa mulier sedet super eos.

Græcus. In hoc loco est sensus.

Arabicus. Hic requiritur, qui habet judicium, & sapientiam, illa septem capita, &c. hi sunt septem reges.

Oecumen. Hic est intelligentia.

S. Prosper. Illa septem capita ejus.

Arabic.n.10. Quorum quinque ceciderunt, unus extat.

Syriacus. Brevi oportet eum manere.

Æthiopic. Et cùm venerit manebit paulisper.

Pagnin. Exiguum tempus oportet manere.

EXPOSITIO.

190 Hic *est sensus, qui habet sapientiam*. Conveniunt omnes Interpretes, quòd pronomen, *hic*, non est adverbium, ut patet ex codice græco: *In hoc loco*; in hac nempe re *est sensus*; latet nempe sensus, & intelligentia hujus mysterii. *Qui habet sapientiam*; qui scilicet sapiens est, & intelligere potest, quæ dicuntur: hìc ergo sapiens intendat animum ut percipiat interpretationem, nam hanc, non omnes sed solùm sapiens capere valet. Joachimus ait: *Manifestè indicans in his verbis sapientes esse debere, quibus explananda sunt verba ista, ut possint capere; quæ dicuntur juxta illud Apostoli. Sapientiam loquimur inter perfectos*. Dicitur etiam, quod, *hic sensus, qui habet sapientiam*; ut considerans mulieris, bestiæ, ac regum casum, eorum pœnam, cautior factus sit ad talia crimina evitanda. Albertus Magn. ait: *Hic est sensus: Visa pœna illius bestiæ inde haberi potest sensus, ut caveamus à tali dejectione; felix namque est, quem faciunt aliena pericula cautum. Cui autem sit sensus ostendit, dicens: Qui habet sapientiam, id est, intelligentiam, ut judicet de unaquaque re secundùm valorem suum, ei inquam est sensus, ut sciat cavere, ne cadat in similem damnationem*.

191 *Septem capita, septem montes sunt*. Explicat Angelus quid sint septem capita bestiæ; septem nempe montes: deinde ænigmaticè, quid montes significent, septem nempe reges, qui ob suam elationem montes dicuntur. *Quin ceciderunt*. Explicat Angelus quinam sint hi septem reges, per quos denotantur septem Orbis imperia, ac monarchiæ, quæ in Orbe regnaverunt, ut latiùs explicabo infra, quæst.25. *Quinque ceciderunt*; quinque nempe Orbis imperia, seu monarchiæ jam finitæ, & ablatæ sunt. *Unus est*; scilicet monarchia Imperialis Romana. *Alius nondum venit*; scilicet Antichristus, in quo clauditur septima Orbis monarchia. *Oportet eum breve tempus manere*; per tres annos, & dimidium, ut explicatum est ad cap. 11.

QUÆSTIO XXIII.

Quare mulier nunc dicitur sedere super montes, & reges, cùm supra dictum sit sedere super aquas.

192 Difficultas quæstionis. JAm supra quæst. 9. excitavi quandam difficultatem, quòd si hæc mulier ferebatur bestia coccinea tanquam in throno, quomodo nunc dicitur sedere super septem reges? nunc verò aliam diversam quæstionem propono: Si hæc (mulier dicitur incumbere super aquas, ut patet ex vers. 1. quomodo nunc sedet super montes, qui significant reges? quænam combinatio potest dari inter durissimos saxorum montes, ac inter labentes aquas?

193 Omnia mundialia brevissimè transeunt. Respondeo primò, quòd reges dicuntur montes, ob suam magnitudinem, altitudinem, & quia se durabiles, ac firmos promittunt, tanquam saxorum montes, cùm revera inconstantes, ac parum durabiles sint, veluti aqua fluxa, & labens, quæ rapidissimè, ac brevissimè decurrit; sic dixit mulier Thecuites ad Davidem: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reverruntur*, 2. Reg. 14. num.14. loquebatur mulier de morte omnibus communi, & sapienter tamen de præsentiait: *Sicut aqua dilabimur*; quia mors antequam veniat, omnes jam apprehendisse videtur; quod notat D.Gregor.Magn. lib.24.Moral. cap. 27. *Etsi viventem carnem, nec dum mors in terram solverat, hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione prævidebant*.

194 Secundò mulier dicitur sedere super aquas, & super montes, hoc est super reges; ad quid conferuntur reges cum aquis? Quia sicut aquæ brevissimè, ac citissimè decurrunt de uno loco ad alium, sic regna rapidissimè de uno transeunt, & transmutantur ad alterum; sic dicitur infra, vers. 15. *Et dixit mihi, aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, linguæ, & regna*; ut addit D.Cyprianus: *Regna tanquam aquæ labentia sunt, ab his ad alios, quæ citò transferuntur*. D.Asterius hom.2.de œconom. iniquitatis ait: *Dic, quæso, num aliquid regno majus? Atqui scrutare, quæ regum sunt chlamydes, conquire regias, quam plurimas sanè reperies, quæ regum multorum corpora texerint; quid de coronis, fibulis, zonis censendum? Omnia nempe hæreditatem instabilem, usumque eorum communem, & ab iis, qui abeunt ad alios, qui remanent, transeuntem*. Regna instabilia & de uno ad alterum transeunt.

195 Quod erat ad tutamen, per peccatum fit ad ruinam. Tertiò si mulier sedebat super septem montes quomodo, suam sedem constituit super aquas? *Mulier* sedebat super bestiam, quæ plena erat nominibus blasphemiæ exundans septem vitiis, quæ in septem capitibus denotabantur, habens poculum aureum plenum abominationum, & fornicationum terræ; non ergo mirum, quòd mulier dicatur sedere super aquas, ac super montes, quia iniquitatis turpitudo, saxorum monumenta vertit in rapidorum fluctuum naufragia: nequitiæ turpitudo devastationem generat, & ipsamet ingentis ruinæ consequentia, ut non solùm unum montem, sed septem montes valeat concutere, ac in aquam devolvere.

196 De ultima die judicii loquens noster Joan. Apocal. 16.num.20. ait: *Montes non sunt inventi*; & quomodo fieri potest, ut ampla montium moles, non appareret, nec videretur? Montes dati sunt à natura ad hominum munimen, tutelam, ac custodiam; *sic de* Montes ad custodiam dati convertuntur in interitu. *filiis Israel dicitur*, Judith. 7. num. 8. *Filii Israel non lancea nec sagitta confidunt, sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles*; & tamen in ultima die judicii *montes non sunt inventi*, in loco suo, sed corruunt, ac solo æquantur, homines vivos sub se ipsos opprimentes, ac sepelientes: vide supra cap.16 nu.222. Montes, qui erant ad hominum tutelam versi sunt ad eorum ruinam, & interitum, & qui erant ad munimen vitæ fiunt illius tortores, homines opprimentes.

197 In primo rerum molimine, jussa est terra producere herbam virentem, florum varietate, ac fragrantia mirificè elegantem, tamen propter hominis peccatum, dictum est ei: *Spinas, & tribulos germinabit tibi*, Gen.3.num.18. ecce jam invertitur ordo, ut pro floribus producat cruentas spinas, & tribulos acutos. Compone hoc modo, cum ipsa terra; quando divinus Sponsus invitat suam dilectam, ut foras exeat, *flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit, vox turturis audita est in terra nostra*, Cantic.2.num.12. ubi serpentis sibilus auditur, inflicta maledictionis pœna, terræ ingenium invertitur, & tellus maledicto punita horridis sentibus deturpatur, at dum blanda vox turturis resonat, spina in gratissimum florem transmutatur, & sicus suavem producit fructum, at venenatus suggestu peccati sibilus Ubi De gratia flores, ubi peccatum spinæ germinantur.

bilus malignæ bestiæ, telluris mutavit naturam, flores adussit, & jucundam amœnitatem in horridos tribulos vertit; ubi gratia, quam vox turturis significat, teste Theodoreto, lib. 2. in Cantic. *Mater, à qua geniti sunt*; scilicet flores; *est spiritus gratia, quæ per translationem turtur dicitur*. Ibi fertilitas, hiemis exilium, dulcissimus fructus cum omni oblectamento, at ubi serpens peccati, ibi maledicta infelicitatis terra, ex amœnitate tota transmutata in horridam tribulorum sylvam, & spinarum sanguinem ebibentium. Qui flores, fructusque desiderat, turturis percipiat vocem, nam spinas sustinebit, qui serpentis audierit fraudem: vide supra cap. 13. q. 20. num. 156. & seqq. & c. 14. q. 31. n. 286. & seqq.

QUÆSTIO XXIV.

Quare Reges, montes appellantur.

198 Regia dignitas valde sublimis.

AIt text. *Septem montes sunt super quos mulier sedet, & reges septem sunt*; cur reges, montes dicuntur? Primò, quia in alto dignitatis culmine sunt, dignitas enim regalis valde sublimis, ac excelsa est; quod respicit D. Petrus in sua prima Canon. cap. 2. num. 13. & ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum; sive regi quasi præcellenti*; græcus legit: *Excelso, ac eminenti*. Regi supremam, ac excelsam auctoritatem inter cæteros tribuit Apostolus, cum in summo fastigio sit; ita ait hìc Didymus, *sint positi*; undè rectè dicebat rex Athalar. apud Cassiodor. lib. 8. cap. 24. *Tanto divinitati plura debemus, quantò à cæteris mortalibus majora suscepimus*; *nam quid simile rependet Deo, qui potitur imperio? Sed licèt pro tanto munere nihil compensari possit idoneè, ipsi tamen gratia redditur, dum in servientibus honoratur*.

199 Rex pro superbia contra Deum se vult erigere.

Secundò Rupert. sic ait: *Regna hæc propter superbiam ipsorum, quia in altum contra Deum tumuerunt, montes appellavit*; similiter Alex. Alens. ait: *Septem montes sunt superbi contra Deum se erigentes, & contra Deum se elevantes, super quos montes mulier sedet, id est, malorum congregatio, fundata scilicet super principes superbos*. Reges iniqui & tyranni dicuntur montes, qui sese erigere volunt in cœlum, ac contra Deum. Moysi sore minatur Deus Pharaoni agrorum vastationem, & duram animantium stragem, mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum Israel, nihil omninò periit: *Et misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israel*, Exod. 9. num. 7. quare Pharao tam sollicitè exploratores mittit in terram Gessen, qui solerter perquirant, an Israelitarum animantes saucia verit plaga, quæ Ægyptios multum vexaverat? Subtiliter D. Augustinus q. 10. in Exod. hominis ambitiosi angustias expendit: *Si pecora Israelitarum morerentur, videretur causa competens, quare cor ejus gravaretur ad contemptum Dei, tanquam si Magi pecora Israelitarum occidissent*. Vide Magici prodigii avaritiam, & vanam hominis præsumptionem, quæ se æquare Deo contendit; Moyses Dei virtute Ægyptiorum animantia interfecit, Pharao explorat an eadem accidissent in partibus Israel, ut superbo vanitatis fastu se jactet; quod si Deus Israelis animalia Ægyptiorum peste consumpsit, ipse etiam per suos Magos, ea, quæ Israelis erant, interimit. O tyrannum subdolæ ambitionis, ut etiam cum Deo contendere præsumat, & Dei gloriam supprimere, dum miraculi virtutem vult offuscare.

200 Rex ac si esset alterius naturæ, ita supra alios se extollit.

Tertio montes & valles ex eadem terrena materia constant, & tamen montes sic supra valles se erigunt, ac extollunt tanquam si essent alterius conditionis, ac naturæ, & inde Reges montes dicuntur, quia cùm sint natura, ac conditione æquales cum cæteris hominibus, ut dicitur Sap. 7. num. 3. *Primam vocem similem omnibus emisi ploratus*; & tamen sic super alios se erigunt, & extollunt, ac si essent veluti alterius germinis, ac generationis. D. Greg. Magn. lib. 29. Moral. cap. 14. ait: *Sæpè novimus quòd plerique, qui præsunt, inordinatum sibi à subditis metum petunt, & non propter dominium tantùm, sed etiam pro dominis venerari volunt; intus enim se tumore cordis extollunt, cunctosque subditos in sui comparatione despiciunt, nec condescendendo consulunt, sed dominando premunt, quia videlicet alta cogitatione se eripiunt, & æquales se illis, quibus præesse cognoscunt, non cognoscunt*: Sic honor absorbet intellectum, ac facit despicere naturam humanam, ingenium.

201 Rex superbus super alios se existimat.

Eliu ait de Deo Job. 34. num. 18. *Qui dicit Regi: Apostata*; ac si dicatur: Rex apostata est; & quid Regi cum apostata? quænam combinatio inter utrunque? Sine dubio dirigitur sermo ad defectionem primi apostatæ, ac desertoris, qui suam naturam, ac Angelorum societatem, & æqualitatem despiciens dicebat in corde suo: *Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo*, Isai. 14. num. 14. aliquando Rex ob sui primatus excellentiam, talem insaniam ebibit, sic sua dignitate elatus, ut extra humanæ naturæ terminos rapiatur, & cæteros homines natura æquales despicit, & se velut quid divinum Altissimo simile reputari contendit; sed tunc quid illi contigit? Quod primo Angelo accidit, ut dejectus à loco suo, inter reptilia computetur, ut dicatur serpens antiquus. Talia & accidunt superbo Regi, ut qui sprevit humanam naturam aliis similem, & æqualem, in brutalem stoliditatem incurrat, ut factum legimus Nabuchodonosori Daniel. 4. num. 30. & de primo Angelo ponderat D. Greg. lib. 29. Moral. cap. 14. *Despectis Angelorum societatibus dixit: Ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo*. Ad hoc etiam spectat D. Chrysost. hom. 65. in Joan. & ait: *Quemadmodum divitiæ incautos perdere consueverunt, ita & principatus; ille namque in avaritiam, hic in insaniam hominem impellit*.

202 Maximè detestabile quòd homo sibi collaterales despiciat.

Genes. 2. num. 22. dicitur: *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam*. Valde dignum ponderatione; cur Deus volens multiplicare genus humanum, ex Adami costa Evam fabricare voluit? cur non potiùs ex pede, manu, vel brachio seu fœmore? Elegantem rationem excogitavit D. Aelredus lib. 1. de Amicitia, & ait: *Pulchrè de latere primi hominis secundus assumitur.... & natura docens omnes æquales, quasi collaterales, nec esse in rebus humanis superiorem, nec inferiorem*. Creatus est Adamus ut princeps, ac Rex totius Universi, ut præsit piscibus maris, ac volatilibus cœli, inde alta dispositione subditi, ac inferiores non ex alia parte, sed tantùm ex costa componuntur, ut inde ipse Adamus deprehenderet, quod natura omnes fecerat pares, ac æquales, tanquamque sibi collaterales, eos constituerat Dominus, undè ipse homo in tanto honore regali alios non sperneret, sed sibi æquales tanquam à latere agnosceret; cur ergo homo latera tua fastidiens, maximè super alios celsitudinem appetis?

203 Recusatio divinitatis meritum ad illam putabatur.

Paulus magna sua voce, pedes claudo restituit; tunc frequens turba levavit vocem Lycaonicè dicens: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*, Act. 14. num. 10. & vocabant Barnabam Jovem, Paulum verò Mercurium; sacerdos quoque Jovis tauros, & coronas ante januam offerens, cum populis volebat sacrificare; quod ut audierunt Paul. & Barnabas, constanter divinos refutant honores, dicentes: *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus similes vobis homines:: & hæc dicentes vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent*, ibid. num. 17. non miror quòd Apostoli divinum honorem recusarent, sed illud magis est admirandum, quod dum audiunt ab Apostolis se homines esse, adhuc *vix sedaverunt turbas, ne sibi immolarent*. Agnoscebant illi hominis ingenium, quòd minimè sua sorte quiescat, sed semper superiora, ac ea, quæ supra se sunt, appetit; dum ergo audiunt homines illi, Apostolos ambitione vacuos, inde maximè movebantur ad victimas immolandas, utpote quædam divini honoris testificatio, ac si Apostolorum ingenium humanum transcenderet fastigium, ut apud ethnicos meritum divini honoris conferendi videretur. Perbellè Minutius Felix de aliquibus viris illustrissimis, qui in vita divinos honores recusarunt, sic differit: *In vitis denique hoc nomen adscribitur: Optant in homine perseverare, fieri se Deos metuunt; et si jam senes nolunt*. Exinde Paulus, & Barnabas divinos

hono-

honores constanter recusantes, *vix sedaverunt turbas ne sibi immolarent*, quasi supra hominem sit, & Deo consimilis, qui optat in homine perseverare, & fieri Deum se metuit. Considera innatam ambitionis libidinem, & quàm sit metuenda, cùm ultra propriam mensuram velit evolare.

QUÆSTIO XXV.

Quinam sint isti septem Reges de quibus noster Joannes agit in præsenti.

204 Explicatur sensus quæstionis. DE his septem Regibus loquens noster Joannes, ait: *Quinque ceciderunt, alius nondum venit, & cùm venerit oportet illum breve tempus manere*; in triplici differentia ponit Angelus hos septem Reges, nam alios dicit præteritos, alium præsentem, alterum verò futurum; ex quo patet sicut supra diximus c. 13. in ista bestia comprehensa esse omnia regna, ac potestates Mundi, non solùm futura, sed etiam præterita. Nec hoc repugnat cum ista prophetia, quia in ea manifestatur liber in divina præscientia signatus, continens omnem rationem, seriem, ac cursum divinæ ordinationis circa electorum, ac Ecclesiæ suæ prædestinationem.

205 Qui verò sint isti septem Reges, gravis & grandis est difficultas. Primò sanctus Victor Martyr, ait, quinque Reges, qui ceciderunt, esse Vespasianum, Titum, Galbam, Othonem, Vitellium, sextum tunc existentem esse Domitianum, septimum, qui nondum venerat esse Nervam, de quo dicitur: *Cùm venerit oportet illum brevi tempore manere*; Nerva enim biennium non explevit in regno; tantùm regnasse proditur annum unum, menses quatuor, ac dies novem. Hæc expositio exorbitat à fine sanctæ hujus prophetiæ, quæ maximè hìc agit de Antichristo: Neronem deinde præterit; sed cur prætermissus est Nero, cum nullus alius magis, quàm ipse numerandus erat? & cur benignus Nerva numeratur, alii crudelissimi Ecclesiæ persecutores omittuntur? Impugnantur supradicta.

206 Malvenda, lib. 4. de Antichristo, cap. 20. partim sententiam Victoris sequitur, partim dissentit: ait enim, septem Reges, seu Imperatores esse Galbam, Othonem, Vitellium, Vespasianum, Titum, qui jam ceciderunt, & mortui sunt, Domitianum existentem, Nervam futurum: his ait denotari mysticum imperium Antichristi. Nero, ait, in hoc septenario numero Regum non ponitur, eo quod bestiam istam mysticam condiderit, in ipsaque ille intelligitur. At hæc sententia non subsistit, nec exactè explicat ænigma, nec hìc agitur de mystico Antichristo, sed de vera ejus persona, veroque regno ejus. Impugnatur.

207 Anglocalvinistæ prava hæresis impugnatur. Omnium pejor, & execrabilior est expositio Anglocalviniste, qui apud Cornelium ait, hos septem Reges, esse septem regimina Romæ, videlicet Regum, Consulum, Dictatorum, Decemvirorum Tribunorum, Imperatorum, ac Papæ. O nefanda, & brutalis expositio! Sanctissimi Pontif. S. Sylvester, S. Leo, S. Gregorius, & alii, qui sanctissimè gubernarunt, sunt bestiæ caput? O hæretice, tu ipse bestia es, qui talem insaniam somniando eructasti. Deinde iste nefandus Impostor, quæ dicit Angelus suo deliramento non potest ullo modo accommodare, nam ait iste execrabilis hæreticus: *Unus est, id est, Imperator, alius nondum venit, id est, Papa & cùm venerit, scilicet post Constantinum, oportet illud breve tempus manere*; sic loquitur insaniens hæreticus: sed dic mihi: Summus Pontifex post Constantinum jam per mille, & trecentos annos durat, ac perseverat; & hoc tu somniator dicis breve tempus? Deinde in illa comparatione fallitur hæreticus: Dictatores non successerunt Consulibus, quasi ordinarii Romæ gubernatores, sed eis additi sunt, quasi extraordinarii; similiter Tribuni erant populi patroni cùm Consules gubernarent: & multa alia sunt contra hæreticum, ex quibus ejus fatuitas deprehenditur.

208 Quarto Richardus, Beda, Alensis, Ribeira, Cornelius, Tirinus, Gagnæus, la Haye, dicunt hos septem Reges, significare omnes Reges, ac tyrannos, qui septem Mundi ætatibus Ecclesiam Dei vehementer vexarunt, & vexabunt, proindeque in prima ætate, primum Regem constituunt Caimum cum gigantibus ante diluvium; in secunda Mundi ætate, Nemrod cum fabris turris Babel; in tertia ætate, Reges Sodomæ, & Pharaones in Ægypto, & hanc ætatem deducunt ab Abrahamo, usque ad Moysem; in quarta ætate sunt impii Reges Israel, à Moyse usque ad captivitatem babylonicam; *in quinta Mundi ætate* fuerunt Reges Chaldæorum, & Reges Syriæ, & Asiæ: ecce hi quinque sunt, *qui ceciderunt*. Deinde sequitur: in sexta ætate, sunt Imperatores Romani; in septima vero ætate est Antichristus, qui durabit per breve tempus, per tres annos scilicet, & dimidium. Hæc sententia est probabilis, etsi aliquid ei repugnet, nam hæc series videtur in diluvio interrumpi, ut statim dicam. Hæc sententia est probabilis.

209 Quintò paulò aliter hos septem Reges enumerat Andr. Cæs. qui vult primum in Ninive fuisse Assyriorum, secundum Medorum in Ecbatanis, tertium Chaldæorum in Babylonia, quartum Persarum in Susis, scilicet Cyrum, quintum græcorum puta Alexandrum, sextum Romæ Augustum, septimum in nova Roma Constantinum; at in isto septimo apertè errat, nam ei repugnat text. *Cùm venerit oportet illum breve tempus manere*; quę non conveniunt Constantino.

210 Ut totam rem clarè explicemus, supponendum est, ut jam dixi, ex his septem Regibus quinque præteritos esse, unum, scilicet sextum, esse in præsenti, quando hæc Angelus Joanni narrabat, alium scilicet septimum nondum venisse, sed venturum esse, & certum est hunc septimum futurum esse Antichristum, in quo bestia finienda est, & ad hoc tendit principaliter tota Apocalypseos prophetia; tum etiam quia Antichristus brevi tempore est duraturus; & certum est etiam cùm Angelus hoc diceret, tunc existere Imperatorem Romanum, *quia pro tali tempore nullus alius regnabat, & quisquis alius erat, imperio Romano erat subditus*, vel ab eo dependens. Quid certũ sit in hac re.

211 Tota difficultas de quinque, quos dicit Angelus, jam cecidisse, & non esse, in quibus solùm possunt intelligi quinque Orbis Monarchiæ, quæ ita sibi adinvicem successerunt in regimine Mundi, ut ex illis quodammodo una composita sit bestia, undè in istis non est ponendus Caimus, nec gigantes, ne penitus interrumpatur per ferè trecentos annos, ideo credendum esse hanc bestiam cœpisse post diluvium in Nemrod, sicque propagatam in Assyriis, Chaldæis, Medis, Persis, atque Græcis fuisse, donec venit ad Romanos, qui sunt sextum caput, de quo ait Angelus: *Unum est*; scilicet actualiter existens. Vera sententia.

212 Impugnatur superiorum sententia. In hoc ergo horrendo monstro non spectantur primò & per se, nisi Imperiales potestates, ac potentatus, qui in Mundo regnaverunt, ut supremi Monarchæ, ad quos cæteri se habent reductivè, & ita in Monarchis, sive Monarchiis meliùs procedit allegoria capitis, quæ eleganter in illis debet intelligi, nam inter capita hujus bestiæ proportio esse debet. Si autem in aliquo ex his capitibus, primò, & per se intelliguntur Reges Palæstini, ac Ægyptii sive Israelitæ, proportio inter septem capita non datur, neque enim primi Monarchæ, sive Assyrii, sive Græci, sive Romani proportionem habent cum minutis regulis, sive parvis regibus Ægypti, ac Israelis, ut cum primis Orbis monarchiis in numerum veniant, eò maximè, quia omnia septem bestiæ capita proportionatè ponuntur æqualia, nec unum majus alio dicitur: ergo ex æqualibus componuntur. Explicatur vera.

213 Quinque ergo, qui ceciderunt, sunt præfati quinque Orbis Monarchæ; unus est, scilicet Romanus, alius nondum advenit, scilicet Antichristus: *Et cùm venerit, oportet eum breve tempus manere*; ad quæ verba meritò ait Rupert. *Terret nos de magnitudine adversitatis, & refovet de brevitate temporis*. Sic abbreviantur à Deo mala temporalia, ne multo tempore electi affligantur. Temporalia justorum tormenta ejus dementia.

214 Canit David Psal. 124. nu. 3. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas*. Promittitur ibi non relin-

sinquenda virga peccatorum, seu tyrannorum super justos; sed quomodo hæc virga non relinquitur? siquidem sæpè vidimus justos à peccatoribus affligi. Non dicitur quod non erit hæc virga super justos, sed quòd non relinquetur, hoc est, quod non diu manere permittetur, sed citò cogitur transire. Rupert. lib. 2. de gloria, & honore filii hominis, sic ait: *Quid est, non relinquet, nisi durare non permittet? Recordamini priorum, & novissimorum; quicunque virgam suam, id est, potentiam suam elevaverunt super sortem justorum ad affligendos eos, qui ad vitam æternam prædestinati sunt, nunquid diu duraverunt? Nolite timere, quia non tandiu duravit virga hæc, ut necessariò extendant justi, quasi auxilio destituti ad iniquitatem manum suam, sed citò, frangitur, & in ignem mittitur, & ardet.* Tam benignus est Deus, ut non permittat diu durare mala, supra id, quod sancti possunt sustinere juxta illud Matth. 24. num. 22. Propter electos breviabuntur dies illi.

Persecutiones justorum citò desinunt.

Apoc. 17. n. 11. Et bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octava est, & de septem est, & in interitum vadit.

Num. 12. Et decem cornua, quæ vidisti decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem tanquam Reges una hora accipient, post bestiam.

VERSIONES.

Syriac. n. 11. Animal dentis, quod erat, & non est, & etiam hic octavus est, & in perditionem est.

Arabicus. Est etiam è septem, & est in interitum.

S. Prosper. Bestia quæ fuit, & ipsa octavo loco est, cùm sit ex septem, & in perditionem ibit.

Arabic. n. 12. Qui regnum nondum obtinuerunt, sed eorum potestas erit horæ unius, quod obtinebunt cum bestia.

Syriacus. Sed potestatem tanquam Reges una hora accipient, cum illo animali dentis.

Primas. Sed potestatem regni accipient.

EXPOSITIO.

215 ET *bestia, quæ erat, non est.* Omitto hìc varias sententias circa hanc bestiam. Breviter dicam. Lyran. Aureol. interpretantur regnum Ægypti, vel Turcæ, qui bis Jerusalem obtinuit, at hæc non respiciunt ultima tempora de quibus hìc agitur. Ferrar. cùm dicatur *ipsa octava est*, hoc refert ad sextum caput, id est, ad Imperium Romanum, ad potentatusque illi subjectos, ex quibus tanta morum corruptela prodibit, ut sit veluti octavum caput; & ita dicitur: *De septem est.* Hæc tamen sententia, unum caput bis nominat, quod etiam fieri posset in aliis capitibus. D. Prosper de dimidio temp. c. 11. Haymon, Gagnæus, Tirinus, per bestiam, quæ octava est, interpretantur Antichristum, ac si duplex sit, prout rex particularis, & prout Orbis Monarcha, & sic est octavum caput; probabiliorem expositionem dabo sequenti numero.

216 *Bestia, quæ erat, & non est.* Diabolus nempe, qui ante Christi adventum erat regnans in toto Mundo: ita Rupert. Richard. Ribeira, la Haye. *Et ipsa octava est.* Secundùm se quidem, octavus est persecutor populi Dei, hostis crudelis, ac valde ferox, distinctus à septem illis, de quo superiori versu, & explicavi superiori quæst. ipse enim Diabolus odii, ac persecutionis in Ecclesiam Dei, auctor, ac primarius stimulator est; & quamvis illi septem superiores abfuissent, nihilominus ipse solus in sanctos, ac pios insurgeret, ut fecit in primos parentes.

217 Diabolus omnium malorum excitator. *Et de septem est*, quia in omnibus illis, septem Monarchis, ac tyrannis, & Ecclesiæ persecutoribus exstitit; & præcipuè cum venturo Antichristo, ipse pugnaturus est, ut promotor, ac excitator, & auctor tantorum malorum. *Et in interitum vadit*; quia citò per tres annos cum dimidio, extincto Antichristo, ipse Diabolus tandem peribit, nulla amplius accepta potestate furendi in populum Dei, sed vinculis æternis in inferno colligatus cruciabitur.

218 *Et decem cornua, quæ vidisti, septem Reges sunt.* Hi decem Reges distincti sunt ab illis imperialibus Monarchis, qui in septem capitibus significantur, vers. 9. sicut caput distinguitur à cornu, & minus est illo. In fine Mundi ante publicatum Antichristum in terminatione Imperii Romani, erunt decem Reges, tanquam decem digiti, & ultima pars pedum illius prodigiosæ statuæ; hi conspirabunt contra Babyloniam, ut dicitur infra vers. 16. contra hos decem Reges exurget Antichristus, tres occidet, & septem illi parebunt, ut apertè constat ex Daniele Propheta, c. 7. n. 24. & cum communi sententia PP. dixi supra c. 13. q. 3. nu. 26. 27. & iterum hanc rem latiùs explicans dicam infra q. 27.

219 Imperium Romanum divisum in Occidentale & Orientale. *Qui regnum nondum acceperunt*; nam Joannis tempore, adhuc stabat Imperium Romanum, & tunc in duo divisum est, ut adimpleatur prædictio de statua, cujus duo crura significarunt imperium divisum in Occidentale, & Orientale, & deinde extenuatum paulatim debet desinere in pedes, & ultimò in hos decem digitos, id est, decem Reges, qui nondum regnum acceperunt, nam accipere debent ultimo tempore, ut pergit dicere Joannes subdens.

220 *Sed potestatem accipient tanquam Reges.* Hoc indicat, ut notat Ferrarius, quòd hi decem non erunt magni Reges, sed veluti reguli, seu potentatus, ut sunt in aliqua Republica. *Una hora.* Potest hæc una hora duo significare, vel simultatem, vel breve tempus. Omnes penè simul, & eodem tempore, vel brevi tempore erunt simultaneè Reges, tunc quasi exurgente Antichristo, qui omnia occupabit unus ipse, sibique omnes decem subiiciet. *Post bestiam.* Aliqui ex græco legunt, cum bestia. Utrunque idem significare potest, ut existimat Ribeira, id est, sequentes bestiam, hoc est, Diabolum, eique ad nutum servientes in omnibus; ita etiam habet Cornelius: *Post bestiam, quia eam sequentur, vel cum bestia, quia ei parebunt.*

QUÆSTIO XXVI.

Quare Reges dicuntur cornua.

221 EX nostro text. manifestè patet, quòd Reges cornua dicuntur: *Et decem cornua, quæ vidisti, decem Reges sunt.* Hoc patet ex multis Scripturæ locis; sufficiat nunc illud Ezech. 29. n. 21. *In die illa pullulabit, seu nascetur cornu Israel;* ubi Glossa ordinaria: *Id est regium genus.* Ibi Theodoret. *Cornua, divina Scriptura, alias pietatem vocat, alias potentiam, alias regnum; sic dicitur, Thren. 2. n. 3. Confregit in ira furoris omne cornu.* Interlin. ibi ait: *Omne cornu, Regum fortitudinem dicit*; similiter Lyra omnem statum regiæ dignitatis, ac fortitudinem defensionis intelligit.

Reges dicuntur cornua.

222 Hujusmodi metaphoræ habuerunt originem in Scriptura ex eo, quia Moyses habuit cornua; Exod. 34. n. 29. dicitur: *Cornuta erat facies ejus propter consortium sermonis Domini;* quibus indicabatur gloria Moysis ex sua dignitate, potentia ad gubernandum, & fortitudine ad munimen, ac defensionem populi Israelis, ut ponderat D. Greg. Magn. *Imple cornu tuum oleo*; indeque Rex cornu dicitur, debetque pro sua dignitate, ac auctoritate resplendescere gloria majestatis, potentiaque in regimine populi, fortitudine ad illius tutelam, & protectionem. Job magnus Rex juxta communem sententiam dicebat de se, c. 16. num. 16. *Operui cinere carnem meam.* Hebr. legit: *Involvi in pulvere cornu meum.* Chald. *gloriam meam*; Sept. *robur meum*; alii transferunt, *potentiam meam.* Cùm esset rex, eminebat in populo, gloria suæ celsitudinis, potentia suæ directionis, roboreque tutelæ.

Resplendet majestate, potentia, fortitudine

223 Secundo explicat Angelus Joanni, quod decem cornua bestiæ, sunt decem Reges; & quid habent reges cum cornibus? Hæc bestia est Diabolus, cornua autem illius sunt hi reges, qui utpote iniqui, ac maligni Diabolo adhærebunt, ut cornua capiti; & sicut bos cornu impugnat, & petit alia animalia, sic & Diabolus cùm non possit multoties per se ipsum, frequenter per homines perversos, & malignos persequitur, & impugnat justos, ac sanctos. Albert. Magn. ait:

Iniqui adhærent Diabolo, & Diabolus per eos impugnat justos.

ait: *Dicuntur cornua, vel propter irrationabilitatem, vel quia adhærebunt ei, sicut cornua capiti. Item quia per eos pugnabit contra Ecclesiam, sicut bestia pugnat cornibus suis.* Alensis ait: *Dicuntur isti reges cornua Diaboli per adhæsionem, sicut cornua adhærent capiti suo.*

224 Tertiò decem cornua decem reges sunt. Docet Angelus cornu esse reges armatos, quos radiantibus thiaris vidimus adornatos, c. 13. n. 1. *Et super cornua decem diademata*; nunquid modò facit reges pares tauris, qui cornu petant, & bello perdant alios reges? Rupert. lib. 10. in Apoc. ait: *Quis enim nesciat de Mundi regibus, quantis semper fuerint odiis inquieti?* & cur reges tanta inquietudine laborant? Quia cùm se, suamque Rempublicam, ac regnum pace, ac bonis florere vident, statim bella movent, aliorum terminos, ac terras invadere conantur pro suo imperio dilatando; sic pergit cit. Rup. *Nunquam in sua pace florere permiserunt, bellis omnia devastantes, turbas hominum gladio interficientes, civitates, castella igni concremantes.*

Reges bella movent pro suo imperio dilatando.

225 Multa documenta Deus dat populo suo, cùm esset ingressurus in terram fluentem lac, & mel, quod haberet super se creatum regem, sicut & cæteræ nationes habent, & statim ponit in præceptum Deut. 17. n. 16. *Non multiplicabit sibi equos*; & assignat causam: *Nec reducat populum meum in Ægyptum*; prohibetur hebræus princeps, ne sub ditione sua habeat multitudinem equorum, ne rerum manu, ac copia potens, & sui impotens, ducto copioso exercitu Ægyptum petat, ut terram illam sub suo imperio constituat. Lyranus: *Nec reducat populum meum in Ægyptum, præsumens acquirere terram illam*; nam cùm reges fiunt potentes, statim solent alienam fortunam invadere, ut perbellè dicitur: *Longas Regibus esse manus.* Hoc regum ingenium optimè Deus agnoscens, terminos constituit populo suo, à Solis ortu usque ad occasum, ab Austro usque ad Aquilonem, Num. 34. n. 3. quod cùm ingressus fuerit terram Chanaan, possessio ejus, *his finibus terminabitur*; ad quid Deus hoc præcepit, terminosque etiam præfixit provinciæ occupandæ? Ne gens hebræa extendat manus in fines alienos, continuo bello, hoc districtè cavet Deus, siquidem homo rerum avidus, minimè rebus suis explet sitim, nisi etiam alienis adimpleatur. Abul. 2. Reg. c. 8. q. 12. ait: *Ut Israelitæ essent contenti illa possessione, & non contenderent jungere illi terram alienam.*

Nemo suis rebus contentus vivit.

226 Quartò una est bellua, & multa sunt cornua; quod certè magnæ admirationis causa est, & tamen Rup. lib. 10. in Apoc. non admiratur, considerans, quod cornua sunt Reges, quibus multiplex est ratio sæviendi; & sic ait cit. Rup. *Non solummodo reges contra reges, hostili more hæc fecerunt, sed populis suis, civitatibusque suis, reges persæpe, mala hæc intulerunt.* Rectè princeps per bestiam, & cornua significatur; bestia, quandoque princeps est, & potentia, tanquam cornu petit, ac ferit homines; data potestas impio viam aperit ad sævitiam, & quantò grandior est potestas inter homines, eò major est facultas in cædes, ac scelera. Præclara est sententia D. Hieron. lib. 2. Apol. adversùs Ruffinum, dicens: *Periret enim innocentia, si semper nequitiæ juncta esset potentia, & totum quidquid cupit calumnia prævaleret.*

Potestas inservit ad sævitiam.

227 Ait regius Vates Psal. 85. n. 14. *Deus, iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.* Vates multis de causis timet cùm videret homines contra se affectu depravatos, potentia obarmatos, & Dei oblitos; quid scelerum non aggreditur potentia, quæ Deum ab animo proiicit? *Non proposuerunt te in conspectu suo*; maximè enim sæva crudelitas augetur affectu corrupto, voluntate iniqua, & potestate improba: *Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* D. Basil. *Atque ex eo duplex timor obortus; unus quia Synagoga potentium, alter quia non proposuerunt te in conspectu suo.* Labitur in omne turpe flagitium, ac relabitur facilè, qui in sella judex, in aula princeps est, erga Deum habens clausos oculos, quos sæpè ipsa potentia ligat, ac restringit.

Potestate excitatur voluntas improba.

228 Ait Deus per Ezech. 7. n. 10. *Floruit virga, germinavit superbia*; græcus legit: *Contumelia surrexit.* Cùm virga floret & apparet in manu iniqui, statim contumelia prodit, ac exurgit. Potestas improbo data, inservit non ad justitiam exercendam, sed ad injuriam mentito jure irrogandam, & ex summo jure summa injuria nascitur; aliquando irritatur affectu judex, aut invitatur officiis princeps ad ultimam improbitatem: *Floruit virga, surrexit contumelia:* talis è virga censoria fructus est; quod notat Lyra, & ait: *Ex qua sequitur contemptus, ac depressio hominum.* Suis discipulis magister Deus, nunc adimit, nunc permittit virgam; demit Matth. 10. n. 10. *Nolite possidere aurum, neque virgam*; sic & Luc. 9. n. 3. tamen Marcus virgam Apostolis permissam scribit cap. 6. n. 8. præceptum est à magistro, *ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum*; ac si divinus magister vellet virgam in Republica, nunc sumendam, nunc deponendam esse, ut monet D. Gaudentius tract. 5. Addo Christum D. data, negataque virga significasse, quòd virga sit, prout lex, ac justitia postulat, ac exigit, non verò ullo modo sit virga ut affectus, ac potestas iniqua provocat, ac impellit.

Officio abutitur judex improbus, ut malè agat.

Quare, ne gens hebræa hoc extremo malo laboraret, oblatam sibi potestatem Gedeon à se ac suis domesticis rejecit. Volebat Senatus judaicus, ut Gedeon judex perpetuò gereret principatum, ac etiam in domum suam transferret, Iudic. 8. n. 23. *Quibus ille ait: Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus, &c.* Magna profectò virtus est, quæ fasces, ac secures à se reiicit; esto Gedeon nollet sibi hos honores, cur filio Pater aufert, quod fortuna plena manu offert? Sed nesciebat bonus Pater, an filius, ac nepos sint habituri imperio dignos mores, metusque illi inde ingens erat, ne agendi licentia Rempublicam perdant, ac proinde Pater maximam majestatem repudiat. Abulensis q. 20. sic ait: *Quia fortè si ipse dignus foret, posteri essent indigni, & sic turbarent populum.* 229

Indigno non est danda dignitas, ne pereat Respublica.

QUÆSTIO XXVII.

Quinam sint isti decem Reges, & an tali nomine veniant ad devastationem Babylonis ante publicatum Antichristum.

TRia in hac re iniquiro; & primò: Mihi est certum hos decem reges distinctos esse ab illis, qui in septem capitibus significantur, nam symbola diversa sunt, nec capita sunt cornua, nec vice versa, cornua capita: ergo etiam & significata; & sicut caput majus est suo, vel suis cornibus, tantò majores sunt reges in capitibus significati iis, qui in cornibus denotantur, septem enim capita, septem Monarchas, Assyrios, Medos, Chaldeos, Persas, Græcos, Romanos, & Antichristum, decem verò cornua decem reges, in quibus divisum erit imperium Rom. denotant, & ideo hi decem non dicuntur simpliciter reges, sed tanquam reges, ad differentiam illorum septem, qui simpliciter dicuntur reges, utpote magni Monarchæ, hi autem dicuntur tanquam reges, utpote parvi reges. 230

Decem reges distincti à septem.

Secundò mihi verisimilius est, hos decem reges, esse numero præfixo, de qua re Aug. lib. 21. de civit. c. 23. dubitare videtur, an dicantur decem, & sit definitum pro indefinito, & per decem reges denotentur omnes reges terræ. Tamen simpliciter mihi videtur dicendum, quòd decem reges significant determinatum numerum denarium; primò, quia Daniel. 7. n. 24. *Cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit*; & sicut tres reges sunt in numero determinati, ita & decem: sic docent D. Hieronym. D. Irenæus, Theodoretus, Lactantius, & alii, quos citavi supra c. 13. q. 3. n. 27. & 28. Deinde apud Danielem c. 2. n. 33. statua illa magna, in qua denotabantur Orbis imperia, imperium Romanum denotabatur in tibiis, ac pedibus, qui cùm duo essent, significabatur imperium Romanum dividendum in Orientale, ac Occidentale; & ut rectè notat D. Hippolytus orat. de consumm. Mundi; in decem digitis pedum statuæ, significabantur ibi decem reges, in quibus imperium Romanum finietur. Deinde per hos decem reges, in quibus imperium Romanum erit dividendum, non est necesse intelligere omnes reges Mundi, quia Sinenses, Japonenses, nunquam fuerunt subjecti imperio Romano. 231

Hi decem reges numero præfixi.

Mihi

231 Mihi etiam verosimilius est cum Ribeira, Ferrario, quòd hi decem reges, pugnabunt, & evertent Babyloniam, seu Romam, ante publicatum, ac magnificatum Antichristum, nam tales decem reges convenient ad talem expeditionem, non ex alicujus imperio, sed ex suo beneplacito, ac inspiratione divina, ut indicat text.n. 17. *Deus dedit in corda eorum, ut faciat*; tunc in illa expeditione Antichristus erit magnus Dux, & regum, ac militum voluntatem sibi devinciet, multaque spolia congregabit Diabolo adjuvante, & tunc arma convertet contra suum regem, ipsoque superato alium, & alium aggredietur, quibus tribus prostratis, & regno spoliatis, se magnum Monarcham constituet, cogetque septem reliquos ei obedire; quod benè colligitur ex Dan.cit.c.7.dicente: *Cornua decem ipsius regni, decem reges erunt, & alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & alius*, scilicet cornu, id est, Antichristus, juxta communem sententiam, *consurget post eos*; id est, decem reges & ipse potentior erit prioribus, ut ait Propheta, id est, Antichristus consurget post hos decem reges, qui Babyloniam ex consilio suo vastabunt.

Post Babyloniam à decem regibus devastatam consurget Antichristus.

232 Et maximè confirmatur hæc nostra sententia, quòd scilicet priùs sit destruendum imperium Romanum, antequam consurgat Antichristus, de quo agens Apost.2.ad Thess.2.n. 3. *Nemo vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis, &c.* & tunc subdit Apost. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis, tantùm ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat, & tunc revelabitur ille iniquus*; ubi Apost. juxta communem sententiam pro signo adventus Domini, dat adventum Antichristi, & pro signo adventus Antichristi, dat destructionem imperii Romani, nam illa verba Apostoli: *Qui tenet nunc*; nempe imperium Romanum; *teneat* modò, nempe illud, *donec de medio fiat*, id est, donec fuerit avulsum, & extinctum. *Et tunc revelabitur ille iniquus*; scilicet Antichristus: ita locum Apostoli exponunt Tertull. in Apolog.cap.32.S.Optatus Milevit.lib.3.contra Parmen. D.Cyrill.Jerosol.Cathes.15. D. Hieron. q. 11. ad Algas. D.August. lib. 20. de civit. Dei c.29.& in comment.ad cit. epist. Ibi D. Ambros.Beda, Oecumen.D. Thom.D.Anselm.& alter Anselm. Laudun.S.Prosper in dimidio temporum, c.8.D.Gregor.Magn.lib. 32.in Job, & hìc Viegas, Ribeira, Ferrarius, la Haye, ad finem cap. ubi multos alios citat.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare cùm isti sint verè reges, dicitur de eis, quòd regnum nondum acceperunt.

233 Indignus etsi videatur in dignitate, illam non habet.

QUæstio est, quòd cùm isti decem reges, verè sint reges, quomodo de illis ait Angelus: *Decem reges sunt, qui regnum nondum acceperunt?* Et maximè urget difficultas, quia Rupert.existimat in præsenti in his decem regibus denotari omnes Reges, ac Imperatores, qui usque ad Joannis tempora extiterunt in Mundo apud Assyrios, Chaldæos, Persas, Medos, Græcos, ac Romanos; sed cùm isti utpote Nabuchodonosor, Alexander Magnus, Julius Cæsar, dominati fuerint toto Orbe, quomodo de illis dicitur: *Regnum nondum acceperunt?* Planè isti sub se habuerunt terram, ac regna multa, at quia vitiis, & cupiditatibus inservierunt, meritò censentur regnum non habuisse, & ab albo regum excluduntur; sic cit. Rupert.lib.10.in Apoc. *Regnare quidem visi sunt, & regnum fastum, & nomen sibi usurparunt; sed veraciter nunquam regnaverunt, neque enim regnum illorum, verè est regnum, nam verè reges hujusmodi, non sunt mirandi, sed miseri sunt judicandi, qui ut regnarent tot homicidia fecerunt*; ita etiam in præsenti Alensis: *Verus rex debet habere equitatem justitiæ, claritatem sapientiæ, pietatem misericordiæ, sanctitatem divinæ reverentiæ, quibus omnibus isti carebant.* In eis sua nequitia suffocavit, ac extinxit eorum dignitatem.

234 Qui impiè regnat, non est rex, sed bestia.

Et confirmatur ex præsenti text. *Et potestatem aquarum reges accipient una hora post bestiam.* Per bestiam Antichristus intelligitur à Rupert.ac aliis, ut dixi in expositione; an non ipse Antichristus omnium potentissimus erit Monarcha? omnia ferè sub suo imperio continebit? quomodo ergo si alii dicuntur Reges, ipse non rex, sed bestia dicitur? Quia ipse omnium impiissimus erit, & ideo quamvis videatur regnare, nomine regis privatur, quia tale nomen à tanta nequitia expellebatur; annuit cit. Rup. & ait: *Cùm dicit, post bestiam, idem namque est, ac si dicat, ad effundendum sanguinem sanctorum; quæ potestas bestiæ non est verè ad regnum, sed ad insaniam, ad effundendum sanguinem.*

De se ait regius Vates, Psal.130.n.1. *Neque habitavi in magnis, neque in mirabilibus super me;* primum sic legit Symmachus: *Neque ambulavi in majestatibus, neque in transcendentibus me;* quomodo ipse ait de se, quòd non ambulaverit in majestatibus, magna potentia, ac apparatu degens, sub se habens subjectos duodecim tribus, ad quorum apicem, ex Dei nutu fuerat electus, & tamen ait de se, quòd *non ambulaverit in majestatibus*? Cùm se cognosceret peccatore, ac peccatis infectum, homicidio, ac adultero coinquinatum, inde in se nullam agnoscebat regalem majestatem, sed ab omni illa privatum, ac spoliatum fatebatur, & tanquam à re sibi superiore, ac transcendente declinabat, nam ut rectè ait Salvian.l.3. de Providentia: *Quid est dignitas indigno, nisi ornamentum in luto?* nam sicut lutum tali ornamento non condecoratur, ac nobilitatur, sic & indignus dignitate non sublimatur. 235

Ubi peccatum, ibi non est dignitas.

Ex Amos c.5.n. 25. dixit Stephanus Act.7.num.42. *Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel, & suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis?* Colebant miseri Israelitæ Molochi statuam, regia corona illustrem, pellucidis lapidibus instar luciferi pellucentem; in quo etiam demonstrabant splendidissimum colere Luciferi, seuauroræ astrum. Et illud maximè notandum, quòd sydus illud ab Israelitis vocatur *Rempham*, sive Repham, quod nomen idem valet ac obtenebratio; & quid tenebræ cum fulguranti, & pellucido sydere? cur non magis illum vocat splendorem, illuminationem, quàm obtenebrationem? Dabant illi improportionatum honorem cultus syderei, & tantum abest, quod ipsum sydus tali honore fulgeret, ac radiaret, ut etiam ipso nativo lumine esset obscuratum, & tenebratum, proindeque tenebræ, quas sydus in hominum cordibus diffundebat, in ipsummet sydus refunduntur, ut obtenebratio, ac obscuratio diceretur. N.D.Cyrill.Alex. in c.5.in Amos ait: *Portaverunt igitur tabernaculum Moloch; hoc est, regis nostri Rempham, id est, obtenebratio, & excæcatio. Porrò Luciferum adorabant; veruntamen adorantibus factus est Rempham, id est obtenebratio, & obcæcatio, non quasi astrum in illis operatum sit tenebras, sed quod illis cultus illius obtenebrationis causa extiterit.* Indignus cultus propriam lucem obscuravit, & tenebras importavit. 236

Dignitas data immerito, non est ad honorem, sed ad interitum

Ait Salomon, Prov.26.n.8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti honorem*; quæ verba sic leguntur apud Sept. *Sicut qui ligat lapidem in funda, ita qui tribuit honorem insipienti.* Comparatur tribuens honorem indigno cum eo, qui lapidem ponit in funda ad percutiendum; sed quid simile habet, si tribuas indigno honorem, cum eo, qui rorat in funda lapidem ad percutiendum? Cùm lapis rotatur in funda, in quem mittitur, vulnus, & mortem generat, sic cum dignitas & honor defertur immerenti, talis dignitas, non est ad honorem, & gloriam, sed potiùs ad mortem, & vulnus ac perpetuam ignominiam, cùm talis tanto honori minimè valeat correspondere. D.Ambr.epist.7. *Qui deligat lapidem in fundibulo, similis est ei, qui dat insipienti claritatem; certè sicut tormento acerbatur, & geminatur malum saxi ruina, sic insipientis ruina in libertate vehementior est. Recidenda igitur insipienti potestas, servitus enim ei convenit.* Honor indigno idem est, ac jaculum contortum in eum à validissimo adversario. 237

Dignitas indigno non est ad honorem sed ad ignominiam

QUÆSTIO XXIX.

Quare de istis decem Regibus dicitur, quòd una hora post bestiam accipient regnum.

BEstiam, super quam mulier insidebat, explicat Angelus Joanni, & ait: *Decem cornua, decem reges* 238

Sexta quæstionis

reges sunt, qui regnum nondum acceperunt, sed potestatem, tanquam reges una hora accipient post bestiam. Quid sit accipere post bestiam, jam explicavi in expositione; quæstio præsens est, cur exprimatur, quod potestatem una hora accipient.

239 Terrena diu acquisita citissimè perduntur.

Longo tempore, longa regni expectatione, hi decem reges cruciabuntur, & anxiis desideriis regnum expectabunt, ipsumque longo sudore, labore, ac cura ambibunt, & tamen prosperitatis fortuna, tam vehementibus laboribus comparata; audi quanto tempore duraverit: *Una hora accipient potestatem post bestiam;* brevissima temporis mensura, una nempe hora, amissum est, quod longissimis sæculis expectatum, ac procuratum est. O infatuata ambitio, quot annos in disponendis præliis, in cogendis armorum agminibus, in congregando, ac ordinando belli apparatu insumpsit magnis thesauris consumptis! & tamen, quæ summis periculis, ac curis parta sunt, citissimè elabuntur, & exiguo tempore, una tantùm hora, transeunt. In præsenti patrocinatur D. Ambros. *Significant quippe*, cornua scilicet, *ea regna, per quæ Romanum Imperium, destruendum est, partem namque Asiæ Persæ primitus abstulerunt, postea verò Sarraceni totam subegerunt, Vvandali Africam, sibi vindicarunt, Gothi Hispaniam, &c.* & tunc subdit S. Doctor: *Hæc ergo regna, eo tempore, quo visio ista Joanni demonstrata est, potestatem nondum acceperant, sed una hora tanquam reges potestatem acceperunt, quia singularum istarum gentium potestas pauco tempore permansit.* O fatua hominum amentia, quæ tam anxiis desideriis, ac laboribus caduca quærit, & insequitur! quæ innumeris parta sunt annis, una hora subvertuntur: *Istarum gentium potestas pauco tempore permansit.*

240 Quod magno labore cõparatur, citò labitur.

Hanc miseram hominum cæcitatem exaggerans Aggæus Propheta c.1.n.6. ait: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum;* non ait, mercedem, sed mercedes, quas ut homo valeat accipere, anxius, & sollicitus finem anni expectat, longos sustinens labores, glebas terræ aratro proscindens, glacies, Solis æstus, ac ventorum iras patiens, omni pressura defatigatus; sed quod tot annis lucratus est, cùm in sacculum perforatum mittat, omnia una morula instantanea perdit; & cùm comparantur, ac mittuntur, statim per foramina dilabuntur: plurium annorum mercedes, anxio labore partas, brevissimè amissas vides; quidquid enim in sacculum pertusum immittitur, non ibi persistit, sed citò transit. Sic interpretatur Interlin. *Si quis vel negotiatione, vel mercenaria manu mercedes congregavit, illæ pecuniæ ita defluunt ac si mitterentur in sacculum pertusum.*

241 Temporalia citò evanescunt.

Ait regius Vates, Psal.67. nu. 14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Inter cleros, ait, hoc est, si accumbas, & requiescas inter medios cleros, id est, inter sortes, quibus victores inter se dividunt spolia, è quibus multa tibi promittis, ut exponunt D. Ambr. Genebr. Bed. Lor. & alii; quid tunc ipsa columba deargentata cum nitore auri? Et notandum, quod de solo illius dorso aureo meminit; & cur non potiùs de illius pectore, capite, ac oculis, sed tantùm scapulas, seu dorsum proponit? In ipsa columba deargentata figurantur terrena bona, quæ maximè splendent in nostris oculis, & multis laboribus, ac periculis, varioque fortunæ jaculo tanquam per sortes comparantur, quæ bona sic citissimè volant, ac percurrunt, ut quamvis diligentissimus occurras spectator, solùm eorum dorsa velocissimè currentia vix notabis; ad quod respicit D.Greg.3.p.Pa.....admonit. 12. & ait: *Profectò divitias in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, non intuentes perdunt.* Ad hoc spectat illud, quod eleganter dicitur. Ecclesiast.31. n.8. *Beatus vir qui post aurum non abiit;* cur non etiam beatus dicitur, *qui ante aurum non abiit?* cur potiùs dixit, *post aurum?* Equidem auri proprium est, universos præterire, & cunctis terga sua dare; sic enim currunt bona temporalia, sic aurum volat, ut quamvis velocissimè accedas, sola terga habebis: vide supra c.14.q.21.n.192. & seqq. & c.16.q.18. n.130. & multa alia to.1. in Apoc. ac quinque tomis in Evang. verb. Bona temporalia.

Apoc.17. n.13. Hi unum consilium habent; & virtutem & potestatem suam bestiæ tradent.

Num. 14. Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum, & qui cum illo sunt vocati *electi*, & fideles.

VERSIONES.

Syriacus n.13. Hi unam voluntatem, potentiam, ac potestatem suam illi animali dentis dant.

Arabicus. Hi porrò concordes erunt in eadem sententia, & robur, ac potestatem suam tradidere bestiæ.

Primas. Hi omnes unam sententiam habebunt, & vim suam bestiæ tradent.

Pagninus. Potentiam, & potestatem tradent.

Vatablus. Potentiam, & imperium tradent.

D. Augustin. Virtutem, & majestatem Diabolo tradent.

Siriac. n.14. Hi cum illo Agno præliabuntur.

Arabicus. Et hi oppugnabunt Agnum, &c. Et amici ejus vocabuntur electi.

D. Augustin. Hi cum Agno pugnant, qui cum ipso vocati sunt, & electi.

EXPOSITIO.

Hi unum consilium habent. Hi nempe decem reges unanimi consensu, unam sententiam, unum propositum, ac resolutionem habent, ut Christo adversentur, ejusque fideles persequantur. *Et virtutem, & potestatem suam;* virtutem nempe, fortitudinem, ac robur bellicum. *Potestatem*; dominationem, ac imperium, quod supra subditos suos, ac milites habebunt, *bestiæ tradent;* quæ verba sic explicat Rup. *Quidquid virium, & fortitudinis habent ipsi*, scilicet bestiæ, *tradent dicentes: Tibi gratias, quia quicquid habemus à te accepimus;* propriumque ipsorum imperium, omnia & sua dæmoni, ejusque nequitiæ referunt. Genuinus est sensus, hic namque per bestiam accipitur Diabolus, sub hoc nomine de eo agitur in toto hoc cap. sicque omnes suas facultates ejus obsequio dedicabunt. Albert. Magn. in præsenti tria notat: *Hi unum consilium habent, quantum ad machinationem mali, & virtutem quantum ad simulationem boni, & potestatem suam quantum ad simulationem mali::* Addit Abul. *Ecce ut eorum malitia erat exquisita.* 242

Hi cum Agno pugnabunt. Hæc de Antichristo nullo modo possunt intelligi, ut volunt Rib. & Corn. quia hìc sermo est de decem regibus; & sub Antichristo, tantùm erunt septem reges, tribus ab eo extinctis, & deletis, ut jam dixi sup. q.27. & iterum dicam q.31. sermo est ergo hìc de expeditione, ac impugnatione Babyloniæ, seu Romæ, in qua Antichristus, non erit magnus Monarcha adhuc habitus, sed erit magnus militiæ dux, ac princeps horum decem regum: *Cum Agno pugnabunt;* justos persequendo, & adjuvando Diaboli regnum, intendentes auferre cultum veri Dei, illiusque honorem: *Sed Agnus vincet illos;* quia tales reges, non poterunt prævalere, nec Dei cultum auferre, nam tunc pro tali tempore divinus cultus erit in suo vigore apud catholicos, nec in sanctos erunt dura, & aspera nocumenta ut de persecutione Antichristi dicitur sup.c.13.nu.7. & ibi dicitur: *Datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos;* undè existimo sub his decem regibus non futura multa tormenta, ac martyria in sanctos, Deo eos custodiente. 243 Verus sensus.

Quoniam Dominus dominorum est, & Rex regum. Et quamvis solus Agnus victoriam consequetur, partem tamen victoriæ, suis electis, ac fidelibus adscribere dignatur. *Qui cum illo vocati sunt electi, & fideles;* qui nempe cum ejus gratia, virtute, ac consilio suæ voluntatis vocati sunt, ita ut verè fideles dicantur, vocati nempe ad veram gratiam, ac sanctitatem. 244

QUÆSTIO XXX.

Quare cùm reges frequenter inter se sint diviſi, hi tamen decem reges, in eandem ſententiam & voluntatem conveniunt.

245 HI omnes decem reges, eandem voluntatem, ac ſententiam habent, ut legunt Syrus, ac Primaſius, ſeu ut habet Arabicus: *In eadem ſententia ſunt concordes;* ut bellum excitent contra Babyloniam, ad hocque ſe mutuò adjuvent, in ejusque deſtructionem conſpirent, & etiam ut ſimul cùm agno, ejuſque juſtis pugnent; quænam hujus rei ratio? Prima & genuina, divina diſpoſitio cum ſua permiſſione, & dum agitur de Babylonia infra n. 17. dicitur: *Deus dedit in corda eorum ut faciant, &c.* ut ibi dicam, ſed jam Moraliter.

Difficultas quæſtionis.

246 Reſpondeo primò: Hi omnes decem reges in hanc ſententiam, & voluntatem inter ſe conveniunt. *Hi cum Agno pugnabunt*, ut bellum faciant contra ſanctos, & juſtos; & quamvis impii inter ſe diſſideant, ac contrarii ſint, maximè tamen in hoc frequenter conveniunt, ut juſtos perſequantur, omnibuſque modis eos opprimant. Matth. 9. n. 14. *Acceſſerunt ad eum*, ſcilicet Jeſum, *diſcipuli Joannis, dicentes: Quare nos, & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant?* Diſcipuli Joannis Phariſæis contrarii erant, eos namque Joannes acriter objurgans genimina viperarum vocaverat, Matth. 3. n. 8. cur modo diſcipuli ejus Phariſæis aſſociantur? cur modò cum execratis viperis à ſuo Magiſtro conveniunt, ac uniuntur? Agebatur res contra Chriſtum Dominum, ejuſque diſcipulos, adversùs quos, etiam maximè inter ſe contrarii adunantur, ac colliguntur. D. Chryſol. ſerm. 30. ait: *Cum diſcipulis Joannis, quæ ſocietas Phariſæis? niſi quia junxerat invidia, quos diſjunxerat diſciplina. Judæi poſtponi Moyſem Domino non ferebant, diſcipuli Joannis Chriſtum volebant Joanni ullatenus anteferri; ſic in Chriſtum fremebant, utrique livore communi.* Quamvis vehementer eſſent inter ſe diviſi Phariſæi, & diſcipuli Joannis, tamen ubi adversùs Chriſtum deventum eſt, maximè inter ſe amico fœdere conveniunt ad eum, ejuſque diſcipulos impugnandum, ut in præſenti, hi decem reges, quamvis eorum ſtudium ſemper eſſet diverſum, ad præliandum tamen contra agnum, ejuſque fideles concordes inveniuntur.

Impii inter ſe contrarii contra juſtum uniuntur.

247 Secundò qui ſunt iſti, & quod conſilium, ac voluntatem habent? Iſti ſunt reges, eorumque conſilium eſt de bello agendo contra Babyloniam, de impugnationeque commovenda contra agnum, ejuſque fideles; non ergo mirum, quod tale ſit eorum conſilium, ac voluntas, quia nil frequentiùs apud reges pertractatur, eorumque aulis agitatur, quàm bella, ac diſſidia, quibus univerſis Orbis premitur, ac vexatur. Apud Joſue 11. nu. 1. legitur, quòd rex Aſor, multos alios reges excitaverit, ac convocaverit in bellum; ſic ait text. *Jabin Rex Aſor miſit ad Jobad Regem Madon, & ad Regem Semeron, atque ad Regem Achſaph, ad Reges quoque Aquilonis, &c.* Univerſi hi Reges nihil de bello cogitantes, pacifici, & quieti erant in ſuis civitatibus, unus tamen Rex Aſor provocat, & convocat ad bella; cur ergo unus Aſor pacem rumpit, & de belli negotio agit? Myſticam quandam rationem, in ejus nominis ſignificatione invenit Origen. Aſor ſignificat, aula, inde ex alta Dei providentia introducitur ipſe Aſor prælia tractans, excitans, ac provocans, ut oſtendatur quid aula Principum, aulaque Regis germinet, niſi pacis turbationes, belliqué diſſidia. Orig. hom. 14. in Joſue ait: *Interpretatur Aſor aula: eſt ergo omnis terra aula hujus regis, qui totius terræ, velut unius aulæ obtinet principatum, ipſe eſt, qui mittit ad omnes gentes, & invitat ad prælium.* Merito ad illum regem, qui in ſuo nomine aulæ ſignificationem importat, prælia, ac turbationes pacis, & concordiæ ſpectant.

Bella, ac diſſidia maximè in aulis Principum occurrunt.

248 Tertio decem reges terræ in unum congreganturne ut pacem ſervis Chriſti donent? an ut ipſum Chriſtum adorent? Minimè, ſed ut bella faciant: *Cum agno pugnabunt.* Cur potentes terræ ſic in unum adunantur? cùm ipſa poteſtas diſſidii, ac diſcordiæ cauſa ſit. *Agnus vincet eos.* Cùm ejus potentiam, virtutem, ac juſtitiam agnoſcent, maximè timebunt ab agno eſſe vincendos; ideo omnes adversùs agnum ad pugnam inferendam colliguntur, ac uniuntur, ut poſſint pugnare, & prævalere contra agnum. *Phariſæi audientes quòd Jeſus ſilentium impoſuiſſet Sadducæis conveniunt in unum*, Matth. 22. nu. 34. Phariſæi & Sadducæi maximè contrarii, & adverſarii inter ſe erant, nam Sadducæi reſurrectionem negabant, quam Phariſæi fatebantur; quomodo in unum conveniunt, ac ſimul uniuntur, ut notant D. Chryſoſt. hom. 72. in Matth. D. Paſchaſ. lib. 10. in Matth. Sadducæi devicti, ac convicti ſunt à Chriſto D. qui in ſua quæſtione de Reſurrectione, eis impoſuit ſilentium, quod etiam ſæpè fecit Phariſæis in ſuis quæſtionibus, ut amplius non auderent eum interrogare: quamvis ergo Phariſæi, ac Sadducæi eſſent inter ſe diviſi, cùm ſe viderent à Chriſto ſæpè ſuperatos, ita ut ne minimum verbum auderent dicere contra Chriſtum, concordant, ac uniuntur, & magno amicitiæ vinculo armantur, ut contra victorem fortiùs pugnent, ac decertent.

Devicti contra victorem armantur ad pugnã.

Quartò: *Hi unum conſilium habent.* His manifeſtatur horum decem regum concordia; & cujus rei gratia hæc facta ſunt? *Ut pugnent cum agno;* ut nempe contra Dei ſervos pugnent, bellaque gerant: ad hoc tendit impiorum collectio, ac unitas, ut juſtos perſequatur, ac impugnet. D. Greg. lib. 34. Mor. c. 4. ait: *Reproborum quippe unitas, bonorum vitam tantò duriùs præpedit, quantò ei per collectionem durior opponitur.* Hinc eſt, quod volens Daniel ſanctiſſimæ Suſannæ ſervare vitam, ab hoc uno ante omnia incipit; ipſos ſenes accuſatores inter ſe diſjungere. c. 13. nu. 51. *Separate illos ab invicem procul, & judicabo eos;* ut denotaret, quòd vix poſſit ſalvari vita juſti, niſi intercedat malignantium diviſio. 249

Ex concordia iniquorũ, mala in juſtos oriuntur.

Job. 1. n. 17. dicitur: *Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos.* Ecce congregata Chaldæorum agmina de multis aliorum gregibus, omnem Jobi gregem petunt, & mactant; quod tamen in præſenti maximè inquiro: Cur tres turmæ, ſeu Chaldæorum acies, & non potiùs quatuor, vel quinque convolant ad perniciem? In Chaldæis illis omnes maligni ſpiritus erant adunati, & confœderati, ut communiter. Pro cujus intelligentia etiam cum communi ſententia Theologorum ſuppono cum D. Thom. 1. p. q. 109. quod mali Angeli ceciderunt de omnibus ordinibus, ac hierarchiis Angelorum, de qua re latè Suar. to. de Ang. l. 1. c. 14. n. 18. & l. 8. c. ult. n. 1. ſicut ergo in Angelis ſanctis tres ſunt ordines, ſeu tres hierarchiæ, ſic etiam aliqualiter ſuo modo hujuſmodi tres claſſes dantur in malignis ſpiritibus, quia quæ ſunt naturalia, ipſi non amiſerunt: dicuntur tres turmæ, ut ſignificentur omnes dæmones conglomerati contra Job, nam quamvis in inferno, *nullus ſit ordo, ſed ſempiternus horror*, & in dæmonibus ob ſuam perverſitatem, ac malignitatem, nulla ſit unitas, ac concordia, ſed ſumma diſcordia, ac diviſio, tamen ad impugnandum juſtum, & ſanctum adſtricto fœdere conveniunt, & uniuntur. Origen. hom. 1. in Job. pulchrè ſic fatur: *Univerſa potentia, atque exercitus, & omnes dæmonum catervæ, ſimul illic convenerunt, & pariter ſe adversùs B. Job armaverunt, tantùm ut Job ſuperarent, utpote, quia non erat ei ſimilis in toto Mundo*; & ubi collecta erat impiorum malitia, non mirum, quod ſolus juſtus requirebatur ad mortem: nullus ex toto Orbe juſtus, niſi Job, qui viam virtutis inoffenſo pede currebat ad mortem petebatur, contra quem omnes impiorum exercitus conveniebant armati. 250

Impii etſi diviſi contra juſtum uniuntur.

Remittitur meus Jeſus à Pilato ad Herodem, qui cùm ad ejus interrogata non reſponderet, ut refert Luc. 23. n. 11. *Sprevit autem Jeſum Herodes, cum exercitibus ſuis, cumque illuſiſſet, indutum veſte ſplendida, remiſit ad Pilatum, & facti ſunt amici inter ſe Herodes & Pilatus:* Et quis mediator interceſſit, ut Pilatus, & Herodes crudeles inimici fierent amici? Quis eorum animos ſic pacavit, ſicque concordavit? Diabolus fuit, qui hanc compoſuit amicitiam, bene ſciens, nullam machinam aptiorem poſſe inveniri, quæ ſanctiſſimum Jeſum perimat, quàm ſi impii homines 251

Ex unione impiorum mors in juſtos.

amicitia confederentur. Theophylact. ibi: *Vide, quàm discrepantia cogitet Diabolus, solùm ut Christo mortem præpararet, in unam enim conspirationem copulat, & conciliat inimicos.* Hanc Diabolus manum armat, nimirum malignantium amicitiam, qua posita, putat minimè posse jam Christum vivere.

QUÆSTIO XXXI.

Quare decem Reges uniuntur, ut pugnent contra mansuetissimum agnum.

252 DE pugna futura cum fidelibus sub Antichristo, interpretantur Ribeira, Cornel. Menochius, la Haye; & ita ait Cornel. *At agnus vincet illos, quia cum Antichristo, quem sequuntur, à Christo deturbabuntur in Tartara.* At hæc sententia non potest subsistere, quia hic est sermo de decem regibus, & sub Antichristo tantùm erunt septem reges pugnantes contra fideles, tribus ab eo interfectis, ac extinctis, ut patet ex Daniele, & supra dixi q. 27. ac proinde sub Antichristo Monarcha, non erunt decem reges, sed tantùm septem. Deinde, ut notat Ferrar. In hoc falluntur auctores contrarii, quòd destructionem Babylonis, volunt faciendam sub Antichristo Monarcha, cum hæc non Antichristo à nostro Joanne tribuatur, sed tantùm decem regibus; etsi Antichristus tunc foret Monarcha, ipsi, & non decem regibus tribueretur. Et confirmatur, quia ea, quæ fiunt primario auctore Antichristo, Scriptura perpetuò ei attribuit, & non aliis.

Impugnatur, & proponitur vera sententia.

253 Explicatur pugna Agni cum decem regibus. Pugnabunt ergo hi decem reges, non solùm, quia deficient ab imperio, & tale imperium Romanum per eos erit dissipandum, sed quia apostatabunt à fide, ac obedientia Ecclesiæ; & hæc erit pugna, quam facient cum agno, nam sacra Prophetia, nullam significat hìc persecutionem acerbam, ut erit postea regnante Antichristo, & ideo dicitur modò de his decem regibus, quòd *agnus vincet eos*, quia non poterunt prevalere contra Dei cultum ac religionem, nec contra Dei servos, ut de persecutione Antichristi dicitur supra. c. 13. n. 7. *Et datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos*, ut jam dixi in expositione: pugnabunt ergo hi decem reges cum agno, sua nequitia ac perversitate, nam reges vel erunt hæretici, vel Mahometani vel fortè Pagani, ac etiam mali christiani, nam hi suis turpibus moribus pugnant cum agno, & hi decem reges ut tales in suis exercitibus, ut principem militiæ, ac primarium ducem habebunt Antichristum, depravatissimum hominem, qui contra ipsos rebellabit, & tres occidet, & alii septem ei parebunt, & tunc ipse fiet Monarcha.

254 Satisfit objectioni propositæ. Nec contra hoc faciunt, quæ infra dicuntur, n. 17. *Deus dedit in corda eorum, ut faciant* eversionem Babylonis, nam licèt talis eversio fiat ex Dei consilio, hoc tamen exequentes decem reges, possunt variis, & diversis causis moveri, ut olim accidit, cum Chaldæi everterunt Jerusalem, & postremò eam destruxerunt Romani sub Tito. Chaldæi sanè intendebant idolorum, non verò Dei cultum, sicut & Romani, non moti sunt ad illas expeditiones Dei amore, vel voluntate illi obsequendi, sive vindicandi Dei injurias, & Christi mortem, sed iniquis, ac malis potiùs prætextibus, etiam contra veram Dei religionem, proindeque nihil repugnat, quòd hi decem reges, Dei consilium exequentes, in eversione Babylonis pugnabunt contra Deum, & sanctissimum agnum Jesum Christum ob malos suos fines ab ipsis intentos, quamvis illud sit intentum à Deo, ob altissimas causas, ac rationes.

255 Ærumnæ ac labores ducunt ad Christ. Secundò etiam moraliter: Decem reges pugnabunt cum agno, hoc est, contra Dei servos, & fideles; & quomodo divinissimus agnus, Rex regum, Dominus dominantium, patitur suas oves mitissimas à tot ferocissimis lupis vexari, ac persequi? Ad eorum nempe emolumentum, ac profectum. Rich. Victor. *Tantæ enim potestatis est, ut etiam malis utatur ad fidelium utilitatem.* Ipsæ ærumnæ, ac molestiæ, maximè conducunt ad perfectionem justorum, eximiamque mandatorum observantiam. Isai. Abb. orat. 26. ait: *Calamitates nobis sunt adjumentum ad observanda Dei mandata.*

256 Ardenti furore Saulus sæviens in Christi discipulos ad Damascum itinerabat, Dei voce percussus in terram prosternitur; quid tunc? *Surrexit autem Saulus de terra, apertis oculis nihil videbat; ad manus autem illum trahentes introduxerunt Damascum, & erat ibi tribus diebus non videns, & non manducavit, neque bibit,* Act. 9. nu 8. ad quid ut Christus ad se adduceret Saulum, eum oculis excæcat? Vocabatur Paulus, ut esset vas electionis, & nomen Domini portaret per omnes gentes, & ad hoc maximè inserviebat lumen oculorum; ad quid ergo privatur? Ut portaret nomen Domini, ut cæcitatis molestias & angustias sustinens, visum suum perficeret, ac acueret, ut dimissis terrenis, solùm cœlestia contemplaretur, ut ex luteo vase fieret chrystallum electum, ac perlucidum. Venantius Pictaviensis, homil. de orat. Dom. hanc assignat rationem, & ait: *B. Paulus voluntatem habebat adversùs Christum revera, cujus per Ecclesias populum devastabat; sed quomodo Redemptor dignatus est, in persecutore suo magis pius esse, ut ad meliora accederet, eum per cæcitatis amaritudinem castigavit, & corporale lumen abduxit, ut ei spirituales oculos aperiret.* Amaritudine corporalis cæcitatis expellitur, ac præparatur Paulus ad spiritualem visum: vide sup. c. 12. q. 14. n. 209.

Amaritudines, ac molestiæ proficiunt ad salutē.

Tertiò: *Hi cum agno pugnabunt.* Quis unquam vidit reges gentium Dei agno bellum inferre? Is, qui vidit illos insurgere adversùs Dei servos. D. Ambros. in præsenti: *Cum agno pugnaverunt, quia Ecclesiam Dei persecuti sunt, populumque Dei interfecerunt*; & quando in populum Dei ausi sunt, eodem ausu insurgunt in Deum. Cùm Sara sublata esset in domum Abimelech, qui eam non tetigerat, ait ei Deus: *Ego scio, quod simplici corde feceris, & ideo custodivi te, ne peccares in me, & non dimisi te, ut tangeres eam*, Gen. 20. num. 6. Dum non dimittitur Saram lædere, custoditur, ne in Deum peccaret, quia qui lædit Dei servos, jam inde adversùs Deum se parat: *Custodivit te, ne peccares in me.*

257 Qui Dei servos lædunt in ipsum Deum, insurgunt.

Accipe quid de Simeone, & Levi dicat Jacob Gen. 49. nu. 5. *Simeon, & Levi vasa iniquitatis bellantia: In consilium eorum non veniat anima mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum*; græcus apud Lyppoman. legit: *In furore suo interfecerunt homines, & in desiderio suo subenervaverunt taurum.* Simeon & Levi Sichimitis recenti circumcisione initiatis, & Deo sacratis necem intulerunt, inde & ipsi sæviebant in taurum, hoc est vitulum saginatum Jesum, ubi justis hominib. ac Deo dicatis mortem intulerunt. Deinde juxta Ambr. Isid. Rup. ac alios, prævidit hìc Jacob consilium Pharisæorum, qui à Simeone prognati sunt, ac etiam consilium pontificum, sacerdotum, ac scribarum, qui à Levi descenderunt, & in furore suo interfecerunt homines sanctos, ac Prophetas, quibus cædibus conspiraverunt ut primogenitum tauri, Dei unigenitum Jesum ad mortem, ac Crucem postularent. In cæde Prophetarum se contra suum Dominum armarunt. Tertull. lib. 3. Marc. sic ait: *Quia indignatione sua interfecerunt homines, id est, Prophetas, & in concupiscentia sua cæciderunt nervos tauro, id est, Christo, in quem per necem Prophetarum suffigendo, nervos ejus clavis, desævierunt*; primùm in Prophetas desævierunt, deinde adversùs Christum se opposuerunt, qui enim servos Dei contundere non cavent, nec Deo ipsi parcunt.

258 Insurgunt contra Deum, qui ejus servos occidunt.

Impudicæ saltatrici datur optio ab Herode petendi quidquid velit; cui illa: *Volo ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ*, Marc. 6. n. 25. cur in caput potiùs desævit, & non potiùs in linguam, cujus flagellum timebat? Caput justi, ac sancti Christus est, & qui necem tanti Prophetæ moliebatur, inde consequens erat, ut in caput, qui est Christus, insurgeret. Manus injuriosa illata justo, non ibi sistit, sed inde sæviens in Deum ipsum transit. D. Chrysol. serm. 174. *Si caput viri est Christus, jam tunc novello ore antiquissimus serpens, Christi Domini tendebat ad mortem Volo ut des mihi in disco, caput Joannis. Jam tunc avidus draco, in servi capite, Domini degustabat sitiens passionem.* In servi morte jam degustabat Domini sui passionem.

259 Qui justū occidit in Deū sævit.

QUÆSTIO XXXII.

Quare cùm dicatur, quòd agnus vincet decem Reges, tamen non exprimitur pugna, nec arma, nec numerus militum tantæ victoriæ.

260 Triūphus Christianorum brevis est conflictus.

DIcitur in text. quod hi decem Reges *cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos;* cur etiam non dicitur quòd agnus pugnaverit cum eis? cur de pugna agni nulla fit mentio? nunquid victoria sine pugna dabitur? Nequaquam sanè, sed quia si consideretur pugna christianorum pro cœlesti regno consequendo, tam brevis est pugna, ac si nulla censenda sit. Ait Apost. 2. Cor. 4. nu. 17. *Quod in præsenti est momentaneum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Tota pugna hujus vitæ sic brevis est, ut momentanea sit. De ultima Mundi calamitate loquens Christus D. ait Matth. 24. n. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non esset salva omnis caro, sed breviabuntur propter electos;* & quomodo isti dies breviabuntur? an quia eorum determinatus numerus minuetur? Absit, nec enim unus apex, nec unum jota defecturum est, donec omnia fiant; quomodo ergo deficere possunt dies integri? Breviabuntur tamen per suam tolerantiam Deo acceptam, qua vel multi, vel longi dies sic transibunt, quasi unus tantùm dies esset. Ita D. Thomas in Catena ex D. Augustino ad Eutychium: *Quid convenienter mihi intellexisse videntur mala ipsa significata nomine dierum: : : Ipsa enim dicta sunt breviari, ut Deo tolerantiam dante, minùs sentirentur, ac si quæ magna essent fierent brevia.* Ex tolerantia à Deo accepta habetur, quod mala brevia videantur, quod multi dies, veluti unus reputetur.

261 Secundò: *Agnus vincet eos.* Et cùm agnus vincet decem reges, etiam ipsimet reges ab electis, ac amicis Dei vincentur; sed quibus armis muniti vincent, ac in prælium exibuunt electi? corporalibus nempe? minimè; quibus ergo? Virtutibus sanè, teste Apostolo ad Ephesios 6. nu. 17. *Galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei;* si ergo his armis decertaverunt, & victores facti sunt, cur ergo noster Joannes ea non exprimit? cur ergo solùm referens certamen, & victoriam, arma, quibus parta est victoria, occultat, & abscondit? Quia in occultatione virtutis constitit triumphus christianus. Post longum jejunium cum multa pœnitentia, ac cilicio ingreditur Esther ad Assuerum, deprecans pro suo populo: *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, gratis, ac nitentibus oculis tristem celabat animum,* Esther. 15. n. 7. ad quid Esther ut destrueret consilium sui crudelissimi hostis Aman, jejuniorum, & luctus triduani tristitiam vultus hilaritate celabat? nonne si mœsta facie, & cooperta cilicio intrasset, maximè commoveret regis animum? ad quid ergo roseo colore componitur? Nullo enim fortiùs, ac vehementiùs virtutes in hostes armantur, quàm dum celantur, ac absconduntur. Ad hæc merito dicit D. Chrysost. hom. 10. ex diversis: *Esther sanctissima dum lota facie, & capite unctopost triduanum jejunium intelligi à Rege non potuit, Aman illum populi sui inimicum iniquissimum interimit.* Occultata virtus, ita ut intelligi non potuerit, inimicum perdidit.

Virtus absconditæ maximè inimicos devincit.

262 Victoria Christo non nobis tribuenda.

Tertio quantum ad numerum militum, dicitur in text. *Hi pugnabunt cum agno, & ipse vincet eos, & qui cum illo sunt vocati electi, & fideles.* Agnus vincet, & etiam vincent, qui cum eo sunt vocati electi, & fideles. Notanter dicitur, *cum eo;* ejus nempe gratia, virtute, ac consilio sunt vocati, ut inde sciant victorias, ac triumphos non sibi arrogare, sed tantùm soli Christo tribuere. Rupert. in præsenti: *Isti denique pugnant, & vincunt, sed victoriam agno tribuunt, sine quo nunquam vincere potuisse, aut posse sciant, undè unus illorum cùm dixisset 1. Cor. 15. nu. 10. Quia plus laboravi; continuò subjunxit: Non autem ego, sed gratia Dei mecum:* vide supra c. 12. q. 52. n. 433. & 435.

263 Quæ sint Dei duces ac pedissequi, & quos homines constituat.

Sed jam præcipuum punctum hujus quæstionis, quot nempe erunt isti milites, cum quibus agnus pugnabit contra decem reges cum suis exercitibus? Erit sanè pusillus grex, sed fortior, ac validior omni humana virtute bellica, cùm secum habeat Deum adjutorem, quo nihil fortius, ac validius est. Quæ humana sunt, licèt videantur potentissima corruunt, vincuntur, ac delentur, quæ verò Dei in æternum stant, & durant, & triumphant. Pro sui memoria, ac monumento 2. Reg. 18. num. 18. *Porrò Absalon erexerat sibi cum adhuc viveret titulum, &c. Vocavitque titulum nomine suo, & appellatus manus Absalon.* Multum ab hoc distat alius titulus pro Joanne Baptista erectus, Luc. 1. n. 66. *Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo;* pro illo dicebatur titulus: *Manus Absalon;* pro hoc dicitur titulus: *Manus Domini;* & ubi manus apponitur hominis, ibi perditio, & extrema ruina adjuncta est, ut deprehenditur in miserrima Absalonis morte, ubi autem non manus hominis attenditur, sed divina prædicatur, ibi omne magnificum, ac excelsum declaratur. De Baptista ait Angelus: *Erit magnus coram Domino;* quo nihil sublimius, ac glorioſius dici potuit.

David exiens in pugnam cum Philisthæo, dicebat 1. Reg. 17. n. 45. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel;* & hæc dicens jacto lapide, glorioſum triumphum de validissimo hoste, magnoque Philistæorum exercitu reportavit; & undè unius parvi lapidis jactus tam magnam impetravit victoriam? Lapis ille non habebat tantam virtutem à manu hominis, à qua projiciebatur, sed ab eo, qui in lapide significabatur, qui est Christus Dominus verus lapis angularis. Theodoret. q. 40. ait: *Lapide perimit alienigenam, quandoquidem hymnis, & laudibus celebrat illum lapidem, qui ex ipso fuit excisus secundùm carnem; lapidem enim, inquit, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Unus minimus, ac parvus jactus Dei valet omnium hominum fortitudinem devincere, ac prosternere.

264 Minimus jactus Dei destruit omnem hominum fortitudinem.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare in hac præclarissima victoria noster Princeps non dicitur Christus sed agnus.

CUm Christus idem sit ac iste sanctissimus agnus, de eo dixit, Joannes Baptista: *Ecce agnus Dei;* cur ergo quando agitur de hoc præclarissimo certamine, ac victoria, de qua ait Rupertus: *Talem bestiam vicisse vera magnificentia est;* tamen in tanta victoria, non nominatur Christus, sed solus agnus, quo nihil imbecillius videtur, tamen de eo affirmat Angelus glorioſam victoriam: *Et agnus vincet eos.* 265

Respondeo primò: Ut hìc ostendatur, quòd quidquid tenerum, & imbecille videtur in Christo, fortius, ac validius sit omni humana fortitudine, undè sunt graves auctores, qui hanc magnam victoriam de tot potentissimis regibus ad Christum puerulum, & infantem referant. Pulchrè Rupert. hìc ait: *Cùm dicere posset: Hi cum Christo pugnabunt; maluit dicere; cum agno pugnabunt. Hoc mirabile, & laudabile est, undè satis eleganter in Propheta jubetur, vocari nomen ejus: Velociter spolia, citò prædare, quia antequam sciat puer vocare Patrem, aut Matrem, auferetur fortitudo Damasci,* Isai. 8. n. 3. Ad superandam omnem fortitudinem Damasci, ad spoliandas totas Samariæ divitias, non expectatur fortis, & juvenilis ætas, quando veluti gigas exultavit ad currendam viam; sed sat est, quòd ipse puerulus sit adhuc vagiens in incunabulis, antequam sciat vocare patrem, aut matrem, ut omnes mundiales phalanges valeat destruere, ac perdere. Christum infantem *audiens* à Magis *Herodes Rex, turbatus est, & omnis Jerosolyma cum illo,* Matth. 2. n. 3. Pro quo eleganter audiendus est D. Hilarius hom. 1. de Epiphania: *Ecce jacentem in præsepio armatus pertimescit, humilem contremiscit Rex superbus, & abjectam infantiam, ac vagientem expavescit ætatem.* Ecce Christus recens natus potentes tyrannos deterret, & omnes mundanas poreſtates debellat. 266

Quod imbecillius videtur in Christo, fortius mundana potestate.

Secundo: Vincet agnus, associans sibi suos electos, & fideles nempe agnos sibi similes, & innocentes; sed quid agnus cum lupis? nonne satius esset leones fortissimos, ad quorum rugitum cætera animalia contremiscunt, ad tantam pugnam advocare? cur non leones, sed agnos eligit? Ut tam debilibus ministris 267

Tanto medio gloriosior victoria.

stris victoria esset glorioſior, & illuſtrior, & ut etiam virtutis fortitudo agnoſcatur, quæ omnes humanas vires ſuperat. Ansbert. Abbas: *Agni ſunt cum beſtia bellatores, innocentes, & recti; innocentes ſcilicet, quia morſum malitiæ non habent, recti verò, quia luporum inſidias cavent, de quibus idem unicus agnus clamat Pſal. 24.* 268 *& dicit: Innocentes & recti adhæſerunt mihi.*

Tertiò: *Et Agnus vincet eos.* Quid mirabilius in toto Mundo? hinc decem reges leonibus fortiores, illinc agnus unus, at ubi ad pugnam ventum eſt, agnus glorioſè devincit; & quibus armis, quibus inſtrumentis? Dum manſuetè, eorum ferociam ſuſtinet, ac modeſtè ſuffert, vincit & triumphat. Ad hæc ait D. Aug. tract. 17. in Joan. *Venit agnus, qualis agnus eſt? Quem timent lupi; qualis agnus eſt? qui leonem occiſus occidit, dictus eſt enim Diabolus leo circuiens & rugiens, quærens quem devoret: ſanguine agni victus eſt leo: Ecce ſpectacula chriſtianorum.* Nulla ſpectabilior pugna, nullum gratius ſpectaculum factum eſt in Mundo, quàm ubi viſus eſt agnus pugnare cum leonibus. Leones quidem ſæviebant, agnus ſufferebat; victi ſunt ſævientes, vicit, qui ſufferebat: frequenter victoria de manſueta ſufferentia naſcitur. Ad hæc ait Albertus Magn. in præſenti: *Agnus vincet, non leo, ut notetur modus vincendi per patientiam.* Dum Suſanna accuſaretur à ſenibus, tacebat, & Deum corde ſuo exorabat; Daniel. 13. nu. 42. *Deus Æterne, qui abſconditorum es cognitor, &c.* Dum modeſtè leones ſævientes in eam ſuffert, de eis triumphat, ut ait D. Ambr. *Suſanna tacuit, & inimicos ſuos vicit.*

Manſuetudine magnus triúphus habetur.

269 Ut divinus Præcurſor homines ad regem Chriſtum traheret, multa illius magnalia referebat; illius æternitatem Joan. 1. n. 15. *Qui poſt me venit ante me factus eſt;* illiuſque majeſtatem num. 27. *Cujus ego non ſum dignus, ut ſolvam ejus corrigiam calceamenti;* his & tantis omnibus nihil proficiebat, nec aliquem eſt lucratus; tandem quadam die videns Jeſum ſolum dixit: *Ecce Agnus Dei; & audierunt duo diſcipuli dicentem, & ſecuti ſunt Jeſum*, n. 36. Valde mirum quòd dum proponuntur divinitatis celſitudines, nullus devincitur, nullus trahitur, & dum agnus publicatur, dum de manſuetudine agitur, noſter divinus Princeps, tunc omnium animos allicit, & devincit; ac ſi validior fuerit ad animos ſubjugandos, ac devincendos unius agni viſa manſuetudo, quàm omnium divinorum attributorum magnalitas expanſa, ac propoſita. D. Chryſoſt. hom. 17. in Joan. ait: *Intuere hoc loco, quòd neque cùm dixit, poſt me venturus, neque cùm, non ſum dignus ſolvere ejus corrigiam calceamenti, quenquam lucratus eſt, verùm cùm de Chriſti generatione verba habere, & in humiliorem ſermonem deſcendere cœpit, nempe: Ecce agnus Dei; tunc ſecuti ſunt eum diſcipuli.*

Chriſtus manſuetudine devincit, & debellat.

270 Ait Habacuc. 3. n. 4. *Cornua in manibus ejus, ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.* Drogo lib. de Sacrament. Paſſionis: *Quæ eſt autem fortitudo tua, niſi manſuetudo tua?* Hæc fortiſſimorum impetum fortior ipſa ſuſtinet, hæc robora adverſantia emollit, ac delinit, hæc leoninos furores reprimit, & ſerpentinas machinationes incantat, omneſque ſubjicit, ac devincit; inde factum eſt, cùm in Jordane declarandus eſſet Dominus, & tanquam creaturarum princeps inaugurandus, ſuper caput ejus columbà de cœlo delapſa oſtenditur; Matth. 3. nu. 16. *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem, ſicut columba ſuper ſe*; cur non potiùs ignea lex apparet in manu? ut olim Deuter. 33. nu. 3. *In dextera ejus ignea lex.* Cùm primum prodit, ac declaratur princeps, ſtatim manſuetudinem, ac lenitatem columnæ, ſine fellis amaritudine oſtentat, qua plus ipſa devincere, ac allicere debeat, quàm aſperitate, ac furore igneo. D. Anſelm. in cap. 3. Luc. & ait: *Rectè ſicut columba, ſpiritus in eum deſcendit, ut ejus manſuetudinem nobis intimaret, ipſe enim judex eſt generis humani; ſed quis ejus ferret juſtitiam, ſi priùs, quàm nos per manſuetudinem colligeret, culpas noſtras per zelum rectitudinis examinare voluiſſet? Homo ergo pro hominibus factus, mitem ſe hominibus præbuit. Noluit peccatores ferire, ſed colligere priùs voluit per manſuetudinem, ut haberet, quos poſtmodum in judicio ſalvaret;* etenim ad trahendum, ac colligendum efficaciſſima eſt manſuetudo.

Manſuetudo, ac lenitas, plus devincere, ac allicere poteſt, quàm aſperitas.

Apoc. 17. n. 15. Et dixit mihi: Aquæ, quas vidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes & linguæ.

Num. 16. Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipſam igni concremabunt.

VERSIONES.

Pagninus n. 15.	Et dicit mihi.
Aretas.	Aquæ, ſuper quas vidiſti mulierem procacem ſedentem, ſunt gentes, populi, & genera, & linguæ.
D. Auguſt.	Aqua, quam vides, ubi mulier ſedit, ſunt turbæ, & gentes.
Syriacus.	Gentes, & turbæ ſunt nationes.
D. Cyprian.	Populi ſunt, & gentes, & linguæ, & regna.
Arabicus n. 18.	Decem cornua, & beſtia, ipſi ſunt, qui oderunt meretricem, & reddent eam deſolatam, & devorabunt carnem ejus.
Syriacus.	Et cornua, & illud animal dentis, illi odio habebunt, & ipſam meretricem, & ejus carnem comedent, & eam urent igne.
Primaſ.	Decem verò cornua, quæ vidiſti, & beſtiam odio inſectabuntur meretricem.
Vatabl.	Odio perſequentur meretricem, & ipſam igne cremabunt.
D. Auguſt.	Odio habent meretricem, & deſertam faciunt eam, & carnes ejus edent.

EXPOSITIO.

271 *Quæ, quas vidiſti.* Angelus procedit exponens ænigma, nam verſ. 3. dixit, quòd mulier ſedet ſuper beſtiam coccineam, quæ, ut dixit, eſt Diabolus, & verſ. 9. ſubdit, quòd mulier ſedet ſuper ſeptem montes, qui ſunt ſeptem reges, nunc vero dicitur, quòd ſedeat ſuper populos, gentes, & linguas, ideo hæc & alia dicta oſtendunt, quòd hoc ænigma multiplex ſit, & plura de eodem dicuntur, & ipſum in pluribus annunciatis eſt: juxta ergo varia annunciata, ac denotata, variantur quoque ſymbola, & ſignificata, nam in eodem ſymbolo, multa & diverſa annunciantur, & ideo hæc aliquando mulier, aliquando meretrix, aliquando fornicaria, nam quamvis analogicè, unum quid ſit, diverſa tamen ſunt analogata, ac proinde, quamvis hæc mulier ſecundùm ſe ſit civitas Diaboli, & impiorum, ut dixi q. 1. tamen contractè poteſt intelligi de aliqua civitate imperiali, domina Mundi, v. g. de Babylonia Chaldaica, Ninive, Ecbatanis, Suſa, in quibus vigens nequitia, & idololatria per Orbem eſt propagata, v. g. cum dicitur quod hæc mulier ſedet ſuper ſeptem reges, ex quibus quinque ceciderunt, verſ. 9. & 10. nullo modo poſſunt intelligi de Roma ut dixi ſupra q. 25. at verò cùm ſcribitur quod ſedet ſuper ſeptem montes, à multis intelligitur Roma, ſicut & verſ. ſequenti de ejus eversione à decem regibus, qui odient fornicariam, & deſolatam facient illam: ergo cum dicitur quod meretrix ſedet ſuper multos populos, & nationes, vel hoc annunciatur de ipſa civitate impiorum, quæ multis populis, ac nationibus dominatur, vel de aliqua civitate imperiali, v. g. Roma, vel alia inſigni, quæ multos populos ſub ſuo imperio habeat.

272 *Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia.* Qui per hanc mulierem, impiorum collectionem, ac Diaboli civitatem intelligunt, ſic interpretantur: Decem cornua, decem nempe reges, videntes ſe cum hac Diaboli civitate infernum petituros, & in æternæ damnationis barathrum præcipitatum iri, eam odio habebunt, & tanto magis, quanto tantis flagitiorum generibus indulgentes, in majorem damnationem deveniunt, nam ſicut amare, eſt alicui bonum velle, ſic è contra

odisse est male illi cupere; & ideo rectè dicitur: *Hi odient fornicariam*; utpote causam tantorum malorum. *Et desolatam facient illam & nudam, & destitutam*; scilicet nunc bonis operibus, ac fide, & tandem futuris gaudiis. *Et carnes ejus manducabunt*. Cùm se videant abjectos, & reprobatos à Deo, aliorum damnationem, tanquam pro cibo & potu habebunt, ducentes pro solatio habere sui similes. *Et ipsam igne concremabunt*. Cum suo exemplo in æterna supplicia se præcipitant.

273 *Et decem cornua, quæ vidisti in bestia*. Qui per Babyloniam, Romam ethnicam intelligunt, sic interpretantur: *Hæc cornua*, decem reges sunt nempe, *qui odient fornicariam*, vitiis, ac idololatriæ nimis deditam; & primò *desolatam facient illam*, destitutam nempe omni favore, auxilio, ac patrocinio humano. Secundò: *Et nudam*; spoliantes illam opibus, quas ei solebant transmittere amatores ejus. Tertiò: *Carnes ejus manducabunt*; adimentes redditus, vectigalia, ac omnia illius bona, ac beneficia. Et tandem quartò illam bello aggredientes, eam expugnabunt, *ac eam igne concremabunt*. Utitur sacra revelatio composito verbo potiùs quàm simplici, *cremabunt*, ad significandum commune consilium, ac studium decem regum in civitate igni devoranda, ut clarè patet ex vers. sequenti 17.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare populi, ac gentes per aquas significantur ac denotantur.

274 Aquæ populi. AQuarum nomine populi, ac gentes frequenter in Ecclesia significantur. Isai. 8. n. 7. ait: *Ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas*; nempe exercitus populorum Regis Assyriorum; similiter Ezech. 24. n. 3. *Pone ollam; pone inquam, & mitte in eam aquam*; prædicit enim babylonicum populum Jerosolymis bellum inferentem; & ex hoc D. Hilar. Arelatens. rationem colligit, cur in calice consecrando, aqua misceatur vino, & sic ait: *In vino autem sanguinem dominicæ passionis ostendi, ac si dum in Sacramento, vino aqua miscetur, Christo fidelis populus incorporatur, & jungitur, & quadam ei copula perfectæ charitatis unitur*. In Sacramento altaris, populus fidelis adjungitur, & unitur cum Christo; non solùm ergo in nostro præsenti text. sed etiam multis aliis in locis populi per aquas significantur. Ad quæstionem.

In Sacramento altaris unimur fideles Christo.

275 Primò populi aquis comparantur propter instabilem temeritatem, & inconstantiam animorum, hac atque illac fluctuantium, atque ob sententiarum mutationem, modo hoc, vel illud affirmantium, quod valde detestabile, & abominabile est Deo. Præcepit Dominus Deut. 23. n. 3. *Non ingrediatur mazar, hoc est de scorto natus in Ecclesiam Domini*; & cur meretricum filios sic Deus ab Ecclesia sua eliminat? Filius meretricis cùm non habeat certum patrem, pro temporum, & necessitatis, & utilitatis occasione parentes variat, modo hunc patrem dicens, modo iterum illum relinquens, alteri sibi utiliori sese accomodat; inde his similes maximè Deo abominabiles fiunt, cùm in nulla re, doctrinaque persistant, sed prout occasio tulerit, hanc, vel illam colunt, hunc, & illum, vel magistrum, vel parentem, seu Deum, vel diversum habent, & venerantur. Clemens Alexandr. ad gentes ait: *Vides Moysem jubentem, ut non ingrediatur in Ecclesiam is, qui ex meretrice natus est; significat autem eum qui pro uno solo, qui est Deus, multos falso nomine Deos sibi adscribit, sicut is, qui natus est ex meretrice, multos adscribit sibi patres, propter veri Patris ignorantiam*. Adulterinum ingenium valde inconstans, & varium est, nam pro utilitatis occasione, modo hos dicit patres, Deos, patronos, & amicos, modò hos vituperat, & alios vocat, ideo pro tanta varietate, multùm abominabile, & execrabile est Deo.

Inconstans abominabilis Deo.

276 Secundò populi, super quos hæc meretrix sedet, & dominatur, aquis comparantur, utpote vanitati, libidini, & nequitiæ dediti, ac repleti, qui nullum cœlestis conversationis habent signum. Valde notum est, quod aqua nullum characterem, nullum signum, nullamve figuram admittit: ecce cur meretrici adhærentes, aquis denotantur; quia nullum gratiæ characterem admittunt, nullumque signum suæ conversionis exhibent, sed indelebiliter impœnitentes remanent, ut notat D. Bernard. Senens. 2. serm. 47. art. 2. cap. 3. ubi ait: *Multitudo mulierum vanarum dici potest lorica Diaboli, vanitatum, sicut de illo dicitur* Eccles. 43. nu. 22. *Requiescet super omnem congregationem aquarum, & induet se aquis, quasi lorica; quid enim defluentes aquæ denotant, nisi fragiles populos, sicut Apocalypsi: Aquæ multæ, populi multi? Super has igitur aquas vanitatis Diabolus requiescit, cùm talium generalem emendationem difficillimam prospicit, sciensque induit se aquis, quasi lorica, quia altera, alteram ad hanc consuetudinem trahit, & trudit*; ideo Eccles. 1. *dicitur perversi difficillimè corriguntur*. Vanitas tanquam squamma loricæ Diaboli alterum, & alterum vitium ad se trahit.

Vanitati, ac lasciviæ dediti difficillimè corrigûntur

Tertiò populi, super quos meretrix sedet, eisque præsidet, aquis comparantur, & meritò, quia tales populi sunt libidinosi, carnis amatores, & deliciis dediti, aqua frigida, fluxa, & instabilis, & ad multas delicias inservit, quia cùm sint libidini, & deliciis indulgentes, maximè sunt fluxi, & inconstantes in bono, ac frigidissimi, utpote igne divinæ charitatis omnino, & præ aliis peccatoribus destituti, ut observat Cælius Pannon. *Hæc sunt meretricis insanæ præconia, hæc adhærentium laudes, quibus ipsa insidet, imperatque, quia non aliud sunt, quàm aquæ fluidæ, & languidæ, & frigentes, quorum libido continuo frigore manat, ac friget, recedente semper igne Spiritus Sancti ab eis, quem vult accendi Christus in suis dicens: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur, & ardeat?*

277 Delicios frigidi, ac inconstantes

Quartò populi aquis conferuntur. Aquæ hoc vindicant ex sua natura, quod si vi aliqua dividantur, ablata vi facili negotio ad suam pristinam unionem redeunt; quod bene colligitur ex Exod. 14. ubi Deus Moysi imperat: *Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud*; quod factum est cùm Moyses elevasset virgam, manumque suam extendisset super aquas, tunc statim divisum est mare, & Israel pertransivit; iterum verò ait Deus Moysi ibid. n. 26. *Extende manum tuam super mare; & cùm extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum*. Ut dividerentur aquæ, virga & manus elevatur, ut vero aquæ unirentur, ac reverterentur, nihil de virga dicitur, sed solùm manus extensio mandatur; talis est enim natura aquarum, quæ ut dividantur, virgæ percussionem exquirunt, ut autem ad pristinam unionem revertantur, tantùm exoptant, ut divisionis causa ablata sit. Ad hoc respicit D. Nazianz. Orat. 3. dicens: *Mare ..... ad virgæ ictum, tunc ad sermonem rursus coiens; in tantum duravit divisio aquarum, in quantum virgæ percussio*. Hinc populi fideles merito aquis æquiparantur, quia tantam firmitatem unionis habent in Christo, quod ut dividantur, ac in varia scindantur, multa est opus violentia, at si hæc removeatur, promptissimè in suam pristinam unionem connectuntur ac colliguntur, ita ut nullum antiquæ divisionis extet monumentum.

278

Sunt homines qui multa vi dividûntur: hæc ablata statim uniuntur.

Quinto valde mirum, quòd populi, & gentes per aquas fluxas, ac labiles significentur, quia ex eo quod in populis meretrix insedit, & carnalis voluptas regnavit, ablata omni stabilitate facti sunt omnes instabiles, per varia vitiorum genera in perditionem decurrentes. Rupertus Abbas, lib. 10. in Apoc. ait: *Meritò aquarum nomine designantur populi, & gentes, super quas meretrix sedet, quia nimirum, pro hoc ipso, quod eis domina talis præsidet, fluxæ sunt, & instabiles*. Ubi voluptas carnalis intervenit, nulla potest esse firmitudo, & stabilitas; aquarum fluxum, & instabilitatem habent necessum est, qui in se locum dederunt carnalibus voluptatibus. Ad quod respiciens Jacob. Gen. 49. nu. 4. dicebat filio suo Ruben: *Effusus es, sicut aqua; non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*; ex quo nefariæ lasciviæ se dedit, factus est velut aqua, fluxus, & mobilis, qui in nulla dignitate, ac virtute consistat, sed facilè per omnia vitia in omnem perditionem decurrat.

279

Ubi est carnalis voluptas, nulla firmitas, sed ruina.

Dici-

280 Dicitur Proverb. 9. n. 16. *Mulier stulta vecordi locuta est: Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior; & ignoravit quod ibi sint gigantes;* Chaldæus legit: *Et ignorat, quòd ibi dejicit gigantes;* Syrus: *Et nescit fortes apud eam perire.* Loquitur mulier juveni, vecordi illecto à meretrice, quod voluptates, ac carnales deliciæ, quæ tanquam furtiva arte, ac industria habentur, jucundiores, ac gratiores sunt, quibus utitur tanquam pane absconditо, & recondito, & ignorat meretrix, quòd in his aquis furtivis, ac voluptatibus, gigantes fortissimi, ac potentissimi pereant, & in omnem perditionem ruant. Sic ait D. Basil. de S. Virg. *Fortissimos viros libido domuit, & valentes unius fœminæ congressus impulit in ruinam.*

Carnalis voluptas perditionē parturit.

QUÆSTIO XXXV.

Quare cùm isti decem Reges summo amore dilexissent hanc fornicariam, nunc tam vehementi odio in eam insurgunt.

281 HI Reges ardentissimo amore prosequebantur hanc fornicariam, ut dicitur versu 2. *Cum qua fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt;* hìc verò tantus amor totus conversus est in crudeliorem iram, malevolentiam ac odium, ut explicavi in expositione. Et sanè non dissimile legitur de Ammone, qui cum maximè flagraret amore sororis suæ Thamar, eamque oppressisset, *exosam eam habuit Ammon odio magno nimis, ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antea dilexerat,* 2. Reg. 13. num. 15. Amor inordinatus in crudele odium degenerat, ut rectè ibi ponderat Abulensis, q. 5. *In hoc cognoscenda est manifesta Dei justa punitio, ut illum amorem, qui excellenter irrationabilis est, excessivum odium consequatur, ut sic pœna, detur per oppositа; Dei enim sapientia statutum est, ut illi, qui iniquè agunt, sibi ipsis etiam nullo puniente pœna sint.*

Iniqui sibi ipsis pœna sunt.

282 Juxta literam rem explicavi in expositione; si dicatur cum nostra sententia, quod hæc mulier sit civitas Diaboli, ac impiorum, hi reges crudeli odio persequentur hanc fornicariam, cum semetipsos viderint inevitabiliter damnatos, & quod talis impietas tantorum malorum extitit causa. Haymon ait: *Cùm viderint miseriæ se in judicio constitutos, & damnatos, odient se ipsos, quod peccaverunt, sed nihil proderit tunc odisse malum, quod fecerunt, quando ipso malo carere non poterunt.*

Impii odio persequentur suam impietatē.

283 Secundò, & jam moraliter: Maxima ponderatione dignum, quòd hæc mulier, quæ tanto apparatu circumdatа procedebat, vestita purpura, & coccino, & inaurata auro, quæ tot regum favoribus stipata erat, in tantum odium incidat, ut desolatam, & nudam faciant illam; quomodo nunc tantis hostium incursibus patebit? Mulier hæc dedita erat lasciviæ, in eaque maximè regnabat; luxuriæ autem cæno involuti, etiamsi fortissimi, ac munitissimi videantur, ab hostibus multùm vexantur. David post adulterium dicebat Nathan 2. Reg. c. 12. nu. 14. juxta Septuaginta. *Provocasti inimicos Domini ad iram;* juxta hebraicam radicem: *Irritasti inimicos Domini;* quæ verba expendens D. Cyrill. Jerosolym. Cathechesi 2. ait: *Multos inimicos habebas, sed custodiebat te temperantia, traditis autem his armis, promptos habebis stantes, adversùs te inimicos, consurgentes contra te.* Dum David, temperantiæ deditus fuit, dum castè vixit, ita munitus erat, ut videretur ab inimicis inexpugnabilis, at ubi se turpitudini voluptatis implicuit, illico hostibus patuit, illico in eum aditum invenerunt innumeræ hostium turmæ.

Luxuriæ cæno involuti parent hostium incursibus.

284 Tertiò vehementer diligebant Reges hanc fornicariam & tamen modò tantus amor in crudele odium vertitur, ita ut carnes ejus comedant, & nudam, ac spoliatam faciant eam. Impii licèt suæ impietatis socios videantur diligere, dum tamen eos calamitas apprehendit, iniquus amor in odium, & iram transmutatur, & impietas, quæ erat fomentum amoris vertuntur in odium. Richardus de S. Victore: *Hi oderunt fornicariam, id est, ipsorum malorum collectionem universam, à Deo creatore illico divisam. Hi ergo odient fornicationem, quia perducent eam ad pœnam, si enim verè diligerent, nequaquam illam æternis supplicиis præpararent, & desolatam facerent illam, & nudam, eo quòd talem nunc faciunt in Mundo fraudulenter seducendo, ut postea gemat in inferno, & nuda temporali gaudio amisso.*

In impiis fomenta amoris vertuntur in odium.

Quarto Reges terræ cum hac meretrice fornicati sunt, quomodo nunc tanto odio in eam exardescunt, ut carnes ejus manducare dicantur, cùm omnes similes sint in impietate, & similis similem sibi diligat. Hæc tamen communis regula in impiis deficit, inter quos nulla est pax durabilis, sed perpetuo vigent odia, bella, ac dissentiones. Ansbertus sic ait: *Quia semper inter superbos jurgia sunt, idcirco reges, & bestia fornicariam odisse, id est seipsos, narrantur, de quibus per Paulum ad Galat.* 6. Invicem invidentes, invicem odientes. 285

Inter impios non est pax sed dissentio.

Quinto superiùs dictum est vers. 2. quòd hi reges terræ fornicati sunt cum hac meretrice hoc est, multùm adhærentes temporalibus rebus, carnis voluptatibus, ac mundiali gloriæ, modò crudeli odio fremunt in eam, ita ut illam concremantes abjiciant; quis credat, quod ille, qui ardebat desiderio mundanæ gloriæ, illam pedibus pessundet? & quomodo fieri potest, quòd ardentissimus temporalium amator, illorum sit acerrimus impugnator, ac destructor? Crede quòd à nullo citiùs, ac vehementiùs conculcantur, ac cremantur temporalia, quàm à suis amatoribus. Rupert. sic ait: *Hi cum illa fornicantur, illam odisse, & desolatam, nudamque facere, & carnes ejus manducare, & ipsam igne concremare dicuntur. Mirum hoc, tamen verum est. Quis nesciat de principibus Mundi, quantis odiis fuerunt inquieti? Et cui sua inquietudine fuerunt infesti, nisi ipsi cupiditati, vel gloriæ Mundi, cùm qua fornicati sunt præferendo illam suo creatori? Instrumenta fornicationum eorum, pulchritudines civitatum, & locupletementum, gentium multitudines, quibus imperabant, extiterunt; at illi nunquam hæc in pace sua florere permiserunt;* quid elegantius? Amant impii regia dignitate florere, quæ tota consistit in pulchritudine civitatum, ac multitudine subditorum, & tamen à nullo priùs, quàm ab hac sua ambitione dilapidantur, ac destruuntur; amant perpetuo in voluptatibus esse, & sic vivunt, ut sint in perpetuis doloribus. Afficiuntur impii magno desiderio, ut sua bona, suaque negotia adaugeantur, & crescant, & tamen totum eorum studium transmutatur in eorum dilapidationem ac destructionem. 286

Citissimè temporalia, à suis amatoribus conculcantur.

Absalon magno amicitiæ fœdere adstrictus erat Joab, cujus industria ab auxilio revocatus est, ejusque ope sperabat exilium finiendum, ut patris faciem videret, indeque Joab multùm debebat confidere de amicitia Absalonis, multaque patrocinia, ab eo sibi promittebat, & tamen Absalon ait servis suis: *Scitis agrum Joab, juxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite illum igne,* 2. Reg. 14. n. 30. & ita factum est; quid agis Absalon? sic comburis Joabi agrum, à quo tot beneficia accepisti & nova speras? pro horum gratia Joab, multùm de te confidit, & tamen ejus segetes incendis? Sic in mundialibus contingit, ut ea, quæ multo negotio lucratus es, multumque de eis tibi spondes, tibi sint in destructionem, ac ignem perditionis, quibus tua consumentur. 287

A quo multa speras, te destruit.

Sextò si isti Reges magno amore huic meretrici copulabantur, quomodo nunc tanto odio persequuntur, ita ut tanta rabie sint agitati, quod carnes ejus manducent, & desolatam, ac nudam eam facientes, igni tradant? nonne hæc meretrix Babylon cecidit suorum scelerum experta vindictam? cur ergo qui ejus amatores exiterant, super casum ejus non dolent, ipsamque lachrymis non prosequuntur? Etsi blandiente fortuna ei amicabiliter blandirentur, cùm eam tamen lapsam viderunt, omnium crudelitatū in eam fuerunt executores, ac antesignani, conculcantes, ac laniantes, undè magno spiritu loquitur Rupertus ad Mundi amatores, quorum Babylon, figura erat, & sic ait: *Mirum hoc, tamen verum est. Miserabilis conditio Babylonis, terrenæ civitatis, quæ non solùm foederatur cum amatoribus, sed cum hostibus quorum & si quis amor est, tanta fellis amaritudine permiscetur, ut ipsam hostiliter dilanient, cum qua fornicantur.* Misera conditio Babylonis, 288

Si quos amatores videas dejectos adversus eos insurgis.

nis, quæ fornicatur non solùm cùm amatoribus, sed etiam cum hostibus, quia dum ipsa cadit, ejus amatores fiunt ei hostes, ad conculcandam, & dilaniandam eam; nihil in Mundo certius, quàm quod dum quis cadit, in conculcationem veniat. De impio loquens Dan. 8. n. 10. ait: *Magnificatum est usque ad fortitudinem cœli, & dejecit de fortitudine, & de stellis & conculcavit eas.* Ecce præstantissima lumina, utpote stellæ, ut à suo culmine cadunt, in conculcationem veniunt: *Et conculcavit eas.*

289 Cùm Jezabel regio, ac nimio pompatico ornatu se componeret à militibus Jehu è fenestra dejicitur: *Et præcipitaverunt eam, & aspersus est sanguine paries, & equorum ungulæ conculcaverunt eam*, 4. Reg. 9. nu. 33. In hoc miserrimo casu hujus mulieris illud maximè notandum, quod sanguis ejus ab equorum ungulis conculcatur; & cur non potiùs ab ungulis boum, vel elephantum, seu ovium? Noster Incognitus: *Figuraliter sanguine aspersus est paries, ut dicitur* 4. Reg. 9. *Jezabel enim, quæ fluxus sanguinis interpretatur, significat ipsam luxuriam;* inde ab equis conculcatur, qui sunt valde luxuriosi, undè per eos meretricia procacitas designatur, ut auctor est Pierius lib. 4. Hieroglyph. Sic sæpè contingit, si amasia impudica dejicitur, ac præcipitatur, à suis luxuriosis amatoribus pessundatur, ac conculcatur.

Amasia à suis luxuriosis amatoribus cõculcatur.

290 Psalm. 35. nu. 12. *Non veniat mihi pes superbiæ;* seu ut legit Chaldaicus: *Non veniat mihi pes superbi, & manus peccatoris non moveat me: Ibi ceciderunt omnes.* Vehementer postulat, ut non surgat in eum pes superbi, & in qua occasione, quando hominum casus notatur, quod nullus sit, qui frequenter non cadat: *Ibi ceciderunt omnes*, ait; absque dubio ait, ibi etiam, cecidi ego, cùm unus ex omnibus sim; tunc ait: *Non veniat mihi pes superbi.* Siquidem mihi cadendum est, hoc unum precor, ne veniat super me pes superbi, sic enim connexa est hominum insultatio, & conculcatio cum casu, ut dejectus, nil priùs timendum videat, & deprecandum, quàm hominum superborum, & insultantium pedes. Nec mirum est hoc à Davide præcaveri, cùm tale infortunium jam expertus esset, nam cùm ipse à rebelli filio impeteretur, coactus est Regiam deserere, & pedes fugere, cinctus tamen fortissimis militibus; quid tunc? *Semei autem per jugum montis ex latere contra illum gradiebatur maledicens, & mittens lapides adversùs eum, terramque spargens*, 2. Reg. 16. n. 13. Quis crederet parvum homuncionem tantæ fuisse audaciæ, ut tantum Regem fortibus stipatum, sic auderet pessundare, & fœdare etiam jacto pulvere, quod est dirissimus execrationis modus, nisi tantùm quod hæc sit conditio dejectorum à culmine, quod omnibus pateant ad insultationem?

In dejectis à culmine insultant alii.

291 Dicitur Ecclesiast. 5. n. 2. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus;* paulo aliter legit D. Ephrem. in Paræn. 26. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ: ne abripiatur velut taurus, anima tua;* quid habent Potentatus sæculi cum tauro? Taurus dum rapido effertur furore, universos solet in fugam vertere, plateasque solus inhabitare vacuatas hominibus, at ubi percussus poplite cadit, universi in illum insurgunt, multis plausibus, & popularium clamoribus, & vulneribus in macellum abripitur. Sic sæculi magnates dum florent sua potentia, omnibus sunt in veneratione, ut nullus coram eis audeat mutire, at verò si à sua dignitate cadunt, statim omnes magnis clamoribus contra eos suas voces extollunt, ut eos in omnem perditionem, & conculcationem impellant.

In dejectis universi insurgunt.

Apoc. 17. n. 17. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi, ut dent regnum suum bestiæ, donec consumentur verba Dei.

Num. 18. Et mulier quam vidisti, est civitas magna quæ habet regnum super Reges terræ.

VERSIONES.

Arabicus n. 17. Deus enim posuit in corda eorum, ut exequerentur mentem ejus, essentque ejusdem consilii, ut darent regnum suum bestiæ, donec completeretur sermo Dei,

Vatabl. Ut faciant quod placitum est illi, ut unam faciant voluntatem.

Arias. Facere sententiam unam, & dare regnum suum, &c.

Primas. Deus enim in cordibus eorum injecit, ut perficiant, quod illi placitum est, esse illos in consensu, & metu tradere bestiæ regnum.

D. Augustin. Et dabunt regnum usque dum finiantur dicta Dei.

Oecumen. Usque dum compleantur sermones Dei, alii perficiantur.

Arabicus n. 18. Est urbs illa magna, cujus Regnum est super omnes Reges.

D. Ambros. Quæ habet potestatem super cunctos Reges.

Primas. Super Reges terrarum.

EXPOSITIO.

292 *Deus dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi.* Quidam perperam referunt ad bestiam, seu fornicariam, quod nempe beneplacitum est bestiæ, seu fornicariæ, cum qua unam & eandem habent voluntatem, sed juxta radicem græcam simpliciter referendum est ad Deum, quod beneplacitum est illi, scilicet Deo, nam quamvis verum sit, ut ait Jacob. Apostolus in sua Canon. 1. n. 13. *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.* Tamen considerandum est, quòd ultio malorum, justaque punitio, punitis malum est pœna, sed bonum est justitiæ punientis, proindeque aliquod bonum potest per illam intendi, indeque nihil præjudicat, quod Deus immittat in corda eorum, quos assumit tanquam instrumenta suæ justitiæ vindicativæ, nam Deus de malis sua sapientia infinita facit bona. Vel dici potest, quod Deus permisit eos sua depravata libertate uti, ut ita perficeretur, quod ipse futurum fore præviderat, & decreverat.

293 Nec cum his pugnat, quòd tunc Romæ erunt multi justi, & sancti, hi tamen moti erunt à Deo, vel per revelationem, vel per internam inspirationem, ut ante plagas exeant, ut dicitur infra, c. 18. n. 4. *Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.*

294 *Ut dent regnum suum bestiæ.* Hoc intelligitur permissivè factum à Deo, ut isti decem Reges suam impietatem peragerent, ut ita fieret, quod ipse ab æterno præviderat, & ordinaverat. *Ut dent regnum suum bestiæ*; scilicet Antichristo. Et non intelligitur, quòd isti decem Reges ei tradiderint regna sua, sed quòd ei dederint omnem vim, auctoritatem, roburque administrandi omnem militiam, ut supremo Regum duci, in quo munere omnium voluntates ita sibi conciliavit, ut postea contra ipsos Reges rebellaverit, ut dixi supra q. 24. *Donec consumentur verba Dei;* id est, donec compleantur omnia, quæ de his regnis, ac Antichristo, ac de futuro Ecclesiæ statu dicta sunt à Deo per Danielem, & per alios prophetas, ac per ipsum Joannem in hac Apocalypsi.

295 *Et mulier, quam vidisti.* Miro artificio sacra prophetia istam pompaticam veneficam, modò vocat mulierem, modò meretricem, modò fornicariam, pro loco, & tempore, juxta ea, quæ denuntiantur, in quibus illa se habet, vel sine scelere, ut mulier, vel cum scelere majori, vel minori, & tunc meretrix, vel fornicaria; hic cùm significatur ut talis civitas, non appellatur, nec meretrix, nec fornicaria, sed mulier, *quæ habet regnum, seu potestatem super Reges terræ*, quia tempore Joannis, & post illud nulla alia civitas habuit tale imperium nisi Roma, quæ inde merito dicitur civitas magna, tum ratione tanti imperii, tum etiam ratione suæ eximiæ amplitudinis, numerasse enim scribitur cives suos ad quinque milliones, quod est valde mirabile, de cujus magnitudine videri potest Justus Lipsius de magnitud. Rom.

Variis nominibus dicitur.

QUÆ.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare dicitur quòd isti Reges dederunt regnum suum bestiæ, cujus civitas habet imperium, & dominium super Reges terræ.

296 Ex malis juxta posita bona habent majorem decorem.

SEnsus literalis jam patet ex proxima expositione, nunc jam moraliter aliquid dicamus. Deus permissivè laxando fræna horum Regum ambitiosæ voluntati dedit, ut servis suis fidelibus habitantibus in civitate illa tot mala inferant, illam devastantes, in cujus devastatione Dei servi maximè opprimentur, quod Deus summa providentia permittit, tum quia ex malis educit bona, tum etiam, quia mala juxta bona posita, eis occasionaliter majorem conferunt decorem. Richard. Victor. ait: *Deus dat per justam permissionem, ut mali faciant per apertam actionem, quod illi placitum est per universitatis decorem, & utilitatem: nequaquam Omnipotens mala esse sineret nisi ex eis bonum aliquod universitati proveniret, ex eo enim quòd sunt mala majorem decorem respectu eorum videntur habere bona.*

297 Unum peccatum permittitur in pœnam alterius.

Secundò quid execrabilius, ac horribilius dici potest, quàm quod Reges potentes, ac magnifici, regnum suum bestiæ, seu bestiali homini tradunt? Isti reges cum agno pugnabant, ut dicitur vers. 14. Deinde Deus alta sua permissione dedit in corda ipsorum, ut facerent, quod beneplacitum est ei, devastantes civitatem magnam, opprimentes multos pios christianos, inde permissum est, ut regna sua darent Diabolo, & horribili monstro; hoc datum est pro pœna priorum peccatorum: Sic ex alta Dei dispositione fit, ut permittantur subsequentia peccata in pœnam præcedentium. Ansbertus: *Hoc est*, ait, *tanquam si diceretur, præcedentium peccatorum merita exigunt, ut reprobi in errorem à Deo ire permissi, ita agant, ut non misericordia parcentis salventur, sed justitia punientis damnentur; in eo enim Dei placitum perficiunt, quo iniquitatem amando, quam Deus odit, justitia se damnandos præparant, quæ Deo per omnia placet, & antea certè propter præcedentia peccatorum merita, potest veraciter intelligi, ita Deum dedisse in cordibus reproborum, ut dent regnum suum bestiæ, sicut de quibusdam dicitur per Apostolum 2. Thessal. 2. n. 10. Pro eo quod charitate veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* In pœnam, quod charitati veritatis non consenserunt, ut salvi fierent, permissum est eis ut in errorem, ac mendacium inciderent, ad eorum condemnationem.

298 Vitia, ac turpitudines præcipuè vigent in principibus, ac magnatibus.

Tertiò: *Ut faciant, quod illi placitum est*; scilicet fornicariæ, ut ibi interpretantur D. Th. quæ statim dicitur civitas magna, *quæ habet regnum*, seu potestatem *super Reges terræ*; nonne etiam illa potestatem habet super subditos? Res est manifesta; quomodo ergo dicitur, quòd regnum, & potestatem habeat, super Reges terræ? Notanter dicitur, *super Reges terræ*, quia vitia, ac turpitudines fornicariæ magnæ præcipuè vigent, ac dominantur in potentatibus, ac magnatibus, qui pro sua amplitudine, ac authoritate à nullo valent refrænari, ac cohiberi. D. Tho. ait: *Tunc mulier dicitur habens regnum, id est, dominium super Reges terræ, quia vitia, quæ sunt in malis communiter dominantur, specialiter in multis majoribus, & potentioribus, quia potestas dominationis, dat eis superbiam, & audaciam peccandi.*

299 Primi res mundiales mulierculis serviunt.

Quartò dicitur quòd meretrix sit civitas magna, *quæ habet regnum*, seu potestatem *super Reges terræ*. Ecce ostenditur Joanni damnatio meretricis magnæ, & dicitur quòd habeat regnum, & potestatem super Reges terræ, & hoc maximè detestabile monstrum; & tamen hoc videtur quotidie in Mundo, quod mulieres, & meretriculæ regnum habeant super Reges terræ, ipsique magnates earum se subjiciant servituti. Rupert. hic: *Multò amplius hoc valet ad insinuandam servilem stultitiam Regum terræ, cùm dicitur: Quæ habet regnum super Reges terræ.* Nonne Reges terræ, ut supremi Domini incedunt, & seipsos liberos esse confidunt? & tamen super se habere regnum comprobatur, & regnum maximè turpissimum, mulier nempe meretrix, ac fornicaria super eos regnare, eorumque capitibus incumbere irrefragabiliter asseritur; sic subdit cit. Rupert. *Mentiuntur ergo liberos se esse pronuntiantes, quia servi sunt, & meretricium portant jugum, semper anhelantes, & sub onere curvi, tot dominorum servi, quot vitiorum captivi.* Maximè principum terræ sors, quod eis mulierculæ dominentur, earumque tanquam miseri captivi habeantur.

De Achabo 3. Reg. 20. ait Elias: *Quod venundatus sis ut faceres malum in conspectu Domini.* Ecce impius Rex dicitur venundatus, & cui Achab tanquam captivus venundatus est? Uxori nempe suæ Jezabeli, ut explicat ibi Sanctius; veluti servus uxori suæ venditus est miser Rex, & ut vile ejus mancipium illi subjacebat: Sic frequenter accidit mundialibus principibus, qui ita addicti sunt mulierculis, & vilibus meretriculis, ut ad hanc, & illam partem trahantur, ac si ipsi propriæ voluntatis essent expertes. 300 Rex, ut captivus venundatus mulieri.

Mandat Deus suam legationem Regi Sedeciæ, & uxori ejus per Jeremiam 13. n. 18. & ait Deus: *Dic Regi, & dominatrici*; seu, ut habet Chaldaic. *Uxori ejus*; proindeque simpliciùs videbatur dicendum: *Dic Regi & Reginæ*; cur ergo mutatur vocabulum, & non dixit Reginam, sed dominatricem? Sine dubio ut exprimeret aliquem singularem dominatum, quem fœmina super virum retinebat, valde enim hoc frequens est malum mundialium principum, qui deposito supremo fastigio, ut servi, & vilia mancipia mulierculorum fiunt, ab eisque tanquam equi indomiti gubernantur, ac reguntur. 301 Mulier viro dominatur.

CAPUT XVIII.

Hoc caput quatuor continet partes. Prima usque ad vers. 4. annuntiat vox Angeli perditionem Babylonis. Secunda verò pars à vers. 4. usque ad 20. exprimit excidium, & incendium ejus, & luctum, ac planctum Regum, & mercatorum terræ. Tertia continet vers. 20. sanctorum exultationem super eam, ejusque ruinam. Quarta excurrit à vers. 21. usque ad finem capitis, & continet sententiam de ea nunquam ampliùs reparanda.

Quis verò sit finis, ac scopus hujus capitis, magna est difficultas: Alcazar vult hìc prædici commutationem Romæ ethnicæ in Romam christianam, ac si hæc cum sua pompa esset usque in finem duratura. Utinam hoc esset, sed maximè repugnat cum dictis superiori capite: Ribeira, Cornelius, Estius, Tyrin. la Haye, volunt esse dicta de excidio Romæ; Lyranus, & alii contendunt hæc esse prædicta de excidio, & ruina Sarracenorum in Palestina.

Dicendum tamen existimo hìc exprimi excidium Mundi carnalis, ac politici, & consequenter Romæ, ac fortè aliquarum civitatum; & hoc coheret cum his, quæ diximus superiori capite de meretrice sedente super bestiam, capita septem, & decem cornua habentem. Et primò hìc non potest esse sermo tantùm de destructione, ac vastatione ipsius Romæ, quia hanc devastationem facient decem Reges odio magno ferventes in ipsam, ut dicitur superiori cap. 17. n. 16. ergo hi Reges exultabunt, & lætabuntur super eam ut victores, & non lugebunt, & flebunt, ut hoc cap. dicitur n. 9. Deinde de destructione unius civitatis, non potest verificari id, quod dicitur infra n. 17. Omnis gubernator, & omnes, qui in lacu navigant, & nautæ, & qui in mari operantur, longè steterunt, & clamaverunt: *ergo sermo est directè, ac principaliter de Mundo politico, ut Evangelista nobis ante oculos proponat hujusmodi ruinam, & deliciarum Mundi damnabilem fluxum, infelicemque exitum, ut talia damnemus, ab eisque fugiamus.*

Apoc. 18. n. 1. Et post hæc vidi alium Angelum descendentem de cœlo, habentem potestatem magnam, & terra illuminata est à gloria ejus.

Num. 2. Et exclamavit in fortitudine dicens: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ, & odibilis.

VER-

VERSIONES.

Arabic. n. 1. Et resplenduit terra à nitore virtutis illius.
Syriacus. Terra splenduit à gloria ejus.
S. August. Terra illuminata est à claritate ejus.
Arabicus n. 3. Exclamavit voce alta: Jam cecidit urbs magna, factaque est cubile dæmonibus, & habitaculum omni spiritui immundo, & receptaculum omni volucri impuro, & exoso.
Vatabl. Exclamavit per fortitudinem voce magna.
Arias. Clamavit in voce forti.
Syriacus. Facta est spelunca dæmonum, & custodia omnis avis immundæ, & custodia omnis animalis dentis immundi, & exosi.
Primas. Facta est refugium dæmoniorum.
Aret. Pag. Custodia omnis volucris invisæ.
D. August. Volucris inquinatæ.

EXPOSITIO.

4 Ad punitos principes sæculi de cœlo est justitia, & ideo de terra

Et post hæc; narrata, superiori cap. *Vidi alium Angelum;* verè, & propriè natura Angelum, ut dicam quæstione sequenti, & distinctum ab Angelo, de quo dictum est in superiori c. in exordio. *Descendentem de Cœlo.* His explicatur natura ipsius Angeli; & cum veniret Angelus ad puniendos, ac destruendos principes, ac magnates sæculi, rectè dicitur descendisse de cœlo, quia solùm è cœlo contra hos potentatus est justitia. *Habentem potestatem magnam;* ad delendam mundialem Babyloniam, ethnicam Romam. *Et terra illuminata est à gloria ejus;* id est, à claritate, & splendore vultus angelici, erat enim è primis, & illustrioribus curiæ cœlestis Principibus. Iste autem Angelus denotat magnos Ecclesiæ operarios, ac insignes illius prædicatores, qui in auxilium erunt Ecclesiæ periculoso illo tempore, ut dicam qu. seq.

5 *Et exclamavit in fortitudine.* Non solùm sublimi, & alta voce, sed etiam valde potenti inducente devastationem civitatis. *Cecidit, cecidit Babylon magna.* Verbi repetitio ad emphasim facit, & ad ruinæ magnitudinem explicandam illius Romæ ethnicę, in qua castigatur mundialis impietas, ac tyrannis contra sanctos. Et alludit Evangelista ad excidium Babylonis Chaldaicæ, per Cyrum, quod describitur ab Isaia 21. n. 9. & c. 13. n. 19. imò ait Leo à Castro in Isaiam, quod si græca græcis conferamus, penè eadem verba Isaiæ citata repeti in nostris Evangelistæ verbis, nam de Chaldaica Babylonia ait Isaias: *Et erit Babylon illa civitas gloriosa in regnis, sicut subvertit Deus Sodomam, & Gomorrham*; de nostra vero ait Joannes: *Est civitas magna, quæ habet regnum super Reges terræ;* de illa alia ait Isaias 20. n. 9. *Cecidit, cecidit Babylon*; sic & noster Vates in præsenti; de alia illa ait Isai. 13. *Non habitabitur usque in finem*; de hac verò ait noster Evang. infra n. 14. *Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia, & præclara perierunt à te, & amplius illa non invenient;* de illa alia ait Isai. 13. n. 21. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt struthiones, & pilosi.* Quibus omnibus intelligunt Patres varias dæmonum species; D. Ambros. in Ps. 43. ibi D. Cyrill. D. Hieron. Procop. S. Th. Albert. Magn. de hac nostra ait Evangelista: *Facta est habitatio dæmonum, & custodia omnis spiritus immundi.*

6 *Facta est habitatio dæmoniorum.* Per quod significatur magna urbis solitudo, ubi erat magna frequentia, ac proinde civitas solo æquata in magnum desertum redigenda est, solent enim dæmones in locis desertis, & horribilibus commorari. *Et custodia omnis spiritus immundi*; magis explicat, quod antea dixerat: in tantum Roma futura est desolata, ut fiat receptaculum, ac cubile dæmonum, in quo tanquam in custodia, ac carcere teneantur. *Et custodia omnis volucris immundæ.* Per volucres etiam dæmones intelliguntur juxta Christi D. verba Luc. 8. n. 5. de semine facto juxta viam: *Volucres cœli comederunt illud*; id est, dæmones: & dæmones dicuntur volucres, quia inopinatè, ac rapidissimè ad hunc, & illum locum tendunt: *Circuit quærens, quem devoret.* Sed quia de dæmonibus bis dictum est in litera, ne ter idem repetatur, intelligimus de veris avibus immundis, quæ ad ruinas domorum in solitudinibus derelicta confugere solent, quales sunt noctua, upupa, vespertilio, gryphus, quæ feroces, & rapaces sunt, & ideo odibiles, imò & ab omnibus exosæ, & ideo subdit text. *Volucris immundæ, & odibilis*; græcus, *exosæ, & invisæ.* Dæmones rapidissimè ad terrādū.

QUÆSTIO I.

Quare iste Angelus cum tanta potestate, ac claritate venit; & quis sit iste Angelus.

7 ALcazar per hunc Angelum intelligit S. Petrum, sicut cap. antecedenti n. 1. S. Paulum, quod ibi jam refutavi, & vult S. Petrum hìc annuntiare gentilissimi eversionem; sed hoc non facit ad rem, ut jam dixi superiori c. in exordio. Alii, ut Primas. Ansbert. Ruper. Gagnæus, per hunc Angelum intelligunt Christum D. qui venit in hunc Mundum cum magna potestate, ac gloria claritatis, qua totam terram illuminavit; & ad quid potestas cum tanta luce? Ansbert. *Ac si diceretur, contra tumentem potestatem sæculi, magna potestas, contra falsæ doctrinæ tenebras, veræ scientiæ lux apparuit.* Venit cum potestate ad comprimendos superbos, cum luce verò ad dissipandas errorum tenebras; quæ omnia licèt vera sint, non tamen sunt hujus loci, nam hic Angelus nuntius est excidii babylonici, qui erit in fine sæculi, seu prope finem.

8 Vera, & communis sententia est, quòd iste Angelus verè, & propriè natura sit Angelus; ita docent Ribeira, Cornel. Menoch. la Haye, Ferrar. sed non explicant causam, cur iste Angelus hìc inducitur, cum tanta fortitudine, ac potestate, ac claritate; veniebat ad Babyloniam puniendam, ad cujus executionem maximè in ministro exigitur potestas, fortitudo, ac claritas majestatis, ut inde maximè ejus justitia, ac integritas fiat manifesta.

9 Pro exacta explicatione hujus rei videnda sunt, quæ diximus sup. c. 14. n. 8. q. 21. ubi secundus Angelus clamat eadem verba, ac in præsenti: *Cecidit, cecidit Babylon magna;* ibique diximus in eo Angelo significari prædicatores, & Ecclesiæ magnos operarios, qui contra Babyloniam, ejusque vitia prædicabunt, & christianum populum excolent, Babylonis ruinam denuntiantes, proindeque iste Angelus verè est Angelus, & in se significat egregios prædicatores, ac sanctos, quibus assistere debebit, eosque adjuvare, corroborare, ac excitare, ut prædicent contra peccata, & mala Romæ, ac mundanæ politiæ, ad interitum jam labentis, denuntientque illorum ruinam, & casum. Angelus significat prædicatores.

10 Confirmatur, quia de isto Angelo dicitur, quod *terra illuminata est à gloria ejus*; seu ut legit D. Aug. *Illuminata est terra à claritate ejus.* Iste Angelus non utique illuminabit terram per se ipsum immediatè, quasi ipse visibiliter sit appariturus, sed mediatè per aliquos viros sanctos, & magnos prædicatores, ac magistros, qui destructis errorum tenebris Mundum illuminabunt. Et confirmatur, quia de isto Angelo dicitur habere magnam potestatem; hæc magna potestas non erit frustranea, ut est evidens, quia Deus nihil facit frustra, nihilq; in Mundo ponit frustraneum: ergo ista magna potestas Angeli habebit suum actum; sed iste actus non erit immediatè contra destructionem Babylonis, quia ad hoc sufficiunt decem Reges cum suis magnis exercitibus: ergo erit hęc potestas magna ad excitandos, ac corroborandos prædicatores Ecclesiæ, ut mirabilia, ac miracula operentur in salutem proximorum. Prædicator sua doctrina illuminat Mundū.

11 Dicitur etiam de Angelo, quòd *clamabit in fortitudine;* seu, ut alii legunt, *forti voce*; non quod Angelus forti voce sonet, & clamet immediatè per seipsum in Orbe, sed mediatè clamabit forti voce per prædicatores, ac doctores, quos ipse excitabit, provocabit ad munus prædicationis, eosque sua assistentia corroborabit, ut fortiter, ac viriliter pugnent contra mundanam politiam, ac ejus vitia, contraque eorum auctores Principes tenebrarum. In cujus rei typum optimè explicat D. Greg. Magn. illud, quod Samuel dixit Saul.

1. Reg. 10.

1.Reg.10. n. 5. *Post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philisthinorum, & obviam habebis gregem Prophetarum.*

Magnæ sit constantiæ in prædicatore adversus hostes.

Ungebatur Saul in regem, ut legem Dei annuntiaret, & custodiret, & mandatur ascendere in collem, ubi erat statio Philisthinorum, suorum nempe inimicorum; & quomodo unus homo audebit ascendere in montem, ubi est statio, seu exercitus suorum inimicorum? dicitur ei: *Habebis obviam gregem Prophetarum*; hoc est, sanctorum Angelorum in sui tutelam, & custodiam. D.Greg. ibi: *Philisthinorum*, ait, *stationem timere tantò minùs poteris, quantò ad securitatem obvios Prophetas habebis. Et quia grex Prophetarum dicitur, magna defensorum nostrorum multitudo signatur;* & paulò post: *Sancti prædicatores in collem Domini, ubi est statio Philisthinorum, ascendunt; sed quia Prophetarum gregem obvium, ipsos Philisthæos nequaquam metuunt.*

12 Magna fortitudo, ac constantia requiritur in prædicatores; ac Dei ministros, quod maximè nos docet Azarias sacerdos clamans contra Regem Oziam, cum intenderet adolere incensum 2.Paralip.26.n.18. *Non est tui officii Ozias, ut adoleas incensum Domino.*

Vir Ecclesiasticus sit fortis contra peccatores.

Non veretur bonus sacerdos iram Regis peccantis, sed in illum apertissimè clamat, undè inter cives cœlestes eum annumerat D. Chrysost. ho.4. de Isaiæ verbis, & ait: *Vide libertatem, vide mentem servire nesciam; vide linguam cœlos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem, vide humi gradientem, & in cœlo versantem: Non licet tibi, ait adolere incensum;* sic cœlestis, sic Angelus efficitur, qui contra potentum vitia novit inclamare.

13 Mandavit Deus, ut in quolibet sacrificio pacifico armus victimæ dexter esset in partes sacerdotum ad cibum, & alimentum, Exod.29.n 28. Deut.18.n.3. Levit.7. n.32. *Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotum;* & cur potiùs sacerdoti humerus dexter, quàm sinister, vel alia pars? Quia in tali humero maximè denotatur fortitudo, ac robur; quod maximè exoptatur in Dei ministro ad arguendos protervos contra Dei legem. Philo lib. de præm. & honoribus sacerdotum: *Significat*, ait, *requiri in eis fortitudinem in omni actione legitima.* Hinc mandavit Deus Rationale, quod pectori incumbebat, & superhumerale, quod in tergum spectabat, in utroque latere sacerdotis catenis aureis alligari, Exod.28. n.25. *Ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit;* & cur rationale, in quo scriptum erat, veritas, & judicium, ab utroque humero pendet? Quia veritas sui muneris, ac integritas judicii maximè debent firmari, ac stabiliri in fortitudine, ac constantia sacerdotis, ac ministri. D.Greg. 2. part. pastoralis curæ, cap.2. *In utroque*, ait, *humero sacerdos adstringitur, ut contra adversa, ac prospera, virtutum semper ornamento muniatur;* quæ fortitudo ad onus portandum maximè in humeris denotatur.

Valida sit fortitudo Prædicatoris, ac ministri Dei.

QUÆSTIO II.

Quare dum de casu Babylonis facit mentionem Angelus, non semel dixit, sed bis repetit, Cecidit, cecidit.

14 IN limine quæstionis quæres: Quare cùm noster Joannes juxta communem Patrum sententiam de Roma delenda, & flammis devoranda loquatur, tacito nomine, imò mutato eam Babylonem vocat? Sanè id prudentissimè egit, ne Domitianum Imperatorem, Romanosque tunc adhuc paganos magis offendat, eosque magis contra se, ac Christiani nominis sectatores durè, ac acriter concitet, & inflammet. Hanc doctrinam nos docet D. Hier. ep. ad Algasiam; sic ait: *Et nunc, quid detineat scitis ut reveletur in suo tempore, ut ait Apost.2. ad Thess 2.n.6. Hoc est, quæ causa sit, ut Antichristus in præsentiarum non veniat, optimè nostis, nec vult apertè dicere Romanum Imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant, æternum putant, undè secundùm Apocalypsim Joannis in fronte purpuratæ meretricis, scriptum est, nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ; si enim apertè, audacterque dixisset, non veniet Antichristus, nisi priùs Romanum deleatur imperium, justa causa in orientem Ecclesiam persecutionis consurgere videbatur.*

Fugienda occasio inimicitiæ, ac persecutionis.

15 Et optimè notat Alensis, quòd de Babylonia nunquam dicitur stare, sed semper cadere, nam licèt Babylonia maximè florere videatur, divitiarum opulentia, ædificiorum magnificentia, ac populorum multitudine, tamen nunquam stare dicitur, sed cadere: Babylon autem significat Mundi vanitatem, & hæc nunquam stare, sed semper cadere dicitur. Alens ait: *Non potest diu stare vanitas mundialis, nam homo moritur, & ejus hæreditas erunt serpentes, & vermes, undè D.Bernardus ait: Ubi sunt amatores Mundi hujus, qui ante pauca tempora nobiscum erant? nihil ex eis remansit, nisi cineres, & vermes; quid profuit eis inanis gloria, brevis lætitia Mundi potentia, falsæ divitiæ, magna familia, concupiscentia mala? ubi risus? ubi jocus? ubi jactantia? ubi arrogantia? heu de tanta lætitia tanta tristitia! de illa magna exultatione in ruinam magnam ceciderunt! Mundana vanitas nunquam stat, sed semper in casum, ac præcipitium ruit.*

Mundi vanitas nunquam stat, sed semper cadit.

Ad nostram quæstionem: Cur nempe Angelus geminata voce clamat? *Cecidit, cecidit Babylon*; satis sufficiens videbatur, ad ejus casum, ac ruinam persuadendum, semel dicere, quòd ceciderat. Duplicat ergo, quia civitas impiorum, ac collectio reproborum in illa Babylon denotata, corpore, & anima punientur; corpore sentiet flammas æternas, in anima vero dolores damnationis, ac privationis divinæ visionis acutissimos patietur. Rich. Vict. *Geminato verbo geminat ruinam, & duplicem designat vindictam, damnati quippe ardentibus flammis, foris punientur in corpore, & gentibus doloribus intus pungentur in mente.*

16

Damnati corpore, & anima puniuntur.

17 Secundò: *Cecidit, cecidit Babylon.* Hæc est civitas impiorum, quæ dupliciter cadit, spiritualiter, ac temporaliter; & ex primo casu secundus tanquam à radice pullulat, ex eo enim, quod homo spiritualiter cadit peccando, etiam temporaliter cadit, cum totali jactura suorum bonorum, quæ obtinebat. Ait Reg.Vat. Ps. o.n 5. *Peccatum meum contra me est semper;* ubi D.Ambr. ait: *Tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum adversantium modo sibi arbitratur obsistere, ut cuncta, qua illius sunt, destruant, & dissipent, peccando enim fortes exercitus contra se, suaque omnia armavit. Ad cunctorum totalem ruinam, & devastationem de Israeliticis dicitur Judic.3. n.7. Fecerunt malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, servientes Baalim, & Astaroth. Tradidit eis Dominus in manus Chusan, Basathaim regis Mesopotamiæ.* Meritò sanè, qui enim in sua libertate Deo Patri servire noluerunt, captivitate oppressi suis inimicis in multa egestate famulantur.

Peccatum secum adducit temporalium jacturam.

18 Tertiò non contentus est Angelus semel dicere, quod Babylon ceciderit, sed bis id ipsum repetit, quasi ostendat duos Babylonis casus; & qualis fuit primus tantæ civitatis casus? Babylonis nomine Jerosolyma significatur, cujus primus casus fuit, quando ab illa ejecti sunt viri sancti, & justi, quibus ipsa destituta in extremam ruinam, ac desolationem venit; secundus verò casus, quando ultima die æterna morte punietur. D.Ambr, hìc ait: *Quæ*, scilicet Jerosolyma, *bis cecidisse dicitur, quia cecidit primò, cùm per doctrinam Evangelii maximam multitudinem electorum amisit, qui ab ea per fidem Christi præcisi, cives sanctæ civitatis, id est sanctæ Ecclesiæ facti sunt. Cecidit secundò, cùm in ultimo die morte perpetua, quæ in hoc libro mors secunda vocatur, punietur.* Hic est primus magnarum civitatum casus, & omnium ruinarum initium, cùm ab illis præcidantur justi, & electi viri, quorum præsidio fulciuntur, ac muniuntur ab omni adversitate, ac hostili incursu.

Præsentia justi munimen civitatis.

Postquam servi Regis Chaldæorum miserunt Jeremiam in lacum, ait Abdemelech regi: *Malè fecerunt viri isti omnia, quæcunque perpetraverunt contra Jeremiam Prophetam, mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame, non sunt enim panes ultra in civitate*, Jerem.38.n. 9. inde ille exaggerat malum factum ministrorum in conjiciendo Jeremia, ut fame pereat, quia ex tali facto fames orta est in civitate: *Non enim sunt panes ultra in civitate.* Justi præsentia omne bonum germinat in civitate, siquidem & illius absentia omne malum parturit, nam dum civitas Jeremiæ præsentia destituitur, famis penuria consumitur: *Non enim sunt panes ultra in civitate*; at justi præsentia secum multam panis copiam adducit, ut Elias dum recipitur in domo

19

Absentia justi famē parturit, ejus præsentia fertilitatē.

pau-

pauperrimæ viduæ Sareptanæ: *Ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus*, 3. Reg. 17. n. 16. ad quæ verba eleganter ait D. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 5. *Unius horæ hospitio, vidua illa, quæ Eliam suscepit, & exiguo cibo perpetuum toto famis tempore suscepit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, ut nunquam de hydria farina deficeret.*

20 Dicitur 4. Reg. 13. n. 14. *Elisæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Joas Rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque, Pater mi, Pater mi, currus Israel.* Equidem multi currus potentissimo Regi erant, multique armati duces, qui ejus gloriam apud hostiles gentes æternarent, & tamen in uno Elisæo moriente sic lachrymatur Rex, ac si nullus jam triumphalis currus ei superesset, in quo posset hostes suos superare, ac devincere. Et meritò sanè, quando à sancti viri præsentia plus muniminis, ac præsidii adversùs suos hostes habebat Rex, quàm à cæteris ducibus sui exercitus, Rex enim non ducibus fortissimis, sed unius sancti viri Elisæi precibus omnes Regni sui fortunas, victorias, ac glorias acceptas referebat. Joseph lib. 9. Antiq. c. 8. sic ait: *Cum Elisæus ægritudinem incurrisset, venit Israelitarum Rex visitare eum; & dum eum in novissimis inveniset, flere cœpit eo vidente, & ingemiscente, patremque, & scutum sui regni vocare, præter eum se dicens, nunquam contra hostes armis egisse, sed illius prophetia sine dimicatione vicisse, qui dum à vita discederet, hebræos inimicis captivandos relinqueret.*

Plus muniminis habent Reges à Viris Sanctis, quàm à ducibus.

QUÆSTIO III.

Quare miserrimè cadens Babylon. fit dæmoniorum habitatio, ac custodia omnis spiritus immundi, custodiaque omnis volucris immundæ.

21 IN his verbis habemus expressum factum, miseram Babylonis eversionem, quæ significat ingentem Urbis ruinam, & sanè non minorem futuram, ac illa fuit, quam de Babylone Chaldæorum prædixit Isai. 21. n. 9. & 13. n. 20. ut jam expendi in expositione, & ibi dicta videnda sunt. Altiùs rem nunc examinemus.

Ingens ruina explicatur.

22 Dicitur de Babylone: *Facta est habitatio dæmoniorum.* Hæc vult Viegas significare defectionem urbis à fide, & ad idololatriæ reversionem; sed magis significat, ut sentiunt Rupert. Andr. Cæs. Ribeir. Cornel. la Haye, Ferrar. magnam solitudinem futuram, ubi erat magna frequentia, desertumque futurum, ubi erat ingens populorum multitudo; hoc expresè de Babylonia Chaldaica ait Isai. 13. n. 20. *Nec ponet ibi tentoria Arabs, neque Pastores, sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus.* De hac Babylonia ait Angelus: *Facta est habitatio dæmoniorum;* quod etiam idem significat, ac de altera Babylonia dicitur, dæmones enim in desertis, & locis horrentibus maximè se produnt, in vastis solitudinibus frequenter commorantur; docet enim experientia in locis desertis, & domibus dirutis sæpissimè spectra Dæmoniorum videri inusitatis, atque horrendis figuris, pro quo multas historias refert, ac adducit Olaus Magn. lib. 19. & 20. undè ait D. Cyrill. Alex. in c. 34. Isaiæ, *Dæmonia habitare libenter in desertis;* & Procop. in c. 13 *Gaudent desertis, incultisque locis ipsi Dæmones;* & S. Th. in idem c. Isaiæ Pilosos interpretans ait: *Dæmones in tali figura assumentes corpora, domos desertas tales frequentantes sunt;* quod alta Dei providentia ordinatum est, ne homines passim multa detrimenta à Dæmonibus patiantur. Hujus rei hanc rationem assignat Andr. Cæs. hìc: *Solent fere*, ait, *bellua, malignique dæmones deserta loca consectari, quod cœleste numen homines, non absque providentia singulari à detrimento, quod inferre poterant, hac ratione liberare studet.*

Dæmones frequentant deserta loca.

23 Doctrinæ gratia non omittam id, quod docet Richard. Victorin. qui per Babyloniam intelligit collectionem impiorum; inde dicitur, quòd facta est habitatio dæmoniorum, quia impii, ac damnati non solum puniuntur corpore, & anima, sed etiam ipsis dæmonibus replentur, in eisque dæmones habitant; sic ait Richard. *Dæmonum habitatio, & custodia Babylon subversa erit, quia malorum universitas damnata, dæmonibus in damnatione repleta, dæmonum cruciatibus perpetuò subjacebit.*

Dæmones replent.

Dicitur etiam civitas facta *custodia omnis spiritus immundi*; sed si dicitur facta habitatio dæmonum, ad quid additur, & custodia omnis spiritus immundi, cum apud omnes certum sit dæmones esse spiritus immundos? ad quid idem repetit, cùm unum è duobus sufficeret? Respondet Rupert. *Quia damnati Angeli, qui sunt dæmones, sive spiritus maligni, duplici pro causa pœnas dabunt; altera causa est, quia in Cœlo contra creatorem superbierunt, altera, quia genus humanum primaper parentem prævaricatione deceptum, cunctis vitiorum sordibus polluerunt: propter illam dæmones, hoc est, scientes, quia contra Dei scientiam se se extulerunt, propter istam causam spiritus immundi dicuntur, quia impurissimi sunt, quia genus humanum per suas suggestiones multis modis immunditiæ, atque ignominiæ passionibus affecerunt.* 24

Contra creatorem, ac ejus creaturas deliquerũ

Tandem dicitur, quod Babylon *facta est custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volucris immundæ*; si Babylon cecidit, & funditus periit, quomodo facta est habitatio, & custodia omnis spiritus immundi, & omnis volucris immundæ, ut inde non possint exire, nec evolare valeant? Cecidit, ac periit totaliter respectu justorum, qui ruptis vinculis hujus captivitatis, ascendunt in libertatem gloriæ, sed adhuc manet, & perseverat, ut custodia, ac carcer reproborum, quos irrevocabiliter tenet pœna damnationis. Rupert. in præsenti: *Quomodo & cecidit, & nihilominus ita clausa, & munita est, ut volucres evolare non possent? Taliter ad clamorem Christi civitas Diaboli cecidit, ut omnes, & soli evadere, ac ruinas ejus transilire possent electi, ruptis vinculis peccatorum. Rectè igitur, & cecidit Babylon, & facta est custodia omnis volucris immundæ, quia in electis tantùm omnis structura peccati, cunctæque mortis, & inferni potestas corruit, in reprobis & damnatio peccati, & pœnalis inferni carcer persistit.* Pœna immutabilis durat, & perseverat in reprobis, semperque illos alligatos tenet in malorum carcere; electi soli mutantur, & excussa hac mundali Babylone ad libertatem veniunt, qua fruuntur Dei filii. 25

Iniquorum labores perpetui, justorum verò mutantur in gaudia.

Ait Paulus 1. Cor. 14. n. 51. *Ecce mysterium vobis dico; omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Omnes dicuntur surrecturi, & boni, & mali, & surrecturi incorrupti, id est, immortales, & suis integris membris constantes, sed *non omnes immutabuntur*; nam impii semper in suis ærumnis, ac angustiis consistent perseverantes, semper inhonori, semper gementes, afflicti, & vehementer oppressi: *Et nos immutabimur*; justi autem felicissimam mutationem accipient, ut à temporalibus ærumnis in æternam gloriam transferantur. D. Cyrill. citatus à Justiniano in præsenti: *Resurgent quidem omnium corpora immortalitatis induta gratiam; at non omnes immutabuntur, sed inhonori permanebunt impii, soli verò immutabuntur justi, nimirum ad immortalitatis commodum immutati, & divinæ gloriæ indumento ditati.* Maximè inter se distant sortes justorum, ac impiorum; impii semper fixi hærent interminabilibus malis, justi autem gratissima mutatione temporalia mala abjiciente in perennem felicitatem transmutantur. 26

Justi à laboribus mutantur in gloriam.

Ait Deus per Jerem. 43. n. 12. *Et amicietur terra Ægypti, sicut amicitur pastor pallio suo.* Dicitur terra Ægypti subjicienda Nabuchodonosori, ut vestis homini subjicitur, sed non adhæret ei, ut quælibet vestis cuilibet homini, sed ut pastorale pallium pastori adhæret; & quid habet pastorale pallium magis proprium, & singulare, quod minutiùs, ac exactiùs exprimat Ægypti calamitatem à Nabuchodonosore inflictam? Hoc peculiare habet pastorale pallium, quod non mutatur, nec exuitur, pastores enim, & noctu, & diu sub eodem pallio sunt, quod semel induerunt. Hoc malum ut durissimum minatur Deus Israelitis in Ægypto existentibus, quod nimirum amplius non sint liberandi ab illa misera captivitatis angustia, sed in illa permansuri usque ad extremam perditionem; & sicut malum immutabile proprium est iniquorum hominum, sic & proprium justorum ab ærumnis in salutem, 27

Pallium laborum in peccatore immutabile, in justo mutabile.

lutem, ac æternam felicitatem mutari. Ait Ps. 161. n.27. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur;* D. Hier. legit: *Sicut pallium*. De Sanctis est sermo, qui ærumnis expurgati à Deo, non semper in illis permanebunt, sed in salutem, ac felicitatem mutabuntur. Pallium peccatorum pastorale, & immutabile in angustiis, ac laboribus, justorum verò mutabile, cum ex afflictionibus transferantur in gaudia sempiterna. D. Greg. Papa n.7. Ps. pœnit. sic ait: *Significat his verbis duplicem illam sanctorum in futura vita commutationem, in qua non solùm corpora corruptioni in hoc sæculo, & morti obnoxia perpetuam percipient incorruptionem, sed etiam anima eorum, & corda in æternam transibunt stabilitatem.*

Apoc. 18. *n.*3. Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes; & Reges terræ cum illa fornicati sunt; & mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

VERSIONES.

Syriacus. Propterea quòd ex vino excandescentiæ ejus biberunt, &c. Et mercatores terræ ex potentia luxus ditati sunt.

Arabicus. Reges terræ scortati sunt cum ea, & mercatores terræ labore illius ditati sunt.

Vatablus. De vino scortationis ejus, reges terræ scortati sunt.

Oecum. Primas. De potestate delitiarum ejus locupletati sunt.

D. August. Omnes mercatores terræ ex luxuria deliciarum ejus.

EXPOSITIO.

28. *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes.* Cornel. Menoch. & alii sic explicant: Vinum iræ vocat Angelus calicem vindictæ, supplicii, & excidii, quod ob fornicationem, id est, idololatriam, & scelera Deus Romæ propinabit, cogetque, ut illud hauriat, & ebibat; porro Roma hunc iræ calicem propinabit aliis gentibus, quia supplicia sua in eas derivabit: ita Cornelius. At hìc juxta verum sensum, non tantùm proponuntur supplicia Babylonis, seu Romæ, sed etiam causæ illorum, ut indicat illa causalis, *quia*; & tres rationes assignantur; prima: *Quia de vino iræ, fornicationis ejus biberunt omnes gentes*. secunda: *Et Reges terræ fornicati sunt cum ea*; tertia: *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.*

29 Sensus ergo est. Dixerat superiùs Angelus: *Cecidit, cecidit Babylon*; nunc apponit rationes tantæ ruinæ, & casus; & prima, *quia*; causalis est, & denotat causam illius ruinæ; primò: *Quia de vino iræ fornicationis ejus biberunt omnes gentes*; quia ab ipsa didicerunt gentes fornicationem idololatriæ, & aliorum vitiorum, ob quæ in tot supplicia, ac pœnas venerunt. Justum sanè est, ut civitas illa, quæ non solùm est fornicata, sed etiam causa extitit, ut aliæ fornicarentur, acriùs puniatur, ac deleatur, sicut enim ipsa caput est vitiorum aliarum gentium, sic etiam caput est calicis iræ pœnarum, ac suppliciorum, quæ aliæ gentes biberunt. Hanc sententiam docent Rich. Victor. *Causa damnationis ejus declaratur, cum subditur Quia de ira fornicationis ejus biberunt, &c.* Premit Rupert. verbum *de vino iræ fornicationis*; non dicitur de vino fornicationis, sed, *de vino iræ*; Per iram intelligit divinam pœnam, & ultionem, per fornicationem, idololatriam, juxta communem sententiam, & semper divina pœna, ac ultio conjuncta est cum idololatria, illamque Deus acerrimè percutit.

Vera interpretatio.

Idololatriæ pœna conjuncta est.

30 *Et reges terræ cum illa fornicati sunt.* Hæc est secunda causa magni casus, ac ruinæ Babylonicæ, seu Romæ, nam, ut notat Ferrarius, nocuisse aliquo pacto omnibus gentibus, grave fuit, sed multò, & in immensum gravius extitit habuisse consortes suæ fornicationis Reges terræ. Ruina magnorum est omnimoda perditio plurimorum; & maximè exaggeratur Regum scelus, quod infami meretrici conjuncti sint, quod magnum dedecus est Regiæ majestatis: vide dicta superiori cap. ad vers. 2.

31 *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Hæc est tertia causa ruinæ; his significantur multa impensa opera multorum, in procurandis iis, quæ deserviunt deliciis; & nota quod non dixit præcisè mercatores, sed *mercatores terræ*, quia terreni his maximè incumbunt. Significantur immensæ opes expensæ, quæ sufficerent ad ditandos penè omnes mercatores terræ, ut legit D. August. Et dicitur: *De virtute deliciarum*. Et hìc virtus propriè non sumitur pro virtute, quia in deliciis non est virtus, sed magis languor, & infirmitas, sed vel dicitur virtus, ut ait Ferrarius, in inveniendis, & efficiendis iis, quæ deliciis serviunt, vel juxta radicem græcam, ut notant Sà, Tirinus, de virtute, id est, de potentia, ac pretio deliciarum nulli sumptui parcebatur, ut omni ex parte deliciæ conquirerentur, & ideo mercatores divites facti sunt.

QUÆSTIO IV.

Quare, cùm in præsenti Angelus in medium adducat omnes gentes, Reges terræ, ac mercatores, soli tamen Reges criminis rei notantur.

32 AIt Angelus agens de Babylonia: *De ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati sunt, & mercatores terræ divites facti sunt.* Ecce in præsenti proponuntur omnes gentes, & mercatores, & Reges terræ, & tamen de his omnibus soli Reges terræ, ut criminis rei, ac luxuriæ dediti commemorantur; undè hoc? ut hi soli sint criminosi, ac lasciviæ dediti. Difficultas quæstionis.

33 Ratio est; quia soli Reges maximè luxuria infecti, lascivireque inveniuntur; quod bene notavit Rupert. & ait: *Tria hìc dicuntur, quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, quia terræ Reges cum illa fornicati sunt, quia deliciis ejus mercatores divites facti sunt, causæ summa, totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur, & hìc sæpiùs in hac lectione fornicationis ejusdem scelere denotantur.* Expende quod totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur, quippe in nullis magis, quàm in Regibus, & Principibus, ac nobilibus viget lasciviæ macula. Lascivia maximè dominatur in principibus, ac nobilibus.

34 Abner princeps militiæ Israel ingressus est ad concubinam Saulis regis defuncti; quod indignè ferens Saulis filius Isboseth, Abnerem aliquantulum acerbè corripuit; quid tunc? *Abner iratus nimis propter verba Isboseth, ait: Nunquid caput canis ego sum adversùs Judam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, & super fratres, & proximos ejus, & non tradidi te in manus David, & tu requisisti in me, quid argueres pro muliere hodie?* 2. Reg. 3. n. 8. Expende attentè, quid pro se affert, ut non debeat pro muliere compressa, ac violàta argui; nimirum ait: *Nunquid caput canis ego sum?* hoc est, ut interpretatur Lyran. non sum vilis homuncio, & abjectus in Israel, sed sum princeps exercitus, qui nullo modo debet argui pro muliere. Homunciones vapulantur pro lasciviæ crimine; atqui non homuncio, sed designatus princeps, nec per ludum argui debet, quod lasciviat, non enim reprehensio de tali crimine decet dignitatis, & principatus insulas, undè eleganter dixit Petr. Damian. lib. 1. ep. 6. *In minoribus quidem sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur, in Episcopis autem, quod nimis absurdum est, per silentii tolerantiam veneramur.* Res luxuriæ in minoribus arguitur, in majoribus veneratur. Principes existimant esse sua dignitatis impunè lascivire.

35 Secundò: *Quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa fornicati sunt.* Causalem esse hanc propositionem existimat Rupert. per hysteron proteron, ut sit sensus: Ideo de ira, ac punitione fornicationis, ac vitiorum Babyloniæ biberunt omnes gentes, quia Reges terræ cum illa fornicati sunt; ita ait Rupert. modò proximè datus: *Causa summa: totum fornicationis opprobrium Regibus imputatur*; ac si ideo tot supplicia gentes apprehenderint, quia Reges in magnis peccatis versabantur; *ipsi enim* Reges fuerunt duces, qui suo exemplo subditos ad blandas illecebras excitarunt, ac tum pestilentiali morbo infece- Mali principis exemplum ei vitæ rem corrumpit, & destruit.

fecerunt. Ægrotavit Rex Ezechias ad mortem, 4. Reg. 20. n. 1. Isai. 38. n. 1. quam ægritudinem lepram dicit Paraphrastes Chaldæus, nam ubi vulgatus Isai. 38. n. 21. habet: *Super vulnus*; regia verò: *Super inflammationem*; Chaldæus legit: *Super Scabiem*; & cur regia ægritudo lepra dicitur? Quia est valde contagiosum malum, quod subditos simul capit, ac corrumpit. D. Bern. in conversione S. Pauli: *Si quis de populo deviat, solus perit, verùm Principis error multos involvit, & tantis obest, quantis præest ipse.*

36 Ait Isai. 5. n. 14. *Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino, & descenderunt fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus ad eum.* Ecce Infernus pro devorandorum multitudine os illud vastissimum magis, ac magis aperuit, ac dilatavit; & undè tanta reproborum multitudo ortum habuit? Ipse Propheta explicat: *Sublimes, gloriosique ejus ad eum.* Pro, *Glorioſi ejus*, legunt Septuaginta: *Pestes, seu pestilentes ejus*; quia eorum principes, ac nobiles, suo malo exemplo fuerunt, tanquam pestes dira contagione in proxima quæque serpentes, ut omnes in mortem traherent. Noster D. Cyrill. Alex. ibid. sic ait: *Typi quippe, & exemplaria fuerunt aliis vitæ execrabilis*; & post pauca subdit: *Itaque auctores, & causæ interitus, & sibi ipsis, & aliis omnibus primi descendent, & præcipites ibunt ad inferos divina ira ante alios quodammodo in ipsos insiliente. Puniuntur verò, non quia divites, & nobiles, sed quia pestes, id est labes, & lues, tum sui ipsorum, ut dixi, tum gregis universi.* Perpende ultima verba.

Mali principis exemplum pestis civitatis.

37 Mandat Deus suo Prophetæ Ezechieli describere obsidionem Jerosolymæ civitatis, ædificare contra illam munitiones, comportare aggeres, disponere armata castra, erigere arietes, seu bellicas machinas ad muros urbis labefactandos: *Pones arietes in gyro*, Ezech. 4. n. 2. ubi rectè notat Prado, quòd in hebræo ea vox, tam arietes, seu machinas ad evertenda, ac solo æquanda urbium mœnia, quàm Duces, ac Principes significat, ut hoc argumento denotetur, quòd idem omnino sit improbus princeps, ac ferreus aries, nam sicut hæc bellica machina civitatis munitiones solo adæquat, & destruit, ita ille iniquus civitatum, ac subditorum virtutes oppugnat, & expugnat, undè meritò clamans ad Dominum plangit D. Bern. ser. 1. in Conversione Sancti Pauli: *Heu, heu Domine Deus, quia ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in Ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè, & protestativè tradunt incendio civitatem, misera eorum conversatio plebis tuæ miserabilis subversio.*

Malus princeps civitatis devastatio.

38 Hinc David Ps. 124. n. 3. dicebat: *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum*; hoc est, non patietur Dominus terram, in qua sancti, & justi degunt, iniquorum hominum imperio subjici, ac regi; Sed quare? Statim subdit: *Ut non extendant justi ad impietatem manus suas*; significans, ne justos, ac magnæ sanctitatis viros mali Principis exemplum corrumpat, ac post se trahat, undè ait D. Isidor. lib. 3. Sententiar. c. 30. *Sicut nonnulli bonorum Principum Deo placita facta sequuntur, ita facilè multi prava eorum exempla sectantur.*

Malus princeps viros sanctos corrumpit.

QUÆSTIO V.

Quare mercatores non dicuntur divites ex suis mercibus, sed de virtute illius perversæ civitatis.

39 JOachimus Abbas per mercatores terræ interpretatur hypocritas, falsos, ac malos sacerdotes, qui verbo Dei negotiantur, ut temporalia lucrentur, & in deliciis vivant; sic ait Abbas: *Quorum virtus est in deliciis carnis, ut ipsi divites fiant, & possint de cætero vivere in deliciis.* Haymon per mercatores intelligit ambitiosos, qui animam suam venalem faciunt, ut honores, ac dignitates acquirant; sic ait Haymon: *De virtute deliciarum ejus, hoc est, de ambitione secularis pompæ divites facti sunt, non virtutibus, sed peccatis.*

Mali Sacerdotes & Abbatiosi inducti pro divitiis.

40 Quæstio præsens est: Cur mercatores dicuntur divites non suis mercibus, sed virtute, ac ope deliciarum illius perversæ civitatis? Et quantum ad literam jam satis explicavi in expositione, quid significet hìc virtus deliciarum, moraliter verò nunc quæro, & primo: Quomodo dicuntur divites virtute deliciarum illius civitatis, cum nemo dubitare possit, quod hujusmodi divitiæ à Deo sint? quomodo ergo dicuntur divites deliciarum ejus? Ita impii suis peccatis sunt obcœcati, ut ea, quæ à Deo auctore, ac benefactore accipiunt, in creaturam tanquam causam refundant. Rupertus sic ait: *Non perversitas talium, sed unius Dei bonitas etiam bona ejusmodi, de quibus mercatores terræ ditati sunt, creavit, & dedit*; ipsi aliter sunt arbitrati, undè rectè de talibus Deus per Oseam dixit cap. 2. num. 5. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas*, &c. *Et hæc nescivit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.*

Impii, quæ à Deo accipiunt, creaturis tribuunt.

41 Secundò ad quid dicitur, quòd mercatores divites facti sunt de virtute deliciarum ejus? nonne satis erat dicere, quod divites facti sunt de suis deliciis, luxu, ac mercibus, quas Romam asportabant? cur ergo dicuntur locupletati de virtute deliciarum illius civitatis? Apud mundanos tam falsa est existimatio, ut apud eos paupertas, tanquam opprobrium, ac vitium habeatur, divitiæ verò ut virtus, ac probitas existimetur. Rupertus: *Non dixit tantùm de deliciis ejus, sed de virtute deliciarum ejus divites facti sunt; stultitiam denotat ipsorum, apud quos paupertas, probro habetur, & velut immane contemnitur vitium, divitiarum autem abundantia virtus existimatur, cùm è contra etiam ethnicus dicat: Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.*

In Mundo paupertas ut vitium, opulentia ut virtus censetur.

42 Tertiò S. Thom. ait: *Babylon reputat habere virtutem, & efficaciam ad felicitatem, quam in Mundo constituit, qua etiam peccata reputat delicias.* De virtute deliciarum ejus divites facti sunt, id est, de peccatis, explicat D. Thom. sed quæ combinatio est inter peccata, & delicias? quid enim peccato amarius, mortem animæ infert? Sic accidit, ut impii ita sint depravati, ac mente alienati, ut peccata, mortemque animæ suæ, ut suaves delicias reputent.

Impii peccata delicias putant.

43 Quartò cùm dicitur, quòd mercatores de virtute deliciarum illius civitatis divites facti sunt, præsupponitur in ea multas fuisse delicias; & non mirum cùm illa opulentissima fuerit, cùm divitiæ maximè impellant, & ducant hominem in delicias, ac mollem luxum, ut de se fatetur Salomon Eccles. 2. n. 8. *Congregavi mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, feci mihi cantores, & cantatrices.* Cùm repletus esset auro, & innumerabiles divitias comparasset, statim in delicias defluxit. D. Greg. Nyssen. ibi ait: *Auri, & argenti copiæ addidit turpitudinem, quæ morbum, qui priùs evaserat, solet deinde consequi: Fecit, inquit, cantores, & cantatrices, quæ convivarum sunt deliciæ; sufficit mentio nominum ad describendum vitium, ad quod etiam munit morbus, qui oritur ex copia pecuniæ*; copia enim auri in delicias trahit.

Divitiæ ad delicias, ac luxum trahunt.

44 Quintò: *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt*; ut de vino, seu vindicta, ac pœna biberent, ac participarent, nam ita multi explicant: *Quia de vino fornicationis ejus bibent omnes gentes, & Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, & mercatores*, &c. Ecce quo eos adduxerunt divitiæ congregatæ, ut simul cum eodem supplicio Babylonis involverentur. Ait regius Vates, Ps. 5. n. 11. agens de peccatoribus inhiantibus terrenis: *Sepulchrum patens guttur eorum.* Guttur inservit ad gustum, & inde metaphoricè sumitur pro affectu ad gustanda mundialia bona; sed quid hæc habent cum sepulchro? hujusmodi bona sunt aurum, argentum, & quidquid est pretiosum, in sepulchro autem reperiuntur putrescentia cadavera, vermes, & fœtores. Ecce cur guttur, seu affectus mundialium, sepulchrum patens; qua talis affectus divitiarum nihil aliud parit, nisi mortem, fœtorem, ac vermes, quibus sepulchra replentur: Non sit guttur, seu affectus ad mundialia, ut inveniatur sepulchrum patens, sed sit affectus ad cœlestia, ut habeatur tanquam thesaurus, in quo nostra merita reponantur. D. Chrysost. ad citat. Psal. ait: *Non sit ergo os tuum sepulchrum, sed thesaurus; thesauri ergo multum à sepul-*

Divitiæ mortem, ac sepulchrũ adducunt.

sepulchis differunt, quod illa quidem corrumpunt, quod acceperint, illi verò conservant. Habe ergo tu divitias sapientiæ, quæ perpetuò permanent, sed non malevolentiam aliquam, & putrefactionem.

45. Postquam Judas retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, dixerunt ipsi adinvicem: *Non licet eos mittere in corbonam*, Matth. 27. num. 6. & quò mitteretur illa pecunia vehementissimè amata, & exoptata à Juda? *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum*. Mundialia bona hoc tantum intenduut; sepulchris materiam parare. Ad hæc loquitur D. Valerianus, homil. 20. *Ecce quid fructus habet cupiditas; pecunia ad comparationem sepulturæ reposita, hoc est funeribus deputata. Intelligite ergo in quo statu sit culpa cupiditatis.* Etsi omnes divitiæ in unum congregentur, nil aliud parturiunt, nisi mortem, & sepulchrum.

Ex pecunia, erors, & laqueus.

46 *Mercatores de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.* Et sicut ipsa civitas omnino deperdita, ac destructa est, sic etiam ejus divitiis mercatores deperditi, ac destructi sunt; eorum bona mortem secum parturiebant. Surrexerunt judæi in adversarios suos, ut dicitur Esther. 9. n. 15. *Interfecti sunt in Susan trecenti viri, nec eorum ab illis direpta substantia est*; si eos interfecerunt, cur substantiam eorum non sibi abstulerunt, sed intactam reliquerunt? Anselm. Laudun. pulchrè locum sic expendit: *Ut nullus de substantiis eorum operatione iniqua quicquam contingeret.* Sic timent illi vitia, ac mala sceleratorum hominum, ut etiam ab eorum facultatibus timendum esse sibi persuadeant, ne contagium pravitatis, ac mortis inde serpat, & ut iniquitas, ac pœna ejus in eos derivetur, simulque cum illis pœna, & morte pergant.

Divitiæ, ac facultates impiorum venenum afflant.

Apoc. 11. n. 4. Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa, populo meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

Num. 5. Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.

VERSIONES.

Arabicus n. 4. Ne participes sitis peccatorum, ne apprehendant vos plagæ illius.

D. Cyprian. Ne particeps sis delictorum ejus, ne plagis ejus perstringaris.

Arias. Ne participes sitis delictorum ejus, & ne communicetis peccatis ejus.

D. August. Ne plagis ejus lædamini.

Arabic. n. 5. Nam scelera ejus annexa sunt ei, & pertigerunt usque ad cœlum, & recordatus est Deus perversitatis ejus.

Syriacus. Propterea quòd adhæserunt peccata ejus usque ad cœlum.

D. August. Et ascenderunt peccata ejus.

Primas. Quoniam delicta ejus pervenerunt, &c. Et meminit Dominus Deus.

Aret. Oecum. Conglutinata sunt peccata ejus usque ad cœlum.

EXPOSITIO.

47 *Audivi aliam vocem*; ab eodem Angelo prolatam, nam prima continebat sententiam contra Babyloniam, hæc vero vox populi Dei libertatem. Et proclamat *de cœlo*. Nunquid hæc vox clamandi insonuit per aerem? Respondent communiter omnes recentiores cum Ribeira: Deus suos electos in urbe relictos, ut exeant, admonebit, sive per Prophetas, qui tunc erunt, sive per internam inspirationem, sive per Angelos. *Exite de illa, populo meus.* Semper in urbe Roma fuit populus sanctus, & electus Dei cum suo vero pastore summo pontifice, & admonet ut exeant, sicut Deus olim per Prophetas admonuit judæos, ut à Babylonia exirent, sicut etiam admonuit Christus Matth. 24. admonuit, ut à Jerosolyma exirent, ne harum civitatum delictis, ac pœnis involverentur, de quo quæst. seq.

48 *Ne participes sitis delictorum ejus.* Admonet ergo Angelus populum Dei, ut exeat animo, & corpore: *Ne participes sitis delictorum ejus*; pravos illius mores imitando, ut inde contagium percipias; ex sua iniquitate, ut illius pœna afficiaris. *Et de plagis ejus non accipiatis*; corpore, qui enim sunt in eodem delicto, eadem pœna plectuntur, ut recta justitia postulat.

Animo, & corpore exeuntes.

Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum. Hyperbolica locutio, ad significandam peccatorum gravitatem, ac multitudinem, & valde frequens in Scriptura; Jonæ 1. n. 2. *Vade in Ninive, prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me*; Gen. 17. nu. 20. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum*; & illud Genes. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; ac si tanta esset peccatorum moles, unaque supposita essent aliis, ut ad cœlum pervenirent, undè aliqui sic in præsenti legunt: *Conglutinata sunt peccata ejus usque ad cœlum*; ac si peccata Romæ ad invicem conglomerata excrescerent in cœlum, ut debitam vindictam expostularent. 49

Et recordatus est Dominus iniquitatum ejus. Non hæc dicuntur, quasi quòd in Deo sit oblivio, cui omnia sunt in præsentia, & intuitu, sed ut hac metaphora detur nobis intelligi, positum jam esse illud ex parte objecti, seu peccatorum, quo posito Deus debet venire ad ultionem, undè dixit Christus judæis: *Implete mensuram Patrum vestrorum*; de quo infer qu. Deus ergo cùm dissimulat, & non punit peccata nostra, quasi illorum oblivisceitur, cùm verò venit ad punitionem, quasi illorum recordatur; & in hac re loquitur Scriptura de Deo tanquam de homine mitissimo dissimulante peccata, donec in magnum cumulum excrescant, & se attollant, ita ut jam celari non possint, nec sine vindicta præteriti. 50

Quomodo dicitur Deus recordari.

QUÆSTIO VI.

Quare populus Dei mandatur exire de Babylonia, ne in delictis, ac plagis ejus involvatur.

CLamat Angelus: *Exite de illa*; scilicet Babylonia, seu Roma. *Populo meus, ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Sub populo Dei electos, & prædestinatos intelligunt Aretas, Albert. Magn. & alii; sic & olim monuit Deus populum suum exire de Babylonia evertenda per Cyrum, Isai. 48. n. 20. & ait: *Egredimini de Babylonia, fugite à Chaldæis*; Zachar. 2. n. 7. *Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis*; Jerem. 50. n. 8. & c. 51. n. 6. *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*; sic & Christus D. præmonuit fideles, ut è Jerusalem obsidenda, ac devastanda per Titum, fugiant Matth. 24. n. 15. *Cùm videritis abominationem desolationis, tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.* Et de hoc exitu ex Jerosolyma evertenda per Titum sic scribit Euseb. lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 5. *Ecclesia verò, quæ in Jerosolymis fuerat congregata, responso à Deo accepto, emigrare jubetur, & transire ad oppidum quoddam Pellam nomine, trans Jordanem; quò ablatis ex urbe sanctis, & justis viris vindictæ cœlesti fieret locus, tam de urbe sacrilega, quàm de populo impio per excidium patriæ, eversionemque sumendæ.* 51

Deus suorum habet curam, ne peccent, & ne pœnis involvatur.

Secundo mandat Dominus eos exire de Babylonia, ut devitent ejus errores, falsam doctrinam, ac illius vitia, & turpitudines; hinc per Isai. 52. n. 11. *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere*; ac si diceretur: Cavete contagia peccatorum, ne accipiatis de plagis ejus; qui enim particeps fit peccatorum alterius, etiam immunis non erit ab illius supplicio. Ansbert. sic ait: *Idcirco misericordia præveniente, vos delictorum ejus disjungo inquinamentis, ne cùm peccata ejus fuerint consummata, pariter cum illa incipiatis affligi; quorum enim vitam conversi similem peccatis habere noluistis, ultionem cum eis parem non accipietis.* Et ideo à contagio peccatorum mandat Deus exire, & separari; sic & Moyses puniturus Core, Dathan, & Abiron, recedere jussit ab eis reliquum vulgus: *Recedite*, ait, *à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum*, Num. 16. n. 25. 52

Qui particeps est in culpa, erit & in pœna. A contagio peccatorum fugiendum.

Tertiò qua ratione populus Dei mandatur exire de 53

de Babylonia? nam per Babyloniam multi graves auctores intelligunt civitatem Diaboli, & impiorum, quæ tunc maximè dispersa erit per totum Orbem, quia tunc totus Mundus in maligno positus erit, 1. Joan. 5. n. 19. quomodo ergo ab illa poterit discedere populus Dei, ne particeps sit delictorum eorum? Licèt ergo in ipsa civitate mundi, ac inter impios degat electus, mente tamen ab eorum consortio se separet, ne peccatis ejus involvatur, undè rectè Joach. Abb. *Qui non vult esse particeps flagellorum ejus, aut omnino ascendat in montem cum Abraham ad vitam spiritualem, aut saltem transeat moribus in Segor, & contineat se in ea, dignos faciens fructus pœnitentiæ.*

Mente fugiamus à societate impiorum.

54 Quartò mandat Dominus populum suum exire de Babylonia ethnica, & mundiali, quæ ut antiqua Babylonia abundabit erroribus, ac depravatis hæreticis, ut notat Ansbert. Ait Deus per Isai. 48. num. 20. *Egredimini de Babylonia, fugite à Chaldæis;* & cur è Babylonia est egrediendum, à Chaldæis verò fugiendum? Chaldæi erant maximè sapientes, cœlestium contemplatione, ac syderum cognitione eruditissimi, inde ab eis non solùm cavendum, sed etiam fugiendum mandat, quia illius familiaritas maximè evitanda, qui cum doctrina, & sapientia polleat, vitiis, ac iniquitatibus inservit. Sic explanat D. Ambros. in Ps. 1. *Chaldæi sunt, qui syderum cursus vano studio superstitionis explorant, & impios serunt gentilitatis errores; ab his fuge, ne te capiant, ne te gravi laqueo immittant.* Si cœlestium doctrina implentur, eamque ostentant verbis, & tamen sine Deo idola vitiorum colentes, hi ut valde pestilentiales fugiendi sunt.

Doctor vitiosus maximè fugiendus.

55 Quintò: *Exite de illa populus meus.* Ecce quanta Deo cura, ac vigilantia est super suos justos, qui quamvis permisti sint inter malos, à Deo servantur illæsi, ita ut minimè eorum pœnis involvantur. Ad hoc spectat Parabola illa Matth. 13. n. 11. ubi dicitur: *Simile est regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Etsi in hoc temporali Cœlorum regno, quod est Ecclesia Dei, commisti, & confusi sint boni, & mali, tamen hora pœnæ discretio divina oculatissima est, ut dum malos perimit, bonos puriores custoditos in salutem dirigat. Ad quæ ait D. Petr. Chrysol. ser. 47. *Ejecti de profundo pisces parum quidem in littore sui confusione volvuntur; sed citata discretio, dum malos abjecit, eligit bonos. Ista discretio superna, quæ dat malos pœnis, bonos rapit ad honorem, electos omnes de contumelia exigua, perpetua gloria consolatur.* Cùm venit excussio rerum, ac hora supplicii, puniuntur mali, & boni assumuntur in perpetua gaudia.

Inter impiorum perditiones Deus suos justos servat incolumes.

56 Ait Deus per Amos 9. n. 9. *Ecce ego mandabo, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus super terram, in gladio morientur omnes peccatores,* &c. Sunt permista in cribro multa, nimirum & frumentum, & lapilli, & paleæ, & quisquiliæ, quæ omnia per cribri validam agitationem sic separantur, ut paleæ, & quisquiliæ ad ignem mittantur, frumentum verò ad molam, lapilli verò intacti permanent; sic in commotione iræ Dei, etsi impii, & justi simul collecti inveniantur, per illam tamen commotionem impii quasi paleæ, & frumentum abeunt in extremam contritionem, justi autem ut firmi lapides intacti à Deo servantur; sic ait Ruffinus in præsenti: *Cùm reliquum vulgus, ut stipulæ deperirent, justi velut solidi lapides permanebant. Ergo si omnes,* ait, *pariter abripiat immissa captivitas, tamen nequaquam vos viliter æstimabo, ut confusa videlicet cede pereatis, sed exercebitur libra judicii, ut nullum gladius contingat innoxium, nullum prætereat criminosum. Cæterùm, omnes innocentia conspicuos, ita manus nostra defendet, ut exercitati quidem, non tamen deceantur extinctis.* Oculatissima est Dei providentia, & attentissima; etsi justi, & injusti admisti inveniantur, in extrema tamen commotione sic discernuntur justi ab injustis, ut isti pereant, illi vero exercitati incolumes perseverent.

Licet boni, & mali simul commixti hi pereant, illi cultodiuntur.

57 Dicebat Job. 14. n. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei;* & quomodo sanctus vir tempore furoris Domini eligit abscondi, & detineri in inferno, ubi degunt maligni spiritus, ac iniquorum animæ? Certus erat sanctus vir, quòd si ibi perpetuò claudatur malignantium cœtus, ipse non maneret in æterna oblivione, sed quod Deus recordaretur, illumque inde erueret, ac in gloriam suam assumeret. Auct. Caten. Græc. sic ait: *Utinam tantisper, dum mihi irasceris, in inferno custodisses, nec planè te mei cæpisset oblivio. Veruntamen constituisti tempus, quo me, quoniam tua providentia comprehendisti, malis exsolves.*

De justo existente in malis Deus non obliviscitur.

QUÆSTIO VII.

Quare ante devastationem Babylonis Deus mandat populum suum exire de illa, cum eum mirabiliter in medio devastationis servare posset.

58 ANtequam destruatur Babylon, seu Roma ethnica, mandat Deus per suum Angelum: *Exite de illa populus meus, ne de plagis ejus accipiatis*; bene poterat Deus in medio ipsius devastationis populum suum illæsum, & salvuum custodire ab omni gladio, sicut inter plagas Ægypti, filios Israel ab omni nocumento incolumes in terra Gessen servabat, & custodiebat, Exod. 9. n. 26. cur ergo modò circa populum suum non ita se habet? Et hæc quæstio præsens est.

Difficultas quæstionis.

59 Respondeo primò. Et cur solùm monet eos à societate impiorum segregari? cur apprensa manu, eos à perditissima Babylonia non eripit, vel magno aliquo ostenso miraculo eos inter medias civitatis flammas illæsos non custodit? Solùm monet, & consulit exire, ut eorum libertas cogi non videatur; sic observat Ansbert. in præsenti dicens: *Rectum ordinem tenens Spiritus Sanctus, ac liberum arbitrium gratia prævenientes, & subsequente modo stabiliens, in eo, quod dicit, exi de illa populo meus.*

Homines liberum arbitrium in suis operibus habent.

60 Secundò suum populum monet Dominus, ut à Babylonia exeat, non solùm corpore, sed etiam mente, ac spiritu ab ejus peccatis, ac operibus turpibus fugiat, & declinet, ut totus cogitatione feratur in Deum, ipse enim Dominus humanæ salutis amator non intendit tantùm in suis operibus suam gloriam, ac magnificentiam ostentare, sed potiùs homini ansam merendi exhibere, ut inde homo in gratiam crescat, & in magnum gloriæ augmentum exurgat. Missurus Deus Prophetam, ac prædicatorem ad populum sic loquitur cum Isaia 6. n. 8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* cur Deus ut supremus Dominus non imperat Prophetæ, sed tantùm interrogat? Ut suo spontaneo consensu interveniente, ac responso dato, ejus prompta obedientia appareat, & ejus meritum in magnum cumulum crescat. D. Ambros. in Ps. 118. ser. 14. ait: *Utique servulo suo poterat imperare, quem dignum, qui mitteretur, invenerat, sed maluit eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui ut ipse se offerret præstolatus est, & quamvis ejus sciret affectum, expostulavit tamen vocem, ut gratia cumularet.*

Deus dat suis servis occasiones merendi.

61 Tertiò bene poterat Deus suos electos è medio Babylonis mirabiliter educere, ac etiam in medio devastationis intactos custodire, tamen mandat, ut ab illa exeant, eos admonens, vel per Prophetas, ac prædicatores suos, vel per internam inspirationem; amat enim Deus quod quando aliquis consueta via se potest à periculis eruere, minimè ad miracula, ac extraordinaria confugiendum esse, sed ab illis omnino quiescendum. Eligitur à Deo Saul in Regem suprema, & alta divina providentia, 1. Reg. 9. nu. 17. tamen cùm sit Rex publicandus, ut regni clavum teneat, *applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors Tribus Benjamin, & pervenit usque ad Saul filium Cis,* 1. Reg. 10. num. 20. si assumitur ad regni apicem Dei consilio, cur non mirabili, & magno signo, ut major illius esset reverentia in populo? Dignitas Dei judicio Sauli defertur, tamen persona per media consueta in populo, per sortes nempe designatur, ut tunc fieri solebat.

Si homo via communi à periculis se potest eruere, ad miracula non est recurrendum.

Abrahamus sic loquitur uxori suæ Ægyptum ingredienti Gen. 12. n. 12. *Novi quòd pulchra sis, mulier, &* 62

quod

quod cùm viderint te Ægyptii dicturi sunt: Uxor illius est; & interficient me, & te reservabunt; Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, ut bene sit mihi propter te; ex quo facto Faustus Manichæus vehementer arguit Abrahamum modicæ fidei in Deum, nam si Deus miserat illum in Ægyptum, inde nihil ei timendum erat, cum ipse Deus, qui eum in Ægyptum descendere mandavit, illum ab omni periculo custodiret; cur ergo se totum Dei providentiæ non committit? cur Deum liberatorem in omni periculo non certò credit, sicut in servanda uxoris pudicitia separabat, sed magis propriæ artis nititur providentiæ in causa vitæ suæ? Prudentissimus sanè Abrahamus, quàm potuit vitam suam arte, & industria tutatus est, at uxoris pudicitiam, quam suis facultatibus custodire non poterat, Deo commisit, cujus virtutem est expertus; quia & ipse, quod potuit, fecit. Sic Fausti ignorantiam, & Abrahami prudentiam expendit D. August. lib. 22. contra Faust. c. 26. in hæc verba: *Dicet aliquis: Cur non potiùs ita de Deo suo præsumit Abraham, ut fateri non timeret uxorem? Nunquid Deus ab illo mortem non poterat repellere, quam timebat, eumque cum conjuge sua ab omni pernicie tutari, ut nec uxor ejus, quamvis pulcherrima appeteretur ab aliquo? Poterat sanè id efficere Deus, sed si interrogatus Abraham illam fœminam indicasset uxorem suam, duas res tuendas commisisset Deo, & suam vitam, & conjugis pudicitiam. Pertinet enim ad sanam doctrinam, ut quando habet homo, quod faciat, non tentet Dominum Deum suum.*

Ad miracula nō est confugiendū, quando nostra industria sufficit.

QUÆSTIO VIII.

Quare dicuntur peccata in tantum excrescere, ut ad cœlum pervenerint, & Deum ad eorum vindictam excitaverint.

63 Alt text. sacer in præsenti: *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum ejus.* Duæ hìc assignantur causæ; cur jam sit punienda Babylon, prima est: *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad Cœlum*; secunda: *Recordatus est Dominus iniquitatum ejus.* Ex prima sequitur hæc secunda, quia peccata ejus pervenerunt ad cœlum, inde recordatus est Dominus ad vindictam, ac ultionem.

64 Multiplici metaphora solet sacra Scriptura multitudinem nostrorum peccatorum explicare, ac exaggerare, ut in præsenti: *Pervenerunt usque ad cœlum*; seu, ut alii legunt: *Conglutinata peccata usque ad cœlum*; ac si in tantum cumulum excreverint, quædam aliis supposita, ut ad cœlum pervenerint, ut dicitur Joan. 1. n. 2. *Malitia ejus ascendit coram me*; ut jam dixi in expositione; alia paulo diversa datur metaphora, peccatis inconditus clamor ad divinas aures, ut Deum dissimulantem excitet, ut Gen. 18. *Clamor Sodomorum multiplicatus est; descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me opere compleverint, &c.* alia sub metaphora mensura accipiuntur peccata, ut scilicet cùm est expleta mensura debeant puniri: *Implete mensuram patrum vestrorum*; ut judæis dixit Christus D. Matth. 23. n. 32. & in hoc sensu dicitur Genes. 15. n. 16. *Nec dum completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus*; quibus metaphoris datur intelligi illud jam esse positum ex parte objecti, seu ipsorum peccatorum, ut Deus non debeat ultra dissimulare, sed exurgere in ultionem peccatorum.

Metaphora sub quibus explicatur multitudo peccatorum.

65 Secundò, & jam moraliter: *Quoniam pervenerunt peccata ejus in cœlum*; seu, ut legit D. August. *Ascenderunt peccata ejus*; ac si veluti ipsum cœlum pertingere viderentur, & inde subditur: *Recordatus est Dominus iniquitatum ejus*; ad severam punitionem: & ad quid in tantum exaggeratur multitudo peccatorum ejus? nonne sat erat aliquod commisisse? ad quid tanta eorum multitudo nobis proponitur? Ut inde deprehendatur, quanta sit erga nos Dei benignitas, ut ad peccata nostra nisi fuerint plurima, ad ultionem non exurgat, tempus emendationis expectans. D. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 5. cum ait: *Magna Dei patientia, ut non statim peccatorem puniat, sed diu differat, expectans correctionem, ne commovetur ad ulciscendum, nisi peccator mensuram impleverit, undè Dominus Jesus Matth. 23. ad judæos ait: Implete mensuram patrum vestrorum.*

Deus ex nostra peccatorum multitudine excitatur ad puniendum.

Tertiò: *Pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum.* Infinita Dei pietas videtur diffimulare hominum peccata, tamen ipsa ob suam multitudinem, ac gravitatem dicuntur in cœlum ascendere, cùm veluti Deum compellunt, ut quodammodo à somno excitetur, ut ad puniendum exurgat, ut rectè in hac materia discurrit S. Salvianus Episcopus lib. 1. de Provident. sermonem habens de peccatis Sodomorum, quæ in cœlum clamaverunt, & ait: *Verè clamor, & grandis clamor est, quando Dei pietas clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus quàm invitus puniat etiam peccatores gravissimos dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderit; hoc est, dicere, misericordia quidem mea mihi suadet, ut parcam, sed tamen peccantium clamor cogit, ut puniam.* 66

Deus tanquam invitus ad supplicium venit.

Quartò: *Quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad cœlum*; Arabicus: *Scelera ejus annexa sunt*; Aretas: *Conglutinata sunt*; quo glutine? quo nexu? Sua nempe nequitia, ac malitia. Pro quo audiendus est Div. August. in Psal. 30. ita loquens: *Quomodo ut restis fiat longa additur spatium spatio, non autem id rectum fit, sed torquetur, sic omnia peccata facta, quæ sunt peccata, cum adduntur sibi, & addendo peccatum peccato, & peccatum ad peccatum annectitur, fit restis longa, quoniam semitæ pravæ, & fluxuosi gressus eorum.* Ad quid tanta delictorum agglutinatio, & connexio? Respondet Sanctus Doctor citatus: *Illa restis longa, ad quid valet, nisi ut inde ligentur manus, & pedes ei, & proiiciatur quisque in tenebras exteriores? funiculis enim peccatorum suorum unusquisque constringitur. Væ eis, qui trahunt peccata velut restem longam*; quia ipsis peccatis, ipsisque consimilibus sui peccatoribus colligatur, ut citiùs in perditionem abeat: Maximè volat supplicium in eos, qui se colligant ad malitiam. 67

Peccatores funiculus suorum peccatorū constitiu guntur ad perditionē.

Ait Nahum. 1. n. 10. *Quia sicut spinæ se invicem complectuntur, sic convivium eorum pariter potantium; consumentur, quasi stipula aridita plena.* Convivia, & pocula maximè perditis hominibus via sunt, ut inde se colligant ad mala scelera perpetranda; harum colligatio spinarum colligationi confertur; sic ait: *Sicut spinæ se invicem complectuntur*; & cur sicut spinæ, & non potiùs, ut lilia, vel rosæ, quod maximè ad iniquorum delicias insinuandas videbatur spectare? Maximum tamen discrimen est, inter lilia, vel rosas, & spinas, dum hæc colliguntur; lilia, vel rosæ in fasciculos distribuuntur, ut odoris, & pulchritudinis suæ elegantiam ostendant, at spinæ ad nihil aliud in fasciculos coadunantur, nisi ut faciliùs in ignes coniiciantur, & ardeant: sic certè, qui ad malitiam perpetrandam se colligunt, eo ipso maximè ostenduntur, quàm ruinæ, ac igni æterno proximi sint; ex quo ait ibi Div. Hieronym. in Comment. *Pulchrè exercitus eorum multitudinem, ebriorum convivio comparavit, & ipsum convivium non rosarum, non liliorum dixit esse, non florum, sed simile spinarum se invicem complectentium, quæ semper traduntur igni, & quasi stipula aridita plena levi comburuntur ardore.* Ad id unum sanè spinæ colliguntur, ut citiùs, ac vehementiùs absumantur ab igne. 68

Qui ad malitiam perpetrādā recolligūt.

Ille magnus Paterfamilias servis suis dicebat Matt. 13. n. 30. *Colligite primùm zizaniam, & alligate eam in fasciculos ad comburendum*; & cur ipsa zizania per se sigillatim non mittitur in ignem, sed in fasciculos est colliganda? Ut ita fortiùs, ac vehementiùs ardeat. Sic sæpè homines iniqui, ac depravati permittuntur inter se alligari, ac colligari, ut ex tali colligatione citiùs, ac validiùs ab igne devorentur. D. August. lib. 1. quæst. in Matth. c. 12. *Ut combustio eorum sit in fine seculi, modò alligatio fasciculorum fit.* Cùm colligatio, ac adunatio hominum fit in malum, maximè supplicium appropinquans ostenditur. 69

Impiorum colligatio ad ignem volat.

Apoc. 18. n. 6. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia, secundùm opera ejus; in poculo, quo miscuit miscete illi duplum.

Num. Quantùm glorificavit se, & in delitiis

fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum; quia dixit in corde suo: Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo.

VERSIONES.

Arabic. n.6. Rependite illi secundùm mercedem ejus, & calicem ejus, prout implevit eum, duplicate ei.

Syriac. Duplicate ei duplum in calice, quem miscuit, miscete ei duplum.

D.Cyprian. Et in quo poculo miscuit duplum, remistum est ei.

S.Ambr. Duplicate ei supplicia.

Arabicus n.7. Et pro mensura fastus, & deliciarum ejus, date illi mœrorem.

Syriacus. Quantùm placuit ipsi lascivire, tantùm date ei cruciatum.

D.Cyprian. Et in quantum glorificavit se, in tantum datus est ei luctus, & cruciatus, sicut Regina confido, nec luctum visura sum.

Petr. Blesens. Quantùm exaltavit se, &c. tantum date ei tormenta, & luctum.

D.August. In quantum indeliciavit se, in tantum date cruciatum, & luctum.

Arias. In quantum lascivivit.

S.Prosper. In quantum potestatis habuit.

Primas. In quantum se glorificavit, & delitiarum habuit, &c. sedeo Regina, & vidua esse non possum.

EXPOSITIO.

70 *Reddite illi.* Compellat divinus sermo voce Angeli sanctos, ac Dei populum, quem jusserat exire de Babylonia, qui cum Domino sedente ad judicandum in sede majestatis suæ sedebunt, & dicit: *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis;* quibus verbis fit allusio ad vaticinium Jerem.50.n.16. *Sicut fecit, facite ei*; ibid. n.29. *Reddite ei secundùm opus suum; juxta omnia, quæ fecit, facite illi*; & c.51. n.49. *Et quomodo fecit Babylon, ut caderent occisi in Israel, sic de Babylone cadent occisi in universa terra.* Ait ergo divina vox: *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis;* quibus verbis ostenditur, malum non esse, sed bonum, expetere ex zelo justitiæ vindictam ad æqualitatem, & etiam illam sumere, si ex officio competat sumere, tanquam Dei vicarius, cùm hoc non fiat ex privato judicio, sed ex Dei nutu, ac definito ejus consilio, & probata ab eo sententia; & quamvis Sancti habeant pro suis persecutoribus exorare, & benefacere malefacientibus, Matth.6. hoc est in hoc sæculo, non verò in futuro, & maximè in die judicii, quod non est misericordiæ, sed justitiæ tempus, de quo quæstio sequenti.

Expetere vindictam ex zelo justitiæ bonum.

71 *Duplicate duplicia secundùm opera ejus.* Dei pœna nunquam hominis culpam excedit; imò Deus ob suam benignitatem punit citra condignum. *Duplicate duplicia*; non ad libitum, sed secundùm opera ejus, ac juxta mensuram suorum operum. Illa nempe Babylon vox vexavit, ac affecit dolore temporali corporis, vos verò illam afficite, non solùm dolore temporali, sed etiam æterno, non tantùm dolore corporis, sed etiam corporis, & animæ, duplicia enim sunt temporale, & æternum malum, dolor corporis, & animæ.

Martyres patiuntur temporaliter tortores æterni æternaliter.

72 *In poculo*; seu, ut legunt Syriacus, & Arab. *In calice, quo miscuit vobis, miscete illi duplum.* Metaphora desumpta est ab Architriclino, qui suis convivis præbet poculum vini aqua diluti. Poculum, seu calicem pro afflictione sumi nos Christus docuit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*, Matth.26. sensus ergo est: Afflictionem, & molestiam temporalem, quam Babylon vobis dedit, vos illi miscete duplum dolorem, & pœnam, non solùm temporalem, sed etiam æternam, nam supplicia scelestorum, in quibus moriuntur, consequuntur supplicia æterna.

Pro qualitate delicti plagarum modus.

73 *Quantum glorificavit se*, seu, ut legit Blesens. *Exaltavit se*; superbo fastu se jactans. *Et in deliciis fuit*; cùm Babylon se glorificaret. Opinio excellentiæ propriæ, & complacentia in ea faciunt quærere delicias, ut tantæ sublimitati convenientes, ac si ipse sit aliquid supra cæteros homines; qui autem se non æstimat, sed contemnit, non sibi putat delicias esse convenientes. *Tantum date illi tormentum, & luctum*: Pro qualitate delicti sit & plagarum modus tam in hac vita, quàm in futura, ut advertit Tirinus, proportionaliter quidem, quàm hìc sceleribus commeruit.

74 *Quia dixit in corde suo.* Non ore protulit verba, sed intus in corde dixit, ut notat Ribeira, ne superba videretur, sed ut superbiam suam dissimularet, ac si quamvis pessima de ipsa superbia verecundaretur. Notatur hìc hypocrisis multorum, qui exteriùs ostentant humilitatem, in corde verò impudica regnat superba. *Sedeo Regina.* Ecce verba suæ glorificationis, ac superbiæ; & non ait, sum Regina, sed, *Sedeo Regina*; quo ostendit sui solii firmitatem, à quo se promittit non esse dimovendam. *Et vidua non sum.* Ait Babylon: Licèt à me ejecerim Christum D. verum sponsum, tamen pro eo habeo dæmonum legiones; & licèt à me ejecerim populum Dei supra vers. 4. etiam cum suo vicario, ut notant Cornel. Ferrar. qui erat tanquam vir meus, tamen loco maritorum, habeo decem Reges, & multitudinem populorum, juxta illud Thren.1.n.1. *Quomodo sedet sola civitas*, &c. *Facta est quasi vidua Domina gentium*; & inde quod consequens est ad viduitatem, ait: *Luctum non videbo.* Arbitrantur impii perpetuò se in deliciis, ac dignitate victuros.

Superbus de sua superbia verecundatur.

Impii putant perpetuo vivere in deliciis.

QUÆSTIO IX.

Quare Dominus, qui ob suam pietatem punit citra condignum, mandat sanctis suis duplicare duplicia Babylonis.

75 VOx divina clamat suis sanctis: *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis; & duplicate duplicia secundùm opera ejus.* Ipsa Babylon reddidit vobis malum pro bono, vos illi reddite malum pro malo. Malum pro bono nunquam reddi debet, nec reddi justè potest: bonum pro malo reddere ad virtutem charitatis spectat, ut simus filii Patris cœlestis, *qui Solem suum facit oriri super bonos, & malos*; malum pro malo reddere pertinet ad justitiam, & ad commeritam ultionem, & maximè quando tempus vindictæ est, & non fit ex proprio judicio, sed ex Dei nutu; nunc ergo, quia tempus vindictæ est juxta divinam sententiam statutum: *Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis*; & in hoc sensu dicebat David Ps.78. nu.12. *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum*; ac si diceret calamitatis nostræ auctoribus: Ultionem perfectam redde, quæ septenario numero significatur, ut tua justitia cunctis fiat evidens; & quod dicitur ultio septuplum, hìc dicitur duplex, id est, perfecta ultio animæ, & corporis, de qua fortè agens Isaias 40. n.2. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.*

76 Secundò quomodo mandatur sanctis: *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis*; cùm à Domino præceptum sit Matth.5. n.44. *Benefacite his, qui oderunt vos; orate pro persequentibus, & calumniantibus vos?* Ex dictis in expositione jam patet responsio, quod hoc Domini præceptum militat in hoc sæculo, non verò in futuro, quia tunc non est tempus misericordiæ, sed justitiæ, quando nemo ex sinistra poterit transire ad dexteram, & urget divinum judicium, ut unusquisque referat, prout gessit in corpore suo. Joachimus Abbas: *Sciendum*, ait, *quòd non semper præcipit Dominus orare pro inimicis, maximè si sunt inimici Dei, sed pro tempore, & ad tempus, hoc est usque ad tempus statutum, in quo post diem pœnitentiæ, sequitur dies judicii, & tempus sanctorum, in quo incipiet Dominus judicare Mundum, & reddere unicuique secundùm opera sua. Oramus quidem pro impiis, & iniquis, quandiu spes est, ut converti queant; quando autem iniquitas impiorum pervenit usque ad cœlum, certum est, quod egressa sententia velit Deus justus auferre malum de terra.*

Orādi pro inimicis statutum est tēpus

77 Tertiò divina vox intonat: *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis.* Et quomodo hoc cohæret cum Domini præcepto proximè citato? Matth.5. *Benefacite his;*

his; qui oderunt vos. Quandiu sancti sunt in hoc sæculo ex charitate debent orare pro fratribus, at verò in altero sæculo, jam à Deo constituti judices ad ulciscendum divinam iniuriam, jam non debent moveri ex pio aliquo affectu, sed prout ipsa justitiæ æquitas, ac ratio postulat, & exigit; & maximè hoc ad vindicandam, & ulciscendam iniuriam Deo illatam. Judex sine affectu agat maximè vindicanda Dei injuriam.

78 Ansbertus: *Dicitur ergo; Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis; ac si diceretur: Vindicate in illam meam injuriam, sicut & illa fecit in vobis*; & Glossa: *Sicut vindictam meam de vobis, qui purgamini exercuit, sic iniuriam meam vos vindicate in illis.*

Quartò: *Reddite illi, & duplicate duplicia*; seu, ut legit D. Ambr. *Supplicia*; quid est, quod Dominus, qui non punit ultra condignum mandat suis sanctis: *Reddite Babyloniæ, & duplicate duplicia?* quomodo hæc possunt stare? in quo ipsa supplicia sunt duplicia? Ipsa pœna Inferni, unum supplicium, ac tormentum est, alterum verò est, quod ab ipsis sanctis martyribus, quos ipsi tyranni condemnaverunt, & morte affecerunt, pœnam æternæ condemnationis sustineant: durissimum sanè tormentum ab illo pœnam, & vexationem sustinere, quem tu aliquando contemnendo afflixisti, ac multis diris flagellis es persecutus. Favet Rupert. & ait: *Reddite illi, sicut illa reddidit vobis, id est, condemnate illam, sicut illa condemnavit sanguinem vestrum innocentem. Parum erat dixisse, sicut ipsa reddidit vobis, nisi addidisset, protinus, ei duplicate duplicia secundùm opera ejus; constat enim, quia dum hæc sanctos persequitur, & martyres Jesu, tantum corpus occidit, & post hæc non habet quid faciat, ipsi autem potestatem hanc in judicio cum Domino Jesu habent, ut corpus, & animam mittant in gehennam.* Richard. Victor. *Quæ vobis temporale intulit tormentum, vobis judicantibus sustineat æternum.* Ait Paulus 1.Corinth.6.n.3. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus.* Angelos malos, seu dæmones interpretantur D.Chrysostom. Theodoret. Theophyl. D. Anselm. sæva, ac dura pœna dæmonum à sanctis Apostolis judicari, ac condemnari, quos ipsi aliquando per sua membra, tyrannos scilicet judicarunt, ac ad mortem condemnarunt. Dura pœna judicari, ac condemnari ab eo, quē tu judicasti ac condemnasti.

79 Quintò: *Reddite illi duplicata duplicia secundùm opera ejus*; & quomodo benignus Deus mandat dare duplicia? an supplicium erit duplo majus delicto? Absit hoc à Dei misericordia, & justitia, qui punit citra condignum; dicit tamen duplicia, quia quamvis sit idem malum, quod ipsa intulerat, & licèt in se non sit majus, cum sit idem, tamen pati idem malum, quod tu intulisti, duplo amarius, & acerbius tibi videbitur; quod ferè eisdem verbis habet Tertull.lib. 2. in Marcion.& ait: *Nihil amarius, quàm id ipsum pati, quod feceris aliis.* Amarissimè sustinetur malum, quod tu aliis causasti, ut jam non sit idem malum, sed duplo majus, & acerbius. Tormentū quod aliis intulisti sustinere durissimū.

80 Confirmatur: Cavet lex adversùs falsum testem, Deut.19.n.19. *Reddent ei, sicut fratri suo facere cogitavit, & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant. Non miserebéris ejus, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Non aliud malum criminoso imponit lex, nisi idem, quod ipse intulit, ut cæteri hoc audientes deterreantur; sed sanè magis deterrerentur homines à tam pestifero malo, si pœna duplo, aut quadruplo major constitueretur; cur ergo ordinavit Deus non duplo majus, sed idem prorsus malum inferre? Sanè nil duriùs, & acerbiùs hominem affligit, quàm dum compellitur pati eadem ipsa mala, quæ ipse aliis intulit, ac cogitur eadem pœna vexari, qua alios lætabundus compressit. Damnum aliis illatū pati valde amarum.

81 Sextò ex Dei mandato clamat Angelus contra Babyloniam ad sanctos: *Reddite illi, sicut & illa reddidit vobis, & duplicate duplicia.* Babylonia mandaverat sanctos spoliari, ferreisque catenis opprimi, tenebroso carcere sepeliri, insuper & mille tormentis interfici; quomodo hæc duplo majora reddi possunt? Et augetur difficultas, quia cum dicitur: *Quantum glorificavit se in deliciis, tantum date illi tormentum.* De pœnis temporalibus interpretantur multi, quod probabilius existimat la Haye, ibi in expositione; si ergo Babylonia dæmonis arte durissimos cruciatus in SS. martyres intulit, quomodo hæc in duplo majora sunt reddenda? Planè cum sanctis bona temporalia eripiebantur, & simul etiam lux, & libertas, & vita; dum illis tamen Deus suus non eripiebatur, ad quem se recipiebant, & quo solo contenti erant, hæc omnia mala simplicia, & levia erant. Babyloniæ autem, ac gentibus sanctos persequentibus, inde duplicabantur mala, quòd cum perditione bonorum temporalium, simul Deorum suorum simulachra eorum refugium perdebant; cùm enim Deos suos perdebant, in quibus eorum falsa spes nitebatur, inde eorum calamitas dupla, & summa erat. Ait D.Aug. in Psal.149. *Babyloniæ redditur duplum; sic enim de illa scriptum est: Reddite illi duplum, ad quod fecit. Quomodo illi duplum redditur? Illa quidem poterat persequi christianos; carnem occidebat, Deum non confringebat. Modò illi duplum redditur, & pagani extinguuntur, & idola franguntur.* Fideles hoc magnum solatium in suis calamitatibus habebant, quod si omnia illis eripiebantur, Deus suus cum illis erat, at gentes talem hostem habebant, qui & bona illorum, & Deos perderet, quorum præsidio destituti, nullum solamen habebant, ad quod respicerent: *Pagani extinguuntur, & idola franguntur.* Summæ omnium calamitas, quod Deus perdatur.

Ait Joan.1.n.11. de filio Dei loquens: *In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Duo hominum genera numerat, & recipientium eum, & non recipientium; cum de recipientibus loquitur, simul eorum præmium designat dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*; cùm autem de non recipientibus verba facit, nullum exprimit illorum supplicium; tantùm dicit: *Sui eum non receperunt*; an qui accipientes munerat, non recipientes minimè castigat, nec contristat? cur nulla illorum pœna exprimitur? Sanè magna illorum pœna est, quòd non numerentur inter Dei filios, nec ad ejus domesticos pertineant, & quod à Dei consortio sint excluſi, ab ejusque numine destituti. D.Chrysost. hom.9. in Joan.ait: *Quid non dicis nobis Joannes eorum etiam supplicium, qui eum non receperunt, sed tantùm, quòd sui erant? In propria venit, à suis minimè receptus est. Quod autem ex hoc eis supplicium maneat, silentio præteristi; quanam igitur gratia id subticuisti? Et quodnam majus supplicium esse posset, quàm si in eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolint, sed sponte sua, tanta se nobilitate, tanto se honore indignos efficiant?* Hoc sanè maximum supplicium est, & pœna gravissima, quòd qui poteras esse inter consortes Dei, sic relinquaris à Deo, sicque despiciaris ab illo, ac si nullo modo ad ejus curam pertineas. 82 Grandis pœna, quòd homo Deū nō habeat.

Exaggerans Dominus calamitatem judeorum post mortem Jesu, ait Zachar.12.n.10. *Et planctu plangent eum quasi super unigenitum.* Planctus super unigenitum expers est omnis consolationis, cùm enim multi sunt filii, si unus moriatur, in aliis parentes habent consolationem, & levamen, at in morte unigeniti, nulla restat consolatio; judæis unicus erat Salvator, & dux, quem ipsi ex malitia sua perdiderunt, & inde summus eorum dolor absque ulla consolatione, utpote qui Deum, quem sperabant, quem omni affectu respiciebant, perdiderunt. Rupert. ibi ait: *Illud edici non valet, satis excogitari non potest, quàm sit infelicissimum amisisse Salvatorem unicum, & unigenitum, ita ut jam nec ipsum liceat sperare, nec alium.* In aliis devastationibus, & si patria, libertas, & templum judæis eripiebatur, tamen semper illis manebat Deus, ut propugnator, nempe Christus, ad cujus spem, & protectionem confugiebant; at in ultima calamitate perdidit Christum Synagoga cum civitate, regno, templo, ac reliquis bonis, & jam ulteriùs non habet ad quem se recipiat, dum in sua perfidia manet, quod malum illi summum est omnium. 83 Dolor inconsolabilis Deum amittere.

QUÆSTIO X.

Quare Babyloniæ mandatur dari tantum tormentum, quantum fuit glorificatio ejus in deliciis.

Ait textus: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Glorificant 84

se mali, nam boni glorificant Deum, sed mali glorificant se, ad ignominiam, & tormentum, cum prolata sententia sit, quæ mutari non potest: *Quantum se glorificavit, tantum date illi tormentum.* An verò hìc sit sermo de tormento, ac pœna temporali, vel æterna, lis est apud auctores; aliqui, ut etiam la Haye probabilius tenent quod sit sermo de pœna temporali, ipsius Babyloniæ, ac si diceretur: Secundùm quod fuit in delitiis inde judicate, ac coniicite, quanto supplicio digna sit. Tamen alii, ut Tirinus, quod mihi est verisimilius, de pœna temporali, & æterna interpretantur; & maximè consequenter ad dicta superiori versu: *Duplicate duplicia*; & tunc accipiendum est tormentum non de æquali, sed proportionali mensura, ac si dicatur: Tantum date illi tormentum, quantum commeruit suis delitiis, quæ fuerunt maximæ; pœna enim inferni longè major est delitiis hujus vitæ, proportionaliter illis respondet, ut minor sit minoribus, major majoribus, nam quamvis in Inferno nullus sit ordo, sed sempiternus horror inhabitet, tamen pœnæ ordinantur, ut peccatis correspondentes, cùm sint determinatæ ex judicio divino, ac ejus prolata sententia.

85 Pro quo eleganter facit illud Sap. 11. n. 21. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*; ubi sermo est ad liter. de pœna illata Ægyptiis juxta communem sententiam, ut observat Cornelius ibi, ac proinde sub typo Ægyptiorum agitur etiam de pœna nostrorum peccatorum, proinde prædicta verba sic explicat D. Bonav. *Punit in mensura, non plusquam exigat culpæ quantitas, in numero quàm multiplicitas, in pondere, non plus quam peccati ferat conditio, sive qualitas*; quæ altiùs sunt examinanda. In peccatis tria possunt considerari, eorum nempe quantitas durationis, ac temporis, eorum multitudo, ac multiplicatio, eorumque gravitas, ac deformitas; in pœnis ergo peccatorum inferendis omnia Deus disponit summa æquitate, ac sapientia; in mensura juxta earum durationem, ac perexistentiam temporis; in numero, juxta multitudinem delictorum, ac criminum; in pondere juxta gravitatem, ac deformitatem eorum, undè rectè ait D. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 172. *Purum quidem, ut opinor, Dei judicium est, temperatur autem juxta scelerum quantitatem, & qualitatem. Hoc enim maximè spectat, quod à Psalmista dicitur 74. n. 4. Calix in manu Domini plenus misto*; legit Philo lib. *Quòd Deus sit immutabilis, plenus temperamento*. Maximam mensuram habet divina providentia in suppliciis peccatorum, cum ipsismet peccatis, ut *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum.*

Deus punit cum mensura, ac proportione ad delicta.

86 Imò tanta est divina benignitas, ut non puniat juxta condignitatem peccatorum, sed etiam citra condignum, & tam parca manu se habet in puniendo, ut de pœnarùm rigore, ac pondere semper aliquid minuat. Pro quo optimè facit Psal. 10. n. 6. *Pluet super peccatores laqueos; ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*; legit Chald. *Pluet laqueos vindictæ ignis, & sulphuris.* Et ait: *Pars calicis eorum.* Calix ponitur pro mensura; & ut optimè notant D. August. noster Incognit. & alii; non ait: Calix, seu mensura eorum, sed, *pars calicis eorum*, quia Deus semper punit citra condignum, & ideo non effundit totum calicem supplicio rum ignis, & sulphuris, ut nostra delicta promerentur, sed tantùm partem calicis, aliam subtrahendo, & ex sua benignitate diminuendo.

Deus non punit ad mensuram, sed citra condignū.

87 Tamen inquires, quomodo Deus puniat cum mensura ad nostra delicta, imo citra condignum, cum peccatum sit brevissimum, pœna verò quomodo justè potest esse æterna, & perpetua? Certum de fide est, quod pœna Inferni sit æterna; Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum*; & 18. *Quàm duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Ratio à priori hujus rei est lex divinæ justitiæ severè prohibentis peccatum mortale sub hac pœna, ut docet D. Aug. lib. de fide contra Manich. c. 19. sicut & justis pro merito temporali dat præmium æternum. Congruentiæ autem hujus rei optimæ sunt, & prima est ex Divus Augustinus epist. 49. quæst. 4. ex Divus Gregorius 4. Dialogorum capit 44. & hanc affignat Divus Thomas 1. 2. quæst. 87. artic. 4. Culpa, ac malitia peccati est irreparabilis viribus naturæ, & solùm interventu gratiæ Dei potest auferri: ergo cùm in damnatis non detur gratia Dei, manet, & perseverat ipsa malitia, & culpa peccati in æternum; ergo & in æternum debet perseverare, & pœna, quæ debet esse proportionata cum culpa. Secundò: Quandiu aliquis non satisfacit iniuriæ commissæ, semper est pœnæ dignus, & consequenter justè puniri potest; peccator autem nunquam plenè satisfacit peccato mortali, quod est contra Deum infinitæ dignitatis, ut docet Div. Chrysost. homil. 25. ad Rom. & hom. 9. in 1. Cor. ergo debet puniri infinitè, id est, per æternitatem, ut latè docent Theologi cum D. Th. cit. loc. Suar. in 1. 2. disp. 7. de peccatis, sect. 3. n. 5. nostrum Collegium Salmanticense 1. 2. q. 87. tract. 13. de peccatis disp. 17. n. 69. Montesin. disp. 17. n. 29.

Justissima est pœna peccati æterna.

Justissima est pœna, quæ pro peccatis infertur, ita 88
ut major pœna correspondeat majoribus, minor minoribus. Ad hoc respiciens Amos, 6. n. 12. ait: *Ecce Dominus mandabit, & percutiet domum majorem ruinis, & domum minorem scissionibus.* Facit Propheta mentionem de domo majori, & minori; per domum minorem intelligit Regnum Juda, quod ex duabus Tribubus constabat; per domum verò majorem accipit Regnum Israel, quod ferè decem tribubus constabat; & minatur Dominus, quod regnum Israel percutiet ruinis, regnum verò Juda scissionibus; ruinam autem cùm dicat totalem domus destructionem, multò gravior pœna est, quàm scissio, quæ solùm dicit rupturam domus; undè hujusmodi regnis tam dispar pœna imponitur? Israel peccaverat peccato grandi idololatriæ, spernens Dei cultum, ut adoraret vitulos aureos, quos fecerat Jeroboam, at Juda apud se habebat templum Domini, illiusque cultum; ergo Israel haberet majora peccata, quàm Juda, inde graviori pœna punitur, ac multatur. Rupert. lib. 3. in Amos sic ait: *Hoc in percussione domus utriusque notandum, quòd majorem ruinis, minorem verò scissionibus puniendam fore dicit; nam Israel, quia majora peccaverat, feritur ruinis, domus autem Juda, in qua erat templum, & quia minora peccaverat, non ruinis percutitur, sed scissionibus.*

Majora peccata majoribus pœnis castigantur.

Scribens Paulus 1. Cor. 11. n. 22. ait: *Nunquid domos* 89
non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? quid dicam vobis? laudo vos, in hoc non laudo. Alludit Apostolus ad consuetudinem, quæ suo tempore vigebat, qua in symbolum christianæ charitatis, fideles instituebant cœnam, ac mensam communem pauperibus, ac divitibus, tamen apud aliquos divites friguit charitas, ut non vocatis pauperibus suas peculiares mensas instituerent usque ad ebrietatem, & ideo Apostolus dixerat: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Hoc in præsenti taxat Apostolus, tamen valde modestis verbis: *Laudo vos, in hoc non laudo.* Et si in aliis operibus christianæ religionis digni laude sitis, non tamen in hoc quod pauperes non habeatis ad mensam. Aliter verò durè, & asperè in eos invehitur 1. Cor. 3. n. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*; id est: Nescitis, quod vos estis Dei templum, in quo Spiritus S. habitat, & tamen non timetis corrumpere incæstu, ut interpretatur Chrysost. vel falsa, & erronea doctrina? & inde tanti criminis rei facti estis, ac ille qui contemnit, & prophanat Dei templum, quem Deus disperdet, & destruet igne, & pœna æterna; cur ergo Doctor gentium, divites, qui non vocant pauperes ad mensam, tam lene, ac mansuetè reprehendit? *Laudo vos, in hoc non laudo*; at verò eum, qui incæstu, vel erronea doctrina laborat tam rigidè, ac severè objurgat? *Disperdet illum Deus.* Magnus Paulus, ubi majus est peccatum, ibi districto gladio, extremam infligit pœnam: *Disperdet illum Deus*; contentus tamen minores culpas solis verbis castigare. D. Chrysostom. homil. 3. de verbis Isaiæ ait: *Nec quivis lapsus eandem affert ruinam, sed quædam peccata condemnatione tantùm obnoxia sunt, quædam gravissimo supplicio puniuntur. Proinde Paulus increpans eos, qui communibus cœnis non excipiebant fratres, ita loquitur: Hoc denuncians, non laudo. Vides peccatum intra reprehensionem con-*

Inæqualia peccata inæqualibus suppliciis punienda.

consistere, nec aliud habens supplicium, quàm probrum objurgationis; at ubi de incæstu loquitur, non item; sed quo pacto? Si quis templum Dei violat, disperdet hunc Deus; hìc non est probrum, aut reprehensio, sed pœna gravissima. Inæqualitas peccatorum inæqualitatem pœnarum extorquet: vide supra, c.14. q.23. nu.210. & seqq. & c.15. q.19. n.159.

QUÆSTIO XI.

Quare meretrix Babylon tam rigidè damnatur ut dicatur: In poculo, quo miscuit, miscete duplum; quantum se glorificavit, tantum date illi tormentum.

90 PEccata catenatim veniunt; mulier hæc sedebat super bestiam coccineam ob suam crudelitatem, & plenam nominibus blasphemiæ, ut patet ex superiori c.vers.4. & meretrix impudica erat, ut eodem c.17.n.1. dicitur, nunc notatur ejus vanitas, ac superbia, cùm dicitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit;* dicens: *Sedeo Regina.* Ecce cur misera meretrix in tot supplicia trahitur; quia simul cum suis fornicationibus adjunxerat vanissimum superbiæ faltum, ut notat Rupert. lib.19. in Apoc. & ait: *Summa reatus ejus nota, ut peccati ejus interminabilis sit superbia ejus, quia videlicet non utcunque peccat, aut fornicatur, sed in peccatis, & fornicationibus suis gloriatur, sive glorificat se;* undè subdit: *Quia in corde suo dicit; Sedeo Regina &c. ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames.* D.Ambr. *Quantum glorificavit se, & per superbiam erexit, & in omnibus vitiis se implicavit, tanta & ampliora tormenta excipiet.* In lasciviæ fœcibus volutata, regios alebat fastus, & de voluptatum lascivarum delitiis, quarum mancipium erat, sic supra modum gloriabatur, ut vellet inde quasi regina [illegible]ari. Maximè inter se confederantur lascivia, & superbia, quæ illi validissimum traxerunt supplicium: vide quæ dixi to.1. in Apoc. c.9.q.21. n.200. 207.

Lascivia & superbia confederantur, & magnum supplicium generant.

91 Secundò: *Quantum glorificavit se, & in delitiis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Tormentum respondet glorificationi, luctus autem deliciis, undè meritò dixit noster D. Cyrill. Alex. in c.3. Amos: *Desinunt in lachrymas deliciæ, quæ eò amariores, quò dulciores videbantur;* undè merito à multis notatur, quod eadem vox hebraica, & delicias, & lachrymas significat, hæc enim indissolubili vinculo connectuntur, & deliciæ lachrymas pariunt.

Deliciæ lachrymas pariunt.

92 Tertiò: *Quantum glorificavit se;* seu ut alii legunt, *exaltavit se;* seu ut legit Aretas, *lasciviit;* nempe publicè, ac patenter sine verecundia coram omnibus, erat enim magna meretrix. Quid? an impunita manebit? *Date illi tormentum, & luctum.* Evolat divinus furor in vindictam eorum, qui in suis abominationibus non verentur oculos humanos, sed impudicè in omnium oculis peccant; quod probat Philo lib.1. de vita Moysis, qui sermonem agens de Phinees, pugione unum ex principibus Israelis, & Madianitidem publicæ rei veneream operam dantes interficiente, Num.25. n.7. sic ait Philo: *Conspicatus Phinees quendam suæ gentis hominem post prophanà sacra ad meretricem ingredi, non furtim, ut mos est verecundis scortatoribus, sed propalam, erecta cervice ostentantem impudenter multitudini suam turpitudinem, nec minùs sibi placentem, quàm in aliquo præclaro facinore, admodum exasperatus, & ira juxta repletus invasit jacentem in complexu adamatæ meretricis, & utrunque peremit.* Divina fortitudine corroboratus ex alto, non dissimulat, sed publicè peccantes impudicè severissimè castigat.

Qui invercundè, ac publicè peccat, statim punitur.

93 Quarto: *In poculo, quo miscuit, miscete illi duplum;* id est, mensuram laborum, ac afflictionum, quas illa vobis propinavit, vos illi in duplum reddite: Sic Deus solet rebellibus suis eadem opponere ad perditionem, quæ illi paraverunt ad peccatum. Apud se statuit Absalon interficere Amnon, & ad hoc parat convivium magnum quasi Regis, ad quod invitavit Amnon, & præcepit pueris suis 2. Reg.13. n.28. *Observate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis: Percutite eum, & interficite. Fecerunt ergo pueri Absalon adversùs Amnon, sicut præceperat eis, & interfecerunt eum;* & cur permittit Deus convivium strui ad Amnonem perdendum? Abner, & Amasa per pacis osculum peremti fuerunt à Joab, ut habetur 2.Reg.3. & 20 cur similiter Amnon non interimitur per pacis osculum? cur ad hunc interficiendum magis convivium paratur? Perpetratus est Amnon execrabile stupri nefas per escas, dum cibos sibi à Thamare inferri disponit, ut habetur eod.c.13.n.14. & sub cibi capiendi specie totum illud grande scelus operatur; qui autem sub cibi specie in Deum armatur, merito à Deo eadem cibi species illi opponitur, ut sub eadem pereat, & moriatur.

Eiusdem armis perit peccator, quibus contra Deum armatur.

Dum ventum est ad quintam plagam, qua Ægyptus percutiebatur à Deo, ait text. *Mortua sunt universa animantia Ægyptiorum*, Exod.9. n.6. & quando non animantia, sed homines peccaverant, cur animantia interficiuntur? cur non potiùs uxores eorum pereunt, vel illorum domus corruunt, sed plaga desævit in animantia? Ægyptii in eam amentiam sunt prolapsi, ut suos Deos, suaque idola sub forma animalium, v.g. tauri, crocodili adorarent, & qui animantia Deo objecerant, ut ei debitum cultum denegarent, meritò divina justitia contra ipsos animantibus armatur in eorum perditionem, ac destructionem, ut qui Deum animantibus offenderant, animantibus puniantur. D. Aug.ser.87. de temp. ait: *Quinto in loco animalium nece, vel pecudum Ægyptus verberatur. Vecordia in hoc arguitur, stultitiaque mortalium, qui tanquam irrationabiliora pecora cultum, & vocabulum Dei imposuerunt figuris non solùm hominum, sed pecorum, undè justo judicio factum est, ut in quibus credebant cultum esse divinum, in iis viderent miseranda supplicia.* In iis, quæ flagitiosè adorabant, manifestè videbant suas diras castigationes: *In quibus credebant cultum esse divinum, in iis viderent miseranda supplicia.* Frequenter in materia peccati ipsum invenitur supplicium.

94

In ipsa materia peccati contra Deū datur supplicium.

QUÆSTIO XII.

Quare hæc meretrix tam vanè promittit stabilitatem in suo fastu, ut dicat: Regina sedeo, vidua non sum, luctum non videbo.

95 GLorianter ait meretrix de se: *Regina sedeo, vidua non sum, luctum non videbo;* de quorum literali sensu egi in expositione. Quomodo ergo hæc mulier sibi perpetuam stabilitatem promittit? *Sedeo Regina;* perpetuaque gaudia sibi spondet? *Vidua non sum, luctum non videbo.* Ut liberiùs, ac licentiùs peccet, ac deliciis indulgeat; & cum quotidie habeat aliarum mortem ante oculos, tamen falsa spe se ipsam decipit, ut falsis cogitationibus, ac fabulosis considerationibus perennem vitam sibi polliceatur. Hoc est hominum iniquorum votum, futura tormenta, ac imminentem mortem à memoria abiicere, ut liberiùs delinquant; quę omnia eleganter expendit in præsenti D.Ambr. & ait: *Luctum non se esse visuram dixit, quia impii, quamvis sciant se proscelleribus suis esse puniendos, fingunt se non videre, quod vident, memoriamque mortis à mente reiiciunt, ne tristis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet; ideo in una die venient plagæ ejus.*

Impii memoriam mortis abiiciunt, ut liberius peccent.

96 Ad quod similiter spectans Isa.47.n.8. dum in persona Babyloniæ loquitur, ait: *Ego sum, & non est præter me amplius. Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi hæc duo subitò in die una, sterilitas, & viduitas. Universa venerunt super te propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiem incantatorum tuorum vehementem.* Maximè laborant Interpretes, quænam fuerit ista vehemens duritia incantatorum, quæ sic Babylonem tenebat, ut se solam jactanter existimaret: *Ego sum, & præter me non est amplius;* & hoc cum multa felicitate sine viduitate, ac sterilitate: *Non sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem;* undè illi tam vehemens tentatio? Ubi mortis oblivio in animo Babyloniæ insita erat, inde manifestè apparet illius vehemens incantatio, quæ generat duritiem cordis, & producit animos lapideos ad Dei obsequium, ita ut ea, quæ salutis sunt non valeat percipere.

Delicia incantatur impios ad lethalius peccandū.

97 Secundò quid hæc misera meretrix dicebat: *Sedeo Regina?* In mea nempe regali dignitate firmiter sto, à qua dimoveri non potero: *Vidua non sum;* quia non

sum expers consolationis, magnam enim in rebus mundialibus habeo : *Luctum non videbo ;* mortem nempe, ac damnationem, quæ mihi in Scripturis minatur; & undè hæc fertur in tantam dementiam? Hæc est impiorum depravata cæcitas, qui ita suis divitiis, honoribus, ac deliciis insaniunt, ac incantantur, ut sibi persuadeant se in illis perenniter perpetuari, & nunquam ab eis dimoveri posse. Rich. Vict. ait: *Superbientes etiam, & divitiis affluentes mali, qui honoribus fulgent, qui mundanis delectabiliter inhærent, tantis nonnunquam tenebris obcæcantur, ut prosperis expoliari, vel diversis fatigari minimè formident.*

Cæcitas impiorum, dum stabilitatem cogitant in mundanis.

98 Tertiò quomodo hæc meretrix de se jactabunda ait: *Sedeo Regina, vidua non sum; luctum non videbo*; cùm de ea divina sententia promulgatum sit: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum?* Non mirum, qui enim vanè se jactant, vanasque cogitationes concipiunt, dum talia cogitant, illicò corruunt, & pereunt, & nullam habent firmitatem in suis cogitationibus, nisi tantùm, quòd per illas firma, & stabilia tormenta in æternum sibi comparent. Andreas Cæsarien. *Mos est iis*, ait, *qui in voluptate, & gaudio vitam transigunt, nisi forsan divinus timor ipsos coerceat, atque contineat, dicere: Non movebor in æternum; quod & ipsa mulier dixit, & pollicetur vanè*; & D. Thom. *Sedeo, id est, stabilis permaneo, inquam, Regina, quasi dicat in potestate, & dignitate honoris, à qua nunquam movebor; hoc habet locum in perversis existentibus in honore, cùm tamen dicatur* Eccl. 10. *Omnis potentatus brevis vita.*

Qui gloriantur se jactant, corruunt.

99 Quartò ait mulier: *Sedeo Regina, luctum non videbo, vidua non sum.* Tria de se dicit mulier, quibus se maximè sollicitam ostendit, de sua regalis dignitatis firmitate, vitæ perennitate, ac perdurationè suarum rerum, ac divitiarum; quæ tria maximè impellunt homines in peccata, eosque tanquam compedes illaqueant, ut ab illis minimè mundani se expediant. Albertus Magnus: *Nota, quòd ista faciunt homines remanere in peccatis*; scilicet honoris conservatio: *Propter hoc dicit: Regina sedeo*; vitæ longioris conservatio: *Vidua non sum*; suæ propriæ prosperitatis conservatio: *Luctum non videbo.*

Tria homines detinet in peccatis.

100 Quintò hæc meretrix tota gaudiis profusa dicebat: *Vidua non sum, luctum non videbo.* O fatua, & stulta mulier, quæ in mundanis gaudiis, ac lætitiis sibi stabilitatem, ac firmitatem promittit! cùm nihil magis certum reperiatur, quàm quòd humanam lætitiam mœror, & luctus sequatur, undè ait Sapiens Prov. 14. n. 13. *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat*; hoc est juxta Septuaginta, ut explicant Interpretes: In ipsomet risu, ac lætitia impiorum, eos corrodet dolor intrinsecus ex stimulo conscientiæ, & luctus, ac horror mortis, & tristitia, quæ etiam orta ex multis rebus mundanum gaudium occupat, ac tenet. Genuinus peccati fœtus dolor, & luctus.

Peccatum concomitatur dolor, & tristitia.

101 Dum lex Domini in monte Sinai dabatur Exod. 20. n. 17. ait text. *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem.* Vox legis intonabat, & totus mons plenus fumo ostendebatur; & quid portendebat fumus inter verba legis, cùm magis videretur expediens, quòd tunc removendus esset, ut magis claritas legis, ac verborum Dei patesceret? Meritò tamen cùm lex promulgabatur, totus mons fumabat, sicut enim fumum lachrymæ sequuntur, sic & legum transgressores sequuntur semper lachrymæ, & luctus, quem ex tali transgressione percipiunt damnatione æterna. Ait D. Cyrillus Alex. hom. habita in Concilio Ephesino to. 6. c. 5. *Instituabatur per fumum lachrymas omnino iis, qui Dei legem studio contemnerent non defuturas; nec enim corporeus oculus in fumo lachrymari non potest.* Ubi est peccatum, statim ibi est luctus, & larga lachrymarum vena, quam in legis transgressoribus mons ipse insensibilis indicabat.

Peccatum parit luctum & dolorem.

102 Ait David Ps. 79. n. 5. *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui? Cibabis nos pane lachrymarum.* Introducitur Deus à Propheta maximè iratus super peccata, ita ut orationem videatur reijcere, exauditionemque differre ad ipsa peccata condonanda; & quid tunc subdit? *Cibabis nos pane lachrymarum.* Sicut quotidianus est panis, sic & quotidianus est usus lachrymarum, quandiu durat peccatum, & homo peccato non caret; sic & Angelus, qui non peccavit, & homo in statu innocentiæ lachrymarum expertes fuerunt, nam lachrymæ, & luctus per peccatum introductæ sunt, ideo ait Abbas Cellens. c. 12. de panibus: *Non semper, non ubique, & non ab omnibus manditur iste panis lachrymarum, nam Angelus, qui non peccavit, & Adam priusquam peccaverat, panem istum non manducavit. De fonte igitur peccatorum vena exilivit omnium lachrymarum.* Ante peccatum non fuerunt lachrymæ; ubi autem peccatum in Mundo prodivit, statim luctus, & lachrymarum imbres emanarunt.

Comes peccati lachrymarū imbres.

Apoc. 18. *n.* 8. Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui judicabit illam.

VERSIONES.

Syriac. n. 8. Quoniam in uno die venient hæ plagæ ejus, mors, & mœror.

S. Cypr. Oecum. Propterea una hora advenient plagæ ejus.

S. Prosp. Fames, & luctus advenerunt, & ipsa igne cremabitur.

S. August. Igne concremabitur, quia fortis est Dominus Deus.

Arabicus. Qui judicabit illam, validus est.

Vatabl. Qui judicavit illam.

EXPOSITIO.

IDeo *in una die*; seu ut alii legunt: *Propterea una hora.* Particula *ideo*, seu *propterea*, ostendit proximam causam tantæ ruinæ futuram, illius nempe superbiam, & effrænem præsumptionem, qua antea immediatè dixerat: *Sedeo Regina*; *vidua non sum*; *luctum non videbo*; nam etsi multæ aliæ causæ commemoratæ sint, tamen ultima, & immediata totius ruinæ superbia extitit, ut repentè, & ex improviso, tam ingens calamitas, una nempe die eam apprehenderit. 103

Superbia totius ruinæ causa.

Venient plagæ ejus; tam in hoc sæculo, quàm futuro, ut ait Gagnæus; in futuro venient subitò *mors* æternæ damnationis, *luctus* amissæ beatitudinis, *fames* illius recuperandæ, *& igne comburetur*, scil. æterno, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus; & etiam temporaliter, ut explicant Menoch. la Haye, Ferrar. subitò venient plagæ ejus à Deo determinatæ; *mors*, quia plurimi in ea occidentur bello; *luctus*, quo superstites lugebunt occisos; *fames*, qua opprimetur; & denique tota ipsa civitas *igne cremabitur*; proindeque alios Babylonis cives tanget mors, alios luctus, alios fames, tamen tota ipsa civitas flammis devorabitur. 104

Quia fortis est Deus in exequendis decretis suæ divinæ sapientiæ; *fortis*, in exequenda ultione suæ justitiæ; *fortis*, in magnitudine suæ omnipotentiæ, quia tam citò, breviter, & ex improviso tot, & tantis cruciatibus poterit miseros reprobos condemnare, ac damnare. Rupert. Abb. *Nec verò sententia dubitabilis est, quin certum debeat habere effectum, quia fortis inquit est Deus, qui judicabit illam, & semel voce, vel scripto prolatam non impotens est adimplere sententiam*; unde rectè dicitur à Salomone Proverb. 6. n. 34. *Zelus, & furor viri*, idest, Christi, *non parcet in die vindictæ*, nec acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima. 105

Deus in die ultionis non parcet.

QUÆSTIO XIII.

Quare Ninive dantur quadraginta dierum inducie, Babyloniæ verò una tantùm dies assignatur; & obiter agitur de pœna divitis in nocte.

ALit noster text. de Babylonia: *In una die venient plagæ ejus*; quod maximè claritatem accipit exponderatione D. Gregorii lib. 3. in 1. Reg. ad illa verba 106

1. Reg.

1. Reg. 2. n. 24. ubi de Ophni, & Phinees dicitur: *In uno die ambo morientur*; sic eleganter ait S. Doctor: *Quia in appetitu mundanæ fœlicitatis intereunt gloria sæcularis, honoris reverentia, potestas culminis, claritas dignitatis, frequentia obsequentium, affluentia rerum sæcularium, ita dies est, & sed dies, quæ interficit.* In uno die morientur ambo; & cur potiùs in die, quàm in nocte? In appetitu mundanæ fœlicitatis dies eis inserviebat ad ostentationem suæ gloriæ, honoris, ac dignitatis, ad ostentationemque reverentiæ, qua à cunctis prosequebantur, ad ostentationemque obsequentium famulorum, ad ostentationemque rerum temporalium; dies ergo, quæ inserviebat ad tot, & tantas vanas ostentationes, quæ animam interimunt, inserviat etiã ad mortem, & interitum corporis. Sic & Diviti avaro dictum est: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, Luc. 12. n. 20. & cur potiùs nox, quàm dies ei assignatur in supplicium? Nocte vanas, ac arrogantes cogitationes jactabat, ut hac quæstione ex D. Gregorio dicam: *Anima habes multa bona in annos plurimos*; inde etiam meritò nocte punitur. Hæc est divina justitia, ut id, quod inservit ad culpam, sit etiam ad pœnam: vide supra, q. 11. n. 93. 94.

Quod inservit ad culpam, inservit ad pœnam.

107 Quæstio præsens est: Quare Babyloniæ una tantùm dies induciarum datur: *In una die venient plagæ ejus*; cùm Ninive quadraginta dentur? *Ingrediens Ninivem clamabat Jonas 3. num. 4. Adhuc quadraginta dies sunt, & Ninive subvertetur.* Extremam civitatis subversionem post quadraginta dies futuram proponit; cur huic quadraginta dies ad spatium dantur, illi verò una tantùm dies? utraque peccatrix erat, utraque sceleribus plena, utrique calamitas ob peccata imminebat; cur ergo quadraginta dies induciarum Ninive dantur, Babyloni verò una tantùm?

Difficultas quæstionis.

108 Respondeo primò, quòd iniquitas Babylonis jam consummata erat, & adimpleta mensura illius iniquitatum, juxta quod dixit Christus D. Matth. 23. de quo egi qu. 8. n. 64. & ideo ei non assignatur locus pœnitentiæ, at Ninive cum nondum esset completa illius iniquitas, dantur dies, quibus posset à se repellere peccatorum mala, & ideo illi tot dies conceduntur, non enim una, vel altera, sed longi temporis diligentiis regulariter solent depelli mala, quæ à peccatorum fonte nascuntur, ut observat D. August. ad cit. loc. Jonæ in Gloss. *De Ninivitis apud Jonam Prophetam scriptum perhibetur: Quadraginta dies, & Ninive subvertetur; ut per tot dies accommodatos humiliationi peccantium, intelligatur in jejuniis sua deflevisse peccata, & impetrasse misericordiam Dei.* Plures virtutum actiones exiguntur, ut à peccatorum onere, ac macula mundemur, ac liberemur.

Multiplex diligentia necessaria, ut depellatur peccati malum.

109 Et confirmatur: Venienti ad se Naamano leproso, ait Elisæus: *Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua*, 4. Reg. 5. num. 10. Bene habet, quod ad lavacrum Jordanis mittatur; cur septies lavari jubet, cùm tamen Jesus, in cujus virtute Elisæus operabatur, mittens cæcum ad lavacrum, tantùm ait ei: *Vade, & lavare in Natatoria Siloe?* Joan. 9. n. 7. non dixit lava septies, sed tantùm lava, ac si uno lavacro mundari sat esset; cur autem disposuit Naaman septies, cæcum autem semel tantùm lavari? Ipse Dominus quæstionem solvit de cæco dicens: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, ut cæcus nasceretur.* Cæcitas hujus hominis non ex peccato proveniebat, & ideo non mirum, quod facilè illum Dominus curare voluerit; lepra autem Naamani saltem typus erat pœnarum, quæ in peccatis fundantur, ideo pluribus, ac majoribus debuit curari; de quo loquens Tertull. lib. 4. in Marcion. ait: *Syro facilius emundato, significat per majores emundationes in Christo, quæ septem maculis delictorum capitalium inhærent; quapropter septies quasi per singulos titulos in Jordane lavit.* Ad abluendas maculas, quæ ex peccatis originantur, majus, ac multiplex mandatur lavacrum.

Ad abluendas peccati maculas multiplex lavacrum exigitur.

110 Secundò: *In una die venient plagæ ejus, mors, luctus, &c.* per quæ intelliguntur universitas suppliciorum, & hæc omnia veniunt illi in una die; cùm Ninive ad spatium quadraginta dies concedantur, undè tanta differentia? Babylon magna beneficia ex Dei manu receperat, inter quæ illud erat valde insigne, quod in se habebat Dei populum, ejus nempe electos, ut patet ex vers. 4. *Exite de illa, populc meus*; à quo docebatur, & instruebatur in Dei lege, quem hæc civitas audire contempsit; quo tanto beneficio carebat Ninive ante adventum Prophetæ, cùm non haberet, à quo illuminaretur in lege Dei, ac præceptis ejus, ideo cum hac benignè agitur, illa verò rigidè punita igne crematur. Cùm Deus vellet populum Israel sua lege nobilitare, totus mons Sinai ignitus erat, Exodi 19. nu. 18. *Totus mons Sinai fumabat, eo quòd descendisset Dominus super eum in igne*; cujus rei optimam rationem assignat N. D. Cyrill. Alex. homilia habita in Concil. Ephes. & ait: *Descendit universorum Deus in monte Sinai in specie ignis; & cur, quæso, in specie ignis? Sanè quando illis promulgaturus erat legem, tunc salubriter admodum in ignis specie descendisse visus est; nempe quò hinc transgressores illius intelligerent, rem sibi cum igne fore.* Dum lex à Deo datur, totus mons igne fumabat, & sonus buccinæ paulatim crescebat, ut denotaretur, quòd illi, qui audire legem contempserint, igne perimendi erant.

Qui Dei leges illuminantur, & audire cœperunt punitur.

111 Tertiò Ninive dantur quadraginta dies, super Babyloniam verò una die omnes plagæ veniunt; undè tanta differentia? Ninive peccaverat deliciis, voluptatibus, comessationibus, ac ebrietatibus, at verò peccatum Babyloniæ inter cætera erat superbia, ut apertè patet ex contextu: *In corde suo dicit: Regina sedeo, vidua non sum, luctum non videbo; ideo in una die venient omnes plagæ ejus.* Illa particula, *ideo*, ut dixi in expositione, denotat causam tantorum suppliciorum fuisse illius superbiam, ac arrogantiam; peccata Ninive erant ex quadam fragilitate, ac debilitate humana, inde quandam mitem clementiam sollicitabat, at peccatum Babyloniæ fuit superbia, quæ statim, illico, ac inopinatè ad se advocat omnes plagas, ac verberationes, quibus pereat, ac consumatur; hinc ait David Ps. 72. n. 18. *Dejecisti eos, dum allevarentur.* Expende particulam *dum*; in ipso puncto elevationis dejecti sunt. D. Cyprian. serm. de jejun. & orat. *Peremptoria est altitudo quæsita repente, & quod multis erat partum sudoribus, ambitione irruente, subitò obliteratum est, & turbinis hujus impetu avulsum est.*

Superbia ad se advocat omnes plagas.

112 In quæstionem voco, cur Babylon die punitur? *In una die venient omnes plagæ ejus*; at verò dives avarus nocte castigatur? cur non utroque die, vel nocte? avarus dicebat animæ suæ: *Anima habes multa bona posita in annos plurimos: Requiesce, comede, bibe, epulare*; statim Deus intonat: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te*, Luc. 12. n. 20. & cur contra illum tam dura sententia promulgatur? Nocte enim superbas, ac arrogantes illas cogitationes jactabat, ut benè colligitur ex text. *Hac nocte*; qua illa nempe *dicebat*; & observat D. Greg. lib. 12. Mor. cap. 2. *Eadem nocte*, ait, *sublatus est, qui in rerum sibi abundantia multa tempora fuerat præsolatus*; Babylonia autem in die se superbè glorificabat, ostentans suam majestatem in deliciis, ut dixi in limine quæstionis; inde Avarus, qui nocte vanitatibus se extollebat, nocte punitur, Babylonia verò, quæ die inflata sua potestate apparebat, die etiam castigatur, in ipso enim puncto temporis, sive diei, sive noctis, in quo homo superbè extra se rapitur, in ipsomet puncto inopinatè divina ultio in eum volat, undè D. Chrysost. in Psal. 122. ad illa verba: *Opprobrium abundantibus, & despectio superbis*, ait: *Semper superba cogitantes repentina humilitate obruuntur; nihil enim superbia detestabilius, nihil arrogantia crudelius reperitur.*

In quocunque temporis articulo homo superbe sciat, apprehendit eum ultio divina.

113 De superbissimo Lucifero ait Isaias 14. n. 13. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam; supra astra Dei exaltabo solium meum; sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium; similis ero Altissimo; verumtamen ad infernum detraberis*; ex greco legitur: *Nunc autem ad inferos descendes. Quid est Nunc?* In ipso nempe puncto, quando ascensiones illas meditaris, quando minus cogitas de descensu, totus positus in ascendendo; ut inde fiat evidens, quàm subito, ac inopinatè superbo casus obveniat. D. Cyril. Alex. l. 2. in Isa. sic fatur: *Inopinatis calamitatibus involuta*

Ignominia & confusio calamitas obruit superbum.

volvendum esse ait, qui in malis præter spem, & opinionem versatur. Hoc semper contingit superbo, quod in repentina, & inopinata mala descendat.

QUÆSTIO XIV.

Quare plagæ Babylonis dicuntur mors, luctus, & fames, quæ magis explicantur, cùm mortuo non sit fames, & luctus.

114 IMmediatè antea dicitur de Babylonia, quòd maximè se glorificaverat, & in deliciis erat; & nunc dicitur de ea: *Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, luctus, & fames*; ut inde pœna esset gravior, & calamitas acerbior, utpote contingens in medio deliciarum, ac voluptatum. Job.1.n.13. dicitur: *Cùm quadam die filii, & filiæ ejus comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Job, qui diceret: Boves arabant, & asinæ pascebantur juxta illos, & irruerunt Sabæi*; ex quibus bene colligitur, quòd tunc tota calamitatum tempestas cœpit, quando filii Job comedebant; ex quo eruditè infert Origenes, tunc etiam Jobum in domo sua prandisse, non enim filii ejus prandebant, nisi communi, ac consueta hora; cur ergo dæmon talem horam exploravit? Ut pœna, & plaga inter gaudia immissa esset acerbissima, & recreationis hora tota verteretur in tempus angustiæ, & dolorum Orig.l.1. in Job: *Sic itaque hora prandii manducantibus illis, ac bibentibus, Job sanè in domo sua erat, venit nuntius ad Job. Erat namque Diaboli nequissimi versutia, ut horam prandii observaret, ut prandente illo tristes, ac mortiferos nuntios ad eum mitteret, quò magis fatigaret, & eum interficeret, ut tempore comestionis, & potus, atque jucunditatis, tristes nuntios mittendo, deficere illum justum faceret.*

Acerba calamitas media recreatione, ac gaudio veniens.

115 Ad quæstionem: Plagæ venientes super Babyloniam tres maximè numerantur, mors, luctus, & fames; cur ergo mors ponitur primo loco, cùm nullus mortuus lugeat, & fameścat? ac proinde videbatur dicendum: Venient luctus, fames, & mors, tamen mors ponitur primo loco. Hujus rei rationem literalem jam dedi in expositione. Moraliter verò mors est in prima fronte, & meritò, quia etsi impius in anima mortuus sit, tamen semper acerbos, & rigidos sustinebit cruciatus. Ansbert, Abbas: *Mors principalis*, ait, *reproborum illa est, qua Deo deserente interior moritur homo, manente exteriori cruciatu, quo & exterior, & interior affligitur homo; sicut enim anima deserente moritur corpus, sic Deo deserente moritur anima.* Impius in hac vita cruciatur, anima stimulis conscientiæ, corpore verò in diros tortores incidet.

Impius in hac vita cruciatur anima, & corpore.

116 Secundò Babylonia cum suis civibus duram, ac rigidam famem temporalem sustinebit in corpore, acerbiorem verò in anima, æternam nempe absentiam Dei cum desperatione. Idem Ansbert. *Illa tamen deterior, & immanior intelligenda est, qua impii à Dei contemplatione in perpetuum remanebunt jejuni; sicut enim præsentia Dei vita est, & cibus electorum, sic ejusdem absentia, mors, & fames reproborum, isto enim cibo justos in futurum alendos Dominus denuntiat Matth.5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*; ferè similia habet Joachimus Abbas. Carentia visionis divinæ summum tormentum damnatorum: vide to.1.c.1. q.29. n.216. & sup. c.14.q.37. n.341. & seqq.

Summum tormentū damnatorū carētia visionis Dei.

117 Tertiò: *Et luctus*; qui est in damnatis, ut est certissimum, de quo Christus D. Matth.13. n.42. *Ibi erit fletus, & stridor dentium*; Matth.22.n.13. *Mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus, & stridor dentium*; & etiam in hac vita impium, seu peccatum ejus tristitia comitatur. Duo illi primi fratres muneribus suis Deum venerari nituntur, sed ex munere Cain ingentem lucratur tristitiam, dicitur enim Gen.4. n.5. juxta lectionem D. Ambros.l.1.c.6. *In Cain verò, & sacrificia ejus non respexit. Et contristatus est valde, & concidit vultus ejus.* Indignè offerentis peccatum illius individuus comes fuit tristitia. Pulchrè Rupertus: *Ubi peccatum erat, tristitia deesse non poterat.*

Tristitia omnium acerbissimum malum.

118 Cùm Deus procederet ad primam mulierem puniendam, ait illi Genes.3.n.16. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos in dolore paries filios*, &c. quæ verba sic leguntur à D. Chrysost. *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum. In tristitia generabis filios.* Causa ruinæ totius generis humani extitit mulier, & tamen pro tam ingenti facinore, solùm in tristitia, & mœrore pœna illi infligitur; cur fœmina tanti peccati occasio, solo mœrore castigatur, nisi ex eo, quòd hæc sola pœna omnium acerbissima putatur? Ait D. Chrysost. epist.8. ad Olymp. & ait: *Multiplicans multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum; in tristitia generabis. Nusquam dolor, nusquam labor, & sudor, sed mœror, & gemitus. Et illa, quæ ex iis vindicta descendit doloribus, infinitis mortibus est coæqualis; imò etiam multo deterior:* Sic S. Doctor tristitiæ pœnam super omnem pœnam proponit.

Tristitia æqualis morti, imo deterior.

Christus accedens ad passionem discipulis suis dicebat Matth.26. num.38. *Tristis est anima mea usque ad mortem*; discipuli autem Act.5. nu.41. *Ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Homines gaudent in pœnis, & filius Dei maluit in illis tristari, cum eas avidissimè exoptaret. Christus D. voluit sibi assumere omnem pœnam, & dolorem, inde tristitiam, quæ est summum omnium pœnarum tormentum, noluit à se reiicere, sed libenter disposuit illud sustinere, ac pati. D. Chrysost. epist. proximè cit. Sic ait: *Tristitia animarum crudele tormentum est, dolor quidem inexplicabilis, & judicium omni judicio, vindictaque deterius; nam & vermi est similis venenato, non solùm carnem, sed animam ipsam perimens. Tinea non solùm ad ossa, sed ad corda pertingens, perpetuus quidam carnifex non animam dilanians, sed vires animæ consumens.*

119

Tristitia omnium pœnarum durissimū & tormentū.

Apoc.18.n.9. Et flebunt, & plangent se super illam Reges, qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt, cùm viderint fumum incendii ejus.

Num.10. Longè stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes: Væ, væ civitas illa magna Babylon, civitas illa fortis; quoniam una hora venit judicium tuum.

VERSIONES.

Pagnin. n.9. Flebunt illam, & plangent super illa.
Syriac. Lugebunt super ea, &c. qui cum ea scortati sunt, & lascivierunt, quando videbunt.
Arabicus. Contristabunt super eam, &c. qui cum ea fuerant oblectati.
D. Cyprian. Et in deliciis versati sunt.
Primas. Et in deliciis conversati sunt.
Syriacus n.10. E longinquo stantes propter metum.
Arabicus. Stabunt eminus ob timorem cruciatus ejus; dicentes: Væ, væ, urbi magnæ Babyloni, urbi validæ, cujus una hora.
D. August. Propter metum tormenti ejus, quia una hora venit damnatio ejus.
Pagninus. Cùm steterint à longè, quia in una hora.
Richard. Victor. Væ, væ, væ civitas magna.

EXPOSITIO.

120 *ET flebunt, & plangent se super illam Reges terræ.* Hæc verba etiam dicta sunt ab Angelo Joanni, ut observat Alcazar, & cum eo Corn. ac Ferrar. Et incipit hìc sermo divinus lugubrem næniam super Babylonem, id est, Romam, in cujus excidio exprimit excidium universæ civitatis impiorum, & in ejus destructione exprimit planctum omnium mundanorum de amissione rerum terrenarum lugentium, & valde minutim eas numerant per decem sequentes versus, ut solet fieri in næniis, & ut erga illas exprimant suum magnum affectum, quas intimè in cordibus habebant, & ad hunc affectum indicandum, repetito verbo utitur sermo divinus: *Flebunt, & plangent*; ob multiplicationem lachrymarum, gemituum, ac dolorum, vel ob mœrorem internum, & externum.

Reges

121 *Reges terræ*. Vel intelliguntur decem Reges, qui Romam vastabunt, ob tantam cladem odio verso in amorem, vel cùm tunc tantùm erunt decem Reges primarii, aliqui principes, & Reguli, amici, & confœderati Romæ, videntes tantam illius cladem, ac incendium, timebunt, ac dolebunt super illam, de quo quæst. seq. Et profundè considera, quòd ait text. *Flebunt, & lugebunt se super illam;* non ait, flebunt, & lugebunt Babylonem, sed *se super illam*; hoc enim valde frequens est in Mundi amatoribus, ac amicis; non plangunt ob Babylonem excisam, nec gratia Babylonis, sed gratia sui, quia cum illa amittunt suas delicias, & concupiscentias, quas cum illa habebant, & ideo subditur: *Qui cum illa fornicati sunt, & in deliciis vixerunt*. Richardus Victorinus: *Subversa prosperitate malorum, graviter dolebunt*, (hi scilicet Reges), *eo quòd id, in quo solùm jucundabantur, amiserunt*.

Amici hujus Mundi (i.e.) gratia plorant in aliorum ruina.

122 *Cùm viderint fumum incendii ejus longè stantes*. Tanta erat altitudo, ac magnitudo fumi, ut à longè stantibus videri poterat; quod indicabat ingentem ruinam, & magnum incendium. *Longè stantes propter timorem tormentorum ejus*. Verba sacra exprimunt timorem amasiorum, qui cùm sibi malè sint conscii, videntes tot cruciatus in suas delicias, torquentur flentes, ac lamentantes, sed à longè tamen stantes, ne & ipsi involvantur eodem supplicio, & pœnis, quas bene sciunt se esse commeritos.

Criminis rei dolet in pœna sui socii.

123 *Dicentes: Væ, væ, civitas illa magna Babylon*. Repetitio ista ostendit mœrorem, & amorem, ac etiam magnam de Babylonia æstimationem, magnumque etiam ingerunt timorem. Richardus de sancto Victore ter legit *væ*; quod ipse sic explicat: Quia triplex pœna indicitur propter triplex peccatum, cogitatione, opere, & [illegible]mnium. *Quoniam una hora venit judicium tuum*. Quis non timeat, cum tam repentinum veniat judicium, seu damnatio inevitabilis?

QUÆSTIO XV.

Quare in destructione Babylonis plorant Reges, & non fratres, nec amici, nec pastores; & qui sint isti Reges.

124 AB hoc secundo incipio. Viegas existimat esse alios distinctos ab illis decem Regibus, qui tunc Orbem occupabunt, de quibus dictum est superiori capit. Tamen contra hoc urget, quia tam juxta Danielem, quàm Joannem, non possunt assignari alii Reges tunc in Orbe; & ideò Ribeira, Cornelius, la Haye dicunt, quòd postquam decem Reges Romam destruxerint, quasi ob tantam destructionem plorabunt, ut Titus, ut refert Joseph. lib. 7. de bell. Jud. cap. 24. reversus ex Ægypto, ac cùm venisset Jerosolymam, vidissetque illius devastationem, maximè indoluit, & illius est misertus. Secundò respondent, quòd quamvis in Orbe tunc essent decem Reges, tanquam magnates, & supremi, tamen extabant multi Principes, Gubernatores, ac Præsides, qui etiam in Scriptura dicuntur Reges, ut Pilatus Præses, Judææ Rex appellatur cum Herode Act. 4. nu. 26. Exponunt Apostoli illud Psal. 2. nu. 1. *Astiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus*; indeque hi Reges dicuntur multi Principes, Gubernatores, ac Præsides, qui astricto fœdere amici erant Babyloniæ & in illius clade, ac ruina plorabunt.

125 Et nota, quod hic dicuntur Reges, qui antea montes dicebantur super. cap. 17. n. 9. *Septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt*. Qui antea montes, ac petrarum rupes dicebantur, nunc simpliciter reges appellantur; quandiu enim meretrix sua lascivia super eos sedebat, ac quiescebat, montes insensibiles erant, at verò modò, quia *longè stantes erant*, videntes fumum, habentes fumum in oculis, quo lachrymæ in pœnitentiæ signum diffunduntur, jam non montes, sed reges nominantur, quia pœnitentiæ humilitas ad regiam dignitatem extollit.

Peccatum delet nomen Regis, quod pœnitentia revivicit.

Salomon in libris Cant. Sap. ac Ecclesiast. nomen Regis, ac Principis subticuit, illud verò præfixit in libro Ecclesiastes, dicens: *Verba Ecclesiastæ filii David Regis*. Juxta communem sententiam hunc librum scripsit totus pœnitentia contritus, & inde incipit: *Vanitas vanitatum*; etsi in aliis operibus nomine Regis careat, in pœnitentia verò illo insignitur.

Et Reges primo loco hìc ponuntur flentes, & percussi timore tormentorum ejus, quia præ cæteris Deo rebelles fuerunt, & ut sciant, quia potentes potenter tormenta patiuntur. Favet Andr. Cæs. *Per Reges hoc loco principes, sublimioresque potestates, Magistratus denotari putamus; hosce proindeque tanquam præ cæteris à divinis præceptis in illa scortantes fleturos pronuntiat, ut primùm illius depopulationem, extremamque desolationem viderint, vel audierint*. 126

Aliquando Principes præ cæteris Deo rebelles.

Ad primam quæstionis partem super fornicariam lugent reges terræ, sub quibus, ut jam dixi, intelliguntur Principes, & Gubernatores; lugent etiam mercatores, ac negotiatores, & nautæ; cur in hoc tam universali planctu non luget etiam aliquis frater, consanguineus, & amicus? hi enim in funerali pompa primi sunt; undè David accepta morte Jonathæ dicebat: *Doleo super te frater mi Jonathas*, 2. Reg. 1. cur ergo in hujus meretricis funere nullus frater, nullus amicus, aut cognatus invenitur? In hac meretrice insolens, ac impudica luxuria castigabatur, & inde hic nullum apparet pietatis signum, omnia enim, quæ pietatem redolent, per luxuriam habentur extincta, & deleta. Rectè ait D. Zeno serm. de pudicitia: *Libido nonnunquam nomina pietatis, concubitu prodigioso delevit*. 127

Lascivia pietatis nomina absumit.

Scribit D. Luc. 7. num. 37. *Ecce mulier in civitate peccatrix, ut cognovit, &c.* sic simpliciter una mulier introducitur, ac si sola esset sine fratribus, ac cognatis; de illa tamen refert Joan. 11. num. 1. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de Castello Mariæ, & Marthæ sororum ejus. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis, cujus frater Lazarus infirmabatur*; ecce Joannes non tantùm contentus est Martham, & Mariam sorores dicere, sed iterum sigillatim ejus pœnitentiæ acta commemorans: *Quæ unxit Dominum unguento*; eam sororem Lazari appellat: *Cujus frater Lazarus infirmabatur*; quid est ergo, quòd Lucas eam solam sine fratre, ac sorore proponit? cur Joannes tantus est, ut ipsa sola non cognoscatur, sed ut habens fratrem, & sororem? Lucas agebat de illa adhuc sub nomine peccatricis, & ut in lascivia degentis, & ideò illam solam sine fratre, ac sorore introducit, bene sciens à lascivia omnia pietatis, ac benevolentiæ nomina extingui, ac deleri; Joannes autem semel, & iterum cum fratre, ac sorore proponit, & ut fratres habentem scribit, de illa enim agebat, ut libera ab omni libidine, cum multa pœnitentia. Favet Rupert. lib. 10. in Joann. & ait: *Lazarus quidam languens erat, Maria autem soror ejus jam à pessimo languore per gratiam Domini revixerat, atque convaluerat*. Ubi peccatrix in lascivia proponitur, nullum ibi pietatis nomen adjungitur, quam maximè puritas cum pœnitentia ad se trahit. 128

Ubi lascivia, omnem delet quam puritas ad se trahit.

Secundò ecce in luctu, ac fletu Babyloniæ omnes homines inveniuntur, Reges terræ, sub quibus intelliguntur Principes, Magnates, Præsides, ac Gubernatores, deinde conveniunt mercatores, in quibus denotantur etiam opifices, & etiam in hoc luctu non adsunt agricolæ, & pastores; & cur hi tantùm liberantur à tanta afflictione, angustia, ac timore, quo Reges, & Potentes sæculi opprimebantur? ut dicitur in textu: *Stantes longè propter timorem*. Soli agricolæ, & pastores non incumbebant superfluitatibus Babyloniæ, seu mundanorum, sed tantùm rebus maximè necessariis ad vitam. Rupertus ait: *Notandum interea, quia pastores, & rusticolæ fletum hunc luctumve habituri non scribuntur, quia scilicet simplicis vitæ officia sunt, magisque necessario usui, quàm superfluæ cupiditati famulantur*. Qui in superfluitate deliciarum Babyloniæ vixerunt, luctu, ac timore illius ruinæ vexantur, à quo liberantur, qui necessitati potiùs, quam superfluitati student. 129

A magna ruina liberatur, qui à superfluitate abstinet.

Suæ

130 Suæ Dilectæ ait Christus D. Cantic. 4. num. 2. *Dentes tui, sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Cùm sermo sit de christiano lavacro, ab illo greges tonsarum prodeunt; & quid habent hujusmodi oves tonsæ, cum Christi lavacro? In Domini Baptismo ascendunt oves à labe, ac turpitudine peccati, & damnationis ad gratiam, & gloriam, & tanto dono non insignitur, ac nobilitatur, nisi ille, qui mundialibus, superfluis, ac vitiosis renuntiat. Ait ibi Gilbert. Abb. serm. 23. in Cant. *Quasi grex detonsarum, quæ ascenderunt de lavacro. Veterem enim deponentes hominem, & onere supervacuo levati, alacriùs ad superiora conscendunt. Benè enim detonsi, & de lavacro ascendunt, quasi nihil veteris, vel sarcinæ, vel sordis habentes.* Ille in Christi lavacro veterem hominem deponit, & omni gratia fulget, & nitet, qui omne superfluum à se abjicit, ac dimittit: vide quæ dixi tom. 4. in Evang. cap. 40. quæst. 8. num. 48. 49

Dimitte superflua, ut Christo placeas, & servias.

QUÆSTIO XVI.

Quare tantus fletus procedit ex viso fumo ruinarum Babyloniæ.

131 RAtionem literalem hujus rei jam dedi in exposit. Visus fumus à longè indicium erat magni incendii, ac ruinarum Babyloniæ; & non solùm civitas incenditur, sed etiam fumus incendii ejus datur videndus civibus, qui longè aberant; & cur necessum fuit, ut etiam absentes perciperent incendium concrematæ civitatis? Hoc sanè spectabat ad magnum dolorem, ad magnamque reproborum pœnam, ut suismet oculis videant perire, ac comburi amata sua bona, pro quibus acquirendis, ac servandis multo sudore, multa pericula pertulerunt. Rupertus ait: *Quia videlicet in illa hora, cum cœperit hic Mundus supra igne conflagare, miserum cunctis amatoribus ejus dabit spectaculum, ubi non sine magno dolore perire videbunt quæcunque cum amore nimio possederunt.* Magnus dolor, dum perire vident, quæ magnopere amabant, & magno labore acquisierant. Similiter Josue cum suo exercitu ad capiendam urbem Hai, posuit milites in insidiis ex parte occidentali, ex altera verò parte, cùm civitatem aggrederetur, fugam simulans cum suis, habitatores civitatis eos persequebantur, milites, qui in insidiis latebant, succenderunt civitatem; & ait text. Josue 8. num. 20. *Viri autem civitatis, qui persequebantur Josue respicientes, & videntes fumum urbis ad cœlum usque conscendere, &c.* Hi viri, qui jam rapiebantur ad ruinam, coacti sunt videre fumum incendii urbis, quam dilexerant, & pro qua tot subibant discrimina, ut cum majori dolore perirent, videntes suis oculis bona sua consumi.

Magnus dolor, dum videt homo perire sua, quæ amaverat.

132 Quod bene confirmatur ex eo, quod inducturus Deus diluvium, quo perirent universi peccatores, altè disposuit, ut pluviarum imbres verno tempore inciperet; dicitur Genes. 7. num. 11. *Mense secundo, septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi*; & cur verno tempore incipiente inducitur diluvium? Præclarè Div. Ambros. lib. de Noe cap. 14. *Secundum mensem verni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum partim, atque animantium fœtura se fundit. Tunc ergo fecit diluvium, quando dolor eorum major foret; quando in sua abundantia punicbantur, tunc ultio terribilior.* Verno tempore puniuntur, quando terra parturit fructus, quos amaverant, & pro quibus multas calamitates subjerant, dum expectabant eorum abundantia frui, quam suis oculis videbant, ab illa defraudati pereunt, ut tunc dolor esset gravior, & pœna terribilior.

Magnus dolor, quod videns bona desiderata, tunc pereat homo.

133 Secundo tota Babylonia, & omnia, quæ in ea erant, à flammis devorabantur, & tamen reges non vident flammas, sed earum fumum, quia quælibet adversa hujus sæculi, quilibet cruciatus, quælibet incendia, sunt tantùm fumus respectu supplitiorum, quæ sunt reservata reprobis, ut rectè ponderat Ansbert. & ait: *Quid enim sunt præsentes tribulationes, nisi ut ita dixerim, fumus futurarum pœnarum? Sicut enim fumus dat futuris indicium flammis, sic præsentes tribulationes futurorum tormentorum specimen esse videntur, tanquam prænunciæ ignis æterni; hinc Dominus* Luc. 21. num. 9. *Cùm audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri; oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis: surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnum, & terræmotus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames; hæc autem omnia sunt initia dolorum; ac si aliis verbis diceret: Fumus sunt futuræ fornacis, id est ignis æterni.*

A brevitate hujus sæculi fiat transitus ad fumum tormentorum ulterius vitæ.

Huc advoco id, quod ait Isaias 13. num. 21. 134 *Replebuntur domus eorum draconibus.* Labores quibus impii opprimuntur, ac vexantur in hac vita dracones dicuntur. Dracones, ut notat Aelredus serm. 9. in Isai. *dicuntur bestiæ terribiles esse vultu, naturæ tam igneæ, ut flammas, & fumum ex se emittere videantur.* Calamitates, ac miseriæ, quibus impii cruciantur in hac vita, sunt tam horribiles, ac terribiles, ut ignem, & fumum exhalare videantur, tanquam indicium futuri incendii æterni: vide quæ dixi supra cap. 16. quæst. 5. num. 42. & seqq.

Labor est instar veluti fumus inferni.

Tertiò: *Flebunt, & plangent se super illam reges terræ, cùm viderint fumum incendii ejus stantes à longè.* 135 Valde mirum; modò stantes à longè vident fumum ruinarum Babyloniæ, & antea cum essent prope, dictum est, vers. 4. *Exite de illa populo meus*; tunc non videbant, & modò vident fumum incendii ejus longè stantes? Præclarè D. Ambros. *Stabunt longè mente, & voluntate, non corpore horrentes scelera sua.* Modò ruinarum Babyloniæ vident fumum, qui in oculis lachymas excitat: *Flebunt, & plangent*; quia licèt corpore essent in civitate, longè erant ab illa exhorrentes, & detestantes sua scelera: quandiu peccator est in gurgite suorum delictorum suam ruinam, ac miseriam non videt, nec considerat, at verò si affectu, & voluntate longè recedat ab eis, pœnitentia lugens, & flens, tunc videt fumum, ac exhalationem turpitudinis suarum iniquitatum; fletus lachrymarum est tanquam collyrium aperiens oculos, quos velamen peccatorum obcæcaverat.

Peccatum excæcat, pœnitentia facit videre.

Peccavit David peccato magno adulterii Bethsabeæ, & homicidio Uriæ, in eoque obdormivit per ferè integrum annum, 2. Reg. 11. num. 4. juxta communem sententiam; occasione quadam David præcidit oram chlamydis Saul silenter, & statim suam culpam, cùm esset levis, agnovit: *Post hæc percussit cor suum David, eo quòd abscidisset oram chlamydis Saul,* 1. Reg. 24. num. 6. modo culpam levem tam citò cognovit, & in delicto gravissimo sic obcæcatus est per ferè integrum annum, donec à Propheta commonitus est? super culpam levem absissionis vestis Saul, cito doluit pœnitentia illustratus? *Percussit cor suum.* Ut ait Lyran. *Reprehendit eum conscientia sua*; cùm habuisset pœnitentiam, ac cordis dolorem, habuit & cognitionem, at verò in grandi culpa, cùm illa scil. pœnitentia careret, caruit & visu, quo suum statum recogitaret, ac perpenderet. 136

Pœnitentia illuminat oculos, ut videas peccatum.

Cùm junior Tobias veniset in domum Patris sui, 137 ait text. Tob. 11. num. 13. *Tunc fumens Tobias de felle piscis linivit oculos Patris sui, & sustinuit quasi dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi egredi, quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis ejus, statimque visum recepit*; quæ verba sic explicat Hugo: *Cœpit albugo ex oculis ejus quasi membrana ovi egredi, hæc est macula cupiditatis.* Vel saltem alicujus levis culpæ; & quoniam medio hæc ab oculis aufertur, ac deperditur? Felle nempe, quod ob sui amaritudinem pœnitentiam significat, quæ nebulas peccatorum dissipat, & visum integrum, ac perfectum restituit, ut suam conditionem, ac statum videat, & recogitet peccator.

Pœnitentia dissipat nebulas peccatorum.

QUÆSTIO XVII.

Quare Reges à longè stantes timebant tormenta Babylonis.

REges videntes fumum incendii Babyloniæ, quo- 138 modo à longè stant? Sic frequenter contigit, ut amici, ac individui comites in deliciis tuis, tempore afflictionis, ac ruinæ te deserunt, ac à longè fiunt,

fiunt, ut factum legimus ab his Regibus, qui ut dicitur in litera, fornicati sunt cum Babylonia, & in deliciis cum illa vixerunt tempore felicitatis, modò verò in hac tanta ruina illam deserunt, & ab ea longè fiunt.

139 Secundò isti amatores Babyloniæ stant à longè videntes fumum incendii ejus; & cur non potiùs ab ipsa voraci flamma rapiuntur, ut contigit Regis ministris, qui tres pueros in fornacem miserunt? Daniel.3. num.22. Hoc dispositum est ad majorem pœnam, ut miseri suismet oculis videant Babylonis fumum, videantque omnia bona sua maximè amata, in cinerem, & favillas redigi; etsi desiderio, ac voluntate à tanta ruina longè abesse optabant, tamen corpore alligati in illa tenebantur, nullum habentes effugium, quo ab illa eximerentur. D.Ambros. hìc: *Mirum valde est, quòd longè stare dicantur, cùm in eisdem pœnis ipsi sint demergendi, in quibus & cæteri reprobi, qui per Babylonem designantur. Stabunt igitur longè mente, & voluntate, non corpore, horrentes scelera sua, quibus æternaliter cruciabuntur.* Ecce maximè horrenda, ac metuenda impiorum conditio, ut videant suis oculis sua mundialia bona, suas opes, ac delicias in fumum evanescere, & horrentes sua scelera, ob quæ tot crimina perpetrarunt; etsi desiderio, ac voluntate distare velint, tamen nullum habent subterfugium, sed simul in eisdem pœnis involvuntur, ut ibi consumantur, & pereant.

Magnum supplicium reproborũ, quod in perditione ac in pœnis nullum habeant effugium.

140 Multas militum copias convocavit Absalon contra patrem David; cùm Absalon esset superatus, & sedens mulo fugit, *adhæsit caput ejus quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertranssivit*, 2. Reg. 18. num. 9. cur divina providentia disponitur, ut Absalon suspensus in arbore densa, & alta pereat? Ut ipse ibi tanquam ab alto, ac eminenti loco videat suos exercitus, suos milites, suasque res perire, ac consumi cùm ipse totus esset alligatus in pœnis, nullum habens effugium, nam mulus, in quo insederat, pertransivit. Ex quo ait Hugo Victor. de claustro animæ cap. 15. *Mulus, cui insederat pertransivit, sed ipse quercui suspensus inhæsit, quia luxuria, & dolus, cui semper studuerat, periit, & pœna peccati mansit.*

Magna pœna, quod alligatus supplicio suorum videat destructionẽ.

141 Tertiò: *Longè stantes propter timorem tormentorum ejus.* Hìc juxta communem sententiam figurantur damnatorum pœnæ, proindeque dicendum erat, propter dolorem tormentorum; nam in inferno videtur, quòd non sit pœnarum timor, cùm jam pœna sit inflicta, & non infligenda: in inferno est omnis angustia, & miseria, in eoque invenitur omnis pœna, & ideò ibi nec deest dolor, nec timor, ut rectè explicat hìc Div. Thom. & ait: *Notandum, quòd ad cumulum pœnæ ex ordine divinæ justitiæ est in inferno dolor acerbissimæ angustiæ, & timor cum dolore, ex ipsa enim acerbitate doloris, sive afflictionis, quam inse, & in aliis vident contingere, exinde jis gravis generatur horror, & timor ipsius continuandæ afflictionis: hujusmodi autem timor durissimè cruciat eos.*

Timor in inferno auget dolorem.

142 Quartò Reges stabant à longè propter timorem tormentorum Babyloniæ; & meritò quidem, quia ut dicitur in text. *Cum illa fornicati sunt, & in deliciis ejus vixerunt*; cùm Reges essent cum Babylonia eisdem peccatis implicati, easdem pœnas sibi metuebant. Postquam Oseas commemorat magna peccata Israelis ad Judam convertit sermonem, & ait cap.6. num. 11. *Juda, pone messem tibi, cùm convertero captivitatem populi mei*; cùm in captivitatem ducitur Israel, mandatur Juda sibi ponere messem, quæ metat, & colligat sibi supplicium; & cur tunc præcipuè præparatur Juda ad supplicium, cùm captivus est Israel? Quia ira Dei districta in Jerusalem, eumque captivitate premens; videns hoc Juda, cum in simili idololatria esset, etiam eadem pœna infallibiliter Judam tenebit. Ruffin. ibi: *Noli æstimare, ò Juda, fore te damnationis immunem, quia in tuis finibus, cùm te damnationis immunem, quia in tuis finibus, cùm te captivitatem Israele, substitisti; sed tu quem comitaris in flagitiis, & calamitatibus consequere.*

Ubi Deus suam iram exercet in unum peccatorem, timeat qui similia est illi.

143 Ait Petrus Apostol. 2. cap. 2. num. 6. quod Deus *civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, eversione damnavit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens.* Illæ primæ damnationes, ac castigationes fuerunt tanquam exemplaria, ac ideæ omnium damnatorum; in illis sententiarum exemplis, tanquam in aperto monumento leguntur, ac videntur supplicia, quæ recepturi sunt peccatores talia crimina perpetrantes, ut sicut sunt similes in culpa, sic etiam erunt æquales in pœna. Ad hoc tendit Salvian. lib.1. de Provid. dicens: *In præsenti autem illud, quod futurum est, Deus voluit declarare judicium, quando super impium populum gehennam misit è cœlo; sicut enim Petrus dicit, quòd Deus civitatem Sodomam, & Gomorrham eversione damnavit, exemplum ponens impiè auctoris, &c.* Non aliud judicium expectent lascivi, quàm illud, quod sustinuerunt Sodomitæ; in eorum damnatione exemplaria sunt sententiarum, & damnationis, quæ ferit omnes futuros.

Sententia in unum peccatorẽ prolata similes ferit.

144 Actor.1. num.16. ait D. Petrus: *Viri fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S. per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Jesum*; & statim citat Psal. 68. num. 26. *Fiat habitatio eorum deserta, & Episcopatum ejus accipiat alter*, Psal. 108. num. 8. Ecce Apostolus de uno solo loquens Juda: *Episcopatum ejus accipiat alter*; deinde de multis aliis, ac de tota multitudine judæorum adducit primum testimonium: *Fiat habitatio eorum deserta*; cur non magis in singulari locutus est de solo Juda? cur necesse fuit judæorum facere mentionem? Equidem quando de Judæ supplicio sermonem texuit, consequens erat ut in illo, & similium pœna annuntiaretur, pœna enim in unum peccatorem prolata, omnes similes comprehendit. Rupertus lib.1. de Intellectu cap.1. ait: *Proposuerat Apostolus de uno tantùm singulariter, sed hìc addit pluraliter; quid igitur, nisi exortam in cordibus Apostolorum intellectus lucem, hoc dicto sentimus? Judam quippe, & infelices judæos, sicut eodem scelere involutos, sic & simili pœna significat addictos, quatenus quòd uni Judæ contingebat, ut Episcopatum ejus accipiat alter, idem & judæis contingeret, ut Episcopalis eorum habitatio deserta fieret.* Cum pœna in uno peccatore infertur, expectent sibi universi similes, & putent sibi etiam dictam sententiam, quæ ferit aliquem similem.

Supplicium unì peccatori exhibitum, idem similes timeant.

QUÆSTIO XVIII.

Quare omnia damnationis tormenta in in una hora veniunt super miseram Babyloniam.

145 FLentes, ac lugentes super miseram Babyloniam dicunt Reges: *Væ*; & inde maximè lamentantur ejus deploratam sortem: *Quoniam una hora venit judicium* tuæ damnationis: Universa calamitas, ac tempestas tormentorum iræ Dei super te una hora effusa; & hæc est summa indignatio divini furoris, ut omnia supplicia simul veniant. Rupertus Abbas: *Et hoc mirum, atque miserrimum erit videre, qui tantopere amant hoc miserandum sæculum, quia tot dierum, vel temporum opera mala judicabuntur, & gaudia peribunt, succedente interminabili quantitate tormentorum, una hora judicii, una hora destructionis, una hora desolationis*; hoc enim ad summam iram, ac furorem spectat, quod omnia mala simul conglomerata veniant.

Maxima ira Dei, ut omnia supplicia simul veniant.

147 Et inde Diabolus volens omni suo furore Jobum cap.1. persequi, ac tentare, machinavit, ut omnia bona sua consumpta esse per varios nuntios simul acciperet, ut notat D.Chrysostom. in Catena Græca, & ait: *Quod communem vicit existimationem, illud fuit unum, quod mala omnia, quæcunque in vita hominum immittuntur, hic unus exorbuit. Erat alterum, quod sine induciis, nullaque interposita mora, cuncta sustinuit.* Quod simul omnia mala sine induciis, sine interruptione concurrant, hoc adeo durum, & terribile est, ut omnem existimationem excedat.

Omnia mala sine interruptione valde dura pati.

148 De divina justitia loquens Jeremias Thren.3. num.12. ait: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Per signum in hebræo vox est, quæ idem valet, ac carcer, quasi in eo Jeremias defixus sit instar scopi, ut sagittis configeretur; sed cur Deus irascens in sua justitia cum jaculatore emittente sagittam comparatur?

Extrema calamitas cum omnia mala concludit, vastat.

paratur? quænam proportio est inter utrunque? Dum sagitta ab arcu emittitur uno, & velocissimo impetu, ac in uno momento omne malum infert, vulnus, dolorem, & mortem; sic Deus irascens velocissimè, ac uno ictu omnia mala, omnesque calamitates super miserum peccatorem effundit. Deinde sagittarius quantò fortiùs chordam retrahit, tantò vehementiùs sagittam emittit; sic Deus quanvis aliquando videatur iram suam dissimulare, tunc rigidiùs, ac fortiùs sagittas sui furoris jaculat. Divus Hieronymus ibi ait: *In arcu, quantò longiùs trahitur chorda, tantò de eo districtior exit sagitta; sic extremi judicii dies*, (& idem est de quavis alia punitione) *quantò longiùs differtur, ut veniat, tantò cùm venerit, de illo districtior sententia procedit.*

148 Ex quo monet Apostolus Rom. 2. num. 5. dicens: *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* Non multùm mirabile videtur, quòd impius per sua delicta perpetrata, sibi iram Dei thesaurizet, nova peccata peccatis addens, ut contra illum divina justitia insurgat; illud maximè verò tremendum, quòd illa pœnarum conglomeratio, tota conjuncta, & reservata sit ad diem iræ, hoc est, extremi judicii, quando ira tota se effundet, ita ut sit tantùm locus extremæ vindictæ, & nullus sit locus pietatis, ac clementiæ. Ad citat. caput sic ait D. Anselm. *Accumulas, & reponis tibi vindictam exercendam in die iræ, ideſt, in die ultionis extremæ.* Et si pœna post peccatum statim non infligitur, non evanescit, sed accumulata servatur ad diem ultionis, ad irreparabilem damnationem.

Culpæ accumulatur ad majorem ultionem.

Apoc. 18. *n.* 11. Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius.

Num. 12. Merces auri, & argenti, & lapidis pretiosi, & margaritæ, & byssi, & purpuræ, & serici, & cocci, & omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris, & omnia vasa de lapide pretioso, & æramento, & ferro, & marmore.

Num. 13. Et cinnamomum, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & similæ, & tritici, & jumentorum, & Rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.

VERSIONES.

Arabicus n. 11. Et mercatores terræ.

Syriacus. Propterea, quòd onus ipsorum, nemo emet.

Primas. Mercatores terrarum flebunt.

Arabicus n. 12. Merces, & lapidum pretiosorum, & margaritarum, & serici, purpurei coloris, & purpuræ, & omnium vasorum eboris, & omnium vasorum ligni pretiosi, omnisque ligni fabrefacti.

Syriacus. Neque amplius onus auri, &c. & omnis ligni aromatici, & omnis ligni valde pretiosi.

Vatablus. Omne vas eburneum, & omne vas de ligno pretiosissimo, & ære.

Arabicus n. 13. Et crystalli, & aromatis, &c. & similaginis triticeæ, & arietum, & mulorum, & camelorum, & mancipiorum, atque omnium corporum.

Oecum. Et odoramentum, & unguentum, & thus, vinum, & oleum.

D. Augustin. Et Rhedarum, & porcorum.

EXPOSITIO.

149 ET *negotiatores terræ.* Hæc maximè ostendunt hæc dici ad decorem næniæ, ac ad magnum fletum super eversionem Romæ, ac mundanæ civitatis impiorum; seu ut alii legunt: *Mercatores terrarum*; hoc est, ex variis terris, seu provinciis. *Quoniam merces eorum nemo emet amplius*; Syrus legit: *Onera ipsorum*; quia hujusmodi merces onere asportantur. *Nemo emet amplius.* Nemo, scilicet Romanus, nam licèt aliæ civitates multa possint emere, tamen fortè, non tam frequenter, ac fortè viliori pretio, & ideo lugent, quia Roma devastata, alii coemere non valebunt, utpote non ita luxui, ac deliciis dediti. Merces autem, quas mercatores vendebant, statim persequentes versùs numerantur.

Merces auri, & argenti. Vel vasa, seu monilia aurea, & argentea miro artificio composita, seu aurum, & argentum in sua specie. *Lapidis pretiosi.* Intelligimus omne genus gemmarum pretiosarum, cum particulariter aliquod non exprimitur. *Et margaritæ*; nempe unionum, & hoc genus lapidis exprimitur, quod maximè erat in usu. *Et byssi.* Byssus, genus est candidissimi, ac tenuissimi lini, quod antiquis frequenter erat in deliciis. *Et purpuræ, & cocci*; de quibus dixi super. cap. vers. 4. exposit. 4. *Et serici.* Aliqui dicunt esse genus lanæ tenuissimæ; tamen hìc significat vestem sericam ex mystico, & vario colore. *Et omne lignum thyinum.* Volunt aliqui esse ligna odorata à verbo græco odoro, seu redoleo. Alii contendunt esse genus lignorum pretiosorum, quæ in operibus habent magnam elegantiam, ac pulchritudinem, de quo latè Malvenda lib. 3. de Antichristo cap. 22. lignum ergo est pretiosissimum ex thya arbore, de qua Plinius lib. 13. cap. 16. in Ophi nascens, undè multam copiam Salomoni dono misit Rex Hyram 3. Reg. 10. 150

Et cinnamomum. Syrus, Complut. ac alii addunt: *Amomum*; qui est frutex [illegible]; & Armenia, habens florem instar candidæ violæ, colorem ad aurum inclinantem, lignum exhalans odorem suavissimum. Tamen nostra Biblia latina Romana, & Græca solùm habent *Cinnamomum*: Sunt aliqui viri docti, qui dicunt, quod idem sit, ac Cassia vulgo *Canella*; de quo multa doctores ad cap. 24. in Ecclesiast. nu. 20. in illa verba: *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans*; ubi Dionys. Carthus. Michael de Palac. dicunt cinnamomum esse inter omnia aromata pretiosissimum; & Andr. Lacuna ad Dioscoridem lib. 1. c. 13. habet ex Galen. lib. de Antidotis, indicibile esse quantam odoris gratiam super omnia alia aromata referat cinnamomum. 151

Et odoramentorum, & unguenti. Hoc discrimen inter odoramenta, & unguenta datur; hæc liquida sunt, & odorifera, quorum apud antiquos frequens erat usus. *Et similæ.* Flos, & medulla farinæ triticeæ; & distinctam eam commemorat à tritico, ut significet exquisitum panis genus, quod solet esse in deliciis. *Et Rhedarum.* Rheda genus est currus leviusculi, quo potentiores vehuntur. *Et mancipiorum*; ideſt, servorum. Syrus, ac græca exemplaria dicunt, *Corporum*; græci enim servos corpora vocant, ac si solo corpore constarent, libertate privati, quæ est quasi vita, ac anima hominis. 152

Nominum explicatio.

Et animarum hominum; ideſt, homines, ut cum dicitur 1. Petr. *Octo animæ salvæ factæ sunt in arca*; ideſt, octo homines, anima enim ponitur pro homine, ac proinde mercatorum merces erant homines, quos Romanis vendebant; & mancipia differunt ab animabus hominum, nam mancipia vendebantur, ut vilia munia exercerent, vel ut quolibet modo servirent, sine vitæ periculo; at per animas hominum intelliguntur servi, captivi, vel empti ad ludos gladiatorios, ut cum bestiis decertarent, quo ad usque animas profunderent, & ideo vocat eos hìc animas hominum, ut notant Cornel. la Haye, & Ferrar. 153

QUÆSTIO XIX.

Quare mercatores terræ tam amarè flent, ac lugent super ruinas Babylonæ.

CAusa tanti fletus, ac luctus in negotiatoribus, ac mercatoribus terræ, apertè ponitur in text. 154

Quia

Temporalia bona colerent, ac inquietudinem pariunt.

Quia merces eorum nemo emet amplius. O misera filiorum hujus sæculi conditio, quæ pro amissione, ac jactura temporalium bonorum ita dolet, ac luget, cùm talia nil aliud pariunt, nisi planctum, dolorem, ac infatigabilem laborem! pro quo audiendus est hìc Pannon. *Hoc nobis præclarissimum documentum est; ne nimis rebus futuris confidamus, nec ad quæstum earum nos totos dedamus, quos liberos fore jussit Christus à talium cupidine, quæ suopte ingenio pereunt, parientes luctum, & planctum, quia amabilem gratiam Dei expungunt à corde; tum quia amissione sui accersunt dolorem, quæstu autem laborem irrequietum, ut nunquam misera mens quiescere valeat, miserior illaqueata nexibus.* Ecce deplorata hominum conditio, quæ cùm tot, & tanta damna accipiat à temporalibus, tamen in eorum jactura magno dolore afficitur, nil de perditione æternæ vitæ cogitans; & in hoc maximè hominum dementia apparet, qui lugent, de quibus gaudere, & gaudent, de quibus dolere debuerant. Haymon ait: *Dolent quod præsens perdunt inviti, nec amant, quod in æternum possidere poterant voluntarii.*

Hominum dementia gaudet, ubi lugere debebat.

Homo temporalis vult potius Deum perdere, quam sua lucra.

155 Secundo deplorant mercatores: *Quoniam merces eorum nemo emet amplius.* Extinctis meretricibus, nonne adhuc extant plures castissimæ mulieres, quæ similia ornamenta ad sui compositionem emere valent? Deplorant tamen, quia talis ornatus longè distat à castis fœminis. Cùm meretrix periit, mercatum pompatici Mundi muliebris desperant, talis enim ornatus solùm viget in mundanis mulieribus, non verò in illis, quæ castè, & piè vivunt, se mortuas Mundo existimantes. Post peccatum primorum parentum, *fecit eis Deus tunicas pelliceas*, Genes. 3. num. 21. & cur Eva utpote Regina, non sericis fulget, non crispanti rutilat [illegible] auro, aut margarita, seu lapide pretioso resplendet? Quæ omnia ut abjecta numerat Tertull. lib. de habitu muliebri subjicit: *Hæc Eva concupisset de Paradiso expulsa, jam mortua opinor.* Nota illud: *Jam mortua*; non enim aliter credit illam mortuam Mundo, quia universum corporis ornatum abjecisset: vide supra cap. 17. q. 17. n. 147. & seqq.

Honesta fœmina abjicit nimiu corporis ornatum.

156 Tertiò quare mercatores isti tantis lachrymis deplorant super Babyloniæ ruinas? nam quamvis Babylon, imò & totus Mundus destruatur, nonne manet, cui si merces eorum offerantur, maximè adauctum lucrum recipient? Rectè Div. Ambros. in præsenti sic ait: *Sunt multi, quibus legum sæcularium scientia data est, qui causas pauperum in judiciis portant; sed quia non pro amore Dei, sed pro præmiorum acceptationibus hoc faciunt, mercedem à Deo non recipiunt: in tantum hæc miseria convaluit, ut non inveniat aliquem ex his, qui locum habent apud Principes, qui aliquod verbum ad pauperis necessitatem sustentandam proferant sine pretii acceptione.* Ecce iniqui, ac miseri negotiatores, qui in omni sua actione, & studio solùm terrena quærunt, & non Deum; qui ad sola terrena feruntur omnibus suis viribus, & nulla ex parte Deum aspiciunt. Ad hoc pertinet id, quod canit David Ps. 70. num. 16. *Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini.* Cognitio literaturarum, ac negotiorum non est ex se mala, malum tamen, ac pessimum est, sic ipsam rem tractare, ac si totus in negotiis Christi esses occupatus, cùm temporalia acquirere studeas, solus enim ille in potentias cœlestium donorum Christi admittitur, qui temporalium omnium studium exuit, undè dicit Sedulius lib. 3. Paschal. cap. 15. *Quisquis deitatis opus exercet, puri muneris gratiam consecutus, ut dispensator potius quàm videatur esse mercator, & cantico Davidis impleto, spem sibi vitæ sic pronunciet affuturæ: Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias Domini.* Si vis in potentias Christi introire, exue negotiationem, ac mercaturam; non eo animo ad Christum accedas, ut videaris mercator esse, sic acturus Christi negotium, ut temporalia acquiras, id enim maximè te à Christo excludit.

Damnabilis valde, qui in negotio solo sua quærit, & non Deum.

157 Cùm quadam die Jesus intraret in templum Dei, ejiceretque omnes ementes, & vendentes in illo, mensasque nummulariorum, & cathedras vendentium columbas everteret, eis tunc dixit: *Scriptum est: Domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et tunc accesserunt ad eum cæci, & claudi in templo, & sanavit eos. Videntes autem Principes sacerdotum, & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, & dicentes: Osanna filio David, indignati sunt*, Matth. 21. num. 15. Valde mirum, quod Principes sacerdotum indigni fremunt in Jesum, tunc enim Jesus maximè suæ divinitatis fecit ostentationem, nam maximè resplenduit sua suprema auctoritate, ejiciens negotiatores de templo, sua magna potestate radiavit sanans cæcos, & claudos, suam venerandam majestatem declaravit dum à puerorum vocibus acclamatur: *Osanna filio David*; & tunc scribæ, & sacerdotes magnam iram concipiunt, & ipsummet Deum tantis manifestum perdere volunt; cur non magis timent Deum, quem omnipotentem vident? cur non magis adorant, quem prædicari à pueris audiunt? Viderunt Principes sacerdotum, quòd Jesus è templo ejecisset omnia lucrorum negotia, & cùm ipsi sua ambitione obcæcati agnovissent suos proventus imminui, malunt perdere Deum, quàm sua è templi negotiis lucra perdi. Imperfect. hom. 40. in Matth. ait: *Postquam Jesus introivit in templum, & omnes vendentes animalia, quæ ad sacrificium vendebantur, foras ejecit, quibus sacerdotes avari tunc delectabantur, tunc præcipuè cogitaverunt eum occidere, dicentes intra se: Si populus istum habuerit Deum, necesse est, ut dimittat consuetudinem hostiarum, quæ ad nostram pertinent lucrum; etsi jam populus iste.... non erit possessio nostra, sed Dei, videlicet non ad nostrum quæstum pertinens, sed Dei.* Ecce tota ratio cur insurgunt contra Deum; quia sibi persuadebant illum esse talis conditionis, qua à suis altaribus, & templis arceret occasiones lucrorum sacerdotum, & *ubi lucra* interveniunt, magis volunt ministri temporales Deum perdere, quàm quod ipsi à suis lucris defraudentur.

158 Acham, ut refertur Josue 7. num. 21. *Vidit inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, & regulam auream, & concupiscens abstulit, & abscondit*; & cur hæc bona, quæ Deo erant reservata sub pœna anathematis, ausus est sibi reservare? Joseph relatus ibi in Gloss. *Acham dum invenisset chlamydem regiam, totam auro contextam crudele judicans, si lucrum inveniens, quod in sua utilitate conferret, daret hoc Deo, & non magis egenti, suffodit eam.* Perpende mentem hominis avarissimi; reputat crudele esse sibi adimere lucrum inventum, ut Deo daretur, qui civitatem cum suis spoliis tradidit illis; & quid depravata mens in Deum non auderet, quem sic pro parva re contemnit? vide supra cap. 13. quæst. 10. num. 81. & 87. & seqq.

Est homo adeo depravatus, ut Deum pro lucro contemnat.

QUÆSTIO XX.

Quare merces mercatorum, quæ Babyloniæ vendebantur, ad quinque classes reducuntur; in quibus aliqua notantur.

159 SI bene præponderentur merces, quæ hìc referuntur, & mercatores pro suo lucro ad venditionem in Babyloniam adducebant, ad 5. classes pertinent, quæ sigillatim quinque sensuum sunt irritamenta, ut aurum, & argentum, &c. quæ ad concupiscentiam oculorum pertinent: cinnamomum, & cæteræ aromatum species, ad fornicarium olfactum spectant, sicut vinum, oleum, & similia ad gustum, sericum autem purpura, byssus, & equi ad luxuriosum tactum, ac gressum famulantur; & post aliqua, ut dicitur vers. 22. *Vox citharœdorum, musicorum, & tuba canentium non audietur in te amplius*; quæ ad quintum sensum pertinent, nempe auditum. Et quare dum de excidio Babyloniæ agitur, irritamenta ad quinque sensus spectantia tam exactè numerantur? Ut inde fiat manifestum totius Mundi concupiscentiam, omniaque ei ubique famulantia infelicem exitum esse habitura. Rupertus ait: *Omnia simul peribunt, in quibus fornicatores Mundi, & amatores*

Quæ quinque sensib. famulantur, pariunt ruinam.

tores cum meretrice luxuriati sunt: deinde omnia fornicationis instrumenta in quinque sensibus corporis lenocinantia damnantur, per quos videlicet sensus omne adulterium animæ à Deo fornicatis exercetur.

160 Et notandum, quòd ubi nostra Vulgata habet: *Merces auri, & argenti*; alii verò *Pondus auri*; ut in-
Divitiæ non sunt levamen, sed onus. de cognoscas, quòd divitiæ non sublevant, nec sunt levamen vitæ, sed potiùs onus, & pondus gravissimum. De Abrahamo dicitur Genes. 13. num. 2. *Erat dives valde in possessione auri, & argenti*; hebræi legunt: *Oneratus*; D. Hieronym. *Erat gravis vehementer*; & rationem reddit in quæstionibus hebraic. *nam licèt videantur esse divitiæ pecoris, auri, & argenti, tamen si Ægyptiæ sunt viro sancto graves sunt.*

161 Deinde inter merces, quas mercatores Babyloniæ vendebant numerantur animæ hominum, de cujus sensu literali in expositione egi. Moraliter rem explicat Richardus Victor. *Aliquando*, ait, *non solùm corpora, sed animæ venduntur, & emuntur, quando videlicet non solùm corpora hominibus vili servitio, sed animæ dæmonibus nefando cultu subduntur.* Sunt homines im-
Impii vendunt animas suas peccatis. probi, & reprobi, qui impia negotiatione animas suas vendunt dæmonibus, ac peccatis. Ad Achab ait P. Elias 3. Reg. 21. num. 20. *Eo quòd venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini*; Hugo: *Venundatus*, ideſt, *omninò expositus Diabolo*; Cajetan. *Venundatus*, ideſt, *servus peccato addictus*; ideſt, ait traditus peccato, nam quod venditur, traditur emenți, quasi Domino; sic Achab totus traditus erat peccato, cui serviebat.

162 Ecce tot fomenta, ac irritamenta deliciarum, quæ per omnes sensus inserviebant Babyloniæ in auro, & argento, in lapide pretioso cum purpura, coccino,
Indigentia, ac superfluitate perit natura necessariis contenta. & cum omni odoramentorum specie, varietate muſicorum, ac diversitate ciborum, vini, olei, similæ, & tritici, & ovium, & quæ etiam ad famulatum spectabant, superabundabant, ut magna copia jumentorum, equorum, & rhedarum, ac mancipiorum: hæc tanta rerum copia quid peperit? Ruinam, excidium, ac ultimam devastationem, nam civitas, Respublica, sicut vita humana, ut pulchrè ait Tertull. lib. de Anim. *Omnis natura, aut defraudatione, aut enormitate rescinditur, proprietate natura conservatur.* Nequit stare natura creata, si deficiant, aut superfluant necessaria; tam perit superfluitate, quàm defectu: ergo ut natura salva consistat solis necessariis contenta est.

163 Quantum verò nocumentum ex superfluitate habeatur, nobis apertè explicat Daniel. 4. num. 7. nam referens Nabuchodonosoris somnium ait: *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius: & esca universorum in ea*; & quid de arbore tam magna, ac procera factum est? Statim vox de cœlo resonat: *Ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit; clamavit fortiter: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus.* Valde mirum, quòd adversùs arborem tam sublimem, ac fructuosam, tam dura de cœlo proferatur sententia, ut succidatur, & perdatur. Video à Christo Domino arborem ficum damnatam, ut succideretur, ex eo quòd nullum dederat fructum; ait Dominus Luc. 13. num. 7. *Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio; succide ergo illam.*
Ubi superfluitas, ibi ruinæ cer- Danielis arbor magna fructuum copia abundabat, ita ut volucribus cœli, & bestiæ terræ alimenta præberet, & tamen perditioni traditur: *Succidite arborem*; undè tantæ ruinæ causa provenit? Verba text. indicant: *Altitudo ejus nimia*; & iterum: *Fructus ejus nimius.* Tanta exuperantia, ac copia superabundans in altitudine, ac fructibus certissimam ruinam, ac inevitabilem casum trahebant. Richardus Victorinus lib. 2. de eruditione interioris hominis, part. 1. cap. 14. *Vide quisquis hæc audis, vel legis, si fortè altitudo tua est magna; vide, inquam, & diligenter attende, ne fortè sit & nimia. Hoc fortassis in hac descripta arbore reprehensibile fuit, hoc fortassis successionis causa extitit, quòd ejus altitudo nimia fuit: Et altitudo ejus, inquit, nimia.* Multa rerum copia ex se devastationem, ac ruinam parturit.

Introducitur vox Medorum, & Chaldæorum, qui 164
fugientibus Assyriis capta Ninive invicem cohortabantur ad eam spoliandam; Nahu. 2. num. 9. *Diripite argentum, & aurum, & non est finis divitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus, dissipata est, dilacerata, & sciſſa*; ex græco legitur: *Neque finis erat Mundi ejus*; expende ultima verba hæc: cùm proponitur devastatio, ac desolatio, ac depopulatio totius Ninive civitatis, tanquam causa illius ponitur: *Neque finis erat Mundi ejus*; cùm enim nullus finis, nullus terminus ponebatur in habendo ornatu, sed ultra omnes indigentiæ, ac necessitatis terminos exibat, ac exuberabat ejus pompaticus fastus, non mirum quòd in tantum excidium tanta civitas corrueret. Theophylact. *Neque potest quisquam eorum dicere, quòd propter penuriam, & egestatem, ea diripuerint; tolerabilius hoc fuisset malum, sed per injuriam; & quia voluerint habere diversos, eosque pretiosos ornatus, non enim erat, inquit, finis ornatus ejus, adeo erat ornatus exuberans, & sumptuosus super omnia pretiosa vasa eorum, quæ & ipsa desiderabilia erant, ideſt, superfluo luxu ad delicias parata.* Ubi non servitur necessitati, sed superfluitati, ibi convolant omnia mala.
In superfluitatem convolant omnia mala.

Apoc. 18. n. 14. Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te, & omnia pinguia, & præclara perjerunt à te, & amplius illa jam non invenient.

Num. 15. Mercatores horum, qui divites facti sunt ab eo, longè stabunt propter timorem tormentorum ejus, flentes ac [illegible]

VERSIONES.

Arabicus n. 14. Et fructus desiderii animæ tuæ discerptus est à te, & tota pinguedo tua: omnia præclara evanuerunt à te, nec amplius invenies ea.

Primas. Pomorum tuorum concupiscentię animæ abjerunt à te, & omnia clara perierunt.

Aretas. Tempus, vel opportunitas temporis desiderii animæ tuæ recessit à te.

Ansbertus. Poma tua desiderium animæ discessit à te.

Vatablus. Nequaquam amplius invenieris.

Arabicus n. 15. Hi enim qui ditati sunt ab ea & propter timorem cruciatus ejus plorantes, & gementes.

Aretas. Negotiatores harum rerum propter timorem tormenti.

Syriacus. E longinquo flebunt, &c. Et flebunt, & lugebunt.

EXPOSITIO.

ET *poma desiderii animæ tuæ.* Ex iis, quæ spectant 165
ad concupiscentiam oculorum, superbiam vitæ, ac illius pomposum apparatum transit divinus sermo ad illa, quæ spectant ad gulam, & illi famulantur, in quibus post similam supradictam, primum locum assignat exquisitissimis pomis, ut sunt poma aurea, limones, citria, persica, malogranata, ficus, &c. quæ ob sui dulcedinem, tu maximè desiderabas ad delinimentum gulæ. Aretas ubi nos habemus *poma*, legit *tempus*, *seu temporis opportunitas*; quia ad hæc poma gustanda maximè exoptabat Babylon tempus seu temporis opportunitatem; sed transiit, ac discessit à te æstas, & hyems tempestatum, ruinæ, ac devastationis te opprimet; proinde dum tempus habemus operemur bonum, ne à nobis tranſeat.

Et omnia pinguia, & præclara. Tria hìc distincta 166
ponuntur; poma, pinguia, & præclara, ad quæ irritamenta gulæ reducuntur. In pomis sunt omnes fructus, in pinguibus sunt omnes carnes, & pisces, illorum-
Tria irritamenta gulæ.

illorumque condimenta; in præclaris sunt omnia bellaria, & omnia dulcia maximè ex saccharo fabricata; restat vinum, oleum, & triticum, de quibus jam dixit text. super. versu.

167 *Et mercatores horum.* Hìc facit text. mentionem de mercatoribus, cum supra vers. 11. egisset de negotiatoribus; & negotiatores latiùs patere videntur, quia non solùm comprehendunt eos, qui per se venditiones, & emptiones peragunt, ut ex officio faciunt mercatores, sed etiam comprehendunt eos, qui per interpositas personas negotiantur, de quibus dicitur vers. 23. *Mercatores tui erant principes terræ.* Et notandum, quòd ad hunc planctum Babyloniæ simul conveniunt Reges, negotiatores, ac mercatores; & quomodo Reges supremi Monarchæ conveniunt cum illis inferioribus hominibus? Quia quamvis Reges sint, infelicissima mercatura, pro vitiis animas suas vendunt dæmonibus. Ansbert. *Et ipsi Reges sunt, qui pro terrenis lucris infelici mercatu suas animas commutant*; de quibus ait Isai. 50. num. 1. *In iniquitatibus vestris venditi estis.*

Monarcha vilis, si vitiis se tradit.

QUÆSTIO XXI.

Quare cùm in Babylonia multa essent magni pretii, ut aurum, & argentum, tamen de solis pomorum fructibus dicitur, desiderium animæ ejus.

168 TAxatur maximè Babylonia de desiderio, ac concupiscentia pomorum, cùm hæc licitè, & absque culpa dèsiderari possint. Respondet Glossa Interlinealis: *Quia etiam pro minimis, si immoderatè hærent, damnabuntur*; quod ita explicat Div. Thomas: *Quando quis hæret creaturæ alicui, diligendo eam supra Deum, vel æquè Deo.* Etsi desiderium pomorum in se non sit malum; tamen si immoderatè, & cum eximio excessu, ad damnationem conducit, indeque minima ex immoderato affectu damnationis fiunt materia.

Minima ex immoderato affectu damnatur.

169 Quæstio præsens est: Quia in Babylonia, ut patet ex proximè tribus versibus, multa erant magni pretii, & valoris, ut aurum, argentum, lapides pretiosi, purpura, & byssus, & alia, quæ maximè concupiscentiam ad earum possessionem poterant movere, & tamen non de eis, sed de solis pomorum fructibus dicitur desiderium animæ ejus; si alia ob suam magnam æstimationem magis excitare valebant, cur non dicuntur desideria, sed tantùm poma?

Difficultas quæstionis.

170 Resp. primò: Poma maximè pertinent ad delicias, ad voluptates, ad epulas, ad acuendum gulæ appetitum, ac ad fastidium excludendum, & inde maximè homini delitioso sunt amabilia, & in majori æstimatione habita super aurum, & argentum, ut ita dicantur desiderium animæ suæ; sic Esau pro modico edulio parvipendit, quòd primogenita vendidisset, Gen. 25. n. 34. Cavebat Dominus Deuter. 8. n. 12. *Ne postquam comederis, & satiatus fueris domos pulchras ædificaveris, & habitaveris in eis, habuerisque armenta, & ovium greges, argenti, & auri, cunctarumque rerum copiam, elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui.* Ecce inter multa pericula, quæ humanum appetitum rapiunt ad Dei oblivionem, in primis ponuntur convivia: *Cùm comederis, & satiatus fueris*; deinde domorum, armentorum, auri, & argenti possessiones amplissimæ: Nil magis movet, ac ad se trahit humanum affectum quàm auri sacra fames. Quasi tota auri copia, & infinitæ propemodum armentorum possessiones, & universæ divitiæ cedant primas epulis, & conviviis, ad quodlibet nefas, ac Dei contemptum, & ideo non aurum, nec argentum, nec ovium armenta ponuntur in primo loco, sed tantùm ciborum apparatus, qui hominem gulosum sic captivat, ut cætera licèt pretiosa vili pretio appendat; quod eleganter notat Tertull. lib. adversus Psychicos post citat. proxim. Deuter. locum: *Neque postquam comederis, &c.* sic ait Tertull. *Præposuit corruptelæ divitiarum, edacitatis enormitatem, cui ipsæ divitiæ procurant. Per illam scil. increassatum erat cor populi, ne oculis videret, & auribus audiret, & corde conjiceret adipibus obstructo*: vide sup. c. 16. q. 3. n. 21. & seqq.

Gulosus plus diligit cibum, quàm aurum, & argentum.

Gulosus pro cibo obliviscitur Dei.

Secundò: *Poma desiderium animæ ejus.* Cùm Babylonia in multis deliciis, ac voluptatibus viveret, ac degeret, nil magis in ejus erat desiderio, quàm pomorum varietas, quæ multùm ad delicias inserviit, undè tales delicioſi pro eis nullum malum respuunt, à quo maximè abstinent, qui in vitæ parsimonia vivunt, & os suum ad hujusmodi obsonium claudunt. Cùm Daniel inter leones incolumis, ac salvus existeret, ad Darium Regem ait c. 6. n. 21. *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Præter ora leonum, quæ concluſa erant, restabant in leonibus ungues, quibus dilacerare, & laniare magis solent prædam; quid ergo interest, quòd Angelus leonum ora concluderet, si liberi manebant ungues? nonne concluſo ore poterant unguibus laniare virum? Leones sese habebant tanquam ministri; etsi minister habet clausum os ad manducandum, ac devorandum, manus, & ungues sunt contractæ ad capiendum, ac rapiendum, undè cùm Angelus ora leonum alligasset ad deglutiendum, ac dilaniandum, etiam ungues erant alligati, ut nullum nocumentum Prophetæ inferrent: Si non sunt dentes ad comedendum, nec sunt ungues ad furandum. 171

Si minister non habet dentes ad comedendum, nec ungues ad furandum.

Tertiò prima mulier, ac genitrix totius generis humani habuit magnum desiderium, magnamque inordinatam concupiscentiam in pomum: *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, pulchrum oculis, aspectuque delectabile*, Genes. 3. n. 6. ex quo tot mala derivata sunt in omnes posteros; sic & Babylon, ut filia illius mulieris habens nimium, ac inordinatum affectum in poma, ut ex Interlineali, ac D. Thoma notavi in limine quæstionis, tot mala in suos concives, ac habitatores parturivit. Pomo rapto virgo sponsa cecidisse visa est in flagitium, ut necesse fuerit à Deo erigi in salutem; quod significat Christus divinus sponsus Cantic. 8. n. 5. *Sub arbore mala suscitavi te*; & quasi lapsum virginis sub arbore excusans addit, matrem hujus flagitii ducem, ac facem esse: *Ibi corrupta est mater tua*; quid enim furti, non admittat filia ad gulam alendam, quæ matrem Evam furti magistram habet: Gulosæ matris, gulosa est filia. 172

Filii ebibunt mores parentum.

Copiosam militum manum misit Rex Joram ad interficiendum virum sanctum Elisæum, quod ipse præsentiit, & ad suos alumnos dixit: *Nunquid scitis, quod miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum?* 4. Reg. 6. n. 32. & cur Principem suo proprio nomine non dicit Joram Regem, sed tantùm filium homicidæ? Ut hoc nomine omnem admirationem excludat, quod ille tam improbè in cædem viri tam sancti sic festinet. Erat Joram filius Achabi, qui virum sanctum Nabothum interfecerat, proindeque non mirum, quòd pater facto urgeret filium ad similem cædem patrandam. Cajetan. *Vates aptè nominat filium homicidæ, quia in hac actione imitatus est patrem homicidam.* Filius vestigia patris sequens sua iniquitate facinori patris correspondet. 173

A malo patre malus filius.

Referens D. Matth. c. 10. num. 4. nomina Apostolorum, quosdam Apostolos à parentibus nominat; Joannem à Zebedæo, Jacobum ab Alphæo, Simonem à patria Chananæum, se verò à Telonii officio Publicanum, & Judam traditorem, à tribu Iscariotem dicit; quod jure optimo factum esse testatur D. Hieronym. ibi, & ait: *Ex tribu Issachar vocabulum sumpsit, ut quodam vaticinio in condemnationem sui natus fit, Issachar enim interpretatur merces.* Erat Issachar agris colendis, rebusque augendis maximè addictus, indeque à Jacobo, *Asinus fortis* est dictus, *supponens humerum suum ad portandum*, Genes. 49. n. 14. & 15. divina ergo providentia, dum de Juda traditore fit sermo, exprimitur à qua tribu habebat originem, ut denotaretur, quod simul cum sanguine, ac origine, trahebat rerum cupiditatem, ut suum magistrum distraheret vili pretio; negari enim non potest filios frequenter similes esse parentum infaustæ vivendi ratione: Facilè à parentibus ebibunt pueri, quidquid est sceleris domestici. 174

Ab Avis nepos hausit malos mores.

Post diluvium homines congregati *se* mutuò adhortabantur: *Venite faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum*, Genes. 11. nu. 4. 175

tunc

tunc viso hoc eorum studio, *descendit Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam edificabant filii Adam.* Meritò hìc dubitabis, cur hìc non homines appellantur, sed tantum filii Adam? In hoc maximè perlucebat genus Adami, nam sicut Adam in terris degens per suam superbiam, Diaboli promissis deceptus fieri voluit, ut in cœlum conscenderet, sic & nepotes ejus cœlum petere intentabant turri erecta per summam superbiæ stultitiam, & inde, ut ait Div. Thom. *Filii Adam vocantur à Magno Deo, ut innuat, quod ipsi erant similes Adæ superbienti.*

QUÆSTIO XXII.

Quare in extrema miseria Babyloniæ deploratur, ut legit Aretas: Temporis opportunitas recessit à te.

176 UBi nostra Vulgata habet: *Et poma desiderii animæ tuæ discesserunt à te;* Aretas legit: *Tempus, vel opportunitas temporis recessit à te*; & maxima lamentationis causa hæc est, quod opportunitas temporis, & occasio salutis data, recedat, & transeat à nobis. Ait Oseas 5. n. 13. *Et vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum; & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem, & ipse non poterit sanare vos.* Deplorat Propheta populum extrema miseria laborantem, & ait: *Vidit Ephraim languorem suum*; scil. suum Imperium infirmari, languescere, ac deficere, & Judas etiam vidit *vinculum suum*, suam nempe plagam, ac desolationem imminentem; tunc Oratores, ac deprecatores misit ad Regem ultorem; Theodoret. *Ad Regem judicem.* Symmach. *defensorem*; cùm ergo Ephraim, & Judas se multis laborum vinculis constrictos vidissent, auxilium petierunt à supremo Domino ultore, judice, ac communi eorum defensore; sed quid tunc ait text. *Et ipse non poterit sanare eos*; ipse Rex Regum, ipse Dominus peccatorum ultor, non poterit illis salutem dare? & qualiter omnipotens non poterit? Quia valde serò, & tardè salutem quærunt. D. Hieron. ibi ait: *Quòd sanare non possit Dominus nequaquam sua imbecillitate, sed eorum merito, qui serò auxilium postulaverunt.* Sollicitant salutem, & non recipiunt, quia absque temporis opportunitate quærunt, nempe post mortis conturbationem, & postquam sese rudentibus inferni jam trahi experiuntur. In hujus rei stabilimento testatur Alcuin. lib. 5. de transitu maris rubri, quòd cùm Pharao fluctibus marinis submergeretur, tunc cognovit stultitiam suam merito à Deo puniri, sed tam sera cognito inter fauces mortis nihil illi profuit.

Rari salvantur, qui tardè, ac in turbatione mortis volunt converti.

177 Nabuchodonosorem jam ultima calamitas invadebat, jam mirabilia Dei in tribus pueris liberatis viderat, jam sui Imperii excidium audierat, jam ad radicem securis posita erat, & S. Vigil de cœlo clamaverat: *Succidite arborem;* tunc illum monet Daniel 4. n. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & forsitan propitiabitur Deus delictis tuis.* Expendenda est illa particula, *forsitan*, qua etiam inter eleemosynas, inter virtutes salus dubia proponitur à Propheta, ut bene notat Salvian. lib. 1. ad Ecclesiast. & ait: *Hoc ipsum, quod dicit, forsitan, opem indicat, non fiduciam pollicetur*; cur misericordi non fiduciam simpliciter pollicetur? cur peccata sua flenti, & eleemosynis redimenti dubium ingerit de salute acquirenda? cùm scriptum sit: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum*; quomodo ergo eleemosynario salus dubia proponitur? Sanè nimis serò, & tardè hæc eleemosyna agebatur, antea enim jam Dei mirabilia agnoverat, jamque in somnis admonitus, ac turbatus erat; antea jam sui regni devastationem viderat, anteaque jam se gladio perimi audierat, & qui tot, ac tantis non commovebatur, sed adhuc obduratus in sua superbia persistebat, valde dubia salus erat; & sic ultra pergit Salvian. & ait: *Ex quo intelligi potest, quam difficile jam in extremis constituti peccatores, qualibet munificentia ad perfectam indulgentiam pervenire possint, quando Propheta ipse, qui suadet propitiationem Dei inquirendam, promittere non est ausus. Dat consilium de alio, tamen dubitat de effectu; hortatorem se agendi, non impetrandi auctorem facit:* hæc ille, & eleganter.

Qui ad ultimum vitæ tempus pœnitentiam servant, difficilè salvantur.

Valde in dubio est illa salus, quæ non quæritur, nisi post tribulationem, ac mortis angórem, quando jam homo est in ultimo conflictu, quando mens veluti non est sui compos.

Econtra felix ille, qui data suæ salutis occasione, eam indilatè arripit ad vitam animæ suæ. Cùm meus Jesus penderet in Cruce, crucifigitur etiam latro, & ut hic ascendit crucem, sese juxta Dei filium vidit in ligno elevatum, non moratur, sed ad illum pro vitæ regno clamat; cui Dominus Jesus statim ait: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. n. 43. cur tam velox Dei venia in latronem convolat? Eleganter D. Ambros. ibi: *Citò igitur ignoscit Dominus, quia citò ille convertitur.* In illo ultimo vitæ tempore citissima fuit latronis conversio, quia nihil moratus, sed ubi salutis auctorem agnovit, diligentissimè festinavit salutem, & vitam ab eo postulare; jure ergo optimo primas redemptionis obtinet, qui etiam in noviissimo vitæ tempore omnes conversionis moras fugere agnovit. 178

In negotio salutis non est morandum, sed citò currendum.

Ait Isai. 9. n. 1. *Primo tempore allevata est terra Zabulon, & Nephtalim*; si tribuum ordinem consideres, reperies Nephtalim inter ultimas annumerari; cur ergo lux evangelica, primaque salus animarum Nephtalimo, & Zabuloni statim in suo exortu offertur? Quod nobis insinuat Septuaginta lectio habens: *Hoc primum bibe, velociter fac regio Zabulon, terra Nephtalim.* Ubi doctrina cœlestis effulsit in Orbe, hujusmodi Tribus velocissimæ fuerunt in succo evangelico bibendo, nam ex earum terris, ac sortibus nati Petrus, Andreas, Joannes, & Jacobus, ad primam Christi vocem, secuti sunt eum, & qui data occasione non immorati sunt, sed illico salutis viam suæ amplexati, omnes alios velocitate superantes, ut Dominum sequerentur, meruerunt digni ut depósito onere peccatorum, prima salutis remedia invenirent. D. Hieronym. ait: *Hoc primum bibe, velociter fac, quia terra Zabulon, & Nephtalim prima Christi videre miracula, ut prima biberet fidei potionem, quæ prima viderat Dominum signa facientem. Et primo tempore relevata esse dicuntur onere peccatorum, quia crediderunt velociter audientes: Venite faciam vos piscatores hominum; statim & patrem reliquerunt, & naviculam.* 179

Magnis extollitur, qui in negotio salutis currit.

Apoc. 18. *n.* 16. Et dicentes væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat byssо, & purpura, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis.

Num. 17. Quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ, & omnis gubernator, & omnis qui in lacum navigat, & nautæ, qui in mari operantur, longè steterunt.

VERSIONES.

Arabicus n. 16. Væ, væ, civitati illi magnæ, amictæ serico, atque purpura insertæ auro, & lapidibus pretiosis, & unionibus.

Aretas. Quæ circumamicta erat byssino.

Primas. Velata purpura, & byssino, & cocco, & culta auro.

D. Augustin. Quæ induta est byssino, & ornata auro.

Arabicus n. 17. Nam una hora desierunt hæ divitiæ magnæ, & omnes gubernatores, quique maria sulcant, & nautæ, quique mercaturam exercent in mari procul stabunt.

Syriacus. Propterea quòd una hora vastatæ sunt divitiæ, & omnis, qui ad lacum natat, & omnes in mari negotiantur.

Oecum. Una hora destituta est tantis divitiis, & omnis qui in navibus navigat, procul steterunt.

Alcuinus. Et omnis in navibus versantium turba.

Vatablus. Desolatæ sunt tantæ opes; & quicunque in mari operantur.

EXPO-

EXPOSITIO.

180 *Dicentes, væ, væ.* Prosequitur lugubris deploratio mercatorum dicentium, *væ, væ*: quo communiter explicatur ingens dolor. Et dicunt dupliciter, *væ, væ*, ut notat Albert. Magn. pro pœna scilicet corporis, & animæ, vel pro pœna damni, vel sensus; quibus denotatur, quæ in inferno patietur congregatio malorum. *Quæ amicta erat.* Explicat Glossa circumdata. *Bysso, & purpura:* Byssus pertinet ad mollitiem carnis, purpura, & coccus ad vanitatem Mundi, & delectationem oculorum. *Deaurata auro.* Notat Hugo, quòd non dicitur aurea, sed deaurata, nam congregatio malorum, quamvis foris videatur splendida, & aurea, intus verò plena est spurcitia, ac omni turpitudine. *Et palide pretioso, & margaritis.* His omnibus innuitur, quòd civitas illa omni deliciarum genere, divitiarumque omni luxu affluebat.

181 *Quoniam una hora*; uno brevi momento, & hora, qua capta, & spoliata est urbs, ut ait Ribeira. *Destitutæ sunt tantæ divitiæ*, id est; extinctæ, destructæ, ac desolatæ sunt tantæ opes: ita Vatabl. Aret. Primas. *Et omnis gubernator*; nempe rector navigiorum, & navium. *Et omnis, qui in lacum navigat*; exiguis scilicet navigiis, quorum per lacus est usus. Ut advertit Estius, accipitur lacus in plurali denotans omnes lacus, qui juxta urbem sunt, & pisces ministrant. *Et nautæ*; qui nempe navibus inserviunt, & qui operantur in mari portantes merces, vendendi, & emendi gratia. D. Aug. Pagnin. & alii legunt: *Et omnis in navibus turba.*

182 Advertit Alb. Magn. quòd B. Joannes pœna mundanorum aggravavit in duobus; primò, quia pristinam felicitatem eis ad memoriam reducit, ut patet ex his quatuor proximis versibus: secundò, quia citò defecisse ostendit, undè ait D. Greg. *Non est tanti honoris excelsa tenuisse, quanti doloris de excelsis cecidisse.*

QUÆSTIO XXIII.

Quare cùm in ruina Babyloniæ universorum ferè sit planctus, tamen ut vanus, ac irrationalis contemnitur.

183 Considera dispositionem hujus capitis, & facilè invenies, quòd ferè omnes conveniunt, ad planctum, ac fletum super ruinam Babyloniæ; primò, ponuntur Reges terræ, sub quibus intelliguntur principes, præsides, consiliarii, & ministri; secundò ponuntur negotiatores terræ, sub quibus denotantur illi, qui tam per se, quàm per alios quascunque negotiationes faciunt; tertiò mercatores ipsi narrantur; quartò gubernatores triremium, & magnarum navium; quintò gubernatores parvarum, quales sunt, qui in lacubus pisces capiunt; sextò dicuntur nautæ tanquam minores ministri in navibus servientes, ut remiges; septimo referuntur viatores, qui in navibus portantur vendendi, ac emendi gratia.

Comme morant omnes qui ad planctū super ruinas Babyloniæ conveniunt.

184 Ecce ruina, & casu Babyloniæ omnes ferè lugent, & deplorant, & tamen inter ipsas lachrymas, ac gemitus clamoris, adhuc opulentiam, & magnitudinem civitatis mirantur. *Quis similis civitati huic?* Ex quo convincitur, quàm vanus, ac irrationalis esset eorum fletus, & clamor; & quid irrationabilius, quàm flere, ac lugere super speciositatem, ac magnitudinem illius, quod in favillas, ac cineres vides redactum? Rupert. in præsenti: *Sciendum est*, ait, *quia in ipsis pœnitentibus clamantibus, ratio, aut sapientia nulla est*; *qualis enim, vel quàm rationabilis est modus pœnitentiæ, ubi flentes, & lugentes clamant, & dicunt, quæ similis huic civitati magnæ? Etiam nunc phantasiam gloriæ transitoriæ, quam viderant, arbitrantur magnam civitatem fuisse, & lugent cadentem, & clamant, quia in cineres vident eam conversam, & simul ejus magnitudinem, & speciositatem æstimant.* Ex quibus apertè convincitur, quàm vanus, ac irrationalis sit clamor, ac planctus hujus pœnitentiæ; quid irrationabilius, aut quid vanius, quàm æstimare magnum, ac præclarum, id quod in cineres redactum vides? quare magnum, ac Pretiosum dices, si in mirabili casu, ac ruina dejectum vides? & ideo hujusmodi planctus, ac lachrymæ nullius momenti fuerunt.

Valde irrationale flere, ut magnum quod in cineres redigitur.

Postquam Esau se vidit paterna benedictione privatum dicitur de eo Gen. 27. nu. 34. *Irrugiit clamore magno*; D. Chrysost. legit: *Clamavit voce magna valde*. De illo scribit Paulus ad Hebr. 12. nu. 17. *Non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis inquisisset eam*; & cur tantus clamor, cum tanta lachrymarum copia in eo vanus fuit, nullum habens fructum? Quia solùm carnalia, ac corruptibilia æstimabat, quibus frui optabat, & inde vehementer dolebat, quòd ab illis se videret privatum. D. Eph. ho. de Pœn. *Lachrymatus est non quia peccavit, sed quòd Deum non illuserit; plangebat, verùm ut carnalibus frueretur; intus erat radix amaritudinis, & folia, id est, verba in ore; occupabat mentem malitia, & per solam linguam voluit benedictionem lucrari.* Gemitus, & lachrymæ erant illi pro sola temporalium æstimatione; & cum intus in corde lateret malitia, ac affectus temporalium, in ore tantùm erat verbum veluti folium, quod vento rapitur.

185

Pro temporalibus lachrymæ vanæ, & sine fructu.

Ait Zachar. 12. n. 10. *Et aspicient ad eum, quem confixerunt, & planctu plangent eum, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti. In die illa plangent terræ familiæ, & familiæ seorsum: familiæ domus David seorsum, & familiæ Nathan seorsum, & familiæ domus Levi seorsum, & familiæ Semei seorsum, & omnes familiæ reliquæ, familiæ, & familiæ seorsum.* Sto à communi sententia eorum, qui hunc planctum referunt ad Ecclesiam Christi, de morte, ac passione ipsius in die Crucis; sed illud maximè notandum, quod magnam difficultatem facit expositoribus, quòd familiæ numeratæ in præsenti, tantùm sunt quatuor, quæ sigillatim hìc numerantur, nempe familiæ David, Nathan, Levi, & Semei, & cæteræ innominatæ, & confusæ relinquuntur, imò despiciuntur; sed cur has quatuor memorans Propheta, reliquas præterit? An qui capillos pro se cadentes numerat, lachrymas pro se fusas despicit? Absit hoc; imò lachrymas maximè acceptat, & honorat, quæ ex motivo *supernaturali*, ac *spiritualiter*, & non ex re *temporali*, ac populariter fluvunt. Quatuor illæ familiæ introducuntur plorantes, ex valde superno, ac spirituali motivo Christi mortem; familia David, utpote quia ei erat promissus ut Messias, Salvator, ac Redemptor; familia Levi plangit, eo quòd Christus est summus sacerdos, & pontifex; familia Semei luget, quia Christus est omnium magister, & doctor; Semei fuit vir sapientissimus, qui scholam instituit, ut docent hìc Lyran. & D. Hier. ad Agatiam. q. 10. familia Nathan lachrymatur, quia Christus D. erat dux, ac lux omnium Prophetarum; reliquæ verò familiæ confusè, ac sine nomine dicuntur plorasse, quia lamentabantur destructionem Jerosolymæ factam à Tito Vespasian. vel suam condemnationem in die judicii, ut docent Tertull. lib. contra judæos c. 14. D. Iren. lib. 4. contra hæreles c. 66. D. Aug. lib. 20. civit. c. 30. Theod. Remig. Lyran. Sanch. Cornel. & alii, & ideo ubi nos habemus, *plangent eum*, vers. 10. legunt Septuag. *plangent super se*; lachrymæ ergo, quæ ex motivo supernaturali in Christi morte, ob ejus eximium amorem effunduntur, maximè honorantur, ac nobilitantur, ut sigillatim nomine proprio exprimantur, quæ verò populariter & motivo temporali, aut ex mero pœnarum damno veniunt, confusè, ac sine honore contemnuntur, ac despiciuntur. Ad hæc ait Rupert. *Fuit ille quidem planctus grandis, & sapienter dispositus, ut familia domus David familia regalis, & familia domus Nathan, qui Propheta fuit, & familia domus Levi, ex quo ortum sunt sacerdotium, & familia domus Semei, ex quo doctorum agmina pullularunt, & reliquæ familiæ, quas, quia non habebant aliquod privilegium dignitatis, universas absque nomine comprehendit.* Illæ quatuor familiæ habebant dignitatem, & præeminentiam spiritualiter, qua supernaturaliter Deum venerabantur, qua cæteræ familiæ carebant, & ideo absque nomine hæ ponuntur.

186

Lachrymæ ex supernaturali motivo, & non ex temporali æstimantur à Deo.

In cœnaculo ait Christus D. suis discipulis Joan. 16. n. 20. *Amen, amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; Mundus autem gaudebit*; ac si diceret Dominus: cùm jam tempus instat, ut in manus inimicorum tradar, præsto vobis sunt lachrymæ, & fletus, meæ mortis causa; & cur discipulorum lachrymæ in mor-

187

te Jesu sic Jesus approbat, & non prohibet, si cùm duceretur ad mortem, multas mulieres flentes & lamentantes ejus Crucem, increpat dicens: *Filiæ Jerusalem, nolite flere super me?* Luc. 23. num. 28. cur ergo sciens discipulos ploraturos mortem suam, fletum non prohibet, imò potiùs approbat, dum à mundanis, ac sceleratis distinguit, & tamen lachrymas mulierum deplorantium ejus Crucem vetat: *Nolite flere super me?* Flebant discipuli ex intimo amore in Christum, quia sciebant suum magistrum Deum, & hominem pro salute generis humani pati; flebant mulieres Jerusalem, ex naturali potiùs compassione, quàm ex supernaturali affectione, magisque complorabant temporalem pœnam, quam Christus D. subibat, quàm æternam damnationem, quæ ipsasmet, & earum filios manebat; lachrymæ ergo discipulorum, quæ ex supernaturali amore in Deum procedebant, à Domino honorificè acceptantur, à quo excluduntur mulierum lamentationes compassione temporali, denudatæ omni supernaturali affectu.

Justorum lachrymæ acceptæ Jesu, nō sic populariū.

QUÆSTIO XXIV.

Quare destructa Babylonia destruitur ejus Imperium, cùm tamen destructo Ægyptiorum exercitu, non destruitur eorum Regnum.

189 ECce cùm destruitur Babylonica civitas, etiam simul destruitur ejus Imperium, ut dicitur vers. 4. *Et illa ampliùs non invenient*; sicut enim olim alteri Babyloniæ contigit, nam per Cyrum illa deleta, nocnon universa Assyriorum Monarchia, muri civitatis solo æquati, & portæ detractæ, & totum denique nomen Assyriorum evanuit. Illud tamen ponderandum, quod ut Deus eriperet suos ab Ægypro, perdidit quidem eorum exercitum, non tamen illorum regiam evertit, nec regnum destruxit; cur ergo non Ægyptus, sed Babylon cum sua Monarchia funditus interiit? In Israelitarum libertate, hæc Babyloniæ perditio debebatur, quæ ut magis, & cum majori fastu, ac deliciarum luxu floruit, quàm Ægyptus, sic in exitu in majorem ruinam fuit præcipitanda: Hoc est, deliciarum stipendium, casus, & ruina, ut pote pestiferum venenum totius Reipublicæ.

Stipendium deliciarum devastatio, & ruina regnorum.

190 Ait reg. Vat. Ps. 140. n. 5. *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*; in hebr. *Oleum venenati non frangat caput meum*; quodnam est hoc oleum venenosum? Juxta communiter Interpretes deliciæ, ac voluptates, quæ vires frangunt, virtutem, ac animum debilitant, omneque Reipublicæ caput enervant, undè bene dixit Tertull. lib. de Pall. *Plus togæ lesere Rempublicam, quàm loricæ*; quia scilicet togæ, hoc est pacis, tempore irruunt in Rempublicam deliciæ, quę belli tempore excluduntur. Inde pacis tempus secum adducit delicias, quæ maximè in Reipublicæ damnum vertuntur.

Venenum Reipublicę deliciæ.

191 Destructionem hominum mundialium describens Jer. ait c. 5. n. 6. *Percussit eos Leo de Sylva, lupus ad vesperam vastavit eos; pardus vigilans super civitates eorum*; singulis animalibus singulas circumstantias appposuit, ut dicat Propheta pardum vigilantem, lupum ad vesperam, leonem de sylva; quod lupus ad vesperam, & pardus vigilans nocentiores, inde exprimantur, commune est, at in leone cur solùm posuit, quòd sit de sylva? quid majoris damni habet leo cùm sit de sylva, quàm si de deserto, & sterili loco esset? In leone de sylva latet anguis in herba, sunt enim sylvæ maximè hominum deliciis, ac voluptatibus servientes, in illis enim omne suave, ac delectabile aspiciunt homines, cùm umbris arborum fruuntur, cùm frondentes, viridantesque ramos spectant, sua vissimoque florum odore recreantur, in ipsa ergo amœnitate, ac jucunditate nemoris, est leo de sylva, de deliciis nempe, qui percussit, lupus ad vesperam, crudelitas nempe, & pardus vigilans suo vario colore, dolositas scilicet, ac fallacia est, ut dicunt Glossa Moralis, & Hugo: ecce tres sævissimi adversarii contra mundialium civitatem, deliciæ nempe, crudelitas, ac astuta dolositas, tamen in primò capite ut primatum teneus in omni destructione leo de sylva, indomitus nempe delitiarum impetus, qui plus dissipat, ac devorat, quàm inhumana crudelitas, ac dolosa felicitas.

Maxima & principalis regnum perditio à deliciis.

Rex Achab magnis Syriorum copiis impugnabatur; tunc ex Dei oraculo ducentes triginta duos viros in exercitum Syriorum mittit, de quibus ait text. *Egressi sunt meridie*; *Benadab autem bibebat temulentus in umbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant*, 3. Reg. 20. n. 16. valde munitus erat Benadab auxiliariis copiis triginta duorum Regum, & quomodo contra tot validissimos Reges cum fortissimis militibus cum magno exercitu, ducenti triginta duo viri exeunt in prælium? Erant Reges Syrii in umbraculorum deliciis, cum festivissimis conviviis, & potationibus, & inde ut certissimum putatur, quod sub gladio, ac impetu paucorum militum cadant; cùm contra se haberent deliciarum choros, nullus fortior, ac validior exercitus ad regum, ac principum destructionem, quàm eorum deliciæ, & voluptates, & cùm Deus horum regum devastationem disposuisset, eos sub deliciis vivere permisit. Joseph. lib. 8. Antiq. c. 8. *Accitis igitur principum filiis, qui triginta duo erant super ducentos, cognito quòd Syrus ad epulas, & luxum se dedisset, patefactis repentè portis, emittit juvenes; at illi repentino impetu in Syros delati facilè eos profligant.* Vis hostes perdere? scrutare tempus, & si deliciis deditos inveneris facilè superabis. 192

Hostis in deliciis facile superatur.

Jubet babylonicus tyrannus è pueris hebræis nobiliores, & præstantiores seligi, selectos in aula habitare; quid deinde? Dan. 1. n. 5. *Et constituit Rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino undè bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu Regis*; quis non admirabitur tyrannum Regem tam larga magnificentia captivos pueros ditare? quis fecit, ut per tres integros annos captivi pueri sic benevolum regem experirentur, ut de ejus regia mensa cibos abundantes caperent? Non id permittebat ex se hostilis tyranni animus. Ied Diabolus illi hanc mentem ingessit, ut tanta deliciarum diuturnitate, & assiduitate tantis pueris magna damna inferret, cùm plus valeat ad destruendum regium animum lenitas deliciarum, quàm ferocissimi tyranni rigor, ac asperitas. D. Ephr. ser. in Daniel. ait: *In cor Impii Regis sese Diabolus immittit, suadetque, ut per singulos dies Rex constituat annonam de cibis suis, & vino, undè bibebat ipse. Vide malignitatem draconis, quandoquidem, non ad diem unum, aut mensem dierum constituit præfinitum tempus, verùm ad tres usque annos prorogavit certamen, ut temporis diuturnitate tandem substerneret amatores divini cultus.* 193

Plus potest ad perdendū lenitas deliciarū, quam tyranni rigor.

Apoc. 18. *n.* 18. Et clamaverunt videntes locum incendii ejus, dicentes, quæ similis civitati huic magnæ?

Num. 19. Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes, & lugentes, dicentes: Væ, væ civitas illa magna, in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus, quoniam una hora desolata est.

VERSIONES.

D. August. n. 18. Videntes fumum ignis ejus.
Vatablus. Videntes fumum incendii ejus.
Arabicus. Quæ similis est huic urbi magnæ.
Syriacus n. 19. Injecerunt pulverem, &c. divites facti sunt ex pretiositate ejus, propterea, quod in una hora vastata est.
Arabicus. Imponent capitibus suis pulverem, &c. Divites facti sunt ex ejus fastu, quæ diruta est una hora.
Primas. Divites facti sunt de claritate ejus, quia hora exterminata est.
D. August. Quia una hora deserta est.

EXPOSITIO.

ET *clamaverunt.* Præ nimia cordis anxietate, vel præ timore, ac horrore. *Videntes locum incendii ejus*; Vatabl. & alii legunt: *Videntes fumum incendii ejus*; cùm nempe vidissent illustrissimam civitatem voracibus flammis comburi. Haym. D. Anselm. Albert. 194

Albert. Magn. Hugo, Carthuſ. hoc moraliter referunt ad miſeros damnatos, cùm viderint ignem, & fumum Inferni horribilis. *Quæ ſimilis civitati huic magnæ?* cui civitati unquam contigit, quòd huic contigiſſe cernitur & dicitur civitas magna? Haymon: *Nulla civitas illi magnæ, honore æquari potuit;* quod maximè facit ad dolorem, cùm ex tanta gloria ceciderit in tantam miſeriam.

195 *Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua*; qui mos erat maximè lugentium, ac dolentium, de quo q.26. *Et clamaverunt flentes, ac lugentes*. Et quamvis utrunque verbum idem ſignificet, repetitur tamen, vel quia, ut ait Albert. Magn. dicuntur flentes corde, lugentes verò oculis; vel quia duplicato verbo ſignificatur ubertas lachrymarum ſine ulla conſolatione; & ad damnatos refert Andr. Cæſ. *Cùm à vitæ hujus voluptatibus, & deliciis ſeſe invitos abduci, ſtimuliſque conſcientiæ propter flagitia perpetrata citra intermiſſionem compungi animadverterint*. Proſequitur text. *Dicentes, væ, væ*; quod eſt ſignum magnæ triſtitiæ, ac doloris; & dicitur dupliciter ob pœnam corporis, & animæ. *In qua divites facti ſunt omnes*. Dolent ſuper devaſtationem civitatis, ob cujus luxus, & ſuperabundantes ſumptus, magnum ex pretioſis quibuſque mercibus lucrum faciebant. Tam hìc, quàm ſupra in hoc capite per gubernatores, rectores navium, Andr. Cæſ. Primaſ. Pann. Beda, D. Tho. D. Anſelm. intelligunt Epiſcopos, Prælatos Eccleſiæ, de quibus dicitur: *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis*, Pſ. 106. n.23.

QUÆSTIO XXV.

Quare negotiatores omni genere triſtitiæ, ac luctus lamentantur ſuper ruinas Babyloniæ.

196 Negotiatores [illegible] luctus, ac mœſtitiæ lamentantur ſuper Babyloniæ devaſtationem; lugent, & flent, & pulverem ſuper capita ſua mittunt, & gementes ingeminant væ; quibus ſignificatur eorum ingens dolor, metus, ac horror, ut ait Albert. Magn. Dolor erat vehemens, quia ejus interitu cauſa ſuarum deliciarum erat ablata. *Reges terræ cum illa fornicati ſunt*, ſupra verſ. 3. & mercatores, ut in præſenti dicitur, divites facti ſunt de pretiis eorum, quæ in ea vendebantur. Timor, & horror erat ingens, ut dicitur verſ. 10. *Longè ſtantes propter timorem tormentorum ejus*.

Lamentatio ex dolore, timore, & horrore.

197 Secundò introducuntur hìc lugentes, ac flentes Reges, ſub quibus intelliguntur Principes, ac Magnates, gubernatores, nautæ, negotiatores, ac mercatores; cur potiùs omnes iſti ad arma non currunt adversùs eos, qui in flammis dederunt tam illuſtrem civitatem? Fumum incendii viderunt, & ſupplicium illius viſum, ita omnes terrefecit, ut animo, ac viribus deficerent, & ita Babylon deſtituta eſt ſpe auxilii, à quibus ſperare poterat. Rupert. ait: *Omnes omnino tam Reges, quàm nautæ, ſive gubernatores, quàm negotiatores longè ſteterunt, non tam loco, quàm defectu cordis, & animo invalido, quia videlicet, nec Reges arma, vel exercitus ad pugnandum, neque nautæ ad remigandum, neq; negotiatores inſtitutas ad colligendas ſarcinas habebant.*

In aliorum ſupplicio impius terrefactus ſine viribus eſt.

198 Tertiò valde mirum, quòd omnia luctus ſigna exhibent; lugent, flent, pulverem ſpargunt ſuper capita ſua, & duplicantes ingemunt: *Væ*, & ut exprimit text. *Videntes locum incendii ejus* Solùm ante oculos verſabatur fumus mundialium bonorum, quæ ſummè amaverant; & cùm multi doctores dati in expoſitione, hoc ad damnatos referant, urgetur difficultas; nondum Judex apparebit, nondum ſententia urgebit, nondum verbum aſperum reſonabit, nondum carnifices videbuntur, nondum horribilia tormenta premebunt, ſolùm Mundi fumus, fœtidumque cadaver oculis objicitur, & jam intolerabilis pudor, irreparabilis gemitus miſeros peccatores occupabit? Ita quidem; ſic Iſai. 1. n. 29. *Confundentur ab idolis, quibus ſacrificaverunt; & erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis*. Ecce deliciæ univerſæ ingentem confuſionem, & planctum ſuis amatoribus parient; ſed qualiter à fallis diis, à delicioſis nemoribus confuſio veniet in ultores ſuos? Perbelle noſter D. Cyrill. Alexandr. in præſenti rationem aſſignat, etenim ait: *Illos namque, ante alios, una cum hortis luciſque exuſtos conſpexerunt*. Summa confuſio, ac erubeſcentia propriis oculis videre ea bona conſumi, ac deperdi, ob quorum amorem miſeri in tot, & tanta ſupplicia, ac tormenta irruerunt. Inde vitulum, quem Judæi in deſerto adorarunt, ob cujus cultum à Deo defecerunt, & graviſſimis plagis ſunt oppreſſi, Moyſes ante eorum oculos *combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem*, Exod. 32. num. 20.

Magna cõfuſio oculis videre, id conſumi, ob cujus amorem damnatus eſt.

199 Quartò clamaverunt longè ſtantes, ut dicitur verſ. 10. & 15. quæ verba ſic poſſunt explicari: *Videntes fumum incendii ejus*; juxta lectionem Vatabl. longè ſteterunt animo, & affectu à nequitia Babyloniæ, nam cum aliqui vidiſſent, quod filii Babyloniæ miſerè perirent, & caderent aliorum pœnis edocti, firmi, & conſtantes ſtabant ad Deum ſuum, multi enim aliorum ſupplicio viſo vocantur ad pœnitentiam, & ad Deum ſuum convertuntur: ita S. Primaſ. in præſenti ait: *Quia multos ex hac contritione, nempe malorum clade novimus ſæpè compungi, non inconvenienter accipitur, longè ſtabunt, & clamabunt videntes fumum incendii ejus, ut longè ſtare ſit, non cum perditis cadere, ſed ſubita potiùs converſione ſtabilitatem accipere: Propterea Domino ſuo ſtat, & non cadit; quod non loco corporaliter ſtare, ſed animi debet intelligi ſtabilis in fide converſio, ut & quod ſe plangere dicuntur, aliis pereuntibus, ipſi intelligantur pœnitentiam agere fructuoſam;* ad quod eos induxit viſa plaga Babyloniæ.

Caſtigatio aliorum impios etiam ad pœnitentiã adducit.

200 Rejectis judæis eliguntur gentes in Regnum cœlorum, ut ipſe Salvator dixit ſcribis, & Phariſæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, Matth. 21. nu. 43. primum Regnum Chriſti proponitur deperditum à judæis, deinde dicitur datum gentibus; nonne decebat, ut Regnum cœlorum eſſet in majori æſtimatione gentibus, ut ipſæ primo loco ad illud aſſumerentur? ad quid ſecundo loco, poſtquam ab illo ſunt excluſi judæi? O ingens Dei beneficium à Deo in gentes derivatum, ut ita in alieno capite videant reproborum diſcrimina cavere, & ex aliorum ruinis ſibi diſcant proſpicere, vias iniquitatis fugere, & in ſemitis Dei ambulare, ſicque aliena condemnatine inſtruuntur de propria ſalute agere. Eleganter D. Zeno ſer. 6. de Iſaia ait: *Judaicus quidem populus impietatis arguitur, ſed chriſtianus, ne talis evadat, pariter commonetur. Denique ut iſte plus timeat, ille terretur; ille vapulatur, ut iſte proficiat. Compendioſum felicitatis genus, alterius periculo diſcere, quod debeas devitare*. Expende ultima verba.

Magnum beneficium dũ alieno ſupplicio admonemur.

201 Benedicens Jacob tribum Juda Gen. 49. n. 10. ait: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt*; & aliis in locis promittitur regnum tribui Juda, quod per Davidis familiam adimplendum erat, & tamen cùm primum ad eligendum Regem devenitur, prætermittitur tribus Juda, ut dicitur 1. Reg. 10. n. 21. *Et applicuit tribum Beniamin, & cognationes ejus, & cecidit cognatio Metri, & pervenit uſque ad Saul filium Cis*. Si divino oraculo Tribui Juda in familia Davidis promiſſum erat regnum, cur nulla Davidis facta mentione transfertur regnum ad Tribum Beniamin uſque ad Saulem? cur ergo pro ſtabilitate divinæ promiſſionis non primò vocatur David, in quo regnum æternandum erat? Hoc divina clementia ſic ordinavit, pro majori felicitate, majorique beneficio erga Davidem, ut prius eligatur Saul, in cujus reprobatione, ac caſu diſcat David, quòd fugere debet, & amplecti teneatur, ut regnum ſibi valeat in æternum ſtabilire. Perbelle D. Dreg. lib. 4. in 1. Reg. ait: *Ideirco reprobus Rex eligitur, ut electus ejus ſucceſſor Rex David in eo cognoſceret, quid cavere debuiſſet; ſic nimirum de Angelorum Curia legimus, quia de apoſtata primo Angelo ſcribitur: Ipſe eſt principium viarum Dei; ſed quia ante omnia conditus eſt, per ſuperbiam cecidit, & in ejus ruina S. Angeli didicerunt, qua virtute ſtare potuiſſent*. Sic Deus tantam curam ſuorum electorum gerit, ut ipſi videntes aliorum horribiles ruinas cautiores fiant: *Et in ejus ruina ſancti Angeli didicerunt, qua virtute ſtare potuiſſent*.

Magnum beneficium videre in alieno capite, quod debeas cavere.

Temeraria præſumptione audet Rex Ozias ſacerdotium uſurpare, & incenſum Domino offerre; ad 202

quem sic clamat Azarias sacerdos: *Non est tui officii Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron*, 2.Par.26. n.18. sat erat ad cohibendam Regis temeritatem dicere, non esse regalis muneris incensum offerre, sed hoc ad sacerdotes spectare, ad quid explicitè fit mentio filiorum Aaron? hoc superfluè videtur additum. Considera divinam bonitatem: Voluit Deus humanissimo modo Regis temeritatem reprimere, filiorum Aaronis meminit, Aaronis tempora in memoriam revocans, in quo tragœdia Core, suorumque sociorum, ac aliorum, qui volentes sacerdotium præsumptuosè usurpare, horribili supplicio castigati sunt, quosdam terra vivos devorante, Num.16.n.31. alios flamma vorante consumente, Lev. 10. n.2. & nullus suavior corrigendi modus, quàm qui de monumentis aliorum periculorum reprehenduntur. D.Chrysost. ho.5. de verbis Isaiæ extollens humanitatem Azariæ ait: *Ipsa breviloquentia declarat nobis ejus humanitatem. Quod si cupis videre ubi ferrum occultarit, audi: Non licet, inquit, tibi adolere incensum Domino, sed solis filiis Aaron. Hic inflixit vulnus, eo quod non simpliciter dixit sacerdotibus, sed addit Aaron. Is primus fuit sacerdos, simileque facinus ejus temporibus quidam ausi sunt, sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios verò cœlitus emissus ignis excussit. Hujus ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem facit Aaron, ut ad calamitatem eorum, qui fecerunt injuriam, hujus mentem transmutaret.*

Suavè moventur homines monumentis pœnitentiæ.

QUÆSTIO XXVI.

Quare negotiatores non solùm lugent, & flent super ruinas Babyloniæ, sed etiam pulverem spargunt super capita sua.

203 VAlde frequens, ac celebris fuit apud veteres usus cineris, aut pulveris in signum pœnitentiæ, vel ingentis luctus, seu doloris, non solùm apud populum Dei, sed etiam apud gentiles, ut patet de Ninivitis, ac eorum Rege Jona 3. num.6. ac etiam de Tyris, & Sydoniis, Matth.11. n.31.

204 Dupliciter autem pulvis super caput spargi solebat; uno modo simpliciter, pulvere, vel cinere caput manu aspergendo, qualiter fecerunt Judith.9.n.1. Mardochæus, & Esther c.4. n.1. & c.14. n.2. alio verò modo jactando pulverem, vel cinerem in cœlum, qui postea in caput recidebat, qua forma usi sunt amici Job 2.n.12. *Sparserunt pulverem super caput suum in cœlum.* Sic etiam de Tyro intelligitur id, quod dicitur Ezechiel. 27. n.30. *Et ejulabunt super te voce magna, & clamabunt amarè. Et superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur.*

Dupliciter pulvis spargebatur.

205 Hic autem mors jactandi pulverem versus cœlum tunc fiebat, quando antiqui aliquid magnum à Deo petebant, ac desiderabant; hinc Judæis vociferantibus contra Paulum, ac vindictam de illo à Deo postulantibus dicitur Act.22. nu.23. *Et pulverem jacientibus in aerem.* Ait D.Th. In cœlum pulverem jactant, quo suam angustiam, extremamque tristitiam Deo offerunt, ut faciliùs exaudiantur, & Deum sibi placatum, ac propitium reddant. Cajetanus ait hoc factum fuisse, ut significarent Paulum turbatorem esse non tantùm terræ, sed etiam aeris, ac cœli. Lorin. existimat hanc cæremoniam esse usitatam in summam detestationem ac maledictionem, & in hac sententia est Lyran. at verò D. Chrysost. Sanch. Cornel. inquiunt hoc factum esse, ut denotaretur Paulum à Tribuno esse lapidibus obruendum; nostri autem nautæ, & mercatores primo modo pulvere capita sua sparserunt.

Cur pulvis jactabatur.

206 Sed jam moraliter: Secundò, ut multis placet, & dixi in expositione, fermo est hic de damnatis in Inferno; & ad quid in inferno super capita sua reponitur pulvis? Laudabili consuetudine Ecclesiæ singulis annis imponitur pulvis super capita nostra ad recordationem nostræ vilis conditionis; cur ergo in Inferno? Ut qui seipsos noluerunt agnoscere, saltem sua utilitate compulsi, Deum adorarent, ac venerarentur; in Inferno se ipsos agnoscant, ad majora sua tormenta, ut Deum Judicem experiantur. Richard. Victor. *Quia se fuisse de materia terrea, & fragili, mortali, transitoria recognoscent in Inferno, quod nunc minimè perpendunt in Mundo, fuco animirum elationis, & impietatis obtenebrati; quàm sit brevis vita ista, vita lubrica, & mors incerta non attendunt, quæ tunc semper ante oculos habere cogentur.*

Qui Deum ut Creatorem non agnoverit, ut vindicè experietur.

Tertiò D.Ambr. & etiam Isichius in c. 6. Levitici per cinerem peccata significari dicunt; quid ergo est, quòd reprobi inter cruciatus æternos super capita sua ponunt pulverem, hoc est sua peccata? Non in testimonium pœnitentiæ, sed ad majora sua tormenta, quia memoria suorum peccatorum maximè torquentur, ac cruciantur. D.Ambr. hìc ait: *Sæpè per caput mens, per cineres peccata designantur; cinerem itaque super capita sua imponunt, quia memoria peccatorum à mentibus eorum nunquam recedet.* 207

Damnati torquentur memoria suorum peccatorum.

Quartò Ansbert. ponderat, quid per caput, quid per pulverem significetur; per caput mens nostra designatur, per pulverem vero terrena concupiscentia denotatur; quæ quamvis valde vilis, & abjecta sit, tamen nostræ menti sic imponitur, ut ipsam valeat obcæcare, ac obtenebrare, ne vera bona, ac cœlestia conspiciat; sic ait Ansb. *Quid est Mundo à statu suo cadente reprobos super capita sua pulverem mittere, nisi terreno amore, ne cœlestia possint intueri, mentis suæ oculos corrumpere?* 208

Terreno amore obcæcatur homo, ne cœlestia conspiciat.

Perbellè dixit Stob.ser.... *Fera est sibi mancipans homines voluptas, sed mentis.* Vis intueri, quàm crudelis fera mentis sit nostra concupiscentia? primam mulierem Evam considera, quæ data est, ut mater esset viventium; hæc cum viro suo à Deo mandatum accepit, ne comederent de ligno vetito sub mortis pœna, & tunc ait serpens ad mulierem: *Nequaquam moriemini*; illane adhæsit Dei mandato, an serpentis vocem est auscultata, qua ad nefarium scelus trahebatur? Ait text. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*, Gen.3. nu.6. & quomodo fieri potuit, quod adeo sapiens mulier in originali justitia creata, totque vi[illegible] voce serpentis in tantum facinus raperet[illegible] Causam hujus rei insinuant verba illa, nimirum: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum*, &c. cœperunt mulieris sensibiles oculi in terram declinare, cœpitque ipsa terrenis cupiditatibus teneri, sic ab ipsis interni oculi sunt obcæcati, ut magis serpentis, quàm Dei voces audierint, ac sectati fuerint. Rupert. ibi ait: *Naturam ligni propriis oculis dijudicare voluit; at illi, qui de hoc judicare debuerant interiores oculi, externorum jam erant oculorum concupiscentia prepediti: sic videt, sic sacrilega temeritate serpenti magis, quàm creatori credidit*; ubi enim externi oculi aperiuntur Mundo, ac terrenis, statim interni clauduntur Deo, ac cœlestibus, concupiscentia enim suis lenociniis, ac præstigiis fascinat, ut rectè de primibus Parentibus loquens noster D. Cyrill. Alex. lib.1. de Adorat. ait: *Hoc in unoquoque nostrum spiritualiter, ac latenter accidere quis deprehendat; voluptas enim affulgens præstigiis suis mentem fascinat.* 209

Voluptas fera mentis.

Cupiditas obcæcat mentem.

Cupiditas fascinat mentem.

Nutriebantur Israelitæ à Deo cœlesti pane omnem saporum suavitatem continente, & tantum panem Angelorum contemnunt, ac fastidiunt; & undè tantus panis potuit venire in fastidium? Inquiunt ipsi: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porri, & cepæ, & allia. Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*, Num.11. n.5. Voluit Diabolus Israelitas trahere in mannæ contemptum, eis objicit in memoria cucumeres, porros, allia; cur non magis eis objecit pretiosa Regum obsonia? cur non proponit delicata, & dulcia cibaria? cur vilissima opponit cœlesti cibo? Ut homo rapitur sua voluptate, non appetit quæ pretiosa, sed quæ vilissima sunt mentem obtenebrescunt, ut mannæ contemptum generent, & quæ cœlestis substantiæ sunt in fastidium veniant. Ait D. Ephr. de Pœn. *Alliorum, & cucumerum amorem Diabolus accendit, ut animum impelleret ad panem, quem Deus dederat, condemnandum.* Hæc est miserrima conditio humana, ut vilissimis rapiatur ad cœlestia rejicienda. 210

Ubi concupiscentia mentem obcæcaverit, avertatur à Deo.

Nabuchodonosor tanta dementia est elatus, ut se Deum reputaret, inde statuam suam mandavit adorari in arbore sublimi, quæ cœlum contingebat, contra quam clamat Angelus de cœlo: *Succidite arborem*, &c. nempe Nabuchodonosem, qui ejectus ab hominibus inter feras erat computandus, & de eo ait Angelus: 211

gelus: *Et alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli infundatur*, Dan.4.n.12. & eadem sententia iteratur infra. Sanè expensione dignissimum est; si necesse fuit hominem, vel feram vinculo ferreo, & æreo alligari, cur non religatur ad columnam marmoream, vel truncum caducæ, & proceræ arboris, & non ad herbam, quæ modico adnixu facilè evelli, ac radicitus extirpari potest? cur ergo Nabuchod.fortis, & validus ad teneram herbam vinculis ferreis religatur, quæ illi in pabulum datur, ac si alligaretur ad prævalidum stipitem, vel ad ferream anchoram? Rationem innuit appositè Hug. *Alligetur vinculo ferreo, & æreo, id est, froti & durabili, & indissolubili, sicut animal lascivum ad pascendas herbas.* Valde frequens est apud auctores, tam sacros, quàm prophanos in herbis camporum flosculis hortorum Mundi delicias, & concupiscentiæ voluptates denotari; mandatur ergo Nabuchodonosor vinculo ferreo, vel æreo alligari ad herbas, quia mundanus, ac deliciosus, ut erat ille, sic suis cupiditatibus, ac concupiscentiis, *vinculo forti durabili, ac indissolubili*, tanquam ferrea catena astringitur, ac restringitur, ut ab illis ex vecordi libidine se excutere, ac expedire difficilè sit, ut ea, quæ suæ salutis sunt, consideret, ac recogitet: Fortiùs, ac vehementiùs homo à suis cupiditatibus religatur, quam si ad columnam ferream, vel marmoream esset advinculatus.

Homo à suis cupiditatibus tanquam vinculo ferreo fortiter alligatur.

QUÆSTIO XXVII.

Quare amatores Babyloniæ super ruinas ejus sex ingeminant væ; quod maximè distinguitur à gemitu Prophetarum.

212 VÆ. Interjectio rebus, quæ execrantur, competit; & bis *væ* aliquando dicitur in magna tristitia, ac angore animæ, ut ad c.2. Ezech. n. 9. *Carmel. & væ* notant D.Hier. D.Greg. lib.9. in Ezech. & communiter alii; [illegible] nostro textu, in quo, ob magnum fletum, & lamentationem illud repetunt Reges n.10. & negotiatores, ac mercatores terræ, n.16. & 19. Et notandum, quod ordinariè luctus, fletus, cum Væ dicitur supra rem, cujus restaurationis nulla est spes, undè cùm Dominus prædicit Judæ proditionem: *Unus vestrum me traditurus est*; statim addit: *Væ homini illi*, Matth.26.n. 24. cùm verò trinam Petri negationem declarat, ibid. nu. 34. nullum apponit. Judas in æternam damnationem erat iturus, Petrus verò cum magna pœnitentia in magnam gloriam sublimandus.

213 Undè bene notat Rupert. in præsenti: *Sexies Væ dictum est, & una, & eadem causa dicendi væ ubique redditur, paucis tamen commutatis vocibus; quoniam una hora venit judicium tuum, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ, quoniam una hora desolata es; omnium namque Mundi ætatum, quæ sex numero sunt, tunc simul vindicabuntur in eis scelera, quorum nulla est septima. Et hoc mirum, atque miserrimum erit videre eis, qui tantopere amant hoc nequam sæculum, quia tot dierum, vel temporum, tot Mundi ætatum opera mala judicabuntur, & gaudia peribunt, succedente interminabili quantitate tormentorum.* In Babylonia, ut sæpè dixi, denotatur Mundus; super ejus devastationem, & ruinas, amatores Babyloniæ, seu Mundi sex ingeminans Væ, ac lamentationes super omnia nempe peccata, ac vitia, quæ regnarunt in Mundo per sex illius ætates, quæ omnia in extremo die judicabuntur, ac condemnabuntur ad æterna tormentorum genera, & qui in peccatis suis delectabantur per omnes ætates, super omnes ætates lugent, & flent.

Peccata per sex Mundi ætates maximè deplorãda.

214 Maximè tamen ponderandum, quantum distat fletus amicorum Babyloniæ à fletu SS. Prophetar. nam isti amatores geminant Væ, & lamenta super ruinas Babyloniæ, quia, *Merces auri, & argenti amplius non invenientur* in ea, & quia *una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ*; at contra Jeremias miseriam Jerosolymæ deplorans ait Threnor.5.n.15. *Cecidit corona capitis nostri; væ nobis, quia peccavimus.* Amatores Babyloniæ dum dolent super ejus devastationem, non lugent super ejus peccata, à quibus tot mala prodierunt, sed attendunt ad effectus ex tali ruina subsecutos, quia *merces auri, & argenti in te, non invenientur amplius*, *tantæ divitiæ una hora destitutæ sunt*; at Propheta ait: *Cecidit corona capitis nostri; væ nobis, quia peccavimus*; ubi maximè ponderandum, non ait: Cecidit corona capitis nostri; væ nobis, quia perdidimus regnum, quia fumus absque Rege, quia sceptrum à nobis est translatum; sed tantùm ait: *Væ nobis, quia peccavimus*; non lachrymatur super effectum cadentis coronæ, quæ erat Regis destitutio, sed tantùm fletu prosequitur illius causam, quæ sunt peccata, ut advertit Lyr. *Væ nobis, quia peccavimus. Hoc malum, & alia propter peccata nostra incurrimus.* Mundani in ruinis, & devastationibus non recogitant tantorum malorum causam, scilicet peccata, sed tantùm gemunt super effectus damni inde sequutos: *Merces auri, & argenti non invenientur in te amplius*; at justi, & sancti consequentias, ac effectus damni despiciunt, & solùm super originem, ac radicem malorum deplorant: *Væ nobis, quia peccavimus.*

Justus deplorat peccatorũ causam; iniquus effectus.

Prædicans D.Joan. ait: *Jam securis ad radicem arborum posita est*, Matth.3. n.10. D.Greg. D. Athanas. & alii Patres, quos citavi to.1. in Evang.lib.3.c.1.n.118. intelligunt per securem Christum D. seu divinum remedium; & non ait Joannes, jam securis ad ramos, sed ad radicem posita est, ut notat Imperfectus ho. 3. *Vide autem quod non ad ramos posita dicitur esse securis, sed ad radices, ut irreparabiliter extirpentur.* Divinum remedium ad radicem, ac peccatorum causam appositum est, maximè enim est invigilandum, ut origo, ac causa peccatorum extirpetur, & super hanc, totam nostram curam, ac diligentiam debemus adhibere potiùs, quàm super ramos, ac effectus temporalis damni, quæ inde pullulant, & nascuntur. 215

Radix, ac causa peccatorũ extirpãda.

Cùm Christus D. in ultima Cœna recubuisset cum suis Apostolis, ait illis: *Unus vestrum me traditurus est*; illico subdit Evangelista: *Contristati valde, cœperunt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine?* Matth.26.n.21. & tanto dolore sunt affecti, ut quasi semimortui essent, ut docet ibi D.Chrysost. Tanto timore consternati interrogant: *Nunquid ego sum Domine?* His auditis Judas tacens erat; cùm verò Dominus fulminat pœnam in proditorem: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, ibid.nu. 24. tunc tacentibus cæteris Apostolis, ipse quærit: *Nunquid ego sum Rabbi?* Apostoli cùm culpam audiunt, pavent, & timent, & inde unusquisque horrore tanti criminis sollicitus, pro se quærit: *Nunquid ego sum Domine?* pœnam verò parum reputantes ad illam non respondent? at iniquus, & proditor Judas, de culpa parum sollicitus est, & cùm illam audit, de ipsa non curat, solùm pœnam tanquam effectum culpæ horret, ac formidat, & cùm ipsam promulgatam agnoscit, statim illa stimulatus quærit: *Nunquid ego sum Rabbi?* 216

Justus dolet super culpam; impius super illius effectus.

Apoc.18.n.20. Exulta super eam Cœlum, & Sancti Apostoli & Prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa.

VERSIONES.

Syriacus.	Hilares estote super ea Cœli, & Angeli, &c. quoniam judicat.
Arabicus.	Lætare super ea Cœlum, & omnes Apostoli, quia Dominus exercuit judicium vestrum de illa.
Syriac. secundùm aliam lectionem.	Judicamini super eam Cœli, & Angeli, & Apostoli, & Prophetæ, quia judicat Deus judicium vestrum de illa.

EXPOSITIO.

ADhuc idem Angelus loquitur, qui retulit eversionem Babylonis, & næniasillius amantium, & invitat Cœlum, & Apostolos, & Prophetas ad exultandum, & ait: *Exulta cœlum*: Cœli nomine Gagnæus intelligit justos, quorum conversatio est in Cœlis; Isaiæ ... *Cœlum mihi sedes est*; ibi Orig. D.Greg. per Cœlos interpretantur justos; sed hoc est valde latè. Tamen magis propriè, Menoch. Tirin. & alii per Cœlum intelligunt cœlites beatos, nempe Angelos; *Psal.17. n.10. Inclinavit cœlos, & descendit*; ubi Div. Hieron. Cœlorum nomine, cœlicolas, id est, Angelos exponit. Tamen verba sacræ Scripturæ, quantum fie- 217

ri potest, in sensu proprio sunt accipienda; sic sæpè sacri auctores, ipsum Cœlum, ac insensibilia in testes invocant; Deuteron. 32. n. 1. *Audite Cœli, quæ loquor; audiat terra verba oris mei;* Isai. 1. n. 2. *Audite Cœli; auribus percipe terra*; sic, & Josue 24. n. 27. *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini, &c.*

218 *Exultate*: Lætitiam intus conceptam exterius ostendite; super eam vastationem, nempe Babylonis, Sancti Apostoli, & nominatim, Petrus, Paulus, aliorum Principes, & S. Joannes in dolium ferventis olei missus, & alii Sancti Apostoli, qui jussu præsidum Provinciarum Romæ subditarum, interfecti sunt, & etiam multi alii Sancti, qui etiam in novo testamento erant prophetæ, & multa futura de variis rebus prædixerunt.

219 *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa*. Ecce justa causa exultationis; quia *Deus judicavit*, id est, litem finivit, ut vos optabatis. Cùm duo lite contendunt, & unus potentior opprimit imbecillio-

'Finita lite pro populo Dei, ipse exultat.

rem injustè, hic sanè maximam habet causam exultandi, si litem in sui favorem adjudicatam videt per supremum judicem: in Mundo duo sunt populi, populus Dei, & populus Mundi, seu Babylonis; hic perpetuis damnis, ac nocumentis illum opprimit; ergo valde dignum, & æquum est, ut populus Dei gaudeat, & exultet, cum per eversionem Babylonis, maximè liberatus sit à mundano populo, in cujus destructione maximè exaltatur justitia Dei ad majorem sui gloriam; deinde, quia sine eversione Babylonis consummari, ac perfici non potest civitas cœlestis Jerusalem.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare pro eversa, ac destructa Babylonia invitantur ad exultationem Cœlum, Apostoli, ac Prophetæ.

220 PRo destructa Babylonia, sive Roma ethnica, gravissimæ dantur causæ, ob quas Cœlum, Apostoli, ac Prophetæ debeant exultare. Et primo non præcisè pro eversione Babyloniæ, seu Romæ, sed prout in illa continetur, ac significatur eversio Babylonis mundanæ, seu civitatis impiorum, cùm enim à prima fundatione Babylonis per Nemrod, in ea significatus, ac propagatus est populus iniquus hujus Mundi, qui maximè opponitur filiis Dei, hi cum sua civitate duraturi sunt, donec excidatur filia Babylonis, sive ipsa Babylon, hoc est, cùm civitas impiorum subversa fuerit; & tunc, ut supra c. 11. n. 15. post eversionem Babylonis, *factum est regnum hujus Mundi Domini nostri, & Christi ejus, & regnabit in sæcula sæculorum*; & sic populus Dei liberabitur à dura vexatione, qua opprimebatur à populo mundano, ac ab impiorum civitate, ut dixi in expositione.

221 Secundò Albert. Magn. Apostoli, & Prophetæ specialiter invitantur ad gaudium, quia ab ipsis Apostolis, & Prophetis prænuntiatæ fuerunt hæ devastationes Babylonis. Gaudent Sancti, cum prædictiones suas vident adimpletas, undè Jonas cap. 4. n. 1. cùm vidisset Deum parcere Ninivitis pœnitentibus, & consequenter suum oraculum, quo eam evertendam prædixerat, reddi vanum, ideoque timeret se irridendum, & habendum ut falsum Prophetam, ut notant Theodor. Theoph. Clarus, Dionys. & alii, *afflictus est afflictione magna*; & rogavit ad Dominum: *Nunc Domine, tolle quæso animam meam à me, quia melior est mihi mors, quàm vita*; volebat potiùs mori, quàm vivere cum nota mendacii.

Dulcior est mors, quàm vita, cum mendacii nota.

222 Tertio in subversione Babyloniæ lætantur Apostoli, & Prophetæ, quia tunc maximè declaratur justitia divina, & Dei gloria sublimatur, dum ejus inimicos, ac impios sic punit, ac castigat; Psal. 57. n. 11. *Lætabitur justus, cùm viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatorum*. Lætatur, cùm viderit vindictam, ut explicant Beda, & alii; non pro condemnatione impiorum, sed quia justus se vidit ab illis liberatum, & quia in tali condemnatione maximè sublimatur, ac declaratur divina justitia. *Manus suas lavabit in sanguine peccatorum*; in sanguine, ut notat noster Incognitus, non lavantur, sed coinquinantur manus. Theodor. & alii: In ipso sanguine lavat manus suas, declarans, suam innocentiam, qua se à tali sanguine, ac iniquitate liberum ostendit. Vel, ut ait Ruffin. ibi: *Actiones suas mundabit justus ex consideratione vindictæ reproborum, quando videt peccatoris pœnam, proficit ipse, & mors alterius proficit ad vitam*. Ecce ex punitione peccatoris justus recipiet, & lætitiam, & munditiam: *Mors alterius valet ad vitam*.

Justitia Divina sublimatur dum punit.

Pœna peccatorum proficit ad innocentiã justorum.

Scribit D. Matth. 27. num. 33. *Et venerunt in locum*, 223
qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. Erat valde celebris mons ille decollatorum reorum calvariis, ossibusque plenus; & cur meus JESUS hunc locum ad tantum triumphum sibi elegit? Meritò mundaturus Mundum, effusurusque rivos gratiarum, elegit locum, qui punitorum ossibus albicabat: Ex punitis peccatis, maximè gratiarum fontes, virtutumque propagines mirificè dilatantur, ut ab hominibus capiantur. D. Hieronym. ibi: *Apparet Calvariam locum significare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, ibi superabundaret gratia*. Ubi abundans peccatum castigabatur, locus convenientissimus erat, ut inde superabundans gratia diffunderetur. Christ. Druthmarus ibi: *Placuit Deo ibi mori, ubi rei puniebantur, & erigeretur vexillum virtutum*. Aptissimè vexilla virtutum ibi eriguntur, ubi rei puniebantur, nam ex punitis delinquentibus maximè virtus crescit, & augetur.

Ex punitis delinquentibus virtus crescit.

Quartò ad exultationem convocantur Cœli, Apo- 224
stoli, & Prophetæ; quod pro destructa, ac devastata Babylonia, exultent Apostoli, & Prophetæ, bene intelligitur, quia magnas persecutiones cum dira morte ab illa acceperunt, sed Cœlum quodnam vel damnum, vel persecutionem à Babylonia accepit, ut in ejus interitu exultare dicatur? Magnum sanè, cùm ejus sydera, ac planetæ, tanquam divinum numen, honorem, ac cultum acciperent à Babylonia, & cultu indebito super propriam dignitatem honorari, valde molestum, & grave est etiam creaturis insensibilibus, ut ita cum morte, ac interitu videatur æquiparandum: inde pro devastatione Babyloniæ exultent Apostoli, ac Prophetæ, quia ab ea mortem acceperunt; exultet, & cœlum, quia venerationem indebitam accepit.

Cœlum insensibilibus ultra suos terminos honorari.

Loquens D. Steph. de peccatis filiorum Israelis, 225
ait Act. 7. n. 42. *Convertit se autem Deus, & tradidit eos servire militiæ Cœli, & suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham, figuras, quas fecistis, ut adoretis eas*; judæi ob peccata sua derelicti à Deo vero, cœperunt adorare Solem, Lunam, stellas, universaque sydera, & præcipuè splendidissimum sydus, quod Stephanus vocat Rempham, quod sydus, Beda, Lyran. Interl. & alii in præsenti dicunt esse Luciferum matutinum, qui ante Solis ortum splendidissimè irradiat; & quomodo lucidissimum sydus appellatur ab Stephano Rempham? Rempham idem valet, ac tenebras, ut cum Theodosio habet Oecumen. dicens: *Rempham verò species est tenebrarum*; quid ergo habet fulgentissimum sydus cum tenebris, ut à tanto viro apostolico sic obtenebratum dicatur, quod matutino tempore tanta luce splendebat? Rationem assignat text. cum ait: *Figuras, quas fecistis, adoratis*; tale sydus habuit adorationem ab hominibus, & ex tali indebito honore oblato, sic cœpit obscurari, ac obtenebrari, ut totus ejus splendor in profundas tenebras, ac densatam caliginem mutaretur. D. Athanas. orat. in Parasceve habita apud Gretser. to. 2. de Cruce: *Quid magnum Angelorum natura est; cum his Sol contendit, & terra: sed cum hæc omnia pulchra in primis fuerint, homo tamen eorum pulchritudinem deturpavit, immoderata venerationis abundantia, injuriam iis ipsis, quæ coleret, molitus, cum enim in res conditas admirationem contulisset, quæ rerum conditarum modum superaret, & excederet, ignominiam iis, quæ coleret, effudit*; & satis eleganter. Indebitus cultus acceptanti, non honorem, sed injuriam parit: *Quæ rerum conditarum modum excederet, ignominiam iis, quæ coleret, effudit*.

Honor indebitus, ignominiã infert.

Junior ille filius, & prodigus, hoc est, gentilis po- 226
pulus,

pulus, dicebat apud D.Luc.15.n.21. *Pater peccavi in cœlum coram te.* Bene intelligitur quòd peccatis suis Deum offenderit; sed quomodo in cœlum peccabat, quandoquidem Cœlum colebat, ut Soli, & stellis divinos honores exhiberet? Peccabat in Deum, cùm illi debitum divinum cultum denegaret; peccabat in cœlum, cùm illi alienum, ac indebitum cultum daret. D.Chrysol.serm.5. ait: *Peccavit in cœlum, dum in cœlo Solem, Lunam, Sydera, Deos esse blasphemat, & hæc eadem prophanat adorando.* Grande peccatum, dum Deus suo convenienti cultu defraudatur, & non minùs cum creatura, ut cœlum, improportionato honore adoratur: vide tom. 1. in Apocal. cap. 4. q. 12. n.94. & seqq.

Grande malum, dà creatura alieno honore venetatur ‖

QUÆSTIO XXIX.

Quare sancti ad gaudium, ac exultationem invitantur, ex eo quòd Deus judicium eorum judicaverit.

227 SUper devastationem Babylonis, ad exultationem, & lætitiam convocantur sancti Apostoli, & Prophetæ; & ratio tanti gaudii subditur: *Quoniam judicavit Deus judicium vestrum de illa;* id est, ut dixi in expositione, Deus judicavit, litemque determinavit secundùm judicium vestrum, ut vos exoptabatis.

228 Pro cujus intelligentia maximè facit locus Psal.118. n.154. *Judica judicium meum*; D. Hieron. legit, *causam meam*; alii apud Lorin. *Litiga litem, seu litigium meum*; *age causam meam*; *assere jus meum*. Missis multis in hac re, aptior ea videtur, quòd hìc se habet David, tanquam ille, qui vult probare suam innocentiam, ut ipse dixit ad Saulem 1.Reg 24. n.13. *Judicet Deus inter me, & te;* sic in præsenti sibi bene conscius, ac de sua conscientia securus, Deum judicem provocat, ut judicet ejus causam, judicium, ac innocentiam, cùm tam crudeliter, ac fortiter persequatur à suis inimicis, ita ut Deus ut illius susceptor, illius causam agat, litemque pro eo finiat, ac determinet; sic & in præsenti de sanctis dicitur: Deus judicavit judicium vestrum, pro vobis causam determinavit, vos non solùm liberans, sed etiam magnis præmiis afficiens, Babyloniamque ultima devastatione puniens.

229 Hoc autem judicium, quod pro sanctis, hìc datum est, multas habebat partes; habebat primam litem de vera religione, in qua peccaverunt graviter viri Babylonis, persequentes injustè populum Dei, multumque ejus sanguinem effundentes; secundò, habebat hoc judicium litem de moribus, in quibus exorbitant Babylonii diligentes ea, quæ in Mundo sunt; tertia pars hujus judicii est de imperio, imperium enim magis debebatur sanctis, cum ad imperium maximè faciat excellentia virtutis, & tamen illud regimen Babylon sibi usurpavit, & vi per multum tempus retinuit, proindeque hæc litis pars, per eversionem Babylonis pro sanctis adjudicabitur, undè est illud apud Dan.7. num.18. *Suscipient autem Regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt Regnum usque in seculum, & seculum seculorum.*

Quantas habeat partes hoc Judicium pro Sanctis

230 Ab hebræis vocatur Abrahamus Gen.23. n.6. *Princeps Dei es apud nos*; ex græco legit D. Chrysost. *Rex à Deo es tu nobis*; quomodo Princeps, & Rex habetur ille, qui ne unius pedis gradum obtinebat? Meritò tamen; non ita à terrenis possessionibus, quàm potiùs à virtutibus creantur Reges, ut ponderat D. Chrysost. ibi: *Tam clarus, & spectabilis, & tantam apud Deum habens fiduciam: In tanto honore erat, ut à filiis Heth Rex nominaretur, neque gradum pedis possidebat.* Nec palmum terræ possidet, & virtutibus ita sublimatur, ut inde Rex dicatur.

Ille verus Rex, qui virtutibus præeminet.

231 De Saul ait Scriptura 1.Reg.13.num.1. *Filius unius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnavit super Israel*; & tamen, ut dicitur Actor.13. n.21. quadraginta annis regnavit, de qua re multi multa dicunt, tamen in præsenti, quomodo dicitur, quod regnaverit duobus annis, cùm apertè constet, quod multo majus fuisset spatium Regni ejus? Dicitur, quod duobus annis regnaverit, quia his duobus annis, animi innocentiam retinuit, in cæteris vero depravatus est militia, & ille solus regnare dicitur, qui in bonitate resplendet. Abulensis ad citatum locum Regum quæst.1. *Duobus annis regnavit; dici potest hìc poni totum tempus regni ejus, quasi nihil amplius regnaverit, eò quòd non manserit in bonitate majori tempore.*

Secundum probiorem nomen Regis est.

Ad Deum ait regius Vates, Psal.67.n.30. *Tibi offerent Reges munera;* sed si Deus plus æstimat duo æra pauperculæ viduæ, Luc.21.n.3. quàm opulentissima munera Regum, quid tanquam magnum, ac rarum dicit David in eo, quòd Reges munera Deo offerent? cur non potiùs ait, quòd viduæ pauperculæ Deo munera offerent, cum hæc gratiora soleant esse Deo? Sanè juxta D.Ambros. de pauperibus loquitur Psaltes, tamen eos Reges dicit, nam licèt hi apud mundanos oculos, pauperes, & egentes videantur, tamen virtutes eos sic extollunt, ut verè Reges dicantur. D.Ambros. lib. de Naboth.c.16. *Pauper fide ditior est, sobrietate locupletior, cùm sit pauper, ex illis est, de quibus dicitur: Tibi offerent Reges munera; non enim purpuratis offerentibus, sed motus proprios regentibus, Dominus JESUS delectatur, qui corporali lasciviæ mentis dominentur imperio:* vide super. caput 9. q.27. nu.233. & seqq. 232

Licèt virtuosus pauper videatur, Rex est.

*Apoc.*18. *n.*21. Et sustulit unus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur.

Num. 22. Et vox citharœdorum, & musicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur in te amplius, & omnis artifex omnis artis, non invenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te ampliùs.

VERSIONES.

Arabicus. Tunc Angelus quidem fortis assumpsit lapidem, &c. ita præceps ruet Babylon Urbs.

Syriac. D. Aug. Tanquam illam molam magnam, &c. Et sic cum impetu projicitur Babel.

Aretas. Sic impetu projicietur, ut ultra jam non inveniatur.

Primas. Sic impetu projicietur, ut ultra jam non inveniatur.

*Arabicus n.*22. Neque vox citharæ, nec buccinæ, neque tibiæ, neque cornu, &c. nec ulli artifices invenientur in te, neque sonitus molæ.

Syriacus. Et vox tibicinum, & tubarum, &c. & ullus artifex ullius artis.

Primas. Vox symphoniacorum, & tibicinum.

Arias. Vox tibia canentium, & clangentium.

Pagninus. Non invenietur ante, *post* hæc.

EXPOSITIO.

Sustulit unus Angelus fortis. Revera Angelus, & in habitu Angeli apparuit Joanni. *Et misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna;* tanto nempe impetu, ac velocitate, quò lapis ex alto ruit in mare, ita mittetur Roma Babylon in abyssum, seu in infernum. *Et ultra non invenietur;* non enim amplius restauranda est: Veluti mola projecta in mare, non amplius apparet, ita ut nec vestigium illius videatur. Dices tamen: Post destructam Romam, adhuc erit civitas impiorum, nam tunc regnabunt Antichristus, ac alii impii. Tamen ipsa devastatio Romæ erit typus, ac figura eversionis civitatis impiorum, licèt tunc realiter cum Roma non destruatur. 233

Quomodo si Babylon significat civitatem impiorum dicitur destrudi.

Et vox citharœdorum, & musicorum, &c. Ad quid hæc commemorantur, cum suapte natura, ex eversione Romæ sequantur? Hæc destruenda exprimuntur in odium mali usus Babylonis, non enim hæc in se mala sunt, sed quia eorum fuit abusus apud malos, ideo hæc omnia in perditionem dantur. *Et vox molæ non audietur in te ampliùs;* Arabic. habet: *Sonitus molæ;* quo significatur summa solitudo, & vastitas, quia ne- 234

mo erit, qui molat, aut triticum confringat, ut ex eo panis fiat.

QUÆSTIO XXX.

Quare ad significandam Babylonis destructionem venit unus Angelus; & quis sit iste Angelus.

235 A B hoc secundo incipio quæstionem Alcazar existimat hunc Angelum esse Jeremiam Prophetam, quia de Babylonia hæc ipse scribit, cap. 51. n. 63. *Cùm quis compleverit legere librum istum, ligabis ad illum lapidem, & projicies illum in medium Euphratem, & dices: Sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego dabo super eam.* Similitudine prophetiæ pro Babylonia Chaldaica, Jeremiam esse justum Angelum asserit Alcazar. Aureolus verò ait, quod sit Gudefridus Bullanius, qui cùm fuisset dux recuperandæ terræ sanctæ, copias Sarracenorum, quasi lapidem dimisit in mare, & cœpit Babylonem, id est, Jerosolymam. Valde durè potest habere hanc explicationem, ut parum aptam.

236 Tertiò, & genuinè ad literam, Ribeira, Corn. la Haye, Ferrar. dicunt, quòd verè, & propriè erat Angelus, qui per visionem apparebat Joanni, projiciens lapidem molarem magna vi, & impetu in mare, dicens: *Hoc impetu mittetur Babylon*; cùm hæc fiant repræsentativè, utique Angelus repræsentatus Joanni, hæc faciens, & dicens: hæc secundùm literam.

237 Quartò moraliter, ac mysticè, Glossa Interl. Divus Anselm. Ansbert. Albert. Magn. Hugo, & alii interpretantur hunc Angelum esse Christum Dominum, qui dicitur *unus*, quia singularis, & invariabilis est; *fortis*, quia æreas potestates dejecit, qui multitudinem malorum, qui obstinati erant, tanquam lapides misit in mare, id est, in amaritudinem, ac profunditatem Inferni.

238 Cur tamen ad supplicium Babylonis descendit ipsemet Christus, cum ad pœnis, ac plagis vexandum Ægyptum miserit Dominus suum Angelum percussorem? Exod. 13. n. 23. In Ægypto regnabat sævitia, crudelitas, ac injustitia, at in Babylonia, præter multa alia peccata, erat multa merces auri, argenti, ac lapidis pretiosi, & hoc sic captivat, & ad se trahit animos, ut difficiliter inveniatur idoneus minister ad puniendum illum, qui copia auri, & argenti abundat.

Aurum ligat ministros, ne justitiam exequatur.

239 Vidit Nabuchod. magnum præsagium unius statuæ, *cujus caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento; porro venter, & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ; pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis*; tunc subdit text. *Abscissus est lapis de monte sine manibus & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos*, Daniel. 2. n. 34. lapidem hunc Christum adumbrasse, communis est sententia. Aliud somnium dormienti objicitur, arbor scilicet procera contingens cœlum: *Et ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit, clamavit, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos ejus*, Daniel. 4. n. 8. ecce jam in oculis se ingerit difficultas; si statuæ dejectio non ministris imperatur, sed ab ipsomet Domino perficitur, cur arboris detruncatio immediatè ab ipso Domino non fit, sed ministris delegatur? Sanè in præsenti discriminis ratio sumenda est ex auro; in arbore eminebat superbia, & vanitas, at in statua radiabat aurum, sicque auri nitor ministros assolet prolectare, & veluti auri præstigiis enervare, minimè possidentem valeant ferire: inde ipsemet Dominus descendit, ut exequatur pœnam in statuam, quia fortasse ministri auri fascinis præpediti distulerint mulctam, ut frequenter contingit.

Ubi est aurum, non minister, sed Deus exquirit pœnam.

QUÆSTIO XXXI.

Quare casus, ac ruina Babyloniæ comparatur ejecto lapidi molari in mare.

240 MAgno mysterio Angelus ad exprimendam ruinam Babyloniæ utitur comparatione lapidis molaris ejecti in mare, sicut Christus D. Matth. 18. n. 6. ad declarandam pœnam dantis scandalum, ait: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris*; de quo multa dixi, to. 4. in Evang. c. 10. q. 11. tamen in præsenti solùm Angelus facit mentionem de ejecto lapide molari in mare.

241 Respondeo primò, aliqua in mari demergi, v. g. ligna; pisces autem sæpissimè extra mare aliquam sui partem, seu caput attollunt, lucemque clara, & aura salubri fruuntur, at magna saxa, quæ in profundo considunt, nunquam inde egrediuntur; sicque reprobi in inferno sunt, sicut magna saxa in maris profundo, quia in æternum ibi retinentur, negata luce, & omni re salubri. Rupert. ibi ait: *Veraciter universa civitas Diaboli cum magno impetu in profundum mittetur, & sicut lapis magnus in mare missus non supernatat, neque resilit ulterius, sic illa semel præcipitata, de inferno non emerget amplius.* Sic impius erit infixus in inferno ut inde nequeat aliquem exitum sperare. Clamat David ad Dominum, Ps. 68. n. 16. *Ne quando urgeat super me puteus os suum*; ubi nostra Vulgata habet, *urgeat*, alii legunt apud Lorinum, *claudat*. Horrebat Sanctus Propheta clausuram infernalis putei, qui ita adstrictè clauditur, ut nullus detur locus salutari spiramini. D. August. hom. 16. ex 50. ait: *Ideo autem dixit: Neque urgeat super me puteus os suum; quia cùm sine pœnitentiæ remedio infelices peccatores exceperit, claudetur seorsum, aperietur deorsum, dilatabitur in profundum; nullum spiramen, nullus liber anhelitus, clausuris desuper angentibus, relinquetur.*

Herrendæ clausuræ inferni nunquam aperiendæ.

242 Secundò Ansbert. tanquam lapis magnus molaris mittitur in mare, sic, & Babylon in infernum; & quæ combinatio inter lapidem molarem, & Babyloniam? Sicut lapis molaris suo pondere gravis est, sic & peccator multitudine suorum peccatorum ponderosus est, de quo latè agit D. Chrysost. ho. 1. de pœnit. *Nihil onerosum, grave, atque portatu difficile, quàm peccatum.* Et probat [illegible] quod David describens peccati naturam, ait Ps. 37. n. 5. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Probat etiam ex Jona in Jona in navi, c. 10. n. 5. cujus vasa, licèt projicerentur merces in mare, non alleviabantur, & ait: *Ipse ergo per peccatum scapham tunc gravabat.* D. Petrus, cum in mari agnovisset JESUM, *descendens de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad JESUM, videns verò ventum validum, timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit*, Matth. 14. n. 29. D. Petr. antequam dubitaret, valde levis super aquas ambulabat, at ubi dubitare cœpit, tanquam valde ponderosus sub aquis mergi cœpit. D. Hieron. ad c. 2. Nahum vers. 9. ait: *Petrus, qui ante levis pendulo gressu calcabat undas, postquam infidelitate aggravatus, vorabatur à fluctibus.*

Peccatum gravissimum onus, ut mergat in profundum.

243 Tertiò Albert. Magn. D. Bernard. Hugo, & alii, per Babyloniam intelligunt cœtum iniquorum, qui dicitur lapis propter duritiem, obstinationis, magnus ratione magnæ confusionis, molaris verò propter circuitum pervagationis; & dicitur, quòd Angelus sustulit hunc lapidem, tanquam si esset ab Angelo forti sublevatus, quia impius tali lapide denotatus, aliquando altiùs elevatur, ut inde profundiùs ruat, & cadat. D. Bernard. ait: *Sicut lapis elevatus in cœlum, majori impetu descendit, & profundiùs cadit, sic perversi modò permittuntur exaltari, ut exaltati citiùs corruant, & profundiùs descendant*; & Alensis: *Multitudo malorum modò permittitur elevari in altum, ut profundiùs corruat in infernum; Job. 30. n. 22. Elevasti, & quasi super ventum ponens, elisisti me valde.*

244 Quartò cùm Angelus magno impetu sustulit lapidem molarem, & eo misso in mare, dixit: *Hoc impetu mittetur Babylon*; Primas. legit, *Hoc impetu demolietur.* Dum lapis molaris magno impetu projicitur, tunc etiam demolitur, ac comminuitur: ita sanè eveniet projectæ Babyloniæ, qui enim Dei populum dura vexatione opprimit, etiam graviter ipse opprimitur, ac comminuitur; & hoc etiam de Babylonia Chaldaica docet D. Hieron. explicans illa verba Isai. 47. n. 2. *Tolle molam, mole farinam*; sic ait S. Doctor: *Hoc Dominus fecisse dicitur, ut ultionem caperet de ea, quæ oppressit populum suum, quæ populum Dei gravi servitute oppresserat, illo etiam sicut projecta mola in terra opprimitur, imò & comminuitur.*

Qui servos Dei opprimit, etiam opprimitur.

Quintò

245 Quintò comparatur casus ruentis Babyloniæ in infernum cum ejecto lapide molari in mare; & quænam combinatio inter utrunque? Equidem lapis molaris, & si ab uno loco videatur dimoveri, & separari per acquisitionem alterius loci, tamen nunquam à suo loco exit, ac progreditur, sed semper in eundem locum, à quo exierat, reflectit, perpetuos circulos agens. In quo eximiè perditio cujuslibet animæ significatur, quæ si à peccatis suis separetur ad Deum accedens, tamen ibi minimè persistit, sed ulteriùs progreditur, repetens eadem vitia, à quibus exierat, sicque continuo circulari motu in eadem vitia reflectitur. Rupert. opportunè in præsenti ait: *Non qualemcunque lapidem, sed quasi molarem, pro exprimenda similitudine dixit, quia videlicet Babylon ista, sicut peccati pondere gravis, ita & erroris agitatione instabilis est; hoc utrunque lapis molaris convenienter innuit, qui & pondere gravis est, & pro molendi officio circuit.* Eleganter molaris lapis pro symbolo depravati peccatoris ponitur, qui nunquam progreditur, sed in circulo sese agitat frequenter in eadem vitia relabens.

Iniqui frequenter redant ad eadem peccata.

246 Maximè conqueritur Deus de magnatib. Juda per Oseam 5.n.10. *Facti sunt Principes Juda, quasi assumentes terminum; super eos effundam, quasi aquam, iram meam;* cur tam magna ira Dei denuntiatur effundenda veluti aqua super Principes Juda? cur non potiùs misericordia Dei descendit ad eos? quod videtur consequentius ad id, quod dicitur in text. *Facti sunt, quasi assumentes terminum;* si enim in suis delictis posuerunt terminum, non ira, sed indulgentia digni sunt. Præsens difficultas dissolvitur ex lectione Septuag. qui legunt: *Facti sunt principes Juda transponentes terminos.* Ecce eorum totum crimen, quod scilicet terminos transponerent; sæpe sæpius in suis iniquitatibus terminos ponebant, & dilentes se in Dei obsequio permanentes, & quacunque levi occasione data, illos terminos auferebant, & alios transponebant, ad sua antiqua peccata ruentes, tanquam ad vomitum revertentes, ideo magna pœna digni sunt, quæ in Pharaone designata est, qui multoties magnis plagis vexatus, terminum suæ malitiæ promittebat, & tamen à plagis levatus, revocabat, terminumque transmovebat, quo meruit maris rubri aquis suffocari. Pulchrè Theophylact. ibi, ait: *Quando quisquam Princeps Juda existens confessus fuerit, ac promiserit se non iisdem pravis studiis admoturum mentem, idque secum decreverit, & interim transmoverit tales fines, atque decretum suum fecerit irritum, ac reversus fuerit ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effundetur, perinde ac rubri maris aquæ super Pharaonem, quæ sæpius mentitus erat.*

Reincidentia in peccata maximè fugienda.

247 Senior S. Tobias moribundus dicebat filio, ac nepotibus suis, c.14.n.6. *Prope erit interitus Ninive: nunc ergo filii audite me, & nolite manere hìc, sed quacunque die sepelieritis matrem vestram circa me in uno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros, ut exeatis hinc, video enim, quia iniquitas ejus finem dabit ei.* Bene sciebat Tobias, quod furor Domini, denuntiatus à Propheta Jona in Ninivitas, per eorum pœnitentiam mitigatus est; cur non sic suspicatur de proxima ventura ira? cur ergo modò certò asserit civitatem evertendam? undè scit modò infallibiliter illos homines evertendos? Sciebat Sanctus senex, quòd illi semel effugerant iram Dei, &, ut ait ipse: *Video enim, quia iniquitas ejus finem dabit ei;* & quòd iterum redierant ad sua peccata, & jam dimissis nova quotidie opponebant, crebra reincidentia, antiqua repetentes, inde ut cernamque vitiorum multitudine destruetur. Frequenter divina ira trahitur à tam vehementi peccatorum relapsu. Ad hoc spectat D. Hieron. in prologo ad Jonam, & ait: *Ad Jonæ prædicationem acta pœnitentia Ninivitæ veniam consecuti sunt, postea verò in pristinis vitiis perseverantes, Dei in se provocant sententiam.*

Reincidentia in peccata divinam iram excitat.

248 Scribitur Matth.21. nu.12. *Intravit Jesus in templum Dei, & ejiciebat omnes ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit:* hæc fecit semel apud Matthæum, at Joan.2.n.14. refertur: *Prope erat Pascha Judæorum, & ascendit Jesus Jerosolymam & invenit in templo vendentes boves, & oves, & columbas, & nummularios sedentes, & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit;* apud Matthæum non habetur, quod Jesus fecerit flagellum, ut vendentes, & ementes de templo excluderet, ut dicitur apud Joan. & cur juxta Joannem sumit flagellum, non verò apud Matthæum? Apud Matthæum erant tanquam negotiatores vendentes, & apud Ioannem introducuntur *Judæi* tanquam ejecti à negotiatione in templo facta, & iterum ad illam redeuntes, in eaque obstinatè perseverantes, indeque si erga primos à flagello abstinuit, secundos eo districto verberat; sic ait Victor. Antioch. ad c.11. Marci: *Aggravat autem Judæorum causam non parum, quod Domino idem factum semel, & iterum repetente, ipsi nihilominus in sua illa arte cauponoria, & infami, nundinationem obstinatè usque præstabant.* In Matthæo repræsentabantur tantùm vendentes, at in Ioan: persistentes, ideo erga hos flagello utitur.

Rigidè punitur reincidens in peccatū?

QUÆSTIO XXXII.

Quare ad explicandam extremam devastationem Babyloniæ, seu Romæ, dicitur, quòd vox molæ, citharœdorum, ac musicorum amplius non sit in ea audienda.

249 CUm dicitur: *Vox molæ non audietur;* denotatur extrema devastatio, ac solitudo, ut dixi in expositione, quia non erit amplius, qui molat, & triticum confringat, ad panem faciendum; sic & Ierem.25.n.10. dicitur: *Perdam ex eis vocem gaudii, vocem lætitiæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Moraliter hoc explicat D. Amorosi. annot. 2. in Exod. & ait: *Spiritus sapientiæ, & intelligentiæ Sanctus, unicus, multiplex, subtilis, & mobilis est, qui sermones suos molit priùs, ne quid offendat, vel in sensu, vel in alloquio. Denique Babyloni illi, quæ destruetur, dicitur, vox molæ non audietur in te amplius.* In anima peccatrice vox molæ non audietur, quia verba non comminuit, ac digerit, seu in pulverem non redigit, hoc est, non discurrit, nec examinat, quæ dicenda sunt, ne ineptè aliquid loquatur; sicut qui panem conficiunt, triticum molunt, sic, & in animo molenda sunt verba, ut appositè proferantur, ne quid inconsideratè dicatur.

Verba examinanda & non inconsideratè proferenda

250 Maximè ad quæstionem: *Vox citharœdorum, ac musicorum non audietur in te amplius.* Ad exprimendam extremam ruinam Babyloniæ sufficiens erat, quod dicatur, ita ipsam esse projiciendam in abyssum inferni, veluti ad instar lapidis molaris, quæ demergitur in profundum maris; quid ergo ultra additur: *Vox citharœdorum, ac musicorum, non audietur amplius in ea?* si enim ipsa in abyssum sepulta est, evidens inde patet, quod vox canentium non invenietur amplius in ea. Tamen supervacaneè hoc non scribitur, sed ut nobis fiat manifestum, damnatos non solùm malis affici, sed etiam omnibus bonis denudari. Rich. Vict. hìc: *Ut apertè probetur, quòd quemadmodum malis afficitur, ita & quoque bonis omnibus spoliabitur damnatus, & inde bene subditur, vox citharœdorum, &c. non audietur.*

Damnatis mala afficitur, & bonis omnibus spoliatur.

251 Secundò: *Et vox citharœdorum, & musicorum, & tuba canentium &c. & omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius.* Magna pars DD. ac Patrum, hìc per Babyloniam intelligunt cœtum impiorum, qui damnati sunt ad inferos; quomodo ergo dicitur, quòd ibi nulla erit vox musicorum, nullusque artifex? nonne damnati memores erunt eorum, quæ in terris didicerunt? Multi graves auctores negativè respondent, ut D.Dionys. p. 4 c.4. de divinis nominib. c.4. Beda in Luc. ibi Palaus in 3. dist. 23. disp. 9. & si alicujus scientiæ memoriam retinebunt, hoc non erit ad consolationem, sed ad magnum dolorem, & tormentum; cùm eis dictum sit: *Ite in ignem æternum;* omnia eis ad supplicium, & pœnam conducunt, ut latè probant Soto in 4. dist.50. art.4. in fine, concl.4. & 5. Suar. lib.1. de pœnis Angelor. c.11.

An in damnatis remaneat scientiæ, & artes hujus vitæ.

252 Quod optimè explicat Albert. Magn. in præsenti; & ait: *Et hoc argumentum, quòd illi non erunt memores scientiæ suæ in Inferno; quod est satis probabile, Ad enim in homine adhuc viuente, facit aliqua infirmitas eum amittere scientiam aliquam, multò fortiùs pœna infernalis, quæ*

omnem

omnem infirmitatem corporalem excedit; tamen si habent aliquam, hoc non erit ad consolationem, sed potiùs ad dolorem; quod probat ex loco Ecclesiastici statim citando. Alens. ad hunc locum: *Omnis scientia practica, vel speculativa non invenietur in ea amplius, scilicet in damnatione æterna, imò omnium istorum carentia.* Quod confirmat ex illo Eccl. 9. n. 10. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio est apud inferos;* quod ipse sic explicat: Instanter operare, quia nec opus quoad mechanicos, nec ratio quoad logicos, nec sapientia quoad theologos, & advocatos erunt apud inferos, artifices enim, & clerici amittent scientias suas, quod est satis probabile, habebunt tamen earum recordationem, non ad consolationem, sed ad majorem dolorem: idem docent D. Thom. D. Bernard. Quod confirmatur ex D. Greg. dicente lib. 9. Moralium de igne inferni, quod lucebit ad aliquid, & ad aliquid non lucebit; lucebit ad aliquid, ut videant reprobi undè magis doleant, sed non lucebit ad hoc, ut videant undè gaudeant; sic scientia, quæ fecit ad eorum pœnam, illa remanebit, aliam amittent.

253 Tertiò in magnam pœnam, & supplicium assignatur, quod in meretrice babylonia, vox citharœdorum, & musicorum, ac tuba canentium amplius in ea non audietur; & cur insigniter, ac peculiariter hæc pœna ei assignatur? Meritò, quia meretrix flagrabat studio musicæ Caricæ, ac si canendi cura pertineat ad lenocinium meretricum, quo maximè solent suos amatores ad se pellicere, inde optimo jure punitur privatione instrumenti, tantorum peccatorum causæ. Rup. *Nec frustra tantæ meretricis musica damnatur, quia nimirum ludicra, & lasciva, imò etiam turpia, & dæmoniorum quoque sunt phatasmata, quæ ab illa cantitantur, & eorum suavitate ad incitamenta libidinum, eadem meretrix abutitur.* Sic mulierculæ frequenter turpes cantiones edunt.

Musica lasciva maximè damnatur.

254 Hoc signo meretriculam notat Isai. 23. n. 25. *In oblivione eris, ò Tyre;* tunc refert Propheta, quòd Tyrus, tanquam à semetipsa monita, quid ageret, dicens: *Sume citharam, meretrix oblivioni tradita; bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui sit.* Tantam in musicis instrumentis vim esse putabat Tyrus, ut musica languentem venerem potuerit excitare, ut meretrix, quæ oblivioni tradita erat, suavi cantico, sui memoriam posset revocare. Procop. ibi ait: *Quia ab amatoribus deseritur; excogitatis eos cantilenis, ac citharæ sono, ad antiqui amoris recordationem persepe revocat.*

Cantilenæ amantium reconciliatrix.

255 Canit David Ps. 43. nu. 20. *Humiliasti nos in loco afflictionis;* legunt D. Chrys. D. Ambr. *Humiliasti nos in loco Sirenum.* Ut patet ex gentilium historia, Sirenæ fuerunt puellæ, quæ vocis suavitate, canendi illecebris, audiendi studio, illectos navigantes ad littus admovere navigia provocabant, qui cum gratiam vocis sequerentur, scopulosò in loco naufragium faciebant; inde ait, in loco Sirenum humiliati sumus. Hoc autem verbum, humiliare, ut ibi notat Lorin. in Scriptura, significat violationem mulieris, ac carnis nostræ lapsum; ac si dicat Propheta: *Humiliasti nos in loco afflictionis;* cantu nempe puellarum, ac Sirenum prolapsi sumus in fragilitatem carnis; & idem est locus afflictionis, ac locus Sirenum, seu puellarum canentium, quo cantu maximè affligitur animus, & spiritus, utpote illi valde præjudicialis; ex quo admonet D. Hier. epist. 10. ad Furiam: *Fidicinas, & psaltrias, & hujusmodi chorum Diaboli, quasi Sirenarum cantus, proturba ex ædibus tuis.*

256 Loquens Isaias de extrema desolatione Jerosolymæ, ait c. 13. n. 21. *Et habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt.* Pilosi dæmones sunt, ut docent D. Thom. D. Bonav. & alii PP. communiter; & statim addit Propheta, nu. 22. *Et Sirenes in delubris voluptatis;* & quænam connexio est inter Sirenes, & dæmones, ut simul ibi congregentur? Quia ubi sunt hujusmodi Sirenes, seu puellæ lascivè cantantes, ibi & dæmones reperiuntur, & per earum cantilenas dæmones ingrediuntur, & aditum inveniunt, undè de virgunculis custodienda monet D. Hier. ad Eustoch. *Ne fiat civitas meretrix, ne ibi dæmones saltent, Sirenes nidificent.* Saltant igitur dæmones in Venerem, dum Sirenes molliter cantitant.

Lasciva cantilena inducit diabolum.

257 Ait Ecclesiastes, pro magna felicitate, ac bona fortuna, c. 12. n. 4. *Obsurdescent filiæ carminis.* Hebraismo celebri, homo peccati, dicitur homo deditus peccato, sicut filius iræ, homo ad irascendum facilis, sic filia carminis mulier est canendi amans, ac affectuosa. Ait Richard. Vict. tract. de Mundi pœnis extremis: *Filias dicit carminis, quæ dulces cantilenas solent amare, & frequentare;* ait ergo, *quod extremo tempore obsurdescent filiæ carminis;* non quia canere malum sit, sed quia talis cantus impudici, & lascivi multa mala inducunt, & generant. Olympiodorus in locum citatum Ecclesiastes: *Tunc humiliabuntur filiæ carminis, quæ in voce organi, & cantus suavitate, musicisque instrumentis oblectatæ nimium fuerint.*

Ad vitandum peccatorum fugæ lasciviam musicam.

Apoc. 18. *n.* 23. Et lux lucernæ, non lucebit in te amplius; & vox sponsi, & sponsæ, non audietur adhuc in te, quia mercatores tui erant Principes terræ, quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes.

Num. 24. Et in ea sanguis Prophetarum, & sanctorum inventus est, & omnium, qui interfecti sunt in terra.

VERSIONES.

Syriac. n. 23. Et lux candelæ non videbitur in te amplius, &c. propterea, quod mercatores tui erant magnates terræ, propterea quod in cantatione tua seductæ sunt gentes.

Arabicus. Neque lux facis, &c. quia proceres tui corruperunt terram, & mercatores ejus, seductæ sunt gentes univ[illegible]

Primas. Quia negotiantes tui fuerunt Magistratus terræ, quia in maleficiis tuis exerraverunt.

Oecumen. Lux lucernæ non appareat in te.

Arabicus n. 24. Et inventi sunt sanguines Prophetarum, & puerorum, & omnium eorum, qui mactati sunt.

D. August. Et omnium à te occisorum.

EXPOSITIO.

258 TRes denuo causæ hìc adducuntur, ob quas omnino abolenda, ac evertenda sit Babylon; prima, *quia mercatores tui erant principes terræ;* secunda, *quia in veneficiis tuis erraverunt omnes gentes,* in quo Babylon manifesta deprehensa est; tertia: *Et in te sanguis Sanctorum inventus est;* in quo manifestatur harpia, sive crudelis sphinx.

Tres causæ devastationis.

Lux lucernæ non lucebit in te. Antiqui multis, & magnis, ac fulgentibus lucernis utebantur in suis conviviis ad majus gaudium, & celebritatem; ad quod respicere videtur Vates. *Et vox sponsi, ac sponsæ non audietur in te;* quod est signum summæ desolationis, ac miseriæ; Jerem. 7. n. 34. *Quiescere faciam de urbibus Juda, & de plateis Jerusalem vocem gaudii, & lætitiæ, vocem sponsi, & sponsæ;* & etiam c. 16. n. 9. & c. 23. n. 10. Et merito lux lucernæ cum sponsa, ac sponso apponuntur, quia ad majorem celebritatem nuptiarum, musica instrumenta, ac cantilenæ adhibebantur, in eisque celebri consuetudine multæ lucernæ splendebant undique, ut communiter omnes auctores antiqui; cujus consuetudinis rationem assignat D. Chrysost. hom. 12. in epist. ad Corinth. ad videndam nempe pulchritudinem cultus virginalis, pompam, & apparatum nuptiarum. Severus Sulpicius aliam assignat, lib. 1. & ait, quod faces adhibebantur ad ritus nuptiales celebrandos, ut significaretur mutua charitas, quæ inter conjuges semper esse debet, quam nulla aquarum vis, nulla adversitatum tempestas valeat offuscare, ac obruere.

259

Cur in nuptiis adhibeantur lucernæ?

Quia mercatores tui erant principes terræ. Mercatores quæstibus, lucris injustis, variis, & multis artibus, & monopoliis subditos divexabant, avaritiæ studentes: ita Ribeira, Cornel. la Haye, & alii communiter. Verius dicendum existimo: *Mercatores erant principes tui;*

260

seu,

Genuina expositio.

seu, ut alii: *Magistratus*; quia principatus, ac dignitates mercati sunt pecunia, auro, & argento; sive adulatione, sive hypocrisi, quod est summum malum totius Reipublicæ, & inde dicuntur principes mercatores.

261 In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. Ecce jam secunda causa est, quia opum, honorum, aliorumque præmiorum vi ad suos errores traxit omnes gentes: ita Tirin. & alii. Aptiùs explicandum est cum Ferrario: Illecebris verborum falsa, & venenosa doctrina, seduxit gentes, ac in errores induxit, suisque consiliis dementavit, quod veneficium esse non negabitur, & hic est verus sensus. Alii sic etiam explicant; quia cùm Roma esset Imperatrix, ac Regina suo exemplo seduxit populos ad errores: ita Alb. Magn.

Falsa doctrina dementantur homines.

262 *Et in ea sanguis Prophetarum, ac sanctorum inventus est.* Ecce tertia causa damnationis Babyloniæ; & si in ea civitas impiorum intelligatur, facilè res explicatur, si verò de ipsa Babylonia, seu Roma textus interpretetur, tunc est sensus Romam damnari ob mortem, quam Prophetis, ac sanctis viris intulit. Nomine Prophetarum, non solùm viros sanctos evangelicos intellgit noster Joannes, sed etiam viros Prophetas novi testamenti, qui plures fuerunt in Ecclesiis, ut prædictum est à Joele 2. n. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiæ vestræ, & juvenes vestri visiones videbunt.*

263 *Et omnium, qui interfecti sunt in terra.* Ex hoc versiculo Beda, & alii contendunt, hìc non significari Romam, sed civitatem impiorum; & quanquam hoc in universum verum sit, tamen contractè, ut jam dixi, significatur aliqua civitas determinatè, v. g. Roma, quæ arguitur, ac convincitur, ut culpatrix de sanguine sanctorum martyrum, de quorum magno numero egi [illegible] n. 1. c. 7. q. 17. n. 156. 157. Deinde universæ cædes per totum Orbem [illegible] perio, auctoritate, exemplo, aut libito fiebant, inde Roma infecta est sanguine omnium sanctorum martyrum, qui pro Christo vitam profuderunt; & etiam illi, ut Jacobus, & alii, qui Jerosolymis perempti sunt, autoritate Romanorum interfecti sunt, quod etiam de aliis gentibus dicitur, quæ Romanorum exemplum sunt secutæ. Simile invenimus dictum judæis à Christo D. Luc. 19. nu. 42. *Vos implete mensuram Patrum vestrorum*, &c. *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram à sanguine Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ.* Certum est, judæos à Caimo non descendisse, & tamen quasi illius cædis rei reputantur, quia imitatione, ac exemplo erant filii, & posteri Caimi. Et quamvis per alias nationes, aliqui sancti fuerint interfecti, pauci tamen sunt, comparatione reliquorum, quos Roma suo imperio occidit.

Ex malo exemplo arguitur Roma.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare pro magno crimine objicitur Babyloniæ, quod illius Principes essent mercatores.

264 Princeps, & Reges olim mercaturam exercebat.

AIt text. *Mercatores tui erant Principes terræ*; seu, ut legit Arabic. *Proceres tui*; Syrus: *Magistratus*. Valde frequenter Principes, ac Reges mercaturam exercebant, qua valde divites fiebant; sic etiam Rex Tyri multùm locupletatus est. Ezech. 28. nu. 5. dicitur: *In multitudine sapientiæ tuæ, negotiatione tua, multiplicasti tibi fortitudinem*; & Salomon multiplicavit divitias regni sui, negotiatione tam mari, quàm terra, ut tradunt Joseph. lib. 8. cap. 2. & Abulensis 3. Reg. cap. 10. q. 9. & Vespasianus ex qualibet re etiam sordida captabat lucrum, dictitans: *Qualibet ex re bonum esse odorem lucri*; ut testatur Sueton. in ejus vita, c. 4. ita etiam in hac re similes extiterunt Domitianus, Nero, Caligula, & alii, de quo Pineda lib. 4. de rebus Salomon. c. 23.

265 Mercatura iniquis modis damnatur.

Ad quæstionem ergo primò: Si multi magnates, Principes, & Reges mercatores extiterunt, cur ergo pro damnationis Babyloniæ causa assignatur, quod principes illius erant mercatores? Non ergo arguuntur, quia mercatores fuerunt, sed quia indebitè, ac fraudulenter, multis monopoliis mercaturam exercuerunt, ut suæ cupiditati, ac avaritiæ inservirent. Rupertus ait: *Quia mercatores tui erant Principes terræ, quia pro lucris acquirendis, vel tutandis, tu leges nonnullas à ratione non dissentientes foris, vel intus habuisti, & custodisti; neque enim tale quid propter veram vitam observasti, sed ut securiùs Principes tui negotiarentur in acquisitione auri, & argenti, prædiorumque, & tractuum maris, nihilque deesset voluptatibus explendis.*

Ait Isai. 1. n. 23. *Principes tui infideles, socii furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Etsi in aliis alia vitia notentur, tamen in Principibus maximè pravæ affectiones ad lucra, ac munera, tot, & tam iniquis modis, ut socii furum dicantur, infideleque, seu ut alii legunt, mendaces inveniantur. Ait Christus Dominus Matth. 13. n. 22. *Sollicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum suffocat verbum.* Divitiarum quidem propria est fallacia, mens enim illarum sitibunda, omne falsum, & inane involuit. Galfr. in alleg. Tilman. ait: *Qui pecunias amat similitudinem colit inanem, solidam deserit veritatem: suffocat verbum Dei divitiarum fallacia, fallax quædam imago, umbra, figmentum.* 266 Avarus fallaciis & dolis plenus.

Et confirmatur: Postulatur maleficus ille Balaam, ut iret maledicturus populo Dei, & tamen prohibitus est à Deo, Num. 22. n. 12. & cum secundò multis oblatis muneribus, quæreret à Deo, an ire debeat, responsum est ei: *Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis*, ibid. n. 20. modò dicebat Deus Balaamo, ne iret, modò dicit, ut eat; quid est hoc, Domine? Ait D. Ambros. epist. 37. *Responsum est quasi avaro, non quasi qui verum quæreret, ut illuderetur potiùs, quàm informaretur.* Permissum est homini divitiarum cupido; permissum est ei inquam tanquam avaro, non, ut veraci, quia ubi est avaritia, nulla est veritas, sed totum fallacia: *Responsum est quasi avaro, non quasi, qui verum quæreret.* Prima vice Balaam adulationibus non capitur, sed secunda donis, ac muneribus maximè. 267 Ubi est avaritia, nulla est veritas.

Secundò ad quæstionem Ansbert. *More solito dividitur genus in species, ut intelligamus, eos, qui principatum super cæteros tenent, ampliùs avaritiæ studere nefandæ.* Haymon: *His verbis maximè Principes hujus sæculi ostendit avaritiæ servire.* Principatui valde ingenita est avaritia ad rapienda subditorum bona. Achabo ait S. Parens Elias 3. Reg. 21. n. 20. *Venumdatus es, ut faceres malum in conspectu Domini*; quod enim venundatur, jam non sui est, sed alterius; sic avaritia possessus est, ut raperet vineam Naboth, ac si jam sui juris non esset, ut resisteret improbæ cupiditati, tam vehementer, ac impotenter ab illa subjugabatur. De Ephraim ait Oseas 12. nu. 7. *Chanaam in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit*; ex græco legit D. Cyrill. Alex. *Chanaan in manu ejus statera iniquitatis, opprimere per potentiam dilexit.* Ex quo Ephraim Chananæorum avaritiam æmulatus est, Chananæus in Principatu fuit factus, sicque possessus in sua cupiditate lucrandi, quasi impotens in illa fuerit ad subditos suos per potentiam opprimendos. Ibid. D. Cyrillus: *Ephraim Chananæis factus est similis, atheus, & impius. . . . cupiditate rerum alienarum impotenter subjugatus*; quippe sic sese subdidit avaritiæ, ac cupiditati rerum alienarum, tanquam vile mancipium, sub cujus potestate regebatur, veluti Chananæus atheus, homo sine Deo, cupiditati deserviens. 268 Principes student avaritiæ, ut subditorum bona rapiant.

Tertiò: *Mercatores ejus principes terræ.* Non evexerunt Babyloniam ad Principatum terræ, qui erant digni justi, ac benemeriti, sed qui Principatum mercati sunt, ut dixi in expositione, sive nummis, ac pecunia, sive adulatione, sive hypocrisi, sive promissis, seu aliis malis artibus. De his ait Christus Dominus Joan. 10. nu. 1. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro*; quid est, *Ascendit aliunde?* Ad dignitatem, honoremque, vel ambitu, vel negotiatione, vel favore vendito obrepere: De his, qui per hæc ascendunt, nil certiùs, quàm latrocinia, & populorum spoliationes speres. 269 Mundiales pecunia dignitates emunt.

De Caipha locutus Joan. 11. n. 49. ait: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Non perpetuo, sed annuo fruebatur Pontificatu; Pontificatus antiquitus perpetuus erat, & durabilis per totam hominis vitam, ut patet ex Scripturis, nec enim in Pontificem eligitur Eleazar, nisi mortuo Aarone, Num. 20. n. 25. undè ergo factus est Pontificatus annus contra *divinam* institu- 270

tionem?

Ex hoc omne jus dignitatibus violatur.

tionem? D. Chrysost. hom. 64. in Joan. ait: *Quid autem significat, cùm esset Pontifex anni illius? Cum aliis hic etiam mos corruptus erat, non enim perpetuum jam sacerdotium, sed annuum dabatur, ex quo venales facti erant Principatus.* Ex quo de sacerdotalis dignitatis electione, ac passione, cœpit lucrum spectari, statim violatur divinum jus, & non perpetui, sed annuales facti sunt principatus sacerdotales.

271 Querebatur Deus per Mich. 3. nu. 10. *Principes ejus muneribus judicabant, & sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant.* Jerosolymis omnes Principes fures erant, lucris, ac rapinis operam dabant, subditorumque bona multa violentia rapiebant; & undè fieri potuit, quòd tot judices populorum, totque templi sacerdotes, ac Prophetæ visionum, sic lucris, ac emolumentis essent intenti? Hi non convenienti electione, non condigna designatione talibus dignitatibus gaudebant, sed ambitu, negotiatione, ac pecunia data suas dignitates acquisierunt, & ideo omni studio intendunt, ea, quæ ab ipsis sunt data, recuperare, ac duplicare, ut expensa adaucto fœnore possideant. D. noster Cyrill. Alexandr. ibi: *Video, quemadmodum inaccusatos haud prætereat Prophetas, & sacerdotes, mercedem captantes, ut consulentibus renuntiari juberent; vellentne mercedem, & munera offerre: Puto autem Pseudoprophetarum, & non prorsus secundùm legem, ac verè sacerdotio fungentium, sed qui solerent in tales honores callidè irrepere, & gloriam illam pretio sibi comparare, mentionem hìc denuo induci, nec enim verus sacerdos hujusmodi delictis animam suam obstringeret;* sapientissimè S. Pater infert ad rem nostram.

Qui dignitatem pecunia comparat, duplicata vult acquirere.

272 Undè eruditissimè D. Synesius lib. de Regno, de his Magistratibus, qui auro sibi emerant honores, ait: *Credibile non est, eum, sublato vultu, torvis, ac rigidis oculis aurum ex adverso intueri posse, novit enim, se ejus beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere.* Planè prudentissimè putat, non posse aurum contemni, sed amari ab *eis, qui norunt, se ejus beneficio esse in dignitate, ac solio.*

Non contemnitur aurum ab eo, qui per illud temnit honorem.

CAPUT XIX.

Describitur cœlitum jubilus, ac gratulatio Deum laudantium, propter debitam vindictam de Romana Babylonia; tum etiam describitur festus dies nuptiarum Agni jam in proximo instans; ob quorum felicissima nuntia, Joannes Angelum hæc ei dicentem vult adorare. Deinde prodit Christus gladium ore vibrans, magnifica regali pompa, cum cœlitum bellatorum exercitu, tanquam pugnaturus cum Antichristo; quo prostrato, Angelus vocat aves Cœli ad magnificum convivium; ut comedant carnes Regum occisorum, Antichristusque cum suo pseudopropheta Christi imperio vivus devoratur in inferno.

Apoc. 19. n. 1. Post hæc, audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium, Alleluja: Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est.

Num. 2. Quia vera, & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.

VERSIONES.

Syriac. n. 1. Audivi vocem turbæ multæ, salus, & potentia.

Arabicus. Quasi vocem magnam, &c. honor, & robur Deo nostro.

Primas. Vocem turbarum ingentium, salus, & claritas.

Codices antiqui Joachim. Vocem tubarum multarum.

Haymon, Ansb. Albert. Magn. Ansbert. Laus, gloria, & virtus.

Oecumen. Salus, & honor.

Vatablus. Honor, & potentia Domino Deo nostro est.

D. August. n. 2. Quòd corrupit terram fornicatione sua.

Syriacus. Ultus est sanguinem servorum suorum de manu ejus.

D. Ambros. Vindicavit sanguinem Sanctorum suorum.

EXPOSITIO.

1 POst hæc: Quæ dicta sunt superiori capite, post nempe devastatam, ac destructam Babyloniam: *Audivi quasi vocem turbarum multarum.* Aliqui codices, ut D. Ambros. & alii, habent, *tubarum*; quod referunt ad vocem prædicatorum, Isai. 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam*; sed talis error vitio librariorum inolevit, nam radix græca, ut notant Gagnæus, & alii, ac nostra Vulgata correcta, habet, *turbarum*, proindeque significatur omnis multitudo beatorum, ac justorum in cœlo, tam in Ecclesia triumphanti, quàm militanti, dicentium: *Alleluja.* Hæc vox est hebraica, & significat, *Laudate Deum*: involvens secum acclamationem cum quadam exhortatione.

Quid significet Alleluja.

2 *Salus, & gloria, & virtus Deo nostro est.* Parum à græcis distant, quæ habent: *Salus, gloria, & honor, & potestas Domino Deo nostro.* Dicitur *salus*; ac si dicatur, salus nostra, qua à devastatione, ac persecutione liberati sumus. Et deinde ob tot beneficia, gloria scilicet Deo nostro, virtus, seu, ut habet græcus, *robur*, potentia, qua tantam victoriam, ac salutem consecuti sumus, quia non nobis, sed Deo tot, ac tanta referenda sunt, undè hæc verba, *salus, gloria, & virtus*, sunt dicta per modum affirmantis, & non optantis, ut notant Ribeira, Alcazar, Corn. nam per modum optantis dicitur, *Alleluja*, cum exhortationem, ac acclamationem contineat laudandi Deum. Alcaz. addidit honor, ut dicatur: *Salus, gloria, & virtus, & honor*; ut hæc quatuor elogia [illegible] quadruplici Alleluja; sed illud non habet nec Roman. nec Complut.

3 Symbolicè, salus, & victoria à tanta persecutione tribuitur Patri, gloria redemptionis Filio, virtus sanctificandi Spiritui Sancto. Alb. Magn. *Laus*, ratione bonitatis, quæ tribuitur Spiritui Sancto, *Gloria*, ratione sapientiæ, quæ tribuitur Filio; *Virtus*, ratione potentiæ, quæ tribuitur Patri; *Deo nostro est*, qui trinus, & unus est.

3 *Quia vera.* Quia, Domine, judicia tua sunt ex intima veritate, & non ex falsa præsumptione orta; tum etiam, quia imples prænuntiata per tuos Prophetas de hac punitione, ut dicitur sup. c. 15. & 16. *Et justa judicia sunt ejus*; quia non ex affectu, vel passione, seu personarum acceptione procedunt, sed maximè ex discussis meritis, vel demeritis, ita ut non excedant Babylonis demerita. *Qui judicavit.* Hic judicare, idem est, ac sententiam proferre, cum executione, ac proinde dicit, Dei judicium perfectum ex omni parte. *De meretrice magna.* Meretrix hìc magna dicitur per antonomasiam, ad indicanda ejus multa scelera, & nequitiam.

Deus dum punit, verax, & justus.

4 *Quæ corrupit terram in prostitutione sua.* In quo duæ causæ assignantur, ob quas merito punita est Babylon. *in prostitutione sua*; quo denotantur ejus idololatria, omniaque alia vitia, & peccata, ut fuit christianorum persecutio, crudelitas tyrannorum, luxus, ambitio, &c. Secunda causa indicatur, *quæ corrupit terram*; provocatio nempe aliarum, ac totius terræ, quæ ostendunt non nostra tantùm nobis imputari scelera, sed aliorum quoque, si exemplo, consilio, lenocinio, aut quocumque alio modo fuimus causa. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus.* Vindicare aliquando, ut notat Ferrariensis, significat liberare, aliquando ulcisci; in præsenti utrunque significat. Vindicavit sanguinem servorum suorum, efficiendo, ne in posterum possint adversarii illum effundere; & vindicavit etiam pœnas ob ipsum sanguinem effusum, repetendo debitas.

Qui aliorum peccatorum est causa, gravius punitur.

QUÆSTIO I.

Quare post dicta superiori capite multæ turbæ voce decantant Deo laudes.

5 AIt noster Evangelista: *Post hæc audivi vocem*; post hæc, nempe, quæ dicta sunt sup. capite, post nempe

Justorum tristitia mutatur in gaudium, impiorum gaudium in tristitiam.

nempe fletus regum, post gemitum mercatorum, ac negotiatorum, post luctum nautarum, qui antea ridebant, & luxuriabantur; quomodo nunc in tanto luctu, & fletu apparenti, è contra verò qui afflictionem, & persecutionem sustinebant in verberibus, ac carceribus, nunc multo jubilo Deo cantant leudes? Lætitia impiorum in profundissimam tristitiam commutatur, justorum luctus, & mœror in gaudium, & exultationem vertitur. Rup. ait: *Hic est auditus consolationis, hoc est carmen exultationis, carmen vestrum, non peregrini cives cœlestis patriæ, qui in hoc Mundo peregrinamini, quando flebunt, & lugebunt Reges illi, mercatores illi, videntes perire vanitates, & insanias falsas, in quibus sunt confisi, & dicent: Væ, ex tunc vos Alleluja cantabitis;* in fine lugebunt dicentes, Væ; justi exultabunt cantantes Alleluja.

6 Ait text. *Audivi vocem turbarum multarum.* Aliqui Codices maximè antiqui, & D. Ambros. Ansbert. ut dixi in expositione legunt: *Vocem tubarum*; & per tubas intelligunt prædicatores evangelicos, quia sicut tuba recipit sonum sine strepitu, quem postea emittit, sic & concionatores, recipiunt priùs per internam inspirationem in corde, quod postea exteriùs effundunt per prædicationis verba, ideo dicitur Isai. 58. *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Tamen si tubæ erant multæ, cur non audit Joannes voces multas, sed solùm unam? Licèt plures sint, tamen in unius fidei concordia conveniunt.

Prædicatores licèt multi in unius fidei concordia conveniunt.

7 Vera & genuina lectio habet: *Audivit vocem multarum turbarum;* hoc est, multorum beatorum, quorum tantus est numerus, & tam magna turba est, ut nemo eam potest dinumerare, Apoc. 6. cur ergo non ait Joannes: Audivi voces, sed tantùm, vocem in singulari? Quia licèt innumeri sint beati, tamen ita sunt concordes, ac cohærentes in [illegible] Dei laudatione, ac publicatio[illegible], ut in eis tantùm sit una mens, una voluntas, unaque vox. Vidit Isaias duo Seraphim circumstantes Deum majestatem, & clamabat alter ad alterum: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*; & statim addit Propheta c. 6. n. 4. *Commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis*; si multi erant angelici spiritus, cur non dicitur: Commota sunt à vocibus clamantium, sed à voce clamantis? Quia ita erant concordes, ac unanimes in divinis laudibus proclamandis, ut omnes, tanquam unus, tanquam una vox reputaretur.

In Beatis summa unitas, ac concordia.

8 Secundò: *Audivi magnam vocem turbarum multarum dicentium Alleluja.* Turba non solùm beatorum, sed etiam justorum Deum laudantium, ut inde maximè præparentur, ac disponantur ad Deum ipsum intuendum, ad cujus fruitionem maximè divinis laudibus aptamur. Ps. 99. n. 2. *Introite in conspectu ejus in exultatione*; seu ut legit Aquila: *In laudibus*; & subdit: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* Maximè miratur Chrys. serm. 7. quòd jubeamur intrare in conspectu Dei; & quis se tanti Regis conspectui committere audeat? & quis speret tantæ posse obtinere præsentiam majestatis? Ipsemet Psaltes insinuat: *Introite in conspectu ejus in exultatione*; hoc est, *in laudibus*; qui enim has verè habet in ore, ac corde, ad tantam gloriam majestatis assumitur.

Dei laudibus aptamur ad ejus visionem.

9 Dum tres pueri hebræi à tyranno babylonico in ardentem fornacem detrusi sunt, seque inter flammas illæsos vident, in divinas laudes exurgunt; quid tunc? Accessit Rex stupens ad ostium fornacis, & ait: *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est; & species quarti similis filio Dei*, Daniel. 3. n. 42. Miraris sanè filium Dei adesse tribus pueris, minimè sub igne degentibus? Deus siquidem adesse solet tribulantibus; cur modo adest iis, qui sunt in gaudiis? Sanè felices pueri Dei laudes ore resonabant, inde sibi Deum meruerunt approximari. Favet D. Prosper. 1. p. de promissis cap. 33. dicens: *Tres verò viri illæsi, hymnum Regi vero dum canunt, in medio camini, secum filium Dei habere meruerunt.*

Deum laudare est ad ipsum appropinquare.

10 Tertiò: *Audivi vocem magnam turbarum multarum*; nempe justorum Deum laudantium Deo valde jucundam, laus enim, quæ à multis Deo decantatur, ipsi gratior, ac præjucundior omni sacrificio, ac antiquo holocausto; sic post maris Rubri transitum *cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc domino, & dixerunt: Cantemus Domino*, Exod. 15. nu. 1. pro tanto beneficio non obtulit arietes, columbas in holocausta, sed tantùm carmen cecinit Moyses cum filiis Israel.

Valde exultans divinus sponsus ait Cantic. 7. nu. 1. *Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Sic Sunamite Synagoga denotatur, ut communiter docent Cassiod. D. Greg. Beda, D. Anselm. qui vocabulum chori non ad prædicationem, sed ad psalmodiam refert, & solùm in Synagoga chorus Psalmodiæ se offert ad videndum. Singulis diebus honorabatur; quare ergo tanquam omnium immemor sponsus dum eam ad se conversam videt, hoc unum proponit veluti inter cætera maximè æstimabile, quod choris castrorum psallentium sit plena? & cur in illa non videntur potiùs agnorum millia, taurorum, ac columbarum, & arietum greges, suffitumque pretiosissimorum exhalatio? cur non potiùs tot Patres, Prophetæ, ac multi viri illustrissimi conspiciendi objiciuntur? cur iis prætermissis chori magis proponuntur ad videndum? In choro invenitur multorum concors laudatio, qua Dei magnifica opera decantantur, quæ longè superat universa animalium holocausta, illustrissimorum virorum quaslibet alias præclaras actiones. Eleganter Rupert. ibi ait: *Quid videtis aliud in Sunamite? nunquid sanguinem victimarum? nunquid circumcisionis cauterium? Nil omnino nisi laudes, nisi cantiones præliantium, prælia laudantium, quod suavissimum, quod verè est pulcherrimum. Igitur hoc solùm in Evangelio videndum, ac providendum est secundùm fidem Patrum, ut sint chori castrorum, chori in una fide dicendo idipsum.* Nil ultra quærendum, ubi chorus est Deum laudantium. 11

Chorus Deum laudantium Deo jucundissimus.

QUÆSTIO II.

Quare retenta voce hebraica decantatur hìc Alleluja; *& hic potiùs quàm antea in toto libro Apocalypseos.*

Alleluja unum est ex decem Dei *nominibus*, ut enumerat, & interpretatur D. Hier. Epist. 136. ad Marcellam; & Cornel. ait, quòd sit ipsum nomen Jehova abbreviatum, & significat: *Laudate Deum* cum jubilo, ac voce læta, ac si ipse Deus suomet nomine excitet ad ejus laudem, & canticum. 12

Quid significet Alleluja?

Hæc vox Alleluja, quamvis hebraica sit, in nostra tamen Vulgata latina retinetur; & quamvis interpres optimè calleret idioma hebraicum, tamen non transtulit in latinam significationem; de quo quæsitus D. Hier. à Marcel. in epist. ad illam c. 137. ita respondet: *Quoniam prima Ecclesia ex judæis fuerat congregata, ut nihil ad credentium scandalum innovaretur, sed ita ut à parvo imbiberunt, traderent; postea verò quàm in universas gentes dilatatus est sermo, non potuisse semel susceptа mutari. Quia hæc vox, Alleluja jam antea ex judæis ad gentes conversa profecta est, quæ optimè noverant ejus significatum, ideo postea retenta fuit. Addam etiam, quod Joannes hanc vocem notam hebraicam usurpasset*; quia cœlites, quos hìc addunt, eam decantabant Tob. 13. n. 22. *Per vicos ejus cantabunt Alleluja.* Tertiam rationem assignat Titelm. in expositione Missæ c. 22. & ait: *Quoniam plenitudinem illius gaudii, & plenæ laudis hìc non datur experiri in valle constitutis miseriæ, ideirco non interpretatum hebraicè nomen remansit, ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum vocabulum designaret, potiùs quàm exprimeret: ideo tacetur hoc Alleluja à Septuages. usque ad Pascha, quia tunc agimus commemorationem lapsus nostri, & ex illis celebramus pœnitentium, & ideo non convenit canticum exultationis, & laudis, quod canimus in patria, & æterno gaudio illius.* 12

Cur vox Hebræa retinetur?

Gaudia terrenæ vitæ non possunt explicari.

Dicunt cœlites Alleluja, & ut legunt Haym. Ansb. Alb. *Laus, gloria & virtus, Deo nostro.* Alleluja idem est ac laudate Deum; ad quid addunt statim, *laus, gloria?* Respondet Haymon: Ad explicandum id, quod dixerant. Aptius tamen mihi videtur dicendum, ad significandum, quòd Deus multis, & variis modis laudandus sit. 13

Hæc vox Alleluja frequenter est in usu Ecclesiæ excepto tempore à Septuag. usque ad Pascha; & tunc dicitur: *Laus tibi, Domine Rex æternæ gloriæ.* Sed dices: Alleluja, idem est, ac *laudate Deum*, quod idem est, 14

Cur eam frequentet Ecclesia utatur Alleluja.

est, ac *Laus tibi, Christe*. Respondet D. August. in Psal. 106. quòd Alleluja significat laudate Deum jubilo, ac cantico lætitiæ, & ideo temporibus, quibus Ecclesia plorat, eam omittit; & tantam lætitiam, ac exultationem hæc vox Alleluja denotat, ut raro ab uno solo in Ecclesia dicatur, sed frequenter à toto choro, ac à tota multitudine decantatur, ut notat Harphius lib. 1. Theolog. mysticæ, c. 58. sic & hìc ab omni turba beatorum, ac justorum simul decantatur.

15 Et hæc vox in tanta æstimatione erat apud christianos primitivæ Ecclesiæ, ut Alleluja esset prima vox, quam Parentes filios suos docebant, ut ad Lætam scribens D. Hieron. de filia Paula ait Epist. 7. & 27. *Infantulam Alleluja balbutire consuesce*. Hujus autem sanctæ vocis divina vis mirabiliter eluxit, cùm, ut refert Constantius Episcop. & ex eo Baronius, Ann. Dñi 424. Britanni ab hostibus pressi, contra illos in prælium exurgentes admonitu S. Germani, Alleluja vocibus inclamantes, insignem de illis victoriam reportarunt; tanto enim terrore hostes eorum hac sancta voce concussi sunt, ut ruisse super se non solùm rupes circumstantes, sed etiam ipsam Cœli machinam existimarent.

Alleluja in multa æstimatione apud Christianos Ecclesiæ primitivæ.

16 Sed jam venit secunda quæstionis pars: Cur hìc primùm, quàm antea in toto libro Apocal. decantatur Deo Alleluja? Respondet Benedict. Hafetenus, lib. 7. Disquisit. Moral. tr. 8. Disquis. 1. Quia hoc Epicenion Alleluja, cum summa exultatione decantatur Christo Dño, ut supremo victori, ac triumphatori de Babylonia, de Antichristo, ac suis sequacibus, ut patet in fine capitis; qui & suos electos de tanta persecutione, ac tyrannide liberavit, ac custodivit, & inde cum tanta victoria celebratur, ideo & nunc primùm acclamatur Alleluja. Cùm transacto mari rubro, suffocatisque in eo Ægyptiis, pro liberatis Israelitis cum ipsis cantat Moyses: *Cantemus Dño gloriosè*, Exod 15. n. 1. In hebræo, ut multis placet est, Jehovah, quod, ut multi volunt, abbreviatum idem est, ac Alleluja, quo exultantes, ac lætantes totum triumphum Deo referunt.

Cur hic modo decantatur Alleluja.

Victori decantanda laus.

17 Abrahamo de bello cum victoria redeunti, processit obvius Melchisedech, & benedixit ei; & quas benedictiones ei impertivit, quasque gratulationes ei decantavit? Ait: *Benedictus Abraham Deo excelso qui creavit Cœlum, & terram, & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt*, Gen. 14. n. 19. ut victorem Abrahamum laudet, priùs tripliciter Deum laudibus celebrat, bis dicit eum excelsum, deinde Creatorem Cœli decantat, & cum ad Abrahamum venit tantùm ait: *Benedictus Abraham Deo excelso*; seu ut legit Pagnin. *Benedictus Abraham à Deo altissimo*. Solùm in tanta victoria in Abrahamo celebrat, quod sit benedictus à Deo; cur non magis laudat ejus fortitudinem, ac generositatem, qua quinque Reges devicit? cur non potiùs extollit ejus potentiam qua plus quam trecentos vernaculos suos ad prælium convocavit, sed tantùm quod à Deo sit benedictus? Optimo jure sanè, quia tantam victoriam non est assecutus sua fortitudine, generositate, ac potentia, sed tantùm Dei benedictione. D. Chrys. hom. 35. in Genes. *Vide ergo*, ait, *quomodo non solùm justum prædicat, sed & Dei præsidium agnoscit; neque enim absque illius gratia potuisset tanta potentia munitos vincere*.

Victoria accepta Deo referenda, ac gratulanda.

18 Cum David se offerret ad pugnam cum Goliath difficultat rem Saul, quia ipse puer erat, ille vero bellator ab adolescentia sua; animosè respondit David: *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu ursi, ipse me liberabit de manu Philisthæi hujus*, 1. Reg. 17. nu. 37. cumque jam destinatus ad pugnam vellet accedere, accingitur gladio, lorica, ac armis Saul, quæ statim deposuit dicens: *Non possum sic incedere, quia usum non habeo*, ibid. n. 39. è contra vero cum in alia occasione datus ei fuisset gladius Goliath, libenter accepit dicens: *Non est hujus alter similis*, 1. Reg. 21. n. 9. & tamen Goliath major & altior Saul erat; cur ergo arma hujus respuit, illius vero acceptavit, eisque se accinxit? *Divina virtute sic dispositum est, ut tota victoriæ gloria non armis, ac viribus tribueretur, sed tantùm Deo*: ita docet D. Chrysost. homil. 40. in Gen. *Ut virtus Dei apertè monstraretur, & non armis, quæ flebant mira, adscriberentur*; undè apertè ipse David ante adeptam victoriam ad Philisthæum dixit: *Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo, ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum*, 1. Reg. 17. nu. 45. undè perbellè ait D. Basil. Seleuc. orat. 15. Goliath verborum fastui David auxiliatorem, quem promulgabat, opponebat, ostentans illi de cœlo adversariorum, prædicans victoriam, ac victorem contestatus, gratus servus, qui vel antea operam operæ fructum offert Domino: vide supra, cap. 17. q. 3 1. n. 262. & seqq.

Deus cognoscendus, ac laudandus in victoriis nostris.

QUÆSTIO III.

Quare cum Babylonia sit una tantùm meretrix prostitutione sua corrupit terram.

SEnsum literalem jam dedi in expositione, moralem nunc quæro. Hìc introducitur Babylon tanquam una meretrix; quomodo ergo una cum sit totam terram potuit corrumpere? Non mirum cùm esset meretrix mala, & depravata mulier, nam hæc quamvis una sola sit, tamen una plures, quasi ipsa malitiæ, ac nequitiæ vis multiplicet sexus ad totius Orbis perniciem; & ad hoc cùm sit iniqua non una, sed multiplex est, ac si à sua iniquitate multiplicitatem habeat.

19 Una mala mulier tanquam plures.

Benedicens Jacob filium suum Joseph ait illi: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum*, Gen. 49. nu. 22. Grandis difficultas, quomodo hæc de Joseph asseverentur, quia in Palæstina, nec in Ægypto invenitur scriptum, quod fœminæ studio Josephum videndi per muros urbis discurrerint; quæ ergo sunt hæ filiæ? Rupert. existimat quod per has fœminas intelligitur uxor Putiphar, Domina ipsius Joseph, quæ eum ad turpe nefas sollicitavit, & quamvis hoc tentaverit in cubili, ac domo sua, dicitur discurrere super murum, quia cùm esset luxuria inflata, talis erat, ut describitur à Salomone; ait Rupert. Prov. 7. n. 10. *Garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis*. Sed nunc maximè ad nostram quæstionem: Si hæc mulier una erat, quomodo de ea tanquam de pluribus dicitur? *Filiæ discurrerunt per murum*? Verum est quòd mulier in persona una singularis erat, & cum esset impudica, & lasciva multiplex nequitia, ac malitia erat, & ideo multarum nomine fuit significanda, & ob suam turpitudinem spoliatur honorifico nomine matrisfamilias, & filia vaga, ac discurrens dicitur. Rupert. ait: *Una namque scilicet Domina ipsius (filia magis dicenda quàm mater familias) injecisse in eum legitur oculos suos; filia inquam, stulta, & incustodita, cujus & incontinentia denotatur, dicendo, discurrerunt super murum*.

20

Una mulier plex ad nocendum.

Secundò hæc meretrix una erat, & tamen valuit prostitutione sua corrumpere totam terram; una mulier sufficit ad destructionem totius Orbis. Hebræa vox, quæ Evam significat, significat & serpentem, quæ suo veneno totum Mundum valet perdere. Clemens Alex. orat. 1. ad Gentes, ait: *Si accuratè vox spectetur hebræa, nomen Eva ad spiritum exponitur serpens, & fœmina*; nam sicut mulier, & serpens nomine conveniunt, sic & crimine, ac veneno ad damnum toti Mundo inferendum.

21 Mulier valde potens ad destructionem.

Prudentissimus David agnoscens armatum filium venire, ut regiam occuparet, festinavit egredi cum suis militibus, & fugere à facie filii; dicitur 2. Reg. 15. n. 16. *Egressus est ergo Rex, & universa domus ejus pedibus suis, & dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum*. Qualiter hæc domus custodienda est tempore belli? ipse David homo bellicosus cinctus strenuissimis militibus se insufficientem putat, ut domum adversùs filium custodiat, & ideo fugit; quomodo putat à decem concubinis posse domum custodiri adversùs armatum exercitum? Sciebat sapientissimus Rex nullas bellicas machinas fortiores posse relinqui domi ad omnes homines perdendos, ac desolandos, quàm si fœminæ solæ relinquerentur, ubi enim de consilio Achitophel ad illas est ingressus Absalon, statim in omnem perditionem, ac ruinam præcipitatus est, ut notat Carthusian. in 2. Reg. c. 16. Ex

22 Mulier sufficiens ad omne robur destruendum.

adim-

adimpleto nefario consilio Deus meritò fecisset Absalonem cum suis occumbere ; nulla vis militaris sic concussit miserum, ut illum concusserunt fœminæ in regia relictæ, quarum occasione princeps in extremam ruinam cecidit.

23 Postquam Elias occidit Prophetas Baal, Jezabel misit ad eum nuntium dicens 3.Reg.19.nu.2. *Hæc mihi faciant dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis : timuit ergo Elias, & surgens abiit quòcunque eum ferebat voluntas* ; cur tantus Propheta tanto timore afficitur? nonne ipse tam generosè arguit Regem Achab in faciem, ut ei diceret : *Non ego turbavi Israel, sed tu & domus Patris tui?* 3.Reg.18.nu.18. Regemque Ochoziam in faciem arguens, mortem ei prædixit : *De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris*, 4. Reg. 1. n.16. duosque principes quinquagenarios cœlesti igne combussit, ibid. n. 10 & 12. undè ergo ad unum verbum mulieris Elias sic expavet, ac timet? Bene sciebat Magnus Propheta, quod fortior erat ad perdendum una mala mulier, & depravata, quàm multi Reges; ac qui principes militiæ non timuit, timet unam malam mulierem furore, ac ira repletam. D. Chrysost. hom.15. ex Matth. locis ait : *Timuit mulierem, nulla enim malitia æmulari potest malitiam muliebrem. O Diaboli telum acutissimum!*

Una mulier mala potentior ad destruc. cum quàm Rege, ac principes militiæ.

24 Durissimas maledictiones imprecatur David super domum Joab, eo quòd ab ipso mortuus fuerit Abner, & ait : *Sanguis Abner veniat super caput Joab, & super omnem domum Patris ejus ; ne deficiat de domo Joab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane*, 2.Reg.3.nu.29. ut domus Joab pereat, ac deleatur multas execrationes in eam contorquet David ; ut sit in ea fluxus seminis patiens, morbus sanè infamis, & execrabilis apud hebræos, & leprosus, & homo gladio interfectus, & pauper indigens pane, & tenens fusum, per quod mulierem interpretatur Baeza tom.1. de Christ. figur. lib.2. c.4. §. 32. sed cur inter quinque maledictiones, quæ conjiciuntur in domum Joab, ponitur etiam mulier mala, & impudica, quam Tertull. de habitu c. 1. appellat *januam Diaboli*, &c. D. Chrysost. ho.15. ad Populum, *Dæmonum officinam* ; & Hippolytus action. 2. *Pejorem qualibet fera*.

De malitia mulieris varia elogia

*Apoc.*19. *n.*3. Et iterum dixerunt Alleluja ; & fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum.

Num. 4. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, & quatuor animalia, & adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes : Amen Alleluja.

VERSIONES.

*Arabicus n.*3. Deinde dixit secundò Alleluja.
Oecumen. Rursum dixit.
Syriacus. Fumus ejus ascendebat.
*Primas. n.*4. Prostraverunt se.
Arabicus. Et prociderunt viginti quatuor senes.
Syriacus. Ceciderunt illi seniores, & ita quatuor animalia.
Oecumen. Qui sedebat super thronum.

EXPOSITIO.

25 Justi lugent in hoc sæculo, exultant in futuro : Impii è contra.

ET *iterum dixerunt Alleluja*. Ecce sancti decantant *Alleluja* ; Babylonis verò fumus ascendit in sæcula sæculorum ; sancti in hoc Mundo flent, Babylon lætatur. Ecce jam tempus ; lætantur sancti, & iterum dixerunt *Alleluja*, quia eorum gaudium non finietur, sed semper reviviscet, ac renascetur, Babylonis verò *fumus ascendet in sæcula sæculorum* ; hoc est in æternum durabit ; & dicitur de præsenti, *ascendit*, ut ostendatur certitudo prophetiæ, & permanentia supplicii. Et quamvis Babylon brevi tempore sit concremanda, tamen sacra prophetia de incendio temporali transit ad incendium perpetuum alterius vitæ ; & hic non tantùm est sermo de Babylonia materialiter sumpta, sed etiam mysticè pro cœtu impiorum, qui in æternum damnabuntur.

26 *Et ceciderunt seniores viginti quatuor*. Ostendit sacer text. excidium Babyloniæ pertinere, & conducere ad gaudium beatorum, proindeque omnes commemorantur tanquam per varios choros distributi ad divinæ majestatis doxologiam decantandam, & primò inducuntur viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, de quibus multa dixi supra c. 4. Hi tanquam cœlestis consessus primores exurgunt, caduntque prostrati ante Dei thronum, à quo Christi vox exiit invitans reliquos sanctos ad suum canticum, ut patet ex sequentibus duobus versibus, nunc verò viginti quatuor seniores, & quatuor animalia sua cantica dicunt.

Primores in cœlesti curia Dei primi laudant.

Amen, Alleluja. Habet hoc canticum duas partes ; prima *Amen*, de quo multa dixi c.1.n.7. & est adverbium confirmantis : Ita sit, ita fiat ; *Alleluja*. Laudate Deum, quasi dicant, omninò ita fiat, ut omnes laudent Deum, decantentque Alleluja. Et maximè ponderandum, quod primò dicunt *Amen*, deinde *Alleluja*, quod habet magnum mysterium, nam *Amen* idem valet, ac verum, *Alleluja* lætitiam dicit ; inde priùs decantatur *Amen*, deinde *Alleluja*, quia veritas maximam lætitiam generat, ac producit in anima, sicut & mendacium mœrorem secum adducit, veritas verò magnam lætitiam secum diffundit. D.Aug.serm.121. de diversis ait : *Non sonis circumsonantibus dicemus, Amen, & Alleluja, sed affectu animi. Quid est enim Amen? quid est Alleluja? Amen, est verum, Alleluja, laudate Deum*, &c. 27

QUÆSTIO IV.

Quare inter gratias agentes primi numerantur viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & non solùm ore laudant, sed etiam se prosternunt.

AIt text. *Et ceciderunt ;* seu, ut alii legunt : *Prostraverunt, seniores viginti quatuor, & quatuor animalia ;* quod ad eorum eximium amorem erga Deum refert Ribeira, & ait : *Ideo potissimùm inter agentes gratias isti numerantur, quoniam sicut præ cæteris Deum speciali amore prosequebantur, ita vehementiùs de justa Dei ultione adversùs sceleratissimam urbem sumpta gaudent, & lætantur*. 28

Amor non impellit ad majores Dei laudes

Secundò viginti quatuor seniores, ac quatuor animalia primò Dei laudes intonant, & cadunt, ac prosternunt sese in terram. Viginti quatuor seniores significant duodecim Patriarchas, duodecimque Apostolos Principes Ecclesiæ Christi, cujus scriptores fuerunt Evangelistæ, & in his universa Ecclesia Dei repræsentatur, quæ quanto majora beneficia, ac dona à suo sponso Christo Jesu accepit, tanto magis erga ipsum sese humiliat, opereque, ac facto suam devotionem erga eum ostendit. Ansbert. ait, quod iidem seniores, atque animalia adorantes cadere dicuntur : Ecclesiæ humilitas, ac devotionis intensio *in hoc* facto declaratur. 29

Justus quò majora beneficia recipit, eò magis se humiliat.

Tertiò quid est quod dicitur : *Fumus Babyloniæ ascendit in sæcula sæculorum*, & *ceciderunt*, seu prostraverunt se *seniores* 24. & 4. *animalia*? Quia maximè humiliamur, dum videmus superbos debitas pœnas dare, à quibus justi se vident liberos divina gratia, ac misericordia : vide supra, c.13.q.19.n.149. & c.15.q.9.n.60. 30

Justus viso aliorum supplicio humiliatur

Quartò viginti quatuor seniores denotant, duodecim Patriarchas vet. testam. ac duodecim Apostolos totius Ecclesiæ Principes, quia suo exemplo, vita, ac prædicatione totam Ecclesiam illustrarunt ; quatuor animalia sunt quatuor Evangelistæ, qui suis scriptis de operibus, vita ac doctrina Christi, totum Mundum illuminarunt, inde ipsi, ut Principes, ac capita totius Ecclesiæ pro suis membris, ac fidelibus gratias persolvunt : Recta ratio postulat, ut caput pro membris, princeps pro inferioribus, ob beneficia accepta, signa gratitudinis cum omni veneratione exhibeat, & referat. Parit Anna filium Samuelem, & tantum donum acceptum cantico celebrat : *Donec sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est*, 1. Reg. 2. n.5. Zacharias generat filium, & simul cum eo certus fit de adventu filii Dei, magnificum canticum erudit, & totus est in gratiis agendis pro redemptione Israelis : *Benedictus Dñs Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ*, Luc. 1.n.68. cur non gratificat natum filium, sicut & Anna suum, Anna mulier particularis 31

Pro beneficiis populi Sacerdos gratias agat.

cularis de beneficio particulari agebat, at Zacharias populi sacerdos,& ideo non tantùm de sua re propria agit, sed potiùs de his, quæ ad totum populum spectabant, cujus ipse erat sacerdos, & caput. D. Bonav. *Bonus sacerdos curam populi gerebat, pro eoque orabat, ac gratias agebat.*

32 Qui majora dona accipit, magis debet timere, ac revereri. Quid est, quòd de illa turba magna, quæ Dei laudem intonare incepit, nec cadit in terram, nec Deum adorat, sed soli hoc faciunt viginti quatuor seniores,& quatuor animalia? In his denotantur majores sancti, tam novi, quàm veteris testamenti, & precipuè Apostoli, ac Evangelistæ; & cur hi Deum laudantes se prosternunt, & adorant? Quia cum sint majores in donis cœlestibus, inde sunt præcipui, ac eximii in humilitate, devotione, ac timore quo Deum reverentur. D.Th. ait: *Hoc fit ad ostendendum quòd aliqui quantò majores sunt in dignitate, tantò humiliores esse debent; quod signatur per illum casum Ecclesiæ 3. Quando magnus es,&c. tantò etiam devotior es, quod signatur per adorationem.*

33 De Ecclesiæ filiis ait divinus Sponsus Cant.7. nu.5. *Coma capitis tui purpura Regis vincta canalibus;* quæ verba valde peculiariter leguntur à Philon. Carpat. *Comæ capitis tui purpura, Rex tremendus in excursibus*; ubi apertè ostendit, comas seu capillos, filios scilicet Ecclesiæ omnes ut Reges esse purpuratos; & undè regium splendorem pauperculi ebiberint, statim exprimit, cùm ait: *Rex tremendus in excursibus*; quod scilicet supremus Rex, in toto rerum ordine, ac excursu sit tremendus ab eis; & cur hìc potiùs, quàm in quocunque alio loco introducitur, ac præponitur ut tremendus ab eis? ipsi filii Ecclesiæ regali purpura ab eo accepta insigniti denotantur, inde ipse maximè ab eis venerandus, ac adorandus, à quo tantam, & talem dignitatem acceperunt: Ad mensuram dignitatis debet crescere timor, ac reverentia. Huc advoco quod eleganter dixit D.Fulgent. ad Trasimund. lib.1. *Deum si quis parum timet, parum cognoscit, nam si cognosceret, ut debet, totius bonitatis fontem adoraret, ac timeret.*

Pro magnitudine beneficiorum crescit timor.

34 Ardentissima Dei amatrix de se ait: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit*, Cant.5. nu. 4. & undè Anima sancta cùm videt in se, suaque anima, Dei manum tremit? cùm potiùs inde maximè exultare, ac lætari debebat, manus enim Dei plenæ sunt omnium cœlestium donorum, ac beneficiorum, quæ communicant: *Manus illius tornatiles, aureæ plenæ hyacinthis*, Cant.5.n.14. undè de magno præcursore Baptista universi præclarissima auspicabantur, dicentes: *Manus Domini erat cum illo*, Luc.2. cur ergo divina sponsa videns in domo sua Dei manū cum plenitudine omnium bonorum immissam, timet? Inde maximè timet, quia affluentia cœlestium donorum parturit timorem, ac tremorem: Ad cumulum beneficiorum dilatatur timoris affectus. Catena trium Patrum: *Dilectus ait dicere piam animam, misit à Patre procedentem ab eo spiritum sibi consubstantialem, cujus tanquam manu peragit divina gratiarum munera, per mentem meam, veluti per foramen aliquod & pariente me initium sapientiæ timorem dilecti mei.* Si manus Domini largitur gratiarum munera, exinde tanquam partus nascitur timor Domini.

Ex cumulo beneficiorū dilatatur timoris affectus.

35 Ex majoribus beneficiis major obligatio reverentiæ, ac venerationis nascitur: semper qui majora accipit, majora solvere tenetur; quod optimè comprobatur ex duplici parabola apud D. Luc. c. 15. cœlestis pater divisit substantiam suam juniori, ac seniori; filius vero junior, ac prodigus accepta sua hæreditate, *profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit substantiam suam*, Luc.15.n.15. ut inde in extremam paupertatem deveniret, optaretque implere ventrem porcorum siliquis, & nemo illi dabat; qui tandem in se reversus ait: *Surgam, ibo ad Patrem meum*; cur ipse filius non magis expectat, ut pater ad eum mittat, ipsumque ad se trahat in domum suam? sanè non filius, sed ovis, quæ dicitur à domo ejus egressa, & perdita per deserta aberrans, quam ut amissam notavit cœlestis pastor, statim ipse exiit in desertum, & ovem requirit, inventaque *suis humeris reportat ad gregem*, Luc. ibid. nu.5. qui quærit & portat ovem, cur non quærit, & revocat filium? Quod pulchrè D.Hier. epist. de duobus filiis notavit & ait: *Hæc inter parabolas supradictas ratio distinctionis est, secundùm personas, vel mentes peccantium, ut pater filium non requirat peregrinantem sed recipiat pœnitentem, pastor verò ovem errantem, & non sapientem reverti, requirat, & humeris suis referat.* Filius magna,& ampla bona à Patre acceperat in hæreditatem, at ovis nihil legitur quod habuisset donatum à pastore; inde ergo filius, qui tot, ac tantis bonis fuerat cumulatus à parente, ab eo exigitur, ut ipse suis pedib. veniens patrem adoret, ante quem se prosternens, illius faciem metuens misericordiam petat.

Qui majora accipit, majora solvere tenetur.

QUÆSTIO V.

Quare viginti quatuor seniores hìc proponuntur absque aversis coronis ut habetur cap. 4.

36 DE his viginti quatuor senioribus agens noster Evang. supra, c.4. n.4. *In capitibus eorum coronæ aureæ*; si ergo coronas aureas habebant in signum suæ regalis dignitatis, cur modò sine illis introducuntur, cùm maximè viderentur spectare ad eorum ornatum? & cum procidentes adorant, de eorum coronis non fit mentio?

37 Qui Deum laudat, sibi facit coronam. Respond. Erant hi seniores Deum laudantes,& dicebant: *Amen, Alleluja*; & cùm in ore laus Dei resonat, statim in capite splendidissima corona fulget, siquidem in laudibus Deo exhibitis coronas in capite accipimus. Huc advoco id, quod de reparatione Jerosolymæ ait Isai.51.n.11. & ait: *Et nunc qui redempti sunt à Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes,& lætitia sempiterna super capita eorum gaudium, & lætitiam tenebant*; quæ verba sic habentur apud Septuaginta: *A domino enim reducentur, & venient in Sion cum lætitia,& exultatione æterna; in capite enim laus, & lætitia apprehendet eos*. Expende verba: *In capite eorum laus;* laus quæ Deo decantatur, in ore dicentium tatur; & quomodo ergo laus dicta Deo; [illegible] procedere, sed in capite stare dicitur? Meritò laus dicta Deo ostenditur in capite stare, quia ut ab ore profertur Dei laudatio, statim fit corona aurea in capite laudantis, undè meritò ait D. Cyril. Alex. ibi: *Reducti sunt gaudentes, & lætantes, & hymnos Deo tanquam coronam quandam tenentes in capite.* Dum Jesus meus canitur à fidelibus, dum illi fit hymnus ad ejus magnalia celebranda, quasi in laudatoribus, acclamationibus celebrantur, & coronas gestant in capite.

38 De his viginti quatuor senioribus dicitur supra,c.4. n.10.quòd adorabant viventem in sæcula sæculorum, *& mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, &c.* Mittebant coronas suas ante Dei thronum, sed non amittebant, quas Dei laudibus sibi faciebant. Cedra in Tertull. lib. de corona militis,c.13.ait: *Mittebant coronas suas, quas Dei laudibus fecerant, quibus & coronabantur.*

Dum Deū laudas, accipis coronam.

QUÆSTIO VI.

Quare cœlestis turba quater decantat Alleluja nec plus, nec minus.

39 COElestis turba quater Deo decātat *Alleluja*,vers. 1.& 3.4.& 6. cur non ter, vel quinquies? Ruper. contendit, quòd sexies decantatum fuerit, nam postquam 1.vers. dictum est, *Alleluja*, ut plures vertunt, subjunctum est, *Laus;* nam ubi habemus, *salus & gloria*, legunt alii, *laus & honor*. Et manifestum est, quòd Alleluja, idem est ac laus, idem est ergo laus,ac Alleluja; & vers.5.scribitur: *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus*. Quater expressè dicitur *Alleluja*, & bis secundùm suum significatum, *Laus Dei*, seu, *Laudate Deum*; cur ergo in numero senario à sanctis decantatur Alleluja? A reprobis sup. cap. sexies repetitum est Væ, bis, vers.10.& 16.& 19. ideo & à sanctis toties repetitur Alleluja, quia si reprobi per omnes sex Mundi ætates sibi thesaurizaverunt lamentationem, & Væ, justi per easdem sex ætates Deo decantantes, laude lucrati sunt gaudia æternæ beatitudinis. Rupert. *Illi, quorum est per sex Mundi ætates, alii aliis succedentes, in illis fornicationibus, væ illud sibi thesaurizaverunt, & isti quorum est Alleluja, itidem per sex mundi ætates, alii aliis succedentes semetipsos ad laudem, & gloriam Dei in sanctis virtutibus exercuerunt.*

Impii per omnes ætates thesaurizant poenas, justi verò benedictiones.

Secun-

40 Secundò visa vindicta Dei de meretrice babylonica sacra illa turba primò Deum laudat decantans *Alleluja*, nunc etiam secundò seniores dicunt *Alleluja*, fortè propter duplicem damnationem animæ, & corporis; vel etiam duplex decantatur, *Alleluja*, ab illo cœtu beatorum, quia sumitur vindicta non solùm de peccatis in nos, sed etiam in alios commiss. Albertus Magn. *Bis ponitur Alleluja pro vindicta peccatorum, quæ in se commiserunt, & pro vindicta peccatorum quæ persequendo sanctos fecerunt.*

Punimur pro peccatis in nos, & in alios commissis.

41 Tertiò vers. 6. infra ad illa verba dicentium, *Alleluja, regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* Albert. Magn. Hugo ex illis quatuor nominibus, colligunt quatuor effectus, ob quos quadrupliciter decantant Alleluja; inquiunt: *Dicitur primum Alleluja*, quia Dominus est *qui potenter creat; secundum quia*, Deus est, *qui sapienter gubernat; tertium, quia*, noster est, *qui clementer liberat, & nos redemit; quartum, quia*, omnipotens est, *qui affluenter glorificat.* Alcazar. ad prædictum vers. 6. ad repetitum quater Alleluja, etiam assignat rationem; primò, quia laudatur Deus trinus; primò, cognitione fidei; secundò, vitæ integritate; tertiò, laude publica Ecclesiæ in sacrificio Missæ, ac horis canonicis; quartò, profectu perfectionis in zelo animarum prædicatione, ac colloquio pio.

Deus ob sua opera laudandus.

42 Quintò quater laudem decantat sancta turba ut discamus non una laude ter nos esse contentos, & sciamus omnes nostræ vitæ partes semper debere dicere Alleluja, & laudem Dei; sic David Ps. 33. n. 2. *Semper laus ejus in ore meo*; & Psal. 114. n. 2. ait: *In diebus meis invocabo Dominum*; legit. D. Ambr. orat. funebri de obitu Theodos. Imperatoris: *Quia semper accipis semper invoca; & quia, quod habes, à Domino est, debitorem te semper esse cognosce*; quia in omni instanti vitæ nostræ, Dei dona accipimus, semper gratiam laudemque damus.

In omni vita nostra Deus est laudandus.

43 Quartò quaternarius numerus quandam universitatem significat; quatuor sunt anni tempora, quatuor fuerunt imperia Orbis, quatuorque sunt Mundi partes, ac anguli: quatuor ergo cœlites dicunt *Alleluja*, quia laus Dei semper debet revivisscere, semperq; per totum Orbem debet acclamari, ac in ore omnium gentium resonare. Postquam David fœderis arcam Jerosolymam introduxit, quatuor cantorum principes instituit, Asaph, Heman, Ethan, & Idithum, 1. Paral. 15. n. 17. & c. 16. n. 41. quorum singulis septuagenos binos subjecit, ut D. Chrysost. arbitr. Procem. 2. in Psal. hujus rei optimam assignat rationem dicens: *Unicuique tribuit cantores septuaginta duos, pro septuaginta duabus gentibus, quæ congregatæ fuerant in turris ædificationem; prædicens fore, ut in ultimis temporibus omnis lingua laudet Dominum.*

Dei laus omni lingua decantanda.

44 Quintò cœlites quater decantant *Alleluja*; cur non potiùs ter, vel quinquies? In SS. Trinitate tres sunt divinæ personæ, & una numero essentia; ecce cur quater decantatur *Alleluja*, nec plùs nec minùs; ut ita communi voce laudaretur Deus trinus & unus. Richardus Victorin. ait: *Quater describitur in hoc capitulo ista vox divinæ laudis, propter sacramentum divinæ Trinitatis, tria quippe & unum quatuor complent. Recte ergo quater, ideſt, ter, & semel Alleluja, in gratiarum actione memoratur, quia trinus & unus est Deus, qui laudatur*; sic Deus Isai. 6. dum super solium excelsum, ostenditur, simul & Seraphim clamabant ter, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ne divinitas innotesceret, ne laudaretur sine aliquali Trinitatis repræsentatione.

Deus trinus & unus laudandus.

45 Dum transfiguratur Jesus, facies ejus resplendet ut Sol, & vestimenta facta sunt alba sicut nix, ita ut pro tantæ gloriæ magnitudine admirati discipuli caderent in terram, & ut scribit D. Matth. 17. n. 5. *Nubes lucida obumbravit eos, & vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus*; & ad quid dum gloria Christi manifestatur, vox Patris intonat, & nubes lucida obumbrat? In voce agnoscitur Pater, in Christo verus filius Dei, ut ipse verus erat, in nube vero Spiritus S. repræsentatur; cùm Dei gloria fuit declaranda in toto Mundo, cumque fuit publicanda, ac decantanda à sacris

Notitia SS. Trinitatis glorificatur Deo.

D. Chrysost. hom. 10. in Marcum, & ait: *Videte mysterium Trinitatis, secundùm meam tamen intelligentiam; ego enim omne, quod intelligo sine Christo, & Spiritu S. & Patre nolo intelligere; nisi intelligere in Trinitate quæ me salvavit, dulce mihi non potest esse, quod intelligo.* Dulcis, ac felicissima Dei cognitio non datur, nisi etiam insinuata Beatissimæ Trinitatis cognitio.

Ait Christus D. judæis, Joan. 2. nu. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* In momento, & in ictu oculi in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, 1. Cor. 15. n. 52. si omnium resurrectio peragenda est in uno instanti ad quid ad resurrectionem suam Dominus tres dies assignat? nunquid magis resplendesceret divina potentia, si in uno momento fieret? In Christi morte præclarissima divinitatis mysteria ostendebantur, mors destruebatur, remissio peccatorum dabatur, & magno triumpho devicto inferno, Christus resurgebat; & tam alta & divina sacramenta alto divini numinis spiramine dispositum fuit, ne fierent nisi signo, ac symbolo totius Trinitatis, quod in tribus diebus ostendebatur. D. Ephr. serm. de pœn. *Per tres dies mors soluta est, per tres remissio datur, quoniam, & per tres dies resurrectio facta est; poterant in momento in ictu oculi, omnia fieri; ob mysterium Trinitatis, intra triduum hostem gratia ligavit, non quod impotens esset, citra eos, nimirum tres dies, agere, quæ oportebat, sed ut mysterium ostenderetur divinitatis.* 46

Dei mirabilia signo Trinitatis.

Operantur.

Tres viri peregrini apparent Abrahamo; quid tunc Abrahamus? Festinat ad Saram, illique dicit Gen. 18. n. 6. *Accelera, tria fata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum;* deinde subdit text. *Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat.* Dum Deum recipit in hospitio domus suæ, omnia sub trino numero operatur; tria fata similæ, vitulum tenerrimum, quem existimat Div. Augustin. fuisse trimum, & etiam tria apponit, butyrum, lac, vitulum; ad quid hæc omnia? Sanè in trino numero, sciebat bene vir ille, quòd nullo majori applausu, poterat Deum in domo sua recipere, quàm signo, ac figura Trinitatis, qua maximè delectatur Deus, qua & ipse Abrahamus maximè se præparavit ad magna beneficia, ut filium exoptatissimum, illustrissimumque ex eo prolem susciperet. D. August. serm. de Rogat. *Nonne unus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? Hospes & amicus pransor, & omnia illi in Trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria refulget. Trimum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater paritura filium, pro quo pater mactaret agnum.* Pro tanta felicitate quod Abrahamus reciperet Deum in domo sua, ac filium in senectute, Trinitatis signa profert. 37

Sub signo Trinitatis magna felicitas, & gaudium.

Apoc. 19. n. 5. Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timetis eum pusilli & magni.

Num. 6. Et audivi vocem quasi turbæ magnæ, & sicut vocem aquarum multarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium: Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens.

VERSIONES.

Arab. Oec. n. 5. Et prodiit vox: Laudate Deum nostrum.

Syriacus. Et ji, qui timent eum parvi, & magni.

Gagn. ex Græc. Dicite Deo nostro omnes Sancti ejus.

Arabicus nu. 6. Tanquam sonitum aquarum magnarum, & tanquam tonitruorum.

Syriacus, & D. Augustin. Tanquam vocem tonitruorum fortium, propterea quòd regnavit.

D. Augustin. Quasi vocem populi multi, & sicut vocem aquarum, &c. dicentes.

D. Cyprianus. Alleluja regnavit Deus noster.

EXPOSITIO.

pliciter dicendum existimo, quod hæc vox prolata
Timor Dei ex amore nascitur. sit à Christo Domino, qui ut agnus residet in medio throni, ut latiùs explicabitur infra, qui ut laudis coriphæus, eam cœpit intonare, quam cœlites, deinde terrigenæ fideles prosequuntur: *Omnes servi ejus qui timetis eum*; cur non potiùs ait, qui amatis eum, cum amor Dei sit præstantissimus? Cum timorem dicit, amorem etiam nominat, timor enim sanctorum ab amore est. Div. Zeno serm. de timore: *Videtisne*, ait, *hunc timorem vobis necessarium, qui in Dei amore consistit, qui ad omnia genera virtutum intrepidus currit*. Qui verè Deum amat maximè eum timet.

49 *Pusilli & magni*. Primum locum habent pusilli, & non magni; pusilli, idest humiles, & contemptibiles, quos elegit Deus ut confundat fortia, 1. Corinth. 1. super quos spiritus requiescit, Isai. 69. Deinde etiam, ut pusillis addatur animus, cum se videant primo loco positos. Deinde pusilli, ac humiles semper sunt viciniores, ac propinquiores Deo: *Humilia respicit, & alta à longe cognoscit*. Psal. 111. *Pusilli* ergo pauperes, & humiles, *magni*, potentes, & excelsi, nolite dolere de excidio Babylonis, sed potiùs cum cœlestibus canite Alleluja.

49 *Et audivi vocem quasi turbæ magnæ*. Ad imperium divinæ vocis exeuntis de templo statim obediunt cœlites decantantes Deo laudem, Alleluja; & hæc vox pro suo ingenti & magno affectu tripliciter explicatur, voce *turbæ magnæ*, *aquarum multarum*, & *tonitruorum magnorum*; quæ omnia faciunt ingentem,
In triplici ordine decantatur laus Deo. & vehementem sonitum: vide quæ dixi c. 1. vers. 15. Dicitur turba magna ob multitudinem gentium, ac populorum; aquarum multarum, quæ fluunt cum impetu de Libano, devotione, meditatione, ac contemplatione, tonitruorum magnorum, ut sunt prælati, doctores, ac prædicatores, Dei laudes resonantes.

50 *Quoniam regnavit Dominus*. Destructa Babylonia, & congregatione impiorum, jam Dei regnum manifestatur, quietum, & pacatum, nam licèt Deus
Impii persequentes justos Dei regnare nō credunt. semper regnaverit ab æterno, tamen quandiu erant impii, ejus regnum totis viribus impugnabant, & Deum regnare super terram negabant, at verò nunc, & maximè post diem judicii, ut eorum vindicem, & ultorem senserunt, sive nolentes, sive volentes ejus regnum fateri coguntur, servos suos jam non persequentes. Richardus Victorinus: *Regnare se tunc verè demonstrabit, quia nunc reprobis regnare minimè videtur, dum eos contra suos sævire permittit*. Et dicunt: *Dominus Deus noster omnipotens*; quatuor dicunt nomina, per quæ notantur quatuor affectus de Deo, ob quæ quaternario numero decantant Alleluja.

QUÆSTIO VII.

Quare non ex alio loco, sed tantùm à throno Dei, exivit vox clamans: Laudem dicite Deo nostro.

51 RIbeira existimat, quòd hæc vox sit à Deo, per Seraphim, ut ait Aretas, vel per Cherubim, & Seraphim ut tenet Andr. Cæsar. qui throno conjunctiores sunt; his consentiunt communiter recentiores, Cornel. Gagnæus, la Haye. Tamen cum his pugnat, quòd si hæc vox esset à Deo, non diceret: *Laudem dicite Deo nostro*; sed absolutè Deo, vel Deo vestro: ergo cum dicitur Deo nostro, manifestè ostenditur quòd est alicujus subjecti Deo, qualis est Christus ut homo est, & ipse supra cap. 5. num. 6. & agnus apparet in medio throni, nisi aliquis contendat, quod nomine throni, intelligitur angelicus ordo thronorum; sed cùm hactenus hujusmodi spiritus, non sint expressi, ideo diximus quod exiverit à Christo, qui ut divinæ laudis coriphæus, cœpit intonare laudes Deo, deinde sequuntur cœlites, ad quorum imitationem prosequuntur terrigenæ fideles decantantes Alleluja, ad quod alludens Div. Hieronymus in prætatione in epistol. ad Galat. lib. 2. ait: *In Ecclesia ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat, Amen, equè, ac Alleluja.*

Secundò quamvis proximè dicta sint juxtà literam, tamen moraliter est explicanda sententia eorum, qui existimant hunc thronum, à quo hæc vox exiit: *Laudem dicite Deo nostro*; esse angelicos spiritus. Aretas vult hunc thronum esse Seraphim, Andreas Cherubim, Richard. Victorin. angelicas potestates, in quibus principaliter Deus residens, suos electos gubernat; ex his exit vox invitans cœlites, & terrigenas ad Dei laudem. Richard. *Vox ut laudemus Deum exire perhibetur, quia per eas & cum eis, divinæ laudationis exemplum, & consortium nobis donatur*. Invitant nos Angeli, ut communi consortio ipsi nobiscum divinas laudes decantemus.

Ait reg. Vat. Ps. 67. nu. 26. *Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum*; quid est quod angelici principes, præveniunt, ac conjunguntur cum psallentibus, ac juvencis tympanistrantibus? Sic delectantur Angeli communi consortio in laudibus divinis, ut eis associentur; sive viri psallentes, sive virgines canentes, secum habent socios Angelos simul etiam psallentes, ac canentes, ita ut ex communi consortio Deus laudetur. Ad hæc ait D. Bernard. epist. 78. *O si quis haberet oculos apertos, quos orando Propheta puero revelavit! videret proculdubio, quemadmodum præveniunt principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum; videret inquam, qua cura, quove tripudio intersunt Angeli cantantibus, ad sunt orantibus, insunt meditantibus*. Dum viri, sive virgines canunt in choro, si nostros Deus aperiret oculos, videremus, quòd multo tripudio intersunt Angeli canentibus. Huc advoco id, quod ait Germ. Archiep. Constant. orat. in adoratione Crucis ap. Gretserum, quòd postquam creatus est homo in Paradiso, resonabant *voces è cœlo, Angelorum hymnos, & laudes decantantium: infernè, & ex terra alternatim velut respondentem jonum eucol[illegible]b, & consona modulando divina cantica referebat*.

Tertiò D. Ambros. in præsenti, ait: *Per thronum Prophetæ designantur, eò quòd sedes Dei fuerint, & per eos sua judicia dispoſuerit. A throno vox exit, quia à Prophetis prædicatio sancta processit*. Thronus iste, in quo Deus sedet, sunt Prophetæ, & vox exiens est prædicatio Prophetarum, & in tanta æstimatione est iste thronus, in quo Deus requiescit, ut dicitur supra n. 4. *Et ceciderunt viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & adoraverunt sedentem supra thronum*. Verte nunc oculos ad c. 1. Apocal. & videbis admirabilem majestatem, ac potestatem filii Dei; facies resplendebat, ut Sol in tota sua virtute, oculi ut flamma ignis, in dextera septem stellas habebat, & simul claves vitæ & mortis erant in manu ejus, & tamen in tanta majestate, non describitur thronus, in quo sederet, ac requiesceret, nec erant viginti quatuor seniores cum quatuor animalibus adorantes, ut modò videmus in hoc throno Prophetarum, in quo Deus sedet: *Sedentem supra thronum*. Plus sanè Dominus gaudet, ac complacet, & requiescit in suis Prophetis, ac doctoribus, qui ostendunt, ac aperiunt viam veritatis omni populo, quàm in omni alia sua potestate, ac suæ majestatis manifestatione, plusque adorationis ei defertur, dum populi in via veritatis illuminantur, quàm dum ejus potentia mirabilibus irradiat.

Confer nunc columnam nubis in deserto cum manibus Moysis tenentibus virgam de columna: ait Eccles. 24. n. 7. *Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis*. Vox divinæ Sapientiæ alludens ad columnam nubis, quæ viam in deserto ostendebat populo Israelitico. Considera modò Moysis manus cum sua virga, & multa magna mirabilia tam in Ægypto, quàm in deserto operantes invenies; cur ergo hæ ad Dei thronum non eliguntur, cùm ad hoc magnam proportionem videantur habere? nam filio Dei de Angelis sanctis dicitur Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te: in manibus portabunt te*; si manus aptæ inveniuntur ad portandum filium Dei, cur ergo hæ ad ejus thronum constituendum non assumuntur, sed ad hoc ministerium columna nubis eligitur? Cùm nubes, & manus multa mirabilia perpetrarent, quamvis manus cum virga multa ediderint miracula, tamen una excel-

excellentia carebant, qua maximè resplendebat nubes, ut viam certam, & rectam, liberam ab omni errore, fallacia, ac præcipitio in terram promissionis ostenderet, ut dicitur Exod. 13. n. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem, in columna ignis, ut dux esset itineris utroque tempore*; & qui alios dirigit, ac illuminat in viam salutis, ac terræ promissionis, aptus invenitur ad constituendum Dei thronum, in quo ipse sedeat, & requiescat. Non procul ab hac cogitatione est Drogo de Sacram. Dom. Pass. & ait: *Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur, Domine Rex Sabaoth, qui autem non sequitur eam, in tenebris ambulat, & nescit quò eat, & vadat de hac semita, quæ ducit ad vitam, semita humilitatis, & patientiæ.* Manus cum virga ostendunt miracula, columna nubis viam salutis indicat, & inde hæc ad Dei thronum eligitur.

56 Quartò Cardinalis P. Damian. orat. de nativ. Mariæ existimat hunc thronum, de quo hæc vox procedit, esse SS. Mariam virginem; & quid hæc vox intonat! *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timetis eum pusilli, & magni?* Vox Mariæ ad laudem Dei decantandam, non tantùm vocat magnos, sed etiam pusillos; & non mirum, vox erat exiens à throno nempe Maria, cujus est, non solùm magnos, ac potentes spiritus, sed etiam debiles, ac infirmos homines facere ad Dei laudem venire. Citat. Card. ait: *Salomon noster fecit thronum, uterum videlicet intemeratæ Virginis in quo sedet illa majestas, quæ nutu concutit Orbem:* &c. *Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus; & ex hoc throno laus Angelorum prorumpit, & hominum, quippe, ut est Maria Dei thronus, in laudes Dei non solùm admittit validissimos vigilantissimosque spiritus, sed etiam homines infirmos.* Maria Virgo ad laudes Dei decantandas non solùm convocat, & introducit magnos, ac potentes spiritus, sed etiam parvos, ac humiles.

Per Mariã omnes magni, & parvi habent accessum ad Deum.

57 Jacob Genes. 28. num. 12. *Vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam*; si Angeli ascendentes, & descendentes per totam scalam versabantur, ad quid etiam ostenditur Jacob, cum ipse Angelus non sit, sed terrenus homo? cur ergo etiam illi ostenditur scala plena angelicis spiritibus? Scala hæc figura erat Virg. Mariæ; D. Damascenus orat. de nativit. Mariæ, ait: *Spiritualis scala, hoc est, Virgo in terra formata est*; cùm ergo illa scala V. Mariam repræsentaret, non mirum, quòd ex ejus beneficio veniret, ut per illam non solùm Angeli, sed etiam terreni homines haberent accessum ad Deum; pro quo ait D. Zeno lib. . serm. 8. *Dubium non est unum esse iter aeris culminis Angelis lucis, & hominibus justis.*

Maria magnis, & parvulis parat introitum ad cœlum.

58 Ad Virginem Mariam ait divinus Sponsus Cant. 1. num. 7. *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos.* Maximè notandum quòd Mariæ hædi committantur pascendi: *Hædos tuos*; Joan. autem 21. n. 15. dicit Dominus: *Pasce agnos meos*; & iterum, oves meas; Petro oves, & agni Jesu committuntur, Virg. autem Mariæ, nec oves, nec agni, sed hædi, qui maximè distant à Jesu regno; cur ergo non Petro, sed Mariæ dantur hædi à regno Jesu valde alieni? Quamvis ut abjecti, & contemptibiles videantur, tamen à sanctissima Maria non contemnuntur, sed benignè recipiuntur, ut sua protectione, ex hædis fiant aptissimi agni, ad Christi regnum obtinendum. Guillel. Abbas, apud Delrium ait: *Piæ matris hædos vocat, non quos ipsa fecit, vel vult esse hædos, qui statuantur ad sinistram, sed quos magis, magisque convertit in oves ponendos ad dexteram.* Per Mariam ex hædis fiunt agni, & ex sinistra transeunt ad dextram.

Patrocinio Mariæ abjectissimi peccatores convertuntur.

59 Dum ait Virgo sacratissima Cantic. 1. num. 5. *Posuerunt me custodem in vineis*; quomodo vineas dicit, cùm regnum Dei in una tantùm vinea significetur? juxta illud Matth. 21. num. 33. *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam*; extra quam vineam à Deo plantatam, nullæ aliæ sunt vineæ, sed deserta infructifera; quomodo ergo vineas vocat, quæ potiùs ad deserta pertinent? Intellige mysterium: Vinea una erat, de qua loquitur Matth. quæ erat populus Israeliticus, vineæ autem, de quibus loquitur Sponsa, sunt gentes, quæ licèt essent deserta sterilissima, plena tribulis, ac spinis, tamen ut fuerunt sub custodia, ac protectione Mariæ, factæ sunt vineæ florentes cum omni pinguedine, ac abundantia cœlestium donorum. Præclarè Rupert. *Posuerunt me custodem in vineis, idest, in gentibus, quæ non quidem erant, sed ex mea custodia factæ sunt vineæ Domini. Vis ò homo in tua paupertate virtutibus fœcundari, confuge ad Mariæ patrocinium, & valde locuples eris.*

Anima deserta virtutum fœcunditatur virginis patrocinio.

QUÆSTIO VIII.

Quare solùm servi Dei convocantur, ad ejus laudes decantandas, in quo simul ut timentes à Deo laudantur.

60 AIt divina vox Christi à throno exiens: *Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, & qui timetis eum pusilli, & magni*; ut jam notavi in exposit. priùs dicit pusillos, quàm magnos, quia ut rectè ait Richard. Victor. *Quia parvitas non nocet, cujus cor & lingua divina laude repletur.*

Parvitas non nocet ad Dei laudes.

61 Convocantur hic ad Dei laudes *servi ejus, & qui timetis eum*, juxta illud Psalm. 32. num. 1. *Rectos decet collaudatio.* Solùm ab ore sancto, & puro Deus vult laudari, nam, ut dicitur Eccles. 15. num. 9. *Non est spetiosa laus in ore peccatoris*; pro cujus pia, ac docta, & utili explicatione audiendus est Divus Chrysostomus tom. 5. homil. Cum Presbyter esset designatus; ubi postquam S. Pater expendit locum Psalm. 148. num. 9. *Montes & omnes colles; ligna fructifera, & omnes cedri: Bestiæ & universa pecora, serpentes & volucres pennatæ*; in quo omnes creaturæ invitantur ad Dei laudem, excepto solo peccatore, tunc subdit S. Pater: *Scorpii serpentes, & dracones, invitantur ad laudandum eum, à quo conditi sunt; solus peccator ab hac sacra chorea submotus est, idque jure optimo, sicut enim musicus è cythara bene modulata chordam dissonam resecat, ne reliquarum vocum harmonia vitietur, sic & Propheta David peccatorem velut chordam dissonam, ac velut membrum ægrum, ab universo creaturæ corpore resecat;* additque in prædicta concione, quæ fuit prima de ejus electione in Presbyterum, primitias ejus voluisse dedicare Deo, eum laudando, sed deterreri hac sententia Syracidis, utpote conscium, quod ipse sit peccator, in cujus ore non est spetiosa Dei laus; & subdit dicens: *Haud frustra neque temerè dum hæc loquor interpolvi; quia & mentis cogitatio mente confusa est, ad amaras usque lachrymas gravemque ejulatum producta.*

Laus Dei non est ab ore peccatoris.

62 Et cur laus ex ore peccatoris est indecens & Deo non placet? Immediatè explicat ipse Syracides subdens vers. 8. *Quoniam à Deo profecta est sapientia, sapientiæ enim Dei astabit laus*; græc. habet: *In sapientia dicetur laus, vel hymnus, & dominus prosperabit eum.* Syracides hoc optimo probat discursu, juxta Divum August. lib. 1. Meditat. cap. 33. D. Chrysostomum in Psal. 112. laus propria non est nisi in vera sapientia; vera autem sapientia non est nisi à Deo, & hæc non datur peccatori, cùm sit alienus à Deo: ergo in peccatore non potest esse vera laus Dei.

Vera laus Dei est in sapientia.

63 Vox ergo de throno exiens ait: *Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus*; quod valde justum, & æquum est. Ait regius Vates Psalm. 134. num. 1. *Laudate nomen Domini: laudate servi Dominum*; ibi D. Augustinus ait: *Psalmus iste, ut laudemus nomen Domini suadet, causamque quare justum sit illum laudare, subdit, cùm dicit: Laudate servi Dominum; quid justius? quid dignius? quid gratius? etenim si non laudaverint servi Dominum, superbi, ingrati, irreligiosi erunt.* Et qui sunt servi isti, qui Deum debeant laudare? mox explicat dicens: *Qui statis in domo Domini, non corruitis; illi autem stare dicuntur, qui in mandatis ejus perseverant, qui in fide non ficta, & spe firma, & charitate sincera serviunt Deo.* Illi servi verè Deum laudant qui stant firmi, & perseverantes in observatione mandatorum ejus.

Servi Dei ipsum laudant.

64 Et quinam sunt servi isti, qui invitantur ad Dei laudes decantandas? Ait: *Qui timetis eum*: Qui habent perfectum Dei timorem filialem, de quibus ait David: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus*, Psal. 127. num. 1. Vanissimè dicit homo Deum se timere, si mandata ejus non observat, nec in viis ejus ambulat. Div. Hilar. ibi: *Ostendit, non ex terrore ejus, qui terribilis est, beatos esse qui timent, sed ex eo quod in viis ejus incedant. Cæterùm, si quis timeat, neque pareat, erit beatus ex timoris officio.*

Ille non timet Deu qui mandata ejus non timet.

65 Servi Domini invitantur ad ejus laudes, qui sunt timentes eum: *Qui timetis eum*; nam qui timet Deum, ut verus servus ejus observat ejus mandata omnium virtutum actus adimplet, hinc ait David Psalm. 33. num. 12. *Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos*. Convocat auditores suos, quos ut filios charissimos convocat, & ait: *Timorem Domini docebo vos*; cur non potiùs ait instruam vos in omni sanctitate, virtute, ac religione, quibus Dominus maximè famulatur, sed tantùm ait: *Timorem Domini docebo vos*? Et meritò; in timore Dei tanquam in compendio, ac clausula, & observatio mandatorum Dei, omniumq; virtutum custodia habetur; qui timet Deum, ejus mandata custodit, in omni virtutum genere se exercet, ut Domino suo, quem summè reveretur, placeat. Huc advoco id, quod dixit D. Hilarius in Psal. 127. *Omnium virtutum perveſtiganda est sapientia, & tunc timor Domini est intelligendus.*

Timor Dei omnes virtutes in se claudit.

66 Abrahamus, de quo ait Div. Ambrosius lib. 1. de ipso cap. 2. *Magnus planè vir Abraham & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis, Philosophia æquare non potuit: denique minus quod illa finxit, quàm quod iste gessit.* Terram suam, domum Patris, omnemque cognationem suam, cum universa sua substantia reliquit, perfectissimè in lege Dei vivens, tamen quando se præparavit, ut filium immolaret, strictoque gladio manum extendebat super puerum, tunc ei dicitur à Deo: *Nunc cognovi, quod timeas Deum*, Genes. 22. num. 12. cur modò, & non antea in tam illustribus actionibus ejus timor dicitur agnitus? Antea virtutes sigillatim resplendebant, una vel altera, at verò modò dum filium immolat, omnes simul in gradu perfectissimo irradiarunt; charitas & obedientia in Deum, fides & spes, ut ait Apostol. *Credidit in spem, contra spem*; religio dum immolat, prudentia, qua cuncta disponit, & ordinat, ideò tunc modò ei dicitur: *Nunc cognovi quòd timeas Deum*; quia ubi omnes virtutes se ostentant, & manifestantur, ibi se ostentat, & manifestatur Dei timor, qui ex omnibus virtutibus coalescit & constat. Div. Dorothæus Doctrina 4. de timore Dei, postquam latè de sacrificio Abrahami egit, subdit: *Post hæc omnia illi dicitur: Nunc novi, quia metuas Deum; ad innuendum videlicet perfectum illum timorem, qui non nisi sanctorum est.*

Virtutes Dei timorem manifestant.

QUÆSTIO IX.

Quare magnitudo hujus vocis tripliciter explicatur; quòd sit nempe turbæ magnæ, ac sicut vox aquarum multarum, & sicut tonitruorum magnorum.

67 A Throno exivit vox: *Laudem dicite Deo nostro, servi ejus*. Promptè, ac sine mora obediunt servi Dei, cujus vocis magnitudinem tripliciter explicat noster Joannes, quod erat *quasi turbæ magnæ, & sicut vox multarum aquarum, & sicut vox tonitruorum magnorum*. Et maximè notandum quòd noster Evangelista non ait: Audivi vocem turbæ magnæ; sed *vocem quasi turbæ magnæ*; cur absolutè non appellat vocem, sed quasi vocem, cum ipsa cœlestis turba hominum, & Angelorum quæ Alleluja Deo decantabat, tanta sit, ut ipse ait supra cap. 6. *quam dinumerare nemo poterat*? De aquis, & tonitruis sat est dicere: Audivi quasi vocem; at de multitudine hominum, & Angelorum, cur non dicitur simpliciter vox, sed quasi vox? Quia tanta est sublimitas cœlestis patriæ, ut quæ illius sunt, in ea quæ fiunt non valeant à nobis exactè explicari, nisi tantùm per quandam similitudinem, ac comparationem. Richard. Victor. *Aptè dicit quasi vocem, & non vocem, ut apertè significet ea, quæ fiunt in cœlo, sua sublimitate cuncta transcendere, quæ fiunt in Mundo. Audivit autem vocis similitudinem, ut per cognitæ rei qualitatem, mystici, & summi boni, quoquomodo perciperet, ac nobis manifestaret latentem sublimitatem.* Jam ad quæst.

Cœlestis non possunt percipi nisi per similitudinem.

Primò in principio hujus cap. primo vers. ait Joannes de se: *Audivi quasi vocem turbarum multarum in cœlo dicentium Alleluja*; quomodo nunc ait, non solùm quòd audierit vocem turbæ magnæ, sed etiam, sicut vocem multarum aquarum, & sicut vocem tonitruorum magnorum, etiam dicentium Alleluja? Tanta est efficacia divinæ laudis, ut quamvis pauci sint, qui in principio Deum celebrent, innumeri inde alliciuntur, ad eum celebrandum, ac laudandum. Joachimus Abbas ita ait: *Superiùs Joannes dixerat, audisse se quasi vocem turbarum in cœlo dicentium Alleluja; nunc autem addit se audisse & quasi vocem aquarum multarum, & tonitruorum magnorum; quare hoc? Quia prima vox una laudum, quasi subitò audietur in ore plurimorum, pro justo, & manifesto judicio, quod facturus est Deus, deinde incipiente aliquo viro Dei, ordinata incipiet esse laus in ore multorum, ita ut quæ simplex esse putabatur in principio, & in aliquo brevi spatio coarctata, paulatim videatur esse multiplex*; ac si aquarum multarum vox conversis ad eam linguis, & populis, & ad extremum seipsa major effecta, quasi tonitruorum magnorum sonus perveniat usque ad fines terræ. 68

Divina laus multos ad se attrahit ad Deum celebrandum.

Secundò dicitur hæc vox turbæ, quia vox erat ex cœtu multorum Justorum; deinde dicitur: *Audivi quasi vocem multarum aquarum, ac tonitruorum magnorum*; quid hab[illegible] cum tonitruo? aqua fluit leniter, & suaviter, tonitruum verò edit strepitum horrificum; quid ergo est, quòd postquam vocem, quam audivit, contulit cum multitudine aquarum, eam iterum comparat, cum horrifico fragore tonitruorum magnorum, sive fortium? Quia, ut ait Glos. sanctorum exaltatio terret impios. Aliter etiam respondet Richardus Victorin. Quia damnatos impios terrebit exultatio sanctorum glorificatorum dicentium Alleluja; quod sanctis cœlestibus est jucundum, ac delectabile, impiis damnatis est horrificum, ac terribile. 69

Alleluja sanctis cœlestibus jucundum, Damnatis est horrificum.

Tertiò tripliciter hæc vox explicatur, ut dixi in exposit. vox turbæ magnæ, ob multitudinem electorum; alia lectio habet; *Vox tubæ*; quod Ansbert. & Albert. Magn. referunt ad prædicatores; deinde dicitur: *Quasi vox aquarum multarum*; quæ leniter, ac suaviter fluit impetu de Libano, oratione, meditatione, ac contemplatione; & sicut vox tonitruorum magnorum, ut sunt Ecclesiarum pastores, doctores, ac prædicatores Dei laudes decantantes, cum zelo animarum, totum Orbem in fide illuminantes, ac dicentium Alleluja. Vera laus Dei secum involuit operum exhibitionem, non enim laudatur Deus sono vocis solo, nisi & simul concomitentur opera. Pro quo facit, quod aliqui ut M. Baeza tom. 3. in Evangel. lib. 14. cap. 9. §. 37. per vocem aquarum multarum intelligunt vocem pœnitentiæ, ac lachrymarum, quibus maximè laudatur Deus. 70

Vera Dei laus secum habet opera adjuncta.

Ait reg. Vat. Psal. 49. nu. 14. *Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua*; legit Div. Hieronym. *Immola Deo laudem*; & subdit: *Et redde Altissimo vota tua*; quænam sunt hæc vota, quæ ei sunt reddenda? Explicat ex D. Chrysost. observationem nempe mandatorum suorum; cùm ergo ait: *Immola Deo laudem tuam*; statim explicat, qualis laus sit ei offerenda: *Redde Altissimo vota tua*; adimpleta nempe ejus lege, observatis ejus mandatis. Abulens. in cap. 6. Josue quæst. 5. *Adjunctum fuit: Redde Altissimo vota tua; reddere tamen vota ad realem pertinet exhibitionem*, &c. 71

Ait idem reg. Vat. Psal. 149. nu. 9. *Exultationes Dei in gladiis eum cantibus*; Gladii ancipites ad bellum fabricantur, canticorum exultatio ad choreas faciendas; cur ergo simul gladios ponit Vates in manibus, & exul- 72

& exultationum cantica in ore? Profundè S. Propheta explicat, qualiter Dei laudes bene decantentur faucibus, quando nempe in manibus sunt gladii ancipites, qui nempe sunt verbum Dei datum in Scriptura; quando nempe manibus, ac opere adimpletur, tunc in ore justorum Dei sunt laudes. Noster Incognit. ait: *Deum laudant; & hoc est exultationes Dei in gutture eorum, gladium bis acutum, ideſt verbum Dei in manibus tenent, quia sacram Scripturam operibus servant.*

73 De fortissimis militibus Josue post devastatos suos hostes dicitur Josue 10. n. 21. *Reversusque est omnis exercitus ad Josue in Maceda, ubi tunc erant castra, sani, & integro numero nullusque contra filios Israel mutire ausus est*; Origen. hom. 12. in Josue legit: *Non mutivit quisque de filiis Israel in lingua sua*; hoc est, nemo aliquod verbum locutus est. Quo supposito maximè est ponderandum, quod exercitus Israeliticus, tot Reges devincens, totque regna sibi subjiciens, tot hostes sternens, sanus & incolumis absque ullo detrimento est reversus ad suum ducem; sed undè illi tanta felicitas, ut omnes nullo vulnere accepto, nullo sanguine effuso inventi sint? Textus indicat rationem: *Non mutivit quisquam in lingua sua*; & cur non potiùs pro tam illustri victoria magnis vocibus, Dei mirabilia prædicant? Quia non ore, sed opere Deum glorificant, sicque gladii ancipites erant in manibus, quæ in Deo confidebant, & ita ut boni servi, ac veri Dei famuli, ejus potentiam operibus prædicabant. D. Chrysost. in Psalm. 149. ait: *Vidisti viros ingentes; non solùm expulerunt hostes, sed iis etiam captis, reversi sunt, Dei potentiam ostendentes*: Ubi sunt opera, verba minimè requiruntur.

Boni servi, & veri Dei famuli, ejus potentiam operibus prædicant.

Apoc. 19. *v.* 7. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se.

VERSIONES.

Glorificemus eum, quia nuptiæ agni jam advenerunt.
Cum ejus sponsa ipsi præparata.
Et uxor ejus paravit se.
Demus gloriæ claritatem.
Glorificemus nomen ejus, quia mulier ejus paravit se.
Demus ei claritatem.

EXPOSITIO.

74 *Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei.* Vox vehemens, & magna exiens de throno hæc clamat, omnes nempe nos electi, & justi, valde festivi, & lætabundi, jubilemus, acclamemus, ac celebremus Deum nostrum pro tot, ac tantis beneficiis, & maximè *quia venerunt nuptiæ agni*. Jam instat dies judicii, in quo celebranda est plena, & consummata Christi conjunctio cum Ecclesia, assumptis corpore, & anima ad beatitudinem omnibus suis electis; simulque ipsa Ecclesia gloriosè exaltata destructis, ac damnatis cunctis ejus adversariis, quod jam inceptum est fieri in desolatione Babyloniæ, nam licèt ipsa pro una civitate contractè ponatur, tamen figurativè significat cœtum impiorum, qui breviter destruetur mortuo Antichristo, ut sæpè dixi, & hìc notat Ferrar. Et hìc sumitur Ecclesia, ut notant Ribeira, Cornel. la Haye, & alii, prout comprehendit omnes electos Prophetas, Apostolos, martyres, confessores, doctores, & virgines. *Nuptiæ agni*. Fit allusio ad parabolam nuptiarum Christi, Matth. 22. v. 1. ut dicunt ibid. D. Hieron. Div. Paschas. Jansen. & dicuntur *nuptiæ agni*, potiùs quam Christi, vel Emanuelis, quia ipse ut agnus occisus, in quo mors ejus fuit præfigurata, has nuptias celebravit, dum nos nempe morte, ac sanguine suo redemit à captivitate Diaboli, nosque sibi filios, ac coheredes adoptavit.

75

76 *Et uxor ejus*; scilicet Ecclesia, quæ frequenter in Scriptura appellatur Sponsa, nunc verò post diem judicii appellatur uxor, utpote jam introducta, in domo sponsi sui, cui intimè, & plenissimè est conjuncta, ut latiùs explicabo quæst. seq. *Præparavit se*; ut explicat Ecclesia suo hymno.

Præparata ut sponsata
Copulatur Domino
Tunsionibus, pressuris,
Expoliti lapides.

Præparavit se Ecclesia sponsa multis pressuris, ac laboribus, variisque omnium virtutum operationibus, ac justificationibus, quæ hìc comparantur byssino splendenti, ac candido. 77

QUÆSTIO X.

Quare cum juxta sanctorum Patrum placita Ecclesia multipliciter dicatur Christo desponsata, hìc tamen non appellatur sponsa, sed uxor.

PAtres, ac auctores ecclesiastici testimoniis sacræ Scripturæ manuducti, non unam desponsationem tribuunt Christo cum Ecclesia, sed multiplicem; primo, in die incarnationis, quando Verbum divinum unitum fuit naturæ humanæ, simul cum ea contraxit sponsalia, ac cum sua Ecclesia, & Virg. Maria; secundò, in die Epiphaniæ cum ipsa Ecclesia: *Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia*; *currunt cum muneribus Magi ad regales nuptias*; tertiò, in institutione sacræ Eucharistiæ, de quo infra q. 13. quartò, in die mortis, ac passionis Christi D. ei in dotem sanguine suum dedit; quintò, in die resurrect. ascensionis, & etiam in die Pentecostes, quæ omnia ferè breviter attigit D. August. serm. 54. de diverſ. *Occisus*, ait, *voluntariam pertulit passionem, resurgens dispositam duxit uxorem. In utero virginis humanam carnem velut arrham accepit*; *in Cruce pretiosissimam dotem, suum sanguinem fudit*; *in resurrectione, atque ascensione, sua æterni matrimonii fœdera roboravit*. Patres pro unaquaque ex his sententiis latè adducit, & refert Paul. Serlogus tom. 1. in Cant. antiloquio 3. sect. 4. subsect. 1. n. 100. & seqq. 78

Ecclesia multipliciter dicitur sponsa Christi.

Sextò ultima desponsatio Christi cum sua Ecclesia erit post diem judicii, quando omnes electi ipsius Ecclesiæ filii assumpti fuerint cum suis corporibus ad cœlestem beatitudinem, tunc erit perfecta, & consummata conjunctio ipsius Ecclesiæ cum Christo, ut docent hìc Expositores, D. Ambros. Beda, Ansbert. & ad cap. 22. Matth. quando homo rex fecit nuptias filio suo, Orig. D. Hilarius, D. Chrysost. Albert. Magnus, & alii. 79

Hoc posito quæstio præsens est: Cùm Ecclesia frequenter in Scriptura appellatur sponsa, hìc tamen dicitur uxor: *Et uxor ejus se præparavit*; cur ergo modò uxor potiùs, quàm sponsa? Respondeo, quod uxor futura quandiu in domo sua manet, sponsa dicitur, cùm verò ad sponsi ædes ducitur, eique plenissimè, ac consummatè conjungitur, jam ut uxor habetur, sicque vocatur Ecclesia; nunc, ac pro præsenti tempore, veluti domo sua manens, ac in suo tabernaculo habitans, sponsa Agni dicitur, hinc dicebat Baptista, Joan. 3. *Qui habet sponsam sponsus est*; cùm autem post judicii diem omnino præparata, & in omnibus suis membris in cœlum ad domum sponsi, cui intimè est conjuncta per beatitudinem ducta fuerit, tunc uxor appellabitur, & ideo in præsenti uxor dicitur; sic loquitur Arnulph. Lexoviensis serm. habito in Synod. *Neque enim adhuc nisi sponsalia sunt, aut nondum celebratæ sunt nuptiæ, nondum matrimonium consummatum*. Porrò complebuntur omnia in futuro, cum sponsus advenerit, & intrabunt qui parati fuerunt cum ipso ad nuptias, imparati foribus excludentur. 80

Cur Ecclesia dicitur uxor agni.

Pro majoris doctrinæ gratia merito dubitabis, quomodo Ecclesia sancta dicatur sponsa, & uxor Christi, cum passim in Canticis dicatur soror Christi: *Hortus conclusus soror mea*, Cantic. 4. num. 12. *Veni in hortum meum soror mea*, Cant. 5. num. 1. *Aperi mihi soror mea*, ibid. num. 2. Matrimonium inter fratres solemni jure prohibitum est. Eleganter respondet D. Bernard. cap. 5. de Pass. Dom. *Quare soror & sponsa? An non poterat sufficientem sponsi amantem affectum ostendere, solius sororis, vel solius sponsæ positio? Respondet: Dicit: Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; quia summè te diligo ut sponsam, castè ut sororem.* 81

Christus justi animam, ut sponsam, & sororem diligit.

Deinde etiam quamvis nostra Vulgata habeat: 82

Uxor ejus præparavit se; Arabic. legit: *Sponsa ejus*. Et quamvis Ecclesia in superna beatitudine, dicenda sit uxor agni, tamen modò in præsenti sæculo dicitur sponsa; & cur tam frequenter in Canticis, ut modò dixi, sponsa nuncupatur, & nunquam uxor? Quantum capio, cùm quotidie, vel Ecclesia seu quælibet anima justi Christo Jesu sponso suo sanctorum operũ prolem debeat Deo generare, quandiu durant sponsalia & sponsa adhuc est in domo sua, ut dixi in hac quæst. vehementissimè sine ulla intermissione diligitur ab sponso; non sic verò se habet amor erga uxorem in domum mariti jam introductam, circa quam diuturnitate temporis frigescit amor; & quia Christi amor ad suam Ecclesiam, ac ad animam justi discursu temporis non minuitur, ideo ipsa in Canticis non vocatur uxor, sed sponsa. D. Bern. prox. cit. ait: *Paucis dico; solent sponsæ nondum alligatæ conjugali vinculo amare ardentiùs, quàm postea, tempore enim procedente, amor ipse minuitur: sponsus ergo noster ut magnitudinem sui insinuet amoris, qui tempore non decrescit, amicam suam sponsam vocat, eo quòd illius amor semper novus sit*. Tam ardenter Christus diligit Ecclesiam, ac animam justi, ut illius amor semper novus sit: Vetustatem nescit amor.

Amor Christi erga nos semper novus, nunquam vetescit.

83 De Christo D. loquens reg. Vat. Ps. 18. n. 6. ait: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo*; ubi sermo est de desponsatione, quam Christus inivit cum sua Ecclesia in die incarnationis, ut exponunt communiter SS. PP. D. August. D. Hieron. D. Ambros. D. Bernard. & alii. Et maximè notandum: *In Sole posuit tabernaculum suum*: *In Sole*, hoc est, in manifesto, seu in utero Virginis. *Posuit tabernaculum suum*; suam nempe sanctissimam humanitatem: sed cur non dicit potiùs thronum, qui magis decens videtur regiæ majestati? *In throno sedit antiquus dierum*, Daniel 7. num. 9. at tabernaculum, ut notat Lorin. dicit quid militare, quod quotidie erigitur, ac fabricatur in castris, & in hoc amore divino nihil est antiquatum, sed omnia sunt flammantia, tanquam nova. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Juxta multos PP. sermo est, quando ipse Dei filius exivit de sinu Patris ut sponsus ad desponsandam sibi Ecclesiam. Et maximè ponderandum, cum à die incarnationis divini Verbi, tot millia annorum elapsa sint, quod de præsenti, ut clariùs habet radix græca dicitur, *procedens*; cur non potiùs, in præterito processit, exivit? Licèt post peractum mysterium, multa annorum sæcula jam præterierint, rectè de præsenti dicitur procedens, exiens, quia tot temporum sæculis, ejus amor nec est antiquatus, nec diminutus, sed ita viridis, ac charitatis igne inflammatus, ac si esset novus, hodieque suum initium incepisset, ut magnitudinem sui insinuet amoris, qui tempore non decrescit, eò quod illius amor semper sit novus.

84 Magna pietate ponderat S. Bern. serm. 6. in vigilia Nativit. quòd in ipsa vigilia ad Calendam canit Ecclesia: *Jesus Christus filius Dei nascitur in Bethleem Juda*; post Christi Nativitatem multæ annorum centuriæ elapsæ sunt, cur ergo non dicitur: Natus est Christus; sed hodie nascitur? anno præterito decantatum est: *Hodie nascitur*; venturo anno dicetur: *Hodie nascitur*; cur semper *hodie nascitur*, & non dicitur aliquando natus est? Respondet S. Bernard. cit. *Sicut enim quodam modo immolatur adhuc quotidie, donec mortem ejus annunciemus, sic videtur & nasci, dum fideliter repræsentamus ejus nativitatem*. Quæ licèt piè, & devotè sint dicta, tamen ad nostram thesim dico: Certissimum est, quod Christus D. multis jam elapsis annis natus est, tamen optimè quotannis in Ecclesia decantatur: *Hodie nascitur*; amore nempe, ac affectu erga suos, nam per tot annorum curricula ejus charitas non est inveterata, ac diminuta, sed ita modo inflammata, ac fervida viget, ac si hodie esset natus, ac in Mundum ingrederetur.

Christi in suos amor semper idem.

QUÆSTIO XI.

Quare summa lætitia Peccatorum in nuptiis agni triplici verbo explicatur gaudio, exultatione, ac gloria Dei.

85 VOx ad cœlites è throno clamat: *Gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei, scilicet Deo, quia venerunt nuptiæ agni*. Pro magnitudine tantæ jucunditatis, non uno verbo, sed triplici invitantur beati ad eximiam lætitiam, gaudiis, exultatione, ac gloria danda Deo, ut totius eorum meriti, victoriæ, ac glorificationis causa, ut ait Rupert. in præsenti: *Deus ei gloriam nos electi, & vocati, & fideles, qui cum ipso sumus, & cum illo vicimus; nos victores, sicut victoriæ ejus participes in eo, demus gloriam ei, ut non nobis quod vicimus, sed illi totum attribuamus soli triumphanti, soli omnipotenti*: vide supra cap. 12. q. 51. n. 433. & seq. & c. 17. q. 31. n. 262. & seqq. & hoc cap q. 1. n. 15. 17.

Gloria Christo Jesu merito, & victoria omnis referenda.

Secundò: *Gaudeamus*, inquit, vero, ac proprio permanenti gaudio, & ideo illud annumerat Paulus ad Gal. 5. n. 22. inter fructus justitiæ: *Charitas, Gaudium, Pax*, &c. Ad hoc ergo gaudium invitantur sancti, ac justi; & quæ major ratio poterat esse gaudendi, quod meretrice babylonia damnata, ipsi Dei gratia in tali damnatione non sunt comprehensi, sed Dei misericordia, ac benignitate vocati ad gaudia sempiterna, ad nuptias agni? Rupert. *Inde laus, & gloria, inde gaudium, & exultatio, inde toties Alleluja, quia dum judicatur mulier illa meretrix, celebrant nuptias suas agnus, & uxor ejus*, &c. Hinc meretrix videtur tormentis puniri, illinc vocantur & ipsi ad agni nuptias, quo immensum crescit gaudium, ex tanta Dei gratia concessa. Rejectis judæis eliguntur gentes in regnum cœlorum, ut ipse Salvator dixit scribis, & Pharisæis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus*, Matth. 21. num. 43. D. Paschas. *O quantum gaudium, quantaque lætitia annuntiatur gentibus, quòd judæis exclusis, ipsi cum eis non sint inclusi, sed Dei gratia vocati in Regnum Christi*.

86 Ingens gaudium Beatorum in nuptiis agni.

Tertiò inquiunt: *Exultemus*; quod verbum significat magnum gaudium spirituale; quòdque est valde familiare sanctis [illegible] ingentem lætitiam de bonis cœlestibus; sic Anna Samuelis mater canit: *Exultavit cor meum in Domino*, 1. Reg. 2. num. 1. & David: *Lætamini in Domino, & exultate justi*, Psalm. 31. num. 11. Habacuc. 3. nu. 18. in suo cant. *in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo*. Tantum gaudium significatur verbo, *exultandi*, idest, *extra saltandi*, ut talis lætitia intus non capiat, sed foras erumpat. Inde Bartimæus cæcus à Christo vocatus, *exiliens venit ad eum*, Marc. 10. num. 50. & ille ex utero matris suæ claudus, à D. Petro sanatus, *exiliens stetit, & ambulabat*, Actor. 3. num. 8. Denique de Abrahamo ait Christus Dom. *Exultavit, ut videret diem meum*, Joan. 8. num. 56. qui omnes ex ingenti gaudio, quod in animo hauriebant in saltus, choros, ac tripudia foras erumpebant.

87 Ingens gaudium non claudi-tur corde, sed foras erumpit.

Cum fidelis servus vocatur ad nuptias cum agno in cœlesti beatitudine, dicitur ei à Christo Domino: *Intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. num. 21. cur non potiùs dicitur ei: Veni in gaudium Domini tui, ut illius jucunditate replearis? Spirituale gaudium cœlestis patriæ non potest concludi angusta capacitate cordis nostri, sed superfunditur, quia major est illius immensitas, quàm hujus capacitas; & ideo non dicitur, quòd gaudium intret in servum, sed servus in gaudium, quia totum illud non valet in se continere, quin foras exultet. Cajetan. ait: *Tam magnum est gaudium cœlestis patriæ de Deo, ut non possit concludi in homine, & ideo homo intrat in gaudium illud incomprehensibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehensum ab homine*.

88 Gaudium beatitudinis non concluditur intus, sed superfunditur.

Postquam Moyses locutus esset cum Deo, descendens de Monte Sinai, *tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Dei*, Exod. 34. nu. 29. splendentes radii maximè fulgebant in facie Moysis, cum ipse descenderet de monte: aliter tres Christi Apostoli, cum in Thabor vidissent Jesu gloriam, descendentes de monte nihil gloriæ præ se tulerunt, *imò in monte ceciderunt in faciem suam*, Matth. 17. num. 6. cur Moyses de Sina refert gloriam in vultu, minimè verò Apostoli de Thabor? Legis gloria erat pusilla, & evacuabatur, veluti Mundi gloria, ac temporalis, & inde ab uno homine circumferri poterat; at Jesu gloria, in qua ipsa cœlestis beatitudo radiabat, tam ingens, ac magna est,

89 Magnitudo gloriæ aeternæ non potest fulgere ab homine.

est, ut nec à tribus Apostolis, ac à tribus magnatibus totius Ecclesiæ valeat aliquid illius asportari, imò potiùs eam videntes in facies suas ceciderunt. Divus Remig. in 2. ad Corinth. cap. 3. ait: *Gloria Evangelii, quæ datur ministratoribus, & observatoribus ejus, major est gloria legis, quæ splenduit in facie Moysis, quia fuit temporalis, & à quocunque ferri potuit, & videri ab illis; non ita autem æterna erit, nec potuit ferri ab Apostolis, quando à Domino ostensa est, qua statim lapsi sunt in terram velut mortui.* Gloria temporalis, utpote parva, potest ferri ab homine, gloria verò æterna Jesu, utpote valde magna, nec à tribus Apostolis sustineri potest, sed succumbunt oneri.

QUÆSTIO XII.

Quare ad nuptias agni, uxor ejus tam sollicitè se præparat.

90 CLamat vox cœlestis: *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni; & uxor ejus præparavit se.* Rectè dicitur, quòd modò venerunt nuptiæ agni, quia modò Ecclesia sancta universali in omnibus suis electis per meditationem, contemplationem, ac per bona opera se præparat ad amplexum sui sponsi, & ideo modò dicitur, quòd venerunt nuptiæ agni, at verò quando post diem judicii, ipsa Ecclesia cum omnibus suis electis ad cœlestem thalamum, ac æternam felicitatem fuerit assumpta, tunc perfectum erit matrimonium, ut dixi q. 10. & consummatum, ac plenum gaudium erit, & ideo dicitur modò, quòd præparavit se. Richard. Victor. ait: *Quia nisi modò se præpararet in Mundo, nequaquam illi copulari posset in cœlo, per justitiam nempe se præparat ut ad sponsi copulam perveniat.*

Anima præparatur in Mundo, ut in cœlo copuletur Christo.

91 Secundò communiter PP. D. Paschas. Ansbertus, Albertus existimant hìc allud esse parabolam decem virginum, ex quibus quinque fatuæ non sumpserunt oleum secum, & ideo dicitur eis ab sponso: *Nescio vos*, Matth. 26. n. 12. quod rectè hìc ponderat Ansbert. & ait: *Omnes erant virgines; cur ergo eis dictum est ab sponso nescio vos? Videamus quid eis dictum: Quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; si virgines sunt, & ideò tanquam sponsæ sequuntur agnum, quomodo remanent innuptæ? Quia acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum; quid? propter defectum olei à sponso suo rejiciuntur, & non admittendæ sunt ad nuptias contrahendas? In oleo sumendo erogatio eleemosynarum à PP. intelligitur, & quæ virginitatis difficilia arripuere, parvuli nummuli largitionem pertimuere, & ab illa abstinuere, ideo non admissæ sunt ad matrimonii consummationem*: hæc Ansbert. Quid stultius, quàm carnis illecebras intrepidè vincere, & in largiendo nummulo prorsus deficere? Eleganter D. Chrysost. hom. 79. in Matth. quærens rationem, cur quinque virgines dicantur fatuæ, ait: *Non est corporis, & pecuniæ cupiditas, sed acrior multò, ac vehementior corporum est; quanto igitur imbecilliori reluctamur, tantò minus, si vincimur, venia digni sumus: idcireo fatuas appellavit, quoniam difficilioribus superatis, faciliora perdiderunt.* Expende: *Idcirco fatuas*; nulla potest esse major fatuitas, quàm de leonibus, de carnalibus hostibus, & de sulphureis lasciviæ flammis triumphare, & tamen à nummulo victum in ignem æternum tradi. Cùm Sampson apprehensus esset à Philisthæis, *statim eruerunt oculos ejus*, Jud. 16. n. 21. quod divina ordinatione factum est, ut asserunt Lyran. Abul. & alii. Sampson leones interfecit, & dilaceravit, & tamen ab una muliercula deceptus, & victus est; & qui difficilioribus superatis, in faciliora labitur, justissimè lumine oculorum privatur.

Valde miserabile vincere majora, & cadere in minima.

92 Tertiò: *Et uxor ejus præparavit se.* Sponsa, quæ præparatur ad thalamum sponsi, pretiosis vestibus exornatur; & quomodo hoc potest stare, cùm ipsa sponsa conqueratur de custodib. murorum, qui juxta multos sunt Angeli? *Tulerunt pallium meum custodes murorum*, Cant. 5. n. 7. si denudata erat pallio, quomodo præparata, ac exornata? Inde maximè præparata, quia denudata, & quia à se abjecerat sæcularia, ac temporalia, quæ gressum suum ad sponsum præparabant, ut dimittens vetera, in novo homine Jesu indueretur. D. Ambr. in collect. ad Cant. c. 5. *Dum denudatur, à Domino plus amatur, expolians veterem hominem, ut novum induat, quem non operiunt indumenta, sed mentis secreta clarificat.* Suam sponsam comparat divinus sponsus cum capris vellere nudatis: *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro; omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas*, Cant. 4. n. 2. & cur non capris vellere indutis, sed denudatis? Pastores tondent capras, ut agiliores reddantur, & ut de beneficio aquarum ablutæ, puriores niteant; inde maximè sponsus extollit, & decantat suam dilectam, utpote denudatam, & tonsam à terreno vellere mundialium, ut expeditior ascendat, & nitidiùs resplendeat puritate lavacri Baptismatis, cum magno fructu bonorum operum: *Omnes gemellis fœtibus*. D. Greg. M. *Capreæ, scil. tonsæ onera Mundi deponunt, ut ad cœlestia consequenda, quò liberius, eò facilius gradiantur*: vide c. 12. q. 2. n. 13. & 14.

Ut anima ad Deum veniat, dimittat affectus terrenorum.

Quartò: *Præparavit se*; nempe oleo bonorum operum, sicut quinque virgines prudentes, quæ paratæ erant, intraverunt cum sponso ad nuptias, Matth. 25. n. 11. & quæ sine oleo inventæ sunt, repulsam habuerunt: *Nescio vos*; nonne & ipsæ clamarunt: *Domine, Domine, aperi nobis?* Tamen excluſæ sunt, quia oleum non sumpserunt secum, nempe operationem bonorū operum, quam si habuissent, licèt in extremis, admissæ fuissent. D. Paschas. lib. 11. in Matth. *Nec habentibus oleum, vel in extremo ornantibus lampades suas, diceret: Nescio vos, quæ estis? nec enim scribitur, quòd cum lampadibus ornatis venerint, quia nescio, si fieri posset, ut unquam diceret Nescio.* Si sanè, quamvis in extremis, venissent cum oleo bonorum operum, minimè excluderentur, non enim eis, dum pulsantes clamabant: *Domine, Domine aperi nobis*; diceretur: *Nescio vos*; & inde meritò fatuæ dicuntur, quia existimarunt, quòd janua regni cœlorum verbis, & non operibus aperiebatur. 93

Etiam in extremo tempore potest homo consequi salutem.

Magna fatuitas velle salvi verbis & non operibus.

Cum Christus D. ostendit gloriam suæ majestatis in monte Thabor coram tribus suis Apostolis, Petrus tanto splendore absorptus, ait ad Jesum: *Domine, bonum est nos hìc esse*; quod inscienter fuisse dictum testatur Marc. 9. n. 5. *Non enim sciebat, quid diceret*; & Luc. 9. nu. 33. *Nesciens quid diceret*; nonne quotidie petimus à Deo: *Adveniat regnum tuum*; quòd ad cœlestem beatitudinem transeamus; quid ergo mirum si cùm Petrus in quadam beatitudine esset, vellet in illa permanere? cur ergo dicitur: *Nesciens quid diceret*? In eo tamen erravit, quòd beatitudinem affectavit verbis: *Bonum est nos hìc esse*; cùm adhuc merita proportionata ad illam non haberet, quod per mortem erat adimplendum. D. Remigius ait: *Erravit Petrus, quia absque gustu mortis voluit subire æternam felicitatem.* 94

Beatitudo solùm operibus habetur.

Qui in cœlum vult crescere, ut in ipsum ascendat, non tantùm sit innixus verbis, sed maximè operibus. Ad Jesum misit Joannes discipulos suos, ut interrogarent: *Tu es qui venturus es?* quibus *Jesus* respondit: *Euntes renunciate Joanni, quæ audistis, & vidistis; cæci vident, claudi ambulant, &c.* Matth. 11. n. 4. ad Joannem autem mittunt judæi sacerdotes, & levitas, ut ab ipso interrogarent: *Tu qui es?* quibus Joannes respondit: *Ego vox clamantis in deserto*, Joan. 1. n. 23. Ubi Origenes eleganter dubitat, cur Joannes, vocis solùm testimonium profert, dicens: *Ego vox clamantis in deserto*; Jesus autem non tantùm vocis testimonium, sed etiam virtutum opera in medium proponit, dicens: *Renunciate Joanni, quæ audistis? &c.* Major ratio hujus rei desumenda est ex verbis ipsius Joannis, dicentis: *Illum oportet crescere, me autem minui*, Joan. 3. n. 30. Qui minuendus erat, & jam ei instabat occasus, meritò explicatur, non per operum testimonium, sed vocis tantùm: defectus operum pro consequentia habet occasum; qui autem crescebat, ut ipse secum suos adduceret in gloriam, non tantùm verbis, sed etiam operibus manifestatur, quibus januæ cœli referatæ parent: vide supra cap. 15. qu. 11. num. 95. 96. 95

Non verba, sed opera nos ducunt ad vitam æternam.

QUÆSTIO XIII.

Pro sacrâ Eucharistia.

Quare in sacra Eucharistia celebrantur nuptiæ inter Deum, & hominem.

INter Deum, & hominem in sacra Eucharistia celebrari nuptias docent graves PP. Div. August. serm. 54. 96

ſerm. 54. ex diverſis, dicens: *Occiſus eſt ad nuptias ſuas ipſe innocens agnus, occiſus eſt ad nuptias, & quoſcunque invitavit de carne ſua pavit.* Theodoretus, & Appon. ad verba illa Cant. 3. *In die deſponſationis, & lætitiæ cordis ejus;* D. Laurent. Juſtin. de triumph. Chriſti agone cap. 2. & ait: *Dominus Jeſus ab amorem Sponſæ immaculatæ Eccleſiæ, reliquit in cœlo Patrem ſuum, ſuæque adhæſit uxori, cùm in Cruce pendens, dato ſanguinis pretio, atque etiam lavacro, ſibi eam inſeparabilem copulavit, cui etiam pro amoris pignore, proque fœdere maritali, corporis, & ſanguinis ſui ſacramenta conceſſit, ut non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam eſſent duo in carne una.* Quomodo dicimus, quod in euchariſtico myſterio Chriſtus contrahat nuptias cum anima? nonne vir & uxor conjugio copulati duo in carne una fiunt? quis audebit dicere, Verbum, & animam duo fieri in carne una? quomodo ergo dicimus, ſimul contrahere nuptias? Quia pro fœdere conjugali, corpore ſuo nos paſcit Chriſtus, ſuique præclarum ſanguinis poculum exhibet, ut ita perfectiſſima unione adimpleatur illa Chriſti ſententia: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo*, Joan. 6. n. 57. & ita optimè ait D. Laurent. *Ut non ſolùm in ſpiritu, verùm etiam eſſent duo in carne una.*

In Euchariſtia dantur nuptiæ inter Deum & homin.

In Euchariſtia magna unio inter Deum & homin.

97 In oratione dominica docet nos Chriſtus orare: *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie*, Matth. 6. num. 11. per hunc panem, quem petimus, intelligunt PP. D. Baſil. D. Chryſoſt. D. Auguſt. D. Cyprianus, Tertull. quos citavi tom. 2. in Evang. cap. 15. qu. 15. panem euchariſticum; ſed cur dicimus: *Panem noſtrum*; & non potiùs panem tuum, panem Chriſti, cùm ipſe panis ſit caro Chriſti? Ipſe de ſe ait: *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi*, Joan. 6. num. 41. Tertull. lib. de orat. cap. 6. ait: *Spiritualiter potiùs intelligamus; Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus, & vita panis*; & ſubdit: *Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem poſtulamus in Chriſto, & individuitatem in corpore ejus.* Profundè expende ultima verba: Sic per hunc divinum panem cum Chriſto unimur, ut jam non ſimus duo, ſed veluti unum, jam ſpiritualiter habentes veluti *unam individuitatem in corpore ejus*; proindeque cùm petimus panem noſtrum euchariſticum, petimus panem Chriſti, quia per hunc panem ita ſumus uniti cum Chriſto, ut panis noſter ſit panis Chriſti, & viciſſim.

Per Euchariſtiam intimè uniemur cum Chriſto.

98 Præcipit Deus Moyſi Levit. 24. n. 5. *Accipies quoque ſimilam, & coques ex ea duodecim panes; qui ſinguli habebunt duas decimas, quorum ſenos altrinſecus ſuper menſam puriſſimam cor. Domino ſtatues.* Cùm conſidero duodecim panes, ſtatim duodecim Apoſtolos intelligo; in hoc tamen hoc videtur difficile, cur Apoſtoli panes dicantur? Sed non mirum, quod panes dicantur, ipſi enim cœleſtis, ac vivifici panis erant participes, cujus participatione ad eandem formam trahebantur, ut ipſi panes dicerentur. Ad hoc ait noſter D. Cyrill. Alex. in Catena Græca ad c. 6. D. Luc. verſ. 20. *Panis ſiquidem de Cœlo deſcendens, & vitam dans Mundo, quiſnam alius ſit, præter omnium Salvatorem Chriſtum? Ad imitationem autem ipſius, panes appellati ſunt beati diſcipuli, conſortes facti panis nutrientis nos in vitam æternam; quin & ipſi nutriunt ſcriptis ſuis eos, qui ſitiunt juſtitiam.* Mundiali pane ideo vivimus, quia eum in noſtram ſubſtantiam tranſmutamus, adeo ut ipſe panis caro noſtra fiat, minimè tamen caro noſtra fit panis; non ſic ſe res habet cum pane cœleſti, quin potiùs eo ipſo, quòd diſcipuli participes fierent tanti panis, ſic & in illum convertebantur, ut viderentur & ipſi panes facti, tanquam panes enim auditores ſuos nutriebant, ac ſaturabant.

Tanta eſt unio, ut qui manducat hunc panem, panis dicatur.

99 Lancea vulneratur latus Chriſti jam demortui: *Et continuò exivit ſanguis, & aqua*, Joan. 19. nu. 34. in cujus rei memoriale monumentum, in dominico calice euchariſticum vinum aquæ admiſtione diluitur; & ſi ad illarum rerum, quæ conjunguntur, ac commiſcentur, naturam attendas, ſemper quælibet ex eis, aliquod ſuæ proprietatis veſtigium retinet, & conſervat, aqua vero cognatæ tenuitatis illapſu, ſic vinum intimè pervadit, ſic medullitus vino incorporatur, & tali modo conviſceratur, ut nuper duo, jam unum appareant, & nemo dignoſcit rei ſic permiſtæ diſcrimen ab alia: ecce jam eluceſcit ratio, ob quam in euchariſtico calice aqua commiſcetur vino; vinum eſt ſanguis Chriſti: *Quid bonum ejus, niſi vinum germinans virgines?* ait Zachar. 9. nu. 17. aquæ vero denotant populos, & homines: *Aquæ multæ populi multi*, Apocalyp..... a qua ergo incorporata vino ſignificat intimam unionem, qua euchariſtico calice veluti homo conviſceratur cum Chriſto, ut non ſint veluti duo, ſed quodammodo unum ſpiritualiter, ac ſacramentaliter. Ad hoc reſpicit Clem. Alex. lib. 2. Pedagog. c. 2. dicens: *Amborum autem temperatura, potus ſcilicet, & Verbi dicitur euchariſtica, quæ bona eſt gratia, cujus, qui per fidem ſunt participes, ſanctificantur, & corpore, & anima, cùm divinum temperamentum, hominem ſcilicet, divina voluntas, ſpiritu, & Verbo divino contemperaverit.* Ecce profundum arcanum, ecce euchariſtica temperatura, ecce divinum temperamentum, quo ſcilicet divina voluntas hominem contemperavit Verbo, ut tali temperamento intimè uniantur Deus, & homo: *Manet in me, & ego in illo.*

Divino temperamento uniuntur Deus, & homo in Euchariſtico calice.

Hebræi dum jubentur edere carnes agni, jubentur 100
etiam abſtinere à ſanguine illius: *Et ſument de ſanguine ejus, & ponent ſuper utrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum*, Exod. 12. n. 7. agnus aſſus comedendus erat, at ſanguis effundendus, ut ungerentur poſtes domus; at Chriſtus Dom. ait Joan. 6. n. 56. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo*; in veteris agni convivio jubebantur edere carnes, non verò ſanguinem potare, ſed illum effundere, at verò in Chriſti convivio jubemur & carnes manducare, & ſanguinem bibere; & cur in veteribus non permittebatur potus ſanguinis, [illegible] verò teſtamento ſimul cum cibo carnis, ſanguis diviniſſimus potatur? cur cùm ille antiquus agnus eſſet figura hujus diviniſſimi, in hoc potatur ſanguis, in illo verò minimè? Rationem indicant illa verba: *In me manet, & ego in illo*; illa antiqua lex erat rudis, & imperfecta, proindeque in ea non dabatur perfecta, & conſummata unio cum toto agno, & ideo ſolùm comedebatur caro ſine ſanguine, at in lege gratiæ, utpote perfectiſſima, datur perfectiſſima, & pleniſſima unio cum toto agno, & ideo nunc illius carne, & ſanguine nutrimur, ita ut veluti tranſmutatio detur, & totus Chriſtus in nobis ſit, & nos toti in Chriſto. Algerus lib. 2. de corpore Chriſti: *In veteri lege agnus ſine ſanguine manducabatur, nunc verò carne, & ſanguine Chriſti potamur; hoc tantùm debebatur legi gratiæ.* Conſummata, ac plena unionis perfectio ſolùm erat reſervata legi gratiæ, in qua totus Chriſtus eſt in nobis, & nos toti in Chriſto: vide infra quæſt. 16.

Conſummata, & plena unio inter Deum & homin. in lege gratiæ.

QUÆSTIO XIV.

Quare ſacra Euchariſtia ſit gaudium Trinitatis, ac ipſius Chriſti.

VOx è throno clamat: *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni.* Convivio euchariſtico, in quo gaudio Sancta Trinitas primas tenet, quia in tanto Sacramento, utpote fonte omnium noſtrorum bonorum, maximè jucundatur, ac delectatur. Ait Paul. Hebr. 13. n. 16. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivi ſci, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Per hoſtiam communionis, ſacram Euchariſtiam interpretamur, quam maximè eſſe frequentandam, commendat Apoſtolus, & ait: *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Illud *promeretur*, ex Syro vertit, & explicat Cornel. ibi, n. 108. *Hoſtia communionis Deo mirè eſt voluptatis; illa ſe paſcit, oblectat, pulchreſcit, hilareſcit, & gloriatur.* Hoſtia S. Euchariſt. ſic Deo eſt jucunda, ut ſit ei miræ voluptatis, illa ſe paſcat, & oblectet.

101

Deus ſacra Euchariſtia oblectatur, ac jucundatur.

Bono ſervo, qui pro quinque talentis duplicata obtulit, dicitur à Domino: *Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam; intra in gaudium Domini tui*, Matth. 25. num. 21. quæ verba licèt communiter intelligantur à Patribus de æterna beatitudine, ad quam bonus ſervus admittitur,

102

tur, tamen Rich. Victorin. ingeniosè, & noviter explicat de bono, ac fideli servo cum magna dispositione accedente ad sacram mensam, ac si ei dicatur à Christo: Serve bone intra ad hanc eucharisticam mensam, intra ad gaudium Domini tui; nam hæc mensa est gaudium, & oblectamentum Domini tui. Richard. Victor. pro sacra Eucharistia expendens illud Psalm.80. num.17. *Et de petra melle saturavit eos*; & Matth. verba: *Intra in gaudium domini tui*; de Eucharistia interpretatur, & ait post multa: *Animadvertitis, ut arbitror, quale sit etiam hunc lapidem inter cæteros possidere, qui fluit jucunditatis melle, & satiat intrantem in gaudium domini sui æterna dulcedine*. Quigustat mel eucharisticum, gustat jucunditatis mel, cùm intret in gaudium æternæ dulcedinis domini sui, quod est ipsa Eucharistia.

Sacra Eucharistia Dei gaudium.

103 In convalle Mambre apparuit Dominus Abrahamo sedenti in ostio tabernaculi in ipso fervore diei; cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes juxta eum, quos cùm vidisset, in eorum occursum festinans, dixit: *Domine, si invenigratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum, ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum; & inde ipse ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum*, Genes.18.n.7. statimque magnificum illi paravit convivium: cùm Abrahamus tres viderit, & unum adoraverit, Sancti Patres communiter tres hìc Sanctiss. Trinitatis personas agnoscunt, per tres Angelos repræsentatas; sed cùm Abrahamus esset potentissimus & plusquam trecentos vernaculos haberet in domo sua, cum in ea videt totas tres Trinitatis Personas, quodnam festum, quamve solemnitatem, multo musicorum apparatu exhibet? Unum vitulum tenerrimum, & optimum apponit; optimè sciebat pater credentium fidei, quòd nulla solemnitas, nullaque festivitas potera[illegible] gratior, ac jucundior, Deo, quàm u[illegible]figura, & umbra sacræ Eucharistiæ, quę totius Trinitatis est gaudium, ac lætitia. S. Eligius hom.8. ait: *Hoc præsignavit olim, quod Abraham tribus Angelis hospitio receptis, vitulum tenerrimum occidisse legitur, & eis appposuisse, quia immolata pro nostra redemptione caro Christi, totius Trinitatis lætitia est*.

Eucharistia lætitia totius Trinitatis, & magnum festum exhibet ei.

104 Valde profunda, & difficilis semper fuit doctoribus, ac expositoribus sententia illa Sapientiæ Prov. 8.n.31. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; & cur non potiùs cum beatis Angelis natura, & merito præstantioribus? Imò quidem neque cum Angelis ipsis, nec cum alia quavis creatura, neque enim is est Deus noster, qui de mendicitatibus creaturarum delicias captet, nam, ut rectè ait D. Laur. Justin. citandus, is est Deus, qui sibi ipsi est gaudium, & beatitudo perennis, & sempiternæ, essentialesque deliciæ; tamen ait de se: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; in eucharistico epulo, ut multis placet; non quia inde delicias suas aucupetur Deus, sed quia tunc suas sempiternas delicias cum hominibus communicat miro, & mirabili modo, quo maximè oblectatur, ac delectatur, indeque cum hoc Sacramento deliciatur. D. Laur. Justin. serm. de Euch. ait: *Suis tecum perfruitur deliciis, quemadmodum in Sapientiæ volumine testatur dicens: Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum; non quidem, inquit, ut suas à filiis hominum captet delicias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias*. Et quia in Eucharistia admirabiliter super modum communicat Deus suas delicias filiis hominum, inde ipsa Eucharistia deliciæ sunt ejus.

Eucharistia oblectamentū Christi D.

105 Dicitur Cant.2.n.16. *Dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*. Suum charissimum decantat sponsa, ut mirificum pastorem, inter pascua ubertatis plena degentem: *Qui pascitur inter lilia*; quod de Sacramento Altaris interpretatur D. Ambr. serm.14. in Ps.118. dicens: *Bona pascua divina Sacramenta; carpis illic novum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis; carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis; carpis rosam, hoc est dominici corporis sanguinem*. Et ut profundius rem consideres, adverte, quod Div. Hieronym. & antiqui Patres, pro eo, quod nos habemus, *pascitur*, legunt activè *pascit*; &, ut advertit Sancius, verbum hebraicum utrunque habet significatum, activum scilicet, & passivum; pascit, & pascitur; ac si dicat anima Sancta dilecto suo: Ille dum me pascit deliciis cœlestibus, quas in Eucharistiæ pascuis abundè propinat, me pascit, & simul pascitur; veluti reciproca sunt quodammodo gloriosa opulentissimæ Eucharistiæ convivia, in quibus dum gloriosè *pascit* Christus, ipse etiam gloriosè *pascitur*; scilicet *dilectus meus mihi, & ego illi*, qui dum me Eucharistia pascit, ipse etiam inter jucundissima lilia *pascitur*.

Dū Christus nos in Eucharistia pascit, seipsum pascit.

QUÆSTIO XV.

Quare sacra Eucharistia dicitur gaudium, ac lætitia Angelorum, ac hominum.

106 VOx exiens de throno invitans clamat: *Gaudeamus, & exultemus*. Ad celebrandas nuptias agni communi gaudio invitantur Angeli, & homines, quorum magna debet esse exultatio pro solemnitate tanti eucharist. mysterii, quod breviter expendo, priùs agens de Angelis, deinde de hominibus.

Ob Eucharistiam magnum gaudium Angelorū, & hominū.

107 Ait regius Vates Psalm.67. nu.16. *Mons Dei, mons pinguis*; quod de opulentissimo Euch. Sacramento interpretantur D. August. noster Incogn. Glos. & alii, & statim post pauca vers.18. subdit: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis, in Sina, in Sancto*. Singula verba plena sunt mysterio, & maximè ponderanda: *Currus Dei*, seu ut alii transferunt, *vehiculus Dei*; nam sicut in curru, vel vehiculo aliquid inclusum fertur, & ad illius motum movetur, sic caro, & sanguis Christi ad motum specierum, sub quibus habetur, etiam movetur, & fertur de uno loco ad alium. *Decem millibus multiplex*; Septuag. *Viginti milia millium Angelorum*; Vatabl. *Bis decem millia*; imò multa millia Angelorum; quod expendens Div. Hieronym. *Administratoriæ potestates innumerabiles*; Felix: *Centena millia*; Noster Incognit. *Multis millibus stipatus*; & quomodo tot millia millium Angelorum conveniunt? Lætantium, sive exultantium, qui nempe faciunt jubilos, & choros vocum suavitate. *Dominus in Sina, in Sancto*; seu, ut legit Vatabl. *Dominus inter eos, sicut in Sina, in Sanctuario*. Ecce ad hoc divinum Sacramentum, in quo caro Christi continetur, tanquam in curru, & vehiculo, ac sanctuario suo, adstant multa millia Angelorum exultantium cum eximio gaudio, facientes choros, & jubilos, Deum laudantes pro tantis beneficiis. Petrus Cellensis de panibus, ait: *In hac mensa posuit Deus sua beneficia, Angelus sua obsequia, & Angelus os aperit in laudem Dei*.

108 In eodem Psalm.67. numer.26. ait idem Propheta: *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum tympanistriarum*. Principes sunt Angeli, ut ait D. Hieronym. qui sunt Principes, ac duces in decantandis laudibus conjuncti psallentibus, hoc est, cæteris beatis. *In medio juvencularum*; Hebraic. habet, *virginum*, quæ, ut explicat Lorin. publicum ignorant, & absconditæ sunt; & subdit: *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel*; de perennibus fontibus misericordiarum, quos constituit in Sacrament. Altaris, de quo statim loquitur: *Benjamin adolescentulus in montis excessu*, ibid. nu.22. in hoc Sacramento. *In montis excessu*; in eo enim ostendit omnes excessus, ac divitias sui amoris, & rectè, ut jam notavi tom.3. in Evang. c.35. qu.9. nu.6. Christus in hoc Sacramento appellatur Benjamin, qui idem valet, ac filius doloris; Christus autem dicitur vir dolorum. *Et adolescentulus*. In domo patris sui semper erat retentus, & veluti clausus, ne ei quid acciderit simile Joseph; seu, ut legit Vatabl. ibi: *Benjamin parvulus*. Christus Dominus in admirabili Eucharist. Sacramento, maximè se contraxit, ac coarctavit, itaut in qualibet minima parte hostiæ totus sit; ergo conveniunt omnes ad tantum hoc Sacramentum festivè celebrandum. *Prævenerunt Principes*. Sancti Angeli, ut Principes, ac duces, deinde beati, tandem sanctæ virgines; ad hos enim peculiariter pertinet festivitas tanti mysterii, dulci musicæ modulatione, sonantibusque magnis instrumentis; & per respectum ad hoc mysterium

Solemnitas Eucharistiæ pertinet ad Angelos, beatos, ac Virgines.

mysterium loquens Galatin. lib.10. de arcano cap.7. ait: *Tunc Angeli variis instrumentis coram Deo sancto, & benedicto laudes maximas edent, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.*

109 Psalm 83. ejus titulus est. *Pro torcularibus*; mustum eucharisticum redolentibus; & deinde canit vers.3. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Ob celsitudinem, ac supremam majestatem, qua Deus nobiscum est in hoc Sacramento, ingenti gaudio exuberat David, ita ut non solùm corde, & animo repleatur gaudio, sed redundet non solùm in sensus externos, verùm etiam in ipsammet carnem, & corpus per externa signa, quæ ipsam lætitiam indicant, & demonstant. D.Cyprian. de cœna Domini sic ait: *Esus carnis hujus, quædam aviditas est, & quoddam desiderium manendi in ipso; per quod sic imprimimus, & infigimus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palato nostro, & visceribus sapor dilectionis infusus, penetrans, & imbuens omnes animi, corporisque recessus.*

Lætitia ex Sacra Eucharistia extensius redundat.

110 Ait regius Vates Psalm.113. num.5. *Quid est tibi mare, quod fugisti? & Jordanis quia conversus est retrorsum?* Loquitur Propheta de divisione matis rubri, ad transitum populi Israelitici, & similiter de divisione Jordanis ad eundem transitum, & statim subdit, vers. 4. *Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium*; quod explicans Rich. de S. Victore, ait: *Arietum, & agnorum exultatio non est in risu; tamen tales gestus solent in suis lusibus formare, quibus solent gaudium suum exprimere, solent enim in suis exultationibus saltus quosdam dare*: Sic & montes ad Dei præsentiam, cum ipse descenderet, legem daturus, Exod. 19. & colles suo motu, quædam lætitiæ signa dederunt. Theodor. *Colles, & montes moti sunt, & tripudiare videbantur, quippe qui cœlorum dominum receperunt: dicit autem montem Sina, & Oreb, in illis enim Dominus apparvit*. Tanta lætitia exultant illi, ad quos Dominus semel advenerit. Cum etiam Propheta faciat mentionem de divisione Jordanis, quando ad vestigia pedum sacerdotum, qui portabant arcam, reversus est retrorsum, Josue 3.n. 13. dico, quod montes, & colles videntes arcam Domini, umbram divinissimæ Eucharistiæ, præ gaudio, motu quodam tripudiare, ac saltare videbantur, tanquam festivo applausu tantum mysterium venerantes, ac recolentes.

Insensibilia exultant ad intuitu Eucharistiæ.

111 De Christi sepulchro ait Isai.11. num.10. *Et erit sepulchrum ejus gloriosum*; sed cur Christi sepulchrum dicitur potiùs gloriosum, quàm ejus præsepe, in quo demonstratus est ab stellis, ab Angelis annuntiatus, & a regibus adoratus? vel cur non potiùs dicitur gloriosa ejus cathedra inter DD. ubi suæ divinæ sapientiæ effudit radios? vel cur non potiùs dicitur gloriosa ejus Crux, in qua ipse Dominus regnavit? cur ergo inter cætera sepulchrum ejus dicitur gloriosum? In eo, tanquam in sacrario, ac sanctuario ipsum corpus Christi inclusum, ac clausum continebatur. Cùm Christus Dominus instituit sacram Eucharistiam, gratias egit, Matth.26. num.27. quod expendens Tertull. in Apocal. cap.9. ait: *Gratulatur de sanguine inter viscera sepulto*; quid gloriosius accidere potest homini, propter quod immortales gratias debeat dare Deo, dum accipit corpus, & sanguinem Domini, quod ipsum habeat veluti inter viscera sua sepultum, pro quo Christus gratias agit: *Gratulatur de sanguine inter viscera sepulto.*

Valde gloriosum homini, quod communicat corpus Christi.

QUÆSTIO XVI.

Quare Christus Dominus in eucharistico Sacramento Agnus dicitur.

112 CLamat vox cœlestis: *Venerunt nuptiæ agni*; cur in his nuptiis divinæ Eucharistiæ, Christus D. dicitur agnus, & non potiùs filius hominis, leo de tribu Juda, Angelus fortis, Rex Regum, & dominus dominantium, sed tantùm agnus? & certum est, quòd hic fit allusio ad agnum paschalem, de quo latè agitur Exod.12. qui figura extitit hujus magni Sacramenti, ut canit Ecclesia; de ritu, cæremonia, ac modo, quo comedebatur, multa dicunt Patres, ac interpretes ad eucharisticam materiam, nos verò tantùm agimus cur agnus hic dicitur Christus?

Et primò de agno paschali præcipiebat lex: *Erit autem agnus absque macula, masculus*; ubi nos habemus, absque macula, legunt alii, *irreprehensibilis*; Procop. *perfectus*; D.Ambros. *Agnus mundus consummatus*; hæc autem non dicuntur de ipso agno materiali, quod sit *irreprehensibilis*; cùm nec laude, nec vituperio sit dignus; dicuntur ergo de agno, prout erat typus Christi in eucharistico Sacramento, & tunc dicitur irreprehensibilis, perfectus, & consummatus, ut nobis denotetur, quàm irreprehensibiles, ac perfectos, & mundos convivas exigat; quam enim maculam in suo convivio patietur ille eucharisticus agnus, quem nemo de peccato arguere potest? Joan.8. & in quo Diabolus princeps hujus Mundi non habet quidquam? Joan.14. Ergo Agnus purus, ac irreprehensibilis in Eucharistia proponitur, ut nos, qui eum manducaturi sumus, ejus munditiæ, ac puritati, quantum possumus, proportionemur. Div. Dionys. Areopag. lib. de Eccles. Hierarch. cap.5. ait: *Vult Christus, ut nos illi, tanquam membra corpori, congruamus, & per vitæ sinceræ, ac divinæ similitudinem compaginemur, ne corrumpentibus mortificati vitiis, ad divina, ac sanctissima membra incongrui efficiamur*. Maximè debemus nos mundare, ut aliqualiter proportionemur ad agnum eucharisticum comedendum, de quo multa quæst. seq. 113

Agnus eucharisticus sine macula convivas puros exigit.

Secundò dicitur in textu Exod.12.num.5. *Erit agnus absque macula masculus*; si agnum dicit, cur masculum addidit? & cur non poterat offerri agnus, absque eo, quòd esset masculus? Sanè masculus additur ad agnum, qui immolatur, ut denotetur, quòd qui hunc agnum rob[illegible] & vires habentem, comedere debet, sit similiter masculus, hoc est, masculum præseferat animum, contra ingruentes inferorum, ac tentationum procellas, infractusque consistat adversùs illas, & non sit fœmineus, mollis, ac debilis; de quo nos monet Div. Cæsar. Arelatens. hom.6. & ait: *Masculus, id est, contra omne peccatum robustus, & validus; masculini enim, & virilis animi est, illecebram repudiare peccati, sed fœminea fragilitatis ignavia est, initia suscipere lasciviæ, undè ille typum gerens Diaboli Pharao, premens populum Dei, inimicus spiritui, amicus carni fortitudines præfocabat, concupiscentias invitabat.* 114

Virilis fortitudo ad Eucharistiam percipiendam.

Tertiò cur ad majorem magnificentiam nuptiarum non dicitur: Venerunt nuptiæ Regis Regum, ac Domini Dominantium, creatorisque universi; sed agni nuptiæ dicuntur? Et meritò agnus immolari voluit, ut animas nostras sibi ut sponsas acciperet, easque sanguine agni immolati ditaret. Favet Angelicus Doctor, & ait: *Rectè hic nominatur Agnus, quia pro illa conjunctione consummanda in gloria immolatus est.* 115

Ut Agnus immolari voluit pro sua Ecclesia.

Quartò quamvis Christus Dominus frequenter in Scriptura, multa majestate proponatur, ut Sole vestitus, præcinctus fortitudine, à cunctis tribubus terræ adoratus, terram palmo concludens, tamen ad nuptias cum Ecclesia celebrandas, ut agnus proponitur: *Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se*. De primis nuptiis Adæ, dixit Deus: *Erunt duo in carne una*, Genes.2.num.4. ad quod perfectè explendum Christus in eucharisticis nuptiis, convenientiùs proponitur ut agnus, quàm ut gigas, vel fortis adolescens. In omni victima, quæ Deo offerebatur, hoc erat valde peculiare in agno, quòd totus dulcissimè comedebatur, totusque fiebat in pabulum, & nutrimentum comedentis: *Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis*, Exod.12. num.9. sicque totus incorporabatur, ac conviscerabatur cum comedente, indeque Christus, ut agnus aptissimè proponitur, ad significandas nuptias cum Ecclesia, in eucharistico Sacramento, in quo totus Christus in nobis: *Manet in me, & ego in illo*, Joan.6. totusque nobis conviscceratur, & incorporatur, ut sint duo in carne una. Patrocinatur Divus Ambrosius in præsenti, dicens: *Ideo gaudeamus, eo quòd misericordia conditoris nostris, Ecclesiam suam, quæ sumus nos, ita sibi conjungere sit dignatus, ut sponsus conjungitur sponsæ suo, quatenus simus* 116

cum ipso una caro; sicut dicit Scriptura: Erunt duo in carne una.

117 Quod altè, & profundè confirmo, ut jam dixi. Communis est doctrina Ecclesiæ, ac Patrum, quod agnus paschalis figura erat agni eucharistici; de agno paschali præcipiebat lex: *Caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis*, Exod.12. numero 9. magno sanè mysterio exprimitur, quòd etiam pedes ejus comederentur, quod non superfluè est dictum, sed ex magno mysterio; si hic agnus est Christus, magna felicitas, quod ipse nobis sit cibus, sed ad quid ultra pedes sunt comedendi? quod mysterium est in hoc? Magnum sanè; pedes inserviunt ad fugam, & regressum, si pedes non manducarentur, poterat esse timor, quòd Deus abiret, & recederet, at dum totus agnus comeditur, denotatur, quòd ipsum semper securè nobiscum habemus, cùm non adsint pedes ad fugam, ac exitum, nisi homo per suum peccatum velit ipsum à se excludere; ideo pedes devorantur, ut significetur quod agnus, quantum est ex se, firmiter est nobiscum, ita ut nunquam abeat, nisi homo per suum peccatum, velit eum à se dimittere.

Christus in Eucharistia sic adjunctus est nobis, ut ex se nunquam discedat.

118 Postquam Deus apparuit Jacob in scala, ipse valde sollicitus est pro pane petendo: *Si Dominus dederit mihi panem ad vescendum*, Genes.28. numero 20. Videtur Jacob valde debilis, nam cum tunc magnas promissiones, ac benedictiones à Deo accepisset, tunc tantùm de pane est anxius. Rupert. lib.7. in Genes. cap.25. ait: *Petit panem scilicet vitæ æternæ, de quo dixit, panis, quem ego dabo caro mea est pro Mundi vita*; petebat Jacob panem eucharisticum. Ex quo magna difficultas insurgit; nonne Jacob jam fruebatur Deo, eum habens secum in terra? nam Alcazar contendit, quod Dominus in summitate scalæ à parte inferiori juxta terram, si jam Dominum habebat secum in tanta majestate, ad quid ulteriùs ipsum postulat in pane? dum Dominus apparebat in tanta majestate, poterat declinare, ac fugere ascendens per scalam; at in pane eucharistico, certissimè eum secum habebat, ut nunquam ab eo abiret, ac discederet, quantum ex parte ipsius Domini erat, & ideo non fuit contentus Domini præsentia in scala, sed postulat in pane: *Si Dominus dederit mihi panem, scilicet vitæ æternæ, de quo dixit: Panis quem ego dabo caro mea est.* Christus D. dixit: *Qui manducat meam carnem in me manet, & ego in illo.*

Jacob desiderat Christum in Eucharistia, ut eŭ semper secŭ habeat.

119 Ait Christus Dominus Joan.3. numero 13. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis*; ergo solus filius hominis Jesus Christus, qui descendit de cœlo ad illud potest ascendere, & deinde homines ab illo sunt excluſi cum non descenderint de cœlo. Vide divinum inventum plenum charitatis divinæ; instituit Christus eucharisticum convivium, ut per illud homines intimè unirentur cum eo, ut unum facti cum Christo, quò ipse Christus transiret, homines cum eo transeant, & cum ipse in Cœlum ascenderet, simul cum eo homines ascendant, in cujus rei typum, agnus paschalis datur hebræis egressuris de Ægypto ad manducandum: *Comedetis festinanter, est enim Phase, id est, transitus Domini*, Exod. 12. numero 1. Judæis transituris in terram promissionis datur agnus paschalis de grege mundiali, nobis verò transituris in cœlestem patriam, datur agnus non de grege mundiali, sed agnus cœlestis, ac divinissimus, ut per ejus esum unum facti cum illo intima unione simul cum eo transeamus ad Patrem. Ad hoc respicit Algerus lib.1. de Sacrament. cap.22. *Comedamus agnum tactucis agrestibus, id est, amara compunctione pleni; est enim Phase, id est, transitus Domini, qui ex hoc Mundo transit ad Patrem:::: Cùm enim corpus Christi susceperimus, & corpus ejus facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem, transibimus & nos cum illo; in tanti transitus labore unum facti, unum semper simus in præventionis gaudio.* Profundè expende illud: *Cùm corpus Christi susceperimus, & corpus ejus facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad Patrem*: vide supra qu.13.

Ad Eucharistia semper Christus est nobiscŭ & nos cum illo.

QUÆSTIO XVII.

Quare ad has nuptias Agni tam exactè se præparavit uxor ejus.

SOlemnis consuetudo est, ut in nuptiis uxor electa exuat antiqua vestimenta, & novis induatur; sic anima ad mensam Christi, ut cum eo contrahat sponsalia, debet veterem hominem exuere, & induere novum, qui secundùm Deum creatus est. In hujus rei figura Assuerus fecit magnificum convivium, quod hujus eucharistici erat typus, ut valde frequens est apud auctores, & totius convivii finis ad hoc tendit, ut primæva, ac antiqua conjux Assueri reiiceretur, & nova alia assumeretur, & ita sapientum decretum constitutum est: *Nequaquam ultrà Vasthi ingrediatur ad Regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa accipiat*, Esth.1. num 19. in hoc ergo Assueri convivium versatur, ut antiqua Regina Vasthi excludatur, & nova eligatur; quod meritò ad Christi convivium accommodat Hugo de S. Vict. lib.9. Alleg. capit.1. & Berthorius lib.9. Moral. cap.1. in fine ait: *Igitur ista est veritas, quod quando Rex noster Christus fidelibus suis magnum convivium fecit, & utique fuit, quando se ipsum Sacramento Altaris ad comedendum dedit; tunc uxor sua Synagoga venire renuit:::: Ideò de consilio Apostolorum ista deponenda, & relinquenda condemnatur, & alia substituenda, scilicet Ecclesia de gentibus, loca ipsius judicatur.* Umbra fuit convivium Assueri, in quo repellitur Vasthi, & alia nova sponsa quæritur, veritas in convivio eucharistico maximè fulget; in illo excluditur Synagoga vetus Christi coniux, & quæritur nova alia sponsa, nempe Ecclesia gentium: semper hic cœlestis cibus veterem vitam reiicit, ut novam inveniat.

120 Consuetudo uxoris.

121 De Manna Angelorum pane cautum erat Exod. 16.num.26. *Sex diebus colligite, die autem septimo Sabbatum est, idcirco non invenietur.* A Dominica incipiebat mannæ collectio, in die autem Sabbati nec minimum quid illius grani cadebat, nec inveniebatur; & cur sic deficiebat in Sabbato & à Dominica die tantùm reperiebatur? Ad veterem Synagogam pertinebat Sabbatum, à qua divinus cibus fugiebat, & ad novam Ecclesiam gentium declinaverat, quæ in die Dominica denotabatur, quo maximè erat locupletanda. Div. Hilar. Arelat. homil.5. de Paschate ait: *Quis Panis Angelorum est, nisi Christus? Hunc panem, dicente Propheta, sexta die duplum colliges, dum à primo, id est, dominica die in lege tribuitur, & in solo Sabbato denegatur: jam tunc Christus ab Ecclesia, cui dominicam diem resurrectio consecravit, recipiendus ostenditur, & Synagoga, ad quam cultus Sabbati pertinebat, negandum esse prædicitur.* Dies Sabbati ad veterem Synagogam spectans, cœlesti cibo privatur, qui dominicis diebus abundabat, in quibus nova Christi, nempe gentium Ecclesia denotabatur, ut inde sit nobis documentum, quantum cœlestis panis vetustatem fugiat, & vitæ novitatem perquirat: Ubi Christus adest, vetustas excluditur, & solùm novitas admittitur.

Cœlestis cibus fugit ab antiqua vita & novã requirit.

122 Accesserunt discipuli Joannis ad Jesum dicentes: *Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter, discipuli autem tui non jejunant?* Matth.9. num.14. dolebant ipsi se jejunos esse, cum Christi discipuli essent saturati, & minimè jejunantes, tunc Dominus eorum objectionem diluens respondet, ibi: *Nunquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu sponsus est cum illis? Venient autem dies cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt:::: Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur.* Hæc ultima ratio maximè expendenda est: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*; quid hæc ad quæstionem propositam? Quæstio erat quare Pharisæi erant jejuni, Apostoli verò saturati? Præclarè, ac elegantissimè respondet Dominus, objiciens illis suæ vitæ vetustatem, in qua tenebantur, nam vinum novum sui pretiosissimi sanguinis non erat mittendum in utres veteres, hoc est, homines veteres, in suis vitiis inveteratos, sed in utres novos,

novos, hoc est homines novos, in gratia, ac sanctitate innovatos, prout erant Apostoli, ideo tanto convivio erant saturati, à quo jejunabant Pharisæi in suis iniquitatibus inveterati. Div. Paschas. ibi ait: *Contra eos ista dicuntur, conquirentes, quare nos, & Pharisæi jejunamus, discipuli autem tui non jejunant? Idcirco mox audiunt præcepta dum in vetustate sunt, servare nequaquam posse. Et ipsi utres vinum nuptiarum continere non poterunt. Quod denique vinum, nec dum Pharisæi quibant ferre vetustate corrupti. Utres autem novi, scilicet Apostoli, & eorum imitatores, illo replebantur.* A cœlesti vino jejuni erant, qui in vetustate vivebant, qui veterem hominem in se affectabant nutrire, ideo miseram inediam patiebantur; at verò, qui in novitate vitæ ambulabant, non poterant videri jejuni, sed semper saturati divino convivio, quo ut Apostoli fruebantur.

Homo exuat vetustatem, & induat novitatem, ut Christi vino fruatur.

123 Ait regius Vates Psalm. 42. numero 4. *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam*; quæ verba repetit quotidie sacerdos, dum ad Dei altare accedit; & cur de sua juventute, tantùm facit mentionem, & non potiùs de senectute? nam senis canities, magis apta videtur sacerdotali dignitati, quàm juvenilis capillatura; cur ergo juventutem, & non senectutem proponit? Div. August. ubi nos habemus; *juventutem meam*, legit, *novitatem meam*; quia ut accederet ad altare, vetustatem deposuit, & novitatem induit, & si antea in vetustate erat tristis, nunc in novitate lætificatus, ac jucundus est. Divus Augustinus ibi. *Incedo modò tristis in vetustate, nunc autem stabo gaudens in novitate.* Hæc verba repetit quotidie sacerdos, dum ad altare accedit: *Lætificat juventutem meam, novitatem meam*; quia quotidie se debet sacerdos magis, ac magis innovare in puritate, ac sanctitate vitæ, & maximè gaudere in ea. Div. Ambrosius lib. 4. de Sacerdotio cap. 1. ait: *Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ juventutem. Hoc præstiterunt tibi Sacramenta cœlestia.*

Quotidie innovatus est homo ad Eucharistiam.

124 Monet Paulus 1. Corinth. numero 7. *Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi; etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur non in fermento veteri.* Docet Apostolus qualiter debemus accedere ad Christi mensam, & ait: *Expurgate vetus fermentum*; hoc est: Abiicite à vobis vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, hoc est juxta radicem græcam, & hæbraicam nova massa, novaque farina mista aqua, & retento illo veteri fermento non poterat fieri hæc nova massa, hæc nova mista? Invitat nos Apostolus ad Christi mensam: *Pascha nostrum immolatus est Christus, itaque epulemur*; & qui ad Christi mensam accedit, exuat omnem vetustatem, novaque fiat massa, novus homo novo vitæ splendore. Div. Anselm. ibi: *Nova itaque conspersio debemus esse, id est, omnes innovati, & infusione Spiritus Sancti unum per charitatem effecti, ut Pascha manducare simus idonei, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, ad cujus esum invitamur.* Ubi ad altare sumere Christum accedimus ab omni veteri homine debemus spoliari, ut innovati tantum epulum percipere mereamur.

Qui ad Eucharistiam accedit, veterem hominem exuat.

125 Christus Deus dum Eucharistiæ Sacramentum jam jam instituere molitur, locum tanto mysterio idoneum quærens, duobus discipulis dixit: *Ite in civitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis*, Matth. 26. numero 18. multa disputat subtiliter Magn. August. exponens cur dicatur misisse *ad quendam*, absque eo, quod Evangelista ejus nomen expresserit; quod etiam disputat Divus Chrysostom. homil. 8. in Matth. Et sanè maximè expensione dignum est, nam videmus, quod dum Christus Dominus divertit ad alios, ad prandium, eorum nomina exprimuntur; Sic quando Divus Matth. eum excepit, ait Divus Lucas 5. numero 29. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*; sic & quando in Bethania, Lazarus, & Martha exceperunt, fecerunt ei cœnam ibi, Joan. 12. numero 2. cur ergo ille, apud quem Dominus determinat Pascha celebrare, & eucharisticum Sacramentum instituere, apud quem hoc tantum mysterium peragendum erat, sine nomine proponitur? Sic omni vetustate deposita erat innovandus, ut proprium suum nomen exueret, & alio nominandus, ac dicendus esset. Ut ad hoc mysterium accedas, vetustas non solùm re, sed etiám nomine releganda est. Ad hoc respicit Divus Hilar. Cantic. 3. in Matth. *Ideo hominem, cum quo Pascha celebraturus esset, non nominat; non enim christiani nominis honor credentibus erat præscitus.* Non declaratur hominis nomine, quia alius honos nominis ab hoc Sacramento accepto erat præscitus, ac promulgandus.

Accipiens Eucharistiã debet innovari, non solùm re sed etiam nomine.

QUÆSTIO XVIII.

Quare Beatissima Virgo Maria vera sponsa agni tam sedulò se præparavit ad communicandas delicias eucharistici convivii.

126 RECTÈ, ait Divus Damascenus, ut sæpè dixi; Deus disposuit, omnia bona nos habere per manus Mariæ, sic & altissimè ordinatum, ut Sanctissima Virgo Maria ad hoc sacrum eucharisticum mysterium multam opem suam conferat erga nos; hinc meritò Geometra ad cap. 1. Luc. in Catena Græca, eam appellat *mensam, in qua est panis vitæ*; Div. Method. in Hypop. *Altare animatum panis vitæ*; Div. Bernardinus apud Spinel. capit. 8. *Promptuarium sacrum, cœlestis manna.*

Deipara mensa, & altare panis vitæ.

127 Ait regius Vates Psalm. 77. numero 21. *Janua cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem Cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit in abundantia*; & undè tanta saturitas panis potuit hominibus abund[illegible]? Sapienter Rupert. lib. 1. de gloria, & honore filii hominis, ait: *Quando factum est, quod dixit Angelus Mariæ; Concipies, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum; tunc januas Cœli Dominus aperuit, & pluit nobis manna ad manducandum panem Cœli, panem Angelorum.* Olim dicitur, quòd Deus aperuit januas Cœli, & dedit manna figuram eucharistici Sacramenti; at verò in realitate, tunc Deus Pater januas Cœli aperuit, quando Verbum conceptum est in utero Virginis, tunc nobis dedit panem Cœli, panem Angelorum formatum ex carne virginea, & cibaria misit in abundantia omnium cœlestium, ac supernaturalium donorum.

Per Mariã pascimur abundãter cœlesti pane.

128 De se ait Sanctissima Virgo, ut communiter docent Interpretes, Eccles. 24. numero 29. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient*; & quis, & quando, ò Sanctissima Virgo carnem tuam homo comedit, & sanguinem tuum bibit, ut dicas tam apertè: *Qui edunt me adhuc esurient?* Pulchrè ex Divo Bernard. rem expendit Richard. à S. Laurent. lib. 3. dicens: *O dives in omnes, & super omnes, Maria, de cujus substantia pars assumpta, totius Mundi sufficit solvere delicta*; & agens de Christi morte subdit: *Nec solùm tunc operata est illa caro Mundi salutem, sed & quotidie operatur, quia carne ejus, & sanguine pascimur in filii Sacramento; quia caro Matris, & Filii una caro, & ideo cum filio potest dicere: Caro mea verè est cibus; & fortè propter hoc dicit: Qui edunt me adhuc esurient.* Eucharistica mensa, magnum, & mysticum hoc convivium de Maria venit, caro Mariæ est, & sanguis est Mariæ sanguis & caro, quæ nobis ibi dantur.

Maria nobis præbet pabulum Eucharisticum.

129 De hac re meritò audiendus est Divus Bernard. tom. 3. de Beat. Virg. sect. 3. & ait: *Omnis institutio Sacramentorum ad Eucharistiam ordinatur; quamvis enim per concomitantiam in Christi corpore sit divina substantia, & anima sola, tamen substantia panis transubstantiatur in solam substantiam carnis, non in divinitatem, neque in animam; & ut expressiùs magnificem illam dignissimam, & beatissimam carnem de Virgine gloriosa decisam, dico, quod tanta infinitate nobilitatis eam dignavit Altissimus.* Hoc eucharisticum Sacramentum omnium miraculorum ab ipso factorum est maximum, ut canit Ecclesia, in eoque ut ait Isai. 33. numero 21. *Solummodo est magnificus Deus noster*, ut explicat Cardinal. Hugo: *Secun-*

cundùm totam suam magnificentiam. Considera ergo in tanto omnium operum apice quantum Christus magnificaverit Beatissimam Virg. Mariam, ut id primariò, ac ex vi verborum in hoc Sacramento ponatur, quod Christus verus Deus ejus filius ex illa mutuavit; nempe caro, & sanguis: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. E matre Virgine sumpta sunt; non sic verò anima, & divinitas, quæ aliunde Christo adsunt, in Eucharistia tantùm reperiuntur per concomitantiam, & non ex vi verborum. Quod maximè confirmatur, quia Christus portionem substantiæ carnis, & sanguinis, quam in incarnatione assumpsit à Matre Virgine nunquam per accretionem dimisit, sed semper retinuit, ac conservavit, ut docent Divus Augustin. serm. de Assumpt. cap. 5. Divus Bernard. apud Spinel. cap. 8. Richard. de S. Vict. cap. 23. in Cant. ex quo eleganter ait Lanfranc. lib. de Eucharist. ex Div. Ambr. *Panis de Cœlo corpus de Virgine est*.

Quod Christus ex Virgine accepit maximè offendat in hoc Sacramento.

130 Cantic. 7. numero 2. sic divinus sponsus Virginem sponsam alloquitur: *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis*; quæ verba de Virgine Maria per respectum ad eucharisticum Sacramentum interpretantur Honor. Alan. Guillelm. Divus Ildephons. serm. 1. de Assumpt. Divus Ambros. de institution. Virgin. capit. 14. & ait ipse: *Verè alius ille Mariæ crater tornatilis nunquam indigens poculis, in quo erat sapientia, quæ miscuit in cratere vinum suum, indeficientem cogitationis piæ gratiam, divinitatis suæ plenitudine subministrans. In quo Virginis utero simul acervus tritici, & lilii floris gratia germinabat*. Pro magis exacta intelligentia singula verba text. expendamus: *Umbilicus tuus*. Alcazar, Cornelius ex radice hebraica docent, quòd *umbilicus*, idem valeat, ac *viscera*, & *interna omnia vitalia*, ut iecur, cor. *Crater*, vas est amplum, & latum, quò in solemnioribus epulis uti solitum erat; ait ergo sponsus: O Virgo sponsa mea, tua viscera, tua interiora tanquam vas magnum, & amplum, in quo formatum, ac confectum est cœleste vinum eucharistic. *Tornatilis*. Pagninus & alii vertunt, rotundus, ob celeritatem, & velocitatem, qua cunctis hoc cœleste vinum effundis, ac communicas. *Nunquam indigens poculis*. Honor. *Nunquam indigens poculis, hoc est, nobis sitientibus præbet largiter*. Tam magnificè, ac liberaliter Virgo largitur hoc salutiferum vinum, ut non sit cum mensura determinata, sed ut ita dicam supra mensuram. Guillelm. explicat: *Nunquam indigens. Quotlibet inde hauriant, & quantumlibet hauriant, nequit exhauriri, nam & si inde bibant omnes peccatores terræ, nihilominus abundat, & redundat*. Non indiget poculis, ut exhauriatur, nam quamvis omnes bibant, non deficiet, sed semper redundabit. *Venter tuus sicut acervus tritici*. Acervus significat abundantiam, ac felicitatem. Marianus venter salutiferum triticum in multa abundantia, ac fertilitate nobis dedit, illum nempe, qui se ipsum triticum appellat: *Nisi granum frumenti*, Joan. 12. *Vallatus liliis*; hoc est simul cum pura, & integra virginitate, cujus symbolum est lilium. *Vel vallatus liliis*, ac floribus gratiæ, & sanctitatis quam omnibus præbet. Div. Ambros. cit. *Lilii floris gratia germinabat*.

Deipara abundantissimè nobis communicat Christi panem & vinum.

131 Benedicens Isaac filium suum Jacobum, ait illi, Genes. 27. numero 28. *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini*. Duo hìc maximè ponderanda sunt, quia dum filio postulat frumenti, & vini abundantiam, ad quid ait: *De pinguedine terræ*, quòd superfluè videtur dictum? sat erat dicere: Det tibi Deus abundantiam frumenti & vini; ad quid, de *pinguedine terræ*, facit mentionem? Deinde cùm dicit abundantiam præcipuè non respicit temporale frumentum, & vinum, de quo sancti solam sufficientiam optabant; respicit ergo frumentum spirituale eucharisticum nempe; sed quando ad hanc divinam mensam, mentem erigit, cur de pinguedine terræ quærit? quænam est hæc terra pinguis, de qua tantus panis præstandus erat? Hæc terra est illa, quæ dedit fructum suum, Sanctissima Virgo Maria, de cujus pinguedine meritorum, venit nobis abundantia hujus cœlestis panis, & vini. Divus Paschasius lib. de Corpore, & sanguine Domini capit. 21. *In pinguedine verò terræ*, ait, *quia caro Christi de Virgine orta creditur, ubi proculdubio christianorum præstatur abundantia plenissima panis, & vini, in quibus sine dubio vita fruitur Angelorum*. Ut nobis præpararetur plenissima abundantia divinissimi convivii exigebatur, ut pinguis terra Maria intercederet, ut ex illius fertilitate nos nutriremur.

Eucharistiæ abundantia, ex pinguedine Mariæ.

Communiter Sancti Patres Divus Augustinus ser- 132
mon. 2. de Nativit. Divus Bernardus homil. 2. super missus est. Divus Cyrillus Jerosolymitan. Catech. 12. Divus Ambrosius lib. de Institut. Virgin. capit. 8. Divus Hieronymus, Cyprianus, & alii de Beat. Virgin. intelligunt locum Ezechiel. 43. numero 3. in quo Prophetæ proponitur videnda *porta clausa principi*, quia licèt divinus princeps Dei filius in ejus uterum sit ingressus, tamen nulla virginalis clausuri, ac sigilli apertio facta est, quia Deipara semper Virgo in conceptu, & in partu, ut firmiter tenet fides catholica; & subdit Propheta: *Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem*. Sedebit, ait, in ea per spatium novem mensium, & inde magno mysterio dictum est, *ut comedat panem*; quæ verba exponens Divus Ildephons. serm. 7. de Assumpt. ait: *Princeps in ea sedebit, ut comedat panem coram Domino, quia Dei filius in utero illius novem mensium spatio moratus est, indeque egressus tanquam sponsus de thalamo suo, ut comederet panem coram Domino*. Magnum sanè mysterium, quòd verus princeps filius Dei ut comederet suum panem eucharisticum, sustinuerit clausuram novem mensium in Virgineo utero, tam vehementi desiderio desiderabat hoc Pascha manducare; suumque panem comedere, ut libenter per tot tempus voluerit in Virginis utero tanquam in thalamo contineri, ac coarctari. In rem nostram: *Indeque egressus tanquam de thalamo, ut comederet panem*; scilicet suum eucharisticum, nam Christus Dominus juxta multorum sententiam suum corpus consecratum in cœnaculo cum suis Apostolis manducavit, & nos etiam cum illo tanquam membra cum capite, & ad hoc: *Sedebit in ea*; scilicet Virgine Maria per novem mensium spatium, quia ad hoc ut fieret divinissimus panis Mariæ interventus exigebatur, nam per Mariam, & cum Maria habemus hoc cœleste convivium, & sine Maria non datur, nam ipsa est mensa, & altare, in quo est panis vitæ, ut dixi in exordio quæstionis.

Vehementer Christus desiderabat eucharisticum panem.

Christus in utero Mariæ, ut fiat panis eucharisticus.

Apoc. 19. *n.* 8. Et datum est, ut cooperiat se byssino splendenti, & candido; byssinum enim sunt justificationes sanctorum.

VERSIONES.

Arabicus.	Et datum est ei, ut indueretur serico mundo, ac pellucido: Sericum autem est justitia sanctorum.
D. August.	Ut operiatur byssino splendido, mundo: byssinum autem sunt justa facta sanctorum.
Pagnin.	Ut cooperiat se byssino splendido, & puro.
Syriac.	Illud enim byssinum debita sunt sanctorum.

EXPOSITIO.

ET *datum est illi*. Superiori versu dixit sacra revelatio, quòd uxor agni se præparaverit ad nuptias, & ideo hic explicat ejus ornatus, & undè *illi* sic comparatus, & ideo ait: *Datum est illi*; quia non ex nobis, sed ex Dei gratia bonis operibus ornamur, ut inde pleno ore: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*; ut notant Richardus Victorin. Ansbert. qui ait: *Si datum est illi, proculdubio non à se habuit*, 133

habuit, sed desuper accepit: Pro quo maximè notetur illa particula: *Cooperiat se*; qua ostenditur per sua naturalia non placere uxorem hanc suo sponso agno, sed per additum byssini vestimentum. Et datum est illi ut se cooperiat sua vi, sua manu, sua operatione, & non aliena, quia ut ait Jacobus cap. 1. num. 7. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.*

Bona opera nostra, ex Deo.

134 *Byssino splendenti, & candido.* Byssinum cùm sit subtilissima tela, ex lino multipliciter tuso, carminato, atque purgato, satis optimè significat justificationes sanctorum, quæ fiunt multis perpessionibus, & tribulationibus, quibus sponsa agni maximè exornatur, ut statim dicam. *Splendido, & candido*; id est, maximè purgato, & limpido; & quod valde mundum, & candidum est, fulget, & splendet, quod symbolum est tam sanctitatis, quàm gaudii, & felicitatis.

Tribulationibus præparatur anima ad Deum.

135 *Byssinum enim sunt justificationes sanctorum*; nam sicut Byssinus multa maceratione, & tunsione ad puriorem candorem, & spendorem evadit, sic sancti magno labore suam perfectionem acquirunt. Richar. Vict. *Quia quemadmodum byssinum magno labore perducitur ad candorem, ita sanctorum justificatio longo egone provehitur ad perfectionem.* Albert. Magn. ait: *Bene dicitur hìc, quia sicut byssus per multas tunsiones ad candorem perducitur, sic sancti per multas tribulationes ad gloriam perducuntur.* Et non dicitur: Justitiæ sanctorum; sed *justificationes*, & non dicit, *justificationes* hominum, sed *sanctorum*; quæ justificatio dicit veram, perfectam, & absolutam sanctitatem, qua homo maximè Deo placet, eique fit maximè gratus, de quo Suar. tom. 3. de grat. lib. 7. cap. 6. à n. 11. Syrus habet: *Illud byssinum sunt debita sanctorum*; id est merita, quibus magna merces debetur: his omnibus, tanquam ornamento vestitur sponsa agni.

Justificatio multo labore perducitur ad eximiam.

QUÆSTIO XIX.

Quare ad nuptias agni ejus uxor non exornatur auro, & lapide pretioso, vel purpura, sed tantùm byssino.

136 VAlde celebris est consuetudo apud gentes, ut sponsæ antequam adducantur ad domum sponsi, vel celebrandæ sint nuptiæ, præclarissimis vestibus induantur, gemmis, & monilibus pretiosis ornentur, ut pulchriores appareant; cur ergo etiam ad hunc ritum sponsa agni non componitur magna, ac diviti pompa, ut mulier illa babylonica, quæ circumdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso? Apocal. 17. nu. 4.

Difficultas quæstionis.

137 Respondeo, quòd hæc erat vera sponsa agni, cujus ornatum non componit vestium luxuries, non pretiosi lapidis pulchritudo, sed virtus pudicitiæ, ac castitatis decus. Div. Chrysost. orat. de Paralyt. *Cultus corporis mulierem amabilem non facit, sed virtus, & pulchritudo animi.* Tertull. lib. de habitu fœmin. ad eas alloquens sic ait: *Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis; vestite vos serico puritatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ; taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem.* Singulæ puellæ maximum cultum exquirebant, ut Assuero Regi placerent, at verò *Esther non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcunque voluit Egeus Eunuchus, custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit*, Esth. 2. num. 15. non quærebat cultum corporis, sed animi, ac virtutis, & inde maximè placuit Deo, ac hominibus.

Non vestis sed virtus verum mulieris ornamentum.

138 Dum Anima sancta quæreret suum dilectum, ait Cantic. 5. n. 7. *Percusserunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum*: ecce alicui videbitur magnum sponsæ infortunium; à sua veste est spoliata, à suo cultu privata, nunquid tunc erit omni ornatu denudata, eo eo quod custodes abstulerint pallium ejus? Minimè est denudata, sed tunc maximè meritis, ac virtute vestita apparet; denudatur veste, ut virtute resplendat. D. Ambros. ibi: *Pallium suum sublatum dicit, ut aperta meritis, & nuda fulgeret; quantumvis enim esset spoliata veste, non tamen erat nuda.* Dum pallium illi aufertur, non ad damnum, sed ad emolumentum illi infervit: *Ut nuda fulgeret.* Terrenis denudata, non manet obfuscata, sed denudata fulget, & resplendet, quia *quantumvis spoliata esset veste non erat nuda*, sed maximè virtute vestita, quod est maximum ornamentum.

Sponsa dum suo cultu spoliatur, fulget, & resplendet.

Ait Dominus Moysi: *Faciesque vestem sanctam Aaroni fratri tuo in gloriam, & decorem*, Exod. 18. num. 2. 139
Magna quæstio est expositoribus, cur cùm dominus providerit vestes Aaroni, Moysi verò nunquam scribitur vestes providisse? Quæstionem solvit Chrysost. homil. in eundem locum apud Bibliotech. Photii dicens: *Si Deus stolis illis acquiescebat, quomodo Moysen ante Aaron non induit? Ut discas non ea Deo potiora esse, & perfecto ad sui ornatum sufficere virtutem.* Et si omnia temporalia deficiant, vestes, & victus, nihil deest, quod exigat homo virtutem habens.

QUÆSTIO XX.

Quare uxor agni non se exornat quolibet byssino, sed illo maximè splendenti, ac candido.

BYssinum ut sæpè dixi, ob maserationes, ac tunsiones significat merita, ac justificationes sanctorum, quibus omnibus sponsa tanquam vestimento vestitur; hic autem byssinus dicitur candidus, ac splendidus, candidus nempe puritate vitæ, splendens verò quoad alios bono exemplo. Sanct. Bernard. *Candidi sunt interiùs, quoad se ipsos, splendidi exteriùs quoad alios.* D. Anton. Ulyssipon. in frag. Apocal. ait: *Uxor Christi, id est, Ecclesia sancta, vel quælibet anima fidelis, debet se præparare fide, & cooperire se byssino, id est, castitate splendenti, quoad conscientiam, & candido quoad corpus.* 140

Justus sit candidus quoad se, resplendes quoad alios.

Ait regius Vates Psalm. 92. numero 1. *Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est dominus fortitudinem.* Duo vestimentorum genera ad induendum Domino aptat Propheta, unum fortitudinis, aliud decoris; nonne sufficiebat ei unum vestimentum? ad quid hæc duo? In decore intelligitur candor, ac formositas virtutum, ac bonæ conscientiæ, in fortitudine verò splendor operationum, qua luceat in aliorum oculis vincendo, ac destruendo adversarios: ecce decor, ac fortitudo, quæ pro indumentis debent sumi à justo Dei æmulatore, quibus duobus justi animi gloria componitur. D. Bernard. lib. 3. de Considerat. ait: *Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria & probatissime imitatorem Dei. Fortitudo tua, fiducia bonæ conscientiæ, decor tuus, splendor bonæ opinionis. Ita quæso, induere fortitudinem, induere vestimentis gloriæ tuæ, vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier, induere consuevit.* Non sic de conscientiæ puritate gaudeas, ut penitus contemnas ea, quæ sunt exteriora, sed si te probasti imitatorem Dei, induere duplicibus interiùs, & exteriùs, in puritate animi, & in exercitio sanctæ operationis, ut videant bona opera vestra, & glorificent patrem vestrum, qui in Cœlis est. 141

Virtus resplendeat interius & exterius.

Redivivus Jesus stetit in medio discipulorum suorum Joan. 20. numero 22. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*; Luc. tamen, 24. n. 49. *Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto*; si Dominus per insufflationem jam dederat illis Spiritum Sanctum, ad quid jubentur in civitate manere donec induantur Spiritus Sancti virtute? si illum jam in se habebant, ad quid expectabant adhuc illo indui? habebant quidem per insufflationem Spiritum Sanctum internè, ejus tamen virtus exteriùs non circumspiciebatur, & ideo illa virtute exteriùs erant induendi, tanquam veste, quæ exteriùs apparet; perfecta, & consummata virtus divini Spiritus, interiùs illustrat, & externè tanquam vestis ornat, & circumdat, multis, & miris operationibus. Divus Cyrill. Jerosolym. Catech. 17. ait: *Interea accipite gratiam, deinceps autem suscipietis abundantiorem. Vos sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto; nunc accipite ex parte, tunc accipietis perfectè, nam ille qui suscipit, perfectè habet id ex parte, qui autem veste induitur, undique illa circumitur.* Qui virtutem habet tantùm in animo, 142

Vera virtus interior etiam in exterioribus agnoscitur.

mo, illam veluti habet ex parte, qui autem illa induitur, undique ea circumdatur, & totam illam tenet.

143 Salomon ditatus est à Deo ampliſſimè, ita ut ei dictum ſit à Deo: *Ecce dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*, 3.Reg.3.num.12. de eo tamen ait text. ibid.n.1. *Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis.* Confirmatio, ac ſtabilitas regni Salomonis in multa ejus ſapientia nitebatur; cur ergo non dicitur confirmatum eſt regnum Salomonis in ſapientia ejus, ſed *in manu ejus*? cur confirmatio non tribuitur ſapientiæ, ſed manui ejus? perfecta Salomonis ſapientia non ſolùm illuſtrabat mentem intelligentia, ſed etiam prodibat in manibus per operationes præclariſſimas, nam licèt directione interioris ſapientiæ regnum eſſet confirmatum Salomoni, tamen exteriùs in omnium oculis confirmatum eſt operibus, quibus præfulgebat. Huc advoco id, quod dicit Gilbert. Abbas ſermon.5. in Cantic. *Qui penes te ſapientiam quærit, vehementer inveniat illam in foribus tuis, in modeſtia, in compoſitione hominis exterioris; à fructibus cognoſcitur, ſi apud te ſapientia moratur.* Parum prodeſt ſapientia interior, niſi exteriùs *à fructibus cognoſcatur*.

Sapientia interior, fulgeat in exterioribus.

QUÆSTIO XX.

Pro Sacra Euchariſtia.

Quare ad epulas euchariſticas uxor agni byſſino candido ſe præparat.

144 DAtum eſt ei, *ut ſe cooperiat byſſino candido*. Byſſinus cùm per multas macerationes, tunſiones, ac carminationes deveniat ad candorem, ut habet Plin.lib.18.c.1. notat, quòd homo per multas probationes, ac examina debeat venire ad candorem, ac puritatem bonæ conſcientiæ, qua ut monet Apoſtolus, 1.Cor.11.n.28. *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*; ut multo virtutum apparatu ad divinam menſam accedat. Magno myſterio præſcribens Deus formam edendi agnum ait Exod.12. nu.11. *Renes veſtros accingetis, tenentes baculos in manibus*; quid ad agni eſum facit prenſus manu baculus? Virgam ſignat baculus, & virgam judicandi, ac juriſdicendi, qua ſuum quiſque animum excutit, expendit, ac rigidè examinat, ne indebitè euchariſticum cibum ſumat, ut docet Apoſtolus citato loco: *Non dijudicans corpus Domini*; undè ſapienter D. Thom. opuſc.18. c. 16. ait: *Significat baculus juſtitiam, qua debemus nos de noſtris exceſſibus judicare ante communionem*; ſcitè Doctor Angelicus cum Paulo conſentit, quanta virga cenſoria ſe debeat homo probare, ac examinare, ut ad Euchariſtiam accedat. Fortè & hoc ſenſu regius Vates, antequam introducat Chriſtum D. Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, poſtulat Pſalm. 109. n.2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; id eſt, ſpecula, hoc eſt: Emittet Dominus virgam cenſoriam, ac judiciariam cum multa ſpeculatione, ac intuitione, qua homo ſe ipſum judicet, ac probet, ut ad Chriſtum Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech accedat.

Maximè ſe debet homo probare antequàm accedat ad Chriſti menſam.

145 O quanta puritas, quanta ſanctitas requiritur, ut ad Chriſti menſam conveniamus! Dum meus Jeſus Deo ſiſtitur, pro eo redimendo offerunt Parentes juxta legem, *par turturum, aut duos pullos columbarum*, Luc.2.num.24. cur ſicut offeruntur turtures, non ſic etiam offeruntur columbæ, ſed potiùs abjectis columbis, earum pulli aſſumuntur? quid magis habent pulli, quàm columbæ, ad hoc ut offerantur cum Chriſto. D.Bernard. ſer.59. in Cantic. dicens: *Licèt aliàs per columbam Spiritus Sanctus ſoleat deſignari, quia libidinoſa avis eſt, non decuit offerri in ſacrificium Domini, niſi ea ætate, quæ neſcit libidinem.* Columba avis maximè libidini dedita, à qua ratione ætatis alienus eſt pullus, & ſanctiſſimus puer Jeſus non patitur ſibi proximum habere quidquid libidinem redolet, quidquid carnis concupiſcentiam ſapit, ideo non columba ſed pullus ad ſacrificium deſtinatur.

Puriſſimus Jeſus fugit quidquid libidinem redolet.

Scribit D.Jo.12.n.1. Jeſus *ergo ante ſex dies Paſchæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitavit Jeſus. Fecerunt ergo ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat; Lazarus verò unus erat ex diſcumbentibus cum eo.* Cùm dicitur quòd *Lazarus unus erat ex diſcumbentibus cum eo*, apertè ſignificatur quod multi ſimul diſcumbebant cum Jeſu, & tamen Evangeliſta ſolius Lazari facit mentionem: *Lazarus unus erat*, &c. cur alios tacet, & unius tantùm Lazari meminit? Facit hoc ſanè ad magnam commendationem, ac ſi ipſe ſoluseſſet dignus, ut nominatim in Chriſti convivio adeſſet, ipſe enim ſolus jam fuerat mortuus, & modò erat redivivus, & qui moritur Mundo, & nova vita reſuſcitatur, hic dignus invenitur ut Chriſti convivio fruatur. D.Ambroſ.lib.2. de Pœnit. c.7. ait: *Reviſit ſollicitè Jeſus reſuſcitatum, & celebratæ reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit..... in qua ille, qui fuerat mortuus unus inter diſcumbentes invenitur*. Expende illud: *Reſurrectionis gratia lætus ad cœnam venit*. Ex mortuorum conditione abſolutus, ex divina pietate gratia reſurrectionis accepta, lætus, ac jucundus ad Chriſti convivium accedit. 146

Ad Euchariſtiam magna puritas exigitur.

Priuſquam Chriſtus D. inſtituiſſet ſacram Euchariſtiam lavit pedes diſcipulorum ſuorum, ut communiter, & ſuo loco dixi to.5. in Evang. lib.7.c.5. expoſit.2. tamen cum de lotione pedum Apoſtolorum agit Joan.c.13.n.2. ait: *Cùm Diabolus jam miſiſſet in cor, ut traderet eum Judas*; ecce jam tunc Diabolus erat in corde Judæ, & ſacra Euchariſtia nondum erat inſtituta, & tamen poſtquam Chriſtus D. hoc divinum myſterium conſecrando effecit, ſubdit D.Joan.cit.c. 13. n.27. *Poſt buccellam introivit in eum Satanas*; ſi ante inſtitutam Euchariſtiam, dicitur quòd Diabolus erat in corde Judæ, quomodo aſſeritur, quod poſt buccellam introiverit in eum Satanas? quod magnam quæſtionem facit D.Auguſt. tract.62. in Joan. Dicam tamen quod Diabolus in corde Judæ erat, antequam ad ſacram menſam accederet, & cum Diabolus agnoviſſet, quòd Judas polluta, ac ſacrilega anima divinum pabulum præſumebat aſſumere, præ horrore criminis ſtatim reſiluit à corde ejus Diabolus, ut tam execrabilis turpitudo flagitio Judæ, & non ipſi adſcriberetur, & inde intravit in eum poſt buccellam, ut eum argueret, & accuſaret. D. Anaſt. Synaita de ſancta Synaxi ait: *Poſt buccellam intravit in eum Satanas, non quòd Diabolus panem illum deſpiceret, ſed ut eum, qui ſumpſerat redargueret, in judicium ſumeret*. Intravitque in Judam Diabolus poſt buccellam, ut accuſator, ac carnifex; ut accuſator, ut eum argueret, ut carnifex, ut in judicio damnatum torqueret; de quo multa dixi tom 3. verba *Præparatio Euchariſtiæ*, & tom.5. lib.8. cap.9. qu.5. n.47. & ſeqq. & infra ſeq. quæſt. & infra. 147

Exhorreſcit diabolus nefas illius, qui polluta anima ſuſcipit euchariſtiam.

QUÆSTIO XXI.

Quare ad epulas euchariſticas ſponſa agni ſe præparavit, non ſolùm byſſino candido, ſed etiam ſplendenti velut radiis gloriæ.

AIt text. *Quod uxori agni datum eſt, ut cooperiat ſe byſſino candido, ac ſplendenti*; ſeu relucenti, ac fulgenti ipſius veluti gloriæ radiis: tanta puritas requiritur ad hoc euchariſticum Sacramentum, ut quodammodo quadam ſimilitudine puritatis gloriæ reſplendeat qui ad illud accedit. Quando in ſpecie trium peregrinorum apparuit Deus Abrahamo, dicitur Gen.18.n.1. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre*; & cur alta providentia ſic diſponitur, ut Abrahamus in tam humili loco eum excipiat? *Mambre* frequentiſſimus erat ilicibus, cur Deus famem diſſimulans, & cur primum magnum convivium Euchariſtiæ typum in Mambre celebrandum ordinat? cur non magis Paradiſum? quid habet Mambre ad hoc? *Mambre* idem eſt, ac viſio, quia ille, qui ita purus, ac mundus eſt, ut Deum poſſit videre, ille ſolus aptus invenitur, ut hoc euchariſticum convivium valeat in domo ſua, in corde ſuo excipere. D.Aug. ſer.20. de Tempore ait: *Ubi tamen factum ſit hoc? ad illum Mambre, quod in latina lingua interpretatur viſio, ſive ſpeculatio Abrahæ; erat enim mundus corde, ut poſſet Deum videre.* 148

Solus ille qui Deum valet videre dignus eſt, ut ad Euchariſtiam accedat.

dere. In tali ergo loco, & in tali corde potest Dominus habere convivium. Ubi est puritas, & mundities ad Deum videndum, ibi est puritas, & mundities ad hoc convivium: *Erat mundus corde, ut posset Deum videre, & in tali corde potest Dominus habere convivium.*

249 In eadem convalle Mambre persisto. Intra meridianum tempus sedet Abrahamus ad ostium tabernaculi; cumque elevasset oculos apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, occurrit in occursum eorum, & adoravit pronus in terram, & dixit: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, & requiescite sub arbore; ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum; postea transibitis: idcircò declinastis ad servum vestrum*, Genes. 18. num. 4. Angeli in ipso fervore diei Abrahæ apparent, & ipse post pedum ablutionem buccellam panis offert ad confortandum cor, in figuram eucharistici panis; Strabus ibi: *Buccellam panis in unum corpus Christi redacti.* Ubi duo profundè considera; ait Abrahamus: *Idcircò enim declinastis ad servum vestrum*; ut figuratè pane eucharistico reficiamini. Sic Sancti Angeli desiderant, ac delectantur buccella eucharistica, ut idcircò apparuisse Abrahamo, ac in domum ejus venisse dicantur, ut divino hoc pane delitiarentur, illiusque mira suavitate, ac dulcedine recrearentur. Secundò, & in rem nostram: Optimè agnoverat Abrahamus, illos tres viros esse tres spiritus puros, tresque Angelos sanctos, Deum videntes, tresque divinas personas Trinitatis repræsentantes, ut canit Ecclesia, tres vidit, & unum adoravit in figura Sanctissim. Trinitatis, & tamen eis proponit, ne priùs hujus panis figuram comedant, quàm eorum pedes abluant: *Afferam pauxillum aquæ, & laventur pedes vestri, ponamque buccellam panis*; nam etsi essent Angeli sancti, & puri, ut de hoc cœlesti pabulo gustarent, adhuc exigebatur ut pedes, hoc est, per eos significati affectus lavarent. Tanta puritas, & sanctitas ad hoc cœleste convivium requiritur, ut etiam ipsi puri, ac sancti Angeli Deum videntes ad gustandam figuram hujus cœlestis panis magis, ac magis se debeant mundare, ac purificare.

Eucharistiæ delitiæ Angelorum.

Angeli etiam puri & sancti, ut ad Eucharistiam accedant, se debent mundare.

250 Ecce quanta puritas requiritur ad suscipiendum hoc divinum Sacramentum, ac ipsum Deum. De creaturis recenter creatis loquens Moyses ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; jam cœlum erat, terra, & aer, & ignis, cur solis aquis insidere Divinus Spiritus videbatur? quid habent aquæ, ob quod magis placuerunt? Ob Dei sedem omni alio elemento purior est aqua. Tertull. lib. de Baptismo, ait: *Habes, homo in primis ætatem venerari aquarum, quod ipsa Divini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis; nam & tenebræ adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude; solus liquor semper materia, de suo pura dignum vectaculum Deo subiiciebat.* Expende illud: *Solus liquor semper materia perfecta de suo pura.* Major puritas, & mundities videbatur in aquis, inde illæ gratiores sedes Deo præbebant, & ideò aliis elementis dimissis, solæ illæ electæ sunt ut Deum portarent. In rem nostram: *Spiritus Domini ferebatur superaquas; in quibus ratio Baptismi recognoscitur*, ait Tertul. cit. loco; cùm dicitur, Spiritus ferebatur super aquas, non quod ipsemet Spiritus realiter ferebatur, sed quod quidam ventus calidus veniens productus ab Spiritu Sancto procedente à Patre, & filio ferebatur super aquas, in quibus ratio Baptismi recognoscitur, quo janua cœlorum aperitur ad videndum Deum, & ubi tanta est munditia, & puritas, qua datur aditus ad regnum cœlorum, ad videndum Deum, potest dari capacitas ad umbram Dei recipiendam, seu illius influentiam habendam; quanto ergo major puritas erit necessaria non ad umbram, sed ad ipsummet Deum realiter, & substantialiter recipiendum.

Summa puritas requiritur ad mensam Eucharisticam.

Ubi puritas ad in gressum Cœli, & capacitas ad D. videndum.

Apoc. 19. 9. Et dixit mihi; Scribe: Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt.

VERSIONES.

Arabic.	Beati vocati ad convivium Agni &c. hic sermo Dei verus est.
Syriacus.	Hæc verba mea, vera Dei verba sunt.
Primas.	Hæc verba Dei, vera & justa sunt.
Vatabl.	Et dicit mihi.
Aretas.	Hi sermones veri sunt.

EXPOSITIO.

ET dixit mihi. Quisnam est hic, qui dicit, non explicatur in text. Alcazar existimat quòd sit ille Angelus magnæ potestatis, de quo agitur c. 18. n. 1. qui est, ut ait ipse, Sanct. Petrum, sicut infra, c. 22. Sanctus Paulus, & Joannes ad pedes Angeli, seu Petri deosculaturus accedit ob bonum nuntium sibi revelatum de Roma ad fidem conversa; sed ut bene observant Cornel. Tirinus, Ferrar. Angelus iste, nec est Petrus, nec Paulus, sed revera Angelus qui revelabat Joanni Apocalypsim, de quo dicitur in exordio: *Et significavit mittens per Angelum servo suo Joanni.* 251

Ex quo minùs placet sententia Ruperti existimantis Angelum hæc dicentem esse unum ex septem habentibus phialas aureas, & qui dixerat cap. 17. *Veni ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*; si ergo solùm promiserat se ostensurum unius mulieris damnationem, quomodo nunc omnium bonorum felicitatem annuntiat, dicens: *Beati qui ad cœnam agni vocati sunt?* Hæc est sancti Angeli conditio, quòd plus exhibet, quàm promittit. Rupert. Abbas, & ait: *Plus ostendit, quàm promiserat; quippe qui non solummodo damnationem meretricis, verùm etiam glorificationem mulieris beatæ uxoris [illegible] & auditum carminis cœlestis, quod est Alleluia ostendere, & audire facit.* Hoc Moraliter est dictum, & non ad literam. 252

Angelus plus exhibet, quam promittit.

Scribe. Alensis: *Quod si de memoria labatur, scriptum invenitur*; & ut non pauci, tantum id percipiant, sed ut ad omnium notitiam deveniat, & ut omnes hæc lecturi non deficiant animo, sed spe corroborentur ad fortitudinem, & constantiam in omni persecutione contra Adversarios. *Beati qui ad cœnam agni vocati sunt.* Et quomodo beati, qui vocati sunt, cum dixerit Christus: *Multi sunt vocati pauci verò electi?* Matth. 22. numero 14. Cùm dicitur: *Beati vocati*; intelliguntur vocati non inefficaciter, sed efficaciter secundùm propositum, de quibus loquitur Paul. Rom. 8. numero 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit*, &c. 253

Cœlestis gloria semper sit fixa in nostra memoria.

Qui ad cœnam vocati sunt. Sermo est hìc non de nuptiis militantis, sed triumphantis Ecclesiæ, & de his nuptiis dictum est supra: *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni.* Et dicitur cœna, tum quia antiquitus, nuptiæ noctu celebrabantur, tum quia ad vesperam, & ad finem vitæ, peracto illius labore obveniet; & hìc dicitur cœna, cum Matth. 22. n. 4. dicatur prandium: *Ecce prandium meum paravi*; ad denotandam cœlestis convivii, & gaudii continuationem, & perpetuitatem, prandio enim continuo succedit cœna: vide quæ infra dicam, q. 25. 254

Cur dicitur Cœna.

Hæc verba Dei vera sunt. Cùm tam admirabile sit, quòd vilis creatura humana ad tantam dignitatem sublimetur, ut valeat cum Deo desponsari, Angelus hæc dicens, quasi timeat non sibi esse fidem adhibendam, ideo subdit hæc verba Dei vera esse. D. Bernardin. *Ut certiùs, & firmiùs credantur à nobis, & in majori authoritate habeantur, non sua, sed Dei verba, quæ dixit, protestatus est esse vera*; ac si dicat Angelus: Nemini licet de his dubitare, sunt enim Dei verba firma, & indubitata, ut ipsemet Christus dixit: *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

QUÆ.

QUÆSTIO XXII.

Quare ad cœnam agni invitantur tantùm homines, ad cœnam verò hominis compelluntur intrare.

156 Difficultas quæstionis. DUæ inveniuntur cœnæ in sacro text. una in præsenti ipsius agni, ad quam tantùm homines invitantur: *Vocati sunt ad Cœnam agni*; at cùm homo quidam magnus, & generosus facit cœnam magnam, necesse fuit cogere invitatos, ait enim servo suo: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea*, Luc. 14. n. 23. cur ergo ad unam invitantur, ad aliam verò compelluntur?

157 Ratio literalis est, quia ut dicitur Sap. 8. n. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter;* & ut legitur ex radice græca, *Fortiter*, id est, *robustè*; valide suam voluntatem certissimè implet, & finem intentum obtinet. *Suaviter* seu, ut legit Vatabl. *commodè* seu alii, *benignè, dulciter*, absque eo, quòd nostram libertatem lædat, & naturæ conditionem invertat, suaviter, benigno, ac levi modo una tantùm voce ut hìc: *Vocati sunt ad cœnam fortiter*; robusto, & valido medio, & etiam sæpè contrario ad finem intento, ut venditione Joseph ad Principatum, & medio etiam forti, & validè, ut dejectione Saulis in terram, & etiam infirmitate, labore, ac oppressione, ut Beda, & alii explicant illud Lucæ: *Compelle eos intrare*; ut dixi tom. 4. in Evang. c. 24. q. 17. n. 116.

Deus fortiter, & suaviter vocat.

158 Secundò ad exactam hujus rei intelligentiam expende text. D. Luc. cit. cap. 14. n. 11. ait Dominus servo: *Exi citò in plateas, & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles introduc huc. Et ait servus: Domine factum est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea*; ubi maximè ponderandum, quòd dum servus exiit in vicos, ac plateas civitatis est ad vocandum, cùm verò egreditur ad sepes, & vias, illi mandatum est compellere, quia hi ut agrestes degebant per vias, plateas, ac vicos, illi verò ut compti, ac politici per urbem: *In plateas civitatis*; & vir præclarè urbanus christianæ militiæ valdè aptus est, & promptè Dei voci obedit, secus verò rustica progenies, quæ frequenter reluctare solet his, quæ suæ salutis sunt. D. Greg. Magn. apud D. Thom. & ait: *Cum de vicis, & plateis, ad cœnam quosdam Dominus vocat, illum populum designat, qui tenere legis urbanam conversationem noverat, nempe homines in plateis versantes, urbanitate comptos, comitate urbanos, vocat Dominus ad virtutis convivium lautum, & verè regium, non verò invitat homines rusticos, agrestes, & barbaros, quasi hi desciverint ab hominis generositate, & degeneraverint mores.*

Homo urbanus Christianæ disciplinæ aptus.

159 Pro quo eleganter audiendus est Clem. Alex. lib. 8. Strom. sic scribens: *Sicut enim homo, unus quidem verè homo est, qui communem habeat prudentiam, alter verò agrestis, & belluinus*; *sic etiam Comicus dixit: Caries est homo donec fuerit homo*; ac si dicat: Quivis eatenus homo est, donec communi prudentia, & urbanitate ducitur, nam homo agrestis, & inurbanus videtur quòd non sit homo integer, sed semihomo, homuncio. Inde Christus D. plenè homines de urbanitate platearum vocat, ac si non sit aptus, & docilis ad rem virtutis homo belluinus, agrestibus moribus degens.

Qui urbanus est, solus verè homo.

160 Plus attrahit Christi humilitas, quàm majestas. Tertiò homo ille apud D. Lucam, qui fecit cœnam magnam erat paterfamilias, ut text. exprimit, valdè potens, & multos habens servos, multamque rem ad cœnam magnam parandam; at verò in præsenti, est agnus mitis, & humilis, & plus valuit devincere, ac attrahere Christi humilitas, quàm omnis majestas, ac celsitudo. Adhuc subsisto in eadem parabola D. Luc. *Compelle eos intrare*; at verò cùm ad Crucem suam vocat, ait: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me*, Matth. 16. nu. 24. ad cœnam magnam, & amplam præparatam compelli mandat homines, & de fortiter convocatis impleri mensam procurat; ad Crucem autem solùm voluntarios dulciter, ac suaviter vocat, dicens: *Si quis vult*; cur non magis compellit homines venire ad Crucem, quàm ad cœnam magnam? Tot bona in humilitate Crucis relucent, ut sedulè ad illam maximè currant homines absque ullo forti medio adhibito; plus valuit ad se homines allicere humilitas Crucis, quàm magnificentia, ac amplitudo cœnæ. Joan. Xiphil. Patriarch. Const. orat. de Ador. Crucis habita apud Gret. tom. 2. ait: *Videte quemadmodum neminem cogat: Si quis vult venire; quasi diceret: Non vim affero, non cogo, ad bona enim voco, non ad mala, & odiosa, non ad castigationem, & pœnam, ut etiam oporteat cogere; siquidem ipsa rei natura potens est attrahere, ideo dixit: Si quis vult; magna enim sunt, inquit, quæ vobis bona affero, ac talia, ut volentes, libentesque ad se convertant.* Omnia bona in humilitate Crucis apparent, in qua Dominus crucifixus expansis manibus dulciter, ac efficaciter magis ad se omnia traxit, quàm ostensa gloriæ similitudine in cœna magna adumbrata.

Plus attrahit Crucis humilitas, quàm majestas.

Cum Dominus esset ingressurus in sanctam civitatem, ut ejus triumphale Imperium Jerosolymitanis repræsentaretur, suis discipulis ait: *Ite in castellum, quod contra vos est; Invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit; solvite illum, & adducite*, Luc. 19. nu. 30. non solùm quærit Dominus asinum ad suum Imperium repræsentandum, sed talem quærit asinum, cui nullus hominum unquam sederit; & cur ille, qui cum aliis communem vitam agebat, in equitatu verò asini, tantam novitatem, ac singularitatem eligit, ut talem asellum quærat, qui nulli alteri unquam servierit? Ut apertè denotaretur, nulli unquam hominum contigisse, ut in humili asino sedens, populos sibi devinxisset; hoc uni Christo erat reservatum, qui primus in humili asino detriumphat gentes. Olim dicebatur sedere super Cherubim, Psalm. 79. n. 2. & tamen in tanta majestate paucos ad se adduxit, nunc verò in humilitate asini totus Mundus post eum abiit. D. Chrysost. hom. 67. in Matth. ait: *Ecce Rex tuus venit mansuetus ascendens super jugalem, & pullum novum, non currus, ut Reges cæteri agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec satellitibus constipatus, sed magnam undique monstrans humilitatem*; & tunc totum Orbem ad se traxit.

Non sedens super Cherubim, sed super asinum totum Orbem traxit ad se.

Cùm Deus descenderet ad Montem Synai legem daturus, dicitur Exod. 19. n. 16. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura; & nubes densissima operire montem, clamorque buccinæ vehementiùs perstrepebat.* Hæc in Synai monte gesta sunt; considera nunc eundem Deum existentem in alio monte, scilicet Thabor; cùm ibi esset Dominus resplendet facies ejus ut Sol, adsunt Moyses, & Elias, & tunc etiam ibi astant tres Apostoli, Petrus, Jacobus, & Joannes, & cùm de excessu, quem completurus erat in Jerusalem loqueretur, ut ait D. Luc. 9. n. 21. *tunc ecce nubes lucida obumbravit eos, & vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite*, Matth. 17. n. 5. compone modò Deum in Syna, ac Deum in Thabor; in Syna voces audiebantur de nube exeuntes, sed nec illius filius Dei ostendebatur, nec quid paternum sentiebatur, & universus populus à Deo longè esse cupiebat, nec illum audire volebat, sed paucos unum tantùm populum Israel ad se traxit; in Thabor auditur vox de nube, qua manifestè filius Dei ostenditur, patri simillimus, ac gratissimus, cui Apostoli, ac discipuli libenter adhærent, eumque totus Mundus, ut communem magistrum audire exoptat; undè tanta rei differentia? In Syna erat Deus totus in majestate; quomodo ipse solus erat adorandus? *Dominum Deum tuum adorabis*; at in Thabor erat totus agens de præcepto sibi à Patre impositio, scilicet humiliationis mortis, & Crucis, & majora signa divinitatis humilitas Crucis, quàm majestas divinæ potestatis exhibuit, magisque omnes gentes ad se adduxit mortis objectione, quàm fulgurantibus divinitatis luminibus. Ad hoc respicit D. Damasc. orat. de Transfig. & ait: *Equidem olim in monte Syna fumus, & procella, & caligo, & ignis terrorem inferens, summam illam dimissionem occultabant, nunc autem omnia splendore, ac luce perfunduntur. Ecce unius universitatis conditor, & Dominus ex paterno sinu accessit ad servos indulgenter se dimittens, ac formam servi suscipiens, ut caperetur Deus, qui ab hominibus capi non poterat per*

Magis declaratur divinitas objectione Crucis, quàm fulgurantibus luminibus.

seipsum, & in seipso divinæ naturæ claritatem ostendens. In monte Syna, fulgura, ignis terrorem incutiens, advenientem divinitatem occultabant, at in Thabor *formam servi suscipiens in seipso divinæ naturæ claritatem ostendit*; quo maximè ejus divinitas adoratur, ac manifestatur.

QUÆSTIO XXIII.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare qui conveniunt ad cœnam divini agni eucharisticam, beati vocantur.

163 QUi dignè, ac debitè communicat ad corpus, ac sanguinem Christi D. jam dici potest beatus, quia in se jam habet auctorem, ac causam totius beatitudinis, qui est Deus, pro quo elegantissimè audiendus est D. Chrysost. hom. 24. in prima ad Cor. dicens: *Dum in hac vita sumus, ut terra nobis cœlum sit, facit hoc mysterium. Accede igitur ad cœli portas, & diligenter attende, & tunc quod dicimus intueberis, etenim quod summo honore dignum est tibi in terra ostendam; nam quemadmodum in Regiis non parietes, non tectum aureum, sed regium corpus in throno sedens, omnium præstantissimum est, ita quoque in cœlis regium corpus, quod nunc videndum in terra tibi proponitur. Neque enim Angelos, neque Archangelos, non cœlos, non cœlos cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum ostendo tibi.* Quid enim in ipso cœlo facit cœlestem curiam, ac beatitudinem, nisi ipsemet Deus in ea existens? atqui in hoc Sacramento verè & realiter est Deus, ut adest in cœlo: ergo dum hoc divinum Sacramentum accipis, jam verè intra te est ipsa beatitudo.

Dū homo cōmunicat in se jam habet quodammodo æternam felicitatem

164 In illo admirabili eucharistico sermone ait Christus Joan. 6. n. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Dicitur habere vitam æternam, quia accepto corpore Christi, jam habet jus ad illam, tamen preme verba; cum loquitur de resurrectione, de futuro est sermo: *Et ego resuscitabo eum*; cùm verò de vita æterna de præsenti: *Habet*; quia habet jam gloriam, id est Eucharistiam ipsam in qua tota Trinitas continetur, & ideo addit, *æternam*, dicente Theophylacto: *Æterna non est puri hominis caro, sed Dei, & hominis.*

Eucharistia de præsenti, jā dicitur conferre vitam æternam.

165 Satis difficilis est illa sententia, quæ olim interpretum torsit ingenia; cum Æterna sapientia de se dicat Prov. 8. n. 31. *Delitiæ meæ esse cum filiis hominum;* & cur non potiùs cum beatis Angelis, natura, & merito præstantioribus? Imo quidem neque cum Angelis ipsis, nec cum alia quavis creatura; neque enim is est Deus noster, qui de mendicitatibus creaturarum delicias captet. At cùm multi prædicta verba de eucharistico Sacramento accipiant, ad quorum mentem alludens D. Laur. Justin. serm. de Eucharistia, ait: *Nequaquam imprudenter arbitrandum est, quod Deus ullam ab Angelis, seu hominibus lætitiæ percipiat causam, cum eosdem spiritualibus, & æternis faciat exuberare deliciis, ipse enim sibi ipsi gaudium est, beatitudo perennis, sempiterna, essentialesque delitiæ. Verùm ob præcipuum quem ad homines gerit dilectionis affectum, illis* (in Eucharistia) *impertiendo proprias, eorum suas asserit esse delicias.* Itaque Deus, qui sibi ipsi est gaudium, & beatitudo perennis, & sempiternæ essentialesque deliciæ in hoc eucharistico Sacramento suas ait delicias esse cum filiis hominum, non quia inde delicias suas aucupetur Deus, sed quia suas sempiternas, & essentiales delicias tunc cum homine communicet, inde ait æterna Sapientia: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*; quia in eucharistico Sacramento omnes suas delicias æternæ beatitudinis hominibus communicat, eosque tantarum felicitatum participes facit: *Non quidem, ut suas à filiis hominum captet delicias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias.* Considera qualem gustet voluptatem qui gustu à terrenis purgato ad cœlestem mensam accedit, ubi Deus suis cum homine deliciis perfruatur, & suas cum filiis hominum delitias impartiatur: o insuperabilis charitas, ut homo in terris, jam degustet cœlestes delicias!

Deus cum homine in Eucharistia suis del ciis perfruitur.

166 His convenit reg. Vates canens: *Pluit illis manna ad manducandum, panem cœli dedit eis: Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia*, Ps. 77. n. 25. Non facile expendunt interpretes quamobrem Eucharistia, *Panis Angelorum* nominetur; nunquid Angeli de hoc pane vescuntur, & vino potantur? hicne panis cœlicus pro Angelis alendis Ecclesiæ datus est? an Angeli tenentur aliqua fame, ut cibo indigeant? Rup. hoc dubium proponit, illique peracutè respondet l. 3. in Exod. & ait: *Panis cœli, panis Angelorum, ille est, qui in Evangelio suo dicit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi; hic enim victus est, & vita angelicæ substantiæ, nam in eum desiderant Angeli prospicere.* Eucharisticus cibus Angelorum panis meritò nominatur. *Hic enim victus est, & vita angelicæ substantiæ*; in hoc alimento nulla substantia panis, & vini est, sed tota substantia divinitatis ibi existit, quia angelici spiritus cœlesti gloria pascuntur; totum eorum alimentum cœlestis gloriæ est contemplatio ipsius divinitatis, quæ tota est in hoc sacramento: hic ergo panis Deo plenus, mentis ore ab Angelis gustatus, eorum est beatitudo, hoc enim victu alitur cœlestium spirituum beatitudo, ex eoque beata angelicæ substantiæ vita constat; hoc cibo Raphael vescitur, dicens: *Ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest utor*, Tobiæ 12. n. 19.

Euchristi. cus panis vita, alimentum beatitudinis Angelorum.

167 Cùm facta esset hora, discubuit Jesus, & duodecim Apostoli cum eo, & ait illis: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar: Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, Luc. 22. num. 16. quid vult Dominus significare, dum ait, quod hunc eucharisticum cibum non sit manducaturus, donec impleatur, ac consumetur in beatitudine? Ac si eucharistici cibi deliciæ, quæ hìc inchoantur in cœlesti beatitudine consumentur. Qui dignè suscipit Eucharistiam, jam incipit in hac vita haurire cœlestes delicias, quas percipit ex dulcedine, ac suavitate divini pabuli: *Gustate, & videte, quàm suavis est Dominus*, Ps. 33. n. 9. at in patria consummantur clara Dei visione; hìc inchoantur dulcedine, illic perficiuntur visione. D. Cyrill. *Verbum quod caro factum est, non desinens esse verbum, sed efficiens carnem vivificam*; & post pauca subdit maximè notanda: *Convertens oblata* (id est panem, & vinum) *in veritatem propriæ carnis, ut corpus vitæ, quasi quoddam semen vivificativum, inveniatur in nobis*; verbum nempe divinum, quod est virtus vivificativa Dei, convertens panem, & vinum in veritatem propriæ carnis; eucharistico haustu nos vivificat in gloriam, *ut corpus vitæ, quasi quoddam semen vivificativum, inveniatur in nobis*; ut qui semen mortis in Paradiso hausimus, quasi quodam vivificativo semine, Dei vita ad immortalitatem reficiamur hac dulcedine, in alia verò, insuper visione.

Eucharistia inchoatur beatitudo in hac vita.

QUÆSTIO XXIV.

Quare in cœna agni non explicantur fercula, nec dapes maximè verò in cœna Dei declarantur, ac exprimuntur.

168 AIt cœlestis vox in præsenti: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*; infra verò n. 18. Angelus stans in Sole clamat: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei ut manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum*, &c. Ecce in cœna agni non explicantur dapes, & fercula, maximè verò in cœna magna Dei, carnes Regum, & fortium, &c. cur ergo hic explicantur, illic tacentur?

Difficultas quæstionis.

169 Respondeo ad quæstionem quòd per cœnam agni intelligitur cœna, ac mensa eucharistica, in qua repræsentatur mors innocentissimi agni Jesu Christi, ut ex multis Patribus supra dixi, per cœnam verò magnam intelligitur cœlestis beatitudo, in qua datur suprema quies, ac requies cum Deo, ut infra ex multis auctoribus referam vers. 17. licèt ergo dona divina, quæ in cœlesti patria conferuntur, aliquo modo figurativè valeant describi, tamen tot, & tanta sunt dona, quæ in Eucharistia communicantur, ut non possint etiam figurativè ad numerum, ac computum redigi, & ideo in cœna agni nulla eorum specialis fit mentio, ut in cœna Dei reperimus scriptum.

Dona gloriæ, non verò Eucharistiæ possunt explicari.

Et

Et optimè confirmatur, quod in cœna magna hominis dicuntur omnia parata genericè, Luc. 14. n. 17. at in prandio, quod Rex præparavit in nuptiis filii sui, speciatim dicuntur: *Taurimei, & altilia occisa sunt*, Matth. 22. n. 4. quam quæstionem excitavi, & resolvi, & confirmavi tom. 4. in Evang. cap. 24. q. 8. n. 50. & seq. & tom. 3. c. 15. n. 174. 175.

170 In hac mensa sūt omnia quæ desiderari possunt.

Abbas Absalon serm. 32. ait, quod hæc cœna agni, *est pax æterna, thesaurus indeficiens, summa gaudiorum, consummatio omnis consummationis. Deinde hujus cœnæ convivæ extra illam nihil possunt appetere, quia Deum, qui est omnia omnibus perfectè ibi noscuntur possidere*; cùm ergo in hac cœna sit Deus, qui est omnia omnibus, extra illum nihil possumus appetere, quo enim in hac cœna pascimur, in illo omnia habemus, quo solum mens nostra perfectè satiatur.

171 Fidelis anima non Angelis splendentibus, sed solo pane Jesu satiatur.

Magdalena ipso resurrectionis die valde mane, cum defuncti conspectum esuriret, pergit ad monumentum, & non inveniens sanctum cadaver, tota effunditur in lachrymas; semel & bis aspicit, & non inveniens, quem esuriebat, tota in fletus prorumpit. Adsunt illi duo Angeli in albis, ut eam à lachrymis temperare faciant; sic scribit Joan. 20. n. 12. *Vidit duos Angelos in albis sedentes, unum ad caput, unum ad pedes, ubi positum erat corpus Jesu. Dicunt illi: Mulier quid plo-ras?* Unum tantùm Jesum defunctum perquirebat Mulier, hunc esuriebat, & tamen duos invenit sibi adstantes Angelos splendentibus vestibus, elegantissimos præclara specie, qui eam multo affectu nituntur consolari; quid amplius Maria exoptas? quærebas corpus magni consilii Angeli, invenis duos Angelos; quærebas mortuum, invenis vivos, & tamen non quiescis? cur esuries tua, desiderium tuum iis non adimpletur? Absit; non ab Angelis, non à creatura aliqua, sed solùm à cœlesti pane Jesu, humanus animus adimpletur, ac saturatur. Elegantissimè Orig. hom. ult. in divers. ait: *Noli quæso dulcis magister Magdalenæ ultra protrahere desiderium, quia ecce jam triduo sustinet te, nec habet quid manducet, nec habet undè satiet animam suam esurientem, nisi te manifestando porrigas illi panem corporis tui, & de fragmentis tui repleas cophinum cordis sui.* Licèt adsint Angeli decora facie, fulgurante veste, speciem gloriæ præ se ferentes, tamen illis non quiescit, nec saturatur cor Magdalenæ, nisi tantùm illi adveniat Jesus qui est cœlestis panis, quo solum humanum cor adimpletur, ac replet vacuitatem suam: *Nisi te manifestando porrigas illi panem corporis tui, & de fragmentis tuis repleas cophinum cordis sui.*

172 Una mica Eucharistiæ plus satiat, quā omne regnum exoptatū.

Multo clamore mulier Chananæa petebat à Jesu sanitatem filiæ suæ dicens: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Domini sui*, Matth. 15. nu. 27. cui illico ejus fidem extollens Dominus respondit: *O mulier magna est fides tua!* & cur ita sublimatur fides mulieris petentis micas? potiùs laudibus celebranda erat sancti latronis fides, qui è manu Crucifixi regnum petebat, solùm enim magna, & acutissima fides à Crucifixo poterat regnum expectare, micas verò è mensa tenuissimi pauperis sperare licebat; cur ergo non fides latronis, sed mulieris maximè commendatur, ac laudatur? Quia perspicacia fidei optimè exploratum erat, quod plus valebat una mica è mensa Christi ad conferendum omne bonum, implendamque vacuitatem humani cordis, quàm omnis amplitudo altissimi regni à latrone maximè exoptati; una mica è mensa Christi abundantissimè superadimplet, & satiat omnem esuriem humani cordis, omnibus beneficiis. Ad quod spectat D. Ambr. ad cit. loc. Luc. *O mulier, magna est fides tua! O uberes micæ, quæ repellitis jejunium sempiternum, quæ colligentem pauperem eternis expletis alimentis!* Cum mica hujus divinissimi panis venit largissima abundantia, quæ omnem nostram indigentiam satiat, & supradimplet.

QUÆSTIO XXV.

Quare mensa eucharistica, non dicitur prandium, sed cœna.

173 HAnc quæstionem excitavi, & tractavi tom. 4. in Evang. c. 24. q. 2. nunc breviter doctrinæ gratia iterum hic repetenda, & ideo dicitur cœna nuptiarum Agni, quia apud veteres solemnis consuetudo erat, ut nuptiæ peracto jam die, & diei negotiis absolutis celebrabantur vespere & noctu, ut patet ex Matth. 25. ex parabola decem virg. quæ cum lampadibus exierunt ad recipiendum sponsum venientem ad nuptias. Deinde cœleste convivium dicitur prandiū, ut Matth. 22. n. 4. aliquando verò cœna, ut in præsenti, ad designandam continuationem, ac perpetuitatem cœlestis convivii, ac gaudii, ut tenent Rib. Corn. la Haye, & alii, qui docent quòd in utroque loco tam per prandium, quàm per cœnam denotatur cœlestis beatitudo. Beda, & alii dicunt, quòd ideo dicitur cœna, quia ad vesperam, & finem vitæ nobis contigit, peracto jam labore hujus vitæ. Ad hujus rei gustū. Juxta varias sententias, cur cœna dicitur.

Sacra ergo Eucharistia vulgariter, ac communiter 174
cœna dicitur in Scriptura, ut hìc, & Luc. 14. n. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam*, quod ad festum Corporis Christi accommodat Ecclesia. 1. Cor. 11. nu. 20. *Convenientibus in unum jam non est dominicam cœnam manducare*; & ita canit Ecclesia: *Ad Cœnam agni providi*; cur ergo corpus Christi, non dicitur prandium, sed cœna? Quia hoc tantum mysterium in tenebrosa obscuritate sensuum lumine fidei percipiendum est.

Deinde quia cœna vocabulo græco dicta est, *quod à* 175
laboribus supersedere faciat, ut ait Plutarchus in Parab. Symphos. decad. 8. probl. 6. Prandium verò è contra ad labores homines mittit. D. Isidor. Etym. l. 20. c. 1. ait: *Propriè prandium veteres vocabant omnem militum cibum ante pugnam, undè est illud Ducis alloquium: Prandeamus tanquam ad inferos cœnaturi.* Sic dicebat fortissimus Græcorum dux Leonides cum solis trecentis militibus pugnaturus contra innumeros Xersis milites: *Prandete hìc commilitones in inferno cœnaturi.* Cœna ergo rectè dicitur sacra Eucharistia, & non prandium, tantùm enim distat ut ad labores mittat, quod supersedere faciat à laboribus, ab omni enim molestia, & oppressione, ac afflictione nos liberat, & dat omnem quietem, requiem, ac dulcedinem. A sacra Eucharistia quies, & requies.

Cùm agnosceret Esther iratum Assuerum in Israe- 176
litas, & tam crudeliter iratum, ut in eos promulgaverit mortis sententiam, cùm de populi salute ageret & benè agnosceret se rem valde difficilem, & arduam aggredi, irato Regi ait c. 5. n. 4. *Si Regi placet, obsecro, ut veniat ad me hodie, & Aman tecum ad convivium*; & quomodo piissima mulier, charitate in populum fervens splendidum convivium parat, cum in suos instat mortis sententia? sic Regina tuorum miseram conditionem despicis, ut dum illi lachrymis spectant extremam ruinam, tu convivia cum magnatibus adornas? Ninivitarum Rex in simili pressura jejunium prædicat; Jonæ 3. n. 7. *Et Præco clamavit, & dixit in Ninive ex ore Regis: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quicquam*; hi ad jejunium pro avertenda populi morte, & tu Regina ad convivium vocas? Alto spiramine prudens Regina in suo convivio odorem cœlestis panis hauriebat, & inde optimè agnoverat, quòd una umbra illius efficacior erat ad omnes hostiles impetus dissolvendos, omnemque laborem excludendum, quàm omne jejunium cum multa pœnitentia, ac oratione, ubi enim umbra hujus panis datur, omnis afflictio mitigatur, omnisque pressura superatur, & ibi est omnis quies, & requies cum omni suavitate. Rup. l. 7. de gloria Trinitatis: *Esther*, ait, *mirabili usa consilio odore magni sacramenti hoc fecit, ut Regis animus ad gratiam, & misericordiam suæ proscriptæ gentis inclinaretur.* Odor hujus convivii absolvit iras Regis, & hostiles inimici cruentissimi machinas perdit. Eucharistia dissolvit omnes hostiles labores, & dat requiē.

Imperatum est hebræis, ut carnes agni ederent, & 177
ut simul ab ejus sanguine abstinerent: *Et sument de sanguine ejus, & ponent super utrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum*, Exod. 12. n. 7. Agnus assus comedenduserat, ac sanguis effundendus, ut ungerentur postes domus; Jesus autem de se ait, Joan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* In veteris agni convivio jubebantur carnes edere, sed non jubebantur sanguinem potare; & cur in veteribus non permittebatur potus sanguinis, in novo autem testamento simul cum cibo Eucharistia interius & exterius munimur contra omnem adversitatem.

carnis, mandatur potus divinissimi agni? Rationem indicant sequentia verba text. *In me manet, & ego in illo*; quibus perfectissima unio manducantis cum cibo indicatur: per vetera sacrificia non dabatur talis perfectio unionis, sed tantùm erant ad evitanda pericula externa, ad muniendumque adversùs externos hostes, & ne Angelus percutiens Ægyptum Israelitarum domos ingrederetur, & ideo in superliminaribus domorum agni immolati sanguis ponebatur; at verò eucharisticus cibus corporis, & sanguinis innocentissimi agni Jesu Christi nobis datur ad robur, ac munimem interiùs, ac exteriùs, ad hostes visibiles, & invisibiles profligandos, ut undique interiùs, & exteriùs nobis sit summa pax, & quies. D.Cypr.ser.de Cœna Dom.ait: *Nobis itaque ipse Christus pincernа porrexit hoc poculum, & docuit, ut non tantùm exteriùs, sed interiùs aspersione omnipotenti animа munirетur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quicquid esset intus, ibi durum effugeret.* Expende: *Quidquid esset intus*; nempe molestans, ac crucians effugeret.

178 Dicitur Nu.23.n.21. *Non est idolum in Jacob nec videtur simulachrum in Israel*; multi Cod. ex hebr. legunt: *Non videre fecit fatigationem in Jacob, & non vidit laborem in Israel, seu dolorem*; quomodo dicitur homines hujus vitæ, in qua est labor, & afflictio, non sensisse ærumnas, fatigationemque ignorasse? cur ergo dicitur Israelitas dum vitæ superessent, minimè laborantes, fatigatosque vidisse? Considera, quod statim addit text. *Dominus Deus ejus cum eo est*. Ubi Dominus nobiscum est, tametsi omni pressura Mundi præmamur, omnibusque laboribus vexemur, sic tamen reficimur, ac consolamur, ac si nunquam labores, ac afflictiones tangeremus. Oleaster: *Quasi reddat rationem, quare in eis non esset labor; quia scilicet Deum suum præsentem, & amicum habebant*; cùm ergo dignè communicans Deum secum habeat, nullo labore, nulla molestia potest vexari, sed omni consolatione, ac levamine recreari.

Qui secum Deum habet nullo labore vexari potest.

QUÆSTIO XXVI.

Quare dum Angelus agit de mysterio eucharistico, addit: Hæc verba Dei vera sunt.

179 MAgna ponderatione dignum est, quod dum Angelus de eucharistico Sacramento agit, ait: *Hæc verba Dei sunt vera*; tanquam si Angelus timeret, quod tot, & tanta mysteria dicenti fides non esset sibi adhibenda, & ideo subjungit, hæc esse Dei verba & veracita D.Bernardin.supra datus ait: *Ut certiùs, & firmiùs crederentur à nobis, & in majori auctoritate haberentur, non sua, sed Dei verba, quæ dixit, protestatus est, esse vera.*

Timet Angelus ne detracta sublimitate Eucharistiæ credatur.

180 Hinc etiam infra v. 11. cùm Christus appareat in multa majestate in equo albo, dicitur, quod *vocabatur nomen ejus fidelis, & verax*; & cur quando de eucharistico mysterio agitur, dicitur quod nomen ejus sit verax? Ne celsitudo tanti mysterii in dubium revocaretur, ipsamet veritas suam veritatem sic extollit, & manifestat, ut etiam nomine suo verax dicatur; & sicut unaquæque res suo nomine agnoscitur, sic etiam per suam summam veritatem agnoscitur in hoc mysterio, quod sit verax, & ideo cum de eucharistico mysterio agit Christus, ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, Joan.6.n.56. non tantùm dixit caro mea est cibus, & sanguis meus est potus, sed affirmando ait, *verè*, ut omne dubium excludatur, & pro magnitudine tanti mysterii mens minimè vacillare audeat.

Christus dum de sublimitate Eucharistiæ agit, veracem dicit.

181 Et quæ major sublimitas, ac celsitudo excogitari potest, quàm quod luteus, ac terrenus per sumptionem corporis, ac sanguinis Domini, sic extollatur, ut proximus accedat ad sortem divinam, & quodammodo Deus reddatur, qui tanti Agni carnes participat? Audiendus est Macharius orat. de Exaltatione Crucis apud Gretserum: *Tota hæc historia, ait, divinum agnum pro nobis immolatum, & mysticum illud Pascha, & totius Mundi salutem evidenter præfigurat; Neque enim corporalis illa perceptio vitam custodiebat, & in libertatem traducebat: at hujus vera sumptio, & communio immortalitatem, & filiorum adoptionem donat, & ex terrestribus cœlestes, Deosque ex hominibus, eos, qui accipiunt reddit.*

Per Eucharistiam homo luteus transit in Deum.

Ait Paul.Hebr.7.n.2. *Melchisedech Rex Salem sacerdos Dei altissimi, sine patre, & sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque vitæ finem habens; assimilatus autem filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.* Dum Melchisedech sacerdos Dei offerens panem, & vinum, introducitur etiam sine patre, sine matre, filio Dei assimilatus; & cur dum profert panem, & vinum sanctificatum, statim proponitur sine patre, ac matre terrenis, tanquam assimilatus filio Dei, nisi ut inde ostendatur, qualiter per eucharisticum convivium cooptamur inter filios Dei? ex quo enim homo divinis Eucharistiæ epulis reficitur, genealogiam abjurat terrenam, & veluti in filium Dei transit. Ad quod spectat D. Pasehas. lib. de corpore & sanguine Christi.c.1.& ait: *Ad hæc ergo Verbum caro factum est, & habitavit in nobis; ut per Deum Verbum caro factum, caro proficeret in Deum; quæ nimirum caro Verbi fit esca in hoc mysterio, cibusque fidelium, & dum verè creditur esse caro pro Mundi vita, ut & nos per eam transformetur in Christo.*

182 Eucharistia nos filios Dei facit.

Jesus è sepulchro redivivus piis mulieribus gloriosus occurrit, & ait illis: *Nolite timere; ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt*, Matth. 28.n.10. quare nunc novo nomine fratres appellantur? hactenùs ab Evangelistis dicuntur Apostoli, vel discipuli, seu proprio unusquisque nomine, v.g. Petrus Andreas designatur, nunc autem novo cognationis vocabulo censentur. Severianus serm. de Pasch. post cit. Matth. verba, ait: *Vocat fratres, quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres, quos benignus hæres sibi præstitit cohæredes, quos Patris sui adoptavit in filios.* Etiamsi Christus Deus ab incarnationis auspicio, ejusdem naturæ humanæ particeps foret, tantæ cognationis vocabulo abstinuit: communis est omnibus hominibus hæc cognatio. Apostolos autem nobilissimo fraternitatis elogio sublimissimè honorat postquam speciatim per eucharisticam sumptionem ei sunt uniti: *Corporis sui fecit esse germanos, & benignus hæres sibi præstitit cohæredes.*

183

Per Eucharistiam Domini fratres appellantur.

Paterfamilias evangelicus prodigum revertentem amplexatus clamabat ad servos Luc.15 num.23. *Adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur*; statim mandat apponi mensam divino epulo; & cur necessum fuit, tam citò parari divinam mensam prodigo revertenti? nonne satiùs peccatori differtur cœleste convivium? Meritò mensam jubet proponi, ut accepto cœlesti pabulo depositа fame tangantur, & innotescant viscera filii, ut qui antea erat peccator extraneus esuriens, jam accepto vitulo fiat dilectissimus filius, & maximè recreatus omni cœlesti bono. D.Aug in Catena D.Thom.ait: *Quod autem jubent, ut adducant vitulum, quid aliud est, nisi ut prædicent Christum, & annuntiando faciant venire inexaustа fame viscera filii esurientis.*

184

Per Eucharistiam fit homo filius Dei.

Apoc.19.n.10. Et cecidi ad pedes ejus, ut adorarem eum, & dixit mihi: Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesus. Deum adora, testimonium enim Jesus est spiritus Prophetiæ.

VERSIONES.

Syriacus. Cecidi ad adorandum eum, &c. quia sodalis tuus sum: Deum adorate, &c. Et ille spiritus Prophetiæ.

Aretas. Procidi ad pedes ejus, testimonium ejus filii & Spiritus.

Primas. Prostravi me, sanctificatio enim testificationis est spiritus Prophetarum, legem Domini Jesus servantium, veruntamen Deum adoramus omnes nos, quia præceptum est Domini Jesus spiritus Prophetiæ.

Arias. Cecidi adorare eum.

Arabicus. Ego sum amicus tuus, & fratris tui.

Æthiopic. Dixit mihi: Deus sit tecum, & cum fratribus tuis, qui custodiunt.

D.Cyprianus. Deum Jesum adora.

EX-

EXPOSITIO.

185 Genuinus sensus. ET cecidi ad pedes ejus, ut adorarem eum; adoratione nempe Duliæ; in hisque verbis ostenditur Joannis humilitas, ac gratitudo: causa verò tantæ gratitudinis extitit, quia Joannes jam acceperat omnia, quæ universis futuris temporibus spectabant ad pugnas Ecclesiæ, ad destruendas hæreses, ad fidei propagationem, ad Antichristum, illiusque regnum destruendum, & audierat jam eversionem Babylonis, scilicet civitatis impiorum, advenisseque nuptias agni, ac beatitudinem pro omnibus electis, putavit pro tanto beneficio revelationis gratias agendas esse Angelo, & ideo cecidit ante pedes ejus, ut adoraret eum.

186 Joannes æqualis Angelis in officio Doctoris. *Et dixit mihi: Vide ne feceris.* Recusat Angelus à Joanne adorari, & talis prohibitionis rationem assignat: *Conservus tuus sum*; in quo autem sit conservus explicat subdens: *Et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*; ac si dicat Angelus: Non me debes adorare; ego in hoc negotio non ago personam Dei, ut agebat Angelus, qui legem dedit Moysi, ego autem hìc non ago hoc munus: *Conservus enim tuus sum*; id est, eodem tecum munere fungor, sicut tu ad Ecclesiam docebis hanc prophetiam, quæ non est mea, sed Dei per Christum, cui utrique in ea pariter servimus, nam sicut ego ex Christo illam te doceo, sic & tu alios docebis, proindeque idem officium habemus, & parem hìc profitemur servitutem, indeque nulla est ratio cur me debeas adorare, cum idèm munus docendi ad nos ambos pertineat; & cùm dicit: *Fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*; id est, qui dant testimonium Jesu, seu si ad Prophetas reducas: *Habentium testimonium Jesu*; id est, eorum, qui multa de Christi prædixerunt, suisque prædictionibus se veros esse Christi testes ostenderunt.

187 *Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ*; quod de vero spiritu prophetiæ interpretantur D. Ambr. Beda Rupert. Viega Ribeira, la Haye, & alii: sensus ergo est: *Testimonium Jesu est spiritus Prophetiæ*; qui, ò Joannes, in te est, tuique similibus, qui spiritus fuit olim in Prophetis, & solum Jesum, ut scopum respicit, quo spiritu tu, & tui fratres repleti verum dant testimonium de Christo, quo apud omnes testantur se servos ejus esse, ac veros Prophetas.

188 Alcazar verò ait: *Habentium testimonium Jesu*; id est, veram prædicationem Evangelii. *Testimonium Jesu est spiritus Prophetiæ*; id est, spiritus, ac studium prædicandi Evangelium, nam doctrina evangelica est illa magna, ac excellentissima prophetia, quæ hominibus consilia, ac arcana Dei aperit; indeque etiam prædicatores Prophetæ dicuntur: in qua etiam sententia est Joachimus Abbas.

189 Apocalypsis excellentissimè Christi testimonium. Rupertus aliter rem explicat: *Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ*. Talis spiritus inclusus, ac contentus est in hac Apocalypsi, nam hic liber est propheticus, ut dicitur c. 1. n. 4. *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus*; cujus prophetiæ spiritus inter cætera excellentissimum dat de Jesu testimonium, ac proinde magnus spiritus hujus prophetiæ, est excellentissimum testimonium de Jesu. Rup. ait: *Dicendo ergo, testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, Joannem ipsum commonitum esse voluit, ejus quam acceperat excellentioris gratiæ, quia cum omnes qui Spiritum S. acceperunt, testimonium habebant, quòd sint filii Dei, multò magis ille dilectus Jesus, qui talem, tantamque prophetiam accepit*; ac si dicatur: Excellens testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, qui in hoc libro continetur, ac tibi communicatur, utpote qui longè alios Prophetas superas.

Joannes excellèrior inter Prophetas.

QUÆSTIO XXVII.

Quare Joannes nunc hìc vult Angelum adorare cadens ad pedes ejus.

190 Rejicitur quædam sententia. ALiqui graves auctores ex eo reddunt rationem, quia Joannes credidit revelationem sibi factam ab Angelo de Apocalypsi esse finitam, ideo eum adorare voluit, sicut c. 22. n. 9. At hæc assertio non potest subsistere, saltem in sententia eorum, qui per Babyloniam intelligunt Romam ethnicam, quia post ipsam eversam, adhuc multa revelanda restabant; & etiam in nostra sententia, qui per Babylonem præter Romam ethnicam intelligimus civitatem impiorum, quia præter revelata, adhuc ad exactam rerum notitiam de die judicii, ac gloria beatorum facienda erat manifestatio.

191 Beneficii maximè gratificandum. Ratio genuina, & literalis est, ut dixi in expositione, quia Joannes jam acceperat revelationem de futuris temporibus, & de his, quæ spectabant ad Ecclesiam, ac ad propagationem fidei per doctores, ac prædicatores, jamque audierat civitatem impiorum destructam cum Antichristo, audieratque jam advenisse nuptias agni, quæ maximè spectabant ad beationem sanctorum, proindeque pro tanto beneficio, ac dono quod acceperat, gratulabundus gratias agens, cecidit ad pedes Angeli. Rup. lib. 10. in Apoc. ait: *Porrò Joannes, quàm graviter acceperit, quantique æstimaverit demonstrationes hujusmodi, claret ex eo, quod dixit: Cecidit ad pedes ejus.*

192 Auditores reverentiâ exhibeant Prædicatoribus. Secundò Joannes valde sublimis erat, & ideo Angelus non patitur, quod ipse eum adoret, & tamen Joannes ad pedes ejus prolabitur. Angelus Ioannem docebat, eumque de magnis mysteriis absconditis instruebat, de damnatione meretricis magnæ, de sanctorum glorificatione in nuptiis agni; cùm ergo Ioannes vices auditoris gereret, non mirum, quod Anglo tantum honorem impendere velit, quia auditores etsi sancti magnam exhibere debent reverentiam his, qui eos verba vitæ docent, & de magnis fidei mysteriis eos instruunt. Ioachim. Abb. *Joanes typum gerit piorum auditorum, qui pro eo, quod verba exposita manifestiùs præsolito capturi sunt, eis, qui aperiunt reverentiam humiliter exhibebunt.*

193 Humilitas comes castitatis. Tertiò Ioannes virgo, & castissimus; inde ad pedes Angeli eum venerans procumbit, nam castitas magno fœdere copulatur cum humilitate. Castissimus Ioseph à domina sua lascivè sollicitatur Gen. 39. n. 8. *qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce Dominus meus, &c.* Luxuriæ flammis nihil priùs opponit, quàm humilitatem; non ait, maritus tuus, vir tuus, sed *Dominus meus*; sed servum se recolens, Dominum protestans, sub cujus imperio vivit; & undè illi tanta humilitas, cum totius domus haberet gubernacula? D. Ambr. l. 2. offic. c. 17. ait: *Plena vox humilitatis, plena castimoniæ; scivit humiliari, qui venditores, & emptorem passus est, & Dominum appellabat.* Ut plena ejus vox fuit humilitatis, sic & ipse totus fuit castimoniæ plenus, est enim castitatis comes humilitas.

194 Quartò Ioannes ad pedes Angeli, quod de nullo alio Apostolo legimus, nec de Petro, cùm liberatus fuisset è carcere, sed solus Ioannes ad pedes Angeli cadit, quia ad magnam gloriam, ac triumphos sublimandus erat: Qui ad pedes cadit, ad magnam gloriam sublimandus est. Matth. 2. n. 5. refertur *Prophetia* ex Mich. 5. *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel;* & cum Dominus esset in Bethleem, & sese dimitteret usque ad vilitatem præsepii, ex Iudæa adoratur à pastoribus, ex Oriente vero à Regibus: *Ecce Magi ab Oriente venerunt; & procidentes adoraverunt eum.* Tamen longè amplior ejus dominatus apparet in Sione, dicitur enim Psal. 47. n. 3. *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magni.* Ecce in Bethleem tantùm dux dicitur, at in Sione, Rex magnus exultatione universi Orbis terrarum, eum recognoscentis ut supremum Regem; & cur in Sione amplior Christi dominatus ostenditur, quàm in Bethleem? Domini humilitas Bethleem pervenit usque ad præsepii paleas, ac utilitatem, & inde dicitur dux, ut regat populum Israel, at in Sionis cœnaculo, sese dejecit ad pedes discipulorum, imo & ad pedes sui proditoris sese prosternit, inde Sionis humilitas pedibus obvoluta ampliores triumphos de universo Mundo valet reportare. Ad hoc respicit Eusychius Ierosol. orat. in Iacob, & David. apud Biblioth. Photii dicens: *Nisi Salvator humiliasset semetipsum, factus obediens usque ad mortem, non domestici cognati dicerentur. In Sion, in Bethleem, ut præsens te salutet, in filia matrem video. In tædifera se ille una eluxit, in multa. Illa Magos duxit, hæc Parthos, Medos, &*

Servus Dei ad pedes se dimittens gloriosè triumphat.

Elamitas, & omnes gentes, luminis fulgore illustravit; tu lac trahis ex uberibus Virginis, hæc spiritum ex sinu trahit paterno, tu panem fermentasti; sed Sion cœnam ostendit. In multis Mag. Pater præfert Sion super Bethleem, & quod in Sion majores habuit triumphos, nam in hac solùm pastores Israelitici, ac Magi se subiiciunt Christo Domino, at in Sione Parthi, Medi, & Elamitæ, omnesque gentes sub Christi jugo se recipiunt; undè illi tam ampla dominatio? *Sion cœnam ostendit*. Dum cœna ultima in cœnaculo divina mysteria apparent, ut sese Dominus ad discipulorum, ac proditoris pedes delicit, inde ibi totius Mundi subjecit imperia, ac perexcelsos triumphos agit.

195 Jacob, & Esau in utero matris inter se luctamen agebant, & partus tempore, Jacob *egrediens, plantam fratris tenebat manu*, Genes. 25. n. 25. si fratrem superare intendebat, cur manus ad pedes, & non potiùs ad caput mittit, ut ille, qui Matth. 18. num. 28. *tenens suffocabat eum*? Hic ad caput vel fauces extendebat manum, ut suum adversarium deiiceret, & sic verè pugiles tunc existimant vincere, cum hostis caput ictibus frangant, Jacob autem non caput, non fauces obluctatoris sui petit, sed tantùm ad illius pedes se submittit, agebat enim jam personam Christi athletæ, qui tunc gloriosè vincit, præclarissimas reportat victorias, cum ad pedes se demittit.

Qui se deiicit ad pedes vincit.

QUÆSTIO XXVIII.

Quare Angelus tam sollicitè prohibet sibi à Joanne adorationem impendi.

196 CUm Angelus tanta mysteria Joanni aperuisset, in signum gratitudinis Joannes cecidit ad pedes ejus, ut eum adoraret, Angelus sollicitè talem adorationem vetat dicens: *Vide ne feceris, conservus tuus sum*; Syriacus, *fodalis*; Arabicus; *Amicus tuus sum, fratrum tuorum*; quænam fuit hujus rei causa, cum Josue, Sampsonis mater Angelos adoraverint? Alcazar existimat hunc Angelum esse S. Petrum: sed hoc est valde accommodativum, & non literale.

197 Ratio literalis, & genuina hujus rei, jam à nobis est assignata in exposit. & ut ibi dicitur apertè colligitur ex verbis ipsius Angeli: *Conservus tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum*; ac proinde æqualis dignitatis tecum ego sum, nam si ego in his, quæ tibi dico, ago vices Prophetæ, doctoris, ac prædicatoris, tu etiam eodem munere fungeris, qui es Propheta, doctor, ac prædicator, & ea, quæ ego hìc tibi dico, tu etiam annuntiabis Ecclesiæ: ergo ego conservus tuus sum; & si ego hæc mysteria hujus libri tibi dico, quæ nesciebas, etiam multa dixisti, quæ Angeli non cognoverunt nisi per te, ut ex D. Chrysost. juxta Pauli doctrinam dicam in hac quæstione. Proinde conservi sumus Dei, qui ejus mysteria ad invicem dicimus, & annuntiamus inter nos, proindeq; me non debes adorare, qui conservus tuus sum, ejusdem muneris tecum: ita Cornel. Ferrar. & alii. Alias sententias doctrinæ gratia examinemus.

Ratio genuina.

198 Secundò respondent D. Athanas. serm. 3. contra Arrian. D. Aug. lib. 20. contra Faustum, c. 21. D. Thom. 2. 2. q. 84. art. 1. quidocent, Joannem hunc Angelum Christum existimasse; & huic responsioni favet, quod Angelus recusat hanc adorationem dicens se esse ejus conservum, ac proinde non Christum D. & postea subdit Angelus: *Deum adora*; seu ut legit D. Cypr. *Dominum rerum adora*; & ideo hæc responsio probabilis est, utpote tantorum Patrum. Et confirmatur, quia cum secundo c. 22. n. 9 Joannes voluit Angelum adorare videtur eadem credulitate ductus; audierat immediatè: *Ecce venio velociter*; quæ verba cùm essent dicta in persona Christi, poterat Joannes existimare, quod ille, qui secum loquebatur erat Christus, & deinde tanquam Christum adorare. Opponit Cornel. quòd Joannes assuetus erat visionibus angelicis, ac proinde bene sciebat hunc esse Angelum, & non Christum; tamen non convincit, quia Joannes ex multiplici circumstantia, ac magnitudine rerum, quæ manifestabantur, poterat suspicari loquentem esse Christum.

Doctrina Apocalypsis adeo sublimis, ut à solo Christo posset manifestari.

199 Tertiò D. Greg. hom. 8. in Evang. quem sequuntur Haymon, Rupert. Richard. Ansbert. D. Bernard. to. 1. serm. 51. de Pass. qui omnes hoc referunt ad naturæ humanæ nobilitatem per D. Verbi incarnationem. Frequenter legimus in Scriptura Angelos, ab hominibus adorari; sic Loth pronus in terram Angelos adorat, Gen. 19. n. 2. & similiter Josue c. 5. n. 15. at verò modò Angelus prohibet adorari à Joanne. Antea non erat natura assumpta à Verbo divino, at verò postquam nostram naturam super se exaltatam, ac assumptam in Christo perspiciunt Angeli, prostratam ante se videre eam pertimescunt; sic ait ante D. Greg. S. Anton. dicens: *Pertimescit Angelus adorari ab homine qui supra se adorabat hominem Deum*.

Post unionem Verbi, maximè adoratur natura humana.

200 Quarto prohibet Angelus: *Conservus tuus sum*; hoc est ejusdem æqualitatis; ac si dicat: Te non tantùm hominem reputo, sed etiam Angelum; & cur Joannes cùm sit verus homo, ab Angelo Angelus reputatur? Quia insigni puritate, ac virginitate eminebat, quæ virtus maximè ad angelicam conditionem nos elevat. Arnold. Carnoten. de septem verbis ad illud: *Mulier ecce filius tuus*; sic ait: *Hanc interim gloriam propriè virginitas merebatur, per hanc in hunc gradum discipulus sublimatur: quod si ergo Angelus est, non miror, quod ejusdem, velut ordinis nobilitate præclarus alter Angelus, ut veneraretur non sit passus adorari ab eo*. Quàm insignis, ac eminens sit Joannis virginitas, ex custodia, ac præsentia Virginis Mariæ, demonstratur, ex cujus conversatione, ac societate quandam excellentiam super cæteras virgines hausit, ut rectè comprobat Petr. Damian. serm. in Joan. & ait: *Quamvis in omnibus sanctis semper sit angelica munditiei contubernalis, & cognata virginitas, beatus tamen Joannes tanto reliquas virgines superat, quanto virginitati B. Mariæ per sedulitatis, ac perpetuæ custodiæ meritum appropinquat, à qua sola videlicet præceditur*.

Joannes ob quia virgo, veluti ejusdem naturæ cū Angelis.

Joannes virginitas, valde eminens.

201 Quanta autem adumbrata congermanitas sit virginitatis Joannis cum Deipara, inde aliqualiter colligitur, quia sanctissima Maria ex Spiritu Sancto Verbum divinum in utero accepit, virgoque permanens, ipsum verè, ac realiter incarnatum, ac hominem factum peperit: hujus magni operis certo modo, quædam vestigia est adumbratus Joannes, non quod alterum incarnationis mysterium cooperatus fuerit, sed quia cùm esset virgo ex afflatu Spiritus Sancti, mente sic intellectualem divini Verbi generationem accepit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, Joan. 1. & cum tam sublimis mysterii cognitione mens ejus esset fœta, edidit calamus, veluti partum, animo inclusam divinitatis notitiam, ac ipsum Verbum incarnatum manifestatum, ac publicatum universo Mundo: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, &c.* Virgo Maria verè & realiter Verbum incarnatum ventre concepit, ac peperit in salutem humani generis, Joannes virgo, ac filius Virginis adoptivus intellectualem Verbi generationem accepit, publicatum, ac manifestatum in lucem gentium dedit, quod inter omnes Evangelistas solus Joannes nobis præstitit: ita ferè in hac re discurrit Paulus Serlog. in Cant. tom. 3. vers. 34. ad cap. 6. sect. 48. num. 77.

Joannis virginitas adumbrat virginitat Mariæ.

202 Quinto Angelus ait: *Vide ne feceris; conservus tuus sum*. Angelus ex illustratione divina in hac magna prophetia Ioannem illuminavit, Ioannes verò in multis magnis mysteriis instructor fuit Angelorum, Angelosque docuit, ac proinde paris encomii, ac veluti ejusdem officii est cum Angelo, imò & in hoc potiùs major est Ioannes, nam Angeli, ut ait Paulus Hebr. 1. *Omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*; quod munus potissimùm Angeli adimplent, custodiendo, docendo, illuminando internè homines, sanctasque excitando cogitationes; at Ioannes in hoc, Angelis est superior, eo quod non solùm homines instruat, sed etiam Angelos novo & inaudito modo; quod Chrysost. affirmat prolog. in Ioan. *Joannes à Spiritu Sancti profundis, & abditis thesauris omnia proloquitur, quia neque Angeli, priusquam hic diceret, noverunt, quod etiam Paulus his verbis significavit, ut innotesceret Principatibus, & Potestatibus per Ecclesiam multiformis*

Joannes in multis Angelos instruxit.

formis sapientia Dei, Ephes. 3. n. 10. cùm ergo Principatus, ac Potestates, Cherubim, ac Seraphim multa sublimia ab Apostolis didicerint, inde Apostolos, & præcipuè Ioannem in multa reverentia habebant: vide quæ dixi to. 1. in Apoc. c. 4. q. 31. n. 272. 273.

203 Doctor, seu Prædicator ex scientia nō tumescat.

Sextò Angelus Ioannem prohibet, ne eum adoret, testificans se esse *conservum ejus*; seut ut legit Syrac. *sodalem*; Arab. *amicum*; si ò Angele te habes hìc ut Ioannis magistrum, siquidem eum in multis doces, quæ ignorabat, cur non permittis tibi illius adorationem? cùm omnium gentium consuetudo sit, ut magnam reverentiam suis præceptoribus impendant. Renuit Angelus adorationem, & se dicit conservum, & sodalem Ioannis, ad condemnandam multorum inflationem, quia doctor ac prædicator, licèt eruditissimus, & alta dicat, & revelet, tamen ex sua scientia non debet tumescere, sed sese omnium servum, ac humilem æstimare. Ioach Abb. ait: *Perhibet Angelus Joannem, ne se adorare debeat, dicens se conservum ejus, quia nequaquam alta sapientibus, arcana Deus pandit mysteria, qui per tumorem cordium suorum conservos, & concives suos, quibus gratia illa data non est, inæquales existimant; & ideo Angelus ait: Conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*; & ideo Angelus se eis æqualem dicit. Quod confirmat exemplo Moysis, & Pauli, nam ille se judicat indignum prælatum fieri, hic verò cum doctor esset gentium, se minimum Apostolorum appellat, & indignum vocari Apostolū.

204 Errorum mala amputanda.

Septimò Baronius ad ann. Christi 60. n. 19. refert hanc prohibitionem Angeli, ad confutationem hæreseos Cherinthi tunc nascentis, quæ faciebat Angelos Mundi fabricatores, & Christo majores, quorum unum dicebat fuisse Deum hebræorum; & sanè si admisisset hanc Angelus adorationem Joannis, aliqualis tam pernitiosæ hæresi data fuisset occasio his, qui quærunt, & arripiunt quamlibet occasionem seminandi errores, quos penitus sustulit suomet ore Angelus, non solùm minorem se esse Christo ostendens, sed etiam se dicens illius servum, ac Ioannem & cæteros fideles Christi mioistros, ac servientes animarum saluti, esse conservos, & æquales sibi.

205 Sacerdotes Angelis, vel supra.

Octavò Viegas hìc, & Mendoza to. 1. in lib. 1. Reg. c. 2. vers. 17. annot. 19. sect. 2. dicunt, quod Ioannes prohibitus ab Angelo est in adoratione ei exhibenda, propter sacerdotalem dignitatem, qua fungebatur; & rectè quidem, *quia indecens quodammodo videtur, ut qui Deum manibus præferunt, Angelorum pedibus substernantur.* Et præter ea, quæ ibi adducit Mendoza, sic confirmatur: Quia sacerdotes sunt valdè contigui Deo. D. Greg. Magn. l. 4. ep. 31. apud Mauritium ait: *In divinis eloquiis, sacerdotes Dii aliquando, & Angeli vocantur, nam & per Moysen dicitur: Applicabitur ad Deos*, Exod. 22. nu. 8. hoc est ad sacerdotes communi placito; sic pergit S. Doctor: *Quid mirum est, si vestra pietas dignatur honore, quibus honorem tribuens, eos aut Angelos, aut Deos ipse appellat Deus?* Alexandri vox est, cum laddum sacerdotem maximum adorasset apud Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 8. *Non hunc adoro, sed Deum, cujus principatu sacerdotii functus est.* Syracides sacerdotis honorem juxta Dei honorem postulat; sic ait, Eccles. 7. nu. 31. *In tota anima tua time Deum, & sacerdotes ejus sanctifica*; & statim n. 33. addit: *Honora Deum, in tota anima tua, & honorifica sacerdotes ejus*; ex quo habes sacerdotem, vel secundum à Deo principem, seu veluti Deum reputari honore communicato. D. Cypr. lib. 3. ep. 9. post adductum citatum Ecclesiastici locum sic ait: *Salomon testatur, & docet, quæ sit sacerdotalis auctoritas & potestas*: vide to. 1. in Apoc. c. 1. q. 24. n. 178. & seq.

206

Nonò cur Angelus adeo instanter, & fortiter cavet à Ioanne adorari? nonne ab aliis hominibus, ut à Loth, Iosue, Angeli se adorari permittunt? cur ergo obsequium, quod ab aliis recipit Angelus, à Ioanne exhiberi recusat? Respondet M. Baeza to. 5. de Christo figurat. l. 9. c. 8. §. 22. quod Ioannes supremi Regis Christi familiarissimus, adeo ut in cœna supra pectus Domini recubuerit, ex cujus sacratissimo thesauro hausit secreta, quæ nobis aperuit, cui Christus in Cruce Virginem Matrem commendavit, & hac de causa sub dilecti nomine communiter dicitur; inde Angelus cavet ab illo obsequium humiliationis recipere, cui specialis honor debebatur ob intimam familiaritatem cum supremo Principe. Ad hoc tendit P. Dam. ser. 1. de S. Ioan. & ait: *Refugit obsequium ab illo suscipere, quem noverat apud communem judicem, locum gratiæ familiariter obtinere.* Tanti æstimant Angeli familiares, & amicos Regis sui, judicis sui, ut homines discant, quem in locum ponere debeant eum, qui familiaris, & amicus est principis, sub cujus gladio vivunt; hinc referens sacer text. amplissimas dignitates, ac præfecturas Salomonis, ad illud pervenit, nimirum: *Zabud filius Nathan sacerdos amicus Regis*, 3. Reg 4. n. 5. ubi inter aulæ dignitates amicitia cùm Rege ponitur, quia exinde inter principes primus habetur, & in magna veneratione, ac honore est apud omnes.

Amicus Dei, & etiā amicus Regis venerādus.

Decimò ait Angelus: *Vide ne feceris, conservus tuus sum, & fratrum tuorum; Deum adora.* Bonus servus nihil Domini sui, nihil principis sui sibi arrogat, sed in servorum numero semetipsum adscribit. O quantum distat ab illo primo Angelo, qui ut pulchritudine suæ naturæ creatus est dicebat: *Super astra exaltabo solium meum, similis ero Altissimo!* Is. 14. cur ergo hic supremus Angelus, vult tanquam Deus haberi, & omnem excellentiam sibi arripit, noster verò Angelus, tanquam servus vult computari, & omnem adorationem non sibi, sed Deo attribuit? O quantum inter se distant verus Dei servus, ac pravus minister! pravus alienis inhians eò tendit, ut ipse per se, & non per alium videatur dominari, at bonus servus sic inter metas sui ministerii se continet, ut in se tantùm gloriam, & laudem sui principis velit apparere, ac relucere. Ad quod tendit D. Aug. in Ps. 96. & ait: *Joannes quodam sibi ministrato miraculo visionis expavit, & misit se ad pedes Angeli, & ille Angelus, qui non quærebat nisi gloriam Domini sui, surge, quid facis, inquit, illum adora, nam & ego conservus tuus sum, & fratrum tuorum: quid ergo fratres mei? Nemo dicat, timeo, ne irascatur mihi Angelus, si illum non colo pro Deo meo; tunc tibi irascitur, quando ipsum colere volueris: Dæmones irascuntur si non colantur, & boni Angeli indignantur si pro Deo colantur.*

207 Verus Dei servus quæritejus gloriam, & iniquus suam tantum.

Decantat regius Vates Ps. 135. n. 7. *Qui fecit luminaria magna, quoniam in æternum misericordia ejus. Solem in potestatem diei, Lunam, & stellas in potestatem noctis*; quæ verba Manichæi indignè ferebant, quod pulcherrimus Orbis, Sol inter alias creaturas annumeraretur; tantæ ejus pulchritudini, ac splendori injuriam fieri dicebant, nisi ipse solus absque aliis coleretur, ac proinde minimè debuisset inter alia luminaria computari. O hæretici! non intelligitis conditionem creaturarum, ac servorum Dei qui tantum abest, ut aliquid divinum sibi afferere audeant, qui quamvis nobilissimæ sint creaturæ, volunt cum aliis aggregari, ac numerari, ad majorem laudem, & gloriam Domini sui, qui talem naturam eis dedit, ut omnium creator & auctor. D. Aug. l. 14. adversùs Faust. c. 11. ait: *Solem, & Lunam vera laude laudavit, & in cœlesti ordine ad peragenda opera collocatos, ita narravit: Solem in potestate diei & Lunam in potestate noctis; falsis autem vestris laudibus, Sol, & Luna non gaudent, Diabolus autem novit falsa laude gaudere prævaricatricem creaturam. Potestas verò cælorum, quæ peccato lapsæ non sunt, artificem suum in se laudari volunt, quorum illa vera laus est, qua creatori illarum non fit injuria.*

208 Bona creatura non suam sed sui creatoris gloriam quærit.

Ille primus homo, ut creatus est à Deo, & omnium princeps constitutus, ut audivit illam vocem: *Eritis sicut Dii*, Genes. 3. n. 3. statim rapitur affectu, ut proprias metas transiliat; aliter verò Joseph, Putipharis famulus, qui ad totum Domini sui vocatus, omnino tanquam à certo præcipitio fugit: *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid sit in domo sua*, Gen. 40. n. 8. undè Adamus affectat gloriam Domini sui, à qua maximè Joseph abstinet? Adamus agebatur spiritu maligno, at verò Joseph cœlesti spiritu plenus erat, & indè tanta differentia inter utrumque; ille affectavit sibi assumere gloriam, & splendorem Domini sui, at verò aliter Joseph, non de se, sed de sui Domini decore, ac honore agebat, utpote qui totus cœlesti spiritu agebatur. Theod. serm. 8. de Provid. in persona Joseph. sic loquitur: *Quæ mei officii*

209 Bonus servus soli quærit Domini sui honorē.

jure excepta sunt, non tango, nec Adamum progenitorem imitor, qui cum omnium plantarum principatum accepisset, in eam tamen manum extendit, quæ sui juris, ac dominii non erat.

QUÆSTIO XXIX.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare modò cum sermo esset de Eucharistia, & non antea Joannes Angelum adorare vult.

210 Difficultas quæstionis. MAgna, & alta mysteria ab exordio hujus Apocalypseos, Angelus explicavit, & aperuit Joanni de adventu Judicis, gloria beatorum, ac incarnationis, tamen Joannes, nunquàm eum adorare intentavit, nisi modò cum de sacra Eucharistia esset sermo: *Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se.*

211 Primò ratione humilitatis, quia hoc divinum Sacramentum multum humilitatis fructum communicat in anima illud dignè recipiente, hinc David canit Ps. 64. n. 14. *Valles abundabunt frumento*; cur non montes, sed tantùm valles? Quia hoc divinum Sacramentum, non quærit alta, & superba montium habitacula, sed ima quærit loca, humilium, ac parvulorum diligit corda; ait ipse de se: *Ego flos campi, & lilium convallium;* hoc est humilium, nt interpretatur Hugo. Ait regius Vates Ps. 21. n. 27. *Edent pauperes, & saturabuntur;* ubi sermo est de sacra Eucharistia; divina hæc mensa omnes excipit, Reges, & plebejos, dominos, & servos, divites, & pauperes, cur ergo solùm de pauperibus fit mentio? Sermo est de illis, qui ex hac mensa participant fructum, ac saturitatem, nam licèt divites accedant, tamen quia divitiæ inflare solent, & ad superbiam sublevant, ideo divites in hac mensa nou dicuntur saturari, humiles autem pauperculi (humilitas paupertatem assolet comitari) hac mensa saturantur, ad æternam saturitatem. Incognit. & ait: *Per pauperes intellige humiles, & tales edent, & saturabuntur, quia per hoc Sacramentum pervenient ad saturitatem refectionis æternæ, ubi totus homo interior, & exterior saturatur, quia ibi voluntas repletur dilectionis charitate, intellectus cogitationis claritate, memoria fortitudinis firmitate.*

Mensa Eucharistiæ humiles recipit.

212 Secundo: *Cecidit ad pedes ejus*; in signum gratificationis tanti mysterii, quod annuntiabatur, dies festos instituit Deus populo Israelitico in memoriam beneficiorum, & actionum gratiarum pro eis; nobis autem, cum multa majora beneficia contulerit, unam tantùm instituit Eucharistiam, in eorum memoriam, & gratiarum actionem, & ideo hanc maximè debemus recolere, & frequentare in tantorum beneficiorum memoriam, ac gratitudinem. D. Chrysost. hom. 51. in c. 14. Matth. sic ait: *Judæis singulis annis, beneficiorum suorum monumenta per festos dies Deus proposuit, tibi verò quotidie, ipse, ne obliviscaris proponitur.* (In Eucharistiæ Sacramento. (*Hæc sunt decora nostra, hæc Sacramenta, hoc ornamur dono, hoc gloriamur*; ideo ait regius Vates in persona Christi Psal. 21. nu. 26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Proponit Patri magnam laudem offerre eumque magnis præconiis celebrare in Ecclesia, & ad hoc ait: *Vota mea reddam*; hoc est meum corpus in Eucharistia; Eucharistia nuncupatur votum juxta illud Psal 49. n. 14. *Redde Altissimo vota tua.* Pro quo nota, quod Christus accepit præceptum à Patre offerendi corpus suum in Cruce, quod ipse vehementissimè adimplere optabat; affirmat ergo, magnam laudem, ac gratiarum actionem Deo Patri offerri, dum corpus ejus fuerit in Ecclesia oblatum. Incognit. ait: *Ostendit quomodo hæc laus est in Ecclesia magna, scilicet per Sacramentum corporis sui dicens: Vota mea Domino reddam; quæ enim fuerunt Christi vota, quæ obtulit Patri, nisi corpus, & sanguinem suum, quæ pro nobis in Cruce; & reddit, id est iterum Patri dat in Eucharistia*; in laudem nempe, & gratiarum actionem, pro qua offertur ipsa Eucharistia.

Eucharistia maximè nobis est ad gratiarum actionē & ad laudem Dei.

213 Tertiò voluit Joannes adorare Angelum, ob magnitudinem tanti mysterii eucharistici, quod ab Angelo aperiebatur, & ideo ob celsitudinem tanti Sacramenti magna, & nova reverentia eum prosequitur, hoc est summum Dei opus; de hoc Sacramento juxta communem sententiam ait regius Vates Ps. 71. n. 16. *Et erit firmamentum in terra, & superextolletur super Libanum fructus ejus.* Eucharisticus panis firmamentum est Ecclesiæ, ac totius Orbis; quæ verba sic scribit D. Hieron. *Et erit memorabile triticum ist capite montium*; et apud Novienscm ita leguntur: *Erit sacrificium frumenti in terra in capite montium Ecclesiæ*; & quinam sunt montes Ecclesiæ? Teste D. Pasch. lib. 9. in Matth. septem nempe Sacramenta, quibus ipsa Ecclesia munitur, ac circumdatur; super hos omnes montes, superque omnia Sacramenta, hoc firmamentum tritici, hoc Sacramentum panis extollitur, & sublimatur; & de hoc multa, & plura dixi tom. 3. in Evangelia & vide in Indice verbum *Eucharistia* sub titulo magnitudo, & excellentia mysterii.

Sublimitas ac celsitudo Eucharistici Sacramenti.

QUÆSTIO XXX.

Quare Angelus in venerationem sacræ Eucharistiæ recusat a Joanne adorari.

214 CUm Joannes vellet adorationem Angelo exhibere, fortiter prohibet ipse: *Vide ne feceris, conservus tuus sum*; & optime sanè, nam Joannes ob eucharisticum cibum assumptum, per gratiam in angelicam conditionem transierat, nam dignè communicans spiritualiter fit Angelus. D. Chrysost. hom. 65. ad populum ait: *Qui hujus sanguinis sunt participes cum Angelis, & Archangelis, ac cum supernis virtutibus commorantur, ipsam regiam Christi stolam induti; sed nihil dixi, imò ipsum induti sunt Regem.*

Eucharistia homines participant cum Angelis.

215 Ait regius Vates Ps. 77. n. 25. *Panem Angelorum manducavit homo.* Eleganter quærit D. Aug. cum Angeli cibo non egeant, sunt enim natura simplices, & solùm potentia spirituali vigentes, cur ergo dicuntur à Propheta habere panem, & manducare? Pulchrè respondet Sanct. Doct. qq. ex veteri testam. q. 19. & ait: *Panis, quem Angelorum appellat manna est, ut quod tunc factum est ejus rei, quæ nunc in Ecclesia offertur figura fuisse existimetur, ut Christiani populi, quos in Angelis significavit Scriptura, panem manducarent homines, id est judæi, quos homines dixit.* Cum ait Propheta: *Panem Angelorum manducavit homo*; per panem intelligitur manna figura eucharistici Sacramenti, quod cum dicitur *panis Angelorum*, per Angelos non denotantur sublimes spiritus, sed fideles christiani, quod olim judæi, quos homines vocat, licèt in umbra, ac figura manducaverunt. Ecce quanto honore, quantaque nobilitate sublimentur, qui dominici corporis sunt participes, ut jam non amplius homines, sicut cæteri, sed jam Angeli denominentur, ut etiam notat Card. Hugo in c. 31. Prov. *Panem Angelorum manducavit homo. Datus est iste panis hominibus, ut fiant Angeli.*

Homo ratione Eucharistiæ dicitur Angelus.

216 Ait regius Vates Ps. 61. nu. 5. *Pretium meum cogitaverunt repellere.* Pro pretio, ut advertit Lorinus multi transferunt *cibum*, sive *elevationem*; quid est quod eucharistia dicatur simul cibus, & elevatio? Quod dum de hoc pane, ac cibo divino participamus, elevamur super nostram naturam, & veluti in angelicam transimus, dimittimus terrestria, & veluti ad cœlestia elevamur. Drogo de Sacr. Pass. lib. 1. & ait: *Ex hujus sumptione dirimuntur lites, vitia displicent, diligitur pudicitia, terrena vilescunt, efficitur homo alius, non per naturam, sed per gratiam mutatus in melius.* Considera quàm apto penicillo communicantem hoc divinum Sacramentum ex homine effigurat, Angelus non homo est, cui lites desunt, vitia displicent, pudicitia placet, terrena vilescunt.

217 Ait Christus suis discipulis in ultima cœna: *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, Luc. 22. n. 15. Multoties Domine cum discipulis tuis in mensa accubuisti in Cana Galilææ, & ante brevi tempore transacto in Bethania, in quibus bene poteras Domine tuum desiderium explere. Tamen revera nunquam expleverat, nam quantumvis toties cum illis manducasset communi cibo, nunquam tamen eos participes fecerat sui corporis, & sanguinis, & ideo ut eos tam divino pabulo reficeret, tam vehementer desiderabat hoc Pascha manducare cum eis, in quo hoc divinum

Per Eucharistiam homines fiunt spirituales.

num Sacramentum erat instituturus, ut hoc divino Sacramento satiatos eveheret super humanam conditionem, & ex terrestribus faceret cœlestes, ex hominibus Angelos. Auctor Imperfect.hom.83. & ait: *Hac de causa, inquit: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum; quò vos spirituales efficiam.*

218 Nostra Ecclesia per Eucharistiam, Angelorũ sortia. Angelicum canticum est: *Gloria in Altissimis Deo*, Luc.2.n.14. quomodo ergo in terra miseriæ, ac mœroris, canitur ab hominibus, à quibus abest beatitudo, ac summa felicitas? Non abs re hoc facit Ecclesia, quia ratione eucharistici Sacramenti associatur cœlesti Ecclesiæ, & hymnus hic decantatur à sacerdote in Missa, ob cujus sacrificium homines æquiparantur Angelis, & tanquam à sociis alternativè canticum intonatur: *Gloria in excelsis Deo*. Jacobus de Valentia in Cantic. Angelorum: *Ecclesia in Missa communicat cum triumphante, quia eodem pane Angelorum reficitur ista, & illa, nam eodem pane, quo ea reficitur facialiter per claram visionem, & apprehensionem, reficitur, & fruitur illa sacramentaliter per fidem, & per charitatem in Sacramento Altaris; ideo Ecclesia tanquam Angelorum socia cantat in Missa canticum eorum dicens: Gloria in excelsis Deo.*

Apoc. 19. *n.* 11. Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur fidelis, & verax, & cum justitia judicat, & pugnat.

VERSIONES.

D. Cyprianus. Vocabatur verus: æquum justumque judicat.
Syriacus. Et in justitia præliatur.
Arabicus. Et post hæc insidens, & rectè judicat.
Æthiopic. Justè judicat.
Vatablus. Per justitiam judicat.
Ansbert. Justitiam judicat.

EXPOSITIO.

219 ET *vidi cœlum apertum*. In exordio hujus capitis n.1. ait noster Joannes se *audisse quasi vocem turbarum multarum in cœlo;* prindeque huc usque dicta audita fuerunt, quæ modo sequuntur visa sunt. & ait: Videt Joannes omnia mystica cœlestia. *Vidi cœlum apertum*. Gagnæus, ait, hoc modo loquendi significare Joannem omnia cœlestia mysteria sibi fuisse revelata. Alcazar per cœlum apertum ait denotari Ecclesiam, quæ aperta, & manifestata est vocibus prædicatorum vocantium ad fidem. Verus sensus: Sermo est, de Christi descensu manifesto, non ad ultimum judicium sed ad subveniendum sanctis laborantibus, ac certantibus cum Antichristo, ejusque ministris antequam nuptiæ agni celebrentur: ita communiter omnes Interpretes, Ansbert. Primas. Aretas, & alii; ac proinde sensus est: Cœlum visum est apertum, seu portæ illius apertæ, & visione imaginaria visus est Christus cum suis exercitibus descendere in terram, ad certandum cum suis hostibus, & hic est totus hujus visionis scopus.

220 Exiit ergo Christus supremus Dux belli; *In equo*, ob sui generositatem; *albo*, portendens futuram victoriam, & ex ea nascituram felicitem; habet oculos flammantes ob conceptam contra hostes iram; Describitur Christus exiens in bellum contra Antichristum defert in capite diademata multa, ob multas victorias, quæ consecuturæ sunt; vestitus est veste aspersa sanguine, quo utique ex hostibus fuso se commaculabit; sequuntur eum exercitus cœlestes in equis pariter albis, quia multi vindicandi sunt olim injuriis lacessiti; arma non alia sunt nisi gladius ex utraque parte acutus, non ex latere, sed ex ore procedens, quo gentes est expugnaturus; habet in femore *scriptum Rex Regum, Dominus Dominantium*; quo ostenditur supremum ejus dominium, & quia corona legitimi dominatus sine certamine non datur: *Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*, 2.Tim.2.n.5.

221 Quatuor Christi nomina. *Et qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax*. Notat Cornel. quod iste inclitus habet quatuor nomina; primum virtutis, secundum essentiæ, tertium personæ, quartum potestatis, & dominii; nomen virtutis est *Fidelis & verax*. Essentiæ est nomen scriptum, *quod nemo novit, nisi ipse*, personæ: *Est verbum Dei*; potestatis verò, & dominii: *Rex Regum, Dominus Dominantium*. Primum nomen: *Fidelis & verax*; id est, quæ dixit per se, suosque Apostolos, quod spiritu oris sui interficiet impium, sic adimplevit, ut pronuntiavit per suos Prophetas.

Cum justitia judicat, & pugnat; non solùm cum justitia judicat, sed etiam cum justitia pugnat, proindeque non impetu, cæcave indignatione actus ad hanc pugnam descendet cum Antichristo, sed prævio æquissimo judicio, ac justissimo decreto, *nihil* à recto tramite exorbitans pugnam hanc conficiet. Itaque in hac expeditione hoc illi maximè gloriosum est: *Cum justitia judicat, & pugnat*; nam ut ait Alens. *Pugnare injustè, vel sine justitia, non est laudabile, sed vitiosum*. Ansb. in præsenti legit: *Justitiam judicat*. Pro quo audiendus est D.Bernard.epist.1. *Quid faciet de injustis judiciis, qui ipsas quoque justitias judicabit*; & epist.37. ait: *Si enim justitias judicat, quantò magis injurias*; si enim ita ipse justus est, ut etiam justitias judicet, quid faciet de injustitiis? Et nota, quod dicitur: *Pugnat*; non enim scribitur quod vicerit, quia idem est quod ipse pugnet, ac vincat. Card. Vitriac. Dominica 2.in Albis: *Pugnat in membris suis contra Diabolum, & superat, sic etiam primus dimicat cum vincit*. 222 Bellum cũ justitia gerendum.

QUÆSTIO XXXI.

Quare sedens apparet in equo albo, & quis sit iste inclitus Dominus.

A Secunda quæstionis parte incipio. Cornel. existimat, quòd Christus descendat ad hanc pugnam in Antichristo, non immediatè per seipsum sed per suum primarium ducem Michaelem. Tamen contraria sententia probabilior videtur, quod nempe ipsemet Christus descendat in auxilium suorum: ita tenent Lact.lib.7.c.17. & seqq. Joach.in præsenti, & addit hanc esse sententiam sanctorum. In hac etiam sententia est Ribeira, la Haye, n.142. Ferrar. & quia licèt pro delendo Antichristo non sit necessarius talis descensus cum tanto exercitu, erit tamen necessarius ad finem, quem inde consequi vult Dominus, qui erit palam facere omnibus gentibus se esse Regem Regum, & Dominum Dominantium, suamque Ecclesiam sublimare in terris, suamque veram esse religionem, & ad salutem necessariam, proindeque à toto Orbe accipiendam extinctis, & amputatis omnibus superstitionibus, sectis, erroribus, atque hæresibus, quod de facto inde fiet, quia post hæc Ecclesia ipsius maximè excrescet in toto Orbe sine persecutione, sine tyrannis, & ubique gentium vehementer florebit. 223 Tam dura erit persecutio Antichristi, ut Christus descendet ad suorum adjuvamen.

Objicit Cornel. quia D.Petrus Act.3.num.21. ait de Christo D. *quem oportet quidem cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium*; hoc est usque in diem judicii: ergo tunc solùm à cœlo descendet, & non modò contra Antichristum. Sed idem auctor debebat memoria tenere ea, quæ dixit ad citatum Act. locum: *Verius videtur*, inquit, *quod Christus aliquando in cœlo, & in terra simul & utrobique realiter, & propriè visus sit*; ut cum apparuit Petro, & cum rogaret ipse: *Domine quò vadis*; *vado iterum crucifigi*; & cum apparuit Paulo in sua conversione, & cum descendit ad B.Virginem in suo transitu, bene poterat sua divina virtute utrobique adesse, & videri, cum autem dicitur, quod oportet eum cœlum suscipere usque ad tempora restitutionis, seu judicii, intelligitur quod in cœlo Christus constituet suum thronum, & quod ab illo non descendet, nisi cum magna, & magnifica pompa in die judicii. 224 Christus aliquando corporaliter descendit ad terram.

Secunda quæstionis pars est, cur Christus D. appareat insidens super equum album. *Et ecce equus albus*, cum tamen apud Zach.1.n.8. appareat super equum rufum, de quo jam dixi supra c.6.q.3. nu.29. in præsenti: *Ecce equus albus*. In primis pondero quod insedit super equum, ut dixi jam in expositione, ob suam generositatem in bello. Deinde etiam equus velocissimus est, ideo ut innuatur Christi celeritas *in suis* adjuvandis, ac protegendis, describitur *in equo* insidens. Non alienus ab hac cogitatione est D. Ambr. in Psal. 20. ad illa verba: *Etenim homo sacit meus*; qui postquam exponit cur equus albus, respondet: Quia 225 Christus ut suis subveniat, velocissimus. ejus

ejus sessor immaculatus absque ullo carnis contagio; addit: *Cucurrit velocior æquitatu malitiæ cœlestis, inventus super equos, etiam illos, quibus Elias raptus est.*

226 Secundò iste equus erat albus, & omitto sententiam Aureol. D. Antonin. 1. p. hist. tit. 5. c. 1. §. 15. qui per hunc equum intelligunt regnum Jerosolymitanum, dealbatum per sanctitatem christianorum ibi commorantium, sedentem verò in eo dicunt esse Balduinum. Sententia non est ad rem; agitur hìc de ultimis temporibus, ut sæpè dixi. Tertiò est communis sententia, quod equus erat albus, & non alterius coloris, quia equus albus erat symbolum victoriæ, & triumphi, & ideo quibus datum erat triumphare vehebantur equis albis, ut latè probat Iulius Bullinger. lib. 1. de Imperat. Roman. c. 34. & tom. 2. opuscul. l. unico de Triumph. c. 21. & canit Poeta lib. 12. Æneid.

Equus albus, victoriæ symbolum.

—— Bigis it Turnus in albis
Bina manu Cato crispans hastilia ferro.

227 Quartò Alcaz. contendit hoc symbolo denotari doctrinam christianam à Christo, & à suis Apostolis prædicatam; & cur prædicatores doctrinam evangelicam deferentes in equo insident, cum Christus præceperit eos cum omni humilitate, sine pera & calceamentis incedere? Quia sic pugnaturi erant ut secum symbolum victoriæ deferrent; & cur potiùs ad tantam victoriam elegit equum album, quàm alterius coloris ad vincendum? Equi albi debiliores sunt aliis, color enim albus defectum vitium denotat: ecce cur Dominus pugnaturus, & victurus potiùs equo albo insidet, quàm alteri; ut triumphus esset magnus, & victoria glorioſior, utpote debili, ac infirmo instrumento adepta, & obtenta. Alcaz. ait: *Qua verò parte equus albus specimen debilitatis præfert, in quo indicatur pariter virtus Christi, & efficacitas, quandoquidem iis instrumentis, quæ primo aspectu infirmitatem ostendunt, victoriam sibi certam pollicetur, & in hac imbecillitatis specie obequitat summa virtus, cui resisti non potest*: vide supra c. 17. q. 32. n. 267.

Gloriosa victoria debili instrumento.

228 Quarto Ansb. Haymon, Alb. Magn. D. Anselm. per hunc equum album intelligunt sanctissimam Christi humanitatem, qui ratione illius ad Patrem dicebat Ps. 71. n. 32. *Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Et dicitur equus albus, quia in illa humanitate assumpta, nullius peccati extitit obfuscatio, ut dicitur 1. Petr. 2. n. 22. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus.* Sessor autem hujus equi est ipsa divinitas, quæ non solùm venerabile illud corpus, & animam beatissimam, quam sibi veraciter conjunxit, regit, & gubernat, sed etiam omnem creaturam dirigendo, præsidet, nam sessor moderatur, regit, ducit, ac reducit, quò voluerit equum. O felices animæ, quæ à tali sessore diriguntur, ac gubernantur! hinc dicebat Dominus de præclara divinorum sectatrice Cant. 1. n. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea.* Tales sanctæ animæ, non amant alio ire, nisi quò ducuntur à verbo Dei, renuntiantes in omnibus propriæ voluntati, cujus est semper currere in vanum. Origen. hom. 2. in Cant. ait: *Beatæ ergo sunt illæ animæ quæ dorsum suum curvaverunt, ut suscipiant sessorem verbum Dei super se, & fræno ejus patiuntur, ut quòcunque ipse voluerit, flectat eas & agant habenis præceptorum suorum, quia jam non propria voluntate incedunt, sed fræno ducuntur, & reducuntur voluntate sessoris.* Expende verbum. *Quia jam non propria voluntate incedunt.* Dum propriam voluntatem sequebantur, nihil ad æternam felicitatem conducens attingebant, sed currebant in vacuum; solus enim qui se tradit regendum Dei verbo, viam salutis attingit. Ad hoc spectat regius Vates Psalm. 88. num. 18. *Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die.* Hoc est insigne degentium in via salutis quod nimirum in lumine divini vultus ambulent, quod de solo Dei habitu venit, & non in lumine voltus sui, ut errent, ut ait D. Bern. in quodam serm.

Non agendum propria voluntate, sed Dei jussu.

229 Sexto in equo albo incedit, quia *vocabitur fidelis, & verax.* Equus albus signum victoriæ, & triumphi; meritò ergo fidelis, & verax insidet, non cuilibet equo, sed albo, quia veritas ut potentissima, de omnibus triumphat, undè D. August. in Psal. 57. vers. 10. ait: *Quid glorioſius, fratres, quàm subiici, & vinci veritate? Superet veritas voluntatem, nam & invitum ipsa superabit.* Magna est etiam ejus victoria, cum superat invitos.

Veritas de victoria.

Ait regius Vates Psal. 61. nu. 1. *Veruntamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Nolite sperare in iniquitate.* Iniquitas tota de mendacio vivit in eoque nititur; quomodo ergo ait: *Nolite sperare in iniquitate?* & cur non sperent homines mendacissimi in sua iniquitate inque machinationibus mendaciorum suorum? Quia veritas vinci non potest; illa enim exorta, apparebunt mendaciorum falsitates, ac vanitates, & statim ab illius radiis destruentur. D. Aug. ait: *Nolite sperare super iniquitatem; vana est iniquitas, nihil est iniquitas, potens non est, nisi justitia. Occultari potest ad tempus veritas, vinci non potest, florere potest ad tempus iniquitas, permanere non potest.* Quod à mendacio venit, non prævalet, sed citò disperat.

Veritas prævalet falsitati.

230

Ait Isai. 2. n. 20. *In die illa proiiciet homo idola argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi ut adoraret.* Et quæ dies erit usque ad quem simulachra permanebunt, & in quo homo proiiciet ea Christi tempora? Refert Tertull. lib. 3. in Marc. *Genus hominum dilucidata per Christum veritate idola projecit.* Ante Christi adventum idolorum falsitas petulanter regnabat in toto Mundo; at revelata per Christum veritate mendaciorum falsitas non potuit amplius subsistere, sed tanquam nebula exorto Sole, statim evanescit, & fugit: *Dilucidata per Christum veritate idola projecit.*

231

Exorta veritate falsitas evanescit & fugit.

QUÆSTIO XXVII.

Quare dùm Christus exiit in pugnam contra Antichristum, dicitur fidelis, & verax.

232 ALcazar cum hoc referat ad Romam ex idololatria conversam ad fidem, ait, quod fidelitas, & veritas consistant in promissionis complemento: *Dicitur verax*, ait, *ob pronunciatam victoriam per suos concionatores de idololatria*, juxta illud Matth. 28. n. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et fidelis etiam dicitur, quia persecutio amplius non sit duratura, ut ait Paul. 1. Cor. 10. n. 13. *Fidelis Deus, qui non patitur tentari supra id, quod potestis.* Sed hæc sententia non est multum ad rem, nam victoria per concionatores de idololatria non est specialis illius temporis, sed inchoata est ab exordio ipsius Ecclesiæ Christi, cujus sui præsentiam promittit usque ad finem sæculi; sic etiam locus Pauli non intelligitur restrictè de illo tempore, sed de unaquaque anima, quam non permittit Deus tentari super vires suas.

233 Communis sententia est, quam tradunt hoc loco Viegas, Ribeira, & alii, quod Christus D. hìc dicitur fidelis, & verax; verax, quia fidem olim datam de adventu suo ad judicium; & fidelis, quia fidem datam de remunerandis prædestinatis, & puniendis reprobis in fine Mundi cumulatissimè adimplebit. Ego verò sic rem explico: In hac expeditione quando exiit contra Antichristum, dicitur fidelis, & verax, quia quæ prædixit per suum Apostolum Petrum Actor. 3. n. 21. *venturum se ad restituenda omnia*; & per Apostolum Paulum, spiritu oris sui interfecturum impium, & eversurum ejus imperium illustratione adventus sui, Thess. 2. num. 8. ita nunc exequitur, & implet.

Ratio literalis.

234 Moraliter, & secundò ait noster Ioannes: *Vidi cœlum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax*; quid necesse est cœlum referari, & aperiri, ut appareat veritas, ac fidelitas? licèt cœlum clausum maneret, nonne conspici poterat? Nequaquam sanè; nisi cœlum aperiatur, & Dei gratia nobis effulgeat, veritas perfectè non invenietur à nobis, sic enim difficile est inventu. Patrocinatur D. August. lib. de utilit. credend. cap. 1. *Cum hæc ita sint*, ait, *non putavi apud te silendum esse, quid mihi de inveniendâ, & retinendâ veritate videatur*

Veritas difficile invenitur in terris.

cujus

cujus (ut scis) ab ineunte adolescentia, magno amore flagravimus, sed est res longè remota à variorum hominum mentibus. De Verbo incarnato ait Joan. 1. num. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ad hoc ut videatur Christus plenus gratiæ, & veritatis necesse fuit, ut manifestaretur: *Gloria quasi unigeniti à Patre.* D. Cyrill. inquit: *Vidimus enim gloriam Christi, adeo sublimiorem creaturarum gloriis, ut mentis quisque compos, nulli nisi unigenito Dei filio convenire illam fateretur, plenus enim erat veritate, & gratia;* cum enim esset plenus veritate *vidimus gloriam Christi sublimiorem creaturarum gloriis.*

235 Veritas superari non potest. Tertio iste magnus Princeps procedit super equum, ut pugnet cum adversariis, sed quibus armis induitur? nulla sanè video; quomodo sine armis bellum aggreditur? quomodo non timet ab hostibus vinci, ac superari posse? Nil timendum, victoria certa est; ipse verax est, & veritas nunquam superari potest. D. Ambros. lib. de Incarnat. contra Arian. ait: *Advertant quantumvis exquisitissimis argumentis, & phaleratis sermonibus non posse vim veritatis obduci.*

236 Christus ipsamet veritas. Quartò iste inclitus dux vocatur *fidelis, & verax;* atqui multi sanctissimi viri extiterunt veraces in suis dictis & valde fideles in cunctis, quomodo ergo deveniemus in cognitionem quisnam sit iste verax, & fidelis? Res est sine dubio; Christus D. est, qui per antonomasiam, est ipsa veritas, & fidelitas, qui non potest mentiri, nec fallere: *In cujus ore non est inventus dolus,* 1. Petri 2. D. Aug. tract. 41. in Joan. ait: *Ipsa veritas est verbum Dei, Deus apud Deum unigenitus filius; hæc veritas carne induta est propter nos, ut de Maria Virgine nasceretur, prophetia impleretur, veritas de terra orta est;* & lib. de Agone Christi cap. 24. *Sacrificium est credè Dominum nostrum, cum sit ipsa veritas, in aliquo fuisse mentitum.*

237 Pœnitens fieret à Deo veniã, negligens damnationem. Quinto iste excelsus Dominus dicitur fidelis, quia promissa exactè adimplet, verax verò, quia est ipsamet Patris veritas, quæ nunquam mentiri potest; ad quid ergo Christus D. his duobus nominibus manifestatur? quæ duo nomina differunt inter se. Ut Inde detur spes pœnitentibus, & timor negligentibus, ut fidelis, spem consequendi gloriam conversis, ac pœnitentibus ingerit, nullum in suis promissis fallit; verax, ac justus judex est in suis sententiis proferendis, quibus iniquos damnat, & condemnat. Haymon ait: *Qui eum attendunt misericordem, & fidelem promissorem, debent considerare, quia verax, & justus est, ideoque nullum impœnitentem impunitum relinquit, nullum non conversum misericordia salvat.*

238 Ille dicitur verax, qui Deus est. Sexto profundè, & altè considera, quod hic magnus, & fortis propugnator, vocatur hìc *Fidelis, & verax.* Et statim, vers. 13. dicitur de eo: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Cujus nomen est Verbum Dei, quomodo ipsemet vocatur in tam brevi oratione fidelis, & verax? Optimo sanè jure; adeo est difficilis veritas inter homines, ut ille dicatur verax, qui verbum, qui filius Dei est. Ait D. August. lib. 2. de doctrina Christiana: *Deus charitate nos diligit, sapientia gubernat, veritate dirigit, ac illuminat.*

239 Qui vera dicit, transcendit humanæ naturæ terminos. Ait regius Vates. Psalm. 115. num. 11. *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax;* supra hominem se posuit, cum ait: *Ego dixi in excessu meo;* ne dictum suum falsitatis argueretur. *Omnis homo mendax.* De omnibus hominibus loquitur, & nullum excipit, cùm tamen constet sanctissimos viros floruisse in Christi Ecclesia, qui toto corde veritatem sunt amplexati, ut prorsus humanis renuntiantes fallaciis, nullo se contaminaverint mendacio; quomodo ergo hi mendaces dici poterunt? Hi homines non videntur, quin potiùs, ex quo veritatem colunt, in Deorum recensentur catalogo. D. Chrysost. ibi ait: *Omnis homo, qui hanc vitam amat, mendax est; qui verò in virtutibus illam transmittit, mendax non est, eò quod, qui talis est non fit homo, sed Deus.* Humanæ naturæ metas transcendit, qui respuens humanæ vitæ mendacia, solùm, veritatem in dictis, & factis amplectitur.

240 De Dei Verbo incarnato ait Joan. n. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis;* non ait, plenum veritatis, & gratiæ, sed è contra; priùs eam plenitudinem gratiarum divinarum omnium asseruit, quæ omnem temporalitatem excluderet, quo maximè unigenitus Patri demonstrabatur, ut deinde addere posset: *Plenum veritatis;* in illo enim solo inveniri potest plena veritas in quo est divinitatis plenitudo, & ideo priùs asseruit divinarum gratiarum plenitudinem, deinde, & veritatis: *Plenum gratiæ, & veritatis;* quæ maximè est aliena, & abscondita ab hominibus, & ideo illam respuens Pilatus, ut mundialis homo, Christum interrogat: *Quid est veritas?* Joan. 18. num. 38. ad quæ verba ait Theophylact *De veritate interrogabit quid sit? Ferme inter homines abolita erat, & ignorabatur ab hominibus:* vide quæ dixi, tom. 1. in Apocalyps. cap. 3. quæst. 18. num. 144 145.

Ibi veritas, ubi est plenitudo gratiarum.

QUÆSTIO XXXIII.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare dum Christus Dominus se manifestat in Eucharistia, in equo albo sese ostentat.

241 Difficultas quæstionis. HIc in præsenti sermo est de nuptiis agni in Eucharistia, ut supra diximus vers. 7. *Gaudeamus, & exultemus, quia venerunt nuptiæ agni;* & vers. 9. *Beati qui ad cœnam agni vocati sunt;* cur ergo dum de eucharistico Sacramento est sermo, in equo albo sese Christus ostentat?

242 In Eucharistia resplendet, & triumphat divinitas. Primò, equus albus symbolum est divinitatis, hinc ut testatur Svet. in vita August. c. 61. à Poetis decantatum fuit Jovis rhedam equis albis trahi, quod cum imitatus esset Camillus, & in suo triumpho equos albos adhibuisset, valdè ægrè tulit populus Romanus, ut ipse Svet. cit. scribit. c. 94. In hoc verò eucharistico Sacramento maximè se ostentat, ac triumphat divinitas; quis enim posset verbo panem in carnem, & vinum in sanguinem transubstantiare, nisi solus Deus? Leges naturæ nemo potest mutare, nisi Deus tantum; quod accidentia stent sine subsantia, quod magnum corpus quodammodo claudatur parva quantitate, quod per modum indivisibilis sit totum in tota hostia, & in qualibet ejus parte totum, quod fracta hostia non frangatur, sitque in omni fragmento totum, & cum totus sit realiter in cœlo, sit simul realiter sub speciebus sacramentalibus.

243 In Eucharistia ostenditur divina potestas. De Christo D. ait Petrus 1. n. 12. *In quem desiderant Angeli prospicere;* in margine, & ut alii legunt: *In quæ desiderant Angeli.* Multi graves auctores intelligunt de Christo in Sacramento altaris, quos citat, & sequitur Turrian. tract. 2. de Eucharistia c. 18. & 19. Et inde exoritur grande dubium; cur Angeli maximè afficiantur desiderio videndi Christum in Eucharistia? maximè ipsi vident Christum in cœlo prout ipse Deus, & homo est, quid ergo in Eucharista videre avent, quod non videant extra? in Eucharistia *vident* magna, & alta miracula, & quod ea potestas exerceatur, quia Christus in cœlo manens, realiter etiam est sub speciebus panis, & vini, in multis, ac innumeris speciebus. Alger. lib. 1. de Sacr. c. 14. *Angeli non habent undè recedant, & ibi remaneant, quo privilegio sola caro Christi, quæ super omnem creaturam exaltata est, super omnem, & præter omnem naturam insignita est, ut per omnipotentiam quæ ei data est in cœlo, & in terra, ubicunque, & quomodocunque sibi placuerit, non de loco ad locum transeundo, sed ibi, & ubi est remanendo, & alibi, ubicunque voluerit existendo tota, & integra substantialiter sit ac in cœlo, & terra.* Hoc habet caro Christi ex omnipotentia Verbi, cui est unita, ut remanendo in cœlo, sit & in terra ubicunque voluerit.

244 Secundo equus albus symbolum est victoriæ, ac triumphi, hinc Poeta Marcelli victoriam præsagiens ait Æneid. 6.

Hic rem Romanam magno turbante tumultu,
Sistet equis, sternet Pœnos.

Sic aperto primo sigillo supra c. 6. n. 2. annuntians Joannes Evangelii victorias ait: *Ecce equus albus, & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exivit vincens ut vinceret.* In Eucharistia divinus amor victor est totius naturæ, cui naturæ secundum suam vim multum repugnat, quod integris accidentibus, sua discedat substantia, & ut fiant tell-

qua

qua omnia ut supra dixi in hac quæstione, in hoc admirabili Sacramento. Imò & quod magis est, divinus amor victor quodammodo est ipsius Dei, cum illum subjiciat homini, qui eum pro libito tractat, & facit præsentem ubi vult, movet in hostia, sublevat, ac per varia loca ducit. Tandem victor est nostræ humanæ infirmitatis, omnes nostras passiones noxias vincit, & depellit. Ait regius Vates Ps. 115. n. 23. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo*; sapienter calicem Eucharistiæ, calicem salutaris, appellat; quam medelam multæ medicinæ non afferunt, eam affert unus Eucharistiæ calix, ut morbum animæ depellat, depravatas passiones dejiciat, & sanet dirigens in viam salutis. Cyril. Alex. lib. 4. in Joan. c. 17. & ait: *Sedat cum in nobis maneat Christus sevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & sicut pastor bonus, qui animam suam pro ovibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.*

Christus in Eucharistia dat sanitatem.

245 Tertiò equus albus signum est christianæ pacis, ac reconciliationis, nam Vedeleindus Saxonum inclytus dux, cum ad Christi fidem esset conversus, pro armorum insigni, ac stigmate armorum, accepit à Carol. Magno unum equum album in signum suæ reconciliationis, ac pacis cum Christo, & hoc est vetustissimum Saxoniæ insigne, ac arma, ut scribit Cranzius lib. 2. Saxoniæ c. 4. dum ergo Christus Eucharistia se manifestat in equo albo apparet in signum pacis, ac reconciliationis.

Equus albus symbolum pacis.

246 Sacra enim *Eucharistia Sacramentum pacis est.* Ut ait D. Chrysost. hom. 51. in Matth. hoc enim sacrificium memoriale perenne est passionis Christi, per quam reconciliati sumus Deo & per quam firmata est pax inter Deum, & homines; quæ pax recolitur in hoc divino mysterio, cujus intuitu Deus Pater nobis maximè propitiatur, ac pacificatur; & qui etiam hujus Sacramenti fit particeps, licèt videatur corpore in terra, mente tamen elevatur in cœlum, in quo est summa pax, quam jam videtur degustare, destructis omnibus adversariis, cum nihil contra eum valeant proficere; hinc ille, qui primus obtulit panem, & vinum in typum hujus Sacramenti dicitur: *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum*, Gen. 14. n. 18. Rex Salem, id est *Rex pacis* ut interpretatur noster D. Cyr. Alex. lib. 5. in Gen. inde dicitur Ps. 147. n. 14. *Posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* D. Paschas. lib. de corpore, & sanguine D. c. 10. egregiè notat, quod ex debita saturitate hujus panis, nobis undique per omnes fines est secura pax: *Posuit fines tuos pacem.*

Eucharistia Sacramentum pacis.

247 Dicitur Ps. 77. n. 23. *Mandavit nubibus desuper, & januas Cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo*; nubes non mittebant manna de Cœlo, sed Angeli & tamen dicitur panis Angelorum; cur ergo non Angeli, sed nubes dicuntur pluere manna? In nubibus dabatur arcus fœderis inter Deum, & homines, ut habetur Gen. 6. n. 13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram*; dum cadit cœlestis panis, dicitur à nubibus mitti, in quibus erat signum fœderis, ac panis inter Deum, & homines, quia tale fœdus, ac pacem hic divinus panis secum asportabat in terram. Hanc cogitationem nobis præbet Guitmundus Archiepisc. Aversuensis lib. 2. de veritate Euchar. & ait: *Denique Christum Patrem semper pro nobis interpellantem semper aspicit inter Deum, & homines; signum erit fœderis sempiterni, juxta illud: Ponam arcum meum in nubibus; & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Hujus quoque divini fœderis, hujus tam saluberrimæ pacis, sacrosancta Altaris oblatio, à nobis creditur signum.*

Divinus panis secum pacem asportat.

248 Ait Isai. 55. n. 2. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra: : : & feriam vobiscum pactum sempiternum*; legit D. Cypr. *Feriam vobiscum fœdus æternum.* Ad mensam, ac prandium vocat: *Comedite bonum.* Qui divinissimæ huic mensæ adsunt, quando bonitatis immensitatem hauriant, ubi datur, signum æterni fœderis, ac reconciliationis, & pacis æternæ, & cum hoc divino cibo æternam pacem assequuntur.

Ab Eucharistica fœdus, & pax æterna.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare Christo D. prout est in Eucharistia, dicitur fidelis.

DE Christo D. prout est in hoc Sacramento Eucharistico dicitur de eo: *Vocabatur nomen ejus fidelis, & verax.* De veritate dicam quæstione seq. nunc de ejus fidelitate in promissis servandis agimus. Ipse apertè asseruit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo*, Joan. 6. n. 57. cujus intimæ unionis suavitatem, ac dulcedinem experiuntur fideles, qui dignè, piè, ac devotè ad hoc Sacramentum accedunt. Ipse dixit: *Qui manducat hunc panem vivet in eternum*, Joan. 6. n. 56. qua vita felicissimè fruitur ille, qui fervidè, ac constanter perseverat in suscepta gratia hujus Sacramenti. 249

Christus valde fidelis in servandis promissis hujus Sacramenti.

Ait Christus D. Joan. 6. n. 48. *Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis, de Cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Satis perantiqua quæstio, cur non vesperè, sed manè Sacramentum eucharisticum peragatur, cum Christo sub vesperum illud peregerit? quam quæstionem sic proponit D. Cypr. epist. 63. dicens: *Non mane, sed post cœnam mistum calicem obtulit Dominus*; *nunquid ergo dominicum sacrificium post cœnam celebrare debemus, ut sic mistum calicem Domini offeramus?* Ad rem præsentem propositio dubio sic satisfacit Cyprian. *Christum offerre oportebat juxta vesperam diei: : : nos autem resurrectionem Domini celebramus.* Christus nempe illo vespere ante passionem, & mortem suam, mortique proximus eucharisticum Sacramentum celebravit ut typici agni figuram impleret; nos verò qui in hoc Sacramento, non tantùm memoria passionis, sed etiam *Resurrectionem Domini celebramus*, non vesperè, sed potiùs manè, illud peragere debemus. Christus sub vesperum, ut figuram typici agni, in quo obscura mortis ejus, qua tradendus erat inimicis adumbrabatur, nos verò mortem, & etiam gloriosissimam resurrectionem manè celebramus, quo virtute mortis ejus ad perennem, & æternam vitam resurgimus; inde Christus de se rectè ait: *Ego sum panis vitæ*; Hugo: *Id est carnem meam in passione mortificatam, in resurrectione vivificans, quæ caro dignè sumpta, est cibus vitæ.* 250

Per Eucharistiam resurgimus in vitam æternam.

Peracta paschali, ac eucharistica cœna, ubi hoc divinum Sacramentum Christus instituit, consultissimè subdit D. Lucas 22. 36. *Et egressus ibat secundùm consuetudinem in Montem Olivarum: Secuti sunt autem discipuli.* Maximè sanè ponderandum, quod ubi primùm Dominus cum discipulis suis cœli panem comedit, ad montem Olivarum confestim ascendit; cur non potiùs ad deserta loca, vel ad montem Thabor, ut alibi fecit, sed tantùm ad montem Olivarum? ut Hugo adnotavit: *Rectè autem post communionem ascendit in montem Oliveti, ut sic ostenderet, quod virtute dominici sacramenti ascenditur ad culmen gratiæ, & deinde ad culmen gloriæ, quæ per oleum significatur.* Deinde recenset septem proprietates olei, quas septem dotibus accommodat, quasi ex hoc Sacramento profluant, ex quibus duas hic scribam, ac expendam, & ait: *Item oleum supernatat, in quo significatur agilitas; item morbos sanat: in hoc impossibilitas.* Oleum infirmitates depellit, sanitatem redintegrat, & ideo impassibilitatis est symbolum. Considera nunc magnam eruditionem, de dominici itinerarii schola, ex eucharistica mensa ad montem olivarum pergit, ex hoc nempe divino pane ascenditur ad quandam impassibilitatem, ac perennitatem æternæ vitæ, qua homo veluti quadam agilitate omne malum, & infirmum hujus vitæ superat, ac vincit; & de hoc plura dixi tom. 3. in Evang. c. 33. q. 1. n. 8. 9. & 10. & eod. cap. q. 23. n. 162. 163. & tom. 1. in Apoc. c. 2. q. 13. n. 173. 251

Ex mensa Eucharistica ad æternam vitam ascenditur.

Dices tamen: Cavet Deus Adamo, & Evæ, Genes. 2. n. 17. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedatis; in quocunque enim die comederitis, morte moriemini*; & sic factum est, una cum cibo comesto mortales apparuerunt; at Joan. 6. n. 52. sic loquitur Dominus: *Ego* 252

sum

sum panis vivus, qui de Cœlo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum; multoties manducamus, & tamen statim immortales non apparemus; & quando in esu pomi vetiti, juxta Dei sententiam, vita hæc nostra corruptioni, ac morti apparuit exposita, cur in esu salutiferi panis non etiam vita hæc præsens dilata fuit in æternum, cum immortalitatis promissio differtur in Eucharistia, mortis autem sententia in esu vetito, statim exhibita perhibetur? Eleganter rem definit Algerus lib. de Sacram. cap. 6. & ait: *Vitam æternam distulit, ut majori etiam merito, majorique fructu hunc cibum reciperemus; quia pro certo nisi ita esset, ad fidem Christi omnes convolarent tantummodò propter præsentis vitæ æternitatem, & futuræ gloriæ Christi majus amitterent lucrum.* Gustato ligno vetito, statim homo expertus est in se mortis sententiam, ut cum magno fructu posset sibi comparare æternam felicitatem, at ex eucharistica mensa, non statim sentit æternitatem terrenæ vitæ, ne majus lucrum gloriæ amitteret, quod illis datur, qui ad Eucharistiam accedunt, alta, & sublimi contemplatione divinitatis.

Cur non experimur statim vitam æternam Sacramento.

QUÆSTIO XXXV.

Quare dum de eucharistico Sacramento agitur, Christus D. dicitur verax.

253 IN præsenti de divinissimo Eucharistiæ Sacramento esse sermonem patet ex supradictis in hoc cap. cum dicitur supra n. 6. *Beati qui vocati sunt ad cœnam Agni*; cum ergo de hoc Sacramento sit sermo, rectè de Christo D. dicitur: *Vocatur nomen ejus fidelis, & verax*. Quod alta divina sapientia dispositum est contra hæreticam pravitatem negantem, & altum Sacramentum, in quo Christus D. maximè se ostendit fidelem, dum adimplet ea, quæ promittit; in hoc Sacramento de vita æterna, ut superiori quæstione dixi, seque ostendit maximè veracem, dum per verba consecrationis, verè, & realiter ponitur corpus, & sanguis ipsius sub speciebus sacramentalibus, ut tenet sancta fides catholica.

Magna providentia Christus dicitur verax in Sacramento Altaris.

254 Hanc catholicam veritatem negarunt multi hæretici, quos ferè ad undecim classes reducit Bellarmin. tom. 2. lib. 1. de Eucharist. c. 1. cujus erroris præcipuus auctor, ac propagator extitit Berengarius anno Domini 1050. cujus errorem maximè defendit ac patrocinatur Calvinus anno Domini 1536. variis libris de cœna Domini, & aliis quem multorum hæreticorum colluvies sequuta est; qui hæretici tenent, quod Christus non sit verè, ac realiter in hoc Sacramento, sed tantùm per figuram, symbolum, ac repræsentationem, & quod per fidem tantùm Christum participamus in hoc Sacramento. Tandem quidam modernus hæreticus insurgit contra me, & ea quæ dixi 5. to. statim citando, asserens quod Christus verè & realiter consecraverit, tamen quod hæc potestas ibi terminata est, & non est ultra derivata ad catholicos sacerdotes, de quo errore dicam in hac quæstione ad finem.

Error hæreticorum.

255 In hac re doctrina certissima, sancta, & apostolica est, quod in altissimo Eucharistiæ Sacramento detur verè, realis, propria, ac substantialis præsentia corporis, ac sanguinis Christi: hæc conclusio est de fide definita in undecim Concilii generalibus, quæ Concilia citavi, ac retuli tom. 5. in Evang. lib. 7. c. 7. q. 21. n. 145. & hanc veritatem constanter tenent multa Concilia Provincialia, ac summorum Pontificum decreta, ut habentur de consecrat. 2. & in Decretali. Missar. hancque veritatem firmiter tenuit Ecclesia catholica, semper, ut benè demonstratur, ex tot, tamque antiquis Conciliis.

Doctrina de vera fide.

De Consecrat.

256 Hancque veritatem docuerunt omnes PP. ab exordio ipsius Ecclesiæ, ac tempore Apostolorum, ut patet discurrendo per omnes ætates. In prima ætate, sunt primò Missæ, seu Liturgiæ D. Jacobi Apost. & D. Marc. Evang. discipuli D. Petri, quæ habentur tom. 1. Bibl. Mag. in quibus hæc veritas de corpore, ac sanguine Domini habetur; sunt etiam in hac prima ætate discipuli B. Andr. Apost. in Ioro, quem de ejus Passione scripserunt, quorum auctoritas est magna, ubi apertis verbis hanc veritatem dicunt accepta m. suo Magistro Apostolo. In hac prima ætate docent D. Ignat. Discip. S. Joan. Evang. in epist. ad Smyrnens. S. Dionys. Discip. D. Pauli in Ecclesiastica Hierarch. c. 3. p. 3. in secunda ætate sunt Justin. Martyr. Pius I. Pontifex, & D. Irenæus. In tertia ætate sunt Tertull. Origenes, Cypr. In quarta ætate sunt D. Athanas. D. Hilar. D. Cyril. Jerosol. D. Ambr. D. Basil. D. Nyssen. & sic per omnes ætates discurrendo, omnesque Patres adducunt, eorumque verba referunt noster Walden. tom. 2. de Sacram. cap. 42. 43. 44. & satis copiosè, & doctè Gropperus tom. 1. de Eucharist. & post eum Bellarm. tom. 2. lib. 2. de Euchar. Garensius in lib. particulari de hac re. Claud. Sanchez in sex prioribus repetitionibus de Eucharistia. Guillelmus Alanus lib. 1. de Euchar. cap. 23. quod etiam ex innumeris miraculis factis in confirmationem, ac demonstrationem hujus veritatis comprobant.

Liturgiæ S. Jacobi, & Marci discipulis Andr.

Probatur hæc veritas catholica ex verbis ipsius consecrationis, quæ referunt D. Matth 16. D. Marc. 14. D. Lucas 22. D. Paul. 1. Cor. 11. quod Christus D. accipiens panem, & calicem in sanctis manibus suis, dixit: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Nulla clariora verba, ac expressiora excogitari possunt, quibus Christus significaret, illud quod tenebat in manibus esse corpus, & sanguinem suum, quàm istis verbis; quomodo poterat dici apertiùs illud, quod erat in manibus esse corpus suum, quàm istis verbis? in quibus vera fides catholica, tanquam in firma petra fundata est, contra quam nunquam hæretici suis iniquis interpretationibus potuerint quidquam efficere, ita ut anno 1577. quidam libellus editus sit in quo ducentæ horum verborum depravationes continebantur, ut refert Vasq. tom. 3. ad 3. p. disput. 176. c. 6. n. 75. quæ omnes ad duas tantùm reducantur. 257

Et verbis consecrationis veritas corporis Christi.

Prima est, quod *Hoc & Hic*, non sit pronomen, sed adverbium, ut ita Christus ostenderet suum corpus sedens in cœnaculo. Valde cœcus est, qui non videt, quàm alienum sit hoc à veritate, nam Christus dicebat: *Hoc est corpus meum*; quod habebat in manibus, & dabat discipulis suis, dicens: *Accipite, & comedite*. Deinde, quomodo hæc iniqua depravatio hæreticorum, ad verba consecrationis calicis potest accommodari: *Hic est calix sanguinis mei*; & postea subdit Christus: *Bibite ex eo omnes*; nempe ex illo calice sanguinis sui. 258

Refutatur prima hæresis.

Secunda est Joannis Calvini lib. 4. institutionum cap. 17. §. 21. qui cum OEcolampadio tenet verba consecrationis esse intelligenda per tropum, figuram, repræsentationem, seu symbolum. At hæc expositio falsa, & hæretica, & damnata in 7. Synod. actione 6. ubi expressè refellitur expositio hæc hæreticorum, ubi rectè ponderatur non dixisse Dominum: *Accipite figuram corporis mei*; sed corpus meum; ubi disertis, ac gravissimis verbis docet Concil. Trident. sess. 13. c. 1. verba illa Christi verè, & propriè esse intelligenda, & non per tropum, & figuram. Deinde ut jam dixi citat. tom. 5. in Evang. & communiter docent Controversistæ, si verba consecrationis per tropum, figuram sunt intelligenda, etiam per tropum, & figuram erunt intelligenda: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram. Noe fabricavit arcam*, &c. & ita tota veritas Scripturarum perit: ergò verè, & propriè sunt intelligenda, & ideo Christus D. non solum dixit: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*; sed dixit: *Hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic est Calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur*; quia ipsummet corpus, quod pro nobis traditum, ipsemet sanguis, qui pro nobis effusus est, in hoc Sacramento ponitur. 259

Refutatur 7. Synod.

Demonstratur veritas Catholica.

Deinde fortiter arguo contra Calvinum: Ex altissimo eucharistico sermone Joan. 6. n. 32. agens Dominus de hoc mirabili Sacramento: *Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum*; ubi Christus D. magna asseverationc opponit panem, suum, hoc est se ipsum in Eucharistia, pani Moysis, scilicet mannæ, ut rectè notarunt D. Chrysost. hom. 44. D. Cyril. Alexand. lib. 3. in Joan. cap. 34. D. August. 260

gust. tract. 26. in Joannem; & in quo opponit Dominus unum panem alteri, cùm panis Moysis, etiàm dicatur panis de cœlo, ut dicitur Psal. 77. n. 24. *Panem cœli dedit eis*; & Sap. 16. n. 20. *Panem de cœlo præstitisti eis*; in quo ergo unus panis opponitur alteri? In eo nempe, ut docent Sancti Patres citati, quod panis Moysis erat figura, & typus, at vero panis Christi, est verus, & proprius panis: *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*; qui est ipsemet Christus, *qui est panis vitæ*, Jo. 6. n. 35 & 48. ergo panis Christi, est panis verus, & ut veritas opponitur figuræ, & ideo Christus de se ait: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*.

261 Cùm ergo hæretici hoc altissimo Christi sermone maximè comprimantur, ac apertè verbis Christi refutentur, ideo dicunt, quod Christus ibi non egit de reali sumptione corporis, & sanguinis sui, sed tantùm de spirituali, hoc est per fidem, figuram, ac umbram: ita Lutherus lib. de Captiv. Babylon. c. 1. Calvin. lib. 4. instit. c. 17. n. 33. Doctrina est hæretica, & contra Sanctos PP. quos ad longum referunt Maldon. ad cap. 6. Joan. ad illa verba: *Dixit ergo eis Jesus*; Vasq. tom. 3. ad 3. p. disp. 179. c. 6. n. 36. & contra Concil. Trid. sess. 13. cap. 2. & sess. 21. cap. 1. & Concil. Cabilonense, & alia Concilia apud cit. Vasq. & contra contextum ipsius Evangelistæ.

262 Claritatis gratia pro text. Joan. 6 n. 51. ait Christus *Ego sum panis vivus qui de Cœlo descendit; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro Mundi vita. Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & postea subdit Evangelista n. 61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quod murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi prius erat? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*; & post pauca refert Evang. *Ex hoc multi discipulorum abierunt retro. Dixit Jesus ad duodecim: Nunquid, & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus quia tu es Christus filius Dei*.

263 Ex quibus hæreticorum falsitas convincitur, & doctrina sancta catholica comprobatur, non enim ita Capharnaitæ contra doctrinam Christi murmurantes insurgerent, si tantùm Dominus loquutus fuisset de manducatione suæ carnis per fidem, aut similitudinem, sed ita durè murmurarunt, quia intellexerunt, quod Christus, verè & realiter eis promisisset carnem suam *in cibum*, ideo dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*; & iterum dixerunt: *Durus est hic sermo*; & iterum: *Multi abierunt retrò*. Et tamen talem intelligentiam de vera manducatione suæ carnis Christus non rejecit, sed permisit eos in ea permanere, cùm tamen D. Magister consuevisset, quoties auditores, ac præsentes aliquid sinistrum de ejus dictis, & factis conciperent, statim occurrere, & iniquas cogitationes dissolvere; sic cum Dominus paralytico dixisset: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; & scribæ dicerent, quod blasphemaret, cùm Jesus vidisset cogitationes eorum dixit: *Ut, quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. 9. n. 4. sic & cùm de panibus discipuli cogitarent inter se Matth. 16. n. 8. sic & cùm quæritur de tributo dando Cæsari, Matth. 22. n. 18. sic & dum Pharisæus arguit inter se Magdalenam, Luc. 7. n. 40. sic & convivio Matthæi Luc. 5. n. 30. sicque cùm de majoratu esset contentio: *Videns Jesus cogitationes cordis eorum*, Luc. 6. n. 47. & Luc. 11. n. 17. & cap. 20. n. 5. & cap. 24. num. 38. & idem multis aliis in locis quoties cogitarunt quid mali de ejus doctrina, statim respondit, tamen in præsenti cùm Capharnaitæ apprehendissent intelligentiam, quod Christus verè, & realiter eis esset daturus carnem suam, talem intelligentiam nec rejicit, nec reprehendit, cum hoc posset fieri uno verbo, sed permittit eos in ea persistere, quia re vera ita futurum erat instituto Sacramento, licèt nunc non explicet admirabilem modum quo se daturus erat in hoc divino pane, quia tantorum mysteriorum non erant tunc capaces, & ideo illud reservat ad tempus cœnæ; & sic eis aliquando dixit Dominus: *Non potestis portare modò, scietis autem postea*, Joan. 16. n. 12.

Convincitur falsitas hæreticorum.

264 Et non solùm permisit Dominus suos auditores persistere in intelligentia de vero, ac reali cibo, & potu suæ carnis, & sanguinis, sed etiam multis, & altè confirmat suam doctrinam. Et primò: *Cum litigarent Judæi: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* dixit Jesus: *Amen amen dico vobis nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ubi rectè ait D. Chrys. *Cum ipsi id fieri posse negarent, non solùm impossibile, sed necessarium asserit*. Id quod vobis dico de vero, & reali cibo, & potu meæ carnis, ac sanguinis, non solùm est impossibile, sed est necessarium: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; ubi apertè sermo est de vera, & reali communione, carnis, ac sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini, nam ut optimè ait Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Euchar. c. 5. §. *Quartum*, si sermo esset solum de sumptione per fidem, ad quid toties illa distinctio, ac repetitio carnis, & sanguinis, cum una tantummodo sufficeret per carnem scilicet, & sanguinem: ergo aliquid altiùs hìc docet Christus, nempe de communione reali sub utraque specie, ad perfectam rationem sacrificii, ac convivii.

265 Secundo altissimè Christus D. confirmat suam doctrinam, & hæreticorum jacula confringit; ait ipse: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?* scilicet non scandalizabimini? Noster D. Cyr. Alex. *Alia eos re mirabili ad fidem impellit. Hæc mea doctrina, ac si dicat Dominus, quòd ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, & quod ego do vobis meam carnem, & sanguinem verè, & realiter in cibum, & potum, vos scandalizat, nullum erit scandalum, si videritis, velex auditu aliorum accipiatis, filium hominis, se ipsum intelligens, ascendentem ubi erat priùs, apertè cognoscetis, quod ego sum panis, qui de cœlo descendi*: ita D. Chrysost. Euthym. Theophylact. seu, & maximè: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat priùs, nullum in vobis erit scandalum, quia clarè videbitis, quod ego sum filius Dei consubstantialis, ac æqualiter omnipotens cum Patre sedens ad dexteram ejus, ac proinde per meam omnipotentiam possum vobis verè, & realiter dare meam carnem, & sanguinem ad comedendum, & bibendum sub speciebus panis, & vini*; quia apud Deum non est impossibile omne verbum: ita D. Cyril. Alex. lib. 4. in Joan. c. 22. D. Aug. Rup. Beda, D. Thom. & alii, & ideo hoc magnum Sacramentum in symbolo ad articulum omnipotentiæ Dei reducit Suar. to. 3. ad 3. p. disp. 46. sect. 1. ad finem, D. vero Th. 2. 2. q. 1. art. 8. ad 6. ad articulum de Sancta Ecclesia.

Eucharistia opus divinæ omnipotentiæ.

266 Tertiò confirmat Christus D. suam doctrinam, tanquam assignans rationem, cur judæi audientes eam tantùm scandalizati sunt dicens n. 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*; ac si dicat: Ideo hic sermo de vero, ac reali cibo, & potu mei corporis, ac sanguinis vobis est durus, & in scandalum, quia adhuc carnales estis, & caro, & ejus sensus carnales, qui judicant de accidentibus sibi notis, nihil profunt in hoc mysterio. *Sed spiritus est, qui vivificat*. Divinus spiritus gratia sua, est qui vivificat, docendo, illuminando, ac instruendo in fide, & cognitione tanti mysterii, & ideo subdit Christus n. 66. *Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi ei fuerit datum à Patre meo*: ita docent D. Chrysost. Theophyl. Euth. D. Th. per ejus gratiam ut veniat cum vera fide ad Christum.

Tertia confirm.

Mysterii Eucharistiæ non per sensus sed per fidem percipitur.

267 Quartò confirmatur tota doctrina Christi ex verbis D. Petri; nam cum multi, audita Christi doctrina, abirent retro, dicit Christus suis discipulis: *Numquid & vos vultis abire?* n. 69. Respondit Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus, & cognovimus quia tu es Christus filius Dei*. Ait: *Domine ad quem ibimus?* D. Chrys. ait: *Quod qui ab eo discedunt, non habent amplius quò confugiant*; & ait Petrus: *Verba vitæ*

Quarta confirm.

æternæ

Petrus confitetur Christum Deum in Eucharistia.

æterna habes; id est quæ conferunt vitam æternam. *Et nos cognovimus, & credimus, quia tu es filius Dei;* ad quid modò Petrus confitetur Christum esse filium Dei? In confirmationem eorum, quæ dicta erant; nam ut filius Dei, habebat verba, quæ dabant vitam æternam, ut filius Dei, verax erat, in omnibus quæ dixerat, & mentiri non poterat, & ut filius Dei, omnipotens erat ad facienda ea omnia, quæ dixerat de reali, & vero cibo, & potu carnis, & sanguinis sui sub speciebus panis, & vini, in quibus verè, & realiter, ac substantialiter præsens est Christus D. sacramentaliter, ut verè, realiter, ac substantialiter est in cœlo, ad dexteram Patris juxta suum modum existendi naturalem, ut docet Concil. Trid. sess. 13. cap. 1.

268 Impugnatur quidam error antiquus nunc renovatus, & primò refertur hæresis.

Anno D. 1040. quidam Henric. cum Petro Buis asseruit, semel tantùm id est in ultima cœna cum Apostolis Christi corpus verè datum fuisse sub specie panis, deinceps autem esse deceptionem quod ministerio sacerdotum dicitur, aut fit. Hunc errorem refutat Petr. Cluniac. qui eodem tempore floruit in tractatu de sacrificio; hunc errorem nunc an. 1661. suscitavit quidam Carolus Buarius libello de Justit. & canino dente me mordet in his, quæ dixi tom. 5. in Evang. lib. 7. c. 7. q. 21. Ait hic hæreticus, quod Christus D. verè & realiter consecraverit in cœnaculo, & quod hæc potestas communicata est etiam Apostolis, quia eis dictum est à Christo: *Hoc facite in meam commemorationem;* & quod hæc potestas ibi terminata est, & non est ampliùs derivata ad nostros sacerdotes, ac proinde astruit, quod modò verè, & realiter non sit Christus in Sacramento Altaris.

269 Doctrina de fide.

Vera, sancta, ac catholica doctrina de fide est, quod Christus D. instituens hoc admirabile Sacramentum, dedit potestatem illud celebrandi suis Apostolis, eorumque successoribus omnibus sacerdotibus, usque ad finem sæculi. Hæc conclusio definita est in multis Conciliis; Chalced. Florent. Trid. sess. 22. c. 1. sess. 23. c. 1. & 2. hanc doctrinam firmiter tradiderunt omnes Patres, quos latè referunt Bellar. tom. 2. lib. 1. de Sacr. Ordin. c. 3. & Carrierius ff. fidei. to. 1. art. 20. de Sacram. Ordin. q. 1.

270 Probatur primò veritas catholica, quia Sancti Apostoli multos presbyteros, ac sacerdotes ordinarunt ad hoc divinum Sacramentum peragendum; S. Petrus D. Marcum Episcopum Alexandrinum, D. Lynum, ac D. Clem. qui ei successores fuerunt in Pontificatu, qui & in prima sua Canonica c. 2. n. 9. ad suos catholicos scribens, ait: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*; sic & Paulus Apostolus ordinavit Timotheum, qui in epistola ad ipsum Titum cap. 1. n. 5. ait: *Hujus rei gratia, reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi*; sic & discipuli B. Andreæ, ab eo sunt ordinati, ut constat ex libro, quem de ejus passione scripserunt. S. Jacobus Apostolus primum Bracarensem Episcopum creavit Petrum, ut habet Flavius dexter in Cronica anno Christi 37. n. 2. quarto scilicet anno post Christi mortem, & ex multis ibi comprobat Bivarius.

271 Probatur secundò: Potestas data Apostolis à Christo intelligitur etiam data eorum successoribus in ministerio, ut ipsimet hæretici fatentur; ut v. g. illud: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. 16. n. 15. & illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, Matth. 28. n. 19. ubi præceptum datum Apostolis prædicandi, ac baptizandi, intelligitur etiam datum eorum successoribus in convenienti ministerio, pro loco, ac tempore; ergo etiam præceptum datum à Christo Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*; nempe consecrandi panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, intelligitur etiam datum eorum successoribus in Sacerdotio.

272 Probatur tertiò ex Paulo 1. Corinth. 11. n. 26. Postquàm proponit Apostolus, quod Christus corpus, & sanguinem suum consecraverit sub speciebus panis & vini, subdit: *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Tempore quod Apostolus scripsit hanc epistolam, nullus Apostolus erat Corinthi, ut paret ex universa Hist. Eccles. nec poterit assignari quis Apostolus fuerit tunc Corinthi, & tamen in Ecclesia Corinthia dabatur potestas faciendi hunc panem, & hunc calicem: *Quotiescunque manducabitis panem hunc*, &c. ergo potestas consecrandi, corpus, & sanguinem Domini in Apostlis non est terminata, sed ad sacerdotes, eorum successores est derivata, & hoc non pro hoc, vel illo tempore sed, *donec veniat*; nempe ad judicium, proindeque usque ad finem sæculi, ut explicant Div. Chysost. D. Ambros. D. Remig. & alii Patres communiter ibi.

Probatur quartò ex verbis Christi Domini: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummatione sæculi*, Matth. 28. n. 20. quod non solùm intelligitur ope, & auxillio, sed etiam de vera, ac reali præsentia sacramentali, ut docent Eusebius, Emissenus homil. 3. Dedicationis Ecclesiæ, & communiter Interpretes hoc loco. Ex quo adverte ut notavi tom. 5. in Evang. lib. 9. cap. 9. expositi. 4. n. 72. quod tunc Dominus non solùm cum Apostolis loquebatur, sed etiam cum eorum successoribus, ac Ecclesiæ ministris, non enim Apostoli usque ad finem Mundi viventes, erant duraturi, sed tantùm eorum successores, quibus suam realem præsentiam promittit. 273

Quod Dominus dicebat Apostolis, eorum successoribus dicebat.

Arguit hæreticus: Ecclesia Romana in consecratione calicis ait juxta Christi verba: *Hic est Calix sanguinis mei novi, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur:* ergo si potestas consecrandi non fuisset solùm data pro Apostolis sed etiam pro aliis, dicendum erat à Christo D. Hoc facite vos, & multi in meam commemorationem. Argumentum est invalidum, & nullius momenti; aliud est loqui de potestate ad faciendum sacrificium, aliud de his pro quibus est oblatum; nam sacrificium eucharisticum cum sit memoriale passionis Christi, ut inquiunt D. Chrysost. & Theop. offertur *pro vobis*, discipulis meis, ait Christus, qui estis præsentes, *& pro multis*, id est omnibus aliis. Vel *pro vobis*; id est sacerdotibus, *pro multis*, id est pro laicis omnibus; vel *pro vobis*, scilicet judæis, ex quibus Apostoli erant, *& pro multis*, id est pro gentibus, ex quibus majori ex parte erat Ecclesia congreganda. Has duas expositiones affert D. Th. 3. p. q. 78. a. 3. ad 8. sicut enim sacrificium Crucis fuit quædam copiosa, & generalis redemptio pro omnibus, sic etiam sacrificium eucharisticum cum sit illius memoriale, offertur in Ecclesia Dei pro omnibus, offertque eum sacerdos pro se & pro aliis; & sicut sacrificium Crucis à solo Christo D. potuit offerri, ut omnes fatentur, sic & sacrificium altaris cùm sit passionis memoriale, à solis sacerdotibus, qui personam Christi agunt, offerri valet, proindeque potestas offerendi sacrificium fuit restrictè data à Christo pro solis Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio. Et si conferenda esset potestas consecrandi cum his, pro quibus offertur sacrificium, sequeretur, quod non solùm possent consecrare sacerdotes, sed etiam laici, imò & mulieres, ac infantes lactanei, ac etiam mortui, cum pro his omnibus offeratur, quod omninò ab omni ratione alienum. 274

Solvitur argumentum hæreticorum.

Apoc. 29. n. 12. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum quod nemo novit, nisi ipse.

Num. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei.

VERSIONES.

Arabic. n. 12. Et super caput ejus plures coronæ.
Æthiopic. Super caput coronam.
Syriac. Habens nomina scripta, & nomen scriptum.
Primas. Habens nomen magnum scriptum.
D. Cyprian. Portabat nomen scriptum, *nulli* alii quàm sibi notum.
Syriacus n. 13. Amictus erat veste, quæ diffluit sanguine, & vocant nomen ejus.
Arabic. Amictus erat tincta veste sanguine.

Pri-

Primas. Erat coopertus veste, &c. Et dicitur nomen ejus, &c.

D. Cypr. Et dicitur nomen ejus sermo Dei.

EXPOSITIO.

275 OCuli ejus sicut flamma ignis; quo indicatur ira, ac furor hujus magni Principis, Christi scilicet Domini in adversarios, ad eos puniendos, simulque magna oculorum perspicacia ad eos persequendos, ita ut nullus effugere valeat. *Et in capite ejus diademata multa.* Ad denotandum, quod ideo sit iste Domini descensus, ut hoc uno prælio multas obtineat victorias tunc de Antichristo, ac de Regibus terræ venientibus in ejus auxilium, simulque in hoc prælio obtinebit Dominus victoriam de Mahometanis, hæreticis, schismaticis, in tota, & tanta sua vanitate, quo omnes sectæ cum Antichristo peribunt, & extinguentur; imò & etiam Dominus habebit victoriam de omnibus insidiis, ac stratagematibus contra Ecclesiam, & ideo locus hujus victoriæ dicitur *Armagedon*, id est locus insidiæ, sive stratagematis.

Magna, & illustris Christi victoria.

276 *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse*; Syriacus: *Habet nomina scripta, & nomen scriptum*; quod in multis codicibus græcis non habetur: tamen si hoc ita legatur, multa sunt Christi nomina; *Admirabilis, fortis, consiliarius*, &c. sed unum erat præcipuum, quod Primas. appellat *nomen magnum*; quod omnibus ignotum, soli autem Christo cognitum est; hoc autem nomen esset, de quo statim vers. seq. subdit: *Et vocabatur nomen ejus verbum Dei*: ita Ribeira, Viegas, Cornel. Estius, Menoch. Et dicitur: *Nemo novit nisi ipse*; hoc est ad exactè intelligendam, ac comprehendendam ejus divinam generationem. Tamen aptiùs mihi videtur dicendum cum Ferrar. quod sicut ob incarnationem datum est Christo nomen Jesu, quod ex mandato revelatum est ab Angelo, ita ob hanc insignem victoriam dabitur *illi* nomen à Patre, quod adhuc nemo novit, nec ipse Joannes. Et nomen dicitur scriptum, non tamen explicat Evangelista in quo loco erat scriptum. Cornel. la Haye dicitur in primo, ac principali diademate tanquam in vertice superioris diadematis.

277 *Et vestitus erat veste aspersa sanguine*; Syriacus legit: *Amictus erat veste, quæ diffluit sanguine.* Indicat illam vestem ita sanguineam, & cruore madidam, ut ex ea sanguis diffluere; sed hoc non exprimit nostra Vulgata, sed habet: *Vestitus erat veste aspersa sanguine.* Per hanc vestem multi Patres, ut D. Hier. D. Greg. infr. q. 38. interpretantur Christi humanitatem, quæ licèt modò sit gloriosè regnans in Cœlo, in quo etiam vestigia, ac cicatrices vulnerem retinet, sicque suam vestem suumque sacratissimum corpus sanguine aspersum habet, quod non est ad indecorem, sed ad pulchritudinem, maximè cum veniat ad judicium, ostendens hominibus quæ pro eis sustinuit. Tamen cum Dominus hìc non veniat ad judicium, sed ad pugnandum cum Antichristo, ac suis adversariis, videtur vestis aspersa sanguine hostili suorum inimicorum, tanquam eos trucidans, conculcans, ac superans magno, & glorioso triumpho; & sic dicitur cap. 6. *Exivit vincens, ut vinceret.*

278 *Et vocabatur nomen ejus Verbum Dei.* Tria nomina jam supra illud dedit Joannes, quod vocabatur fidelis, verax, & nomen quod nemo novit, nunc addit quartum, *Verbum Dei*, ut veram sanciret fidem, non esse Christum personam humanam, sed divinam, in humana natura subsistentem, qui tam gloriosam, ac magnificam victoriam vi suæ virtutis, ac lucis potuit reportare de Antichristo simul cum illo eradicando, ac destruendo omnes errores, ac iniquitatum sectas, ut solus Dominus Jesus in toto Orbe agnoscatur ut verus Deus. Poterat hìc moveri quædam difficultas: Cur hìc dicitur *Verbum Dei*, in Evangelio vero Joannis solùm dicitur Verbum? *In principio erat Verbum*, Joan. 1. Quam quæstionem excitavit tom. 1. in Evang. c. 1. q. 9. n. 22. 23. quia hìc dicitur *Verbum Dei*, ut ejus divina natura declaretur, at in Evang. Joannis si dicitur: *In principio erat Verbum*, statim ejus divina natura exprimitur cùm dicitur: *Et Deus erat verbum*; vide ibi alias rationes.

Declaratur Christi divinitas.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare oculi Christi D. apparebant tanquam flamma ignis.

ALcazar ait, quod his verbis indicatur Christi zelus, de æterni sui Patris gloria, simulque indignatio adversùs idololatras. Rib. quod oculi ut flamma ignis signum sunt animi irati, & in idem veniunt Vieg. & Cornel. quæ signa sunt supplicia inferre molientis, qui addit magnam vim esse in oculis, nam basiliscus intuitu occidit, struthiones, ac testitudines spectantes fovent ova, ut habes ex Plinio lib. 9. cap. 10. 279

Oculus ardens ut flamma signum iræ ac furoris.

Plenissimè cum oculi dicuntur tanquam flamma ignis, tria denotantur; primò ad ostendendam fortitudinem hujus magni ducis ira exstimulatam; secundo ad declarandam ejus perspicaciam, qua suos adversarios indagabit, ut nullus effugere valeat; tertio ad ostendendum errorem, quo inimici Domini vexabuntur, nam statim cùm Dominus apparuerit, multa signa prodibunt, quibus compulsi adversarii se in fugam dare conabuntur, sed frustra, nam ubique eos ira Dei apprehendet. 280

Genuina expositio.

Jam moraliter. Secundò: *Oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.* Christus D. se Regem Regum ostentat, cum habeat in capite diademata multa, & tunc dicuntur oculi ejus sicut *flamma ignis*. In igne sicut in ejus flamma duo consideranda sunt; habent enim illuminare, & comburere, & hæc optimè apparent in Christo supremo omnium Regum; oculi ejus sunt veluti flamma ignis, ut significetur ejus bonitas, ac benignitas erga suos electos, eos illuminans, ac luce sui splendoris illustrans, rigidus, & severus erga impios peccatores, eos propter delicta sua comburens, ac flammis devorans. Rem in hunc modum explicat Andr. Cæs. Et ait: *Is est Iesus Cristus filius, qui flammatis, igneisque oculis gentes judicat, hoc est sua provida cura, suaque vi contemplativa, lucentem flammam ab igne ardenti secernens, justis quidem id tribuit, quod illustrandi virtute pollet, non illud, quod sua natura adurit, atque excruciat; peccatoribus autem obscuriores, adurentesque illis partes explicat.* 281

Christus Judex justis benignus, peccatoribus severus.

Tertiò: *Oculi ejus sicut flamma ignis.* Flamma ignis solvit obduratam nivium glaciem; quid magis frigidum, quàm peccatoris cor omni spirituali calore destitutum? Inde oculi clementissimi Jesu flammæ ignis assimilantur, quia obduratam peccatorum glaciem resolvit in fluenta aquarum lachrymarum. Episcopus Tuscul. Jacob. de Vitriaco Dominic. 4. Quadrag. in his oculis Domini, ut flamma ignis illius misericordiam considerat, & ait: *Qui respicis terram, & facis eam tremere, mitte in me radios oculorum tuorum, ut solvatur glacies peccatorum meorum; oculi enim tui velut flamma ignis, & quasi splendor Solaris, propter quod David orabat dicens: Ne avertas faciem tuam à me, ne declines in ira à servo tuo*, Ps. 26. n. 6. *faciem scilicet agni respectum pietatis, & misericordiæ tuæ, oculos clementiæ tuæ.* 282

Oculus Dei resolvit duritiem peccatorum.

Quarto multi auctores volunt, quod hìc describatur Christus, tanquam veniens ad judicium, sed; cur oculi supremi judicis dicuntur sicut flamma ignis? Flamma ignis præter calorem, habet etiam splendorem, quo abscondita in tenebris patent, & videntur: ecce cur tales tunc dicuntur Christi oculi; quia nihil ei est absconditum, & occultum, sed omnia sunt ei aperta, & manifesta. Joachimus Abbas: *Oculi Domini venientis ad judicium similes flammæ ignis esse perhibentur, quia nemo erit, qui se abscondat à calore ejus.* D. Thom. ait: *Hìc describitur Christus quantum ad sapientiæ, sive notitiæ claritatem, quia clarè omnia videt, & hoc est oculi ejus id est ejus plena sapientia, qua tanquam oculis videt omnia; & dicit in plurali ad significandum sapientiæ perfectionem, quia melius, & plenius duobus oculis, quàm uno videmus.* Tanquam flamma ignis; *quasi dicat: Ejus sapientia plena, & clara est, in cognoscendo ad modum ignis habentis flammam plenam & claram.* Ad Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus.* 283

Suprema Domini, ac judicis omnia sunt manifesta.

Quinto & altè considera, quod hic magnus, ac inclytus Rex, sic procedit, ut *oculi ejus tanquam flamma ignis sint*; teste Ruperto, *quia omnia clarè videt, & falli non potest, ut injustè judicat.* Et licèt habeat 284

præ-

præclaros duces, ac milites ad rem bene gerendam, ad hostem superandum nu. 14. *Exercitus, qui sunt in Cœlo sequebantur eum;* nulli sanè præstantiores milites, & tamen ipse lynceis oculis adest castris, equo sedet, & non desidet, militem videt, & ducit n. 11. *Et cum justitia judicat, & pugnat.* Et pulchrè obarmatus suis oculis videt, quid miles agat, & manu peragit. O præclarum documentum cunctis principibus! ne nimis fidant in subditorum causis, licèt bonos, & optimos habeant ministros, sed per se, ipsi inquirant, & attenta inquisitione, cuncta videant, & examinent; sic Joan. II. Portugalliæ Rex, solitus erat ad Senatum adire, ut suis ipse oculis prævideret, quid providendum esset, nec alienis tantum fidebat oculis. Resend. c. 97. ferè simile refert Sueton. de Tiberio c. 33. undè de optimo Principe ait Seneca ad Polyb. c. 26. *Omnium somnos, illius vigilia defendit.*

Bonus Princeps suis ministris adest.

285 Magnus ille Rex Jobus de se ait cap. 29. n. 7. *Quando procedebam ad portam civitatis*; quo verò tempore, ac hora, id explicat text. græc. *Ante lucanus;* sed cur ab aula princeps ad urbis portam adibat? locus ibi erat Senatus, ac jurisdicendi ut docet Moyses Deuter. 16. nu. 18. *Judices, & Magistros constituens in omnibus portis ejus*, &c. Quamvis sanctus Job optimos, & præclaros haberet judices à se constitutos, qui lites solverent, & determinarent, tamen antelucana vigilia, ait enim: *Quando procedebam antelucanus*, &c. Prætoribus subditis aderat, ut suis scilicet oculis rem videret, ac manibus contrectaret, ne quis reus, vel gratia elaberetur, vel innocens odio premeretur. Hanc mentem ebibendam suo Principi exoptabat Fernand. Diaconus in Parænetico regula 3. dicens: *Non potest sapiens dnx excusari de ignorantia, quoties forsitan dixerit: Ego nescio; non audivi; nullius ad me querela pervenit; per ipsum namque, quid agatur à suis oportet inquiri, quia nemo eos audet publicis interpellationibus accusare, quorum violentias alii timent, alii patiuntur.* Quod graviter confirmatur ex illo Proverb. 25. nu. 2. *Gloria Regum investigare sermonem.* Ad magnam gloriam Regum pertinet inquirere, ac perquirere quæ fiunt, ac dicuntur à suis ministris.

Princeps subditorũ negotia, nõ ministris fidat, sed ipse videat.

286 Apud Ezech. 9. nu. 2. habetur, quod *ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & uniuscujusque vas interitus in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus, & ingressi sunt, & steterunt juxta altare æneum.* Hic vir lineis vestitus in medio sex Angelorum, communis sententia est D. Gregorii, Theoreti, Rupert. Pinto. Fernando quod fuerit omnium judex Christus D. veniens ad judicium causas hominum discussurus, & ideo portat secum sex Angelos, tanquam habentes exploratas, ac scriptas hominum causas; quo posito maximè notandus est, habitus hujus magni viri, nimirum: *Atramentarium scriptoris ad renes ejus.* Atramentarium sanè ad renes positum, potiùs notarium, sive scriptorem designat, quàm judicem, ac supremum principem. Ubi mundialis Judex, ac Princeps apparet, virga insignis est, & ejus latera cingunt custodes, ac plurimi notarii, ut causas hominum examinent, & testimonia ferant. Si ad hoc divinus Judex secum asportat sex Angelos, veluti notatas habentes aliorum causas, ad quid insuper ipse defert *atramentarium scriptoris ad renes ejus?* Discant Reges, Principes, ac judices, qui totum Orbem gubernant, qui quamvis habeant ministros probos, & bonos, ut Angelos, ipsi tamen Reges, ac Judices per se ipsos veniant, videant, & notata, ac scripta habeant aliorum facta, & dicta, ut non tantùm ex aliorum verbis, ac relatu, sed ex propriis notatis, ac cognitis subditorum causas determinent, ac judicent, & ideo bonus princeps non solùm sit Judex, sed etiam scriptor, ac notator. Ad hæc bene D. Paschas. lib. de Corpor. & Sangu. Dom. c. 8. ait: *Neque fit error judicii, ubi judex est, & scriptor, Verbum Dei Patris Christus Jesus.* Tunc judicium fit rectum, quando idem supremus Dominus, simul est judex, scriptor, & notator.

Rex in subditorũ causis, sit judex, & notator.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare Christus Dominus in capite portat multa diademata.

ALbertus Magn. ait, quod diadema idem valet, ac duo demens, nempe principium, & finem, & ait: *In hoc diademate æternitas præmii, & coronæ perpetuitas denotatur.* Vel ut alii volunt diadema, id est duo demens, nempe oblivionem à memoria, ac mente hominum. 287 Derivatio diadematis

Olim Reges, ac Imperatores, non coronis, sed diademate utebantur. Est autem diadema ex Rhodigino lib. 24. c. 6. fascia candida, qua Imperatores, & Reges caput obvelabant, ut ferunt Turcæ in suis Turbantis; Primus inventor ex Plinio fuisse dicitur Liber Pater, ex Imperatorib. Romanis; primus illo usus est, Aureolus Imperator multis partis victoriis, ut testatur Fulgos. lib. 3. c. 6. & in Hispania Leonegildus Gothorum Rex post multas magnas victorias adeptas, ut habet idem Fulgosus c. 4. Thetrum vitæ humanæ tom. 3. verb. gloria §. Aureolus; anteà verò nullus visus fuit *illam* habere in usu. Cùm quidam Cæsaris statuæ coronam lauream imposuisset simili fascia ligatam, Tribuni Plebis eam detrahi jusserunt, & in carcerem illum conjecerunt. Alcazar ait, quod diademata multa, essent multæ hujusmodi fasciæ circumdantes caput, quales vidimus in turbantis Turcarum, & ita quilibet ejusmodi gyrus, sive ambitus est quasi diadema; quam sententiam non probo, alias nunquam esset unum diadema, sed multiplex, quia in unoquoque multi sunt ambitus, & gyri. 288 Quid sit diadema.

Tota ergo quæstio: Cur Christus D. multa diademata habet in capite? Hoc Alcazar persistens in sua sententia, refert ad victoriam de Roma ethnica ex idololatria conversa ad fidem. Viegas, Ribeira, Cornelius, Menoch. quia Christus omnem in omni genere potestatem, & primatum habet, & universa Regna in se uno continet. 289

Tamen ad scopum præsentem, Christus D. ut omnes interpretes fatentur, & patet ex fine hujus capitis, hìc exiit in pugnam contra Antistristum, ejusque sequaces, ac contra omnem malitiam, nequitiam, ac pravitatem, ideoque ob multas victorias, multiplici corona insignitus apparet; ob trophæa de Antichristo, de Regibus ejus auxiliatoribus, de omnibusque paganis, judæis, Mahometanis, schismaticis, ac hæreticis, in tota sua varietate ab exordio Mundi, quia omnes hujusmodi sectæ, ac errores peribunt, & extinguentur, & relictis his erroribus, unum in terris agnoscent numen, nempe Christum D. ipsumque adorabunt omnes Tribus, ac gentes terræ; & quia in hac una victoria innumeras victorias consequetur Christus D. ideo inducitur non uno diademate, sed multiplici. In quo etiam erit victoria de dolis, insidiis, ac stratagematibus de Satanæ ministris contra Ecclesiam, ejusque filios, & ideo locus victoriæ *Armagedon*, id est locus insidiarum. 290 Genuina expositio. In victoria de Antichristo, multiplex victoria.

Jam moraliter. Hìc in capite Christi D. apparent diademata multa, quod jam prædictum fuerat per Zachar. c. 6. n. 11. *Facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec sacerdotis magni*; ubi sermo est de Christo D. ut communiter habent interpretes, & statim explicat Propheta seq. Aers. 12. *Ecce vir oriens nomen ejus*; & cur non una corona, sed multiplici coronatur Christi caput? Plurimæ sunt sanctorum virtutes, opera charitatis, justitiæ, patientiæ, &c. & dominus fervorum suorum operibus coronatur, ab ipso enim procedit, quod tam illustria facta fiant. D. Hier. ad cit. Zachar. locum ait: *Imponuntur coronæ Jesu filio Josedech, quia nobis proficientibus & reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur; imò nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, salvator in singulis coronam accipit.* Ultima verba maximè notanda, pro quibus etiam audiendus est Rupert. *Scimus*, ait, *per singulas virtutes nostras, Dominum coronari, & multa in capite ejus diademata esse, quia sicut Apostolus ait Ephes. 1. n. 23. Ipse omnia in omnibus adimpletur.* 290 Christus nostris virtutibus, & operibus coronatur.

Confirmatur ex Isai. 62. n. 3. loquente ad Ecclesiam, ac ad ejus filios justos, & sanctos: *Eris corona gloriæ in* 291

manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui; non ait, eris corona, vel diadema in capite Dei tui, sed in manu, quia Deus manu sua auxilio suo te provexit ad gloriam coronæ, ac ad regnum coronatum. Vide quanta sit hominum gloria, ut ex eorum gloria, sibi Deus conficiat coronam, corona enim martyrum corona est Dei; corona Apostolorum, doctorum, ac virginum, &c. est corona Dei, quia ex ejus virtute, ac gratia omnia sancta opera fiunt, undè dicitur Ps. 102. n. 4. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*; ab ejus misericordia, & gratia nostra corona nascitur, ac provenit. In quo sensu dicebat Paul. ad suos discipulos Philipp. 4. n. 1. *Gaudium meum, & corona mea*; multo magis Deus de sanctis suis dicet: Vos estis gaudium meum, corona mea, quâ ipse Deus coronatur. Præclarè D. Cyprian. lib. 1. epistol. 6. exhortans martyres ad martyrii palmam, & coronam ait: *Militate fratres, dimicate constanter, scientes vos sub oculis præsentis Domini dimicare, qui non sic est, ut servos tantùm spectet, sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri, & coronat pariter, & coronatur.* Perpende ultima verba: *Coronat pariter, & coronatur.*

Deus in nostro certamine coronat & coronatur.

297 Secundò cur Christus D. tot, ac tantis coronis redimitus apparet? Non mirum, quia omnes actiones, ac operationes ejus sanctissimæ vitæ fuerunt præclarissimæ victoriæ magnis laboribus, ac sudoribus obtentæ, quibus ipse gloriosè triumphat, & gaudet. Ad hoc respicit regius Vates Ps. 64. n. 12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ*; & non tantùm intelligit Propheta ultimum triennium prædicationis Christi, sed totum tempus ejus mortalis vitæ nobiscum, quod totum peregit magno certamine probato, atque inde à Deo Patre mirificè coronatus describitur. D. Ambr. lib. de Institut. Virgin. cap. 15. & 16. *Quis est iste annus benignitatis dominicæ, cujus coronam benedixit Dominus, nisi ille, de quo Scriptura dicit: Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis adjuvi te? Tunc ergo Dominus operibus suis, & gloria, & honore sui tempus coronavit adventus; totus enim ille annus conversationis ejus in hoc Mundo, diversarum habuit certamina passionum, vicit Herodem parvulus, de quo in passione infantium triumphavit; esurivit, sitivit, pro nobis vapulatur, pro nobis contumeliarum indigna toleravit, Crucem ascendit, & pro nobis mortuus est. Vides quanta certamina passus est, sed tamen non avarus exactor præmii, cui abundavit una cœlestis corona virtutis.* Ubi præclarè D. Ambrosius totum Christi conversationis tempus coronatum annum appellat, quo sicut varia superavit certamina, ita varias promeruit coronas *benignitatis tuæ*, omnium cœlestium donorum. *Et campi tui replebuntur ubertate*; quorum fertilitate campi tui, tui nempe justi, ac sancti replentur, ut interpretatur D. Aug. *Pinguescent speciosa deserti*; claustra nempe monachorum, ac religiosorum, quorum omnium coronæ à Christi corona veniunt. Et ait D. Ambr. lib. 2. de Abraham. c. 5. *Christus habet coronam, in qua omnes coronæ sunt*; & addit: *Quia non portio unius coronæ, sed præmium coronarum est.*

Tota vita Christi plena multiplici certamine.

Ab ubertate coronæ Christi, coronamur.

293 Tertiò cum dicuntur: *In capite ejus diademata multa*; & eorum numerus non assignatur, innumera intelliguntur; & cur tot coronas gestat in capite, cum una sufficiens esset, ut ab omnibus ut supremus Rex haberetur? Ut tam multiplici coronarum numero, amplissimus ejus dominatus denotaretur, & quod ipse non solùm esset dominus Orbis terrarum, sed etiam cœlorum, & non solùm hominum, sed etiam omnium Angelorum. Andr. Cæsar. ait: *Multa illa diademata Christi servatoris in omnes, sive in Cœlo, sive in terra dominium, & regnum insinuant; tot enim ille fortitur coronas, quot Angelorum sunt ordines, quot rursum in cœlis sunt sceptra, sanctorumque hominum agmina.*

Christus Rex hominum, ac Angelorum.

294 Quarto una quidem corona sufficiebat, ad hoc ut Rex Regum, ac Dominus Dominantium diceretur; ad quid ergo tot coronæ in capite Christi irradiant? Sanè non ut sibi eas retineat, sed ut eas suis justis tribuat, eosque tam gloriosis splendoribus exornet, ac condecoret. Ansbert. Abbas: *In capite ejus diademata multa, à quo sunt omnia diademata*; & ad hoc facit id, quod ait Cajus Papa in epist. decretal. tom. 1. Concilio ad Felicem Episcopum: *Acceperunt justi, non dederunt coronas*; quibus in verbis denotat Christum non sibi coronas retinuisse, sed eas aliis distribuisse.

Christus Rex hominum, ac Angelorum.

Et confirmatur ex supra citatis verbis Isai. 62. nu. 3. loquente Propheta cum Christo D. *Eris corona gloriæ*; seu ut alii legunt, *decoris in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui*; & cur corona dicitur potiùs in manu Christi, quàm in capite? Diadema est in capite Regis ad ejus gloriam, & ornamentum, in manu verò est, ut per suos milites distribuat, eosque coronet, ac exornet; inde corona non dicitur in capite Christi, sed potiùs in manu, quia non de sua gloria, sed potiùs de nostro decore agit. D. Hieron. ait: *Erit quasi corona decoris in manu Domini, quando eam coronaverit turba credentium, & diadema Imperii, quando martyres gemmarum sua varietate distinxerint.* 295

Christus potiùs agit de nostro ornamento, quam de sua gloria.

Ut supra in hac quæstione dixi, mandatur Zachariæ Prophetæ 6. n. 11. *Facies coronas, & pones in capite Jesu filii Josedec*; Chaldæus legit: *Facies coronam magnam*; si coronæ sunt multæ, quomodo dicitur corona una magna? Quod multæ sint coronæ, una corona magna est Christo, quia quod ipse habeat multas coronas, ut per suos distribuat, eosque gloriosos, ac magnificos efficiat, hæc corona magna est Christo, quia ut supra dixi ex D. Cyprian. *Hac coronat, & pariter coronatur.* 296

Magna corona Jesu suos coronate.

Quinto maximè hìc expendendum, cur modò hìc Christus appareat multa habens diademata in capite. Hìc modò progreditur Christus ad bellum gerendum cum Antichristo: *Cum justitia judicat, & pugnat.* superiori vers. 11. maximè provocantur milites & duces ad concomitandum suum Principem, ac Regem in bellum, si corona & præmium cum veritate, ac fidelitate: *Vocabatur fidelis est verax*, vers. 11. proponatur ante oculos eorum: *Diademata multa in capite ejus*; & statim adjungitur: *Exercitus, qui sunt in Cœlo sequebantur eum.* Plus convocat ad bellum una corona inspecta, quàm tuba militaris fortiter resonans. 297

Plus milites convocat ad bellum corona inspecta, quam tuba.

Magnoperè celebrat Habacuc Propheta Christi victoriam per suos Apostolos, ac ministros de Diabolo, ac Mundo c. 3. n. 5. *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur Diabolus ante pedes ejus*; & ante tam præclaram victoriam perpende quod ait Propheta nu. 4. *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Ubi nostra Vulgata habet: *Cornua in manibus ejus*; legit Pagnin. *Splendores de manu ejus fuerunt*; Chaldaic. *Scintillæ gloriæ ejus prodierunt*; quænam sunt ista cornua, splendores, ac scintillæ? Sunt nempe coronæ munerum, largitiones, trophæa, ac regna data in Jesu manibus, hæc ut splendores illuminant milites ad viam arripendam ad pugnam, & ut scintillæ ignis inflammant cor ad bellum; & in his *absconditæ est fortitudo ejus*, quia in sui amorem, & sequelam universos traxit. Explicatiùs Septuaginta legunt: *Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*; Arabicus: *Posuit amorem potentem ex potentia sua*; talia enim proposita fuerunt robusta, ac potens dilectio, ut Jesus diligeretur, ac sequeretur per omnem viam laboriosam à suis discipulis. Ad hoc tendit D. Hier. *Idcirco regnum posuit Pater in manu filii sui, ut faceret dilectum suum ab hominibus diligi non leviter, sed vehementer, ac fortiter.* Cum manus ejus sint plenæ regnorum, ac munerum, inde omnes alliciuntur ad sequelam contempta omni pressura, ac labore: vide supra hoc tom. c. 12. q. 27. n. 215. & q. 77. n. 644. 646. & tom. 1. in Apocalyps. & quinque in Evangel. in Indice verb. *Præmium.* 298

Viso præmio, Milites convocantur ad bellum.

QUÆSTIO XXXVIII.

Quare de Christo dicitur, quod nemo novit nomen ejus, nisi ipse, cum statim dicatur, vocabatur nomen ejus Verbum Dei.

AIt Joannes, n. 12. quod Christus D. habebat *nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse*, & tamen vers. 13. subdit: *Et vocatur nomen ejus verbum Dei*; & de utroque dixi in expositione, vide ibi dicta; nunc verò tota quæstio est quomodo dicitur, quod 299

Difficultas quæstionis.

nemo

nemo agnovit nomen ejus, cum Evangelista adjungat: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei;* si dicit nomen ejus, quomodo eum incognitum affirmat?

300 Ribeira, ac Viegas dicunt hoc nomen, quod nemo novit, nisi ipse, esse Verbum Dei, de quo statim subdit. vers. seq. *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei;* dicunt enim nullam creaturam integrè, ac plenè posse cognoscere, ac comprehendere divinam Verbi generationem; & hanc sententiam priùs docuit Aretas. D. Ambros. hoc loco, sanctos ex parte scire nomen filii Dei, ex parte nescire. Contra hæc obiicit Cornel. quia hìc non agitur de re significata, sed tantùm de nomine. Facilis tamen est solutio, quia hìc agitur de nomine explicante quidditatem, ac naturam rei, quod nomen nemo novit, nisi ipse; & ita ait D. Th. *Ne credatur, quod dignitas ejus, aut potestas sit explicabilis per aliqua dicta, vel dicenda, ideò rectè subditur: Habens nomen, quod nemo novit, nisi ipse.* Andreas Cæs. *Nominis ignoratio essentiam illius esse incomprehensam denotat.*

Natura Dei à nobis inexplicabilis.

301 Genuina explicatio. Tenendum est cum Cornelio Ferrario, nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, esse distinctum ab eo quod dicitur Verbo Dei; nec enim noster Joannes in tam brevi oratione diceret nomen simul esse ignotum, ita ut nemo illud sciret, & statim illud explicasset esse Verbum Dei; & nomen Verbum non erat ignotum Joanni, sed optimè illud agnoverat, ut patet ex ejus Evangelio: dicendum ergo est, quod sicut propter incarnationem à Patre datum est nomen novum Jesus, quod secundùm radicem hebraicam, ac characteres, novum erat, quod ex Dei nutu revelatum est ab Angelo, antequam in utero conciperetur, ita propter hanc insignem pugnam, & victoriam, aliud quoddam nomen illi præstandum erit à Patre, quod adhuc nemo novit, nisi ipse, & quando ipse voluerit illud revelare; proindeque quatuor nomina ut jam dixi Joannes tribuit Christo, fidelis, verax, quod nemo novit nisi ipse, & Verbum Dei: hæc juxta literam.

302 Deus revelat sua secreta Ecclesiæ, quæ impiis sunt abscondita. Moraliter dubitant multi graves DD. quod cum dicat Joannes: *Nomen ejus nemo novit, nisi ipse;* statim addit: *Et vocabatur nomen ejus Verbum Dei*; & post pauca subdit: *Et habebat scriptum in femore, Rex Regum, Dominus Dominantium;* si Joannes affirmat, quod nemo scit nomen ejus, nisi ipse tantùm solus, quomodo statim ait quod nomen illius sit *Verbum Dei, Rex Regum, Dominus Dominantium*? jam non ipse solus agnoscit nomen suum, sed etiam pluribus est cognitum. Cum dicitur quod nemo agnoscit nomen ejus, non excluditur ejus Ecclesia, sponsa sibi charissima, cui omnia sua revelat, & ipse veluti idem cum illa computatur. Ansbert. Abbas: *Christus nosse dicitur, quod ejus sponsæ in ipso dare conceditur, per quem, & in quo eadem beata sponsa instituitur, atque docetur. Ipse certè novit, quod Ecclesia in ipso scire meruit*; quia ut Apost. ad Cor. 1. c. 6. *Qui adhæret Domino unus spiritus est*; & illud de Christo, & Ecclesia Ephes. 5. num. 31. *Erunt duo in carne una, quod videlicet nomen, nec judaicæ, nec incredulæ nationes, nec hæretici cognoscere meruerunt.* In hac eadem sententia est etiam Rich. Vict. dicens: *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse, & subauditur, cui voluerit revelare, quia deitatis nomen, quod ipse æternaliter habet, per naturam, & suis habere tribuit per gratiam, nemo malus poterit agnoscere, quia nemo poterit habere.* His etiam subscribit Joach. Abb. & Card. Hugo, quod nomen ejus solùm scitur à fidelibus, non verò ab impiis, ac infidelibus.

303 Objectio. Contra à nobis dicta obiicies. Christus D. ait Joan. 15. num. 15. suis Apostolis: *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis*; quomodo ergo nunc dicitur, quod hoc nomen ita sit ignotum, ut nemo sciat illud, nisi ipse? Respondetur primo, quod hoc nomen non sit dictum à Patre, sed scriptum, ac proinde non comprehenditur in illis: *Omnia quæ audivi à Patre meo.* Deinde cum Christus ait; *Omnia quæ audivi à Patre meo*; intelliguntur spectantia ad regimen Ecclesiæ, ad propagandam, ac stabiliendam fidem, ac amicitiam, de qua Dominus maximè loquebatur in illo sermone; & hoc maximè confirmant proximè dicta de Ecclesiæ fidelibus, quibus Christus revelat omnia.

Solutio.

Deinde dico, quod hoc nomen, quod scriptum erat, & nemo illud novit nisi ipse, esse Sanctis. Jesu nomen, quia tot magnalia excellentiæ, ac supereminentiæ continentur in hoc sacratis. nomine, ut solus Deus sua infinita sapientia, illas intelligat, agnoscat, & comprehendat. Et nota quod dicitur: *In capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse.* Hoc sanctis. nomen, ut ex multis auctoribus dixi præ sui magnitudine, ac dignitate scriptum erat in superiori diademate, in supremo, & alto fastigio illius. Ait Paul. ad Philip 2. n. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, &c. in quo exaltavit Pater filium? an quod in eo reposuit thesauros suæ patientiæ ad tam admirabilem doctrinam? an quod cum magno triumpho resurrexerit? an quod gloriosè ascenderit in cœlos, & magnificè Pater ad dexteram suam collocaverit? Audiamus D. Paulum de hac re: *Exaltavit illum, & donavit illi nomen*; in eo quod ei dederit nomen Jesu, tanquam in compendio super omnia sublimavit, communicans illi omnia, quæ ipsius Patris erant. D. Ambr. lib. 1. in Luc. ait: *Dando autem nomen, quod est super omne nomen, non plus dedit, quàm habuit, sed totum quod habuit dedit.* Dedit autem hoc nomen, *ut omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus est in gloria Dei Patris.* 304

Omnia Dei magnalia ut in compendio habentur in nomine Jesu.

Ait Isai. 33. n. 20. *Videbunt oculi tui Jerusalem, habitationem opulentam, quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster;* explicat Card. Hugo: *Ibi solummodo, est Dominus secundùm totam suam magnificentiam.* Præfata Isaiæ verba sic legit noster D. Cyril. *Quia nomen Domini magnum ibi.* Sermo est de Ecclesia Jerusalem habitatione opulenta multis cœlestibus donis, quia, *ibi est Dominus secundùm totam suam magnificentiam*; & quænam est hæc tota Domini magnificentia? Nomen magnum ejus Jesus, quia in hoc sanctiss. nomine, Jesus, tota Dei magnificentia veluti in compendio habetur. 305

In nomine Jesu tota Dei magnificentia.

Ait Angelus ad V. Mariam Luc. 1. n. 31. *Ecce concipies, & paries, & vocabis nomen ejus Jesum*; ad quid Angelus in exordio ipsius annuntiationis aperit nomen pueri nascituri: *Et vocabis nomen ejus Jesum*; cur non priùs proponit, quod ille erit filius Altissimi, & quod sedebit in sede Davidis, ac quod Spiritus Sanctus descendet super eam, & quod ipsa Virgo concipiet, & Virgo pariet, sed ante omnia ait, quod, *vocabis nomen ejus Jesum*? Dum puer dicitur vocandus Jesus, ibi omnia divina magnalia denotantur. Ad hæc ait D. Aug. hom. 17. de Tempore: *O sacrum mysterium in Nativit. Domini, concepit Virgo antequàm sponsum haberet; & quod ad laudem nominis Domini pertinet, & Mater & Virgo cœpit esse post partum.* Expende verba: *Quod ad laudem pertinet nominis Domini.* Dum nomen Jesus indicitur, ibi etiam declaratur quod natus filius sit Altissimi, & quod ipsa Virgo, & mater sit. 306

In nomine Jesu omnia divina magnalia denotantur.

QUÆSTIO XXXIX.

Quare hoc nomen Verbum Dei dicitur, & nomen ejus, quod nemo novit nisi ipse, scribitur.

DE Christo D. ait præsens text. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit, nisi ipse*; & statim subditur: *Et dicitur nomen ejus Verbum Dei.* Nomen, Verbum Dei, voce dicitur, ac pronuntiatur, at nomen, Iesus, quod nemo novit, nisi ipse, scriptum habetur; cur unum nomen voce dicitur, ac pronuntiatur, alterum verò exaratum scriptum habetur? Quod dicitur transit, & è memoria elabitur, quod verò scribitur fixum permanet, ne obliviscatur; ideo ergo nomen, Iesus, scripturæ mandatur, ut semper sit fixum in nostra mente cum in eo sita sit nostra vita & salus. 307

Nomen Jesu ut vitæ fons, semper memoria retinendum.

Samaritanæ detrectanti Iesum, & contemnenti ejus aquam, ait illi Iesus: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, Ioan. 4. nu. 10.* Hoc pro certo asserit Dominus, quod mulier non contemneret ejus aquam, si sciret quis esset, qui cum illa loquebatur, si sciret eum non solùm secundum naturam, sed etiam secundum nomen ejus; & quænam proportio nominis ejus cum aqua illius? 308

Qui scit Iesum ut verum Deum.

illius? Illius aqua est gratia, ac affluentia cœlestis beatitudinis, & solùm qui scit nomen Jesus, illumque agnoscit, & invocat, solus hic valet sibi comparare gratiam, ac vitam cœlestis beatitudinis. Rupert. ad cit. locum Joannis ait: *Si scires Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, si audisses nomen ejus evangelicum, tu forsitan crederes in eum, & petiisses aquam vivam, hoc est baptismatis.* Si suavissimum Jesu nomen, quod proprium Evangelii est, & capit Christum in Evangelio, audisses, absque dubio curreres post aquam salutarem gratiæ.

309 Ex Ægypto de filiis Israel egressi sunt sexcenta ferè millia hominum absque parvulis, Exod. 12. n. 37. & tamen in solitudine omnes mortui sunt, solùmque vivi duo in terram promissionis devenerunt: *Prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in solitudine, nullusque remansit ex eis, nisi Cales filius Jephone, & Josue filius Nun.* Valde mirum est, quod inter sævientes mortes, quæ universos peremerunt Israelitas, duo tantùm evaserint, unus Josue, & alter ejus comes Cales. Josue suo nomine se munivit adversùs mortem, Cales protectione sui socii, ac amici. D. Ambros. serm. 18. in Psal 118. ait: *Quicumque exierunt de Ægypto, perierunt in deserto. Mortuus est Aaron, mortua est Maria, mortuus est ipse Moyses; solum Jesum Nave nominis sacri similitudo servavit.* Quid elegantius? omne malum fugit, ubi umbra apparet sanctissimi Jesu nominis.

Umbra nominis Jesu omne malũ fugit.

QUÆSTIO XL.

Quare Christi vestis sanguine erat aspersa.

310 Volegas vult hanc vestem esse Christi humanitatem à judæis cruentatam vulneribus, eorum cicatricibus rubicundam, quæ adhuc remanent in Christi corpore, quorum notas, ac memoriam sui, ac suorum martyrum sanguinis secum defert, cujus ultionem nunc deposcit. Et in hac sententia etiam conveniunt Cornel. la Haye, Estius, & alii. At vero Ribeira ait vestem Christi sanguine aspersam denotare supplicium cruentum sumendum de inimicis, eorumque sanguinem effundendum.

311 Genuinus sensus hujus rei sumendus est ex fine, ac scopo hujus visionis, in qua Christus D. venit ad expugnandum, destruendum, ac vincendum Antichristum, & inde vestis ejus aspersa est sanguine hostili, quem fudit, & mox est fusurus, & ideo dicitur infra vers. 15. *Ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* Inducitur ergo Christus quasi pugnans, conculcans, trucidans, ac vincens suos impios hostes, ira suæ divinæ omnipotentiæ. Certus est de victoria, cum jam ejus vestis sanguine eorum tanquam jam effuso aspersa, ac cruentata appareat; & alluditur ad illud Isai. 63. n. 1. & 3. *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra. Torcular calcavi solus; calcavi eos in furore meo, in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea;* ubi ad literam sermo est de Christi victoria, trucidantis suos adversarios, scilicet Diabolum, & ejus socios, ac gentiles, idololatras, ac impios: *Conculcavi eos in furore meo*; non quod Diabolus habeat sanguinem, quem Christus fuderit, nec quod occiderit, ac transfixerit gentes, sed tropologicè accipiendum est, quia ut rectè ait D. Hieron. vestis aspersa sanguine signum victoriæ est, ac conculcationis adversariorum.

Sensus genuinus.

312 Secundò multi PP. Tertull. lib. 4. contra Marcion. D. Greg. Magn. hom. 13. in Ezech. D. Cyril. Alex. D. Basil. ad locum cit. Isaiæ, & hic Rupert. Beda, Ansbert. Albert. Magn. per hanc Christi vestem sanguine aspersam intelligunt Christi D. humanitatem sanguine suæ passionis cruentatam, qua humanitate sanctissima divinitas tanquam veste cooperta in hoc Mundo apparuit. Ex quo sequitur, quod locus Isaiæ proximè citatus, & noster præsens text. ibi mutuò correspondeant, & unus ad alterum referatur, quod triplici ponderatione expendendum est.

Christi humanitas.

313 Primo ait Isai. 63. nu. 1. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*; quæ verba sic legunt Septuag. *Formosus in stola sua, qui violentia incedit cum fortitudine*; quid est quod cum Christi humanitas sanguine rubricata apparet, statim ostendit fortitudinem, ac quandam veluti violentiam moralem ad animos generosos, ut similiter plagas, ac verbera suscipiant cum sanguinis effusione pro ipso Deo? Theodoret. citatus à Leone Castro ait: *Violentiam habet pulchritudo ejus, quæ universos cogit intuentes.* Pro quo ait D. Bernard. serm. 43. in Cantic. *Si ante oculos habueritis, quem portatis, pro certo videntes angustias domini, leviùs vestras portabitis.*

Passio Christi non est ad dedecus pertinens.

Secundò ait Isaias: *Iste formosus in stola sua*; seu ut legunt Tygur. *honorificè paludatus*; Vatabl. *honorabilis in veste sua*; Arias *decoratus in stola sua*; si dicitur quod tinctis erat vestibus, quod veste aspersa sanguine, quæ maximè videntur deturpare, quomodo tanto sanguine fuso à vulneribus, ac cicatricibus dicitur formosus honorabilis, honorificatus, ac decoratus? Sic sanguine fuso splendescit meus Jesus quod ejus humanitas, ac vestis sanguinea, non tollit summam ejus pulchritudinem, sed potiùs adauget, ac multiplicat, ita ut in hoc magnifico triumpho de suis hostibus, ea exornetur, ac splendescat; sic ait D. Bern. sæpè à me citatus: *Quàm decorus mihi es Domine, in depositione decoris tui.* D. Aug. serm. 178. qui est quintus de Ascensione ait: *Ascendebat Crucis cruore perfusus, à tropheis victricibus laureatus. Viderunt cœlites cuncti spinosum vulneribus Christum, spolia cœstris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talia concrepant hymnis, deducuntque letantes, quis est iste, inquiunt, Rex gloriæ?* vide tom. 5. in Evang. lib. 8. cap. 1. 314

Christus decorus & formosus in ipsius passione.

Tertiò in Scriptura frequenter sanguis peccatum significat; Osee 4. nu. 2. *Sanguis sanguinem tetigit*; hoc est cum peccatum cumulatum fuerit, quod notavit D. Greg. lib. 13. Moral. c. 10. dicens: *Sanguinis nomine peccatum signari, undè is, qui à peccatis liberari desiderat per pœnitentiam clamat: Libera me de sanguinibus Deus, Psal. 50.* ecce ergo vestis Christi, seu ejus sanctissima humanitas dicitur aspersa sanguine. D. Ambros. hìc: *Possumus per vestem corpus Christi, per sanguinem verò peccata nostra, pro quibus mortuus est ipse, intelligere.* Et hoc sensu chlamydis purpureæ Christi mysterium, qua in passione sua indutus est dominus, sic explicat Orig. hom. 35. in Matth. & ait: *Ergo & nunc suscipiens dominus coccineam chlamydem, in se sanguinem Mundi suscepit, & in spinea illa corona suscepit spinas peccatorum nostrorum.* 315

Christus in se suscepit nostra peccata ut pro eis satisfaceret.

Quarto multi, & graves DD. cum Joach. Abb. hìc intelligunt Christum D. venientem ad judicium; in capite ejus diademata multa, ad justorum remunerationem: oculi ejus præ ira tanquam flamma ignis spirantes furorem; ex ore ejus gladius ex utraque parte acutus, sententia nempe damnationis: *Ite maledicti in ignem æternum*; ad quid inter hæc *vestis aspersa sanguine?* Humanitas nempe ejus sanguine rubricata; quis sanguis melius clamat quàm sanguis Abel? clamat nempe misericordiam, & pietatem; & tunc hæc clamabit? Minimè, sed clamabit justitiam, & furorem, quia homines videntes tam largam sanguinis effusionem, tot tormentis, ac vulneribus contempserint, ita ut in suis iniquitatibus iniquè agerent. Et quid durius, quàm in fonte misericordiarum pœnam, ac vindictam bibere? Ad hoc tendit Joach. Abbas, & ait: *Possumus per vestem aspersam sanguine intelligere justitiam Christi, quia licèt iniqui omni tempore indesinenter agant ad damnationem, præcipuè tamen in die illo, in quo reddet Dominus unicuique secundùm opera ejus.* 316

In die judicii fons pietatis, erit in damnationem iniquorum.

Quinto: *Vestitus erat veste aspersa sanguine*; Syrus: *Amictus erat veste, quæ diffluit sanguine*; tanta sanguinis largitas, erat in veste illa, ut copiosè undique diffluerit? sic sanè erat; non enim una vice tantùm, sed pluribus largitatem sanguinis sui pro nostra salute effudit. D. Bernard. ait: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, id est carne cruentata proprio sanguine; fuit autem aspersus sanguine septem vicibus, primò in circumcisione, secundò in oratione, quando sudor ejus factus est sicut gutte sanguinis decurrentis in terram, Matth. 26. tertiò in coronatione, quartò in flagellatione, quintò in pedibus, sextò in manuum perforatione, septimò in lateris apertione.* 317

Christus pro nobis multoties sanguinem fudit.

Sextò

318 Sextò Primasius per hanc sanguineam vestem Christum interpretatur in Ecclesia sua, ac electis suis patientem, nam quidquid Ecclesia, filiique ejus patiuntur, etiam Christus pati dicitur; occiditur in Abel, lapidatur in Stephano, flagellatur in Paulo: sed cur Ecclesia, ac electi ejus vestimento comparantur? quænam combinatio inter unum, & alterum ut suam Ecclesiam, ac electos cum vestimento conferat? Nil nobis familiariùs ac intimiùs adhæret, quàm vestes quibus induimur; nil nobis magis præ oculis, quàm vestes quibus exornamur; non ergo mirum, quòd Christi vestis sanguinea, Ecclesiam in suis martyribus significet, quia ipsi maximè Christo adhærent, eisque maximè ipse exornatur. D. Th. *Vestitus erat veste, id est Ecclesia, quæ in suis martyribus occiditur. Eccl.11. Quasi vestis est ipsius Dñi, qui ei adhæret, sicut vestis dñi, & per hoc patet familiaritas Christi ad justos.*

Electi Christo adhærent maximè, eique sunt ornamentũ

319 Septimo: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei;* cur cum aspersione sanguinis rubet, nominatur Verbum Dei, cum potiùs ut videtur, filius hominis appellandus esset? nam Verbum Dei dicit ordinem ad illam æternam generationem, in qua ex intellectu oritur paterno in splendoribus Sanctorum, amictus lumine sicut vestimento; quid illi cum sanguinea veste, ut tunc Verbum Dei nominetur? sic ille ex vehementi affectu, ad injurias patibuli, ac mortis afficiebatur, ut ex æterna devotione sanguineam mortem auspicaretur, sicque sanguine Crucis, ac tormentorum delectatur, ut divinum nomen, puramque spiritualem sacræ originis notionem cum sanguine appetat cruentari, manifestari, ac apparere: *Vestitus erat veste aspersa sanguine, & nominatur Verbum Dei.* S. Hippolyt. hom. de Deo Trino: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatum est nomen ejus verbum Dei. Videte ergo fratres, quomodo vestis sanguine aspersa, in symbolo significavit carnem, qua venit ad subeundam passionem impassibile Dei Verbum.* Nota, quod simbolum carnis in Verbo Dei non est aliud, quàm sanguis, quem totum effudit pro hominum salute.

Christus sic morte delectatur, ut cum sua divinitate conjungat.

320 Iterum veniat proximè citatus locus Isai.63.num.2. *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* quam interrogationem sic expendit D. Hier. *Nunc scire volumus, quare vestimenta tua sint velut musto tincta, aut quid causæ extiterit, ut tunica, quæ desuper texta est, & scindi non potest, & de utero virginali tantum candorem habuit, quantum nullus fullonum possit facere super terram, est sanguine cruentata;* ac si dicat: Qua ab æterno Patre, candor es lucis æternę, splendor, ac vita ante luciferum, qua à Matre Virgine totus candidus, & decorus; cur ergo, sic totus sanguineus es, & tanquam in torculari mersa indumenta saturantur sanguine? si tibi, ò Domine, tantus est splendor à Patre, tantusque candor à Matre, cur hunc splendorem, ac candorem in prima fronte non ostentas, sed vestimentum sanguine cruentatum? Sic de sanguine effuso pro hominum salute gloriatur, ac in æstimatione tanta est ei, ut in suo magnifico, ac splendenti triumpho in cœlo statim illum beatorum oculis obiiciat, illumque velit manifestare, ac ostentare. De suo divino sponso canit Anima Sancta Cant. 5. n.10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* D. Ambr. lib.1. de Virgin. & ser 5. in Ps. 118. Theodor. Anastas. Synaita lib.4. Hexaemer Orgelitan. *Candidus à generatione æterna lux purissima de luce æterna rubicundus à morte & passione.* Tamen in magnifico applausu, in primo aspectu, se rubicundum ostentat à morte, & passione quasi hæc sit illi pretiosissimum ornamentum.

Christus ita gloriatur de morte, ut ante splendores divinitatis ostentet.

321 Hebr.9.n.19. refert Apostolus, quod pontifex *accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo ipsum quoque librum & omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus, & etiam tabernaculum, & omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit; & omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur: & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Secundùm legem omnia sanguine purificabantur, & sine sanguine non fiebat remissio, & ideo pontifex cum sanguine aspergebat populum, librum, tabernaculum, & omnia vasa; ad quid cuncta sanguine madent? Nondum aderat tempus, ut Deus fieret homo, & quodammodo dolebat Deus qui impassibilis & exanguis, nondum habere, quem pro homine funderet cruorem, ideo sanguineis delectatur figuris, coccineaque aspergine interim suum vehemens desiderium mitescit, dum figura mortis, ac indiciis sanguinis cuncta rubent. Eleganter Theodoret. ait: *Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus; quia enim divina natura est immortalis, per hostiarum sanguinem, implevit mortis figuram & sanguinem. Postquam autem homo factus est Deus, & sermo mortale corpus habuit non amplius fuit opus sed proprio sanguine novum confirmavit testamentum.* Expende: *Postquam homo factus est Deus sermo;* id est Verbum. Antequam fieret homo suum desiderium sanguineis figuris detinebat, at verò postquam homo factus est, ejus desiderium est expletum, & tales vitulorum non requiruntur figuræ.

Verbum Dei in pręsanguinis desiderio sanguine delectabatur.

Profundè expende singula Apostoli verba: *Ipsum quoque librum aspergit;* ad quid liber sanguine cruentatur? In libro nihil aliud erat scriptum, nisi ipsum Verbum, ipsumque nomen Dei, & quia pro tempore non erat licitum sanguine Verbum cruentari, & sanguinem multum amabat in lavacrum, saltem nomen suum sanguine vult delibutum habere, ut vocabulum Verbi cum passionis rubore conjungatur. Secundò dicitur, quod sacerdos *accipiens sanguinem cum aqua;* aquam sanguini immiscuit, & utrunque nuncupat sanguinem: *Omnia in sanguine mundantur;* significans, quod in figurato Christo tanta futura erat sanguinis copia, ut omnem multitudinem aquarum absorberet, ac superaret. Tertiò ait text. *Hic est sanguis testamenti;* & calix sanguinis Christi appellatur, *novi, & æterni testamenti.* Testamentum dicitur, quia in eo continetur ultima testatoris dispositio, voluntas, ac desiderium, inde sanguis Christi rectè dicitur testamentum, quia in ipso habetur tota Christi dispositio, voluntas, ac desiderium.

322 Deus sanguinem desiderans, nomen suum sanguine aspergi mandabat.

Sanguis Christi omnem aquam superat.

Tota Christi voluntas in sanguine fuso.

QUÆSTIO XLI.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare Christus in Sacra Eucharistia ostentat in capite suo multa diademata.

323 I*N capite ejus diademata multa.* Ad remunerandum nempe, ac præmiandum eos, qui dignè, ac reverenter ad hanc mensam conveniunt tanquam in coronam, ipsa enim eucharistica mensa, veluti corona est, qua dignè accedens insignitur, ac nobilitatur. D. Chrysost. hom.83. in Matth. ait: *Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat;* ubi apertè eucharisticum Sacramentum per manus sacerdotis distributum, coronam appellat, tanquam si eos sacerdos fideles ad sacrum accedentes coronatos reges constituat, ita ut virtute hujus Sacramenti homo plebeius ac ignobilis, Rex constituatur.

Sacra Eucharistia corona omnium Regum.

324 Ait regius Vates Psal.64. n.12. *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate;* quid corona hæc designat? Sacram nempe Eucharistiam, omnium scopum cœlestium benedictionum, ac coronam omnium divinorum donorum. Hoc argumentum confirmat noster Incognitus: *Benedices coronæ, id est hostiæ in formam coronæ;* qui quidem effectus extitit anno passionis Domini, cui hæc hostia est memoriale perenne; & hic annus passionis Christi per antonomasiam est annus benignitatis Christi. *Benedices coronæ;* scilicet Eucharistiæ Sacramento, in quo sunt omnes divinæ benedictiones, de cujus ubertate campi, id est justi replebuntur, & pinguescent speciosa deserti, claustra nempe Anachoretarum.

Eucharistia corona omnium donorum.

325 De hoc divino Sacramento communiter à Patribus, ac expositoribus intelligitur illud, quod divina Sapientia de se testatur Proverb. 9. n 5. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem;* & ad homines clamavit: *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis;* & ipsa de se ait: *Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ, & gloria, opes superbæ, & justitia,* Proverb.8.n.18. Opes superbæ, ut jam supra dixi c.12. id est magnæ, & magnificæ; sic dicitur superbum ædificium, id est magnum & magnificum. Algerus lib.

In Eucharistia omnes divitiæ cœlestes cum omni gloria.

de Euchar. *Accedite omnes ad hanc mensam, quam sapientia nobis ædificavit; de hac dicitur Proverb.8. mecum sunt omnes divitiæ, & opes justitiæ gloriæ, ac misericordiæ Dei.*

326 Canit regius Vates Psal.67. n.10. *Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ* (id est populo tuo) *& infirmata est, tu verò perfeciſti eam;* quæ verba ab expoſitoribus uno ore de manna nobiliſſima Euchariſtiæ figura interpretantur, & ſacram Euchariſtiam aſpiciens Propheta de futuro dicebat: *Segregabis Deus*; & eam appellat *pluviam voluntariam*; D. Hieron. *pluviam elevationis*; Pagnin. *munificentiarum*; Vatabl. *liberalitatum*; Cajetan. *voluntatum*. Tanta benignitate hoc cœleſte donum datum eſt à Deo, ut in eo oſtenderit Deus omnem exaltationem, ac elevationem ſui populi, omnem ſuam magnificentiam, in inſtitutione tam admirabilis Sacramenti, omnem ſuam liberalitatem in hac communicatione omnium cœleſtium donorum, omnenque ſuam voluntatem: *Pluviam voluntatum*; ac ſi hoc opus non fuiſſet unius voluntatis, ſed plurium voluntatum, ſimul repetitarum. *Tu verò perfeciſti eam:* tu verò Domine hoc cœleſti cibo, tuam hæreditatem perfeciſti, in omni excellentia. Genebrard. in Pſalm.22. ad illa verba: *Paraſti in conſpectu meo menſam;* ſic ait: *Tu me alis liberaliter, & ſuaviter, imo ſumptuosè, lautè, & magnificè, & ad voluptatem.*

Omnis elevatio, magnificentia, ac liberalitas divina in hac menſa.

327 Ait Iſaias 55. n.1. *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite; venite, emite abſque argento, & abſque ulla commutatione vinum & lac;* qui locus de ſacra Euchariſtia à D.Hier. ac ab aliis Patribus interpretatur. In quibus verbis duo in quæſtionem voco; primo, quod aquas offerens: *Sitientes venite ad aquas*; ait: *Comedite;* cum aquæ ad potum, & non ad cibum pertineant. Secundò: quod invitans ad aquas, vinum, & lac promittat; & undè aquæ propoſitæ poſſunt ſic tranſmutari in cibum, vinum, & lac? Aquæ hæ, ad quas nos Propheta invitat, ſunt aquæ diviniſſimi Sacramenti euchariſtici, ſunt aquæ, & panis ad comedendum, vinum & lac ad bibendum; ſunt panis ad alimentum vitæ ſpiritualis, ſunt aquæ ad irrigandum omnibus cœleſtibus donis; ſunt vinum lætificans, ac corroborans cor hominis adversùs omnes dæmonum tentationes; ſunt & lac ut nos repleant omni ſuavitate, ad dulcedine. D. Hieron. ad citatum locum: *Mirum in modum, quod non bibunt aquas, ſed comedunt; ipſe enim, & aqua, & panis eſt, qui de cœlo deſcendit;* omnia enim, ô chriſtiane, habes in meo Jeſu.

Omnia deſiderabilia in Euchariſtia habes.

328 Ait Deus per Joelem 2. nu.19. *Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis:* non ait cum eis, ſed *in eis;* habebitis ſcilicet omnem plenitudinem, & abundantem repletionem; nonne multa ſunt alia, quæ ad ſaturitatem plenam pertinent, ut carnes, poma, dulcia? quomodo ergo ut abundanter repleantur, ſolùm eis proponit frumentum, vinum, & oleum? In pane & vino intelligebat Chriſtum Dominum, ſub ſpeciebus ſacramentalibus cum oleo omnium cœleſtium chariſmatum. Rupert. ibi ait: *Quæramus frumentum illud, quod eſt verbum Dei, ſcilicet Chriſtus, & vinum & oleum illud, quod Samaritanus vulneribus ejus, qui in latrones inciderat, infudit, quia nimirum de talibus veraciter dicat majeſtas promittentis, & replebimini in eis; ſola enim hæc ſunt, quibus repleri poſſit vacuitas noſtræ mortalitatis;* nec enim homo in hac vita alio poteſt repleri, niſi menſa euchariſtica, in qua eſt vera plenitudo. Pro quo piè, ac devotè audiendus eſt D. Laurent. Juſtinian. in Faſcicul. amoris c.6. *Cur non delectet te Chriſtus, cum in ipſo univerſa delectabilia ſint? Si te pulchritudo delectat, utique præ filiis hominum ſpecioſus eſt forma. Si poteſtas placet, poteſtas ejus, poteſtas æterna; Si tuum divitiæ mulcent affectum, gloriæ, & divitiæ in domo ejus, & ut cuncta paucis explicem, omnium plenitudo donorum, quæ in eo diffuſa eſt, delectabilem, & valde charum illum reddunt hominibus.*

Euchariſticus cibus vera plenitudo noſtra.

329 Hinc rectè dicitur in text. *In capite ejus diademata multa, & nomen ejus nemo novit, niſi ipſe;* quia diademata, & dona, quæ nobis in hoc Sacramento communicantur, nemo novit, niſi ipſe, hinc Apocalyp.2. n.17. ſacra Euchariſtia juxta multorum ſententiam dicitur *manna abſconditum*, quia ejus ſuavitas, ac cœleſtis abundantia nobis eſt abſcondita.

Suavitas Euchariſtiæ nobis maximè abſcondita.

QUÆSTIO XLII.

Quarè Chriſtus in Euchariſtia oſtentat veſtimenta ſua aſperſa ſanguine.

330 *Veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine.* Juxta myſticam hanc expoſitionem, qua de ſacra Euchariſtia præſentem textum interpretamur, hoc nobis ſignificatur Chriſtum à nobis ſumendum eſſe cum memoria paſſionis ſuæ, juxta illud Luc.22. n.19. *Hoc facite in meam commemorationem*; & 1.Cor.11.n.26. *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat;* hinc idem Apoſtolus, 1.Cor 5. n.7. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, itaque epulemur;* priùs commemorat paſſionem Agni immolati, deinde ad epulum euchariſticum invitat, de quo in præſenti loquitur, ut interpretatur D.Anſelm. & ait: *Epulemur id eſt, epulis corporis, & ſanguinis ejus reficiamur.*

Euchariſtia cum memoria paſſionis.

Ait regius Vates Pſ.134.n.13. *Domine nomen tuum in æternum; Domine memoriale tuum in generationem, & generationem.* Quid per memoriale intelligat, variè pertractant expoſitores; Hugo Cardinalis hoc loco exponit: *Memoriale tuum, id eſt altaris Sacramentum, quòd traditum eſt in memoriam dominicæ paſſionis.* Multa alia nomina Davidi ſuppeditabant, quibus euchariſticum Sacramentum aptiùs nominaret; ut ſi diceretur, cœleſte manna, Angelorum panis, panis de cœlo, panis vitæ, Chriſti corpus, & alia multa. Rectè Euſebius Emiſſenus, homil.5. de Paſcha de hac re ſic Philoſophatur: *Quia Chriſtus*, inquit, *corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſyderibus ablaturus, neceſſarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum corporis, & ſanguinis ſui conſecraret, ut coleretur jugiter per myſterium, quòd ſemel offerebatur in pretium, ut quia quotidiana, & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet etiam redemptionis oblatio, & perennis illa victima viveret in memoria, & præſens ſemper eſſet in gratia.* Agnoſcebat Dominus hominum ingratitudinem, ac mentis debilitatem, ut de beneficiis recordaretur; inſtituit ergo hoc divinum Sacramentum ut illa copioſa redemptio, quæ in una die peracta eſt, ſemper nobis eſſet fixa in mente: *Perennis illa victima viveret in memoria;* & abundans Crucis, ac mortis Chriſti gratia, qua portæ cœli apertæ, & in totum Mundum redundavit, qua & latro ſibi veniam promeruit, nobis ſemper eſſet præſens, ad vitam, & ſalutem habendam per hoc divinum Sacramentum: *Et præſens ſemper eſſet in gratia.* Hoc Sacramentum unica, & perfecta hoſtia eſt, quo omnem virtutem paſſionis habemus præſentem, quo & ipſe Deus placatur, Mundus redimitur, infernus gemit, cœlum ovat magno triumpho, & omnes gratiarum theſauri ſunt aperti, & in promptu.

Eucharſtia ergo Sacramento tota gratiam paſſionis Chriſti præſentem habemus.

De ſe ait divina ſponſa Cant. 2. nu.4. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*; Pagn. legit. *Introduxit me Rex in domum vini*; explicatiùs Septuaginta: *Introducite me in domum vini.* Magno affectu amat ire ad cellas, ac officinas, ubi vinum perficitur, ac conficitur; & quando cæteri convivæ cum ſedent ad menſam, illis proponitur vinum jam perfectum, & conſummatum; cur divina ſponſa, non quærit vinum perfectum, ſed tantùm amat ire ad officinam, ubi ipſum vinum conficitur? Anima ſancta ita deſiderabat illud vinum germinans virgines, ut vellet mente, ac conſideratione ſimul introire, in officinam ipſius vini, hoc eſt in torcular paſſionis Chriſti ſub ligno Crucis, ut conſideratione ejus mortis dignè, ac devotè, illum potare, ac haurire mereatur. D.Greg.Nyſſen.hom.4. in Cant. & ait: *Illud vult videre myſterium, quemadmodum ſponſo calcanti torcular, rubræ fiant veſtes, de quo dicit Propheta: Quamobrem rubra ſunt veſtimenta tua, & indumenta, ſicut ejus, qui calcat torcularia. Propter hæc, & quæ ſunt hujuſmodi, cupit ingredi domum, in qua eſt vini myſterium,*

Sic Euchariſtia ſumendo, ut mens ad Chriſti paſſionem tranſeat.

& sacramentum, Anima sancta divino spiritu repleta, non sedens ad mensam expectabat illud vinum sumere, sed magis mente, ac cogitatione transibat in locum, ac torcular Crucis, ubi illud vinum conficiebatur ac exprimebatur: ex his & nos discamus sic ad eucharisticam mensam accedere, ut mente transeamus ad Crucis torcular.

333 Mandabat Deus Lev. 2. num. 5. *Si oblatio tua fuerit de sartagine similæ conspersæ oleo, & absque frumento, dividesque eam minutim*; ubi nos habemus *absque frumento*, legit Arab. *Azimum similæ*; cum ergo dicitur simila absque frumento, seu Azimum, Sacramentum Altaris significatur, ut explicat Esichius, cui adhærent Cornel. & Lorin. nam corpus Christi in sartagine, id est ut explicat Interlin. *In Cruce*, fuit tanquam in craticula assatum, & mortuum, & indè percoctum, ac comestibile, ut nobis daretur in alimentum in venerabili Eucharistiæ Sacramento; quo posito expende illud, quod additur in text. *Divides eam minutim*; quod explicans Interlin. ait: *Minutim id est, singulas partes passionis distinguendo, scilicet sputa, colaphos, coronam spineam*. Sic ad sacram Eucharistiam debes accedere, ut tamen minutim singula passionis mysteria sint altè contemplanda, ut flagella, spinæ, clavi, Crux, & lancea, quæ omnia magno doloris affectu, à te recolenda sunt, ut inde discas Christo conformari mortificatione, ac compunctione. D. Cypr. serm. de Pass. & ait: *Tu Domine Sacerdos in æternum, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio sancti hujus sanguinis permanentem plenitudinem reliquisti, & beneficium hujus sancti liquoris in perpetuum tradidisti, & constituisti nobis inconsumptibiliter potum vivificum Crucis lignum, & mortificationis exemplum*. Expende ultima verba.

In Eucharistica mensa contemplanda mysteria passionis Christi.

Apoc. 19. n. 14. Et exercitus, qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo.

Num. 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes: & ipse reget eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.

VERSIONES.

Arabicus n. 14. Exercitus autem cœlestes sequebantur eum super equos albos, induti veste munda, & splendenti.

Æthiop. Purpura splendoris puri.

D. Cyprian. Induti byssinum mundum.

Aretas. Induti byssо.

Syriac. n. 15. Gladius acutus duorum orum, ipse calcabit torcular vini excandescentiæ Dei.

Arabicus. Prodibat gladius biceps acutus, eoque percutit gentes, pascitque eas virga ferrea, & ipse qui trivit locum iræ, ac furoris Dei, qui omnia tenet.

Æth. Torcular vini veneni iræ Dei omnibus dominatoris.

D. Cyprian. Et eo percutere nationes, quas ipse pasciturus est, & calcabit.

Aretas. Anceps acutus.

EXPOSITIO.

334 CUm Christus D. exit in bellum contra Antichristum, ejusque Reges comites sequuntur exercitus cœlestium, non tanquam milites ut pro eo pugnent, sed tanquam comites, ac spectatores tam gloriosæ pugnæ, ac victoriæ, solus enim Christus hoc bellum conficiet, & perficiet. De eo dicitur infra hoc cap. n. 21. *Occisi sunt gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*. Et quanquam graves auctores teneant, quod in hoc exercitu solùm erant Angeli, tamen cum Joannes non exercitum, sed exercitus qui sunt in cœlo dicat, non possunt excludi sancti. Nec valet, quòd tunc non habituri sunt corpora; nam fortè aliqui, qui surrexerunt cum Christo jam habent, nec Angeli habent corpora, qui in istis exercitibus sunt: ergo in hac expeditione ad magnam pompam triumphi erunt comites, ac spectatores, non solùm Angeli, sed etiam sancti, & maximè martyres, qui oblectabuntur tam justa, & expedita vindicta.

In hoc exercitu sunt Angeli & Sancti.

In equis albis. Multi auctores cum D. Greg. ac D. Hieron. per equos albos intelligunt corpora pura, & immaculata sanctorum; tamen cum in hoc exercitu, non solùm sint sancti, sed etiam Angeli, magis ad literam cum Ribeira dicendum est, quòd exercitus, cœlestium apparent in equis albis in hoc Christi comitatu pro gloria, ac magnificentia tanti triumphi, ac victoriæ. *Vestiti byssino albo, & mundo*. Respectu Sanctorum, sunt eorum merita, & justificationes, ut ipsemet Joannes expositi supra vers. 8. *Byssinum enim justificationes sunt sanctorum*. Suis meritis justi vestiuntur, ac exornantur, respectu verò Angelorum, est ipsorum lætitia, & innocentia, ac etiam triumphi, ac victoriæ significatio, quæ etiam omnia in sanctis dantur. 335

De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus. Lyran. per hunc gladium intelligit Christi exhortationem ad suos fideles contra infideles, ac gentes. Alcaz. Christi doctrinam, & prædicationem, quæ omnia vertit in bonum; Ribeira sententiam damnationis. Aptiùs verò Cornel. Tirin. Menoch. per hunc gladium intelligunt imperium, ac eximiam Christi potestatem, quam exercet in antichristianos, cæterosque iniquos, & impios, & ideo dicitur: *Ex utraque parte acutus*; quia ipsos percutiet undique, & ex omni parte, seu in hoc sæculo, ac futuro, & ideo sequitur: *Ut in ipso percutiat gentes*; ipsi nempe rebelles, suisque sanctis adversantes, eosque persequentes. 336

Reget eas in virga ferrea; quæ virga olim à Davide fuit prædicta in secundo Psalmo, quæ in gentibus comminuit earum impietatem, fregit illarum superbiam, ac prævaricationem illas perdendo, ac commeritis pœnis afficiendo: *Et ipse calcat torcular*. Ipse Dominus Jesus, quondam calcatus in torcularì Crucis, ac tormentorum sanguinem suum dedit, merito ipsius sanguinis tunc effusi, à Patre habens judiciariam potestatem, ipsos impios calcabit, dura ultione eorum sanguinem fundens. *Vini furoris iræ Dei*. Sat erat unum dicere, iram, vel furorem; ad quid utrunque ponit? Rupert. quia præsenti sæculo erit ira, corpora trucidando, & perdendo, in futuro sæculo furor ad inferos, in æternum damnando. *Omnipotentis*. Alta consideratione omnipotentiæ fit vindicativum, prout ei placuerit, à quo nullus poterit effugere, nec in hoc sæculo, nec in futuro. 337

Nullus potest effugere ab ira Dei.

QUÆSTIO XLIII.

Quare nullo convocante, exercitus, qui sunt in cœlo, Christum sequuntur.

338 COElestes exercitus tanquam copiæ præclarissimorum militum Christum sequuntur, non ad oblectamenta, sed ad pugnam, & sequuntur non tanquam milites pugnaturi, quia solus Christus sua virtute bellum conficiet, sed sequuntur tanquam comites, ac spectatores tantæ victoriæ, ac triumphi, ut dixi in expositione: In his ergo magnis exercitibus sunt Angeli, & Sancti, ut ibidem dixi. Et quamvis aliqui graves auctores sanctos martyres intelligant, non inde excludendi sunt virgines, continentes, ac conjugati, quia unusquisque, in suo ordine portat crucem suam, & habet suum luctamen, & coronam; undè Ansb. Abb. ait in præsenti: *Hi etsi non aperti, occulti tamen imitatione martyrii post eum currunt, quia generaliter omnibus arcta, & angusta via ad ambulandum proponitur; omnibus enim dicitur: Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit*. Omnes justi, & electi veluti martyres sunt.

Omnes justi, ac electi, tanquam martyres.

Sed jam ad quæstionem. Primò, cur quæso tot exercitus cœlestium insidentium etiam in equis veluti præliaturi, Christum sequuntur pugnatorem? nonne ipse solus pugnare poterat? Nota quod dicitur infra in hoc cap. n. 19. *Vidi bestiam & Reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium*; urgebat ergo tunc crudelissima adversùs electos persequutio, cum 339

Justi cum Christo plura habent defensores, quam oppugnatores.

undique congregarentur inimici adversùs eos. En ergo cur non solus Christus, licèt ipsemet potentior sit, sed innumeri cœlites cum eo descendunt in prælium, quia cum instat magna persecutio, Christus magna custodia, ac protectione suos defendit; & si Mundus habet multos milites contra justos, multo plures sunt ex parte Dei, ut pro eis pugnent, ac decertent, ut patet exemplo Elisæi 4. Reg.6.nu.16. D. Ambr. hìc: *Nullo modo æstimare debemus, quod hoc capitulum ad adventum Christi pertineat, in quo ad judicium venturus est, sed potiùs ad electos, qui in fine Mundi nasciturí sunt, sine etenim Mundi instante, veniet Dominus cum sanctis suis, ut pugnet per ipsos contra Antichristum, & ministros suos.*

340 Secundò: *Exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum.* Jam non chori Angelorum, sed exercitus disposìti, ac ordines militari forma; ostendebatur Christus D. veste tincta sanguine exiens in bellum, & cum princeps tali forma progreditur, dedecet servos esse in suavitate musicarum; deinde apparebat Christus vestitus veste aspersa sanguine, ut patet ex super. versu, & viso Christi sanguine, omnes ambiunt bella, & certamina, nullus est, qui recuset laborem, & fugiat à sudore. Ait regius Vates Ps.118. n.76. *Fiat misericordia tua, ut consoletur me;* non postulat misericordiam ad consolationem, sed ut ipsa misericordia ei fiat consolatio, quia cum Jesus Cruci affigebatur, tunc maximè misericordia fiebat in levamen, ac consolationem totius tribulationis. Præfata verba sic legit D. Ambros. lib.10. *Fiat misericordia tua, ut exhortetur me;* ipsa ejus misericordia quæ in Cruce fiebat simul erat vehemens stimulus, ac calcar, quo ad similia sustinenda homo excitabatur, ut in ipso labore, ac sudore imitationis Christi, magnam consolationis, ac levaminis dulcedinem perciperet. D. Ambrosius, ait: *Magna est ergo misericordia Dei, quæ non solùm remissionem tribuit peccatorum, sed etiam certantibus adhibet exhortationis calcaria, ne susceptì certaminis passiones in belli formidine derelinquant*: vide supra, q.40.n.313.

Christi passio nobis adhibet calcaria ad similia patienda

341 Tertiò expende seriem text. *In capite ejus diademata multa;* quid inde? *Exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis*; gladius verò in gentes denuntiatur: *De ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes;* cur ergo ut exercitus cœlestium sequantur, diademata in capite ejus fulgent, at verò ut gentes subjiciantur, & comprimantur gladio acuto obarmatur? Pro diversitate hominum ratio desumenda est, ut nobilissimi cœlestes cives alliciantur, corona, ac præmium proponitur, nam ingenui, ac nobiles his maximè attrahuntur, qui aliquando pœna irritantur, ac exasperantur, at in gentes ne superbiant, & mandata contemnant, gladium ex ore, & virgam ferream ex manu producit, & sic diversa hominum ingenia, diversam regiminis rationem in rectore deposcunt.

Nobilis allicitur præmio, ignobilis supplicio.

342 Valde diversimode se Deus habuit cum Adamo, ac cum Abrahamo; in Adamum post peccatum ejectum de Paradiso terrores intentat Dominus igneo gladio: *Et collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ*, Gen.3. n.24. Aliter se Deus habet cum Abrahamo, ei caput erigere, cœlumque variis stellarum luminibus fulgens aspicere mandat; undè tanta rei differentia, ut Adamo obiiciat *gladium flammantem*, seu ut habet Theodor. apud Lippoman. *igni formidabilem*, Abrahamo verò cœlum mira varietate conspicuum? Adamus per peccatum ignobilis, ac vilis effectus est, & ideo, ut notat Tertull. lib. de pallio c.3. vernularum more tunicas pelliceas ei fecit Deus, Gen.3. nu.24. at Abrahamus nobilissimus, ac illustrissimus extitit, nam Abrahamus, ut ait D. Hier. apud Lippom. in c.17. interpretatur *pater excelsus*; & ab Apostolo appellatur pater omnium credentium, Rom.4.n.11. ecce cur tam diversimode Deus se gerit cum excelso Abrahamo, ac cum Adamo vernularum more pellito; Abrahamus ut excelsus nitentibus stellarum luminibus tanquam præmio allicitur ad virtutem, at Adamus ut per peccatum ignobilis, & rusticanis addictus, terrore injecto, gladio, ferro, igne comprimitur, ac coercetur. Huc advoca quæ dixi supra cap. 5. quæst.20. n.168. & seqq.

Ingenuus præmio, ignobilis pœna movetur.

Quartò: *Exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum, & de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus*; quæ tuba, vel tympanum milites imperiali edicto in campum vocavit? Nullum audio, sed tantùm lego. *In capite ejus diademata multa;* & visum pugnanti præmium omnes convocabat ad arma, & accendebat ad prælia; c.1.Apoc.n.16. etiam apparet Dominus gladium utrinque acutum in ore habens: *De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat;* & tamen ibi cœlestes exercitus non conspirant in pugnam, quia ibi nullus refertur diadematum numerus, ut in præsenti: *In capite ejus diademata multa*. D. Cyprian. Interlin. *Quia per ea ipse, & sui coronantur*. Nil vehementiùs ac fortiùs milites convocat in pugnam, quàm corona, ac bravium ante oculos objectum, ita ut non opus sit edictis, nec cornu concavo. 343

Præmium propositum militibus stimulus ad bellum.

Parens Elias discipulo postulanti duplicem ejus spiritum, quo semper in magnis virtutibus operam daret, hoc remedium illi providit 4. Reg.2.n.10. *Si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti;* & quale hoc remedium, ut discipulus duplici nobilitaretur spiritu? Sanè visio abeuntis magistri in cœlum potentissima erat ad virtutum stimulum in discipulo, nam cum Elisæus videret Parentis merita illustrissimè remunerata, tam magnifico, ac glorioso triumpho in cœlum, inde validissimè movebatur ad talia merita amplectenda, ut optato spiritu condecoraretur. Merita remunerata calcaria nobis præbent etiam ad illustrissima facta. 344

Remunerata merita alios provocant.

Ait Christus D. suis Apostolis Matth.16.n.28. *Sunt de hìc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo*; per gloriam regni Christi intelligit Cajet. gloriam resurrectionis Christi; D. Hieron. & alii Patres gloriam transfigurationis, de quo dixi, to.4. in Evang.c.7 q.14. sed ad quid dispositum est, ut discipuli non gustarent mortem, nisi priùs visa gloria regni? Quia mors de se dura, & amara est, visa tamen corona gloriæ regni Christi ita facilis, & suavis reddebatur, ut illam homines contemnerent, ad illamque promptè, ac expeditè currerent. D. Pasch. lib.8. in Matth. ait: *Ea viderunt Apostoli, & perfecti quique in vita, ut non dubitarent deinceps pro his gustare mortem*. Visa gloria regni Christi, quæ in remunerationem danda erat, sic mors apparuit appetibilis, ut plures illam suavissimam, gustuque delectabilem haberent: vide supra, c.12.q.77.n.644. & seqq. 345

Remuneratum meritum labores faciat devorare.

QUÆSTIO XLIV.

Quare exercitus cœlestes sequuntur Christum vestiti byssino albo, & mundo, in equis albis.

COlor albus apud veteres signum erat honoris, gloriæ, lætitiæ, victoriæ, ac triumphi, indeque Romani albis vestibus procedebant ad ostentationem magni gaudii, quare, & in spectaculis, & conviviis, & omni ludorum genere, ac magno triumpho, isto colore delectabantur, ut testantur Valer. Maxim. lib.2. c.1. Plutarch. in Artaxerse, Martialis, lib.1. Epigr.25. ad Ruffum, & lib.4. Epigr. 2. de orat. de quo multa Lipsius lib.1. Elector. c. 13. quod etiam patet ex literis divinis, nam post Christi resurrectionem albis vestiti cernuntur Angeli, Joan.20.nu.12. undè ait D.Gregor. hom. 21. in Evang. *Qui stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostræ gaudia nuntiavit; candor enim vestis splendorem nostræ denuntiat solemnitatis.* 346

Albus color signum honoris, gaudii, ac victoriæ.

Ad quæstionem, & primo: Cœlites albo indumento, & in equis albis Christum sequuntur, nam quamvis Christus in equo albo incederet, generosi vero milites poterant pedites eum comitari; cur ergo etiam equis albis? Equus symbolum est fortitudinis, sicut & color albus gloriæ, & victoriæ, inde hoc significatur quod ille, qui fortiter pro Christo pugnat cum magna gloria, ac illustri victoria in cœlum sublimabitur. P. Damian. in vita SS. martyrum Mariani & Jacobi, ait: *Beatus Joannes Angelos in equis albis sedentes se vidisse fatetur, equus namque bellis aptum est animali; qui verò à sæcularibus bellis victores redeunt, equis albis curru subjugatis triumphos ad Capitolia ducunt. In equis itaque fortitudo pugnantium, in candore autem gloria innuitur triumphantium.* 347

Qui fortiter pro Christo pugnant cum gloria evehuntur in cœlum.

tium. Bene ergo Angeli in equis albis nisi sunt, quia illos, qui in prælio Christi decertabant, ad cœlestem arcem post victoriam cum triumpho gloriæ deducturi sunt.

Secundò D.Greg.Magn.lib.31.Moral.c.9.Glossa ordin. Alb.Magn.Hugo, & alii ita rem explicant.Equus est veluti corpus animæ justi; sed quænam est combinatio corporis nostri cum equo? Equus fræno coercetur cum intentat progredi ultra id, quod volumus, & etiam calcaria ei adhibemus, cum ulteriùs non vult procedere: ecce cur equo corpus nostrum denotatur; nam cum ad illicita ferri intentat,illud justus cohibet, ac coercet, & cum ad Dei famulatum pigritat, illud pungit ut viam virtutis teneat, ut purum & immaculatum corpus vivat,& ideo in equo albo & candido significatur; sic ait D. Greg. cit. *Equus est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod scilicet novit, & ab illicitis continentiæ fræno, refringere,& rursum charitatis influxu,exercitatione, boni operis relaxare, equitis verò nomine anima sancti viri exprimitur, quæ jumentum corporis bene subditum regit,undè Joannes in Apocalypsi Dominum contemplatus ait: Exercitus, qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis; multitudinem quippe sanctorum, quæ hoc martyrii bello sudaverat, rectè exercitum vocat, qui idcirco in equis albis sedere describuntur, quia eorum corpora,& luce justitiæ,& castimoniæ candore claruerunt.*

Justus corpus suum refrænat,& ad sancta agit.

349 Tertiò cur exercitus describuntur in equis albis? Per equum ut modò dixi intelligitur corpus,per albedinem verò puritas, & mundities: ecce cur pugnaturi Christum sequentes,dicuntur sedere in equis albis;qui enim pugnat cum Christo, & pro Christo, maximè mundus,& purus esse debet. Joachimus Abbas, ait: *De castis corporibus tradendis pro amore Domini sui ad tormenta hoc intelligi potest;præsertim cum ad hoc ostenderentur equi ut committatur pugna, quàm nemo committere credendus est, nisi in corpore animali mundo.*

Qui pugnat cum Christo, & pro Christo. Mundus sit

350 Quarto exercitus qui sunt in cœlo sequuntur eum in equis albis, vestiti byssino mundo, & albo; si verò ducem hujus exercitus consideres, invenies eum sedentem in equo albo, vestitum bysso albo, & mundo: Princeps, ac dux exercitus maximè debet indumento excellentiori discriminari à cæteris militibus, maximè cum dux hujus militiæ sit Rex Regum, & Dominus Dominantium, & milites sint creaturæ vilissimæ conditionis; tamen equos ejusdem coloris,& eadem indumenta deferunt. Ita quidem & merito,qui enim Christum sequuntur, ei debent conformes fieri, ac similes esse in operibus sanctis, ac in candore justitiæ,ac exercitio omnium virtutum. Rich.Vict. ait: *Exercitus qui sunt in cœlo sequebantur eum, quia omnes electi contra Diabolum præliantes,& cœlestem vitam agentes,ipsum imitantur in equis albis, id est, in corporibus,& operibus mundis,vestiti byssino albo, & mundo, id est candore justitiæ; albo, virtutum exercitatione; mundo à criminis perpetratione: idcirco autem ejus cum ipso describuntur milites, ut ipsi ostendantur esse consimiles.*

Qui Christo in virtute assimilatur, miles ejus constetur.

351 Quinto exercitus cœlestes Christum sequentes procedunt in equis albis, qui sequitur Christum, gressus suos dirigit in veritate, ac sinceritate; vestitus byssina veste,id est ut explicat D.Th ornatu suorum meritorum, quibus maximè tanquam indumento byssino condecoratur, quia ut dicitur supra vers. 8. *Byssinum sunt justificationes sanctorum*; sed cur vestis byssina cum meritis comparatur? Byssus maximo cum labore, ac pressura candorem assequitur, ideo comparatione byssi assumpta meritorum candor explicatur. Doctor Angelicus: *Quia merita acquiruntur cum magno labore.*

Sancti suis meritis adornantur.

352 Sexto: *Exercitus, qui sunt in cœlo sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo, & mundo*; qui procedebant in equis albis ut mos erat triumphantium,ut tradit Bullinger.de Imperatore Romano, to.1. lib.1.c.34. & opusc.lib.unico de Triumph. c. 21. at ad quid byssino vestiuntur? Byssinum est genus lini tenuissimum, subtile,diaphanum,sub quo universa posita apparent, de quo lege Plin. lib.19. c. 1. ut ergo innueretur eos, apud quos est veritas, & fidelitas erga suum Dominum eum in omnibus sequentes ei cuncta palam facere nihil animi sui ei occultare, sed superiori cor,& animam suam aperire, inde præclarissimi milites tali indumento vestiti prodeunt, quod substrata explicaret, ac si nullo modo velata essent. Orig. to. 1. in Joan. *Considera,* ait, *albos equos eorum, qui sequuntur sermonem, & pura bysso, & considera, num quia byssus è terra oritur, byssina indumenta significant proprietates linguarum, quæ sunt in terra, quibus indutæ sunt voces, & apertè, & purè significantes.* Perpende byssо adumbrari voces apertè significantes; tales sunt nempe voces, quæ purè,& sincerè aperiunt quæ sunt in corde.

Subditus veritatem, ac fidelitatem sui cordis manifestam faciat superiori.

Post Christi mortem. *Unus militum latus ejus aperuit,* 353
Joan.19. n.34. non ait Evangelista, perforavit, rupit, perfregit,sed aperuit;quod profundè notavit D.Aug. tract.120. in Joan.& ait: *Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, undè Sacramenta Ecclesiæ manaverunt.* At aliter regius Vates de ipsomet Christo D.loquitur Ps. 106. n.16. *Qui contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Christo D.aperitur latus, at verò ipse portas ferreas inferni comminuit, & confregit, quod etiam ex multa, & alta ratione dictum, & ut à vocabulo aperiendi abstinuerit Propheta advertit ibi D. Chrysost.& ait: *Vide orationis accurationem; non dixit: Aperuit portas æreas,* sed confregit; *non abstulit vectes,* sed contrivit. Summa veritas fidelitas, ac amor, qui in corde Christi erat, aperitur, & cunctis manifestatur, at cor ferreum inferni perversitate obduratum & obfirmatum, & clausum, ut ad ejus penetralia ingrediatur, necesse est, ut pœnis, tormentis, ac verberibus confringatur, ac conteratur.

Ubi probitas, veritas cordis demonstratur ubi iniquitas absconditur.

O quàm diversimoda habitacula habent columbæ 354
à serpentibus! columbæ habitant in rupturis apertis petrarum: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ,* Cant. 2. n.14.Pagn.legit,*in scissuris petræ*; Rabbi Salom. *in rimis rupeis*; at serpentes commorantur in latibulis, & absconditis riparum; ad quod alludens Isai.11.n.8. ait: *Delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis, & in caverna reguli*; de quo latè agit Ælianus lib. 2. c. 9. ubi de eis affirmat, quod semper umbracula, ac umbras quærunt, & ut ab hujusmodi latibulis abstrahantur, multa vis, ac ars necessaria.Sic sanè animæ, quæ candidæ & simplices sunt,columbarum ad instar, habitacula sui cordis, facilè cunctis patent,& levi diligentia ab omnibus agnoscuntur,at verò quæ serpentinæ sunt mentes ita profundissimè delitescunt, & umbras ita plurimum amant, ut multa ars, multaque violentia exoptetur, ut inde videri, ac obtineri valeant. O quantum sudat miser superior quando cum talibus serpentibus conflictum habet! ut aliquid ab eis penetret,quanta fatigatio! non talis simplex columba, & ideo veritatis, ac fidelitatis symbolum, quæ semper apertum diligit. Audiatur Tertull. lib.contra Valent. c. 3. *Abscondat se serpens quantum potest,totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat, altè dubitet, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuosè procedat, nec semel totus lucifuga bestia: Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper & apertis, & ad lucem: nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.*

Bona conscientia manifestatur superiori, mala absconditur ab eo.

Sacerdos in rationali supra pectus portabat insculptum Exod.28. n.30. *Urim Thurim*; noster Interpres legit *doctrinam, & veritatem*; Phylo Judæus legit claritatem & veritatem; alii apud Bibliam maximam, *manifestationem,& veritatem,* ut sic veritas, ac sinceritas, quæ est in pectore præsulis, sit omnibus declarata, ac manifesta, qua ipse ut debet, subditos in corde gestat, & de omnibus tanquam amantissimus Pater agit, indeque discat subditus, nullius esse gremium, ubi dulciùs ubi salubriùs requiescere valeat, quàm in suo superiore; subditus aperiat cor suum prælato, ut cuncta illius videat, & cognoscat, & prælatus etiam declaratam, ac manifestam faciat veritatem,& sinceritatem suæ paternæ charitatis erga illum. Phylo Hebr. lib.de Judice, ait: *Quid enim in vita est, aquè pretiosum, ac veritas? quam vates sapiens instruxit loco sanctissimo, ea parte vestimenti pontificis ubi est principatus vis animæ, ut sacerdotem per hoc ornatum augustiorem faceret: veritati autem adjunxit cognitam virtutum declarationem, & voce, ut essent seu imagines orationis, quæ vel animo concipitur,vel profertur etiam; nam hujus declaratione opus est, per*

Sinceritas cordis superiori sit manifesta.

355

quam aperiatur aliis, quidquid latet in animo. Veritas latens in corde operibus declaratur, & manifestanda in actionibus declaratione opus est, *per quam aperiatur aliis quidquid latet in animo.* Et adverte ex Cajetan. *Urim, & Thurim*, scriptum erat in rationali, in quo nulla ruga, nullaque plicatura cernebatur: Cor prælati sit rasum, & non duplicatum.

Cor prælati sit rasum & non duplicatū.

QUÆSTIO XLV.

Quare torcular passionis, ac mortis Christus D. solus calcavit; cùm verò modò descendit in torcular iræ, ac furoris adversùs gentes, exercitus cœlestes secum vocat.

356 DE morte Christi loquens Isai. 62. n. 1. ait in persona Christi: *Torcular calcavi solus, ac de gentibus, non est vir mecum*: Ista calcatio torcularis extitit Christi passio, in qua pœnis ipse, & tormentorum pondere, mortisque multa effusa sanguinis copia, calcatus est, & etiam vice versa pœnas, & tormenta, atque mortem calcavit, & ex illis expressit gaudia resurrectionis, & vitæ immortalitatem, imo in ea perdidit inimicos suos, mortem, Diabolum, & omnes ejus sequaces, ac illos tanquam in torculari sub ligno suæ Crucis calcavit, ac expressit: ita noster D. Cyrill. Alexandr. D. Hieron. Rupert. & alii ad locum Isaiæ.

357 Tota quæstio est, quare Christus D. in sua passione, torcular tormentorum, ac dolorum solus calcavit, ita ut ponderat D. Athan. de pass. q. 10. cum eo nullus fuerit nec Angelus, nec senex aliquis, imo & desertus est à suis Apostolis, qui omnes se dederunt in fugam, imo & à principe suorum Apostolorum non solùm desertus est, sed ab eo negatus, nunc verò cum prodit ad ultionem calcaturus gentes: *Ut percutiat gentes, & ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei*; nunc cœlestes exercitus congregat, tot beatos admittit, tot Angelos convocat? *Exercitus, qui sunt in cœlo sequebantur eum.* Ad redemptionem generis humani ipse solus venit, & in hoc negotio omnes partes vult ipse adimplere, & totum per se solum exhibere, ad puniendos verò homines, tanquam nolens eos punire, multos sumit secum socios; cum ad salvandum venit, nullum secum admittit socium, præ vi amoris totum conficit, nec ulla creatura salutem præstare potest nisi ipse solus. Patrocinatur D. Ambros. lib. 7. ep. 58. & ait: *Non legatus, non nuntius salvum fecit populum suum, & solus remanet, quia non potest hoc cuique esse commune cum Christo, ut peccata condonet, hoc est ut salvum faciat genus humanum.*

Christus ad salvādū, solus venit, ad puniēdū cum multis sociis.

358 Secundò torcular multitudinis sanguinis cum magna tormentorum copia sub ligno Crucis solus Christus calcavit, & de gentibus non fuit vir cum eo, at verò hìc in præsenti cœlestes exercitus, eum concomitantur; cum moritur tot plagis, ac doloribus ipse solus est, cum verò hìc venit ad magnam victoriam, ac gloriosum triumphum de suis inimicis in tanta gloria, ac exultatione secum multos vult habere comites: Maximè ad doloris acerbitatem pertinet, quod unus sit solus, & derelictus ab omnibus, undè in ejus persona dicitur: *Consolantem me quæsivi, & non inveni*, Ps. 68. n. 21. at verò ad magnitudinem gaudii, ac festivitatis pertinet, quod multis communicetur, multiq; illius participes fiant; ita qui invenit ovem perditam, & super humeros reducit in domum suam, convocat amicos, & vicinos dicens: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem*, Luc. 16. n. 6.

Acerbitas doloris quod solus sis, gaudiū ingens convocat amicos.

359 Tertiò ad torcular mortis, ac tormentorum solus Christus invenitur, ad gloriosum triumphum de gentibus, ac inimicis tanquam conculcatis in torculari furoris iræ suæ concomitatus exercitibus cœlestibus venit; hoc enim excelsi, ac divini animi ingenium, ut in adversis, ac laboribus solus sit, in prosperis verò, ac gaudiis, multos secum participes habeat. Ait D. Matt. 27. n. 52. *Multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt*; Cum moritur, ac patitur solus est in torculari suę passionis, cum verò resurgit, multos resurrectionis habet socios, ut etiam hìc in præsenti, multos sui triumphi habet comites, ut tantæ gloriæ, ac majestatis eos participes efficiat. D. Pasch. lib. 12. in Matth. ait: *Christus, quamvis unus sit mortuus, & solus pro omnibus, noluit solus resurgere, sed cum pluribus, primùm ut testes haberet resurrectionis, deinde ipse una cum multis, ut spem redunderet desperatis perpetuæ resurrectionis.* Magna providentia cautum est in passione, ut de ejus calice quidquam alius biberet, in resurrectione verò totam gloriæ amplitudinem in homines effudit, ut tantarum divitiarum eos participes haberet.

Divini animi est quod solus sit inadversis, in prosperis autem socios.

In ultima cœna ait Christus D. suis Apostolis: *Ego disponо vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, Luc. 22. n. 28. ego nempe destino, & delego vobis regnum, sicut & Pater meus mihi destinavit, ac delegavit; cum verò inimici ejus essent ad eum comprehendendum, & interrogati, quem quærerent, dixerunt Jesum Nazarenum; *tunc respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum; si ergo me quæritis sinite hos abire*, Joan. 18. n. 8. tanquam si diceret: Si vultis me comprehendere ad mortem, & Crucem, hoc pacto quodam faciendum est, ut hi mei discipuli liberi, & illæsi ab omni nocumento permittantur abire. O Divinus princeps! amaritudinem, ac fel calicis mortis, solus vult gustare, & haurire, ita ut sui discipuli, ne quid minimum de eo bibant, at verò regni sui magnitudinem, ac splendorem non solùm in se vult retinere, sed in alios exundare, ut illius gloriæ fiant participes. Albert. Magn. ait: *Ego, cui ex jure est, disponо vobis regnum mei decoris, ac principatus, ut illius mecum participes sitis.* 360

Christus sibi dolores aliis verò dat regnat.

Materna charitate Rebecca plena, qua persuadebat filium Jacob, ut cœlestem benedictionem obtineret à Patre suo Isaac; & cùm ille timeret, ne pro benedictione maledictio sibi obveniret, ait illa: *In me sit ista maledictio*, Gen. 27. n. 13. quæ verba luculenter ponderat D. Isid. Pelus. l. 2. ep. 58. & ait: *Rebecca apostolica, ut ita loquar, animi magnitudine prædita, imprecationem suscipere minimè dubitavit, ut ipsius filius benedictionem consequeretur: Atque bonis quidem ipsi cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat dicens: In me sit ista maledictio*; undè Rebecca sibi maledictionem, filio verò benedictionem volebat? *Apostolica animi magnitudine prædita*; & inde proveniebat quod *bonis quidem ipsi*, nempe filio, *cedebat, mala autem ipsa sola sufferre parata erat*: vide supra c. 14. qu. 8. n. 73. & seqq. 361

Apostolicus spiritus aliis dat benedictionem, sibi verò maledictionem nō recusat.

QUÆSTIO XLVI.

Pro sacra Eucharistia.

Quare Christum Dominum in Eucharistia sequuntur exercitus cœlestes.

HUnc sensum tropologicum prosequimur Christum D. modò repræsentatum in nuptiis, ac cœna agni; sequuntur exercitus cœlestes, & non mirum, quia Christus D. in Eucharistia omnes ad se allicit, ac trahit, undè Angelus statim v. 17. clamans voce magna ad omnes aves cœli, ait: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei*; non ait: Congregamini ad thronos gloriæ, ad Paradisum delitiarum Dei, ad societatem beatorum, ac Angelorum; sed ait: *Ad cœnam magnam Dei*; quia eucharistica Dei mensa super omnia majorem vim, ac efficaciam habet ad devincendum omnium animos, ad alliciendumque omnes ad se. Ait regius Vates Ps. 4. n. 8. *A fructu frumenti, vini, & olei, multiplicati sunt.* D. Aug. lib. 12. contra Faust. ait: *Videmus honorem Christi erogatione frumenti sui, sibi omnia subjugantis.* Virtute hujus sacramenti omnium animos subjugat, ac devincit. 362

Christus in Eucharistia omnes ad se trahit.

Ait Oseas 11. n. 3. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in in brachiis meis*; Septuaginta legunt: *Et ego colligavi Ephraim, & suscepi eum*; ac si idem esset nutrire, ac colligare, eo enim ipso, quòd Deus nobis præbuit nutrimentum sui corporis, ac sanguinis, simul intelligitur, sibi intimè colligare nutritos tanto sacramento, ne ab eo, ac sua salute discedant. D. Hier. *Ego clementissimus Dominus ligabam pedes Ephraim, ne à me longiùs figeret.* N. D. Cyrill. Alex. ibi: *Hoc est colligavi, sicut videlicet de Abraham est scriptum, cum colligasse Isaac filium suum sacrificaturum Deo.* Cum Deus in nutrimentum dedit hominibus pabulum sui corporis, ac sanguinis, sic homines sibi astrictè colligavit, ac annexuit, ut Abraham filium suum ligavit, ne à sacrificio ullius doloris vi posset resilire, sed Deo firmiter, vel staret, vel caderet. 363

Per Eucharistiā Deus fortiter ad se alligat homines.

Divinus Pater dum filium prodigum ad se venientem excipit, *dixit ad servos suos: Citò proferte stolam primum*, 364

mam, & induite illum, & date annulum in manu ejus, & calceamenta in pedes ejus, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, Luc. 15. n. 22. cum bonus Pastor ad servos loquitur, ait quod illud convivium vituli saginati manducemus, & epulemur, ac si sit paratum omnibus filiis & servis. Perbellè D. Chrysol. ser. 3. *Unus vitulus totius familiæ funditur in sagenam.* Sunt, qui filiali amore è peccatis reviviscunt, sunt qui serviliter sacramento Pœnitentiæ adjuti, ad vitam gratiæ resurgunt. omnes, hæc cœlestis mensa excipit, nullum excludit, sive filios, sive servos, dummodo ad familiam Patris pertineant: Alii Codices Chrysol. habent: *Unus vitulus totius familiæ funditur in sagenam*; tanquam quod hoc divinum convivium sit veluti quoddam rete piscatorium, quod ad se omnes convocat, ac trahit, mira sua dulcedine, ac suavitate cœlestis gratiæ.

De Eucharistia ad se omnes convocat, ac trahit.

365 Benedicens Isaac filium suum Jacob ait illi: *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, & serviant tibi populi, & adorent te Tribus*, Gen. 27. n. 28. in qua benedictione, series, ac dispositio text. maximè est expendenda: Non ait primò serviant tibi populi, adorent te fratres, & tunc de abundantia frumenti, & vini facit sermonem, ut consequentiùs videbatur dicendum, nam ex eo quod ei populi essent subjecti, eumque Tribus adorarent, inde multa panis copia ei denunciatur, sed è contra dicitur; priùs denunciatur abundantia frumenti, & vini, & tunc secundò, quod populi famulatum dabunt, & Tribus cultum exhibebunt, ac si virtute divini frumenti, ac vini eucharistici, ei populi subjiciantur, & Tribus adoratione revereantur: Ubi hic cœlestis panis apparet, jam eo universi capiuntur, ac trahuntur. D. Aug. lib. 16. de civit. c. 37. ait: *Ejus est benedictio de rore cœli, hoc est de verborum pluvia divinorum, & de ubertate terræ, hoc est de congregatione populorum, cujus est multitudo frumenti, & vini, hoc est multitudo, quam colligit frumentum, & vinum in Sacramento corporis, & sanguinis ejus.* Expende illud: *Quam colligit frumentum & vinum in Sacramento*; hoc divinum Sacramentum convocat, & allicit ad se omnem populorum multitudinem.

Divina Eucharistia omnes capiuntur, ac subjiciuntur.

366 Dicitur Prov. 9. n. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem, immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam, ut vocarent ad arcem*; priùs proponit mensam, deinde misit ancillas, quæ vocarent ad arcem; & quid habet mensa cum vocatione ad arcem? Card. Hugo. *Proposuit mensam suam in Sacramento Altaris*; inde primo ponit mensam, & per ancillas, ac Apostolos annuntiando mensam eucharisticam mandat vocare ad arcem, ut hac proposita esca universum Mundum ad arcem Ecclesiæ traheret, atque alligaret. D. Paschas. l. de corpore, & sanguine Domini cap. 21. ait: *Invenimus in Salomone, quod sapientia miscuerit vinum suum, quod sanè vinum est illud, quod refunditur ad altare, ideò fit, ut sanguis Christi, inde pro nostris exhauriendis quotidie peccatis rursus in pretium sumatur redemptionis, & interior homo noster, per hoc plenius innovetur, & conjungatur Christo.*

Per Eucharistiam mane homo conjungitur Christo, ac ad ipsum venit.

QUÆSTIO XLVII.

Quare ex ore Christi in Eucharistia procedit gladius ex utraque parte acutus.

367 A Bore Christi contra indignè communicantes procedit gladius ex utraque parte acutus, sententia nempe condemnationis æternæ, quæ ex una parte ferit animam, ex alia corpus, undè ait Apost. 1. Cor. 11. n. 29. *Qui manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit*; judicium nempe æternæ damnationis. Pro quo maximè expendendus est text. Apostoli ibid. n. 23. *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem*; cur Apost. in cœna summæ charitatis, in epulo gratiarum, in mensa divinæ largitatis, Christum non appellat Unigenitum Dei, Salvatorem, & Redemptorem nostrum, primogenitum mortuorum, advocatum, ac propitiatorem apud Patrem, ut multis aliis in locis dicit, sed tantùm Dominum vocat? Quia si Christus ratione beneficii in hoc Sacramento vult amari, etiam in illo ut Dominus, ac judex vult timeri, ac venerari. D. Ambr. ibi ait: *Devoto animo, & cum timore accedendum docet Apost. hoc enim debet apud se judicare, quia Dominus, cujus in mysterio sanguinem potat, qui testis est beneficii.* Juxta D. Ambr. Apost. duplici argumento urget, quod quisque eucharisticum cibum religiosè sumat, tum quia magnus in cœna Dominus est, tum quia testis, imò & judex est.

Eucharistia piè sumenda, ac veneratione sumenda.

Et hoc jam pridem monuerat David Vates Ps. 109. 368
n. 4. cùm describit Christum sacerdotem: *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; in quo sanctam synaxim decantat David, qua Christus Jesus homines erat recreaturus. Et cùm Vates eum intonat sacerdotem, etiam Dominum & judicem ostendit, ait enim n. 1. *Dixit Dominus Domino Deo, &c.* & virgam censoriam, ac judiciariam non tacet, sed eam exprimit n. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*; & magna potentia puniens, ac condemnans, quæ est in hac regia virga statim explicat nu. 5. *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges, judicabit in nationibus.* Hæc David ut metum incutiat hominibus, si minus castè, ac piè cibum capiant eucharisticum veri sacerdotis Melchisedech, qui virgam ad confringendum, ac judicandum habet in die iræ suæ, sic enim Christus est sacerdos, ut sit etiam Dominus, ac judex hominum. Incognitus: *Superiores, ac inferiores sibi resistentium redegit ad nihilum.*

Quisquis cū judicii metu adeat ad mensam Eucharisticam.

De cœlesti manna loquens regius Vates Ps. 77. n. 25. 369
ait: *Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia*; at verò cum homines vitiis assueti divinum panem contemnerent, subdit idem Propheta nu. 30. *Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*; ut etiam refertur Num. 11. n. 33. Qualis autem fuerit hæc ira, seu furor Domini, scripserat David eod. Ps. 77. n. 21. *Ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel*; quæ verba cum præcedentibus ad indispositè accipientes Eucharistiam prudenter refert Card. Hugo. Quæstio perantiqua est, undè hic ignis inflammatus sit in populum Dei, ita ut vehementer ascendisse in eum dicatur: *Cùm adhuc esca essent in ore ipsorum.* Oleaster putat è columna ignis; Lorin. dubitat an è cœlo ceciderit; Abul. ad cit. loc. Num. è terra ascendisse censet. q. 7. ac si terra aperta, vehementi impetu gehenna infernalis ignium globos evomerat in Israelitas; & undè illis tam rigida pœna ob manna malè acceptum? Erat manna typus Eucharistiæ, & qui indignè, ac indebitè ad illum audet accedere, in eum insurgunt cœlum, terra, infernus, ac etiam Angeli tutelares, qui columnam regebant igneas flammas jaculantes, ut voraci incendio consumantur, & in funestos cineres, ac nigras favillas redigantur. O quàm magna, & dira supplicia infert Deus in indignè communicantes, ut contra eos armentur cœlum, terra, aer, & Angeli! Pro quo facit illud, quod refert D. Vincent. Ferrer ser. Rogat & ait: *Hoc singulariter ostensum tempore B. Gregorii, quando christiani Romæ communicabant tempore Paschali, & redibant ad peccata, & malam vitam; pro qua re misit Deus gentes armatorum; in aere videbantur Angeli cum armis, & sagittis, & gentes moriebantur.*

Omnia insurgunt contra indignè communicantes.

Exod. 12. n. 9. de agone typico ab hebræis immolando, ita præscribit Moyses: *Et edent carnes agni nocte illa assas igni. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni*: Hujusmodi paschalis agni assationem eleganter expendit, & ad mores componit Petrus Cellens. lib. 5. c. 11. & ait: *Certè tota nocte debet cremari caro igni, quia toto mortalitatis tempore, accensa caldaria conscientiæ facies Salvatoris desideranda, & undis desideriorum fortiter bullientibus, ne in die judicii fervicocta offeratur percoquenda.* Moralissimè jubentur hebræi, ut agni carnes non comedant crudas, sed tota nocte, id est, toto tempore nostræ mortalis vitæ, ardentium desideriorum flammis, & devotæ conscientiæ fervore illas assent, & crement; quod si per inertiam, aut malitiam negligant, non impunè id fiet, sed loco carnis agoinæ, aut crudæ, aut semicoctæ, aut malè assæ, illorum carnes, æternis gehennæ ignibus perpetuò urendæ, ac cremandæ erunt, & hanc pœnam in perpetuum luent à die judicii. Ex quo inde magna suboritur quæstio: Cur lex non præscribit pœnam contra agnum indebitè comedentes, vel nempe crudum, vel coctum aqua, malè assum, sicut vidimus in aliis delictis fieri? ut contra violantem sabbatum, proferentem

Sacra Eucharistia piè, & devotè sumenda.

fallum

falsum juramentum, furta, homicidia, aut rixas faciente, aut etiam patrem & matrem maledicentem, Exod. 21. & 22. Levitic. 24. Deut. 19. cur etiam pœna non statuitur contra eum, qui indebitè agnum comederit? cum in lege antiqua nihil esset sacratius, quàm agnus Paschalis. Agnus erat typus sacræ Eucharistiæ, & licèt supplicia, & pœna, quæ ob alia delicta inferebantur valeant verbis explicari, & dici, tamen adeo est horribile & exectabile crimen illius, qui figuram Eucharistiæ indignè degustat, ut ad illius pœnam exprimendam omnia nostra verba sint exigua, & diminuta, & tantùm divino judicio totum reservatur.

Pœna illius qui indignè cõmunicat, nullis verbis potest explicari.

371 Sicut Deus dignè communicantibus dat omnia bona, sic indebitè Eucharistiam suscipientibus infert omnia supplicia. Decantat regius Vates Ps. 24. n. 8. *Dulcis & rectus Dominus*; Arabic. legit, *& justus Dominus*; dulcis justis, iniquis verò justus, & severus. D. Greg. in quadam homilia, ait: *Cibus dulcis corpus, & sanguis Christi, quod Judas accepit indignus*; cibus eucharisticus maximè de se dulcis, tamen valde amarus extitit Judæ, cum illum accepisset indignè, ac indispositè: vide quæ dixi to. 3. in Evang. c. ult. q. 42.

Christus in Eucharistia dulcis, & rectus.

QUÆSTIO XLVIII.

Quare Christus in Eucharistia calcat torcular furoris, ac iræ.

372 DE Christo D. in præsenti ait text. *Ipse calcat torcular vini furoris iræ;* Christus in hoc sacramento omnem iram, ac furorem mitigat, & divertit ut ingentes misericordiarum fontes fluant; ait David Psal. 64. n. 10. loquens de egenis: *Parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus*; quisnam est iste cibus paratus, undè illis sit præparatio misericordiæ, ac pietatis? Ex cibo nempe eucharistico. Glossa: *Istum cibum parasti, ut illis des perpetuam misericordiam*; & inde quid sequitur? *Rivos ejus inebria*. Incognitus: *Rivi ejus fideles, qui bibendo istud Sacramentum inebriatur ubertate domus tuæ*; & sequitur: *Multiplica genimina ejus*; fructus, nempe & orationes eorum cum omni virtute, & justitia.

Ab Eucharistia omnis misericordia, & pietas.

373 Ait Apostol. Paul. 1. Cor. 11. n. 2. *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem*. Valde mirum, quod ad institutionem tam altissimi Sacramenti, non aliud tempus eligit Christus D. nisi illud, in quo tradebatur in manus suorum inimicorum, ut meritò hic dubitat D. Thom. cur non potiùs post resurrectionem? sicut & sacramentum Pœnitentiæ, tunc à Christo gloriosè triumphante est ordinatum, quando suis discipulis apparuit, eisque dixit: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, Joan. 20. nu. 22. & eo maximè, quia sacramentum Pœnitentiæ debet præcedere ante Eucharistiam in peccatoribus dispositis, ac contritis; cur etiam id non servatur in institutione? Non post resurrectionem, sed ipsomet tempore quo Dominus tradebatur, hoc eucharisticum mysterium consecratur à Christo, ait D. Paschas. lib. 11. in Matth. *Quando tradebatur convenienti divinæ bonitatis tempore, dixit: Accipite, & comedite*, &c. nam si peccata crucifigentium Christum clamassent rigorosam vindictam pro tam horribili facinore, priùs hic cœlestis panis divinum tribunal præoccupans, justitiam mitigaret, ac averteret, & misericordiam, ac pietatem impetrans, & largiens. Mandavit Deus Moysi: *Et pones propitiatorium super arcam testimonii in Sancto Sanctorum*, Exod. 26. nu. 34. cur tam districtè præcipit Deus Propitiatorium collocari super arcam? In arca recondebatur lex; inde Propitiatorium sit superius, quia si lex clamaret contra illius violatores, priùs propitiatorium accederet præoccupans misericordiam, ac pietatem ad indulgendum: vide to. 1. in Evang. lib. 2. c. 3. q. 9. n. 42.

Eucharistia præoccupat divinũ tribunal ad mitigandã justitiã.

374 Postquam Noe egressus est ab arca cum tota familia sua, ac cum universis animantibus, quæ erant in arca, ædificavit Altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare; & subdit text. Gen. 8. n. 21. *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultra maledicam terram propter homines*; explicatiùs Chald. legit: *Et suscepit Dominus cum beneplacito oblationem ejus*; sicque illud sacrificium placuit Deo, ac delectatus est super illud, ac delectamur suavissimis odoribus, ita ut sponsione facta dixerit: *Nequaquam ultra maledicam terræ*; & quid habuit hoc sacrificium Noemi ad tantum promissionis bonum obtinendum? *Nequaquam, ultra maledicam terræ*. Quod non impetravit fides plurima Abel Hebr. 11. nu. 3. nec cultus, ac Religio Enoch. Gen. 5. n. 24. qui primus cœpit invocare nomen Domini; nec etiam fides, ac virtus aliorum Patrum; quid ergo habuit hoc sacrificium Noemi, ut tantam divinam justitiam mitigaret, ac retineret, ut Deus summa veritas diceret: *Nequaquam ultra maledicam terræ*? Hoc sacrificium erat figura Christi sacrificii, sacramenti, ut auctor est Thomas Anglic. *Odoratus est Dominus. Scriptura sic loquitur*, ait, *ad fortiùs exprimendum, quod Deus spiritualem virtutem sacrificii Christi, in illis sicut signis sacramentaliter contentam vehementer acceptabat*. Illud sacrificium adumbrabat Christi sacrificium eucharisticum; non ergo mirum quod super omnia Deum placaret, ac mitigaret, non pro hoc vel illo tempore, sed pro omni tempore, ac sæculis in perpetuum: *Nequaquam ultra*.

Figura Eucharistiæ justitia reprimitur misericordia in sæcula.

Dirè, ac crudeliter Regis Davidis temporibus pestilentialis mors Israeliticam plebem devoraverat, ut trium horarum spatio septuaginta hebræorum millia trucidaverit, & cum tres dies pestilentiæ essent assignati, ait tamen noster text. *Immisit Dominus pestilentiam in Israel usque ad tempus constitutum*, 2. Reg. 24. n. 15. Septuaginta legunt: *Et dedit Dominus mortem in Israel à mane usque ad horam prandii*; si pestilentia ut erat dictum à Propheta per tres dies erat grassatura, quomodo tempus prandii dicitur illius tempus determinatum? Etsi justitia vindicativa tres dies assignatos ad pœnam, & castigationem exigeret, tamen ubi advenit tempus prandii, in quo Christi prandium repræsentabatur, ibi extitit tempus constitutum misericordiæ, ac pietatis, ut placata divina justitia, pestis quiesceret, & omnino enervata, ac dissipata esset mors, mortisque pestilentia. D. N Cyrill. Alex. de Ador. lib. 13. ait: *Amane igitur, hoc est hujus sæculi temporibus mors depasta est eos, qui in terra erant, usque ad horam prandii, hoc est usque ad mensæ tempus; ubi enim advenit nobis sanctæ mensæ tempus, id est illius in Christo, ac mysticè, in qua pane vescimur illo cœlitus dato atque vitali, quæ priùs terribilis erat, cuique difficile obsisti poterat, mors cessavit Deo ad misericordiam provocato*. Ubi repræsentatur vitæ mensa, mors profligata recedit, & abit.

375

Mitigatur justitia divina cum Eucharistica mensa repræsentatur.

Et nota, quod ut pestis cessaret, ait Propheta Gad ad Davidem: *Accende, & constitue Altare Domino in Area Areuna Jebusæi*, 2. Reg. 24. n. 18. ubi area triticea divini panis apparet pestis profligatur; & cur magis illa area, quàm quæcunque alia? Ait text. *Area Areuna Jebusæi*; quæ ut tradunt Rabbini, Lyran. Abulens. Rupert. Gaspar. Sanch. erat pars montis *Mora*, ubi Abraham obtulit in holocaustum filium suum Isaac præstantissimam figuram eucharistici sacramenti, ut canit Ecclesia: *In figuris præsignatur, cùm Isaac immolatur*; ecce magnum propheticum remedium, ad placandam divinam justitiam, hoc divinum sacramentum illi objicere, ac proponere, saltem locum ubi ejus figura celebrata est.

376

Eucharistia efficax ad placãdã divinam iram.

Apoc. 19. n. 16. Et habebat in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.

VERSIONES.

Arabicus. Erat que super vestem illius, & super femur ipsius nomen scriptum.

Syriacus. Et habebat super vestitum, & super femur nomina scripta: Dominus Dominorum, Rex Regum.

Æthiopicus. Scriptum fuit in latere ejus nomen dicens Rex Regum.

EX.

EXPOSITIO.

377 HAbebat *in vestimento*, aspersо sanguine, quo erat indutus, *& in femore* nomina scripta. Non sin qualibet parte, sed circa femur, seu in illa vestimenti parte, quo femur tegebatur, & in his titulus videbatur, nam femur est à natura, vestimentum verò ab acquisitione. Ie; & hoc ostendebatur, quod Christus D. erat Rex Regum, & Dominus Dominantium, tum à natura sua, utpote verus Deus, tum etiam ex acquisitione, merito suæ passionis: multas alias rationes dabo q. 50. *Scriptum*. Quomodo dicitur scriptum? in vestimentis non scribimus, nec in eis solet scribi. D. Th. ait: *Per hoc notatur perpetuitas dominationis, ut dicitur Psalm. Dominatio ejus in omni generatione, & generationem.* Quod scribitur perpetuò durat & perseverat.

Dignitas regia Christi perpetua.

378 *Rex Regum, & Dominus Dominantium*; Syrus legit: *Dominus Dominorum*; addit Arabic. *Nomen scriptum*. Illud nomen facilè intelligitur in nostra Vulgata, & dicitur *Rex Regum & Dominus Dominantium*; quia non solùm est Rex Regum terræ, sed etiam est Dominus dominantium omnium potestatum visibilium, & invisibilium, quod bene observavit Hincmarus Archiepiscop. Rhemens. Opusc. 55. c. 11. & ait: *Rex Regum & Dominus Dominantium, cœlestem, ac terrenum principatum, cunctam videlicet Remp. regens, & universam militiam, tam cœlestem, & spiritualem, quàm terrenam, & temporalem, distinctis ordinibus disponens, ac moderans.*

Christus Rex Regũ omnium potestatũ.

QUÆSTIO XLIX.

Quare titulus Regis Regum, ac Domini Dominantium scriptus est in vestimento, ac femore Christi, & non alio in loco.

379 AIt text. *Habebat in vestimento, ac femore suo scriptum, Rex Regum, &c.* quæritur in his scribitur iste titulus? in vestimento non solet scribi, ut jam dixi; nec nomen scribitur in femore, sed in summo vertice, sic & titulus inscriptus à Pilato in supremo vertice Crucis fuit affixus Joan. 19. sic & illud magnum nomen, quod habebat scriptum: *Quod nemo novit nisi ipse*, supra vers. 12. ex communi sententia diximus fuisse insculptum in sublimiori diademato loco; cur ergo hoc nomen est in vestimento, & in femore?

Difficultas quæstionis.

380 Respondeo primò, & genuinè ad quæstionem, quod vestimentum non est à natura, sed acquisitione, femur autem à natura est, imò & in eo maximè significatur natura, ut statim ex Scriptura dicam; ideo ergo titulus scribitur in vestimento, ac femore, ut ostendatur, ut jam dictum est in expositione Christum esse Regem Regum, & Dominum Dominantium, tum à natura ut verus filius Dei, tum acquisitione merito suæ mortis, ac passionis. Hanc expositionem tradit Pannonius, & ait: *Vestimentum à foris est; femur à natura, & Christus humanitatem à foris ex tempore, quatenus persona divina habet; divinitatem habet à natura, à qua ab æterno est Deus, & neutrum horum sine dignitatis honore habet, quia ab utroque Rex est.* Gloss. *Dicitur autem hoc scriptum in vestimento, & in femore; femur est intrinsecum homini, vestimentum autem extrinsecum.* Hanc sententiam habet Ferrarius, & in illa est Viegas.

Christus Rex natura, & merito.

381 Secundò, quæ sententia etiam mihi est probabilis, & est Alcazar, qui docet per vestem significari Christi humanitatem sanguine aspersam, per femur verò spiritualem Christi sobolem filiorum: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; nam per femur frequenter in Scriptura filii, & nepotes intelliguntur, juxta illud Gen. 49. n. 10. *Dux de femore ejus*; Exod. 1. n. 5. *Qui egressi sunt de femore Jacob*; & ita in femore intelligi propagationem generis docent D. Greg. citand. Ansbert. Bed. Rup. & alii, quo significabatur Christum non solùm esse verum Regem, sed etiam facturum servos suos Reges, nam ipsi etiam nationes judicabunt, & ideo supra v. 12. *In capite ejus diademata multa*; quibus ipse & sui coronantur: vide supra qu. 37.

Christus Rex Reges suos facit.

382 Tertiò, & moraliter D. Amb. per vestimentum intelligit justos & sanctos, juxta illud: *His omnibus velut ornamento vestieris*, Isai. 49. n. 18. per femur verò ex quo humana origo procedere dicitur, denotatur homo, quem Verbum assumpsit, & in quo est operatus; inde in his apparet titulus *Regis Regum, &c.* quia Christus ostenditur verus Deus, ac Rex suis operibus, quibus nos redemit, ac operibus suorum sanctorum, quia solus verus Deus, ac Rex potest habere tales servos, ac sanctos. D. Ambr. hìc ait: *In vestimento suo, quod ipse sit Rex Regum scriptum habet, quia in operibus sanctorum agnoscitur, hunc esse verum Deum; qui tales servos possidet habet & in femore suo scriptum, quod sit ipse Rex Regum, quia in operibus, quæ in carne positus gessit, cognitum est hunc esse verum Dei filium.*

Christus cognoscitur verus Deus suis operibus, ac suorum sanctorum.

Quartò sæpè diximus per femur Christi humanitatem significari veram, & propriam ex regio sanguine prognatam, & non phantasticam, ut aliqui hæretici dixerunt, vestimentum verò, ejus etiam denotat humanitatem, sanguine suæ passionis aspersam, & tinctam, & tamen tam in femore, quàm in vestimento scribitur Rex, quia etsi Christus in incarnatione natus sit Rex, tamen sua passione voluit Rex dici, ac nominari. D. Greg. ho. 13. in Ezech. ait: *Per femur propagatio carnis est, & vestimentum corpus est per passionem Crucis sanguine cruentatum; quia ergo per propaginem generis humani in hunc Mundum venit ex Virgine, & per Incarnationis suæ, & passionis mysterium, quod Rex & Dominus esset cunctis gentibus indicavit, in femore, & in vestimento scriptum habet Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Christus D. non solùm voluit Rex esse ex femore, hoc est Rex ex natura nasci, sed etiam fuso sanguine, regnum comparare, Rexque dici, hoc est Rex purpurea, & sanguinea veste creari, ac agnosci, & appellari. Petr. Dam. eadem habet cum D. Greg. & addit ipse ho. 46. *In vestimento, & in femore scriptum habuit Rex Regum, & Dominus Dominantium, ubi enim Mundo innotuit, ibi scientiam suæ majestatis inscripsit.* Et nota, quòd femur, in quo significatur natura, erat coopertum vestimento sanguineo, in quo denotatur meritum: Christus voluit magis cognosci, ac dici Rex ex merito, quàm ex natura.

383

Christus magis voluit dici, & cognosci Rex ex merito, quam ex natura.

Quintò Alb. Magn. *Titulum habet Christus scriptum in vestimento, ac femore. Per vestimentum electi ex gentibus intelliguntur; de eis loquens Isaias ad Christum, c. 49. n 18. ait: Omnibus his velut ornamento vestieris*; per femur verò electi ex judæis designantur, ab ipsis enim originem traxit, quæ in femore intelligitur: ecce cur non in vestimento solo, non in femore solo, sed in utroque regni titulus scribitur; quia Christus non solùm Rex gentium, sed etiam judæorum uniens hos duos populos, in suo regno copulavit.

384

Christus Rex gentium, ac Judæorum.

Sextò nomen Regis Regum, ac Domini Dominantium erat scriptum in vestimento femorali, seu super femur, nempe in infima parte corporis, ac vestimenti tanquam ipsum regium nomen contemnens, at nomen scriptum, quod *nemo novit nisi ipse*, vers. 12. supra quod est sanctissimum nomen, JESUS, ut *dixi qu. 39.* scriptum erat in summo fastigio *omnium* diadematum, quæ erant in capite; tanquam illud admirabile nomen venerans, & honorans super caput ejus imminebat, cùm sit nomen super omne nomen, & inde Regis, ac Domini nomina in femore, ac infima parte jacebant: vide citatam quæstionem.

385

Nomen JESUS honorabile super omne nomen.

Septimò in vestimento & in femore fulget magnificus titulus; cur non potiùs in fronte, sed in femore? Ibi gladium assignavit ei David Ps. 44. v. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*; in femore, seu latere extitit gladius, quo adversarios expugnavit, ac devicit, ibi & sit honorificus Regis titulus, quia ubi fulget meritum, ibi & irradiet corona, & præmium: vide in Indice verb. *Præmium*.

386

Ubi meritum, ibi præmium.

Octavò idem est locus nominis Regis, ac Domini, ubi est gladii situs, quia sic frequenter nomen præclarum viri, ac illustris fama fonitu suo alios necat, ac torquet tanquam acutissimus gladius, & tot vehementes impetus facit, quot syllabas habet, citiùsque per aures transilicit ad præcordia, quàm per latera ferrum exacutum. Cum David gloriosè reverteretur gigantis caput in manibus afferens, fœminarum cantus resonabat: *Percussit Saul mille, & David decem millia*; quod cum audisset Saul, ait Scriptura, livoreque arteritur: *Iratus autem Saul nimis, dixit in oculis ejus sermo iste, dixitque: Dederit David decem millia, & mihi mille dede-*

387

Nominis celebritas, & fama maximè tuenda.

runt

runt, 2.Reg.18. n.8. cùm Goliath interficit David ad præsentiam tantæ victoriæ non invidet Saul, sed ad modulos fœminarum sonantes torquetur? Tropheum Davidis æquo animo videt, nominis verò gloriam audire non potest; non majori efficacia gladius ducis percutit caput gigantis, ac claritas opinionis illius transverberat corda Regis; & sicut manus Davidis prostravit Philistæum, sic & celebritas nominis Davidis in multa turpia crimina præcipitavit Saulem: & hoc optimè habuit exploratum David, nam cùm ipse à facie Saul fugeret ad Regem Achis, dixerunt servi ad Regem: *Nunquid non iste est David Rex terræ? nonne huic decantabant per choros dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia? Posuit autem David sermones istos in corde suo, & extimuit valde à facie Achis*, 1.Reg.21.n. 11. quid est quod David sic pavore percutitur? ipse imperterritus stetit coram Philistæo, ejusque gladio, ac lancea ferrea, undè illi tantus timor? Timuit sui nominis celebritatem, quæ plus est timenda, quàm quælibet gigantæa moles, ferrum, vel lancea.

388 Nonò cur titulus Regis Regum ponitur in femore, parte infima corporis, & non potiùs in fronte, ut ab omnibus legeretur? Respondet Maldonat. ad c. 27. Matth. n.11. ad illa verba: *Tu dixisti;* &, ait: *Propterea habet in vestimento & in femore scriptum: Rex Regum Dominus Dominantium; ut ostendat se non vi, non tyrannide, non electione, non adoptione, sed natura, quæ per femur significatur, Regem esse, quia natura, & non rapina, arbitratus est esse se æqualem Deo;* ideo ergo in femore, in quo significatur natura nomen Regis portat, quia præclarum nomen à natura nascitur, ac provenit. Ait Salomon Prov.30. n.4. *Quod nomen ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* ibi Glos. *Dei Patris, & Filii nomen dicit;* & cur facta interrogatione non respondet, quale sit nomen filii Dei, quod cùm originis claritate æternum est? Ut audis ab ore Angeli Luc.1. n.32. *Et filius Altissimi vocabitur;* hæc autem vox, non est prolata, nisi cum ex Virgine gignitur, & tunc ejus natura apertè declaratur; & quomodo poterat sapiens, non cognita natura nomen ejus insonare? Inde maluit subticere nomen, quam ignotæ naturæ nomen quasi extraneum illi appropriare. Theophyl. ad c. 1. Luc. *Filius Altissimi fuit filius Virginis, & fuit quidem ante sæcula filius Altissimi Verbum, sed non vocabatur, nec cognoscebatur; postquam autem incarnatum est, & apparuit in carne, tunc & vocatus est filius Altiss. qui apparebat.*

Christus Rex à natura.

Proprium nomen est à natura.

389 Confirmatur: Abrahæ promittitur filius; quo audito, *cecidit Abraham in faciem suam, & risit*, Gen.17. n.17. & cum iterum fieret sermo de eodem filio habendo, hoc *audito, Sara risit post ostium tabernaculi*, Gen.18. n.10. & cur nunciata prole, uterque parens ridet? Ex magno sanè mysterio; quia filius nasciturus dicendus erat Isaac, qui risus interpretatur; a parentum risu, ac gaudio cùm natura nomen accepit. D. Zeno ser.1. de Abraham ait: *Risit Sara, minus juventutis subjens in senecta, undè nomen accepit infans.*

Proprium nomen cũ natura participatur.

390 Decimò titulus Regis Regum scriptus erat in femore, ac vestimento; in femore, quia à natura, & etiam modò in vestimento, quia ab acquisitione erat ei regnum. Maximè ponderandum supra c. 14. nu.14. ait Joann. *Ecce nubem candidam & super nubem sedentem similem filio hominis;* sedebat Christus in nube tanquam in throno, & tamen ibi non legitur Rex Regum Dominus Dominantium, ut modo in hoc vestimento. Nubes erat candida, & denotabat puritatem, ac sanctitatem ejus naturæ, at vestis erat aspersa sanguine indicans illius mortem, ac passionem, & Christus magis voluit cognosci, ac videri Rex Regum, Dominus Dominantium ex sanguine profuso mortis, ac passionis in suis vulneribus, quàm ex puritate, ac sanctitate suæ naturæ in splendoribus divinitatis.

Christus apparet Rex mortis suæ, & in splendore divinitatis.

391 Profundè expende seriem text. dicitur supra, v.12. & 13. *Habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse; & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen ejus Verbum Dei;* & modo dicitur: *Habet in vestimento scriptum Rex Regum, Dominus Dominantium*, si primo dicitur, quod nemo novit nomen ejus nisi ipse, quomodo statim exprimitur nomen ejus æternum, quod

Excidium text.

sit Verbum Dei, filius Dei, Rex Regum, Dominus Dominantium? Quandiu vestis ejus aspersa sanguine non apparebat, *nemo novit nomen ejus;* at ut vestis sanguinea, ante omnium oculos prodiit, statim nomen ejus declaratur, ac evulgatur, quod sit verbum Dei, Rex Regum, Dominus Dominantium; ac si ipsum supremum nomen Verbi Dei, ac supremæ dominationis, quod illi est ex generatione paterna ab æterno, noluerit manifestari, nisi profuso sanguine, morte, ac passione, de quo ipse maximè gloriatur, sine quo magnalia suæ divinitatis, nec dici, nec cognosci patitur. Christus sine morte, ac sanguine, non vult agnosci.

De filiis Israel in deserto loquens reg. Vat. ait: *Suscepit eos de via iniquitatis eorum propter injustitias enim suas humilitati sunt, & appropinquaverunt usque ad portas mortis. Misit Verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus*, Ps.106. n.20. Ut communiter docent D. Aug. D. Chrysost. Theophyl. Incognit. & alii, cum populus Israel maximè premeretur plaga, ac morte per serpentes ignitos, mandavit Deus Moysi: *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, & percussus eum aspiciens vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum & posuit eum pro signo*, Num.21. n.9. qui serpens extitit typus Crucifixi, ut ipsemet Dominus dixit Joan.3. nu.14. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis;* quando ergo Deus misit serpentem in Mundo, in signo, seu ligno, ut percussi sanarentur, tunc ait reg. Vates: *Misit Verbum suum, & sanavit eos;* alia lectio in Biblia maxima habet: *Misit justum suum, & sanavit eos.* Justus per Antonomasiam Christus D. Isai. 45. n.8. *Egrediatur ut splendor justus ejus*; cùm ergo Deus posuit in Mundo serpentem æneum in ligno in typum crucifixi, tunc misit, ac manifestavit Verbum suum, justum suum; nec aliter voluit videri, ac declarari, nisi cum typo mortis, & Crucis. Incognit ait: *Christus ergo serpens dicitur, quia [illegible] factum, in Cruce pro nobis mortem suscepit, & hoc notans Psaltes dicit: Misit Verbum in carne, ut in ipsa mortem susciperet, & sic sanavit à peccatis.* 392

Christus in Orbe manifestatur sub figura Crucis.

QUÆSTIO L.

Quare in præsenti Christus Dominus dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium.

HIc titulus in præsenti potest considerari in Christo per respectum ad Antichristum, ad Judæos, ad gentes, ad sanctos, & ad omnes principes sæculi, ac etiam per respectum ad magnam Virginis Mariæ excellentiam, & sigillatim per singula discurro. 393

Status quæstionis.

Primò per respectum ad Antichristum. Hic titulus *Rex Regum*, extitit antiquum elogium Regum Persarum, ut testatur Alexander ab Alexandro, l. 1. Genial. c. 28. & ita Saporem Regem regum appellat Julius Capitolinus c. 24. & Caligulæ Rom. Imp. se Regem Regum Parthorum appellavit, teste Suet. c. 6. tamen super omnes, impurus ille, & sceleratus nebulo arrogabit sibi talem titulum, talemque potestatem, cum etiam de illo dicat Apost. 2. Thess. 2. n.4. *Extolletur super omne, quod dicitur Deus;* & ideo evocabit ad se omnes Reges terræ, tanquam sibi subditos in Armagedon; cùm ergo iste lævus Domini hostis in isto certamine, ab eo sit vincendus, ac destruendus, ut prædo hujus tituli, ad illum ex omni parte coarguendum, ac confundendum, initurus contra illum prælium Dominus JESUS, scriptum in vestimento, & in femore, *Rex Regum, Dominus Dominantium*, habebit. 394

Confunditur arrogantia Antichristi.

Secundò respectu ad Judæos: Immediatè v. 15. antecedenti ait noster Joan. de Christo: *Et ipse calcat torcular furoris iræ Dei omnipotentis.* Per hanc conculcationem furoris iræ Dei intelligit Rup. judæorum excidium per Impp. Romanos: & rectè illud excidium per torcular vini designatur, quia gens illa fuit, & esse debuit vinea Domini: volens ergo Joannes significare quid futurum esset Judæis incredulis, qui noluerunt Christum ut Regem admittere, ideo de Christo testatur: *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei;* ac si diceret: Judæi cadent in gladio oris Christi, & si Judæi noluerunt Christum ut Regem recipere, cognoscent quod ipse sit Rex Regum, & Dominus Dominantium. Rupert. in persona Christi: *Verumtamen inimicos meos, qui noluerunt regnare me super se, adducite huc, & in-* 395

Christus invitis Judæis eorum Rex.

& interficite. Igitur illis ante Regem, quem negaverunt interfectis, juxta præsentem hujus Scripturæ locum, calcatis in torculari furoris iræ Dei omnipotentis, repentè infertur: Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium; quia videlicet irridendi sunt, & subsannandum illis est, qui illum respuerunt, putantes, quod Rex esse non potest, nisi secundùm ipsorum placitum.

396 Tertiò per respectum ad gentes: Immediatè superiori v. 15. dicitur de Christo: *Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes, &*

4 *ipse reget eas in virga ferrea*; & statim subditur, quòd sit earum gentium Rex, & Dominus, ut prædictum fuit in Psal. 2. n. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo; postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* D. Basil. ibi: *Ut*

Severitas & benignitas in Rege. *Deus dominium gentium habuit, ut homo illud accepit à Patre.* Et nota in text. quòd Christus introducitur habens vestimentum aspersum sanguine, & cum gladio, ut percutiat gentes, & in vestimento portat scriptum, *Rex Regum, &c.* quia Rex ut occasio postulat, habeat gladium, & virgam ferream, ut percutiat; habeat etiam tantam benignitatem, ut pro suis si necesse fuerit, effundat proprium sanguinem: vide sup. c. 15. q. 17. nu. 142. & to. 1. c. 6. q. 14. n. 146. & c. 11. q. 2. n. 14. & seqq.

397 Quartò per respectum ad justos, ac sanctos hunc titulum Regis Regum Christus in femore scriptum habet, quia in femore propagatio generis intelligitur, ut multis dixi quæst. sup. quod cum Christus sit caput totius Ecclesiæ, omnes justos & sanctos ipse spiritualiter gignit, & reges constituit. Beda ait: *Femore posteritas designatur, undè, & Abraham, ne posteritas ejus alienis misceretur, inter se, servumque suum, tertium testimonium femur adhibuit, de quo Apost. tanquam fratri mortuo semen suscitans, ait: In Christo enim Jesu per Evangelium vos genui. Potest & intelligi, quòd Ecclesiæ serviendo, in Christo regnet*; similiter Gloss. Interlin. Carth. *Rex Regum, nempe sanctorum, qui se & alios regunt.* D. Bern. de septem donis Spiritus S. ait: *Rex Regum, quia vos constituo reges, tanquam filios adoptivos, qui sum filius Patris consubstantialis*; hinc David ait Psal. 102. n. 4. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*; ubi de justis est sermo. Noster Incognit. ibi ait: *Christus non solùm nos redemit, peccatum nostræ mortis evolvendo, sed etiam nos redemptos coronat, & hoc facit in misericordia, & miserationibus, quia corona gloriæ excedit merita nostra.*

Christus Rex suos justos facit Reges.

398 Quintò per respectum ad excellentiam B. V. Mariæ, Christus D. Rex Regum, & Dominus Dominantium, & tamen de illo scribit D. Luc. 2. n. 52. *Descendit cum illis Nazareth, & erat subditus illis.* Ille Rex Regum, cui omnes alii subduntur, subditus est Mariæ. Ecce quàm eminens sit Maria, ut ipsa dicatur Regina Regis Regum: ita observat Rich. à S. Laur. l. 4. de laud. Mariæ. tit. *Fuit Maria excellens*; & enumerans in quibus extitit excellens, inter alia sic ait: *In singulari dominatu super filium Dei, & suum, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium. Augustinus ait: Hoc singulariter illa fœmina habuit, ut videret sibi nascendi solemnitate subditum, quem non solùm humana, verùm etiam angelica natura veneratur Altissimum, & adorat.*

Maria ita eminens ut sit Regina Regis Regum.

399 Sexto hæc dicuntur per respectum ad Reges, principes, & potentes sæculi, ut timeant, ac paveant Regem Regum super se, ut monet D. Chrysost. ho. 5. de Pœnit. & ait: *Cùm enim quis in dignitate viderit potentes, & insignes Reges, principes, omnes quotquot divitiis nitent, hos terrore alloquitur, ac doctrinæ timorem humiliter miscet. Psal. n. 10. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram; servite Domino in timore, quoniam Rex est Regum, & Dominus Dominantium.* Principes non cogitent sibi omnia licere, sciant, quod super eos dominatur Rex Regum, cui de omnibus strictè reddenda est ratio.

Regibus terræ magnus timor deficiatur.

400 Sic dicitur Eccles. 5. n. 7. *Excelso excelsior est alius*; legit D. Hieron. *Quia excelsus super excelsum observat.* Ut habet Vatabl. licèt aliquando grassetur impietas, ac impii reges, & judices videantur modò impunè, sed non impunè abibunt; dabunt tamen pœnas judici omnia perscrutanti, atque ejus ministris nunc testibus tantæ iniquitatis. D. Hieron. *Ne mireris: Excelsus super excelsum; hæc respicit Deus, qui Angelos suos super judices, & reges terræ posuit, qui possunt utique prohibere injustitia, & magis in terra valere, quàm quævis hominum potestates; sed quoniam servat in finem judicium, ideo nunc expectat, & differt sententiam*; & ideo cùm Deus procederet ad supplicium, & pœnam contra Regem Nabuchodonosor, dicitur Dan. 4. n. 10. *Ecce vigil, & Sanctus de cœlo descendit, & clamavit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, &c.* & iterum ibid. n. 14. *In sententia vigilum decretum est*; non dicitur, ecce fortis, ecce princeps, seu dux, sed: *Et ecce vigil*; ut bene observat Theophyl. Theodoret. sciant Imperatores, Reges, ac potentatus, quod habent super se vigiles, qui eorum vestigia, ac gressus observant, & numerant ad rationem in die judicii. Dicitur: *In sententia vigilum decretum est; Vigil* vel est Deus, vel Sancti Angeli, qui etiam erunt eorum accusatores.

Sciant Reges, quod habeat vigiles ad diē judicii.

Volens David ostendere suam innocentiam erga 401
Saulem, & quàm injusta, ac iniqua perversitate ejus mortem moliebatur, ait illi David: *Sit Dominus Judex, & judicet inter me & te, & videat, & judicet causam meam*, 1. Reg. 24. n. 16. bene intellexit David nihil efficacius esse ad reprimendam regum licentiam in peccatis, quàm Dei judicium repræsentatum; quod sentit Chrysost. ho. 2. de David & ait: *Hoc verbum dixit, non quod punire Saulem cuperet, sed ut illi formidinem injiceret.* Et perpende, quòd cùm David dixisset: *Sit Dominus judex, & judicet inter me, & te*, subdit text. nu. 17. *Levavit Saul vocem suam & flevit*; modò in lachrymas prorumpit, cum verò ipse audit à Samuele, quòd privandus erat à regno, nec ullam lachrymam fudit, 1. Reg. 15. n. 23. cùm à Propheta audit mortem suam, ac filiorum suorum cum toto exercitu deperdito non flevit, 1. Reg. 28. nu. 19. cum ei proponitur Dei judicium flevit. Homo & Rex depravatissimus plus horroris, ac timoris concepit audito Dei judicio: *Judicet inter me, & te*; quàm ex denuntiata morte sua, ac filiorum suorum, ac ex deperdito regno, ac exercitu, nam hæc sine lachrymis accepit, in illis verò non potuit à fletu temperare.

Rex plus timeat Dei judicium, quam perditionem vitæ & regni.

Cùm Balthassar Chaldæo gauderet sceptro, cum- 402
que multa potestate emineret in homines, ac magno, & opulentissimo convivio gauderet, *in eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum*; ad quæ cum Balthassar conjecisset oculos, *tunc facies Regis commutata est, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur*, Dan. 5. n. 6. undè tibi, ò Rex tanta conturbatio? si literæ scripturæ animum tuum concutiunt, ad hoc nulla est causa, nam talis scriptura à nemine legitur, nec intelligitur. Literæ illæ erant apices Dei judicis, & ea quæ sunt Dei judicis de se multum terrorem, ac pavorem ingerunt regibus, ac cunctis universis, cùm sub ejus ditione sint. Rupert. lib. 7. de victoria Verbi cap. 1. & ait: *Rex ille parvula verbi signa, parvulos apices Judicis, veros judices cum nondum intelligeret, aut quisquam posset legere, ferre non valuit.* Balthassar magno horrore contremiscit, ut videt apices parvulos judicis, qui nec legebantur, nec intelligebantur; quid fiet, cum districtè, & apertè vox judicis audietur: *Ite maledicti?*

Quidquid De judicio etiam non cognitum timetur.

QUÆSTIO LI.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare Christus in sacra Eucharistia dicitur Rex Regum, & Dominus Dominantium.

CHristum D. maximè se Regem, ac Dominum 403
ostentare in sacra Eucharist. multis dixi to. 3. in Evang. c. 35. q. 11. per totam nempe n. 84. & seqq. & Christus D. singulariter dicitur Rex in Eucharistia, ut Rex & Dominus super omnes alios reges, & Dominos; hinc mulier Chananæa cùm pro salute filiæ deprecaretur, & repulsa esset à Christo, dixit: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa*, Matth. 15. n. 27. Etiam Domine, in radice hebraica significat Dominum per excellentiam, ac antonomasiam, tanquam Dominum elevatum, & sublimatum super alios reges.

Christus per excellentiam Rex, & Dominus in Eucharistia.

Ait regius Vates, 67. n. 10. *Cœli distillaverunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel; Pluviam voluntariam* 404

segregabis Deus hæreditati tuæ: id est populo tuo; ubi sermo est de manna typo eucharistico. *Pluviam voluntariam;* Pagnin. ut jam dixi: *Pluviam munificentiarum.* Et ait Propheta: *Segregabis;* exponit D. Hier. *elevasti*; Pagn. *Feciſti elevare*; Felix: *Elevabas te;* nimirum, pluviam munificentiarum, id est Eucharistiam, dum nobis dedit, dicitur elevari. *Elevabas te*; quia ut ait D. Ber. ser. 1. de Epiph. *Christus, quantò minorem se fecit in humanitate, tantò majorem se exhibuit in bonitate;* quò Christus se minorem facit in Eucharistia, eò majorem se ostendit.

Christus in Eucharistia maximè elevatur, ac sublimatur.

405 De Christo D. ait Isai. 33. n. 16. *In excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, regem in decore suo videbunt oculi ejus;* quem locum interpretatur Justinus contra Tryphonem de sacra Eucharistia, de quo multa dixi to. 3. in Evangel. cap. 35. num. 21. & qu. 48. num. 310. nunc verò ad præsens institutum. *In excelsis habitabit;* legit Chald. *In excelso, & elevato habitabit*; cùm enim Christus est in Eucharistia, eique iste panis divinus datus est à Patre in elevatis, ac excelsis super omnia mysteria, ac magnalia habitat, ac moratur; & addit Propheta: *Regem in decore suo videbunt oculi.* Præ sublimitate hujus mysterii cum se se Christus ostentat in Eucharistia, ibi sese ostentat cum omni pulchritudine, elegantia, ac formositate omnium suorum donorum, ac magnalium. Ait Paul. Hebr. 13. n. 16. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hostiis promeretur Deus;* illud verbum *promeretur*, quod non intelligentes maximè torquet hæreticos, sic vertit Syrus: *Pulchrescit Deus*; hæc ostia Eucharistiæ est Dei pulchritudo. Cornel. ibi ait: *Hæc hostia Deo tam ita est voluptati, illa se pascit, oblectat, pulchrescit, hilarescit, & gloriatur;* quæ verba maximè faciunt in rem præsentem, & inde optimo jure clamat propheta Zach. *Quid bonum ejus est, quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Christus in Eucharistia maximè formosus & pulcher.

406 Ait Isai. 6. n. 1. & 2. *Vidi Dominum sedentem super Solium excelsum, & elevatum, & ea, quæ sub ipso erant replebant templum, & Seraphim stabant super illud; sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Multi doctissimi, ac pii viri, in hac admirabili visione, intelligunt Christum D. in Sacramento Altaris, velatum speciebus sacramentalibus, veluti Seraphim alis, nam Seraphim, ut explicat Rupert. Abbas, duabus velabant caput ejus, id est, Christi divinitatem, & duabus velabant pedes, id est ejus sanctissimam humanitatem, & duabus volabant circa pectus, nempe ut tenui aura veluti refrigerarent ardentem amorem, quo se nobis in hoc Sacramento dedit: vide to. 3. in Evang. c. 35. q. 29.

Eximius Christi amor in Eucharistia.

407 Et ait Propheta: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum;* ait noster Joan. supra c. 4. n. 2. *Ecce sedes posita erat in cœlo, & super sedem sedens, & qui sedebat similis erat aspectui lapidis Jaspidis, & Sardinis, & Iris erat in circuitu sedis similis visioni Smaragdinæ*; ubi sermo est de Christo D. in beatitudine gloriæ suæ, ut tenet Ansbertus, & tamen dicitur, quòd sedebat super sedem tantùm, sicut c. 5. n. 6. apparet agnus in medio throni; at in Eucharistia non solùm in throno se Christus manifestat, sed etiam *super solium excelsum & elevatum*; in gloria se ostentat Christus in throno, ac sede, at in Eucharistia pro sublimitate, ac magnificentia, in solio excelso, ac elevato; hoc tanto Sacramento maximè videtur Christi bonitas exaltari, ac sublimari. Ait Joannes citato loco: *Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, & sardinis*; at Isaias nullo modo exprimit qualis fuerit Christi præsentia, sed tantùm ait: *Vidi Dominum*; cur etiam sicut Joannes Ezechiel. 1. aliquo modo non explicat Isaias Domini præsentiam, sed tantùm ait: *Vidi Dominum?* Christi præsentia in ubertate gloriæ suæ tropis, & figuris potest aliqualiter depingi, ac adumbrari, at Christi magnificentia in Eucharistia sic pro sui celsitudine, ac sublimitate sub speciebus sacramentalibus absconditur, ut pro nostra exiguitate nullis verbis, nullaque nostra facultate, valeat etiam leviter attingi, ac denotari; sic in im- ensum superat omnem nostram facultatem: vide quæ dixi tom. 3. in Evang. c. 35. q. 32. n. 224. 225. & pro magna sublimitate Eucharistiæ vide eundem to. 3. verb. Eucharistia in Indice sub titulo, *magnitudo mysterii.*

Christus in Eucharistia in magna sublimitate

Magnificentia, & gloria Christi in Eucharistia non potest explicari.

Apoc. 19. n. 17. Et vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli: Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei.

Num. 18. Ut manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, & carnes omnium liberorum, & servorum, & pusillorum, & magnorum.

VERSIONES.

Arabic. n. 17. Vidi Angelum quendam, eumque clamantem alta voce, &c. quæ volant inter cœlum, & terram: Venite nunc ad me, &c. Et ad cœnam magni Dei.

Mart. Stantem loco sublimiori.

Syriacus. Omnibus avibus earum, quæ volant in medio cœli.

Æthiopicus. Ad festum Dei magni.

Arabic. n. 18. Ut comedatis carnes Regum, &c. Et carnes equorum, & insidentium in eis.

Syriacus. Ut edatis carnes Chyliarcorum, &c. & parvorum.

EXPOSITIO.

Vidi unum Angelum. Gloriosam Christi victoriam contra Antichristum jam nunc describit Joannes, qui usque modò explicavit Christum exeuntem ad hanc pugnam, & victoriam, & ait: *Vidi unum Angelum*; qui nec est Patriarcha Jerosolymit. ut ait Lyran. nec est Ezechiel Propheta, nec ejus prophetia, ut ait Alcazar, quia ex eo quod Ezechiel agit de hac victoria cap. 39. n. 4. non sequitur quòd ipse sit iste Angelus, nam etiam dicetur, quòd sit Jeremias, qui etiam de ea agit cap. 12. n. 9. imò etiam ex hoc fundamento dicetur quod sit noster Joannes. Iste Angelus verè, & propriè est Angelus: ita Andr. Cæs. Pann. D. Th. & ut benè observat, est unus ex præcipuis & primoribus Angelis. *Stantem in Sole*; Mart. *in loco sublimi*. Iste Angelus est ille, cui à Deo demandata est cura publicandi, ac manifestandi hanc victoriam in toto Orbe, ac proinde stat in Sole, & clamat, sub toto Sole, omnibus conspicientibus, & audientibus, tantam victoriam illiusque famam. 408

Quid sit iste Angelus.

Clamavit voce magna; non solùm, quia magna erat ostensurus, sed quia cum plures ab extremis locis congregandi essent, necesse fuit vocem extollere, ut à congregandis audiretur. *Dicens omnibus avibus, quæ volabant per medium cœli.* Per has aves juxta communem sententiam denotantur fideles, ac servi Dei, ut dicam quæst. seq. & elegans est allegoria, quia fideles durante persecutione Antichristi de suis sedibus, seu nidis deturbati, vagi, & profugi huc, illucque quasi per medium cœlum volitabunt, nullibi valentes consistere. *Ad cœnam magnam Dei.* Per cœnam Ansbertus fidem interpretatur; D. Th. Deum ipsum, qui in omnibus est nobis plena refectio. Simpliciter tamen dicendum est cum Ferrario, quod per cœnam intelliguntur cœtus fidelium, ac ultima felicitas temporalis Ecclesiæ; & benè dicitur cœna, quia, ut modò explicat Angelus, cum Antichristus ejusque afflictæ jugulandi sint, tanquam hujus cœnæ altilia, & in cibos præparanda fercula; & inde benè dicitur cœna, quia hi ultimi sunt tyrannorum, quibus jugulatis perpetuò Ecclesia pacem habebit. 409

Ut manducetis carnes Regum. Ad significandam magnam futuram stragem, ex omni cœli parte aves convocantur; modò explicat Angelus, quinam occidendi sunt, & primo Reges, deinde dynastæ, duces, ac fortes Antichristi partibus adhærentes. *Et equo-* 410

Superbi maximè dejiciuntur

equorum. Ex omnibus brutis animantibus, equus enumeratur, qui typus est superbiæ, ac arrogantiæ, ex quorum dejectione magnum erit gaudium; Syriacus pro tribunis posuit Chyliarcis, erant, qui militibus præerant; cætera in quæstionibus.

QUÆSTIO LII.

Quare iste Angelus clamans ad cœli aves; apparet stans in Sole, & non in alio loco.

411 QUod iste Angelus verè, & propriè sit Angelus, & cur appareat in Sole secundùm sensum literalem, jam dixi in expositione, ac proinde non repetenda; sensum moralem nunc quæro. In sensu ergo morali Alb. Mag. Rich. de S. Vict. Card. Hugo intelligunt verum, ac optimum prædicatorem Evang. seu cœtum prædicatorum.

Cœtus prædicatorum.

412 Ait Joan. *Vidi unum Angelum stantem in Sole*. Prædicator dicitur Angelus, quia verba Dei annuntiat; Isai. 22. *Angeli pacis amarè flebunt*. Et dicitur *Unus* prædicatorum cœtus, quia unam fidem annuntiant, & inter se tantam habent unionem, ut in eis tantùm sit cor unum, mens una. *Stantem*; per rectam intentionem, vel per contemplationem divinorum, vel per contemptum terrenorum. *Stantem*, non sedentem, quia prædicator Evangelicus, nullis laboribus debet fatigari, nec quiescere, sed semper firmus stare ad currendam viam salutis. Rich. de S. Vict. & ait: *In Sole stat, quia in fervore persecutionis per bonam intentionem erectus rectè prædicando perseverat*.

Prædicator laboribus non fatigatur sed firmus stat.

413 *In Sole*. Magnus iste prædicator è Sole tanquam è suggestu exclamat, quod est scopus hujus q. & primò: *In Sole*, ait Albert. Magn. id est, in plenitudine cognitionis, & ardore dilectionis divinæ, & in fervore zeli animarum, vel in lumine fidei, & calore charitatis, in Sole enim est lux & calor. Vel secundò ait ipse Albert. Magn. *In Sole, id est, in Christo, qui est verus Sol Justitiæ. Malach. ultimo: Angelus ergo stat in Sole, quando prædicatores solidantur in Christi amore, & fide, ut non evellantur ab eo aliqua persecutione; Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi*.

Prædicator resplendeat scientia, ferveat charitate.

414 Tertiò quia Sol semper festinat, & nunquam quiescit, ita evangelicus prædicator, totum Orbem tenetur currere, ac pervagari; & quia sicut Sol omnibus beneficus oritur super justos, & injustos, ita evangelicus prædicator omnium tam bonorum, quàm malorum commodis spiritualibus invigilat; & tandem, quia sicut Sol totum Orbem splendore illuminat, suoque calore fœcundat, ita evangelicus prædicator castas hominum mentes suis verbis illuminat; deindeque, quia bonus prædicator non solùm illustrat docendo, sed bene vivendo ædificat: vide sup. tom. 1. c. 1. q. 41. n. 309. & seqq. & c. 6. q. 4. n. 51.

Bonus prædicator illustrat doctrina, & vita ædificat.

415 Quartò M. Didac. de Baeza tom. 1. in Evang. lib. 6. c. 1. §. 2. ait. *Nullibi enim melius, quàm in Sole ad Dei cœnam invitantur aves, quandoquidem beneficia Dei munera clariora, & evidentiora sunt Solis radiis*. Ait noster Joan. de Juda proditore: *Cùm ergo accepisset ille buccellam exivit continuò; erat autem nox*, Joan. 13. n. 30. Valde mirum hucusque cùm cœna, ac mysteriorum institutio, & lotio pedum, & finalis amoris universa signa eo tempore agerentur, nullius interea noctis meminit Evangelista, sed in Judæ exitu statim nocturnas tenebras scriptis interponit; & cur tam subitò noctis memoria modò, & non antea? Antea divinus amor tot, ac tam miris donis in cœna prodibat, inde ibi nil obscurum, ac nocturnum sentiebatur, sed omnia in luce clarebant: *Et nox illuminatio mea in deliciis meis*; & ita Joan. 13. n. 1. notat diem cum de lotione pedum ageret: *Ante diem festum Paschæ*; at in Judæ exitu jam divinus amor non operabatur, sed totus rigor Justitiæ ad pœnam, ac vindictam exigebatur, & inde subitò ibi nox agnoscitur, & notatur.

Dei beneficia luce clariora.

416 Quinto iste eximius prædicator stans in Sole clamat ad aves cœli, innuens, quod verus concionator, debet dare verba clara, & manifesta, ut lucis naturam videantur imitari: inde maximè damnandi sunt illi, qui claritatem in verbis contemnunt, & obscuritatem toto affectu intendunt; quos graviter arguit Philo lib. *Quis rerum divinarum sit hæres*, & ait: *Est autem obscuritas caligo profunda in sermone, res commodatissima furibus. Quapropter Moyses summum Pontificem claritate ornat, & veritate, volens perspicuam simul, & veracem esse viri boni orationem. At vulgus hominum obscuram, atque mendacem mavult sectari, de quorum grege censetur contemptissimus quisque*. O utinam hoc audirent critici concionatores, qui claritatem, & dicendi lumina fastidientes, ad caliginosas verborum tenebras, quasi noctuæ volant!

Sermo prædicatoris claris & non obscurus.

Sacrarum rerum operariis præcepit Deus Exod. 28. n. 6. *Facient autem super humerale de auro, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta*; ubi maximè ponderandum omnem ferè sacram pontificis supellectilem, ex bis tincto cocco, qui igneam potestatem urendi indicat, & byssо, quæ sui candore lucem, & claritatem denotat fuisse contextam, quia inflammandi vis, nusquam sine lucis candore in effectum prodiit. Sermo obscurus in vacuum laborat, non flammam, sed confusionem parturit, indeque pontifex, ac magister candore, ac claritate byssini, & cocco non tantùm tincto, sed etiam bis tincto igne significato, ut in se habeat utranque ignis virtutem, tum in urendo, tum etiam in illuminando. Ut magister suis verbis valeat corda audientium inflammare, tantam claritatem debet intendere, ut non unam, sed multiplicem videatur habere. Beda ibid. & ait: *Potest, & de cocco, qui ignis specie refulget, & hoc non inconvenienter dici, quia fortasse bis tinctus fieri præceptus sit, quod ignis duplicem habet vim, urendi scilicet, & lucendi, cujus naturam imitari præsulem in verbo, nimirum doctrinæ sanctaris oportet, ut & lucem, videlicet scientiæ desiderantibus aperire, & rubiginem peccatorum in contemptoribus curet, increpando comburere*.

417

Prædicator ut inflammet clarè & lucidè loquatur.

Præcepit Deus Exod. 25. n. 30. *Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper*; Beda ibi ait: *Panes propositionis super mensam positi semper, DD. sunt spirituales, qui in lege Domini die, ac nocte meditantes, cunctis Ecclesiam intrantibus refectionem verbi cœlestis offerunt, qui rectè panes propositionis vocantur, quia in patulo semper esse debet universis fidelibus sermo salutis*. Ecce cùm panibus propositionis doctrina prædicatoris confertur; nullus certè vulgarior cibus, magisque notus quàm panis: talis vult Deus, ut sermo à prædicatore audientibus proferatur, nulla ambiguitate, nullo peregrino lepore commistus, sed ut candidè in omnium oculis proponatur: *In patulo semper esse debet*, id est, lucis perspicuitate fruens, *universis fidelibus sermo salutis*; & ideo panes propositionis dicuntur, quia in omnium oculis sunt expositi.

418

Sermo prædicatoris sit in patulo & manifesto.

Hinc rectè ponderat Rupert. quòd cum Christus satiare vellet ingentem hominum multitudinem, non alium cibum rarum, & exquisitum eligit, sed tantùm panem, qui valde frequens, & *in usu* erat apud illos, ut & ita magister usitatum salutis panem præbeat suis auditoribus: & Christus distribuit panem juxta discumbentium capacitatem, quod maximè observandum est à vero doctore. Deinde præcepit Christus: *Colligite, quæ superaverunt fragmenta*, Jo. 6. n. 12. ad aliorum nempe usum; discat exinde bonus prædicator ad salutem audientium panem doctrinæ frangere, ac partiri, ut faciliùs possit comedi, ac masticari ab auditoribus. Rupertus ait: *Reverenter audiendum est, & diligenter observandum, in omni pane quem vitæ nostræ, & saluti gratia ejus providit, videlicet, ne sublimia nimium & fortia prædicemus infirmis*.

419

Panem doctrinæ prædicator auditoribus frangat.

QUÆSTIO LIII.

Quare Angelus, non quoscunque, sed tantùm aves per medium cœlum volantes vocat ad cœnam magnam Dei.

420 *Aves*, ut ait Rupert. lib. 1. c. 1. in Habac. *ab avidate comestionis dictæ sunt*; cum ergo aves in præsenti solummodo ad cœnam magnam Dei vocentur, inde in præsenti inquirimus, quid aves ipsæ significent. Et variæ sunt sententiæ.

Aves unde dicantur.

421 Prima communis, & vera, quam sequutus sum in expositione, & communiter tenent recentiores Cornel. Tirin. Ferrar. asserit per aves significari fideles, qui destructo Antichristo cum suis, ad Ecclesiam, ac Ecclesiæ cœtus convocantur, ut divino pabulo ren-

ciantur; & avium allegoria optima est, non solùm ad significandam magnam stragem iniquorum, sed etiam ad denotandam magnam voluptatem, & utilitatem bonorum, qui urgente persecutione Antichristi de suis nidis, seu habitaculis expulsi, vagi, ac profugi huc, illucque tanquam per medium cœlum volitabant, nullibi valentes consistere, ubique enim erant parati aucupes, qui eas aucuparentur, ac deglutirent; cum enim rapaces volucres, morti jam essent dati, inde securè cœlestes aves ad cœnam magnam vocantur. Rectè Alex. Alens. *Dicuntur volare per medium, ne ferantur in sursum superbia, ne deiiciantur in deorsum avaritia, ne turbentur per sinistrum adversitatis, ne eleventur per dexterum prosperitatis, ne cadant retrorsum per recidivum culpæ.*

Justus ab omni vitio declinat medium tenens.

Cur per medium.

422 Secundò, & moraliter Andr. Cæsar. per aves intelligit Angelos, qui tanquam aves cum multo gaudio, ac festivitate volant per medium cœlum, ostendentes viam hominibus, ut contempta terra in cœlum mente ferantur, & ad cœnam magnam Dei perveniant. Andr. Cæs. *Volant per medium cœlum, ut hominibus, qui angelicam vitam ducerent reditum ad patriam demonstrarent, lætitiamque communem esse ostendant, quorum tanquam sequestrium intercessio sursum illos subvehere nata est; qui infra constituti sunt.*

Angeli nobis demonstrant viam ad cœlum.

423 Tertiò Haymon, Ansbert. Rupert. docent per has aves significari prædicatores evangelicos; hujusmodi avibus mandatur, ut comedant carnes Regum liberorum, & servorum: Ecce cœlestes prædicatores, ut comedant indifferenter carnes Regum, ac servorum, ut nulli se negent, sive Rex, sive servus sit, omnes debent in viscera sua traiicere; & hoc tantùm mandatur avibus cœli, quia hoc solùm præstant cœlestes homines, ac divini magistri, ut nullius personæ acceptatores sint. Ruper. ait: *Secundùm metaphoram, qua per aves significantur Apostoli, congruè vim, & intentionem apostolici designat officii, quia sicut aves manducandis carnibus avide insistunt, nec curant quorum, aut qualium, nobilium, aut ignobilium cadavera transvorent, dum in campo magno stragem invenerint occisorum, ita & Apostolorum est nullam facere, vel habere distinctionem hominum, sed omnes indifferenter ad fidem suscipiendam, & in Ecclesiæ corpus traiicere*; Sic & Petro ostenditur linteum, in quo erant quadrupedia, & venenata, eique dicitur: *Occide, & manduca*, Actor. 10. n. 13. hoc est ut efferas gentes ad fidem susciperet sub qua etiã metaphora dicitur avibus cœli, hoc est prædicatoribus, ut omnes carnes indifferenter comedant. Et volant per medium cœlum, quia præco divini verbi, ut animas ad Deum adducat, non terrenus, sed totus cœlestis sit. Ansbert. *Per medium cœlum volare dicuntur, quia nimirum prædicatores sancti ut ad cœlestia animas possint elevare credentium, nequaquam terrenis desideriis inhærent, sed per cœleste desiderium ad sublimia virtutum pennis tolluntur.* Richardus per aves intelligit dœmones, de quo quæst. seq.

Concionator non sit acceptator personarum.

Concionator ut profitiat totus sit cœlestis.

Cur per medium cœlum.

424 Quartò Glossa Albert. Magn. per aves cœli interpretantur justos, & sanctos, quia tales sunt agiles, & leves; agiles ad bonum, leves per terrenorum contemptum; qui mente cœlum petunt ad Philipp. 3. n. 20. *Nostra conversatio in cœlis est*; hi, nempe pennis omnium virtutum, volant ad cœnam magnam agni.

Justus terrena dimittit & totus fertur in cœlum.

425 Ex his capies rationem, cur cum omnes aves cœli invitentur hic ad cœnam magnam, nulla ex eis auditur se excusare, at Luc. 14. n. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos*, &c. *Et cœperunt omnes simul se excusare*; utrobique cœna magna paratur, utrobique vocantur ad cœnam magnam; hìc in Apocalypsi nullus se excusat, apud Lucam verò omnes excusationem interponunt. In Apocalypsi invitantur aves cœli, quæ relicta terra, cœlestia tantùm spectabant, apud Lucam verò invitantur homines terrenis dediti, uxoribus, villis, & jugis boum alligati; non mirum ergo quod hi cœlestis Regis gratiam non gustent, cujus participes fiunt, qui à terrenis sublevantur. Rupert. lib. 11. in Apoc. *Homines quidem excusaverunt, alius dicens villam emi, alius juga boum emi quamque; aves autem istæ, quæ sicut conserunt, neque metunt, neque voluptatum habent studium, non excusaverunt; quod est dicere: Cupidi amatores sæculi vocantem contempserunt, hi autem, qui liberum cor à cupiditatibus habere meruerunt, secuti sunt eum*: Si vis tenere Regem cœlestem, terrenas affectiones à te excute.

Abiicienda terrena ut ad Christum venias.

Compone modò Stephanum & Mariam; hæc flentis 426 quærebat Jesum, & cum prope Jesum esset: *Vidit Jesum stantem, & non sciebat, quia Jesus est*, Jo. 20. nu. 14. at Steph. *Cum esset plenus Spiritu S. intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei*, Act. 8. n. 55. & cur iste cum tam distans esset, sic tenet Jesum, illa autem cum juxta esset eum non cognoscit? Maria adhuc terrenis inhærens Jesum quærebat in terra, & ideò non invenit, at Stephanus terram deserens ad cœlestia totus ferebatur, & inde Jesu conspectu congaudet. Eleganter D. Ambr. lib. 10. in Luc. 9. ait: *Stephanus non super terram quæsivit, qui stantem ad dexteram Dei vidit, Maria autem, quæ quærebat in terra tangere non potuit; Stephanus tetigit, quia quæsivit in cœlis; Stephanus inter Judæos vidit absentem, Maria inter Angelos non vidit præsentem*. Relinque terram, & millies Jesum invenies: vide sup. c. 12. q. 2. n. 12. & seqq.

Dimitte terrena ut Christo frui valeas.

Et deinde de ipsis justis meritò additur in text. quod, 427 *volabant per medium cœli*. Qui mediocritate contenti, non ascendunt ad majora super se nec descendunt ad ima, quæ non decent, sed mediam viam in omnibus tenent. Albert. Magn. ait: *Per medium cœli qui non elevantur in prosperitate, nec deiiciuntur in adversitate, sed semper manent in medio*. Vera virtus semper sibi constans tam in prosperis, quàm in adversis.

Virtus in diocritate.

Proponit Christus suis discipulis signa in Sole, Luna, terræ motus, ac fremitus maris, qui venturi sunt ante diem judicii; tunc ait suis discipulis: *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra*, Luc. 21. [illegible] consîdera divinum consilium; in tam ingenti tribulatione, non ait: Prosternemini, humi sedete; sed quod ostensionem, & animositatem sonat: *Levate capita vestra*; eos monens, quod eandem animi generositatem, quam in pace, ac quiete Ecclesiæ habuerunt, eandem retineant, & conservent in tam ingenti angustia, ac vehementi tribulatione. Galfridus in Allegoriis Tilmanni, ait: *Levate capita vestra. Non expectemus, ut Mundus nos obruat, quia necesse est ruat; dimittamus in prosperis capita, ne vanitas nos rapiat, levemus in adversis capita, ne nos tormentis mergat unda, vel trahat. Levandum igitur est caput, & resistendum his, qui dicunt incurvare, & transeamus; sic loquuntur tentationes*. Tunc maximè ostenditur hominis præclaritas, quando eandem animositatem servat in prosperis, & eandem in adversis tenet. 428

Eadem sit animositas hominis in prosperis adversis.

QUÆSTIO LIV.

Quare aves cœli invitantur ad comedendas carnes omnium indifferenter.

DUm Angelus convocat ad congregandas aves 429 cœli, ait illis: *Ut manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, &c.* In quibus verbis, ut communiter tenent Interpretes, alludit Angelus ad illud Jerem. 12. num. 9. *Venite congregamini omnes bestiæ terræ properate ad devorandum*; & maximè alludit ad Ezech. 39. num. 17. ubi agens de eadem destructione exercitus Antichristi, puta Gog & Magog ait: *Dic omni volucri, & universis avibus, cunctisque bestiis agri: Convenite properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israel, ut comedatis carnem, & bibatis sanguinem*. Alcazar quinque differentias intendit proponere inter prædicationem Ezechielis, & nostri Joannis; sed re benè considerata eadem est prædictio de clade, ac destructione Antichristi. Ad quæstionem.

Primò Richard. de S. Victor. vult, per aves, quas 430 Angelus congregat, accipiendos esse dæmones, ut inde fiat manifestum improbos dæmones sevire non posse, nisi eis permittatur à Deo; sic ait citatus doctor: *In hoc quod invitantur subtiliter innuitur, quod non possunt sevire dæmones, nisi permittatur*. Et dicitur has aves comesturas carnes equorum, & in eis sedentium; per equos intelliguntur corpora, per sedentes animas, quæ corpora regunt, quo innuitur dæmones maximè delectari corporum, ac animarum

Dæmones nō possunt sævire nisi à Deo permittantur.

marum damnatione; ita ait citatus Rich. *Equi sunt corpora, sessores spiritus, qui utrique à dæmonibus manducabuntur, quia dæmones utrorunque cruciatibus delectabiliter satiabuntur.*

431 Sed cum aves vocentur ab Angelo ad cœnam magnam Dei, non possunt per hujusmodi aves dæmones intelligi, proindeque subintelligendum est, quod cum aves cœlestes vocatæ fuissent ad cœnam magnam Dei, etiam quædam malignę aves non vocatæ advenerunt, ad devorandum eos, qui mensam contempserint, & ad illam noluerint convenire. Ansb. ait: *Ad hanc cœnam inter invitatas aves occurrunt minimè vocatæ, maligni videlicet spiritus, si quod fortè morticinium projectum, quo iniquitatis suæ ventrem, tanquam milui, & corui repleant, invenire possint.* Sciant justi, quod dæmones semper eos sequuntur, an fortè valeant aliquid devorare ex eis.

Dæmones intrōptu, si valeant justos devorare

432 Secundò si per aves intelligantur prædicatores, ut ex multorum sententia dixi super. qu. meritò dicitur quod ad cœnam magnam Dei convenientes aves cœlestes comedunt carnes Regum, Tribunorum, &c. quia sancti prędicatores gladio divini verbi tales transverberantes in Christi corpus, quod est Ecclesia, media conversione ad Christum traiicient, quod excellentius, & amplius fiet in fine Mundi. Ansbert. *Ex his omnibus magnum cœnæ convivium ab exortu quidem sanctæ Ecclesiæ præparatur, sed in extremis ejus abundantiùs immolandi occurrunt, quandoquidem ipsi judæi ad Christum convertentur.*

In fine mūdi plures convertentur ad Deum.

433 Tertiò si per aves intelliguntur justi, & fideles convocantur ut comedant carnes Regum, hoc est ut zelo suo destruant, & dissipent omnes carnium concupiscentias, Regum superbiam, Tribunorum, seu minorum judicum avaritiam, fortitudinem, confidentiam in sua virtute, equorum luxuriam, ac eorum, qui ab ea absque fræno feruntur, & etiam petulantiam liberorum, qui absque ulla lege vivunt, & alligationem servorum suis peccatis, quibus serviunt, & debilitatem pusillorum ad resistendum peccatis, in quorum turpitudine, multi tanquam magni se gloriantur. Ad hoc tendit Joach. Abbas dum ait: *Sicut aves cœli, quæ vescuntur carnibus, delectantur in cadaveribus mortuorum, ita anima justorum in defectu concupiscentiæ carnalis, & in abolitione carnalium desideriorum, quæ militant adversùs animam. Inde est, quod egit Deus in veteri testamento sacrificium hircorum, & vitulorum, & arietum, ac si eisdem sacrificiis vesceretur, quia sicut gaudent carnales homines in mactatione carnis, ita lætantur sancti in abolitione carnalis desiderii.*

Justi delectantur defectu carnalis concupiscentiæ.

434 Ex quibus, quæ diximus hìc de concionatoribus evangelicis, liceat considerare divinam bonitatem, quæ ad se omnes vocat, ac trahere vult æqualiter, ac indifferenter, sive sint Reges, sive plebei, sive liberi, sive servi, sive pusilli, & magni, hos omnes absque ullo discrimine per suos ministros mandat convocare, ac congregare ad mensam suam, ut dixi ex Ruperto sup. quæst. in tertia ratione. Cum Agar fugeret à facie Saraï Dominæ suæ, quæ eam durè affligebat, invenit illam Angelus Domini juxta fontem, & maximè consolatus est eam, promissaque numerosa prole, illam mirificè recreavit: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*, Genes. 16. n. 10. Una misera, & profuga ancilla tam illustri promissione corroboratur, nam Abrahamus cum esset vir valdè magnus, & potens, multumque meritis præclarus, pro sui magnitudine filii promissione cum numerosa prole nobilitatur, Gen. 18. nu. 10. quomodo ergo, & ancilla tali spe condecoratur? D. Chrysost. hom 38. in Gen. ait: *Considera benignitatem Domini, quomodo nullum despicit, sed etiam si servus sit, & ancilla suam erga eum declarat providentiam, non ad dignitatis respiciens differentiam, sed ad animæ afflictionem.*

Deus non est acceptor personarum.

435 Iterum in eadem Agar persisto. Agar ancilla erat Saræ, & utraque magno prolis desiderio tenebatur, & tamen ordinatum est, ut priùs Agar filio ditaretur, eique dicitur ab Angelo Gen. 16. n. 11. *Ecce concepisti, & paries filium, vocabisque nomen ejus Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam*; cur ergo tantum prolis donum non priùs datum est Saræ, cum esset Domina, ac valde illustrissima, utpote uxor Abrahami? Deus non respicit personam, nec eorum dignitates, sed tantùm distribuit dona juxta ordinem suæ supremæ providentiæ. Seraph. à Porr. Conc. 5. ait: *Ancillæ datum est, quod conciperet, & pareret, Saræ tunc denegatum est, imo nec spes habebatur à Sara habendi liberos; ideo dedit ancillam Abrahæ, ut ex quo desperaverat habere proprios, haberet adoptivos: ergo Deus non respicit personam hominum; ergo pauperem ditat, & divites non reveretur; ergo dona sua confert, non secundùm, quod opinamur, sed secundùm quod vult.*

Deus alij quando negata dona majoribus, confert minoribus

QUÆSTIO LV.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare Angelus vocans ad eucharisticam mensam apparet in Sole.

436 A It noster Joannes: *Vidi Angelum stantem in Sole*; & inde ipse vocat aves per medium cœlum volantes ad cœnam magnam Dei, & cur potiùs apparet in Sole, quàm in alio loco? Ut indicaret, quod ab ipsa cœna magna Dei, ac ab ipsa mensa eucharistica, multam lucem, ac splendorem capiunt humani intellectus. Tanquam viatores excepit Abrahamus tres Angelos, eisque præparat magnum convivium cum pane, vitulo, ac butyro, in figuram eucharistici convivii, ut sæpè dixi, & communiter docent Patres; tamen ut valde singulare advertit text. tempus hujus convivii; Gen. 18. nu. 1. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre in ipso fervore diei*; seu ut posuerunt Septuaginta; *In meridie diei*; ut his explicaretur excellentia hujus divini convivii, cujus est hominem constituere in luce, ac splendore meridiano ad divina intelligenda, ac agnoscenda.

A mensa eucharistica lux meridiana.

437 Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*; seu, ut explicat ibi D. Anselm. *Apostoli enarrant gloriam Dei.* Pergit regius Vates multa Christi mirabilia eructans, & inter cætera decantat: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*; quem locum multis, & variis commentariis explicant interpretes; nunc verò ad præsens thema: *In Sole nempe posuit corpus suum, carnem suam.* Valde frequenter tabernaculi nomine corpus significatur, ut ibi satis eruditè commentatur Hugo, & ait: *In Sole posuit tabernaculum suum, habito de prædicatione Apostolorum: agitur de incarnatione, quam prædicaverunt, &c. tabernaculum dicitur caro ejus, in qua sicut in tabernaculo militavit.* Ecce tibi caro Christi, corpus Christi, datum est in Ecclesia, tanquam in Sole fulgentissimo, ut suæ lucis radiis illuminaret doctores, ac prædicatores, ac totum Mundum, ad intelligenda alta, & sublimia mysteria, & ut Christus tanquam sponsus procedens de thalamo suo, id est de sinu Patris *venit in Mundum*, & exultavit ut gigas ad currendam viam nostræ salutis.

Corpus Christi sol illuminans Mundum.

438 Decantat Psalmographus Ps. 22. n. 12. *Et tunc Reges intelligite, erudimini, qui judicatis terram; servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*; quorsum tam generosa mentis perspicacia? subdit: *Apprehendite disciplinam.* Pro disciplina Tyrobosius vertit, *frumentum*; & sanè D. Hier. vocem hebræam, disciplinam, triticum significare docet, quasi synonima sint disciplina, & triticum, seu panis eucharisticus; ait ergo regius Vates: O Reges, & principes, ut intelligatis, & eruditionem habeatis, ad terram judicandam, ac ad serviendum Deo in timore, & tremore, apprehendite frumentum, & triticum, ut adimpleamini omni intelligentia, & eruditione, quoad Deum, & homines; ad Deum venerandum cum timore, & ad homines rectè, ac cum justitia judicandos.

Panis Christi illuminat nos tam quoad Deū quā quoad homines.

439 Divina Sapientia domum Ecclesiæ sibi ædificavit, unum sui sanguinis miscuit, suique corporis mensam proposuit, & misit ancillas suas, ut parvulos ad tam opulentissimum convivium convocarent: *Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem; si quis est parvulus veniat ad me; & insipientibus locuta est*, Prov. 9. n. 4. Parvulos, cur non potiùs adultos? Forsitan, quia ad hanc mensam solùm expectant, qui seipsos parvulos, ac minimos reputant. In rem nostram: Advocantur parvuli, id est imperiti, & insipientes, cum quibus ha-

Eucharistia illuminat insipientes & faciens sapientes.

bet sermonem de hac mensa, ut tanti Sacramenti participatione, fiant sapientes, ac intelligentes. Hugo Card. ait: *Advocantur parvuli ut sapientes fiant*. Sacra Eucharistia maximè ignaros illuminat, insipientes erudit, imperitos instruit. Tales ad hoc epulum vocantur, ut illo verum lumen recipiant, veraque intelligentia, ac cognitione imbuantur, ita ut de illo, qui dignè manducat hoc Sacramentum, verè dicatur: *Cibavit illum pane vitæ, & intellectus*, Eccles. 15.n.3. vide to.1.c.2.q.49. n.371. & q.52. nu.394. & c.3. quæst.49. num.439.

QUÆSTIO LVI.

Quare ad magnam cœnam eucharisticam, non alii vocantur, nisi tantùm aves per medium cœlum volantes,

440 IN præsenti convocat Angelus ad cœnam magnam Dei aves volantes per medium cœlum. Ait Christus D. Matth.24. nu.28. *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ*; ubi ponderandum, quinam sunt, qui congregantur, & ad quem? Qui congregantur, sunt aquilæ, quæ extensis pennis in altum feruntur Solem contemplantes; qui tanquam aquilæ, relicta terra in sublime volant, divinum Solem justitiæ contemplantes, hi conveniunt ad Christi corpus. Div. Ambros. lib.4. de Sacram.c.2. ait: *Bonæ aquilæ circa altare, ubi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis, altare est, & corpus Christi est in Altari; aquilæ verò vos estis*. Ad altare corporis Christi tanquam ad divinum nidum convolant alites, ut ibi divino pabulo reficiantur, ac indè plumescere valeant fideles, ut jam volucres facti evolent in cœlum.

Relicta terra conveniunt alites ad Eucharistiam.

441 Quod magis explicat D. Anast. Sinaita in Hexaem. lib.7. ait: *Hæ sunt volucres, quæ rapiuntur in nubibus obviam Christo, de quibus etiam dicebat: Ubi est corpus congregabuntur & aquilæ; quæ supplantatorem nostrum serpentem suffocarunt*; quænam sunt hujusmodi aquilæ, quæ tam generosè ad Christi corpus congregantur, ut à tali cibo, & potu habeant, quod in regeneratione exeant obviam Christo, per aera? Quæ nimirum reptantis serpentis conterunt caput, ut inde aquilinos perpetes volatus hauriant, ut ad Christi corpus recipiantur, quo animati obviam prodeant Christo in nubibus.

Qui serpentis conterunt caput ad Eucharistiam conveniunt.

442 Cum Abrahamus rediret victor gloriosus quinque Regum, à Melchisedech primus benedictionem accepit cum typo sacræ Eucharistiæ; & cur Abrahamus in figura eucharistici Sacramenti primus tanta benedictione nobilitatur? Abrahamus ea erat generositate præditus, quod cum ei offerret Rex Sodomorum omnes gazas, omniaque aurea devictorum spolia, omnia contempsit dicens: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, &c. quod à filo subtegminis usque ad corrigiam calige, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt*, Gen.14.nu.23. ecce cur Abrahamus tam illustrissima benedictione primus ditatur. Sanè panis iste cœlestis, quem sacerdos secundùm ordinem Melchisedech offert, illis datur, qui sciunt antea sæculi ornamenta contemnere, & spoliorum mundialium thesauros despicere. Noster D. Cyrill. Alex. in Collect. c.6. de Abrahamo ait: *Et quidem benedixit Melchisedech, qui erat figura Christi, sicut docuit Paulus; & cum nullum accepisset spolium, pane, & vino eum alit*. Respue Mundi spolia, humanas, & mundiales opes, aureaque omnia ornamenta, & de pane, & vino eucharistico habebis nutrimentum.

Qui terrena dimittit Eucharistica benedictione repletur.

443 Ait Jerem. Thren.4.n.21. *Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas terram, ad te quoque perveniet Calix; inebriaberis, atque nudaberis*. Non bene conveniunt in humano pectore, mundiales gazæ, & calix Domini; vide quod ait: *Ad te perveniet calix; inebriaberis, atque nudaberis*: ea tantùm corda huic divino calici parantur, quæ sese nudare noverint, & à se alienare, ac expellere temporalium bonorum affectum. Ad hoc tendit D. Cypr. serm. de Cœna Dom. dicens: *Videant hæc Sacramenta pauperes spiritu, & hoc uno contenti ferculo, omnes Mundi hujus delicias aspernanti r; & possidentes Christum, aliquam hujusmodi possidere sui electitem dedignantur*.

Eque mundi ut impleatis Eucharistiæ.

Magno mysterio hic divinus calix inebrians, & denudans dicitur à Christo D. apud Luc.22.n.20. *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*. Alta consideratione est expendentum, cur hic præclarus calix dicitur testamentum? Per testamentum mundialia omnia bona dimittuntur, & ad alios transmittuntur, siquidem, qui divini calicis cupit virtute adimpleri, de mundialibus bonis testamentum faciat, illaque à suo affectu penitus arceat, undè D. Ambr. serm.51. ait: *Christianus, qui Mundi nil possidet, hic totum possidet Salvatorem*; vide sup. in hoc c.q.17.n.121.usq.ad 125. 444

Ut ad Eucharistiam accedas terrena dimitte.

QUÆSTIO LVII.

Quare aves invitantur ad cœnam magnam agni, juxta aliquorum lectionem.

445 ANgelus in præsenti vocat aves volantes per medium cœlum: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei*. Cur autem hæc cœna eucharistica dicatur magna jam dixi to.4.q.4. & 5. Magna sanè dicitur ratione divini epuli appositi, scilicet corporis, & sanguinis Christi, rationeque etiam omnium donorum, quæ in ea communicantur, rationeque etiam suæ magnæ amplitudinis, omnes enim excipit sive magnos, sive parvos, sive Dominos, sive servos.

Cœna Eucharistica magna.

446 Post longam moram interpositam petitioni Chananææ ait ei Jesus; *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus; at illa dixit; Etiam Domine, nam & catelli, edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*, Matth.15.n.27. Jesus dicebat, panem filiorum canibus non exhibendum, mulier verò è contra affirmat exhiberi; & si Dominus negat panem filiorum dandum canibus, quomodo mulier è contra dandum affirmabat? Mulier divina fide illustrata non attendebat ad [illegible] usualem, cujus similitudinem Dominus proposuerat, sed ad divinum panem cœlestis mensæ, cujus est, neminem etiam minimum excludere, nec etiam vilissimum canem, si ad Patremfamilias pertineat, & inde fides mulieris mirificè laudatur postulata obtinens, dicente Christo: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis*. D.Ambr. ad c.16. D.Luc. ait: *Agnovit Chananæa illa mysterium, cui dicitur: Nemo tollit panem filiorum, & mittit canibus. Agnovit hunc panem non panem esse, qui videtur, sed illum, quo intelligitur, & ideo respondit: Utique Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*. Ubi mulier intellexit supersubstantialem panem, statim agnovit illum non pro filiis tantùm, sed & pro servis, & catellis familiæ debere dividi.

Mensa Eucharistica filios, & servos excipit.

Tamen principaliter quæstio inquirit, quod verba Angeli: *Venite ad cœnam magnam Dei*; aliqui codices habent: *Venite ad cœnam magnam agni*; Nam de hac cœna loquitur supra Angelus vers.9. *Qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt*; quo posito maximè est expendendum, quomodo ipsa cœna dicatur magna, & tamen Christus D. Deus omnipotens, & infinitus dicatur agnus, qui ex suo significato formali videtur denotare parvulum, humilem, ac mitem. Text. loquitur de cœna eucharistica, quæ ut tam magna, excelsa, ac sublimis à nobis veneranda est, ut ipsemet Christus verus Deus immensus, pro tanta æstimatione hujus sui Sacramenti, dicitur tunc agnus, parvulus, mitis & humilis. 447

Christus nō sibi sed hujus cœnæ nomen magni imponit.

Veniunt Magi Jerosolymam, & quærunt: *Ubi est, qui natus est Rex Judæorum*; postea verò dirigunt viam suam in Bethleem: *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus*, Matth.2. n.12. seu ut alii legunt: *Invenerunt puerulum*; in Jerosolymis Christus dicitur Rex, in Bethleem puer, seu puerulus, Jerusalem significat cœlestem beatitudinem, at verò Bethleem domus panis interpretatur; etsi Christus D. ob sui magnificentiam se regem ostentat in cœlesti curia, tamen in domo panis ad iudicandam celsitudinem tanti Sacramenti, se puerum, ac puerulum manifestat, & declarat: similem ponderationem consideravi ad illud Luc.13. *Homo quidam fecit cœnam magnam*; de quo vide tom.4. in Evang. c.24.q.2. num. 13. & seqq. 448

Christus in Beatitudine dicitur Rex, in domo panis Puer.

QUÆ-

QUÆSTIO LVIII.

Quare, qui congregantur ad cœnam magnam Dei, invitantur ad comedendas carnes Regum.

449 CLamat Angelus ad aves cœli: *Venite, & congregamini ad cœnam magnam Dei, ut manducetis carnes Regum*: quos ad cœnam magnam Dei, scilicet eucharisticam invitat, non aliud epulum offert, nisi carnes Regum; qui enim hac divina mensa sunt participes, Reges efficiuntur. Ad hoc spectat D. Prosp. 2. de Promiss. c. 24. & ait: *In suis interfectoribus sacrum eis sanguinem propinavit bibendum, quò regiam susciperent dignitatem*:

Ab Eucharistia regia dignitas.

450 Maximè ponderat D. Chrysost. verba consecrationis calicis: *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo*, Luc. 22. n. 20. cur hic calix novum dicitur testamentum? Testator delegat per suum testamentum sua bona, suamque dignitatem in hæredes; Christus hujus testamenti conditor, verus filius Dei, indeque supereminens altissima nobilitate, omnium verus Rex, ac Dominus, per suum testamentum nos constituit sui hæredes; sic ait Paulus ad Galat. 2. num. 29. *Si autem Christi secundùm promissionem hæredes*; proindeque ut sui hæredes nos constituit filios Dei adoptivos, tantaque nobilitate conspicuos, ac cum ipso cohæredes regni cœlorum, Rom. 8. n. 17. indeque præclarissima regali dignitate, ac stola condecoratos. Div. Chrysost. hom. 45. in Jo. ait: *Hic sanguis operatur in nobis imaginem regiam, nobilitatem animæ, non permittit marcescere*; & post pauca subdit: *Hic sanguis effusus lavit Orbem, & adibile facit cœlum; hujus participes sanguinis sunt superni virtutibus, amicti regio pallio; sed nihil dixi, imò ipsum induti sunt Regem.*

Christus per testamentum constituit suos Reges.

451 In ultima cœna ait Christus D. suis Apostolis: *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo*, Luc. 22. n. 29. ait Christus, quod suis discipulis disponit regnum, & quodnam Regnum est hoc? Ipse Dominus explicat: *Ut edatis & bibatis super mensam meam*; qui manducat corpus Christi, & bibit sanguinem, ibi jam obtinet, & possidet præclarissimum Regnum. Euseb. Emissen. ibi ait: *Sic inquit, ego dispono vobis, & Ecclesiæ Regnum trado, sicut & Pater meus mihi illud disposuit, ut mea vice illud regatis, & super mensam meam edatis panem verum, qui de cœlo descendit, & bibatis calicem novi testamenti.*

Mensa Eucharistica Regès creat.

452 Victori revertenti Abrahamo occurrit *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum*; *erat enim sacerdos Dei Altissimi*, Gen. 14. nu. 18. Hic primum offertur sacrificium panis, & vini in figuram eucharistici Sacramenti; & à Melchisedech offertur, qui sine patre, & matre typum Christi D. gerebat, qui nec in cœlo matrem, nec in terra Patrem habuit. D. August. lib. 16. de Civit. c. 22. ait: *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à christianis offertur Deo toto Orbe terrarum, impletumque est illud, quod longè post hoc factum, per prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; in hoc ergo primo sacrificio panis, & vini, quod à Melchisedech offertur, non solùm ipse dicitur sacerdos, quod erat maximè ad rem, sed etiam Rex: *Rex Salem*; ad quid notatur hic ejus regnum? Cum introducatur offerens panem, & vinum, eucharisticum Sacramentum adumbrans, inde convenienter Rex dicitur, quia hoc admirabile sacrificium reges, ac principes creat, & constituit. Ait Isai. 21. nu. 5. *Pone mensam, surgite Principes*; qui sedet ad hanc mensam, quamvis accedat ut homo particularis, surgit princeps & magnus.

Ab Eucharistia regia dignitas.

453 Benedicens Jacob filios suos, Judæ dat in benedictionem, ut in figura perfruatur eucharistico Christi sanguine, dicens Gen. 49. nu. 11. *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum*; ubi absque dubio in Juda Christum designavit, ex cujus tribu genus traxit, per stolam, & pallium corpus Christi vivum, & per sanguinem vuæ Sacramentum Eucharistiæ significans, ut desumitur ex Tertull. lib. 3. contra Marc. & ait: *Multo manifestiùs Geneseos in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis sensus Christi processurus, jam tunc Christum in Juda delineabat: lavabit, inquit, in vino stolam suam, & in sanguine uvæ amictum suum: stolam & amictum carnem demonstrans, & vinum sanguinem, ita & nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.* Idem etiam docet Gaudentius Brixianus Episcop. tract. 2. sed cur tam insigniter datur Judæ, ut Sacramento sanguinis Christi condecoretur? Judas valde peculiariter inauguratur Rex: *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus*, ibid. nu. 10. cum ergo ei in benedictione detur Regnum, datur ei & etiam eucharisticum Sacramentum, quod verè Reges constituit, & sine quo nec Regnum, nec sceptrum habetur, ac possidetur: vide to. 1. in Apoc. c. 1. qu. 22. n. 165. & seqq. & to. 3. in Evang. c. 35. q. 18. n. 124. & seqq.

Verum regnum ab Eucharistia.

QUÆSTIO LIX.

Quare eis, qui convocantur ad cœnam magnam Dei, apponuntur carnes fortium.

454 CLamat Angelus ad aves cœli: *Congregamini ad cœnam magnam Dei, ut comedatis carnes Regum, carnes fortium*; qui de divino eucharistico epulo participat, eximium robur, ac magnam fortitudinem haurit. Ait Michæas de Christo D. c. 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus æternitatis, & stabit, & pascet in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Domini Dei sui*, ibid. num. 4. Pronuntiat Propheta quod Dominus natus in Bethleem populum suum *pascet in fortitudine*; impropria sanè videtur locutio, & à re ipsa valde aliena; propriùs videbatur dicendum: *Pascet* abundanter, opiparè, lautè, ac delicatè; quis unquam in fortitudine pascit, & non potiùs, in multa largitate, beneficentia, aut opulentia? Paratur convivium in Bethleem, hoc est *in domo panis eucharistici*; inde perbellè dicitur: *Pascere in fortitudine Domini*. Sic hoc divinum pabulum Domus panis eucharistici suos convivas adipat, saginat, & roborat, ut non quamlibet fortitudinem, sed ipsius Domini fortitudinem videantur haurire, undè valde opportunè dixit sapientissimus ille Magnes ad Theastenem: *Qui edit hanc carnem, ad incrementum virium divinarum venit.*

A mensa Eucharistica pascitur homo in fortitudine.

455 Cum Israel maximè premeretur sub captivitate Madian, & quadam die in area purgaret frumenta Gedeon, *apparet ei Angelus Domini, atque ei: Dominus tecum virorum fortissime*, Judic. 6. nu. 12. statimque Angelus addit: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian*, ibid. n. 14. maximè considerandæ est, quænam fuerit hæc tanta fortitudo Gedeonis, ut dicatur robustissimus? *Virorum fortissime*; quod non dicitur de Sampsone, qui tot virtutis monumenta dedit, ut portas civitatis in montem deferret, & leonem interficeret, sicut & David leonem, & ursum, & tamen neuter dicitur fortissimus, cum hucusque de Gedeon nullum suæ virtutis legatur facinus. Nota quod eum reperit Angelus eique loquitur: *Cum excuteret, atque purgaret frumenta in torculari.* In torculari significabatur area frumenti eucharistici, ex cujus præsentia tantum robur participavit, ut fortissimus fuerit super validissimos hostes, qui leonem, & ursum interfecerunt, qua sua fortitudine populum suum liberavit, hostesque suos destruxit, ac profligavit. Notat Cajet. *Angelus non dixit: Vade in fortitudine tua, sed adjungit pronomen ista*; ad insinuandam fortitudinem, quam ex frumento in area hauriebat, & in præsenti erat.

Ab umbra Eucharistia magna fortitudo.

Venit David in Nobe ad Achimelech sacerdotem, & ait ei David: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes da mihi*, 1. Reg. 21. n. 3. & post acceptum panem sanctificatum, ait ei iterum David: *Si habes hic ad manum hastam vel gladium, quia gladium meum, & arma mea non tuli mecum*, &c. ibid. n. 8. & cur cum petebat panem, non simul petebat arma? utrisque enim tunc egebat. Prius de sancto pane reficit, & post hæc arma petit, ut denotaretur quod parum valent arma, nisi adsit divinus panis protegens; & ut arma erant robustorum, non poterat David robur habere ad aliquid bene agendum, nisi sacro pane, ac cibo refectus, à quo tantum robur accipit, ut nihil prius cogi-

450

Arma nostra à sacro pane habere vim & robur.

cogitet, quàm arma ad illustria facta peragenda. Theodoret. q. 52. ait: *Propter viam propositam necessariò erat particeps sacri alimenti, ut ab eo roboratus, quæ sunt ei proposita rectè ageret.*

457 Ait Paulus ad Ephes. 6. n. 11. *Induite vos armaturam Dei*; alii legunt & communiter: *Induite vos omnia arma Dei, ut possitis stare contra versutias Diaboli*; & quis est homo qui possit, omnia Dei arma induere? Deus infinitus est, sic & necesse est, quod ejus arma sint infinita; in quo ergo indumento, vel in qua veste, poterit quis tot Dei arma habere? Sanè in nullo alio indumento, nisi cœli pane, quo homo munitur, ac vestitur, ut ait D. Chrysost. supra datus homil. 45. in Joan. quod hoc cœlesti pane, *ipsum induti sunt regem*. D. Hieron. ibi ait: *Manifestissimè comprobatur, omnia Dei arma, quibus nunc indui jubemur, intelligi salvatorem, ut unum, ac idem sit dixisse: Induite vos omnia arma Dei, quasi dixerit, induite Dominum Jesum Christum.*

A Christo omnia habemus arma.

458 Crede mihi in cœlesti cibo omne robur, sine illo fieri nequit, ut aliquid fortitudinis habeas. Clamat David Psal. 101. n. 5. *Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*; Arabicus legit: *Debilitatus sum sicut herba*; Malv. *Et siccatum est cor meum*; undè David sic debilitatus, ac extenuatus, & contritus est, ut omnis virtus cordis ejus omnino exsiccata sit? *Oblitus sum comedere panem meum*; abstinentia cœlestis pabuli tantam infirmitatem, ac virium debilitatem generavit. D. Aug. ibi ait: *Meritò percussum est sicut fœnum, & aruit cor ejus, quoniam oblitus est manducare panem suum, oblitus manducare panem, bibit venenum.* Eo ipso, quod obliviscaris manducare cœlestem panem, statim ad te omnia venena volant, quæ omnes vires tuas consumunt, ut statim pereas: vide tom. 1. cap. 2. q. 49. n. 375.

Sine cœlesti pabulo pereunt vires.

Apoc. 19. n. 19. Et vidi bestiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo, & cum exercitu ejus.

Num. 20. Et apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, & qui adoraverunt imaginem ejus; Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.

Num. 21. Et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius; & aves saturatæ sunt de carnibus eorum.

VERSIONES.

Syriac. n. 19. Vidi illud animal dentis.

Æthiop. Et tunc venerunt ista bestia, & Reges terræ, ut oppugnarent illum.

Syriac. n. 20. Et captum est illud animal dentis & ille propheta falsus, &c. in stagnum ignis ardens sulphure.

Arabicus. Porro aspexi, &c. Et qui edebat miracula coram illo, &c. hi duo projecti fuerunt in stagnum vivi simul.

S. Prosp. Venit Angelus & apprehendit draconem, & bestiam & cum eo Pseudoprophetas, qui fecerunt signa quibus signis, &c. Et qui adoraverunt scriptionem ejus, & cruciabuntur illic in sæcula sæculorum.

Primas. Stagnum ignis ardentis igne, & sulphure.

Arabicus n. 21. Reliqui sodales eorum, &c. gladio ejus, qui sedebat super equum album, qui prodibat ex ore ejus: gladius acutus erat, & ii, qui cum illo erant.

Syriacus. Gladio, qui exit de ore ejus.

EXPOSITIO.

ET *vidi bestiam*; scilicet Antichristum ut diximus supra c. 13. n. 1. *Et Reges terræ*. Ribeira ait quod sunt septem, qui Antichristum sequuntur; Cornel. verò ait, quod sunt decem Reges, de quibus agitur supra c. 17. in fine. Verius tamen existimo, quod plurimi erunt, utpote ferè omnes totius Orbis, qui congregabuntur ad faciendum prælium cum Domino Jesu, ac Sanctis ejus, nam in Armagedon conveniunt ad constituendum Antichristum terræ numen, ac supremum principem, ac ad abolendam omnem Christi memoriam, omnemque illius Religionem. *Ad faciendum prælium cum illo, qui sedebat in equo*; scilicet cum Christo D. intendendo usurpare ejus divinitatem, extinguere ejus nomen, ac religionem. Et addit Haym. *Facient bellum contra Christum, & ejus fideles blasphemiis, & opprobriis, & miraculis scilicet falsis pugnantes.* 459

Bellum Antichristi.

Et cum exercitu ejus; scilicet Christi D. Nota quod Reges dicuntur habere exercitus: *Exercitus eorum congregatos*; at Christus D. dicitur habere exercitum in singulari, cum constet ex Angelis, & hominibus, quia iniqui maximè inter se sunt divisi voluntate, affectu, vitiis, & peccatis, justi verò maximè adunati voluntate, conformitate, ac charitate in Christo. Andr. Cæs. *Qui sub Diabolo stipendia faciunt illos multitudinis numero effert propter diversas peccandi formas, multiplicemque peccandi sententiam, & voluntatem: Cum tamen Angelicarum virtutum, hominumque Angelorum puritatem æmulantium, minimamque partem exæquent, & eos, qui Christum sequuntur, singulari numero exercitum vocat, propter singularem voluntatum consensionem, sententiæque Dei veri arctæ conjunctionem.* 460

Justorum unitas, iniquorum multa divisio.

Et apprehensa est bestia; scilicet Antichristus, de quo c. 13. n. 1. *Et cum ea Pseudopropheta*; insignis scilicet ille impostor, seu ille Antichristi præcursor, de quo c. 13. n. 1. *Qui fecit signa coram illa*; bestia scilicet, seu Antichristo ut dicitur c. 13. n. 13. Et bene dicitur: *Apprehensa est bestia*. Optima est metaphora à præliis petita, ut ex aliis observat Ferrar. nam in prælis quidam occiduntur, alii vero vivi capiuntur; Antichristus, & ejus Pseudopropheta vivi capiuntur, ut mittantur in infernum, Reges, & eorum exercitus gladio occiduntur, de quo vers. seq. *Vivi missi sunt hi duo*; scilicet Antichristus, & Pseudopropheta repentè aperiente terra os suum illos vivos deglutiet, ut videantur vivi descendere ad inferos, cum tamen inter viscera terræ morientur, de quo quæst. seq. *In stagnum ignis ardentis sulphure*; id est ignis sulphurei, qui igne simplici ardentior, & intolerabilior est. 461

Optima metaphora.

Et ceteri exercitus antichristi anorum, *occisi sunt gladio*; id est jussu, ac imperio Christi. *Et omnes aves saturatæ sunt de carnibus eorum*. Hoc dicitur ad explicandam multitudinem interfectorum, nam cum multa cadavera jacent in campo, comeduntur ab avibus, ut fieri solet. Si verò moraliter per aves intelligantur dæmones, ait Ansbertus, quod hominum damnatione, ac perditione, eorum malum desiderium satiatur; si verò aves cœlestes intelligantur, dicuntur damnatorum carnibus saturari, quia ipsis valde jucundum conspicere tormenta, quæ evaserunt. Ansbertus: *Internæ contemplationis dulcedine satiantur electi, qua reproborum tormenta exteriùs conspiciunt, quæ divina misericordia evaserunt.* Tunc etiam cœlites mira voluptate afficientur ob adimpletam divinam justitiam, ac ob conformitatem cum divina voluntate. 462

QUÆSTIO LX.

De horribili, ac tremendo Antichristi interitu, ac perditione.

IN campo Armagedon Apoc. 16. n. 16. conveniunt Reges terræ cum suis exercitibus, ad glorificandum Antichristum tanquam Deum, jurabuntque promittentes illi perpetuum cultum, & simul facientes bellum contra Christum verum Dei filium promittebuntque omnem se deleturos Christianitatem, & Christi fideles perempturos, multasque blasphemias evoment in Christum, ac sanctos ejus; tunc faciet Christus D. verus filius Dei ostentationem suæ justi- 463

Difficultas quæstionis.

justitiæ, & Antichristus, ejusque Pseudopropheta vivi mittentur in stagnum ignis ardentis. In quo est magna quæstio: An vivi cum corpore suo pervenient ad locum damnatorum, an in via morientur, ibique corpora remanebunt, eorumque animæ descendent in Gehennam?

464 Prima sententia affirmat, quod hi duo ob sua magna, & execranda crimina, vivi cum corporibus suis rapientur à dæmonibus, & sic vivi demergentur in infernum, ut de Dathan, & Abiron, de quibus dicitur Num.16.n.33. *Descenderunt vivi in infernum*: ita tenent D.Epiph. in Anachoreto, & hìc And.Cæs. & multos pro hac sententia citat Delrius ad illa verba Ps.54. *Descendant in infernum viventes*, P.2. Adagior. Adagio.69. Si verò illis obiiciatur illud Pauli 2. Thess. 2.vers.8. de Antichristo, loquens, ait: *Quem Dominus Jesus interfecit spiritu oris sui*. Respondet Andr.Cæs. Rapi de terra viventium, & tradi gehennæ igni, ipsumque spoliari sua tyrannide, & potentia, erit mors ejus, & interfectio; pro hac sententia fortiter pugnat la Haye, & est probabilis.

465 Secunda sententia, & probabilior est, quod Antichristus, & ejus Pseudopropheta jussu Christi D. arripientur vivi à Dæmonibus in tartara, & aperiens terra os suum illos devorabit, & continuò terra se concludente, in via mortui erunt, ibique corpora remanebunt, animabus in infernum descendentibus: ita hìc Pannon.D.Thom. & de Dathan. & Abiron.ad cit.Num.locum ib.n.13.idem docent Lyr.Abul.Hugo, Dion.Lorin. & alii multi.

Verior sententia.

466 Ratio est, quia universalis lex mortis in omnes lata est, ut dicitur Hebr. 9.n.27. *Statutum est hominibus semel mori*; à qua lege nemo est eximendus, nisi fortiter aliquid aliud cogat; at in præsenti nos cogit ut dicamus Antichristum moriturum, Apostolo testante: *Quem interficiet Dominus Jesus spiritu oris sui*. Secundò lex resurrectionis omnibus mortalibus statuta est 1.Cor.15.nu.51. *Omnes quidem resurgemus*; ergo hi duo aliquando resurgent; ergo mortui sunt, & non vivi, alioquin eorum corpora immortalia erunt in inferno, nec resurgent in die judicii. Tertiò de Dathan, & Abiron citato Num. loco: *Descenderunt vivi in infernum*; & tamen benè colligitur ex text. quod ipsi mortui sunt, nam de eis dixit Moyses ad populum: *Si consueta hominum morte interierint; non misit me Dominus*, ibid.n.29. ergo hi morte non consueta, sed nova, & insolita interierunt. Et in præsenti de Antichristo, ac ejus Pseudopheta ait text. *Hi duo vivi sunt missi in stagnum ignis*; scilicet missi sunt; non ait, quod vivi pervenerunt in stagnum, ac proindè in via morientur; & stat firma lex: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur*, 2.Reg.14.n.14.

467 Ex his fit manifestum aliquibus, ac maximè Ecclesiæ perfecutoribus adhuc viventibus, illorum damnationis pœnas incipere; & ut ad Hæresiarcas, & Apostatas veniamus Manichæus à Rege Persarum vivus excoriatus est, ut testatur Epiphanius hæres. 66. Arius in secessu crepuit, & simul cum excrementis omnia intestina, ac animam effudit, ut scribit Athanas. orat.1.contra Arianos, Ruffin.lib.10.histor. c.13. Julianus Apostata divinitus occisus est, & à terra aperta absorptus, ut refert Greg.Nazianz.orat. in Athanas. circa fin. Lingua Nestorii à vermibus exesa, est, & totum corpus tabe computruit, ut habet Evagrius lib.1. hist. cap.7. Lutherus cum lætus opiparè cœnasset funus, nocte repentè mortuus est, corvorum turba ejus funus est comitata, horribiles dæmonum voces auditæ sunt, ut scribunt Bosius de signis Ecclesiæ, Tilman. Bredembach. lib.7. sacr. collat.c. 39. Joan. Calvinus fœtidissimo, & purulentissimo ulcere nato circa verenda, à vermibus corrosus expiravit, ut Antioch. & Herodes: ita Bolsecus in vita Calvini, & Hieron. Belsecus in ejus vita addit, eum dæmonibus invocatis blasphemantem obiisse. Plura de hac re consule Theatrum vitæ humanæ tom.3. verb. Ecclesia sub titulo infelix exitus persecutorum Ecclesiæ.

Infelix exitus persecuturum Ecclesiæ.

468 Et quia omnium impiorum caput est Antichristus ad ipsum redeamus, quod est nostrum institutum; hic erit omnium pessimorum pessimus, inde durissima morte super omnes peribit, ac proinde ut ait Malvend. lib.13. de Antichr. c.7. quantum colligitur ex Scriptura & Patribus, Christus D. descendet in aera, corporea, ac fulgentissima specie conspicuus multis Angelorum agminibus cinctus, tunc imperaturus Michaeli Archangelo Ecclesiæ tutelari, ac præsidi, ut Antichristum interficiat; tunc Michael ingenti terræ motu, horrendo tonitru, ac fragore, acerrimisque fulminibus, filium perditionis interficiet, & terrifico turbine involutum, vivum deglutiendum, ac devorandum tradet terræ, & ingenti impetu detrudendus, ac demergendus est in infernum ardentem igne, & sulphure; quod maximè colligitur ex Paulo 2. Thes.2. n.8. *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui*; Glossa Græca: *Quem Dominus consumet, conficiet spiritu oris sui, & adolebit claritate, vel apparitione adventus sui*. D. Augustin. Ambrosiaster *destruet illuminatione præsentiæ suæ*. D. Hier. q.11. ad Algariam ait: *Quomodo tenebræ Soli fugantur adventu Solis, sic illustratione adventus sui Antichristum Dominus destruet, atque delebit*; similiter D. Chrysost. Theoph. Oecum. Alb. Mag. & alii.

Interitus Antichristi.

Duo deinde hìc inquiruntur; primum tempus Regni Antichristi, secundum locus mortis illius. Ad primum, certum est Antichristum regnaturum tribus annis cum dimidio, ut dicitur Apoc.11.n.2. *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*, & Apoc.13.n.5. *Data est ei*, scilicet bestiæ, seu Antichristo, *potestas facere menses quadraginta duos*; & Daniel. c. 12.n.11. & clarum est quadraginta duos menses, tres annos & dimidium conficere. 469

Antichristus regnabit tribus annis cum dimidio.

De loco mortis ejus ait Haymon in c.11. Isaiæ: *Occidetur Antichristus, sicut doctores tradunt in monte Oliveti in Papilone, ac solio suo, in illo loco, contra quem cœlos Dominus ascendit*. Sed hoc verum esse non potest, nisi dicamus montem Oliveti esse Armagedon, ubi occidendus est Antichristus, ut dicitur supra cap.16. n.16. de quo ibi dixi qu.25. 470

Locus mortis Antichristi.

QUÆSTIO LXI.

Quare infernus dicitur stagnum ignis ardentis sulphure.

DE Inferno loquens Isai.30. nu.30. *Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam*: Ubi *ligna multa flatus Domini*. Flatus id est jussio, seu imperium Domini, est veluti ligna ad sustentandum ignem, ubi lignum metaphoricè sumitur, sic & sulphur metaphoricè sumendum esse, est multorum opinio. 471

Tamen cum Scriptura valdè frequenter faciat mentionem de sulphure in Inferno, nam præter hunc locum habetur etiam in hac Apoc.c.14.n.10. *Et cruciabatur igne & sulphure in conspectu Angelorum*, c.20. nu.9. *Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris*; & c.21.n.8. *Erit in stagno ardente igne & sulphure*; cum ergo tam constanter Scriptura ibi ponat sulphur, negandum non videtur esse ibi, ut fatentur Abulens.c.25.q.560. & hìc Ribeira, Ferrar. & alii: ergo sicut ignis non est metaphoricus in inferno, nec etiam sulphur, quod maximè inseruit, ut ardore, & putore excruciet, ipsoque ignis obscurus, ac niger redditur, qualis est gehennæ; ergo non tam ibi est sulphur, ut nutriat ignem, quàm ut sit cum igne instrumentum pœnæ, & tam ignis quàm sulphur conservantur à Deo perpetuò. 472

Dicuntur ergo hi duo, scilicet Antichristus, & ejus Pseudopropheta mitti in stagnum ignis ardentis sulphure, id est ignis sulphurei, ut gravitas tormentorum eorum exprimatur. Ansbert. *Terribiliter locus supplicii stagnum ignis, & sulphuris esse perhibetur, stagnum, quia demergit, ignis autem, quia exurit, sulphur verò, quia quos demergit, exurit, simul & continuis fœtoribus replet*. Non dicuntur hi mitti in infernum, seu in stagnum aquarum, sed igneum, & sulphureum, quia hi tanquam superbi, valdè depressi demerguntur in profundum stagnum, ut avari igne cremantur, ut libidinosi fœtore premuntur. Reginaldus in speculo finalis Retribu: cap.5. de pœna quinta inferni, ait: *In stagno, quod est profundum intelligitur pœna respon-* 473

Pœna in inferno cuilibet respondet.

dens culpæ superbiæ, in igne pœna respondens avaritiæ, in sulphure pœna respondens luxuriæ; ferè idem habet Ansbertus.

474 Tormenti inferni stabile, & immobile. Secundò non dicuntur hi duo missi in flumen ignis & sulphuris, sed in stagnum, quia aquæ fluminis, ac stagni maximè differunt, nam priores fluunt, posteriores autem quasi immobiles permanent. Albert. Magn. ait: *Quia tormentum inferni stabile, immobile est, ut stagnum plenum ardore, & fœtore.* Alensis: *Vocatur pœna æterna stagnum, quoniam sicut aqua stagni semper est immobilis, sic pœna inferni nunquam fluit nec transit.*

475 Sola Dei manus timenda, quæ valet inferre magnam cladem. Tertiò dicuntur hi duo missi in stagnum ignis ardentis sulphuris, ut intelligatur in eos omnis pœnarum acerbitas diffusa, nam per stagnum denotatur quædam profunda in pœnis submersio per totam æternitatem cum igne ardenti voraci, ac profundo, & atra obscuritate, cumque terribili fœtore, quæ omnia in sulphure exprimuntur. Et dicitur in textu: *Apprehensa est bestia, & cum ea Pseudopropheta*; & à quonam est apprehensa? Nempe à Dei manu, quæ est gravissima, ad omnes strages, ac vexationes inferendas.

476 Omnis creata potest exigua sola divina validissima nō perdendum. Hoc optimè noverat crudelissimus carnifex, cum circa tentationes Jobi sic ad Deum loquitur cap. 1. n. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet;* ad Jobi vexationes non propriis fidit manibus, sed à Deo petit, ut suis vexationibus eum comprimat, ac si Dæmon manus suas cognoscat infirmas, sed solùm Dei manus validas. Didymus in catena Græca: *Vide quàm simulatè; non dicit, mihi permitte, sed tu facito, imbecillitatis enim suæ probè sibi conscius est.* Ubi omnipotentis Dei fortissima vis non intervenit, omnia sunt debilia. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*; creata enim ira magna non est, & inde Deus non manui suæ, sed dæmonum manibus, committit probationem justi viri, cum Diabolo ait Job. 1. n. 12. *Ecce universa, quæ habet in manu tua sunt*; quid est in manu tua? D. Chrysost. in Caten. *In manu tua, inquit pusilla.*

477 Omnis humana ira vōparatione ad divina exigua. Numerans Deus judæorum plagas per Nabuchodonosor, per Antiochum & per Romanos venturas ait per Joel. 1. n. 4. *Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo:* Ecce quibus comparat duras judæorum carnificinas dum à Nabuchodonosor miserè capiunt, ab Antiocho laniantur, ab Epiphane trucidantur, & à Romanis perduntur; locustæne sunt babylonicæ fornaces? erucane est crudelissimus Antiochus? bruchus immanis Epiphanes dici potest? rubigo est ferus exercitus Romanorum? cur non potiùs dicuntur ferocissimi leones, ursi, pardi, tigrides, vel alia crudelissima, ac fortissima bruta? cur tanta potestas humana cum parvis, ac tenuissimis animantibus confertur? Pro certo habe, quod quævis creata ira, etsi rabidissima appareat, comparatione divinæ iræ pusilla est, & exigua; quantumvis totus Mundus, omnesque ejus tyranni, imò & ipse Diabolus sæviat in homines, non excedit parvi, ac vilissimi vermis morsum: Sola Dei manus valet ingentes, ac duras vibrare sagittas, & inferre clades. Præclarè Rupert. ibi: *Etenim contra hominum maximè judæorum imbecillitatem, regna illa, quasi bestiæ fortes, atque feroces exiterunt; sed coram omnipotentia divinitatis infirma, & fragilia, sive etiam exigua, tanquam locusta, velut eruca, quasi bruchus, seu rubigo reputata sunt.*

QUÆSTIO LXII.

Pro Sacra Eucharistia.

Quare magnifica victoria de Antichristo obtinetur repræsentatione eucharisti Sacramenti.

478 Sac. Eucharistia præsidium adversus omnem adversarium. CHristus exiit in pugnam contra Antichristum, ut patet n. 11. sedens super equum album, in quo repræsentatur ipse in eucharistico Sacramento, ut à me dictum est superiùs q. 33. & 34. & exercitus, qui sunt in cœlo sequebantur eum n. 14. & tota hæc victoria tribuitur Christo Domino sedenti super equum album, n. 19. & 21. ac si omnium fidelium exercitus haberet vim, & robur ad prævalendum contra Antichristum, communitus præsentia, ac protectione hujus Sacramenti, quo secum habebat quilibet omne præsidium. D. Chrysost. hom. 61. ad Popul. ait: *Hic mysticus sanguis dæmones expellit, & procul esse facit; ad nos autem Angelos vocat, & Angelorum Dominum, ubi namque dominicum viderint sanguinem, dæmones quidem fugiunt, concurrunt Angeli.*

Ait Paul. 1. Cor. 11. nu. 23. *Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate*; & cur sub tempore mortis suæ divinum panem suis præbet discipulis? Erat tunc potestas tenebrarum tanquam in campo adversùs Christi discipulos, multaque adversùs eos moliebantur, ipse enim Dominus dixit eis Luc. 22. nu. 31. *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum*; quando ergo Satanæ exercitus tota vi instruebatur, necessarium fuit Apostolos armari, ac corroborari in certamen, & inde illis cœlestis panis datur pro munimine, ac tutamine. D. Bernard. serm. 3. de Ramis palmarum ait: *Cæterum ante passionem affectuosus Dominus refectionem suis curavit exhibere domesticis, & in hoc quoque apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris, cum enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar; oportebat enim: Expetierat eos Satanas, ut cribraret sicut triticum*; *opus erat prævenire refectionem.* Cum Satanas omni sua nequitia se accingeret, ut Apostolos ventilaret, necesse erat cœlestis panis refectionem parari, quo corroborati, ac armati adversùs infernalem malitiam bella Dei conficerent, & gloriosa victoria triumphatores existerent. 479 Apostoli Eucharistia armantur adversus dæmonum exercitus.

Antequam exterminator ille Angelus una nocte totam penè percuteret Ægyptum, interficiensque omnes primogenitos, à primogenito Pharaonis usque ad primogenitum captivæ, jubentur Israelitæ: *Edent carnes nocte illa assas igne*, Exod. 12. n. 8. scilicet agni immaculati; sed cur inter vicinorum internectiones, eorumque planctus, ac lachrymas, ipsi vacabunt epulis, ac conviviis? hoc nidetur alienum ab omni politica ratione, ac à vera charitate. Tamen alta dispositione tunc mandantur agnum comedere, ut virtute illius essent communiti, ac custoditi ab Angelo percussore, ne ab eo aliquod nocumentum paterentur. D. Ambros. serm. 8. in Psal. 118. ait: *Ne inermes, & vacuos spiritualis alimenti nocturna spicula tenebrosi hostis apprimerent.* 480 Eucharistia custoditur homo ab omni adversitate.

Ait Isai. 19. n. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & erit in signum Domino exercituum à facie tribulantis*; Pagnin. *à facie opprimentium.* Ubi apparet altare eucharistiæ, simul ibi est signum Domino exercituum, ut nos custodiat, ac liberet à facie opprimentium, & destruat adversariorum exercitus, ac eorum potentiam. Cum Eucharistia validissimus instruitur exercitus ad destruendum omne contrarium robur; ad quod respiciens idem Isai. 30. nu. 32. *In tympanis & cytharis, & bellis præcipuis expugnabit eos.* Et quænam sunt hæc præcipua, & potiora bella ad expugnandos hostes? Ex hebræo aliqui legunt: *In bellis oblationis.* Eucharistica oblatio nobis ministrat robur, ac præcipua bella, quibus adversarii pereunt, ac destruuntur; ad quod respiciens Alepusius Archiepiscopus Valent. in oratione habita in actis Concil. Trid. sess. 13. quæ est tertia sub Julio, ait. *Eia Christi milites isto pane corpus unum effecti arma spiritualia reparate. Descendit arca Dei in castra; collata sunt signa, nefas est ignaviter agere.* 481 Intuitu Eucharistiæ destruuntur adversarii.

Ait idem Isai. 33. n. 16. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est*; legit Vatabl. *Munimenta saxorum asylum ejus.* Habet ille sublimitatem inaccessam, & asylum inexpugnabile, qui secum habet panem; sed qui panis tanta bona confert? Justinus martyr in Dialog. contra Triphon. *Panis est Eucharistia.* Non alius, sed regius Eucharistiæ panis asylum est, quo penè inexpugnabilis homo redditur, imò sublimitatem quandam acquirit, ex qua sub pedibus suis subjectas habet contrarias potestates. 482 Eucharistia asylū adversus contrarias Potestates.

CA-

CAPUT XX.

Hoc caput maximè explet, ac explicat omnes Prophetas præcedentes tanquam ultimum, nam duobus seqq. capit. non agitur de rebus ante consummationem sæculi, sed de futuris post judicium: in isto ergo capite, annuntianda erant, quæ deerant in præcedentibus, nam quamvis in eis dictum esset qualis futurus erat Mundi cursus generalis, jamque annuntiatus Antichristus ejusque extinctio, adhuc tamen explicata non erat pœna, & perditio draconis, adhuc manifestata non erat felicitas Ecclesiæ, nec status sanctorum, tam in hoc sæculo, quàm in futuro.

Et ideo primò explicantur quomodo Satanas per mille annos alligatus est destructa idololatria, à tempore mortis Christi, ut dicam infra quæst. 2. usque ad Antichristum, quo tempore multi sancti martyres florebunt in Ecclesia. vers. 7. Iterum solvitur Satanas modico tempore, scilic. per tres annos, & dimidium, qui solutus congregabit gentes Gog, & Magog ad Antichristum, ut pugnent contra Christum, ac sanctos ejus; sed vers. 9. misso igne de cœlo Deus Satanam, & Antichristum deturbabit in tartara vers. 11. Christus Dominus venit ad judicium, resurgunt mortui, & aperiuntur libri, & unusquisque recipit mercedem suam, prout gessit in corpore.

Apoc. 20. nu. 1. Et vidi Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua.

Num. 2. Et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligavit eum per mille annos.

VERSIONES.

Arabicus n. 1. Habentem clavem inferni.

Æthiopicus. Portabat clavem Solis, & magna catena fuit in manu ejus.

Syriacus n. 2. Illum serpentem antiquum, qui seduxit totum Orbem habitabilem, & ligavit eum mille annis.

Arabicus. Seductor totius Orbis, & unxit ad mille annos.

Æthiopicus. Et illam bestiam ipsam antiquam, & Diabolum Satanam.

Primas. Tenuit draconem illum, qui cognominatus est Diabolus, & alligavit eum.

D. Augustin. Tenuit anguem.

EXPOSITIO.

1 Clavis, & catena metaphoricè sumuntur.



T vidi Angelum. Verè & propriè Angelum, & non Christum Dominum, ut aliqui dixerunt, de quo quæst. sequenti, tamen iste Angelus descendit de cœlo, ut Christi minister, ac ut missus ab eo, ut Angelus præses, & quasi prætor inferni. *Habentem clavem abyssi*; scilicet inferni, & cum abyssus, seu infernus dicatur stagnum, seu lacus juxta multas lectiones ardens igne, & sulphure, & ut talis propriè non habet portam, sed super totam crassitiem terræ. Clavis ista metaphoricè accipienda est pro vi, ac potestate laxandi infernum, & in eum detrudendi Diabolum, nempe Luciferum, & alios quoque reprobos. *Et catenam magnam in manu sua*; divinum nempe imperium, dæmonum, ac damnatorum coercitivum, quo reluctantes, ac inviti detinentur in abysso, non enim ligantur vinculis corporeis, cum sint spirituales; proindeque Angelus tanquam in specie humana apparens, in una manu videbatur habere clavem, in altera catenam, in symbolum potestatis alligativæ dæmonum.

2 *Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas.* Omnibus istis nominibus noster Joannes appellavit Luciferum, draconem, scilicet à devorando, serpentem à decipiendo, & insidiando, Diabolum à calumniando, & Satanam à tentando, sive adversando. Ne ergo esset dubium de quo loquebatur, omnibus his nominibus eum appellat, quibus appellavit supra cap. 12. vers. 9. & nos ibi de illis tractavimus quæst. 63. multis enim nominibus ipse dicitur, ut etiam leo S. Petri cap. 5. num. 8. & lupus Joan. 10. num. 12. ut ejus pestiferæ machinationes in nos exprimantur, quas rectè agnoscit D. Paulin. epist. 2. *Et excipit nos innumeris serpens insidiis, cui nomina mille, mille nocendi artes.* Multis nominibus multæ nocendi artes dæmonis ostenduntur.

3 *Apprehendit, & ligavit illum.* Hæc apprehensio non est facta manibus, quibus spiritus carent, sed vi, potentia, ac virtute detentiva, ac impulsiva, & dilativa, qua Diabolum, in suam potestatem redegit, detinuit, ac conjecit in abyssum, ut habet D. Augustin. lib. 20. de Civit. cap. 27. ubi hanc alligationem Diaboli claustrum, & interdictum appellavit. *Per annos mille.* Designatur omne tempus à morte Christi usque ad Antichristum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis sit iste Angelus.

4 HUnc Angelum communiter Doctores, ut Div. Ambrof. D. Bernard. Rupert. Haymon, docent esse Christum, & hoc innuere videtur Div. Augustin. lib. 20. de Civ. cap. 7. communiter tamen hodie interpretes, ut Ribeira, Cornel. Estius, la Haye, Ferrar. dicunt esse verum, & proprium Angelum, sicut Deus olim per Angelum Raphaelem ligavit dæmonem interfectorem sponsorum Saræ in deserto superioris Ægypti, Tobiæ 8. num. 3. hunc Angelum esse Michaelem existimat Ribeira.

5 Utraque sententia suo modo bene explicata vera est, nam si in hoc Angelo accipiamus *operatorem*, ac tanquam primum motorem *hujus legationis*, certum est esse Christum Dominum hic enim habet claves mortis, & *inferni*, ut dicitur cap. 1. num. 18. & hic est *ille fortior*, qui alligavit fortem, & vasa ejus diripuit, Matth. 12. n. 19. at verò si accipimus ministrum, & executorem hujus rei, dicimus hunc esse verè, & propriè Angelum, quem in hac visione imaginaria vidit noster Joannes, & non esse Christum Dominum sub persona Angeli, sed verum Angelum habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua; hanc autem clavem, idest potestatem accepit Angelus à Christo, ut famulus ab hero, clavem propriam ipsius: hæc diximus juxta literam, sed jam moraliter. In hac legatione primarius Christus minister Angelus.

6 Si in hoc Angelo juxta multorum sententiam intelligitur Christus Dominus, ergo Christus *cum Satana*, in aliqua potestate nempe claudendi, & aperiendi abyssum convenire videtur; nam noster Joannes ait cap. 9. num. 1. *Vidi stellam*, idest Diabolum, *de cœlo cecidisse, & data est illi clavis putei abyssi*; scilicet inferni: at Christus habet clavem abyssi, ut patet ex præsenti text. & dæmoni data est similis. Quid, nunquid Christus convenit cum dæmone in eadem potestate? Respondet D. Thomas: *Diabolus enim dicitur habere potestatem clavis putei abyssi, quia ex permissione divina potestatem habet tentandi impios amplius, quos dejicit ad ampliorem pœnam; Christus autem dicitur habere clavem abyssi, quia potestatem habet claudendi Diabolo, & impiis ad opera prava, ut non tantùm aliis noceant, quantum valent, hoc autem est bonum, primum verò malum.* Magna est differentia inter clavem Christi, & Diaboli; Diabolus habet ex divina permissione clavem abyssi ad tentandum, & ut homines deturbet in graviorem pœnam, at Christus habet clavem abyssi ut Diabolum coerceat, & claudat, ne secundùm suum affectum hominibus noceat, ut inde Christus eos custodiat, & tueatur, & eos ad magnam gloriam perducat. Diabolus nos dejicit in pœnam, Christus ducit ad gloriam.

7 Secundò suppositâ hac sententia, quod *iste Angelus* sit Christus Dominus, ut descendens de cœlo ad incarnationem, ac passionem, ut explicat Div. Anselmus de hac re eleganter differit D. Bernard. tom. 1. serm. 55. de Passione Domini, & ait: *Vidi Angelum* Christi morte cœlum est apertum, & infernus clausus.

Magni

Magni consilii Christum descendentem de cœlo, non usque ad incarnationem tantùm; sed etiam usque ad humillimam passionem habentem clavem abyssi, ideſt potestatem claudendi abyssum. Antequam Christus descenderet ad humilitatem passionis, cœlum erat clausum, & infernus apertus; at per Christi mortem, cœlum est apertum, & abyssus rigidè clausus. Quod optimè confirmat cit. D. Bernardus dicens: *Quantum utique necesse habebant brachia fortissimi pugilis volentis cœlorum sublimitatem ad ima, & terræ ponderositatem levare ad alta, ita quod in medio spatio in pacis osculo convenirent: magis autem incomparabiliter laborare necesse fuit, filium Dei Christum, ut rigorem flecteret paternæ justitiæ, & elevaret pondus nostræ gravissimæ culpæ.* Et hæc optimè quidem dicam, etiam laborabant brachia fortissimi pugilis, dum simul portas inferni claudebat & cœli aperiebat, & tam latè, ac amplè eas Christus aperuit, ut non solùm dicantur apertæ, sed omninò ablatæ, ac amotæ, undè cœlites decantabant: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*, Psal. 23.

8 Tertiò Ansbertus in hoc Angelo intelligens Christum Dominum ait: *In manu clavem abyssi, & catenam magnam habere dicitur; subaudi vim quandam internæ dispositionis omnia moderantem, atque inevitabilem, & ubique constringentem potestatem.* Apparet Christus in una manu portans clavem, in alia catenam, quo denotatur, ejus fortis, ac inevitabilis potestas, ad restringendum, ac incarcerandum Diabolum tam ad retinendum, quàm ad excludendum eum à quocunque loco ipse voluerit, & prout voluerit. Valdè notanter dicebat Habac. 3. num. 5. *Egredietur Diabolus ante pedes ejus*; nondum Jesus potentiam in brachio suo fecit, solùm movet pedes, & ecce Diabolus velociter fugit, inde optimè ponit Interlin. *Eo intrante fugit Diabolus.* Idem est quod Christus ejusque imperium adsit, ac quod Diabolus fugiat, & recedat.

A Christi imperio Diabolus fugit, & abiit.

9 Semel excluſus Diabolus ab homine, est iterum apud se: *Revertar in domum meam, undè exivi; & veniens invenit eam vacantem*, Matth. 12. num. 24. & undè Diabolus semel ejectus ab homine, audet ipsum repetere? Quia talem domum invenit vacantem; invenit nempe eam Christo vacuatam, & ideo abiit & rediit semel, & iterum; si enim Christus ibi adesset, omninò excluderetur Diabolus, & minimè reverteretur. D. Nazianz. orat. in S. Baptisma ait: *Rursus convertitur ad domum suam, undè egressus est: impudens est, pertinax est, iterum periculum facit, iterum experitur, quod si locum, quem ipse vacuatum reliquit, Christum inhabitare, & impletum esse reperit, iterum repellitur, infecto negotio discedit, miserandus errore redditur.*

Ex Christi absentia, fit ingressus Diaboli.

10 Semel, & iterum ausus est Diabolus certamen adversùs Jesum instaurare, at ubi tertiò accessit, non potuit amplius subsistere, sed irrevocabiliter recessit; Matth. 4. num. 10. *Vade retrò Satana; scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Tunc reliquit eum Diabolus*; cur non antea reliquit, sed quasi nihil audisset, iterum ad certamen redibat? Antea quasi hominis responsa, sic verba Jesu accipiebat: *Non in solo pane vivit homo*; & tanquam ad sapientis voces obdurato animo insurgebat, mortifero silentio tantisper conquiescens, statim acrior ad pugnam currebat; at tandem cùm tertiò Jesu imperium audit, nimirum: *Vade retrò*; statim recessit & divino imperio compellitur abire, & non potuit amplius subsistere, sed omnino abivit, ut amplius non rediret. D. Maxim. hom. 2. ait: *Quid plura? dum nefanda tentator loquitur, dumque inconcessa præsumit quasi ab homine victus obmutuit, & quasi à Deo jussus abscessit.* Dum vox similis homini sonat, non veretur Diabolus iterum adesse, at dum divinum imperium resonat, subitò resilit, & non audet deinceps iterum comparere.

Ex imperio Christi Diabolus recedit, ut non regrediatur.

QUÆSTIO II.

Quomodo hi mille anni computandi sunt.

11 SAtis difficilis hæc est quæstio, nam si hi mille anni computandi sunt à Christo passo, jam elapsi sunt anni plusquam mille sexcenti sexaginta quinque, & si tunc ligatus est dæmon, jam nunc debuit esse solutus. Deinde certum est, primis trecentis annis à Christo nato multum potuisse Satanam contra Ecclesiam, contra quam non ita postea potuit; & hoc prælium Satanæ contra Ecclesiam, apertè significatur in hac Apocal. sup. c. 12. ubi draco rufus, & fortis stetit contra mulierem, quæ Ecclesiam significat, & multum persecutus est mulierem; in qua re aliquas opiniones antiquatas breviter referam, & veritatem succinctè explicabo. Difficultas quæstionis.

12 Primò Ferdinand. Castiglius in historia S. Dominici part. 2. cap. 1. inchoat hos mille annos à tempore Constantini, quando abolito gentilismo, nomen Christi publicavit in toto Mundo circa annum 300. & finit eos in exordio Imperii Ottomanici, quod cœpit anno 1300. quomodo hoc potest stare, cum in medio illo tempore surrexerit Mahometus, & alii multi hæretici Ecclesiæ persecutores: quomodo ergo tunc dicitur Satanas alligatus.

13 Secundò Ubertinus de Casalis, ligatum vult Diabolum sub Constantino solutum post mille annos sub Joanne XXII. Summ. Pont. qui sedit mille annos post Constantinum. At hæc sententia, nullo vero nititur fundamento, quia tunc tot persecutiones sustinuit Ecclesia, ac postea; ex qua etiam ratione rejicitur sententia Aureoli, qui hos mille annos inchoat sub Calisto II. Pont. anno Dom. 1022. eum vult esse istum Angelum, qui habet clavem abyssi, & Aureolus, magna imis componit sine solido fundamento.

14 Quartò in hac re celebris est opinio, seu error millenariorum, quorum dux fuit Papias nostri S. Joannis Apostoli discipulus, quem secutus est Cherinthus hæreticus [illegible]m ex catholicis Irenæus, Tertull. Lactan. Victor. Apollinaris, Severus, Justinus, & alii, qui putarunt hos mille annos felicitatis, ac pacis Ecclesiæ in quibus Satanas futurus erat alligatus, incipiendos esse post mortem Antichristi; quod vario modo explicant, dicuntque sextum millenarium hujus Mundi complendum esse in morte Antichristi, deindeque secuturum septimum millenarium, tanquam sabbatum pacis, & quietis, in quo sancti resurgent, & hæc est prima resurrectio de qua infra vers. 6. & tunc per hos mille annos sancti regnabunt cum Christo in terris; Cherinthus dicebat, in deliciis carnalibus, & corporalibus, catholici Irenæus, Justinus in deliciis spiritualibus; & tunc sequendum octavum millenarium, in quo sancti resurgent ad gloriam, & hæc est resurrectio secunda, de qua vers. 14. Proponitur hæc sententia.

15 Hanc sententiam Joannes Salas, & alii dicunt esse hæreticam, & certè est manifestus error in fide, & contra doctrinam Scripturæ, quæ unam tantùm futuram resurrectionem ponit, in novissimo die Job 19. num. 25. *In novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum*; & Paul. 1. Corinth. 15. num. 51. *Ecce mysterium vobis dico, omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur*; ubi apertè juxta Paulum omnes mortui eodem puncto simul resurgent, tam boni, quàm mali incorrupti, ideſt immortales, etsi non immutati ab antiqua ignominia passionis, dolorum, ac afflictionis, solùm boni, immutati, & liberi erunt à tali ignominia: *Et nos immutabimur*; ergo una tantùm futura est omnium resurrectio in novissima tuba, in novissimo die; quæ autem sit resurrectio prima, & secunda, dicam infra suo loco in hoc capite. Unica futura resurrectio.

16 Deinde ab Antichristo usque ad diem judicii non possunt esse mille anni, quia postquam Christus D. Matth. 24. prædixisset tribulationem, quæ futura erat sub Antichristo, immediatè subjungit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum*; locutio autem illa *statim* non videtur pati spatium mille annorum. Secundò sequitur, quod transacto illo millenario certò scient homines futurum tempus diei judicii, quod repugnat cum tota Scriptura: *De die autem illa, vel hora nemo scit*, Matth. 24. Marc. 13. inde ait Paul. 1. ad Thess. 5. num. 1. Post Antichristum non erunt mille anni usque ad Judicium.

num. 1. *De temporibus autem non opus habetis, ut vobis scribam, ipsi namque scitis diem Domini, ut furem in nocte ita venturum;* quod passim tota Scriptura clamat. Tertiò, quia ut dicitur infra vers. 7. cùm consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas, & seducet gentes, & Gog & Magog, qui erunt duces exercitus Antichristi, ut ibi dicam:

17 Vera & communis sententia Sanctorum Patrum, D. August. lib. 20. de Civit. cap. 7. Div. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 12. Lactant. lib. 7. de divina justit. c. 24. & 26. Andr. Cæsar. D. Ambros. & aliorum, quos sequuntur communiter omnes interpretes, hos mille annos, quibus ligatus dicitur Satanas, computandos esse à morte Christi usque ad Antichristum, quia tunc modico tempore solvitur vers. 3. per tres annos scilicet & dimidium.

Vera sententia.

18 Pro hac veritate firmanda notandum, quod ante Christi mortem Diabolus, tanquam Princeps, & Dominus dominabatur in Mundo, ut patet ex verbis Domini Joan. 12. num. 31. *Nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras;* & Joan. 14. num. 30. *Venit enim Princeps hujus Mundi, & in me non habet quidquam.* Ante Domini mortem Lucifer erat in Mundo ut princeps, ejectus est autem per ipsius Domini mortem, ut indicat illud, *nunc*, tempus scilicet mortis dominicæ, quæ immediatè secuta est, nam hæc dixit Christus in die Palmarum, ac in ultima cœna cum in proximo esset mors illius.

Morte Christi Diabolus ejectus à Mundo.

19 Hoc posito explicandum est, quomodo Satanas dicatur ligatus à tempore mortis Christi, usque ad Antichristum. Ribeira, & Viegas volunt hìc detegi secretum quoddam, scil. in passione, ac morte Christi Angelum quendam è cœlo descendisse, qui Satanam in gehenna alligaret, ne ex ea egredi posset usque ad tempus Antichristi; & ab hoc dicendi modo non dissentit Ferrar. dum ait, quod per Christum Satanas est alligatus, quamvis in Mundo reliquerit suos satellites, idest alios dæmones, ad homines tentandos.

20 Dicendum tamen existimo, ligare dæmonem oportere, ejus coercere, cohibere, minuere potestatem, ne tam liberè regnet in Mundo, ne tam acriter valeat homines tentare, ac seducere, ut antea: ita hanc alligationem dæmonis explicant Div. Augustin. lib. 20. de Civit. cap. 7. & epist. 107. D. Greg. 7. Moral. cap. 18. Suarez tom. 2. ad 3. part. disput. 50. sect. 8. §. *Ad fundamentum contrarii*; quod multis declaratur. Nam ante Christi mortem Diabolus regnabat in Mundo per idololatriam, per quam miseri homines, ei deferebant cultum, & honorem divinum, & ideo fortè ob sex ætates Mundi, in quibus Diabolus regnavit, repetuntur hoc capite sex vocibus mille anni, at post mortem Christi sensim idololatria extincta, & abolita est, ut jam vix inveniatur. Secundò ante Christi mortem Diabolus penè totum occupaverat Orbem multis erroribus, & falsitatibus, ut sine Dei lege homines viverent, & tantùm in uno parvo regno Israel lex Dei vigebat, & adhuc ibi in multa crimina passim homines præcipitabantur; at post mortem Christi, lex per ipsum data ministerio Apostolorum totum adimplevit Orbem, ut innumeræ gentes, regna, & provinciæ ad sanctam fidem catholicam venirent: *In omnem terram exivit sonus eorum.* Tertiò ante Christi mortem Diabolus multis vitiis, ac nequitiis dominabatur in Mundo, at verò post mortem ejus gratia in magna copia datur, ut piè & sanctè vivamus, ut piè dixit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Joann. 10. num. 10. undè rectè ait Div. Augustin. serm. 197. de tempor. *Prævalet Satanas tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus dominatur.*

Quomodo intelligendum dæmonem alligari.

21 Deus autem permittit nos tentari ex multis magnis causis; primò ad majorem gloriam ipsius Dei, quia ut ait D. Cyprianus à me datus superiori cap. qu. 37. num. 291. *Ipse Deus certamine agonis nostri coronat, patiter, & coronatur*; secundò ad sublimitatem Ecclesiæ, quia adversitatibus non submergitur, sed maximè exaltatur, & sublimatur; tertiò ad meritum, & præmium justorum, quia non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.

Cur permittit homo tentari.

Restat modò difficultas, quomodo dicimus hos mille annos computandos esse à Christo Domino usque ad Antichristum, cùm à Christo Domino transacti sint jam mille sexcenti sexaginta quinque anni? Dicimus ergo hìc poni numerum annorum definitum, pro indefinito, & determinatum pro indeterminato, nam supra millenarium, nulla nostra computatio succrescit, nisi per iteratam repetitionem significet veram plenitudinem, indeque solet Scriptura per millenarium numerum explicare diuturnam temporis durationem; Psalm. 104. num. 8. *Verbi, quod mandavit in mille generationes*; Psalm. 90. num. 7. *Cadent à latere tuo mille*; Psalm. 89. num. 4. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna quæ præteriit*; Eccles. 16. num. 3. *Melior unus timens Deum, quàm mille impii*; Jerem. 32. num. 18. *Dominus ego faciens misericordiam in millibus his, qui diligunt præcepta mea.* Deinde Joannes habuit specialem rationem, & causam, ob quam tali phrasi, ac indeterminato numero uteretur, quia vel non poterat definitè dicere, vel non oportebat explicare, quantum esset tempus futurum, usque ad persecutionem Antichristi, quando Satanas solvetur; quia aliàs determinatè scirent homines tempus adventus Antichristi, quod divina providentia voluit nobis esse occultum.

22

Mille anni numerus definitus pro indefinito.

QUÆSTIO III.

Quare Angelus apprehendens Satanam ipsum ligaverit.

23 CHristi morte ligatus dicitur Diabolus, quia ejus morte Diabolus princeps hujus Mundi foras ejectus est, Joan. 12. nam Christi morte maximè ejus vires sunt debilitatæ, ac extenuatæ, ejusque potestas maximè refrænata, ac infirmata est, ut explicavi sup. quæst. §. *Dicendum*. Pro quo audiendus est Rupert. *Si ille à Christo ligatus non est quomodo tam imbecillis jacet, ex quo Christus passus est? quomodo tot ab illo evadunt homines? quomodo à tam multis, non dico grandævis, ac sapientibus viris, sed à pueris tenellisque puellis illusus est?* quod latiùs prosequitur ille.

Christus dæmonis vires confregit.

24 Rectè ait Jerem. 10. num. 23. *Quomodo confractus est, & contritus malleus universæ terræ?* ubi Propheta appellat Diabolum malleum universæ terræ, ubi ait, quod confractus, & contritus sit, & à quo, à Christo, nempe Domino; & quomodo confractus, & contritus, bene explicat Origen. homil. 3. in Jerem. *Christus*, ait, *confregit malleum in deserto cùm tentatus dæmonem prostravit, contrivit autem penitus in passione*; & ita Christus sua morte comminuit, ac contrivit vires Diaboli, ut dicat reg. Vates Psalm. 14. num. 4. *Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus:* Ira Diaboli vires Christi morte non solùm sunt contritæ, ac debilitatæ, & extenuatæ, sed tanquam in nihilum redactæ. Div. Bernard. serm. 72. in Cantic. ait: *Erunt, minimè quidem extremius nihilo, miserius tamen; non natura debilitabitur, sed potentia subtrahetur; non peribit substantia, sed transibit hora, & potestas tenebrarum.* Quid ergo timeat humana infirmitas, cùm suum videat hostem per Christum Dominum, tam impotentem, & infirmum? gratulabundum potiùs audiat Prophetam dicentem: *Celebra Juda festivitates tuas, redde vota tua, quia non adjiciet ultra, ut pertranseat in te Belial; universus interiit*, Nau. 1. num. 15.

Diabolus à Christo contritus.

Dæmon redactus in nihilum.

25 *Apprehendit, & ligavit eum;* ex quo præclarè ait D. August. serm. 197. de temp. *Videte fratres, quàm stultus homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluntates noli adjungere, & ille ad te non præsumet accedere; latrare potest, sollicitare non potest nisi volentem, non enim cogendo, sed suadendo nocet, non exterquet nobis consensum, sed petit.* Sic virtute Christi confractus est dæmon, ut latrare possit, mordere non possit, cum catenatus, ac ligatus sit, nisi homo suis peccatis se illi adjungat, ac subjiciat.

26 Confirmatur: Ex præsenti text. per hunc Angelum, qui Satanam religavit, intelligit Victorinus virum,

virum, justum, sanctum, ac purum, nam justitia, sanctitas, ac puritas maximè resplendet in Angelis, & sic ait ipse: *Qui enim virginitatis integrum servaverit propositum, & Decalogi fideliter præcepta impleverit, & contra impuros mores, vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum vigilaverit, ne dominetur ei, verè Sacerdos est Dei, & integrè creditur regnare cum Christo, & apud eum rectè ligatus est Diabolus.* Describitur justus habens potestatem alligandi Diabolum; econtra verò vidimus quod Diabolus ligaverit per capillos capitis Absalon in vanitate sua: *Adhæsit caput ejus quercui*, 2. Reg. 18. num. 9. S. Maxim. Centur. 3. cap. 59. *Tenetur coma, habens ipsam vanam existimationem alligantem ipsum morti.* Compone modò hunc, & illum Absalonem ministerio Diaboli ligatum ad arborem, Angelum verò religantem Diabolum. In Angelo exprimitur integritas, & virtutis rectitudo, quæ sic justum, fortem, & animosum reddit, ut Diabolum catenis alligaret; at in Absalon erat inanis gloriatio, & multa vanitas Diabolo instigante, quæ miserum valde debilem effecit, ut à Diabolo alligatus teneretur.

Justus ligat Diabolum, à quo peccator ligatur.

27 Tertiò: *Angelus apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas.* De Lucifero ait Isai..... Dicebat in corde suo: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*; Super astra Dei, hoc est, Angelos hos Lucifer intendit calcare, & tamen nunc cogitur dura ab Angelo vincula sustinere; & quæ tantæ in felicitatis extitit causa? Ipsa profecto immoderata superbia; non potuit ignominiosè non vinciri, qui ultra modum suæ naturæ desideravit lucere, & dum inter proprios fines non vult conquiescere, sed super æquales tanquam quid alterius naturæ rapitur, inde sic deprimitur, & cadit, ut illis inferior fiat, ab eisque religatus in abysso jaceat. Ad hoc tendit Div. Gregor. lib. 4. Moral. cap. 13. ait: *Ille apostata Angelus, ita superbiendo succubuit, ut nunc stantium Angelorum ditioni substratus sit, quatenus nunc ad utilitatem nostram eis ministrantibus religatus lateat.* Dum solium super cæteros exaltare appetit, ad inferiorum vincula, ac catenas præcipitatur.

Prælatio inter æquales multa mala infert.

28 Sanctus, & pius erat Joseph, quoddam somnium fratribus ait: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*, Gen. 37. num. 7. quid parturivit hæc prælationis nota inter fratres? Ut ab eis esset exutus à tunica sua, & ut illi eum mitterent in cisternam veterem, ac ut tanquam servum captivum venderent Madianitis: Pius & sanctus erat Joseph, vera dicens, & tamen prælationis damna inter fratres non effugit. Præclarè D. Ambr. serm. 14. in Psal. 118. ait: *Joseph sibi scivit ipsi obfuisse, quod prælatus erat fratribus, & jam pius amor miseriam invenit. Prælatio armavit fratres, humilitas conciliavit extraneos*; nihil elegantius.

Umbra prælationis inter fratres seminarii odii.

29 Hàc de causa pro magno documento, instruens Deus filios Noe, ait illis: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ*, Genes. 9. num. 2. cur non indicitur eorum terror, ac tremor super omnes homines, ac super omnes futuras generationes? Futuri homines illis æquales, animantia inferiora: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universos insuper & pecora campi*, Psalm. 8. num. 8. Timor prælationis sit ad inferiora, inter æquales verò valde periculosum. D. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 11. inquit: *Non ait, sit super homines, qui futuri sunt, sed sit super cuncta animantia terræ, ut ab animalibus, & non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire est ab æquali velle timeri.*

Divinum documentum, ut fugiat prælationem.

Apoc. 20. n. 3. Et misit eum in abyssum, & signavit super eum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, & post hæc oportet illum solvi modico tempore.

Num. 4. Et vidi sedes, & sederunt super eas, & judicium datum est illis; & animas decollatorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ejus in frontibus, aut manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annos.

VERSIONES.

Syriacus. Et projecit eos, donec absolverit eos, postea verò solvetur ad modicum.

Arabicus. Conjecit eum, & obsignavit super eum, ne seduceret gentes, usque ad finem mille annorum.

Tertullian. Misit in puteum abyssi.

Pagninus. Misit in voraginem, & clausit eum.

Arabicus n. 4. Vidi autem sedes positas esse, & sedisse super eas, & demandatum est eis judicium animarum interfectarum, nec acceperunt signum.

Syriacus. Quæ capite truncatæ fuerunt propter sermonem Dei, & qui non adorant illud animal dentis, &c. & super domicilium oculorum, & vixerunt cum Christo hosce mille annos.

D. Cyprianus. Propter nomen Jesu, &c. nec acceperunt inscriptionem ejus in fronte.

EXPOSITIO.

ET *misit eum in abyssum.* Quamvis abyssus sumatur frequenter pro profunda aquarum voragine, hìc ta[illegible] & sæpè pro ipsa inferorum regione ponitur. *Et clausit, & signavit super illum.* Metaphora est à carceribus, qui seris, & vectibus clauduntur, ne delinquentes refugere valeant. Et ait: *Clausit*; quia nempe Angelus habet clavem ipsius abyssi, idest potestatem super illum, ut qui in eum missus fuerit à nullo valeat liberari. *Et signavit super illum.* Tanquam regio Dei sigillo munitus est carcer Luciferi, ne ullus quantumcunque sit authoritatis audeat tentare apertionem carceris, & liberationem illius, ut apud Daniel. 14. n. 13. signatum fuit fanum Beli. 30

Metaphora sumpta à carceribus.

Ut non seducat amplius gentes; ut ante Christi adventum facere consueverat per idololatriam, & multa alia, & varia peccata, cùm tunc princeps hujus Mundi honoretur. *Et post hæc oportet illum solvi.* Hìc significat Joannes quandam necessitatem, consequentem divinæ scilic. prædestinationis, ac decreti, quæ non potest frustrari circa liberationem Satanæ faciendam. *Modico tempore*; scilic. Antichristi per tres annos, & dimidium. 31

Dei decretum non potest frustrari.

Et vidi sedes. Valde diversa est sententia authorum circa has sedes, Aureolus accommodat ad sedes Ordinum Præmonstratens. & Cistercienf. sub Div. Bernardo. Viegas, & Gagnæus ad sedes diei judicii, de quibus Christus Dominus: *Sedebitis & vos super sedes judicantes duodecim Tribus Israel.* Veriùs tamen Cornel. Menoch. Tirin. la Haye sermonem esse de augustissimis thronis, in quibus sederunt, & modò sedent in cœlo animæ sanctorum. *Et judicium datum est illis*; quia amplissima judiciaria potestas, jam decreta, & determinata est illis, juxta illud Sap. 2. num. 8. *Judicabunt sancti nationes, & dominabuntur populis.* Habent jam hunc potestatem in actu primo, cujus usum cum Christo exercebunt in novissimo judicii die. 32

Probabilis sententia.

Et animas decollatorum. Priùs facit mentionem de sedibus, postea de animabus sedentibus, quia de ipsis deinceps erat dicturus, & ait: *Vidi animas decollatorum.* Omnes sanctos regnantes in cœlo vidit, & peculiariter sanctos exprimit martyres, ut primos, & antesignanos in cœlesti curia. *Decollatorum*, ait, nam sub hoc genere martyrii omnia alia genera subintelligit. *Propter testimonium Jesu Christi*; quia palam, coram tyrannis Jesum verum filium Dei confitebantur. *Et propter verbum Dei*; idest, ejus Evangelium, quod in toto Mundo ut ad salutem necessarium prædicabant. *Et qui non adorabunt bestiam*, scil. 33

Probabilis sententia.

Anti-

Antichristum, *nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut manibus suis*; de quo dictum est supra c. 13. num. 16. *Nec acceperunt ejus characterem*; nempe signa & notam, quibus Diaboli servi se profitebantur.

34 *Et vixerunt, & regnaverunt cum Christo*. Hi ergo decollatorum, quorum animæ, & si in terris contemptibiles, & unà cum corporibus suis sepultæ, & injuriæ, ac oblivioni traditæ sint, coram Deo tamen perpetuò vixerunt, ac magnificè in thronis majestatis gloriæ *cum Christo regnaverunt mille annos*, quibus Lucifer in abysso religatus tenetur, hoc est totius temporis decursus à morte Christi, usque ad Antichristum; & vivent, & regnabunt simili modo usque ad finem Mundi. Hæc sententia est probabilis, & eam sequuntur communiter recent. Ribeira, Cornelius, Estius, Tirin. Menoch. la Haye.

Est etiam alia sententia, & multùm probabilis,
35 & verior; quæ præsentem text. interpretatur, de sedibus Prælatorum, ac eorum judicio in Ecclesia militanti: ita Beda, Rupert. Ansbert. Alensis, & est expressa de mente D. August. lib. 2. de Civit. c. 9. & ait: *Non hoc putandum de ultimo judicio, sed sede Præpositorum, per quos Ecclesia nunc gubernatur*. Hanc sententiam constanter tuetur Ferrarius, & eam etiam habet Alcazar.

36 Ait noster Joannes cum Satanas, qui erat princeps hujus Mundi, jam ejectus est foras, & ligatus in abysso: *Vidi sedes*; quas nempe fundarunt Domini
Vera sententia. Apostoli, Petrus Romæ, Joannes Ephesi, Jacobus Bracharix, Barnabas Mediolani. *Et sederunt super eas*; tacitè innuens in talibus sedibus magis sessuros eorum posteros, quàm ipsos primos fundatores, quia fundatoribus mortuis adhuc sedes perseverant, & ideo de eis priùs fecit mentionem. *Et judicium datum est illis*; nempe fundatoribus, ac successoribus & modò Romæ exercet judicium Alexander VII. & S. Petrus, sed S. Petrus per Alexandrum VII. & sic de aliis Ecclesiarum sedibus. Et hoc maximè pertinet ad gloriam, & honorem sanctorum, valde enim est illis decorum tales sedes fundasse, & rexisse, & propter labores toleratos in earum fundatione maximè promerentur apud Deum, & per tales sedes illis attribuuntur religiosi cultus & honores, nam SS. martyres, & Episcopi, ibi maximè coluntur, ubi laborarunt, & sanguinem effuderunt.

37 *Et animas decollatorum*. Ab uno genere martyrii, quod fuit frequentius, intelligit cætera; tum quia omnes Apostoli, & qui primi sedes erexerunt, fuerunt martyres. *Propter testimonium Jesu*, quem publicè confitebantur, & *propter Verbum Dei*, quod prædicabant docentes servare Evangelium. *Qui non adoraverunt bestiam*. Per bestiam non intelligitur Antichristus hic, sed Diabolus, ac proinde hìc non solum est sermo de sanctis, qui futuri sunt sub Antichristo, sed etiam de illis, qui in prioribus sæculis præcesserunt, nam licèt cap. 13. pro bestia intelligatur Antichristus, hìc tamen intelligitur Diabolus cum suis vitiis, ac turpitudinibus, ac erroribus: *Qui non adoraverunt bestiam*; ideſt, vitiis non se manciparunt. Nec mirum esse debet, quòd in eisdem ænigmaticis verbis, alii, & alii lateant sensus, maximè in diversis locis, cùm hoc non repugnet ænigmati; & hoc apertè habetur in hac eadem prophetia, in septem capitibus bestiæ, intelliguntur septem Reges, septemque montes, Apocal. 17. num. 9. sicut & mille anni, vers. 2. accipiuntur pro tempore à Christi morte usque ad Antichristum, hic verò à tempore mortis Christi, usque ad diem judicii, ut autores primæ sententiæ fatentur.

QUÆSTIO IV.

Quare Angelus mittens Satanam in abyssum, non solùm clausit, sed etiam signavit super illum.

38 CUm ait text. quòd Angelus misit Luciferum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut dixi in exposit. metaphora sumpta est à carceribus, qui fortissimis postibus, ac vectibus claudun-

tur, ac proinde potestate sibi à Deo data, ibi retinere facit Luciferum, ut nullo modo inde exire valeat; & inde addit: *Signavit super illum*; tanquam regio sigillo munitus est ille carcer, ac reclusio, ut per nullius vim possit aperiri, aut liberari.

Moraliter tamen, quid est dæmonem signatum 39
fuisse? quo quæso signo, quove charactere, seu sigillo? Ait Albertus Magn. *Signavit super eum, ideſt, posuit super eum signum Crucis*. Lucifer indignus est sa- Signo Crucis Diabolus expellitur.
lutifero signo S. Crucis; maximè ipse intendit à suis hoc signum repellere, ne eo signentur, quomodo ergo ait citat. doctor, quòd signavit super eum, seu posuit signum Crucis super eum? Posuit quidem non ut eo insigniretur, aut nobilitaretur, sed ut ejus virtute reprimeretur, ac expelleretur; sic ait citat. Albert. *Posuit super eum signum Crucis, quo eum superavit, & ut à fidelibus possit expelli; omninò enim subjacet Cruci, & nihil potest nisi permissus à Christo*. Virtute S. Crucis Diabolus coercetur, devincitur, ac expellitur à Mundo.

Quod confirmatur ex celebri doctrina Origenes 40
homil. 8. in Josue: *Crux Domini Nostri Jesu Christi gemina fuit, hoc est gemina ratione constat, & duplici, quia visibiliter quidem filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter verò in eadem Cruce Diabolus cum Principibus suis, ac potestatibus affixus est Cruci, non tibi hoc videtur verum, nisi tibi horum testem produxero Paulum Apostolum. Audi ergo de iis, quæ ipse pronuntiat: Quod erat, inquit, contrarium nobis, tulit illud de medio, affigens Cruci suæ, exuens principatus, & potestates, traduxit liberè triumphans, signo Crucis*, ad Colossens. 2. n. 15. Christus Dominus in Cruce affixus est, ut ex Cruce intraret in gloriam suam, Diabolus verò, ut ex Cruce religatus teneretur in inferno: *Delens quod adversùs nos erat chirographum*; obligationem nempe juxta Dei decretum: *Expolians principatus, ac potestates dæmonum traduxit confidenter*; Hoc est liberè, & audacter coram Deo Patre, ac Angelis. *In semetipso*; Crux triumphalis currus Christi.
ideſt, in Cruce sua, ut explicat Cornelius, quia ut ait Theophyl. Crux est currus triumphalis Christi ad tantam victoriam, & ad destructionem dæmonum.

Præparat se Gedeon, ad pugnam contra Madian, 41
qui ex communi patrum sententia Diabolum significabat, & cum fortissimus dux copias congregaret, dictum est ei à Deo: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam Madian in manu tua*, Judic. 7. num. 7. sed cur ad tam gloriosam victoriam, Per crucem Diabolum, ac inimicos vincimus.
tam pauci milites eliguntur? imò ut docet ibi Lyranus hi erant valde infirmi, & debiles, & ideo manu bibebant aquam, tanquam timentes, & vigilantes hostium adventum: & cur potiùs trecenti, quàm ducenti, vel quadringenti ad tantum negotium assumuntur? Trecentorum numerus, græcè significatur per literam *Tau*, ut docet D. Chrysost. hom. 13. in Moral. ex quo præclarè ait D. Ambros. in Procemio de Spiritu S. *Trecentos elegit ad prælium, ut ostenderet, non in numero multitudinis, sed in sacramento Crucis, Mundum hunc ab incursu graviorum hostium liberandum*, &c. Idem docet D. August. serm. 108. de temp. Divus Paulus epist. 2. D. Gregor. lib. 30. cap. 17. & ait: *In iis trecentis, qui in, T, litera continentur, exprimitur, quod ferrum hostium Crucis signo superetur*: Quod denotabatur: Gedeon trecentis militibus, totidemque tubis, ac lucernis Madianitas fudit, ac fugavit, ut significarentur evangelici prædicatores, qui portantes Crucem Christi, in trecentario numero significatam, doctrina evangelica in tubis expressa tonantes magnaque luce, ac fulgore nitentes omnia dæmonum castra superarent.

Cum ingrederetur Jesus Jerosolymam, ut inter 42
sex dies Crucem ascenderet, exeuntes turbæ, *acceperunt ramos palmarum, & processerunt obviam ei, & clamabant: Hosanna benedictus, qui venit in nomine Domini*, Joan. 12. num. 13. Exeunt cum ramis palmarum, ac olivarum, ut tenet communis usus Ecclesiæ; & cur hi potiùs rami, quàm alii diversarum arborum, cedri, cinnamomi, terebinti, vitis, vel similium? Christo Crucem ascendenti rami palmarum, ac olivarum prosternuntur, quia palma signum

gnum est victoriæ, ut docent Cassiodor. in Psalm. 91. D. Chrysost. homil. de Cruce, & Latrone, sicut & oliva signum est lucis, ac luminis, quo denotabatur, quod Christus insigni victoriæ trophæo de Diabolo erat sublimandus, simulque eo totus Mundus magno splendore illuminandus erat, ut nobis pararet impollutam viam ad cœlum. D. Paschas. lib. 12. in Matth. ait: *Cum ramis palmarum, & olivarum in signum victoriæ, ac lucis per Christi mortem;* & D. Ambros. serm. 38. ait: *Non habuit majus præmium, nisi palmas, quod ei devotio plebis offerret significans stratis in itinere vestibus impollutam viam esse in Mundo, oblatis palmis ipsum Mundi esse victorem.*

Per crucem victoria, ac lux totius Mundi.

43 Dicitur de sponsa: *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*, Cantic. 4. num. 4. Per collum intelliguntur doctores, ac prædicatores Ecclesiæ, juxta communem sententiam SS. Patrum, qui rectè cum turri Davidis comparantur, qui fortis interpretatur; Propugnacula autem sunt S. Scriptura, ac divinæ literæ; clypei sunt virtutes orationis, humilitatis, ac pœnitentiæ, & tandem muniti sunt omni armatura fortium; & quænam est hæc armatura, in qua tanquam compendio omne armorum genus continetur? Crux Sancta Christi est, hæc enim pro omni armatura nobis est scutum, ut ab omni inimicorum incursu custodiat, gladius, lancea, ut interficiat adversarios, galea, ut nos tueatur à pravis cogitationibus. Apponius ait: *Cum Crux maledictos trucidabat proferentes in se mortis judicium, infirmorum erat armatura pœnalis; ubi verò suspensus, mortificatusque in ea est benedictus, fortium, & semper viventium armatura effectus est, adeo ut nemo sit fortis, nisi is, qui pro scuto Cruce dominica, totius mentis affectu protectus incedit.*

Crux nobis pro omni armatura.

44 *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam dicentes: Ubi est, qui natus est, rex Judæorum*, Matth. 2. num. 2. & postea cum veniunt in Bethleem: *Intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, & procidentes adoraverunt eum;* quæ verba exponens D. Fulgentius serm. de Epiphan. ait: *Quis est iste Rex Judæorum pauper, & dives, humilis, & sublimis? quis est iste Rex Judæorum, qui portatur ut parvulus, adoratur ut Deus? Parvulus in præsepio, immensus in cœlo; vilis in pannis, pretiosus in stellis.* In præsepio, quamvis Angeli famulantes adstarent, ut parvulus, & vilis adoratur à pastoribus, in gremio sanctissimæ Matris veneratur à Regibus, ibique ut humilis habetur: *At verò pretiosus in stellis*; & quare in stella pretiosus prædicatur à D. Fulgent. Pro qua re audiendus D. Chrysost. hom. 2. in Imperfecto: *Stella illa beatitudinis apparuit Magis super montem illum victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli, & super se similitudinem Crucis.* Ecce cur in præsepio adstantibus Angelis, in festino applausu pastorum, ut vilis monstratur, in brachiis Virginis Mariæ, prostratis regibus, ut humilis declaratus, in stella verò pretiosus, ut sublimis, & excelsus; stella apparuit *habens in se formam quasi pueri parvuli, & super se similitudinem Crucis*; radiabat in stella quædam Crucis similitudo, inde Christus ut pretiosus ibi visitur, ac si magis ostendatur Christi majestas, ac celsitudo ab una Crucis similitudine, quàm ab omni famulatu Angelorum, ac dulcissimo matris gremio; sic æstimat Christus redemptionis insignia, sic apud homines Crucem honorat: vide supra c. 13. q. 30. n. 230. 231.

Super cruce à Cruce maximè refulget Christi majestas.

QUÆSTIO V.

Quare Satanas pro modico tempore Dei permissione solvendus sit.

45 CUm text. ait de Satana, *quod oportet solvi modico tempore*, de regno Antichristi intelligitur, ut est communis vox Patrum, ac interpretum hoc loco; cur autem ipse tunc solvendus sit acerbissima persecutione, de qua sæpè sæpiùs multa diximus, ait D. Ephræm lib. de Pœnit. *Ideo Salvator dixit solutionem serpentis modico tempore, quoniam usque adeo erit efficax, ut si fieri possit, inquit, etiam scandalizarentur electi mei*; cur ergo ad tam acerbam persecutionem permittitur à Deo Satanas solvi?

Primò, ut manifestaretur celsitudo, ac sublimitas Ecclesiæ, quæ in tanta adversitate non potuit submergi, sed potiùs maximè sublimari, ac delectari multa charitate suorum fidelium in Deum, admirabili patientia in tantis adversitatibus fundata super firmam fidei petram, ut inde maximè glorificaretur Deus in sanctis suis. D. August. lib. 20. de Civit. c. 8. ait: *Si unquam solveretur, minus appareret ejus maligna potentia, minus sanctissimæ civitatis fidelissima potentia probaretur, undè solvetur in fine, ut quàm fortem adversarium Dei civitas superaverit cum ingenti gloria sui redemptoris, adjutoris, liberatoris aspiciat.* In adversitatibus, ac contrarietatibus maximè declaratur virtus, ac patientia, inde ait Paulus 1. Cor. 11. num. 19. *Oportet hæreses esse, ut qui probati sunt manifesti fiant.* Tempore hæreseos, ac schismatis manifestatur, qui in fide, & pietate fundati, constantes sint, ut ex D. Chrysost. docent Theophyl. Oecumen. 46

In adversitate justi manifestantur.

Secundò expende citata verba Augustini: *Cum ingenti gloria sui redemptoris, adjutoris, liberatoris.* Maximè invigilat Deus super suos justos in eorum adjutorium, cum eos inter tam vehementes persecutiones custodit, & liberat; sic Daniel. 14. n. 37. cum esset per sex dies inter leones famescentes, & ei per prophetam provideretur prandium, ait: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti quærentes te*; & David Ps. 36. n. 39. *Salus justorum à Domino*; græca exemplaria habent: *Salus autem justorum apud Dominum:* Origen. hom. 5. in Psal. *Nec usquam potest esse tutius salus hominis, quàm apud D[illegible]*, vide supra c. 18. q. 6. n. 55. & seq. 47

Deus custodit suos justos.

Tertiò idem D. Aug. lib. 20. de Civit. c. 8. ait: *Magno Satanæ malo, quàm bene fuerit usus omnipotens Deus, qui eum non omnino abstulit à tentatione sanctorum, quamvis ab eorum interioribus omnibus, ubi in Deum creditur ...., foras missum, ut forinsecus ejus oppugnatione proficerent.* Permittuntur justi tam dura, ac acerba persecutionum tempestate vexari, ut multis meritis proficiant; quod maximè licet considerare in S. Joseph. Gen. 37. nu. 39. A fratribus denudatur, ut stola jucunditatis induatur; mittitur in cisternam, quæ non habebat aquam, ut aqua cœlestium gratiarum impleatur; venditur in Ægyptum, ut libertatem ab inquinamento peccati habeat; adulteræ verbis deprimitur, ut omni virtute puritatis, ac patientiæ resplendeat; detruditur in carcerem, ut exaltetur in gloria; intonso capite in carcere degit, ut ait Philo, ut magna corona illustretur; ferris alligatur ut palma nobilitetur, undè rectè ait D. Bern. serm. de Tribulat. *Utilis est tribulatio, quæ probationem operatur, & ducit ad gloriam, & per gradus tribulationum crescunt gloriæ augmenta:* vide multa tom. 1. in Apocal. & quinque in Evangel. verb. labor, vel tribulatio. 48

Sancti per gradus tribulationum crescunt in gloria.

Quartò ligatus est modò Satanas per mille annos usque ad Antichristi tempora, quo tempore solvetur, & tunc dabitur ei licentia furendi adversùs electos Dei; sed si hunc modò ligato, & captivo difficiliter resistimus, quomodo ergo tunc soluto se opponent electi, & fortiter, ac validè ei resistent? undè graviter Div. August. cit. nostram nunc ignaviam respectu illorum sanctorum futurorum exprobrat, dum illi soluto resistent, quando nos nunc ligato succumbimus, & sic ait: *In eorum fanè, qui tunc futuri sunt sanctorum, atque fidelium comparatione quid sumus? quandoquidem ad illos prebandos, tantus solvitur inimicus, cum quo nos ligato tantis periculis dimicamus.* 49

Illustrissimi erunt sancti tempore Antichristi.

Ecce quàm illustrissimi futuri sunt illi sancti tempore Antichristi, cum soluto Diabolo resistent, & nos illo ligato dejicimur, cum illius vires valde tenues, & debiles sint, ut unius hominis non valeant vim superare. Ait Dan. 7. n. 4. loquens de feris terram devastantibus: *Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ; aspiciebam donec avulsæ sunt alæ ejus, & sublata est de terra, & super pedes, quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei*; ecce fera pessima leoninam referebat crudelitatem, & aquilinum velocitatem, & tamen subitò 50

bitò sic transmutatur, ut homo videatur; & quid hac tanta, & tam repentina mutatione nobis insinuatur? Ut ex his discamus primos Diaboli impetus contemnere, nam si dum procul est, & in arenam descendit, tanquam leo rugiens ad devorandum, & aquilis velocior ad perdendum appareat, tamen in congressu, alsa Dei dispositione, sic vires reprimuntur, ac temperantur, ut tota sua malignitate unius hominis feritatem non superet.

51 Hoc maximè nobis manifestavit Christus D. nam cum ei occurreret homo habens dæmonium, ab eo quærit Dominus: *Quod tibi nomen? at ille dixit: Legio; quia intraverant dæmonia multa in eum*, Luc. 8. nu. 30. ad quid Dominus voluit, tantam dæmonum multitudinem, quæ in hominem intraverat, manifestari? nisi ut inde fieret nobis evidens, quomodo omnes dæmonum vires adversùs hominem à Deo reprimantur, ac temperentur, quia licèt omnis infernalis multitudo conglomerata irruat in hominem, nunquam tamen vires unius hominis valet excedere. Pro quo eleganter ait D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Edocuit Dominus, quàm multis humanum corpus traditum carnificibus dæmonibus non periret, quandoquidem dæmonum multitudo in unum armata tollere eum non valuerit.* Maximè sanè Diaboli fortitudo contemnenda est quando tota armata inferni potentia, unius hominis vires non superat.

Tota rabies infernorum non valet nocere homini Dei gratia munito.

52 Quod præclarè docet Apostolus Paulus 1. Cor. 10. n. 14. ait: *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis.* Quamvis adversarius omni malignitate sua furat, horrificos leonis rugitus edat, & omnem ferarum crudelitatem induat, ubi tamen in pugnam cum homine venit, veluti homo apparet, unius hominis vires minimè superans; & ideo ait Apostolus: *Fidelis Deus, qui non patitur.* Certaminibus nostris adest Deus, ut fidelissimus judex, & arbiter certaminum, qui in conflictu nullam patitur inæqualitatem, & sicut in duello humano judex omnem constituit æqualitatem armorum inter athletas, & nullum permittit excessum ex parte aliqua, ita & in duello christiano Deus, ut fidelissimus Judex, & arbiter astat, qui dæmonum arma, scilicet machinationes, ac tentationes sic componit, ac temperat, ut minimè vires, ac arma hominis excedant. D. Anselm. ibi: *Non permittet Deus ultra mensuram vestrarum virium excrescere pondus alicujus tentationis; nisi enim Deus cum viribus tentamenta modificaret, nullus profectò est, qui malignorum spirituum tentationes corruens portet, quia si mensuram judex tentationibus non præbet, eo ipso stantem dejicit, quo ultra vires onera ponit; idcirco Deus hostem nostrum pia dispensatione permittit, & retinet, relaxat, ac refrænat.* Expende illud: *Si mensuram Deus ut fidelissimus judex*; decertantium arma mensurat, ut non permittat truculenti hostis arma vires hominum excedere.

Deus ut fidelissimus judex ad mensuram permittit tentationes.

QUÆSTIO VI.

Quare animæ decollatorum, quæ non acceperunt characterem bestiæ in fronte, ac manibus, videntur vivere, & regnare.

53 AIt noster Joannes: *Vidi animas decollatorum, qui non acceperunt characterem bestiæ in frontibus, aut manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo*; quæ verba altiùs hìc sunt expendenda. Quid est, quod de animabus decollatorum tantùm facit mentionem, cum omnes justi cum Christo regnent in cœlo? ait Paul. ad Colos. 3. n. 3. *Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*: Licèt Ecclesia regnet in omnibus beatis, insigniter, ac glorioßissimè regnat in sanctis martyribus, qui perfuso sanguine testimonium de Christo Jesu dederunt. Ansbert. *Et si Ecclesia regnet in singulis membris suis, sed gloriosiùs in sanctis martyribus, & ideirco animas decollatorum in cœlis regnantium cæteris prætulit membris, in quibus totum Ecclesiæ corpus comprehendit.*

Ecclesia gloriosissimè regnat in martyribus.

54 Et dicitur: *Qui non acceperunt characterem ejus, in frontibus, aut manibus suis*; nonne sat erat dicere: Non acceperunt characterem in frontibus, vel manibus? ad quid utrunque proponit, & connectit? In fronte denotatur professio fidei, in manibus verò operatio, quia quod profitemur debemus operibus adimplere, & non pravis actionibus dehonestare. Ansbert. *Acceperunt characterem in frontibus, quia non recurrunt ad pravos errores, & non accipiunt in manibus, quia non maculant vitam fidei pravis operibus.*

Fides operibus manifestatur.

Ad quæst. ait text. *Vixerunt, & regnaverunt cum Christo*; ad quid dicitur, quod animæ decollatorum *vixerunt*, cum anima sit immortalis? & etiam in eo quod dicitur, *regnaverunt*, eorum vita involvitur, nam regnare vitam supponit. Rectè tamen dicitur, quod *vixerunt*, & *regnaverunt*, nam sicut anima est vita corporis, ita animarum vita est regnare cum Christo. Joach. Abbas ait: *Bene animas decollatorum, aliorum justorum vixisse commemorat, quia sicut vita corporum consistit in animabus, ita vita animarum in visione Dei.* 55

Vita animæ Dei visio.

Secundò: *Vixerunt, & regnaverunt cum Christo.* Vita, de qua hìc est sermo, est vita æterna beatitudinis, ergo satis erat dicere, quod viverent cum Christo, ut intelligeremus eos felicissimè regnare; ad quid ergo additur, quod cum eo regnaverunt? Ut inde fieret nobis manifestum, quod in illa summa felicitate, non solùm est vitæ plenitudo, sed etiam summi honoris celsitudo. Div. Thom. *Hìc tanguntur duo bona gloriæ, unum est vitæ plenitudo, secundum honoris celsitudo.* 56

In gloria vita & honor.

Tertiò ait: *Vixerunt, & regnaverunt cum Christo.* De præterito, & non de futuro ait, vivent, & regnabunt, ut ex hoc modo loquendi inferas animas martyrum, sicut & aliorum justorum, non expectato judicio finali, sed ex eo, quod pro Christo moriuntur, ac labores patiuntur, inde incipiunt vivere, ac regnare cum Christo. Div. Bernardin. ait: *Nota, quod signanter dixit: Vixerunt, & regnaverunt cum Christo; non dicit, vivent, & regnabunt, quia tam in præsenti vivunt, & regnant animæ sanctorum ex quo interfecti sunt pro Christo; quod est contra hæreticos, qui dixerunt, quod nullus intrat in regnum cœlorum usque post judicium.* 57

Qui moritur & laborat pro Christo, ibi incipit vivere.

Quartò Joannes aquilino intuitu vidit justos homines interfectos propter verbum Dei, & vidit, ut adhuc ipsi vivebant, & regnabant; sed quomodo, qui mortui sunt, ostendi possunt adhuc vivere, & regnare? Quia justi dum moriuntur pro Deo ibi vivi regnant, & ad Dei Ecclesiam pertinent, in qua mors pro Christo triumphum parit. D. August. lib. 20. de Civit. cap. 7. ait: *Ideo tantummodo animas martyrum commemoravit, quia ipsi præcipuè regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certarunt; sed à patre etiam ceteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi.* 58

Mors pro Christo triumphã parit.

Moritur Rachel, & post celebratum ejus sepulchrum *erexit Jacob titulum super sepulchrum ejus*, Genes. 35. n. 20. cur uni Rachelis sepulchro titulus erigitur ex omnibus illustrissimis fœminis, quæ antea decesserant? cur ergo sepulchrum Rachelis potiùs agnoscitur, & veneratur ut titulus trophæi, ac triumphi? Erigitur in monumentum perpetuum, quia una Rachel præ omnibus aliis clariùs Christi Ecclesiam significat, quæ paritura erat filios, non ad luctum mortuorum, sed ad trophæos viventium, & regnantium, ut abolita morte, vulnera, & labores, coronas, & palmas germinarent. Auctor in Catena Græca, ait: *Cum plures Sanctorum Patrum mulieres dormierint, soli Racheli titulus erectus est, ea enim typum gessit Ecclesiæ, quæ sola victrix trophæum mortis tulit in Christo.* 59

Mors pro Christo non sepulchrum, sed trophæum producit.

Cum S. Scriptura narrat Moysis mortem, testatur de illo: *Non caligavit oculus ejus, nec dentes illius moti sunt*, Deuter. 34. n. 7. Chald. legit: *Neque mutatus est splendor gloriæ vultus ejus*; & ut notant cum Bellarm. Cornel. & la Haye in Biblia maxima, refertur hic sermo ad splendorem illum, qui ex colloquio Dei vultui ejus adhæsit. In morte cujusque hominis vultus fit pallidus, niger, ac difformis, quæ sunt damna, quæ mors intulit ex peccato primi parentis; quomodo ergo facies Moysis nitore gloriæ resplendet? Mors justi, ut Moysis, quamvis videatur mors, non est 60

In morte Justorum non violentur signa mortis, sed gloriæ.

mors,

mors, & inde horrores mortis fugiunt, & cùm sit vita beata, ac gloriosa æternæ beatitudinis, signa, ac splendores gloriæ ostentat. Huc advoco, quod de sancto Archiepiscopo Malachia ait D. Bernard. in ejus vita: *Feliciter obdormivit in Domino, & verè obdormivit. Mortuus vivere, & vivens mortuus putabatur, adeo nihil intercedit, quod alterutrum discerminaret. Eadem vivacitas, vultus serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente.*

61 De Ecclesia Christi decantatur: *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentariis; labia illius distillantia myrrham primam*, Cantic. 5. nu. 13. cur in labiis Ecclesiæ myrrha amarissima constituitur? Dicuntur alibi Ecclesiæ labia vitta coccinea; quid myrrha cum labiis formosissimæ? Modò depingitur Ecclesia, ut multis Patribus placet, referens myrrham primam mortis, tormentorum, laborum, ac pressurarum, & dum hæc dicuntur, ac narrantur, apparent in fronte, ac ejus vultu gratissimi odores, ac suavissima aromata æternæ gloriæ, ac beatitudinis; ipsæ mortes, & labores pro Christo exhantlati non horrorem mortis exhibent, sed jucundissimum æternæ beatitudinis odorem. D. Ambros. de obitu Valent. ait: *Genæ ejus sicut phialæ aromatis gignentes unguentaria, labia ejus sicut lilia distillantia myrrham primam, mysticæ Ecclesiæ gratia deflentis accipitur, quæ in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit unguentum, & vitam ejus prædicando concelebravit, cui mors obesse non potuit, eo quod odor prædicationis universorum ore celebris, fœtorem omnem mortis abolevit.* Expende verbum: *Cui mors obesse non potuit*; cujus enim erat talis vita, quæ celebraretur omnium ore, in eo mors nil potuit obesse, sed ibi totus mortis fœtor, & turpitudo tollitur, & in suavitatem odoris mutatur.

Mors justorum, odoramentum gloriæ.

Apoc. 20. *n.* 5. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.

Num. 6. Beatus sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Christi, & Dei, & regnabunt cum illo mille annis.

VERSIONES.

Arabicus n. 5. Reliqui mortui nequaquam vivent, donec absolvantur mille anni.

Æthiopicus. Cæteri mortuorum non suscitabuntur &c. hæc est prima vita.

Pagninus. Cæteri non revixerunt.

Syriacus. Resurrectio illa prima.

Æthiop. n. 6. Qui invenit portionem in isto die, qui præcedit adventum ejus, qui non est amplius potestas secundæ mortis, contra hos homines, quia erunt sacerdotes.

Arabicus. Beatus, & sanctus, qui habet sortem in resurrectione prima.

Syriacus. Imo sicut sacerdotes Dei, & Christi ejus, & regnabunt cum illo, illos mille annos.

Rupertus. Et erunt sancti Dei, & Christi.

EXPOSITIO.

6. *Cæteri mortuorum non vixerunt.* Dubium est de quibus mortuis hìc loquatur. Rupert. & Richard. quos communiter sequuntur omnes recentiores Ribeir. Vieg. Cornel. Gagn. Estius, Tirin. Menoch. la Haye tenent esse malos, & damnatos in inferno, qui Christo adhærere noluerunt, undè notat Rupert. quod sancti martyres propter testimonium Jesu, non dicuntur mortui, sed tantùm hi, qui contempta Dei lege peccatis servierunt, quod est vera mors; sic ait Rupert. *Cæteri mortuorum, idest illi, qui sæculo vivunt, & Deo mortui sunt, longè ab his differentes, qui propter testimonium Jesu sæculo mortui sunt, isti non vixerunt nec vivere judicati sunt, sed inter mortuos æstimati, & verè sunt.*

Qui peccato servivit mortuus.

Simpliciter mihi dicendum videtur cum Ferrario, quod hìc est sermo de animabus purgatorii, nam de reprobis, & obstinatis in peccato, non agit hìc noster Joannes, ait enim: *Cæteri mortuorum non vixerunt donec consumentur mille anni*: ergo cum consummati fuerint mille anni vivent; atqui de damnatis, & reprobis, non denunciatur vita, sed mors, sive prima, sive secunda tam in hoc cap. quàm seq. n. 8. de quo quæst. seq. Deinde cum noster Evangelista supponit, quod postquam consummati fuerint mille anni hi mortui vivent, loquitur de vita, de qua immediatè antea egerat: *Et vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis*; ergo cum ait, quod mortui postquam consummati fuerint mille anni vivent, intelligit etiam de vita cum Christo, quod de reprobis nunquam dici potest. Tertiò noster Evangelista ait: *Non vixerunt donec consumentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Resurrectio prima est ad gloriam, & beatitudinem, ut dicam, quæst. seq. & omnes auctores contrarii fatentur: ergo isti mortui vivent, & resurgent resurrectione prima ad gloriam. Nec valet id quod ait Gagn. quod scilicet resurrectio prima, legenda est per parenthesim; talis parenthesis non est in Vulgata. Quartò ad quid de reprobis erit sermo hoc loco, cum copiosè statim de eis dicturus sit? & quomodo in tam præclara prophetia, in qua nec apex redundat extra locum agit de reprobis, de quibus mox dicendum est?

63 Hic non est sermo de damnatis, sed de animabus purgatorii.

64 Rectum ordinem tenet noster Evangelista; superiori vers. 4. egit de sanctis, ac beatis in gloria, hoc vers. 5. agit de animabus Purgatorii, & deinde tractabit de damnatis, & noster Joannes conjicit oculos ad ea, quæ eveniunt in fine sæculorum, & ait, quod aliquibus animabus purgatorii tantum bonum, quantum est vivere, & regnare cum Christo non continget, nisi expletis mille annis, id est transacto universo hujus sæculi tempore, peractoque judicio, nam ad illam vitam beatam, ac visionem Dei non admittitur illud, quod coinquinatum fuerit, & ideo necesse est priùs expiari, ac purificari igne purgatorii.

Agitur de animabus purgatorii.

65 Non innotatum omittam, quod communiter recentiores hìc disputant, ut Vieg. Cornel. & alii, qui hos mille annos convertunt in bis mille annos, & inde faciunt conjecturam, quod anni hujus Mundi futuri sunt sex mille, quia Joannes hoc capite sex repetit mille; & quod Christus venit post quatuor mille annos, & ejus legem duraturam bis mille annos, ut tantum duraret, quantum reliquæ leges; nam, inquiunt naturalis habuit bis mille annos usque ad Abraham, vetus scripta, quæ quodammodo cœpit in circumcisione Abrahæ, totidem duravit annos, & ita fiunt sex mille anni. Sed hæ conjecturæ valde infirmæ sunt, ut bene notant D. August. Beda, Pereir. Suar. Alcazar; res est omnino incerta, & non est nostrum *nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.*

Refellitur opinio de Mundi duratione.

66 *Beatus & sanctus.* Priùs ait beatum, deinde sanctum, cum beatitudo supponat sanctitatem; tamen ita loquitur Joannes, quia in beatitudine declaratur sanctitas uniuscujusque, & secundùm ipsam recipitur merces beatitudinis. *Qui habet partem in resurrectione prima.* Resurrectio prima, est quando anima resurgit ad gloriam, & jam videt Deum intuitivè; & observat D. Bernardin. quod rectè ait Evangelista: *Habet partem in resurrectione prima*; quia resurrectio prima est tantùm secundùm partem, scilicet quoad animam; *In his secunda mors non habet potestatem.* Secunda mors est æterna damnatio hominis, seu animæ, & corporis ad inferos, & ait: *Non habet potestatem.* A puncto, quo quis actu habet partem in resurrectione prima, jam secunda mors, seu damnatio non valet eum apprehendere, sed omnino liber est ab ea. *Erunt sacerdotes Dei & Christi*; non solùm propter sacrificium, sed quia offerunt preces pro Ecclesia, nostrique sunt intercessores. *Regnabunt mille annis*; idest per omne tempus, idest tempus definitum pro indefinito.

Beatitudo declarat sanctitatem cujusque.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

Quid sit resurrectio prima, & resurrectio secunda; quid mors prima, & secunda.

67 CArdinalis Aureolus dicit primam resurrectionem factam fuisse à Seraphico P. Francisco, & à Sanctissimo Dominico, quorum virtutibus, meritis, doctrinis, ac exemplis tota christianitas, quæ quasi sepulta jacebat in peccatis, ad novitatem vitæ resurrexit, ut cum Christo ambularet. Secundò Alcazar per primam resurrectionem accipit aureum Constantini sæculum, tunc enim christiana Ecclesia, antea valdè oppressa, & quasi mortua, cœpit revivisscere, imo, & dominari in toto Orbe. Hæc omnia mystica sunt.

68 Quartò D. Aug. lib. 20. de civit. Dei cap. 6. & 7. quem sequuntur Ansbert. Alens. primam resurrectionem dicit esse, qua homo ex peccato surgit ad gratiam; in qua sententia est etiam Jesse Ambianens. Episcop. in epist. quæ habetur Hincmari Rhemensis de confirmat. Episcopi, ubi ait, quod resurrectio prima est qua homo per Baptismum resurgit ad gratiam; & quia sæpè homo gratiam acquisitam deperdit, explicat Ansbert. primam resurrectionem esse ad gratiam, in qua homo perseverat; sic ait ipse: *In eo, quo revixerit permanere studet, quia non qui cœperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* D. Aug. citato loco loquitur de prima resurrectione inchoativè, qua ex peccato resurgit homo ad gratiam, & gloriam.

69 Communis, & vera sententia est, quam tenent Richard. D. Bernard. Ribeir. Vieg. Pereir. lib. 8. in Daniel. Prima resurrectio est beatitudo solius animæ, qua sola anima post mortem transit in vitam, & regnum cœleste. Et dicitur resurrectio, quia sancti deposito corpore ex hac mortali vita in novam vitam, & felicissimam transmigrant, & quodammodo resurgere videntur. Secunda resurrectio est plena beatitudo, qua anima cum corpore in die judicii in eandem vitam beatam resurget. Ex opposito ergo benè intelligitur, quæ sit prima mors reproborum: est solius animæ damnatio; secunda verò mors, est damnatio animæ, & corporis resurgentium, & rursum unitorum.

Vera, & genuina sententia.

70 Ecce, ut ait D. Aug. citat. hæc mors omnibus est mala, & nulli est bona, cum nec minimam guttulam refrigerii secum admittat, sed omnia undique ad majorem laborem, ac angustiam pertineant. Ait Job. 11. n. 20. *Oculi autem impiorum deficient, & effugium peribit ab eis.* Expende impiorum summum malum: *Oculi eorum deficient*, perquirentes locum ad quem se recipiant, *& omne effugium peribit ab eis.* In præsenti multa impii habent malorum effugia, at in futuro ubi res agitur de animæ damnatione, destituuntur omni effugio, & undique mala circumstant. Pulchrè D. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 13. *Nunc iniqui cum tristia aliqua patiuntur, effugii latebras inveniunt, quia ad voluptatem protinus desideriorum carnalium recurrunt; ne paupertas cruciet, divitiis animum demulcent; ne despectus proximorum deprimat sese dignitatibus exaltant; si fastidio atteritur antepositis epularum diversitatibus nutritur, &c. tot ergo hic habent effugia, quot sibi præparant delectamenta: sed quandoque ab eis effugium perit, quia eorum mens amissis omnibus se solummodo, & judicem conspicit.* Ecce cum ad sententiam judicis devenitur, nullum miseræ animæ est effugium, quæ tot habebat in sæculo præsenti, nam in illa extrema die, undique anima ab omnibus est destituta, tunc enim solùm se, & judicem conspicit: in se videt crimina, quæ undique eam arguunt, & damnant, in judice iram, & rigorem justitiæ, ut puniat, & cõdemnet in perpetuum.

Pecator in damnatione est destitutus ab omnibus.

71 Tunc nullus erit advocatus, nullus, qui defensionem suscipiat, simul cum mundialibus bonis, omnis defensor, ac advocatus, omneque effugium prætetiit ab eis, judice solo permanente. Dolens Christus Dominus vicem eorum, qui cum suæ animæ damno temporalia bona lucrantur, ait Luc. 6. n. 24. *Ve vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram;* Tertull. lib. 4. in Marc. 15. legit: *Ve vobis divitibus, quoniam recepistis advocationem vestram.* Maximè deploranda est mundialium conditio: Totam advocationem, ac defensionem vestram jam recepistis; tota advocatio vestra, ac defensio vestra erat in hoc sæculo cum suis mundialibus bonis, quæ jam præterierunt, at verò tunc nihil eorum restat, nisi judex sine advocato, ac defensore.

In extrema die nullus erit advocatus, ac defensor.

Quod maximè explicatur, si in mentem revoces, quod ut nostram consolationem, ac suam felicitatem nobis proponat, ait Joan. ep. 1. 2. n. 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.* Hæc est nostra summa felicitas, ac consolatio, quod apud Deum noster sit advocatus Jesus Christus, ibique perpetuò assistat interpellans pro nobis; qui autem temporalibus, sunt dediti, in ipsis acceperunt suum advocatum, ac defensorem, & ideo apud Deum nullus restat advocatus, ac defensor, nisi tantùm strictus Justitiæ gladius. 72

QUÆSTIO VIII.

Quare de sanctis non solùm dicitur, quod regnabunt cum Christo, sed etiam, quod erunt illius sacerdotes, & Dei.

DIcitur in text. quod sancti *erunt sacerdotes Christi, & Dei.* Contra Arianos denotatur, quod Christus Dominus sit verus Deus, verusque filius Dei Patris, soli enim Deo altaria, & sacrificia offeruntur, ac consecrantur. Et, ut notat Estius, rectè dicitur quod sacerdotes Christi erunt, *quia totum christianæ legis sacerdotium tam spirituale, quod omnibus justis est commune, quàm externum, quod quibusdam est proprium, profluit, tum ex merito, tum etiam ex institutione, & authoritate Christi Domini.* 73

Sacerdotium legis erat ex merito, & institutione Christi.

Ad quæstionem: Ad hoc ut sancti absolutè dicerentur beati, sufficiebat, quod non tangerentur à morte secunda, ad quid additur eos futuros Christi, & Dei sacerdotes? Communis solutio est, quia ipsi incessanter sacrificium laudis offerunt Deo: *Die, ac nocte requiem non habebant dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* & quia etiam in beatitudine non solùm est malorum amotio, sed etiam omnium bonorum collatio. Alensis ait: *Nota quod sunt, in quibus consistit beatitudo, quæ habetur ex resurrectione prima, scilicet mors non habet potestatem, & præsentia boni, cum additur, & erunt sacerdotes laudem exhibentes Deo homini per decantationem præmiorum.* 74

Beatitudo secum involuit bonorum collationem.

Secundò, & valdè genuinè dicuntur sacerdotes, quia Deo, & Christo filio ejus offerunt vota, & preces Ecclesiæ, mediatoresque sunt, & intercedunt pro nobis. Hæc omnia spectant ad officium sacerdotis, nam ad significandam dumtaxat laudem Dei, non fuerunt hìc sacerdotes dicendi; sufficiebat id, quod sequitur: *Regnabunt cum illo mille annis.* In regno ergo Dei, & Christi est perpetua laus in ore omnium; ex quo habemus patrocinium sanctorum nobis à Deo concessum esse, ut humano generi valdè necessarium. 75

Sancti pro nobis intercedunt.

Ait Deus Moysi: *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat, te & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi*, Exod. 23. n. 20. ecce Angelus Domini dirigebat populum in via, ut ad terram promissionis deveniret, & tamen sæpè ob peccata populi divina ira exersit in ipsum populum, ut Deus eum vellet destruere, nisi Moyses stetisset in conspectu ejus, ut averteret furorem illius, Exod. 32. num. 11. ex quo bene inferes, quod quamvis tibi adsit Angelus Domini, qui te custodiat, & dirigit, nisi tamen pro te adsit justus, rogans, & intercedens, peribis. D. Joan. Climac. in primo gradu suæ scalæ, ait: *Quicunque ex Ægypto egredi, Pharaonemque cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, ac post Deum, mediatore nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem, ac contemplationem stans, manus extendat ad Deum, ut hoc duce directi, peccatorum trajiciamus mare, atque Amalech vitiorum principem fugemus: deducti igitur sunt, qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse arbitrati sunt.* 76

Patrocinium sanctorum nobis val. & necessarium.

Peccatoribus amicis Job, consulebat Dominus dicens, ad Eliphaz Temanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job: sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job,* 77

& offerte holocaustum pro vobis: Job autem servus meus pro vobis; faciem ejus suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, Job. 42. n. 7. & 8. non solùm monentur à Domino, ut resipiscant, & ut magna sacrificia pro suis delictis offerant, sed insuper mittuntur ab Job, ut resipiscerent, & ut holocausta offerrent, quibus maximè delectabatur Dominus in odorem suavitatis, sed ulteriùs exigitur, ut Job pro eis loquatur, & oret? Sic divina providentia ordinatum fuit, ut non aliter in Dei gratiam venirent, nisi tanti Dei servi patrocinio. D. Chrysost. in catena Græca: *Illud docet, haud illa satisfacturæ sacrificia ad expiationem, nisi Job quoque merita accessissent.* Ubi sub ira Dei periclitantur peccatores, maximè illis proficua est sanctorum intercessio, ut à periculis evadant, & salutem assequantur.

De patrocinio sanctorum veniæ nobis veniæ.

78 Cum filii Israel maximè timerent habitatores terræ Chanaan, dixerunt eis Josue, & Caleb: *Neque timeatis populum terræ hujus: recessit ab eis omne præsidium*, Num. 14. n. 6. & cur dicitur recessisse ab illa regione omne præsidium? Cornelius ibi ex sententia hebræorum affirmat, illo anno mortuum fuisse Job, qui usque tunc vivens erat in medio nequissimæ illius regionis, nempe in Idumæa, depravatissimos homines, suis meritis, ac orationibus protegebat, ac tuebatur; cum Job mortuus esset tunc, inde omne præsidium, ac protectio ab eis abiit, & inde in extremam calamitatem devenerunt.

Qui destituuntur patrocinio sanctorum pereunt.

79 Duo Angeli veniunt Sodomam, & conveniunt Lothum, Gen. 16. n. 17. *Eduxeruntque eum, & posuerunt extra civitatem*; quid tunc? *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem.* Ad hoc ut tam vehemens supplicium apprehenderet civitates, priùs ab illis cogitur abire justus, plus enim vir justus sua præsentia, ac oratione defendit, ac tuetur civitatem, quàm illius muri, ac turres. D. Ephr. de mala conversatione vitanda, ait: *Post justi ab his abscessum omnipotens manus suas posuit super eos, de cœlo pluit ignem, & sulphur & perdidit omnes, quemadmodum enim civitas munita subversis muris facilè capitur, eundem in modum hi præsidio orationum justi hujus destituti pariter omnes deleti sunt.*

Ogerio justi pluscquàm murus tuetur civitatem.

Apoc. 20. n. 7. Et cum consummati fuerint mille anni solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris.

Num. 8. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum & civitatem dilectam.

VERSIONES.

Arabic. n. 8. Cum absoluti fuerunt &c. surgent cum eo Jagob, & Magog, & tunc congregabuntur ad bellandum.

Syriacus. Solvetur ille Satanas è domo custodiæ suæ.

Primas. Et exibit, & trahet eos ad bestiam.

Arabic. n. 8. Ascendent super terræ superficiem, eingentque exercitum sanctorum.

Syriacus. Circuierunt urbem illam dilectam.

D. August. Ascenderunt Diabolus, & populus ejus in latitudinem, terræ, & circuierunt civitatem dilectorum.

Arias. Et obsederunt castra.

EXPOSITIO.

88 ET *cum consummati fuerint mille anni*, tempus scilicet à passione Christi usque ad adventum Antichristi, *solvetur Satanas de carcere suo*; scilicet de abysso in quo ligatus, ac signatus tenebatur, ut ipse per se, ac suos allectas, præcipuè Antichristum electos Dei persequatur. *Et seducet gentes*, ut idola colant, Antichristum ut quid divinum venerentur, & maximè omni machinatione intendet evertere Ecclesiam Christi ejusque christianam fidem; & licèt modò seducat, & persequatur Ecclesiam, tamen ait Ansbert. *Adeo sæva erit immanitas novissimæ persecutionis, ut ad comparationem illius ultimæ seductionis, ista, quæ nunc agitur, seductio esse non dicitur.*

Tempore Antichristi crudelissimè diabolus sævit.

81 *Quæ sunt super quatuor angulos terræ*; hoc est in universo Orbe. Preme verbum: *Super angulos terræ.* Potuerat dicere, gentes, quæ sunt in Mundo, quæ sunt in omnibus regnis, ac provinciis, sed ait super angulos: Qui à Christo discedit, & Diabolo servit, est in angulo, in infimo, & abjecto loco; sat erat dicere, ut seducat omnes gentes, ad quid ponit *angulos terræ*? Richard. Vict. *Seducet gentes*, ait, *id est omnes gentiliter vivere cupientes fallaci deceptione, quæ sunt super quatuor angulos terræ, qui inhibitabunt cupiditati terrenæ.*

Terreni decidi facile decipiuntur à diabolo.

82 *Gog, & Magog.* Quid hæc significent, res satis difficilis, & obscura est. Juxta communiorem sententiam dicimus, quod Gog nomen est cujusdam Regis potentissimi terræ Magog, qui erit magnus princeps, dux, & assecla Antichristi, & ad eum congregabit multos, & maximè suos ex terra Magog. Magog autem est Scythia Asiatica, quæ nunc Tartaria nuncupatur, de quo latiùs quæst. seq. *Congregabit eos*; non solùm in uno loco, sed etiam in una impia, & sæva voluntate contra fideles Christi. Rupert. *Congregabit eos in unum, & idem impietatis propositum, in unum idemque nocendi studium*; in qua feritate, & nocendi studio facilè impii conveniunt. *Et congregabit eos* in loco, qui dicitur Hebr. *Armegedon*, ut dicitur supra c. 16. n. 17. de quo ibi dixi.

Quid fiunt hæc nomina.

83 *Quorum numerus est sicut arena maris*; quo significatur innumera multitudo: Non comparantur stellis cœli ut filii Abrahæ Gen. 15. n. 5. sed cum arena maris, quia boni scribuntur in cœlo, mali autem in terra. Rupert. ait: *Rectè numerum illorum dixit sicut arenam maris, quia videlicet non sunt ipsi, qui assimilentur ullo modo stellis cœli*; & post pauca subdit: *Idcirco, nomina eorum, non in cœlo, sed in terra scripta sunt, quemadmodum* Jerem. c. 17. n. 13. *Domine, qui te dereliquerunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur.*

Impii uniuntur in malum.

84 *Et ascendent super latitudinem terræ*; id est latissimos terrarum campos suis copiis, equis, curribus, & machinis complebunt; si enim Xerxes unico militum milione stravit mare, & terram, quid fiet tam innumera multitudine, quæ est sicut arena maris? Preme verbum: *Ascendent.* Inde videntur instigati, & commoti à Satana, qui ex suo genio præ superbia, semper intendit ascendere, ut ipse dixit Isai. 14. *Ascendam super altitudinem nubium*; iniqui semper intendunt ascendere, ut lapsu graviore ruant. Ansb. *Ascendunt illi*, ait, *à superbia, ut ruant, justi verò ab humilitate, ut nullum casum incurrant, undè de reproborum persona dicitur* Ps. 36. n. 35. *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani; transivi, & ecce non erat, quæsivi, & non est inventus locus ejus.*

Impii viles & abjecti. Impii seducti à Satana ascendunt, ut gravius ruant.

Et circuierunt castra sanctorum. Vocat castra, & latibula, in quæ turmatim confluebant christiani, fugientes persecutionem Antichristi. *Et civitatem sanctorum*; seu ut alii legunt, *dilectam*; scilicet Jerusalem, nam licèt esset regia Antichristi, tamen ad eam multi fideles, & etiam multi ex gentilitate convenerunt, commoti fama operum, & miraculorum Eliæ, & Enoch, qui etiam eorum prædicatione conversi sunt, & ideo Antichristus, ut omnes capiat, & nullus effugiat, civitatem circuibit.

85 Vera interpretatio.

QUÆSTIO IV.

Quænam gentes sint Gog, & Magog.

86 RES est obscurissima, & quæ sunt potiora ex Doctoribus dicam; & certum est, quod noster Joannes hìc, & Ezech. 38. & 39. conveniunt in his, quæ vaticinantur de Gog, & Magog, qui ad futurum tempus Antichristi respicitur.

87 Primo D. Aug. lib. 20. de civit. Dei, c. 11. quem sequuti sunt D. Prosper in dimidio temporum c. 4. Primas. Haym. & ex recentioribus Driedo, lib. 3. de Ecclesiast. Scriptor. cap. 3. per Gog, & Magog, ait, non esse intelligendas aliquas peculiares gentes barbaras in certo aliquo terrarum loco degentes, sed ipsum Diabolum, gentesque ab eo ex-

excitatas, & provocatas in malum; quod colligunt ex significatione ipsorum nominum, nam Gog, idem valet, ac tectum, Magog, idem est, ac detectum. Gog, id est Diabolus, qui usque ad Antichristum, erat inclusus, & incarceratus in abysso, & etiam in aliquorum cordibus tegitur, & absconditur; Magog sunt gentes, in quibus Diabolus per suas iniquas, & pravas operationes detegitur, & manifestatur.

88 Secundò Lyran. hìc & c. 38. Ezech. Vatabl. & Paulus Burgens. dicunt Gog & Magog esse Antichristum cum suo exercitu, & ideo dicitur in text. quod Diabolus seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, quia imperium totius terræ tenebit Antichristus.

89 Tertiò Euseb. lib. 6. demonstr. Evang. c. 3. sive ex sua, sive ex aliorum sententia existimavit Gog esse Romanum Imperatorem, Magog Romanum imperium. Quartò D. Ambr. lib. 2. ad Gratian. c. ult. tenet Gog esse Gothos, qui multas imperii Romani provincias vastaverunt. Quintò aliqui existimant, Gog esse Getas, Magog Massagetas. Sextò Hector Pintus ad c. 38. Ezech. existimat Gog, & Magog esse Mahometanos, Sarracenos, & peculiariter Turcas ferales christiani nominis hostes. Septimò Matthias Doring. ad c. 38 Ezech. existimat Gog & Magog esse decem tribus Israeliticas abductas in Assyriam, quæ tempore Antichristi sint ex dispersione in Judæam ad suum Messiam venturæ. Octavò Ferrar. ait, quod Gog nomen est cujusdam principis; at per Magog significantur gentes ex Europa, quæ adhærebunt Antichristo contra imperium Romanum. Nonò multi citandi cum D. Hieron. docent quod Gog sint unum nomen de præcipuis illis septem Regibus, qui devictis aliis tribus adhærebunt Antich[illegible] Magog verò significat gentes Scythiæ, quarum Rex, & princeps erit Gog.

90 Gog certa & determinata persona. In tanta varietate sententiarum dicimus, quod juxta communiorem sententiam auctorum, Gog est nomen alicujus personæ, ac potentissimi Regis determinatè: ita Malv. lib. 12. de Antich. cap. 7. & communiter recentiores. Probat ex Ezechiele cap. 38. num. 2. ubi ait: *Pone faciem tuam contra Gog, terram Magog principem capitis Mosoch, & Tubal*; his apertè ostenditur, cum Propheta ait: *Pone faciem tuam contra Gog, & terram Magog*; non esse sermonem de omnibus hominibus, nationibus, ac terris, sed de determinata terra, natione, ac homine, ipsumque appellat *Principem Mosoch, & Thubal*: ergo ipse determinatus est unus princeps. Secundò quia Gog, tanquam princeps, & Rex seorsim describitur ab omni multitudine sui exercitus ab eodem Ezech. cap. 39. n. 11. *Et sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem ejus*; id est exercitum ejus, quæ tantùm de uno homine determinatè dicuntur.

91 Gog non est futurus Antichristus. Ex quo apertè convincitur, quod Gog non futurus sit Antichristus, cum Gog sepeliendus sit à Domino Deo in Israel in quadam valle, Antichristus verò vivus rapiendus ad inferos, ut ait noster Evang. superiori cap. 19. n. 20. est ergo Gog persona determinata distincta ab Antichristo, eximius ejus dux, & assecla, ac Rex potentissimus terræ Magog.

92 A Magog habitatores Asiæ, & Europæ. Quæ autem sit ista terra Magog, durior est nodus; habemus tamen ex Gen. 2. 16. n. 2. quod Magog fuerit filius Japheth nepos Noe ab eo nati filii, qui majori ex parte sunt omnes ferè habitatores Asiæ, ac Europæ, ut tenent Salian. Pereira, & alii citandi, qui à suo progenitore Magog, Magogitæ dicendi sunt; & quia in Asia, ac Europa multæ sunt nationes, ac provinciæ, quænam hæc sit, est tota quæstio. Ferrarius, & alii dicunt quod Magog sit in Europa, quia Gog ejus Rex præbebit auxilium Antichristo contra Imperium Romanum.

93 Vera sententia. Dicimus ergo Magog esse Scythiam Asianam, prout comprehendit maximè Tartaros, & etiam ex parte aliqua Turcas: ita tenent Joseph. lib. 1. Antiquit. cap. 6. & 11. D. Hieronym. in quæstionibus Hebraic. super Gen. Theodoret. Doroth. in Synops. Eucher. lib. 2. in Gen. cap. 10. Salian. ann. Mundi 1631. n. 23. & commune esse asserit Pereira in Gen. Malvenda citatus, & communiter Recentiores, qui censent Gog, & Magog Scythas esse, qui trans Caucasum montem, & Mæotidem paludem, prope mare Caspium ad Indiam usque tenduntur; hos dici Magog, tum quia à Magog filio Japheth nati sunt, tum etiam quia ipse Magog primitus eas terras habitavit, ut docent citati auctores cum Josepho, & Marc. Venet. lib. 1. cap. 64. vult Gog, & Magog esse regiones provinciæ cujusdam Tenduch in Tartaria.

Probatur primò quia Reges, qui venient *in* auxilium Antichristi contra Reges Occidentis, & imperium Romanum, erunt Reges ab Oriente, ut dicitur in hac sacra Apocal. cap. 16. n. 12. siccatur Euphrates, *ut præpararetur via regibus ab ortu Solis*, qui veniebant in favorem Antichristi, ut ibi dixi, & tenent communiter omnes interpretes; at qui inter hos erit Gog cum exercitu gentis Magog, ut magnus, & præcipuus dux Antichristi. 94

Secundò Ezech 38. n. 15. loquens ad Gog, ait; *Et venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, tu & populi tui tecum*; in Aquilone autem habitant Scythæ & Tartari. Tertiò ex Sibylla lib. 3. Oraculorum quæ sic ait: *Ve tibi regio Gog, & Magog, quæ medium est Æthiopum fluviorum*; id est, quæ cingeris fluviis Æthiopiæ, ubi, inquit Alcazar, maris brachia nomine fluviorum appellantur; hæc autem flumina, seu maris brachia Æthiopiæ cingunt Arabes, seu Scythas, vel Tartaros: & in re valdè obscura, ac difficili hæc sufficiant. 95

QUÆSTIO X.

Quare impii circuierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam, & minimè in eam potuerunt intrare.

MAximè dubitatur in limine quæstionis quænam sit hæc civitas dilecta? Alcazar existimat Romam; sed hoc minimè potest stare, quia Roma supradicitur Babylon, & ab Antichristo, cum decem regibus dicitur eversa, ut patet supra ex cap. 17. & 18. 96

D. August. lib. 20. de Civitate cap. 11. affirmat esse Christi Ecclesiam, eamque sententiam tenet Ribeira; at verò communis, & vera sententia est, quod sit Jerusalem: ita Cornel. Menoch. la Haye, & alii multi. Et probatur ex contextu Ezechielis cap. 38. ait n. 8. *In novissimo annorum venies ad terram, quæ reversa est à gladio, & congregata de populis multis ad montes Israel*; dicitur à propheta, *reversa à gladio*, antiquæ scilicet destructionis sub Vespasiano, & Tito; *congregata de populis multis*, qui ad eam confluent commoti famâ operum Eliæ, ac Enoch; & postea subdit propheta n. 12. *Venies, ut inferas manum tuam super eos, qui desorti fuerant, & postea restituti, & super populum, qui est congregatus ex gentibus, qui possidere capit, & esse habitator umbilici terræ.* Veniet Antichristus, ut inferat manum suam crudelem in Eliam, & Enoch, qui metu ipsius Antichristi, à multis fuerant deserti, & jam restituti cum multa congregatione, ac cœtu fidelium, ac gentium, quæ eorum prædicatione conversæ fuerant; & cum essent in Jerusalem, erant habitatores umbilici terræ, nam Jerusalem habitata erat in medio, seu umbilico terræ, ut communiter ibi notant Interpretes, & patet ex multis: *Operatus est salutem in medio terræ.* 97 Jerusalem in medio terræ.

Ad quæstionem: Antichristus habebat copiosum exercitum, de quo præ sui *multitudine*, dicitur in præsenti: *Quorum numerus est sicut arena maris*; paucissimi sanè erant christiani, & sanè innumeri, ac copiosissimi erant milites Antichristi in curribus, ac equitibus, & quamvis circuierint castra sanctorum, ac civitatem dilectam minimè potuerunt irrumpere; & undè pauci milites tantam habuerunt validitatem, ac fortitudinem? Erant castra sanctorum mutua charitate congregata, & unita, & ubi vinculum est fraternæ charitatis, nulla humana fortitudine potest irrumpi, ac dissolvi, ut hostibus pateat aliqualis aditus. Rupert. sic ait: *Civitas dilecta castra sunt sanctorum castra pacis, & dilectionis, firmata fide, & immateriali lapide, armata verbo non ferro. Hujusmodi castra talem civitatem circuierunt, non ceperunt, impugnaverunt, non infregerunt.* 98 Civitas firmata muris, ac aliis fortitudinibus.

99 Ecclesia non potest impugnari ab impiis,

Secundò solum dicitur de impiis, cum essent innumerabilis multitudo, sicut arena maris, quod circuierunt civitatem, non tamen quod eam everterint. Impius hoc solùm agere potest, ut Ecclesiam circumeat, non tamen ut eam expugnet, & perdat. D. Thom. ait: *Circuibunt, per quod notatur, quod intus non intrabunt per effectum malitiæ, quia nunquam Ecclesia dejicitur.* Agens Isaias de Ecclesiæ felicitate, ac firmitate c. 33. n. 20. ait: *Oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest*; & postquam multa dicit de Ecclesiæ firmitate subdit n. 21. *Neque triremis magna transgredietur eum*; ubi est *Triremis magna*, legit Interlineal. *Navis habens tres ordines remigum*; per quam navem intelligitur infidelitas habens tres species, scilicet, judaismum, paganismum, & hæresim, ac si diceret Propheta: Exeat in campum infidelitas, dirigat, & ordinet omnes suas acies hæreticorum, judæorum, ac paganorum, *non transgredietur eum*; non poterit transfretare, nec conculcare uberrimos Ecclesiæ fluvios: vide quæ dixi supra cap. 12. q. 1. n. 6. & 7. & q. 78. n. 655. 656. & cap. 13. n. 106. & 110.

100 Tertiò non dicitur steterunt, seu pugnaverunt contra civitatem, sed *circuierunt*: Impii in circuitu ambulant, ut optatis fruatur, sed ibi minimè quietem, aut finem invenire poterunt, sed semper in laboribus versantur. Ait regius Vates Psal. 136. n. 10. *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos*; cur laborem, & circuitum eorum simul adnectit? Ut inde dicat laborem illorum nunquam finiendum, sed cum videtur aliquando finiri, inde incipit. Pulchrè D. August. in eundem Psal. ait: *Quid est circuitus ipsorum? Ut circumeant, & non stent, in gyrum errant erroris, ubi iter est sine fine, qui enim in longum it, aliunde incipit, alicubi finit, qui in gyrum it nunquam finit, ipse est labor impiorum.* Preme verbum, *operiet eos*; sic labores undique tenent impios, ut eos omnino cooperiant, ut nihil in eis videatur sine angustia, & labore, *eorum enim delectationes magni labores sunt*, ut ait D. Bonaventura in speculo, omnesque circuitus, ac ambulationes eorum de labore in laborem transeunt.

Labor impiorum sine fine, ac quietes

101 Cum Dominus quæreret à Satana undè veniret, respondit ipse: *Circuivi terram, & perambulavi eam*, Job. 1. n. 7. qui promittebat se sedere in monte testamenti, Isai. 14. n. 13. quomodo de se modo testatur circuire terram? Cùm ipse cecidisset à sui gratia in gravia peccata, nil aliud de se testatur nisi circuire, quod dicit continuum laborem sine quiete, & requie; sic Dæmones expulsi ab homine, *ambulabant per loca arida, & inaquosa quærentes requiem, & non invenientes*, Luc. 11. n. 24 & de peccatoribus ait David Psal. 58. n. 11. *Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem*; præ fame, ac rabie in nullo loco quiescere valent, sed circumeunt civitatem, transferentes se de uno loco ad alium, quod dicit infatigabilem laborem, ut ait D. Cypr. de Zelo, & Livore.

Labor impiorum infatigabilis sine requie.

102 Cum Achab maximè desideraret vineam Naboth, eamque illi denegasset, abiit Achab in domum suam, *& projiciens se in lectulum suum avertit faciem ad parietem, & non comedit panem*, 3. Reg. 21. n. 4. Pagnin. *Abiit tristis, & fremens*; Septuag. *turbatus spiritu*; ecce quantis molestiis afficitur, dum vinea Naboth in ejus non transit potestatem; at verò postquam ipsam obtinuit, quievitne, ac jucundatur cum ea? Minimè, sed in novas molestias inde incidit, nam cum ob violentiam factam Naboth, multas divinæ justitiæ minas denuntiasset Parens Elias, tunc Achab in lachrymas prorumpit: *Scidit vestimenta sua, operuit cilicio carnem suam, jejunavit, & dormivit in sacco*, ibid. num. 27. ita ut dicat Abulens. *Omne genus afflictionis suscepit*. Dum non possidet vineam, tristatur, ac turbatur spiritu, cùm verò possidet omne genus afflictionis patitur. Ecce brevi compendio tota peccatoris vita depingitur; pro obtinendis bonis temporalibus multas sustinet molestias cum perpetua vigilia, & fine ulla quiete, at verò postquam possidet, & in manu ejus est, quod totis viribus affectabat, quiescit? Minimè, sed tunc maximè anxiatur, & in omne afflictionis genus cadit.

Peccator semper laboribus maximis, sive ante, sive post possessionem.

Ait anima sancta ad suum sponsum Cantic. 2. n. 17. 103 *Similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bethel*; Septuag. legunt, *super montes civitatum*; Reg. *Super montes concavitatum*; D. Ambr. *Super montes aromatum*; Arabic. *Super montes gaudentis*; & qui sunt isti montes concavitatum, aromatum, ac gaudiorum? D. Greg. Nyssen. hom. 5. in Cant. per hos montes Bethel intelligit peccatores, seu peccatorum vias & ait: *Dele peccati generationem, sicut hinnulus delet serpentes, qui consumit genus serpentum. Vides concavos montes vitæ humanæ, quorum ergo, quæ assurgunt non sunt vertices, sed valles*. Ecce cur montes Bethel dum vias peccatorum significant, etiam significant montes concavitatum, montes aromatum, ac gaudiorum, quia dum peccatores existimant in viis suis invenire gaudia, ac suavia aromata, inveniunt montium concavitates, ubi miserè præcipitantur, de vna in aliam foveam, de una in aliam pressuram, nullibi valentes stare, sed semper in majores labores.

Impii dum quærunt delectationes inveniunt labores.

Apoc. 20. *n.* 9. Et descendit ignis à Deo de cœlo, & devoravit eos, & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi est bestia,

Num. 10. Et Pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.

VERSIONES.

Syriacus n. 6. Descendit ignis, & devorabit eos, & Diabolus, qui seduxit eos, conjicietur in lacum ignis.

Æthiopic. Et devoravit eos ignis à Deo,

Syriacus. Projectus est Diabolus.

D. August. Comedit eos seducens ipsos,

Arabic. n. 10. Ubi illa bestia, & falsus propheta cruciantur.

Syriacus. Ubi illud animal dentis, & ille propheta.

Æthiopic. Ut judicium paterentur die, ac nocte.

EXPOSITIO.

ET *descendit ignis*. Verè, & propriè ignis missus 104 à Deo de cœlo. *Et devoravit eos*, in præterito, Arabicus in futuro, *devorabit*; & nulla est contradictio, quia ea, quæ in prophetia dicuntur, quamvis sint de futuro, adeo certa sunt, ut præsentia. *Et devoravit eos*: Exercitus Antichristi habebant circumdata castra sanctorum, ac civitatem dilectam, & antequam quid mali inferret ignis a Deo descendit, & *devoravit eos*. Magnoperè Dominus super suos invigilat ipsos custodiens. Richard. de S. Victore ait: *Nequaquam timendi sunt, qui universalem sanctam Ecclesiam funditus subvertere, & destruere laborant, quia citò peribunt, ignis enim à Deo descendit, & eos devoravit, qui repentinus interitus cœlitus illis immissus eos condemnabit*. Et notanter dicitur in text. *Ignis de cœlo à Deo*; ut eum, quem contempserant, severum ultorem experirentur. Alensis ait: *Hic ignis descendit à Deo, quem contempserunt, de cœlo, quod amiserunt*.

Deus invigilat suos custodiens.

Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis. Quando hæc contingent, dubium est, an scilicet in fine Mundi; & qui ita astruunt, affirmant hæc esse dicta per anticipationem, ut Ribeira, & alii, an verò simul cum igne de cœlo misso, & destructo Antichristo ejusque exercitu, & qui ita censent ut Cornel. la Haye inde dicunt, post extremam Antichristi persecutionem, dandam esse magnam pacem, quietem Ecclesiæ, ac Orbi ut lapsi in illa Antichristi persecutione, ad pœnitentiam veniant, & judæi, ac gentiles convertantur. Hoc secundum mihi probabilius, utpote magis cohærens textui præsenti; ait: *Et Diabolus qui seducebat*, Illa copulativa *&*, unum connectit cum alio, proindeque dicimus, quod extincto Antichristo, ab Angelo præside inferni mittendus sit Lucifer

105

An Diabolus sit ita in stagno mittendus in Inferno.

in

in suum proprium locum, ac stagnum ignis, & sulphuris.

106 *Ubi & bestia*; scilicet Antichristus qui paucis ante diebus vivus missus est in hoc stagnum superiori cap. n. 20. *Et Pseudoprophetæ*; de quo supradictum est, & c. 13. n. 11. *Cruciabuntur die, ac nocte*; hoc est sine fine, & interrissione in æternum. In regno cœlorum nulla est nox, in inferno nulla dies, tamen ita loquitur Evangelista, quia scribebat ad homines, apud quos est nox, & dies. Aliter explicat Alcazar; diem refert ad claritatem beatorum, noctem verò ad tenebras infernorum. *Cruciabuntur die, ac nocte*; considerata nempe die beatorum, ac etiam sua profundissima nocte in qua demerguntur, damnatos enim non solùm torquet obscuritas suæ propriæ miseriæ, sed etiam rabies, & indignatio ex suorum adversariorum claritate, ac felicitate.

QUÆSTIO XI.

Quare tam citò pœna ignis descendit super antichristianos, ac Diabolum, qui seducebat eos.

107 Alcazar hunc ignem refert veluti ad illum, qui in Pentecoste missus est super Apostolos, & eos sic inflammavit, ut gentes accenderent convertendo eas ad Christum; sic & in præsenti, ardor divinus, & cœlestis replevit fideles, ut gentes illuminarent, ac docerent in fide Christi: hic sensus valde mysticus, & minimè cohæret cum litera textus.

108 Secundò D. Aug. l. 20. de Civit. c. 12. & Ansb. hunc ignem mysticè referunt ad invidiæ livorem, quo impii inardescunt ex felicitate sanctorum; sic ait Ansbert. *Sciendum, quia cum omnipotens Deus per Ecclesiam suam, quam inhabitat, verbum prædicationis in reproborum aures inculcat, dum eam inter mortes, & verba, fortissimam tanquam cœli firmamentum [illegible], super eos ignem cœli descendere compellit; quasi enim ignis à Deo de cœlo descendit, cum ex audita divini verbi prædicatione, adversariis livor invidiæ accersit, & undè aliis firmitas stabilitatis, inde illis descendit flamma livoris.* Divina gratia, & protectio in suam Ecclesiam, qua eam mirificè exornat, ac superexaltat, justis, & bonis infervit ad firmamentum, & stabilitatem in fide, iniquis verò, & perversis in livorem, ac ignem invidiæ, quo tabescunt, ac pereunt. Quod confirmatur ex Paulo 2. Cor. 2. n. 15. *Christi bonus odor sumus Deo, in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui pereunt; aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.* Ipsa vita, ac doctrina apostolica suo exemplo, sua doctrina erat odor vitæ ducens eos in vitam, ac salutem æternam, iniquis verò suo odio, invidia, ac detractione, erat odor mortis in mortem, impellens eos in mortem, ac damnationem æternam.

Dei beneficium justis est ad firmitatem, impiis ad livorem.

109 Tertiò communis, ac vera sententia interpretum, ac expositorum tenet, quòd verè, & realis ignis descenderit de cœlo, nam immediatè superiùs antichristianorum malitia, ac nequitia vers. 7. & 8. proponitur; inde consequens est, ut indilatè eorum pœna, ac supplicium proponatur. Alens. ait: *Ostensa istorum damnationis, & punitionis causa, quæ est iniquitas, & malitia, statim ostenditur damnatio, & punitio ipsa.*

Verior sententia.

110 Et inde maximè facit ad accelerationem supplicii, quod magna esset peccantium multitudo, ut dicatur *sicut arena maris*, sup. vers. 3. ex quo D. Cypr. epist. 25. maximè deterret multitudinem peccantium, & ait: *Hoc animentur, quia multi sunt, sed hoc ipso magis reprimantur, quia non pauci sunt. Nihil ad extenuationem delicti numerus impudens valere consuevit.* Multitudo peccantium, non extenuat delictum, sed aggravat, & maximè vindictam sollicitat. Dicitur Gen. 6. n. 12. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate.* Non solùm posteri Caini carnalibus voluptatibus indulgebant, sed etiam filii Seth, qui filii Dei dicebantur, & tanta erat multitudo peccantium, ut vix unus justus inveniretur; quid tunc? an tanta multitudo peccatorum crimine extenuabatur, ne divinus judex debitam pœnam infligeret? Absit imo inde maximè accelerata est in eos divina vindicta. Quamdiu pauci erant peccatis servientes, patienter Deus suam longanimitatem ostendebat, & supplicia promerita differebat, at verò ubi multitudo peccantium excreverat, & peccatum in omnes ferè grassabatur: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; statim Deus occurrit finem imponens malitiæ, illamque radicitus dissipans: *Finis universæ carnis venit coram me.* D. Chrys. ibi ait: *Magnam Deus ostendit longanimitatem, volens hanc inferre pœnam, quam illaturus est; sed quia non immodica peccatorum illorum multitudo in hoc tempus eos adduxit, & finem eis imponere oportet, scindique illorum malitiam, ne ulteriùs progrediatur.*

Peccantium multitudo accelerat supplicium.

111 Cum duo Angeli se reciperent in domum Loth, in eam irruerunt Sodomitæ, ut iniquè agerent cum hospitibus; tunc ait text. Gen. 16. n. 4. *Viri civitatis vallaverunt domum illius à puero usque ad senem, omnis populus simul*; & quia totius populi multitudo à majori usque ad minorem, à puero usque ad senem ad crimen perpetrandum irruerat, indene vel venia digna visa vel pœna dilata? Minimè, sed inde gravior accumulata est culpa, & pœna maximè accelerata, nam ut dicitur ibid. *Cum esset mane cogebant eum Angeli*, n. 15. Pro quo audiendus est D. Chrysostom. in hoc loco: *Summa malitiæ conspiratio, vehemens malè agendi studium, conatus nulla venia dignus. A puero, iniquit, usque ad senem: Non solum juventus hæc mala inquirebat, sed & pueri, & provectæ ætatis homines, & omnis populus simul.* Ex magna multitudine congregata crescit culpa, pœna acceleratur, & venia amittitur.

Peccantium multitudo excludit veniam, advocat pœnam.

QUÆSTIO XII.

Quare priùs commemoratur ignita sententia in impios, deinde in Diabolum, qui omnium criminum est seductor, & auctor.

112 Alt text. in præsenti: *Descendit ignis à Deo de cœlo, & devoravit eos, & Diabolus missus est in stagnum ignis.* Priùs impii ab ignita Dei sententia vorantur, deinde in illa seductor Diabolus comprehenditur in infernum; & cur hæc damnatio in stagnum ignis, non simul exercetur cum impiis, sed in posterum reservatur? & augetur difficultas in sententia Ribeiræ, & aliorum affirmantium, ut retuli in expositione, quod Diabolus, simul cum Antichristo, ac antichristianis non sit destruendus in stagnum ignis, sed quod hæc Diaboli pœna ei reservatur ad finem Mundi, ac diem judicii.

Difficultas quæstionis.

113 Cum ergo Diabolus non simul cum Aantichristo, ac antichristianis dejicitur in infernum, sed in alterum, & longum tempus hæc pœna ei reservatur, hoc sanè fit in majorem dolorem, & tormentum Diaboli, ut illius expectatione vehementiùs cruciaretur. D. Ambros. in Ps. 118. ser. 20. *Differtur Diaboli judicium, ut sit semper in pœnis reus, semper improbitatis suæ innexus catenæ, conscientiæque suæ, ut in perpetuum sustineat ipse judicium.* Dolor ille, qui nascebatur ex audita sententia, etsi graviissimus esset, breviter tamen transibat, & finiebatur; inde fit ut Dominus adversùs nocentiores, & graviores delinquentes, illum dolorem extendat, ut dum impii supplicium expectant, graviissimè ipsa expectatione torqueatur, & per longum tempus sub quolibet instanti sustineant vocem damnationis, & non ut cæteri uno ictu oculi, sed per magnam temporis dilationem suum sustineant tormentum: *Differtur Diaboli judicium, ut in perpetuum sustineat ipse judicium.*

Pro magno supplicio sententia, ac pœna differtur.

114 De iniquorum Angelorum pœna loquens D. Petrus Epist. 2. c. 2. n. 4. ait: *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Ubi primùm peccaverunt non statim omne judicium cum eis est peractum, sed inflicta duriissima pœna damni, & ignis, adhuc illis restat aliud *in judicium reservari*; mandatumque est eis adhuc expectare damnationem æternæ reclusionis, ac incarcerationis in abysso: ideo rum culpa jam tota simul est perpetrata, cur etiam tota pena simul non imponitur, sed data una

Durissima punitur diabolus, dum eram ejus pœna reservatur in judicium.

pœna damnationis, & ignis, adhuc alia est in expectatione? *In judicium reservari*. Si tota simul daretur, uno ictu, ac jactu animum vulneraret, at verò dum in longum per tot millia annorum, sub quolibet momento cum tali expectatione maximè torquetur, ac cruciatur ipse animus: *Differtur Diaboli judicium, ut in perpetuum sustineat ipse judicium*. Ipsum judicium expectatum venturæ pœnæ durissimum est supplicium; sic ait D. Gregor. Nazianz. orat. 4. *Satis enim magna pœna censeri debet cum ii, qui molestiam intulerunt, metu concutiuntur, meritasque pœnas expectant, proprieque conscientiæ cruciatu afficiuntur*.

115 Cum Dominus tentare vellet Abrahamum, magnum illi tormentum, ac dolorem incutiens, ait ei Gen. 22. n. 2. *Tolles filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi*; mandat Dominus dilectissimum filium jugulare, & simul longam viam tenendam præscribit, quæ per tres dies integros conficienda fuit; si Deus acerbissimam rem exequendam Patri disponebat, cur rei executionem non accelerat? vel cur potiùs non imperat: Vade in montem, quem monstravero tibi, & ibi cum filio tuo eriges altare, & facies sacrificium, ut tibi ordinabo; & postea cum illuc perveniissent, & omnia essent præparata, tunc illi holocaustum de filio conficiendum explicaret, sicut & ipse Abrahamus se habuit cum Isaac, nam rem secum tacens, in locum adducit, in montem pergit, ligna ei imponit, altare ædificat, & post hæc omnia peracta, rem aperit, cur ergo etiam similiter se Deus non habet cum Abrahamo? Volebat Deus ad majus Abrahami meritum, magnum ei infetre dolorem, ac vehementissimum tormentum, quod sanè proveniebat ex morte amantissimi filii, & inde ante filii jugulationem mandat longum iter trium dierum, ut per tot tempus ingentis doloris expectatio virum urgeat, ac acerbissimè animum dilaceret, & transfigat. Origen. ibi: *Potuerat duci Abraham cum puero ad illam terram excelsam, & imponi priùs in montem, quemcunque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici, quod offerre debeat filium suum, & tunc jubetur ire in terram excelsam, & ascendere montem; quò hoc spectat? Ut dum ambulat, dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, ut hinc perurgente præcepto, & unici affectu obluctante crucietur: Propterea etiam via injungitur, etiam mentis ascensio, ut in iis omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & expectatio futurorum*. Ad majus tormentum datur expectatio futurorum, quæ plus torquet quàm ipsa mala inflicta.

Expectatio pœnæ, plus orquet quam ipsa pœna.

QUÆSTIO XIII.

Quare Antichristus, ejusque exercitus patentes puniuntur, quæ pœna maximè explicatur ex Propheta Exechiele.

116 PAucis verbis noster Joannes superiori cap. n. 20. nobis describit acerbissimam cladem Antichristi, nunc vero supremam devastationem illius exercitus, quod nobis latiùs explicat Ezech. 38. n. 21. ait: *Et convocabo adversùs eum in cunctis meis gladium, ait Dominus Deus, gladius uniuscujusque in fratrem suum dirigetur, & judicabo eum peste, & sanguine, & imbre vehementi, & lapidibus immensis; ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo*.

Magna strages exercitum Antichristi.

117 Postquam Antichristus interfecit præclarissimos viros Eliam, & Enoch in civitate Jerusalem, ut dicitur cap. 11. circuibit ipsam civitatem, ut hic dicitur n. 8. non ut ipsam teneat, quæ est ejus regia, sed ut nullus christianus, ac fidelis Dei effugiat; tunc in quadam die, ut se maximè glorificet, & exaltet congregabit omnes suos exercitus, quorum numerus erit ut arena maris supra n. 7. in campo magno prope Jerusalem, qui dicitur Armagedon c. 16. n. 16. de quo multa ibi dixi; tunc in ipsamet die Dominus spiritu oris sui, perdet impium Antichristum vivum, remissum in infernum, omnesque exercitus ejus igne flagrabit, ut hic dicit noster Joannes, quod hujus

Decursus textus.

stragis erit præcipuum instrumentum, quod sigillatim hic explicat Evangelista, at cætera tacet, quæ habemus apud Ezechielem loco citato, & multa alia apud eundem Prophetam ipso cap. 38. & 39.

Præcipuus autem fructus tantæ stragis, est gloria Dei, ut ait ipse Ezech. cap. 39. n. 6. *Et scient, quia ego Dominus, & nomen sanctum meum notum faciam in medio populi mei Israel, & non polluam nomen sanctum meum amplius, & scient gentes, quia ego Dominus Sanctus Israel*. Significat locus hic omnimodam conversionem Israelis jam cœptam per Eliam, & Enoch complendam vi tanti miraculi, ac divinæ justitiæ punitivæ, in tam sceleratos, & depravatos homines, ut etiam idem Propheta dicit n. 21. 118

Significatur magna conversio Israelis.

Inde Deus voluit hanc cladem tam patenter facere in oculis omnium nationum, quia, ut ait D. Chrysost. citand. de verbis Isaiæ: *Supplicium datum uni peccatori vertitur aliis in eruditionis materiam*. Ait regius Vates Psal. 6. n. 7. *Inimici defecerunt framea in finem, & civitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu*. Percussi à Deo non in silentio peribunt, sed cum ingenti, ac valido clamoris sonitu; & cur non in silentio, sed cum clamore peribunt? Hoc sanè ex piissima Dei benignitate provenit, ut pereuntium peccatorum voces, aliis sint monita salutis. D. Chrysost. ibi ait: *Quid est cum sonitu? Porro autem hoc est etiam Dei providentia, quod non facit hoc latentur, ut aliorum calamitatibus alii reddantur meliores*. Inde Deus providet à sceleratis peccatoribus voces, ut aliis ad salutem proficiant. 119

Pœna uni peccatori data, eruditio est aliis.

Ait Habacuc Propheta cap. 1. n. 3. *Quare respicis supra iniqua agentes, & taces devorante impio justiorem se, & facies homines quasi pisces maris?* De suprema Dei providentia admiratur propheta, quod Deus cum videat homines iniqua agentes, ac viventes in suis peccatis, taceat & dissimulet, sicut & videt impium contemnere, ac conculcare justum, & sanctum, & simul taceat Deus. Admiratur Propheta supremum Dei consilium, quod faciat, & permittat, ut homines veluti pisces moriantur; & undè tanta admiratio? Pisces moriuntur muti sine voce, & clamore; sic sæpè Deus permittit, ut homines moriantur, nam qui decidit tanquam mutus sine clamore, ac voce, moritur, & nulli est ad utilitatem, at verò, qui ultimum diem suum terminat, magna voce, & alto clamore; & si ipse moritur, alios tamen admonet, de hujus vitæ misera conditione, ut inde ipsi resipiscant, & ad salutem veniant, & inde Deus ob iniqua gerentes, ac justorum devoratores permittit, ut homines muti tanqam pisces moriantur; quæ ruina ut maxima permissa erat à Deo dæmonibus ante Evangelium, ut homines tanquam pisces sine voce mutuo se interficerent, ut notat Theophylact. apud Delrium in Adagiis tom. 1. & ait: *Contemptores dicti sunt dæmones, ad quos conticescit Deus, temporibus nondum dispensati Evangelii faciebat homines prorsus piscium instar vivere, ab omni ratione alienissimos, maximè brutos, & omni voce destitutos, ac planè mutos; nec enim in eis pietatis erat sermo, nec honorificentiæ vox ad Deum sed mutua inter se cæde alius erga alium grassantes*. Ante Evangelium nulla in eis pietatis vox, sed unus alium sine voce interficiebat. 120

Vox peccatoris perenntis proficua est aliis.

Cum ingressus esset in templum Rex Ozias ut offerret incensum Domino, prohibuit eum Azarias sacerdos; tunc *iratus Ozias tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, minabatur sacerdotibus; statimque orta est lepra in fronte ejus coram sacerdotibus in domo Domini*, 2. Paralipomen. cap. 26. n. 19. cum autus esset præterire Dei mandatum, & adolere incensum, quod sui muneris non erat, statim lepræ pœna ponitur; & cur potiùs in fronte, quàm in alia corporis parte. In fronte ponitur à Domino pœna, ut cunctis esset nota, & omnibus admonitio, ut uniusquisque simile facinus præcaveret. Eleganter D. Chrysost. homil. 4. de verbis Isaiæ ait. *Effloruit lepra non in alio loco quàm in fronte, ut facies præseferret vindictam. Seu lex posita est in loco sublimi dicens: Nolite facere talia, ne patiamini similia. Extat lex viva & frons vocem edidit tuba* 121

Una pœna peccati efficax ad alios admonendos.

tubâ clariorem; literæ erant scriptæ fronti, literæ quæ deleri non poterant, non enim erant atramento scriptæ, sed naturalis erat lepra, eumque reddidit immundum, ut alios faceret mundos: vid. sup. c. 18. q. 25. n. 199. & seqq. & quæstione 28. n. 222. 223.

QUÆSTIO XIV.

Utrùm post stragem Antichristi, ac sequacium, statim futurus sit Mundi finis, ac dies judicii.

122 Opinio Millenariorum. OMitto in hac re opinionem millenariorum, quam ut falsam cum communi sententia rejeci hoc cap. q. 2. qui post Antichristum, usque ad diem judicii constituebant mille annos; quod vanè, & contra veritatem Scripturæ dicebant: vide ibi dicta.

123 Sunt multi alii graves DD. qui cum D. Hier. tenent quod dies judicii post mortem Antichristi quadraginta quinque diebus futurus sit, quia Daniel postquam agit de Antichristo c. 12. subdit n. 12. *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque*; cum autem Antichristus regnaturus sit per tres annos, & dimidium supra cap. 11. n. 2. & juxta hanc Danielis prophetiam supra tres annos, & dimidium supersint 45. dies, inde dicunt, quod finitis 45. diebus, id est die 46. à morte Antichristi, erit universalis dies judicii, & quod illi 45. dies dantur hominibus à Deo ad pœnitentiam à peccatis, ac à lapsu ob persecutionem Antichristi; indeque dicunt graves DD. quod finitis bacchanalibus die prima quadragesimæ erit mors Antichristi, & universalis resurrectio die Paschæ, quo Christus resurrexit, nam resurrectio Christi exemplar est nostræ resurrectionis: ita Lactant. lib. 7. c. 19. ubi docet nos surrecturos eadem hora, qua Christus resurrexit; idem docet D. Anselm. in Lucidario, Macharius homil. 5. & 12. Joan. Salas 1. 2. q. 5. art. 5. tract. 2. disp. 14. sect. 10.

124 Veruntamen non existimo, quod dies judicii futurus sit quadraginta quinq; diebus post mortem Antichristi, quia aliàs homines illius temporis certo scirent diem judicii, quod omnino repugnat verbis Christi D. Marc. 13. n. 32. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater*; Luc. 21. n. 35. *Superveniet in vos repentina dies illa, tanquam laqueus superveniet in omnes*; & Math. 24. n. 39. ait Christus D. quod *sicut in diebus Noe erant homines comedentes, & bibentes, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes, ita erit adventus filii hominis.* Confirmatur etiam ex Ezech. 39. n. 12. ubi propheta postquam agit de ira Dei, ac magna strage facta in exercitu Antichristi, & de magna multitudine mortuorum ait: *Et sepelient eos domus Israel, ut mundent terram septem mensibus*; si ergo ad sepelienda cadavera mortuorum exercitus Antichristi, & ad mundandam terram, erunt septem menses necessarii, hoc fiet ante diem judicii, proindeque nullo modo affirmari potest, quod præcisè post quadraginta quinque dies à morte Antichristi erit universalis dies judicii.

125 Satis fit textui Danielis. Cum autem Daniel ait: *Beatus, qui expectat, & pervenit, usque ad dies mille trecentos triginta quinque*; ex eo est, quia illis diebus expurgabitur Ecclesia, reconciliabuntur lapsi, & fiet præparatio ad magnam lætitiam, & festivitatem, quæ à fidelibus absque gentium timore celebrabitur in gratiarum actionem, pro sublato Antichristo, & eversis omnibus pravis sectis, & hæresibus, & pro reddita Ecclesiæ pace, & instaurata christianitate; & hæc solemnis festivitas bene colligitur ex Ezechiele citato cap. 39. n. 13. *Et erit eis nominata dies in qua glorificatus sum.* Quod autem nostra resurrectio futura sit die resurrectionis Christi, non impugnabo, quamvis ad hoc nullum videam firmum fundamentum.

126 Judicium non statim post antichristum. Quot ergo anni sint futuri post mortem Antichristi usque ad judicium nemo scit; & ne illos multum extendamus, prohibent verba Christi Matt. 24. n. 29. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur*; considera particulam *statim*, dum de signis judicii agitur; & illud supra Apocal. 10. n. 7. *In diebus vocis septimi Angeli, cum cœperit tuba canere consummabitur mysterium Dei*; scilicet judicium post adventum Antichristi.

127 Aliquid annorum spatium. Cum his tamen certum est Mundum post mortem Antichristi adhuc duraturum per plures annos, & tot quidem, ut obliviscantur homines præteritas calamitates, & Antichristi persecutionem, ita ut jam nec de judicio cogitent, sed toti erunt in iis, quæ sunt hujus Mundi, totaliter judicis adventu obliti Christi D. supra relatis Matt. c. 24. de diluvio temporibus Noe, quod certè requirit spatium temporis considerabile, articulus verò talis temporis signatus est in thesauro divinæ Sapientiæ, & ut Christus dixit: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, Act. 1. n. 7.

Apoc. 20. n. 11. Et vidi thronum magnum candidum, & sedentem super eum, à cujus conspectu fugit cœlum, & terra, & locus non est inventus in eis.

VERSIONES.

Syriacus.	Vidi thronum album, &c. & locus hic non inventus in eis.
D. Ephrem.	Vidi solium magnum.
D. Cyprian.	Vidi thronum magnum, & candidum sedentem.
Æthiopic.	Cœlum, & terra fugerunt, & non habuerunt locum.

EXPOSITIO.

128 ET *vidi thronum magnum*. Post deperditum, ac consumptum filium perditionis, transit hìc noster Joannes ad judicium; & optimè sanè, nam cætera intermedia jam sunt nuntiata; nam quomodo faciendа sit consummatio sæculi habemus cap. 6. n. 12. in apertione sexti sigilli, & cap. 11. vers. 18. & in Evang. Math. 23. n. 27. & seqq. & 1. Cor. 15. n. 51. & 1. Thess. 4. n. 15. & aliis multis in locis; hìc solum habemus resurrectionem mortuorum, & ipsum judicium; & ait Evangelista: *Vidi thronum magnum*. Magnitudo throni ostendit magnitudinem Principis, seu judicis in eo sedentis.

129 *Candidum* D. Cyprian. conjungit cum sedente, sed nostra Vulgata, ac codices Græci habent cum Throno. *Candidum*; explicat Cornel. id est gloriosum, nam candor signum est gloriæ. Menoch. Tirin. per candidum significatur Christus cum magno splendore, ac majestate venturus. Lyranus, Candidum, ait, quia omnibus erit notum esse justum, & rectum esse ejus judicium. Rupert. esse judicium absque ulla reprehensionis nota. Simpliciter dicendum existimo, quod candor ostendit nihil hìc fore fucatum, nihil maculosum: Non admittit hic thronus technas, non admittit versutiarum ambages; candor hìc veritatis in omnibus dominatur, nec patitur mendaciorum colores, nec sordes avaritiæ, nec *livoris rubiginem*, sed omnia in summa veritatis sinceritate sunt in illo. Summa veritatis sinceritas.

130 Exemplar Christi splendor in judicio. *A cujus conspectu fugit cœlum, & terra.* Communiter antiqui, & moderni: Pristina specie, ac forma cœli, & terræ, fugit omnino, quia videlicet in aliam pulchriorem formam, & statum commutabuntur. Tamen simpliciter dico, tantus erit splendor, ac fulgor majestatis gloriæ Christi, ut ab ejus conspectu fugiat omnis pulchritudo, ac elegantia cœli & terræ, ac si nullus eorum locus extet, sicut à conspectu Solis stellæ fugiunt, de quo latiùs q. 16.

QUÆSTIO XV.

Quare manifestatur sedens super thronum magnum, & candidum, ejusque nomen, ac species nec declaratur, nec exprimitur.

131 Cur Deus nomen non exprimit. AIt Evangelista: *Vidi thronum magnum, & candidum sedentem super eum.* Nomen hujus sedentis non explicat nobis Joannes, cum tamen ipse optimè agnosceret Christum; cur ergo ejus nomen non declarat? Quia certum est Christum D. vivos, & mortuos judicaturum, ut non necesse fuerit illud declarare, & & exprimere. Rupert. Abbas: *Sedentem super eum, absque aliquo nomine dixit, manifestius personam illam silentio innuens, quia nec ignota est, nec ignorare licet, & ut tunc non cognoscatur impossibile est.* Vel fortè ideo nomen subticet, ad denotandam summam indi-

Indignatio Christi major in die judicii.

indignationem Christi in extremo judicio, sic enim tanta ira, ac furore repletus apparebit, cum furentis leonis facie, ut in externa apparentia, aliqualiter videatur alius ab illo mansuetissimo agno, qui cunctis misericordiam indulgebat: vide supra c.14.q.25. n.227.& c.15.q.18.n.156.& seqq.

132 Ait noster Joannes: *Vidi thronum magnum*; & rectè adnotat Rupertus, quod magnitudinem hujus sedis, explicat Christus D. cum dixit suis discipulis Matth. 25.nu. 31. *Cum venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ*; in majestate sua explicat Cardinal. Hugo, *in divinitate sua*; ostendens cunctis se esse verum Deum, verumque filium Dei, & inde ut omnium Dominus procedit, ac venit. *Et omnes Angeli cum eo.* Per Angelos D.Augustin. intelligit homines, qui cum Christo judiciariam potestatem exercebant; sic ait S.Doctor: *Et omnes Angeli cum eo, Angelorum nomine significavit homines, qui cum Christo judicabunt.* Quamvis homines sint Apostoli, ac sancti, qui cum Christo veniunt ad judicandum, tamen cum ut judices veniunt, Angeli dicuntur, quia judex sit veluti Angelus alienus ab omni conjunctione, ac affectu carnis, & sanguinis: vide supra cap.14.q.30.num.272. & cap. 15.q.160.nu. 130.131.

Judex sit veluti Angelus alienus ab omni affectu.

133 Secundò: *Sedentem super thronum*; nempe Christum D. venientem ad ultimum judicium; sed quomodo hìc apparet sedens, qui à B. Stephano apertis cœlis visus est stare? Actor.7.num.55. *Video Jesum stantem*; quomodo ergo eum noster Joannes intuetur sedentem in throno magno? Attende; Joannes conspicit eum judicantem, Stephanus vero pugnantem, & auxiliantem; Christus ut judex sedet, tanquam moras interponens, stat verò pro multa celeritate, ut pro suis puguet, & eis auxilietur. Huic propositæ difficultati sic respondet D. Gregor. Magn. homil.29. & ait: *Sedere judicantis, stare pugnantis est; Stephanus ergo in laboris certamine positus stantem vidit, quem adjutorem habuit, sed hunc post ascensionem Marcus sedere describit, quia ut judex sedebat.*

Christus ut judex sedet, ut pugnans pro suis stat.

134 Tertio ait text. *vidi thronum magnum, & candidum*; & licèt D. Cyprian. verbum hoc candidum cum sedente conjungat, nostra tamen Vulgata habet cum throno: *thronum magnum & candidum.* Per hunc thronum multi interpretantur Ecclesiam sanctorum, seu cœtum electorum, in quibus, ut ait Paulus 1.Cor.6. n.16. *Deus habitat in sanctis suis.* Et quamvis hic thronus, seu Ecclesia sit valde magna numero, insuper dicitur de hoc throno, quod sit candidus, quia sancti resurgent in corporibus suis candidis, ac puris sine ulla macula. Ansbert. ait: *Quia recepta carnis incorruptione, nihil jam tunc ex vetustate prioris vitæ, in electis remanebit, quod nigredinis maculam superinducat.*

Corpora electorum pura sine macula.

135 Quarto: *Thronum magnum, & candidum.* Thronus iste Christi judicantis dicitur candidus, quia in hoc judicio nihil erit tenebrosum, & absconditum, nihil mendacii fuco coloratum, sed omnia, ut dixi in expositione, candidè, ac sincerè erunt aperta, ac manifesta. De hoc divino judicio ait Paulus 1. Cor. 4.n.5. quod cum venerit Dominus *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*; sic Christus D.suo divino splendore illuminabit, ac illustrabit intimas, & absconditas cordium cogitationes, quæ solùm ipsi ab initio sunt notæ, ac manifestæ, & eas notas, & manifestas faciet omni multitudini, ut inde Dei judicium, ac sententia de bonis, & malis cunctis rectum, & justum pateat. Origenes homil. 14.in Jeremiam ait: *Nudabitur pectoris mei conscientia, & aperto corde videbuntur peccatorum literæ, quæ stylo ferreo in ungue adamantino scripta sunt, atque universa spectantium multitudo leget in pectore meo signatas imagines peccatorum.*

In die judicii nihil erit occultum, sed omnia manifesta.

136 Ait Paulus Apostolus 2.Corinth.5. num. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*; non ait, oportet nos stare, ut aliqui perperam legerunt, sed ait *manifestari*, plus enim dicit, manifestari, & si radix græca in suo fonte legatur, idem valet, ac si dicatur: *Oportet nos, lucidos, ac vitreos reddi coram Deo judice*, ita omnia nostra erunt aperta, ac manifesta coram divino tribunali, ac si homo esset totus vitreus, lucidus, ac pellucidus, ut nihil in illo valeat abscondi, ac occultari. In hoc sensu explicat Tertull.citatum locum lib.de Resurrect. cap. 45. & ait: *Omnes enim manifestari nos oportet ante tribunal Christi; si omnes, & totos; si totos, & interiores, & exteriores, id est tam animas, quàm corpora.*

Stabimus ante Christi tribunal, ut vitreis, ac lucidi.

137 Ait Habacuc Propheta cap. 2. n.9. *Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de manu mali, quia lapis de pariete clamabit & lignum, quod inter junctura ædificiorum est, respondebit.* Lamenta, ac lachrymas edit Propheta super miserum peccatorem, superbiæ, ac avaritiæ deditum, qui maximè intendit abscondere, & occultare sua peccata, & ait: *Lapis clamabit, & lignum respondebit*; non ait quod quilibet lapis clamabit, sed *lapis de pariete*; quod nempe in pariete est calce delinitum, ac coopertum, stabit, & clamabit contra te: *Et lignum quod inter junctura ædificiorum est respondebit*; non ait quodlibet lignum, sed lignum inter junctura, quod ut docet D. Hieronymus, in medio ponitur structuræ ad continendos parietes, & nullo modo prospicitur, ac cernitur, undè Symmachus, Theodoret.vertunt: *Junctura ædificii ligna loquetur contra te*; & Vatablus legit: *Lapides è muris clamabunt contra te, & tigna, & structuris ligneis respondebunt illis.* Tigna respondebunt, illa nempe inaurata, variis sculpturis, laboribusque constructa, variisque picturis ornata, ac contecta, tanquam si dicat Propheta: Tua peccata avaritiæ, superbiæ, ac vanitatis, quamvis sint maximè abscondita, & occultata ut lapis in medio parietis, ac lignum junctura ædificiorum, quod intus est, & non cernitur, in illa tamen die non solùm in publicum prodibunt, & contra te instar chori dabunt voces, sed lapis de pariete clamabit, & contra te respondebit lignum junctura ædificii. In judicio nihil erit absconditum, sed quod magis occultum reputabatur, maximè publicè contra te stabit, & clamabit.

Quò magis occulta contra peccatorē clamabant in die judicii.

QUÆSTIO XVI.

Quare à conspectu Dei judicantis fugit cœlum, & terra.

138 DE sensu literali horum verborum jam dixi in expositione, & iterum dicam cap.seq.vers. 1. & sensus communis apud Recentiores, est. *A cujus conspectu fugit cœlum & terra*; id est pristina species status, & forma cœli, & terræ transibunt, quia videlicet in aliam pulchriorem commutabuntur: ita Primasius, Ambrosius, Beda, Aretas, & alii. Hæc tamen videntur repugnare cum his, quæ ait Ecclesiast.cap.1.n.4. *Generatio advenit, & generatio præterit, terra autem in æternum stat*; quomodo fugiet, ac transitura est terra sub finem Mundi, cum Rex sapientissimus affirmet duraturam in æternum? Conflagrante Orbe, terra omnino non destruetur, sed renovabitur, non solùm accidentaliter, sed etiam substantialiter, & in æternum stabit sub meliori forma, & statu; ita Solinus in comment. in dictum locum lib. 4. & ait: *Salomon*, inquit, *Terra in æternum stat, cum Dominus in Evangelio dicat cœlum, & terra transibunt. Verè juxta Domini sententiam cœlum & terra transibunt per meliorationem, non per abolitionem, quia igne judicii purgata meliorabuntur; quoniam renovabuntur, sed penitus non destruentur: ergo juxta sententiam Salomonis terra in æternum stabit, quoniam nunquam destruetur, veruntamen meliorabitur, & renovabitur.*

139 Secundò quomodo dicitur quod à conspectu Dei sedentis in throno cœlum, & terra fugient, maximè cum cœli non moveantur motu progressivo, sed orbiculari? Tamen ita loquitur noster Evangelista, quia omnia hujus sæculi, etiam speciosa ad intuitum splendoris, ac fulgentissimæ lucis Christi, fugiunt, ac disparent, tanquam si non essent, non apparebunt, ut minora lumina ad intuitum majoris, ut dixi in expositione. Joachimus Abbas ait: *Non est intelligendum, ut reputentur à conspectu Christi cœlum, & terra fugere, sed quia omnis ornatus cœli & terræ reputabitur pro nihilo, & inani respectu Christi gloriæ, & sanctorum*

Omnia pulchriora do ad conspectū Christi judicantis nihil apparet.

rum ejus, juxta illud Isaiæ 24.num.23. Et erubescet Luna, & confundetur Sol, cum regnaverit Dominus exercituum in monte Syon, & in Jerusalem, & in conspectu seniorum suorum fuerit glorificatus; sicut enim à conspectu Solis videntur deficere stellæ cœli, non quia esse desinunt id, quod sunt, sed quia deperit, & evanescit claritas splendoris eorum, sic manente cœlo, & terra in ordine suo abscondetur decor, & species pulchritudinis eorum, & non erit eis locus, aut pretium inter ea, quæ præparavit Dominus diligentibus se.

140 Tertio expende id, quod dicitur: *A cujus conspectu fugit cœlum & terra, & locus non est inventus eis*; non solùm cœlum, & terrà fugiunt à conspectu Dei venientis ad judicium, & elementa tanquam terrore percita, horroreque concussa coram tanta gloria stare non possunt; maximè considerandum id, quod subditur: *Locus non est inventus eis*; quod non videtur dicendum nisi omnino cœlum, & terra defecissent, ac in nihilum abiissent, nam ut ait Averroes 3.cœlorum, cap.19. *Necesse est corpus quodcunque habere locum, in quo quiescat*; si locus eis defecit, omnino cœlum, & terra defecerunt, & in nihilum sunt redacta. Pro qua re audiendus est D.Bernard.de Judi.art.2.cap.1. & ait: *A cujus conspectu fugit cœlum & terra, tum quia omnes habitantes in cœlo, & in terra præ reverentia majestatis ejus, in propriam pravitatem, & nihilitatem resiliunt, ac si essent sibi ipsis annihilati, ideoque sequitur, quod locus non est inventus eis, id est facta sunt quasi nihil, ac si nunquam essent; tum quia sicut lux candelarum, atque stellarum disparet in adventu Solis, sic ad fulgorem gloriæ Christi omnia alia ad respectum ejus erunt quasi nihil.* Sic terribilis est Dei majestas venientis, quod quæcunque sive in cœlo eminent, sive in terra jacent, ab ejus conspectu fugiunt, ad propriam parvitat[illegible] recipiunt, & tanquam in nihilum rediguntur.

Quam tremenda, & veneranda sit Dei præsentia.

141 Quod confirmatur, quia aliquando divina sponsa suo dilecto dixit: *Fuge dilecte mi*, Cant. 8. n. 14. ipsa maximè sui dilecti præsentiam flagrabat, ut ex toto Canticorum volumine patet, inde ejus præsentiam petens dicebat: *Osculetur me osculo oris sui*; deinde: *Ostende mihi faciem tuam*; *sonet vox tua in auribus meis*; & passim ipsa testificabatur: *Amore* ejus *langueo*; quomodo nunc ait: *Fuge dilecte mi*? an ejus præsentiæ tædio afficitur? cum ab amante maximè exoptetur, ita ut potiùs mortem quàm dilecti absentiam patiatur; quomodo ergo dum fruitur ab eo petit, ut fugiat? Hugo ad cap. 5. Cantic. *Hoc non dicit sponsa tanquam præsentiæ sponsi tædio affecta, sed quia ex familiari sponsi affectu, & præsentia, quasi facta est in extasi, tanquam ipsius celsitudinem sustinere non valens.* Præ amoris affectu sponsa dilecti præsentiam exoptabat, & à majestate, ac celsitudine Christi tanto timore, ac terrore afficiebatur, ut ejus præsentiam minimè sustinere posset; ex quo considera, quod si tam terribilis est Dei præsentia amantis, quid erit judicantis?

Quam tremenda sit præsentia Dei judicantis.

142 Quarto: *Locus non est inventus eis*. Aliqui hoc referunt ad justos & electos, quorum animæ sunt in cœlo, & corpora in monumentis, de quibus dicitur: *Tunc hi, qui sunt in monumentis audient vocem filii Dei, & procedent*, &c. Locus etiam non invenietur eis, id est nullum vitium corruptionis, maculæ, vel defectus erit in eis; ita enim electi in resurrectione speciosi apparebunt, ut tanquam alii à seipsis esse videbuntur. Patrocinatur Haymon, & ait: *Locus pristinæ corruptionis, & mutabilitatis non invenietur in eis, quasi enim jam non ipsi sunt, sed alii dum à vetustate primæ corruptionis, in novitatem transeunt secundæ regenerationis.* Quod confirmatur ex Paulo 1. Corinth. 15. num 51. cum dicat omnes nos resurgere incorruptos, statim tamen explicat, quæ sit electorum præeminentia, dicens: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; quia etsi omnes resurgent, tamen solùm electi mutabuntur in alium statum, & conditionem elegantissimam, ac valdè speciosam sine ullo defectu, ac macula, ut jam supra dixi.

Ita electi resurgent speciosi ut alii videantur à seipsis.

143 Quintò cum text.ait, quod à conspectu Dei judicantis, seu venientis ad judicium fugit cœlum, & terra, absque dubio sermo est de comitantibus judicium Dei, ad cujus conspectum dicuntur cœlum, & terra recedere, ita ut nec vestigia, aut loca eorum extent, & tamen D.Lucas c. 21.ait, quod tunc *erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris*, &c. ubi ergo mare horrendo fremitu sonat, terra duras afflictiones exhibet, cœlum formidolosa signa ostendit; quomodo ergo cœlum & terra dicuntur fugere, ut ne locus eorum inveniatur? Verum est quod in terra multæ pressuræ urgent, cœlum minacibus signis terribile apparebit, & mare fremitu intumescet, at si hæc omnia comparentur cum ostentatione rigorosissimi tribunalis judicis nihil erunt, ac si non essent tales calamitates reputandæ sunt. Et ad hoc tendit Haymon 1. Dominica Adventus dicens: *Circa finem sæculi, mare, flumina, rivuli, voces, & genitus emittent, interitum suum quibusdam luctuosis vocibus deplorantes, & per hoc non parvum timorem hominibus audientibus incutient*; *hinc per Joannem in Apocalypsi dicitur: Et mare non erit.* Illatio maximè in dictis verbis est expendenda: Inde astruit, quod mare non erit, quia horribili sonitu in fine Mundi timorem hominibus incutiet; quomodo non erit, si cum suo sonitu magnum timorem ingeret hominibus? Quia talis timor à sonitu maris à pressura terræ comparatus, cum timore incusso de imminenti judicio nullus erit.

Omnis temporalis calamitas respectu finalis judicii nulla est.

Loquens Ecclesiastes de ultima die Judicii, ait c. 12.n.4. quod homines *consurgent ad vocem volucris*: & volucris vocem appellat illam, quam Archangelus in tuba faciet, omnes convocans ad Christi tribunal, ut ait Paulus 1.Corinth.15.n.52. *Canet enim tuba*; cujus consideratione D. Hieronymus totus timore concutiebatur; & de illa ait Esdras 4.cap.6. *Et tuba canet cùm sono, quam cum omnes audierint, subito expavescent*; quid ergo vox passeris cum horrendo sono tubæ quæ pavorem incutiet omnibus? Equidem tota illa Archangeli vox, & totus ille formidolosus terror ab illa voce proveniens, si comparetur cum illo judicii articulo, in qua tonabit Judex vivorum, ac mortuorum, sic omnia extenuantur, ac minora videntur, ut tanquam vox cujusdam passeris reputentur. Sic tremenda, ac horrenda est vox Judicis, ut terribilium aliorum voces respectu ad illam, non videantur excedere vocem alicujus passerculi. D. Hieronym. ibi ait: *Nec mirandum, si Angeli tubam passeri comparemus, cum omnis vox ad Christum comparata, sit tenuis.* 144

Omnis temporalis timor respectu judicii nullus.

Loquens Paulus de his, qui voluntariè peccant post agnitam veritatem, seu agens de delinquentibus peccato apostasiæ hebræor.10.n.27. ait, quod relinquitur eis *terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio*, pro tam grandi peccato, quænam pœna est imposita? Terribilis quædam judicii expectatio; Et quænam pœna est hæc? *Ignis æmulatio*; ut ibi explicant Interpretes, ipsa expectatio Judicii, est ignis æmulatio, fortis nempe vehementia ignis gehennalis, imò ipso igne durior, ac gravior, ut explicat D.Anselm. & ait: *Etiam timor judicii malis resurgentibus est pœna, inenarrabilis, & gravior, quàm gehenna*; vide de hac re multa, tom.1.in Apocalyps.& tom.4. in Evangelia in Indice verbo *Judicium finale*. 145

Expectatio Dei judicantis valde terribilis.

*Apoc.*20 *n.*12. Et vidi mortuos magnos, & pusillos, stantes in conspectu throni: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum.

*Num.*13. Et dedit mare mortuos, *qui* in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant, & judicatum de singulis secundùm opera ipsorum.

VERSIONES.

Arabic. n. 12. Vidi tam magnos, quàm parvos, ex mortuis stantes ante thronum, &c. pro ratione *ipsorum* operum.

D. Cyprian. Ante conspectum throni Domini judicati

cati sunt singuli, secundùm ea, quæ scripta erant in libro.

S. Prosper. Liber apertus est, qui est vitæ uniuscujusque hominum.

D. August. Liber uniuscujusque vitæ.

Arabic.n.13. Reddidit quidem mare, &c. Judicati fuerunt singuli pro ratione operum suorum.

S. Prosper. Exhibuit quos penes se habebat similiter & mortuos.

EXPOSITIO.

146 *Et vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni.* Ecce jam judicium, cum enim venerit Judex, sistentur ei omnes gentes, quas nomine mortuorum hìc appellat Joannes. *Magnos & pusillos;* ætate, statura, ac dignitate, & præeminentia: *Justificat pusillum & magnum*, Ecclesiast. 5. n. 18. cum ait: *Vidi mortuos*; quid dicemus de S. Elia, Enoch, qui jam surrexerunt ante diem judicii, ut jam vidimus cap. 11. & idem est de B. Virg. ac fortasse aliis, qui non venient de sepulchris, sed de cœlo unà cum Angelis beatis? Nomine tamen mortuorum censentur omnes isti cum aliis, quia & ipsi per mortem transierunt, & ad talem statum non pervenerunt nisi per mortem.

147 *Et libri aperti sunt.* Hi libri sunt conscientiæ, & memoriæ singulorum, in quibus tanquam in libris descripta sunt cujusque facta tam bona, quàm mala, & etiam beneficia à Deo accepta, divinæ inspirationes, ac auxilia, quibus unusquisque restitit, vel consensit; dicuntur autem hi libri aperiri, quia divina potentia hæc omnia in nostris conscientiis fient manifesta tum nobis, tum etiam aliis; & ita habet communis sententia ut dicam quæstione sequenti. *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Quid sit liber vitæ, jam supra explicavi cap. 3. quæst. 15. Liber vitæ est quædam præscientia, seu ordinatio electorum in vitam æternam; hic autem liber aperitur, propter duo, & primò, ut ex hoc appareat quàm sapienter, ac efficaciter processerit Deus in suo opere; in quo negotio nihil fuit casuale, sed ex magno consilio factum, & ordinatum, ut notat Ferrar. Secundò, ut appareat, quàm justè, ac rectè, in eo fuerunt descripti tales prædestinati, quorum prævideràt Deus, antequam scriberet talia futura opera, utique digna tanto bono, quo postea in judicio donati sunt.

Quid sint isti libri.

Cur aperitur liber vitæ.

148 *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus, &c.* In his verbis magna latet difficultas, & illi minimè satisfaciunt multæ auctorum sententiæ. De hac re, de qua quæst. 17. breviter nunc dico: Per mare juxta dicta supra cap. 15. intelligit Joannes cœlum; per mortuos mortis intelligit illos, qui cum solo originali ex prævaricatione Adæ mortui sunt; per mortuos inferni omnes damnatos, & est sensus: Omnes resurgent, & venient ad judicium. *Judicatum est de illis secundùm opera ipsorum.* Quomodo hoc erit verum de infantibus, qui cum aqua Baptismi, vel sine illa discesserunt? In præsenti sermo est de illis, qui habent opera, qui secundùm illa judicabuntur, sicut facta rebellione in una civitate dicimus singuli in illa judicandi sunt secundùm sua opera, hoc est de illis, qui habent opera, nam qui in tali rebellione non intervenerunt, non includuntur in illis.

Quid de infantibus dicendum.

QUÆSTIO XVII.

Quare de mortuis dicuntur libri, de vita verò unus liber in singulari.

149 Difficultas quæstionis. Alit text. *Et libri aperti sunt; & alius liber apertus est, qui est vitæ.* Ex his oritur magna difficultas: Cur de mortuis dicuntur libri in plurali, de vita verò unus liber in singulari? Primo Viegas vult reproborum esse libros, quia multi sunt, alius verò vitæ electorum, quia pauci; at hoc genuinum non est, quia unus est liber electorum, qui in tanto numero sunt, ut nemo dinumerare posset, ut dicitur supra cap. 7. num. 9. cur etiam de reprobis non erit unus liber?

Secundò D. Hieronym. cap. 7. Daniel ait duos aperiendos esse libros in judicio, unum Dei, alterum Diaboli; in libro Dei sunt scripta bona opera cujusque, & iste est liber vitæ, in libro Diaboli sunt scripta mala opera, & hic dicitur liber mortis. At Joannes manifestè illos libros ponit distinctos à libro vitæ: *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Deinde noster Joannes nullum hìc agnoscit librum mortis. 150

Tertiò D. August. lib. 20. de Civit. c. 14. ita legit: *Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ uniuscujusque.* Per libros intelligit sanctos, tam veteres, quàm novos, qui aperiendi sunt, ut in illis ostendatur, quæ Deus fieri præcepit; liber verò vitæ est ille, in quo descripta est uniuscujusque vita; & inprimis illa lectio: *Vita uniuscujusque;* est mendosa, & in illo codice tam latino, quàm græco habetur. Deinde cur non dicuntur libri vitæ in plurali cum dicitur in text. *Judicati sunt ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera sua.* 151

Quartò Beda, Alcazar tenent hos libros esse sacram Scripturam, quæ continet leges, & præcepta Dei, ex quorum observatione homines judicandi sunt. At hoc non est ad literam, quæ indicare videtur, quod homines judicandi sunt per sua opera, quæ continentur in ipsis libris. Deinde quia ipsa lex divina, & præcepta ejus valde erunt nota resuscitatis, & maximè beatis; ad quid ergo hæc proponentur? Deinde, quod maximè impellit Alcazarum, videtur nimis prolixum, & longum fore judicium, si cujusque vita, & opera perlegantur in libris; ad hoc erit necessarium tempus longissimum. At verò his optimè satisfacit D. August. citato loco: *Futurum enim est, ut per Dei potentiam, cujusque opera mira celeritate à quolibet conspiciantur.* 152

Quintò Ribeira, Cornel. Gagnæus, Estius, Tirinus, Menoch. la Haye, & alii multi tenent, quod libri hi sunt conscientiæ, & memoriæ singulorum, in quibus quasi in libris descripta sunt cujusque facta, tam bona, quàm mala; quæ ut in veritate subsistant altiùs sunt examinanda. 153

Libri ergo, de quibus hìc est sermo, sunt illi in quibus scripta habentur opera uniuscujusque; & hæc non solùm, sed etiam inspirationes, auxilia Dei, divinaque beneficia unicuique data, quibus respondere tenebatur, & quibus ejus opera respondere debebant, proindeque ex his omnibus quilibet judicabitur, cui enim plus datum est, plus ab eo requiretur, & minus cui minus; aliter judicabitur fidelis, cui prædicatum est Evangelium, aliter infidelis, cui non est prædicatum; aliter judicabitur, cui multa scientia data est, aliter cui parva; aliter Episcopus, Prælatus, & Princeps, & aliter idiota, subditus, & privatus. In his ergo libris habentur, quæ Dei sunt in nos derivata, & etiam, quæ nos ipsi reddidimus operibus nostris. 154

Conflata in hujusmodi libris.

Hi ergo libri sunt conscientiæ nostræ, & etiam memoriæ, in quibus tanquam in libris divina providentia hæc omnia erunt exarata, & virtute ipsius Dei, omnia supradicta fient manifesta, tam nobis quàm aliis. Itaque aperire hos libros erit dicta omnia in conscientiis nostris ostensa, ac declarata exhibere, proindeque multi, & diversi sunt libri, & tot erunt, quot erunt judicandi. Sic quid simile in Angelis, & animabus separatis contingit, dum sibi invicem loquuntur, sic ordinatum est ab authore naturæ, ut ille, cui loquuntur, videat sua cogitata, & volita, illaque apertè cognoscat, ut latè explicat M. Suartom. de Angelis lib. 2. cap. 27. & 28. ita etiam fieri potest divina virtute, ut beneficia unicuique data à Deo, & opera ab eo facta, in ejus mente tam ab ipso, quàm ab aliis videantur, ut secundùm talia opera judicentur. 155

Cur hi libri dicantur aperti.

Liber verò vitæ, est præscientia, & prædestinatio electorum in vitam æternam, qui ideo hìc aperitur, ac legitur, ut manifestum, ac notum fiat, quod Deus tales viros elegerit ad gloriam, qui tam illustrissi- 156

Quid sit liber vitæ?

strissima opera ediderunt, quod maximè fit in confusionem iniquorum, cum scriptum sit: *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit:* vide expositionem.

157 Moraliter verò; cùm divinus Judex, homines vocat ad judicium, quos malos denotat, mortuos vocat, & ait: *Vidi mortuos, & libri aperti sunt*; quos verò denotat bonos, ac justos, vivos, seu viventes appellat: *Et alius apertus est, qui est liber vitæ*; sed cur, cum de malis agitur, dicuntur libri, in quibus eorum nomina scribentur, at verò cum de bonis est sermo, unus tantùm liber dicitur, in quo eorum nomina notantur? Respondet Mendoza lib. 1. Reg. cap. 1. Annot. 4. sect. 3. n. 5. Quia scilicet impiorum catàlogus, ne multis quidem capitur voluminibus, justorum autem exiguo clauditur in libello.

Boni libello, mali multis claudūtur libris.

158 Ibat David malè animatus in Nabalem, occurrit Abigail, eumque avertit à cæde patranda; salutem bene precata ait: *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo vivent ium apud Dominum tuum*, 1. Reg. 25. num. 19. Ecce justi tanquam in fasciculo componuntur ad vitam, at iniqui tanquam in fasciculos colliguntur ad ignem, de quibus divinus Judex pronuntiat Matth. 13. n. 30. *Colligite primùm zizaniam, & alligate in fasciculos ad comburendum*; cur ergo electorum cœtus in unum fasciculum adaptatur, iniquorum numerus in multos fasciculos distribuitur? Probitas sanè in paucis viris coarctatur, improbitas verò per multos graffatur; pauci vitæ participes homines unum conficiunt fasciculum, multi verò fasciculi hominum perditissimorum ad ignes destinantur.

Electi pauci, reprobi multi.

159 Unus bonorum est thesaurus, de quo Moyses agit Deuter. 28. n. 12. *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, cœlum, &c.* multi verò malorum thesauri sunt, nam de eorum pœna, ac supplicio ad tempus suum reservato, cum in persona Dei loquitur Moyses ait Deut. 32. num. 34. *Nonne hæc condita sunt, & signata in thesauris?* & subdit: *Mea est ultio, & ego retribuam*; justi unum tantùm replent thesaurum: *Aperiet Dominus thesaurum suum*; iniqui verò præ sua multitudine multos occupant: *Signata in thesauris*. Philo lib. 2. Allgor. ait: *Bonorum quidem thesaurus unicus, malorum verò thesauri multi, quia peccatores immenso numero.*

In paucis est bonitas in multis, improbitas

160 Vehementer Anima sancta expostulat à suo dilecto: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*; & subdit: *Introduxit me Rex in cellaria sua*, Cantic. 1. n. 3. hoc est me admisit, ac constituit in possessionem multarum, ac magnarum divitiarum; tamen etsi ipsa, & multæ aliæ sodales currebant, ipsa tamen sola introducta est, & ad perexcelsa divini sponsi gaudia pertransivit, aliæ verò multæ foris permanserunt, ac à domo sponsi; in tanta sodalitate, una fuit electa, multæ aliæ exclusæ sunt. Origenes hom. 1. in Cantic. postquam proponit prædictam difficultatem, inquit: *Non ait introduxit nos plures in cubiculum suum, plures foris remanent.*

Pauci ascendunt in cœlum, multi foris remanent.

161 Ait Christus Dominus Matth. 22. num. 14. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*; quomodo hoc cohæret cum his, quæ scribit noster Joannes supra cap. 7. n. 9. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum?* si pauci sunt electi, quomodo eorum turba innumerabilis? Optimè difficultati satisfacit D. August. lib. 3. contra Cresc. c. 46. de electis ait: *Qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumque itidem pauci sunt.* Electi quamvis in se ipsis considerati videantur multi, cum reprobis collatione facta pauci inveniuntur.

QUÆSTIO XVIII.

Quare non dicitur de terra, quod dedit mortuos, ut de mari exprimitur; & cur non dicitur de cœlo, quod dedit mortuos, ut de Inferno scribitur.

Difficultates quæstionis.

162 AIt text. *Et dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant.* Ex quibus statim magnæ exoriuntur difficultates; nam cum dicit, mare dedit mortuos etiam dicendum erat, suos mortuos dedit terra, aer, & ignis, ut omnia enumeraret elementa, in quæ mortuorum corpora resoluta sunt; & certè ut prima specie apparet, potiùs enumeranda erat terra, quàm mare, cum plures pereant in terra, quàm in mare; & sicut dicit Joannes, quod *infernus* dedit mortuos, cur non dicit etiam de cœlo, quod dedit suos? Hæc omnia magnam habent difficultatem, quod in varias sententias fecit authores abire.

Primò Alcazar, & Cornelius inquiunt mortem, & infernum hìc, & alibi induci, simulque conjungi tanquam duas personas tragicas, crudeles, & immanes, quæ semper associantur, nam quos mors occidit, eosdem Infernus sepelire, & devorare dicitur; sed contra hoc, statim hìc occurrit: Ad quid ponitur mare? Secundò D. Anselmus, Haymon, Ticonius, in qua etiam sententia est D. August. lib. 20. de Civitate cap. 15. per mortuos maris accipiunt homines viventes in Mundo, cum Christus venerit ad judicium, per mortuos verò mortis, & inferni, verè, & realiter mortuos intelligunt. Tertiò Aretas in his tribus Mari, morte, & Inferno intelligit omnia quatuor elementa, & ait, Mare reddere humorem, mortem, id est terram reddere pulverem, Infernum, id est aerem, ignem in quo resolvuntur. 163

Quartò Viegas vult mare dare mortuos suos, id est corpora in eo submersa, mortem dare sepultos in terra, infernum verò animas. At Ribeira in duobus primis convenit, in tertio discrepat, & ait mortuos inferni non esse animas, sed eos, qui vivi in Infernum descendisse dicuntur, ut Dathan, & Abiron, ac Antichristus, ejusque Pseudoprophetæ. Quintò Ambrosius in mortuis maris intelligit baptizatos, & electos, in mortuis mortis corpora impiorum, in mortuis inferni animas. Omnes istæ expositiones laborant in æquivoco, & insufficientes sunt partitioni, & multa confusione membrorum laborant. 164

Pro vera intelligentia hujus rei, recolendum est ex logica, quod ad bonam divisionem requiritur, ut membra dividentia totum teneant divisum, & ut unum membrum dividens, non includatur in alio, sed ut unum membrum sit distinctum ab alio, proindeque alii debent esse mortui maris, alii & distincti mortis, alii & distincti inferni, aliàs partitio non est bona, & in his tribus debet comprehendi totum humanum genus, proindeque mors non potest accipi genericè, nam aliàs ipsa in se habet omnes mortuos, nullosque relinquit aliis duobus membris divisionis; & infernus non potest accipi pro sepulchris, in quibus occisi à morte reconduntur, ut ait prima expositio, quia ut sic confunduntur cum ipsa morte. 165

Advertendum pro vera intelligentia.

His ergo positis dicendum existimo cum Ferrario, nostrum Joannem hìc loqui consequenter ad ea, quæ dixi supra cap. 15. n. 2. ubi per mare intelligit cœlum, proindeque per mortuos maris accipit hìc omnes illos, quos ibi dixit se vidisse stare supra mare, salvos scilicet & electos; hi omnes in primo membro divisionis veniunt. Per mortuos verò mortis accipit Evangelista omnes illos, qui sola prævaricatione Adæ mortui sunt, qui cum solo originali sine Baptismo susceptо discedunt, & hi in sua morte nihil habent præter ipsam mortem ex Adamo provenientem, & hi medii sunt inter electos, & damnatos. Per mortuos inferni accipit omnes illos, quis suis peccatis infernum sibi promeruerunt, & sic membra dividentia mutuò se excludunt, & continent in seipsis totum divisum, genus scilicet humanum. 166

Vera sententia.

Notetur tamen, quod in primo membro solùm dicit mare dedisse mortuos: *Et dedit mare mortuos, qui in ipso erant*; at in reliquis duobus membris ponit suos: *Et mors, & infernus dederunt mortuos suos, qui in ipsis erant.* Hæc autem diversitas non casu, sed magno consilio facta est, ad significandum quod mors, & infernus reddiderunt mortuos verè suos, id est in quos habent jus, & verè sunt ipsius mortis, & inferni; non sic mare, seu cœlum erga Beatos, nam sancti, nec sunt cœli, nec terræ, sed tantùm ipsius Dei, qui est tota eorum possessio; sic dicebat Paulus ad suos discipulos scribens: *Vos autem Christi, Christus verò Dei*, 1. Cor. 3. n. 23. 167

Sancti ita sunt solius Dei, ut solius Deum quærant.

Sapientes Magi Jesum Regem Judæorum quærentes in domum Herodis veniunt, ab ipsoque Herode ma- 168

magnificè excipiuntur, regaliterque tractantur; quid tunc? Regalibus officiis detinentur, ut ibi maneant? Minimè, nullis enim officiis adduci potuerunt, ut ibi manerent, sed Jesum requirentes abeunt, hoc unum protestati, nimirum, quod redirent ad Herodem; verùm ubi Jesum invenerunt in gremio Virginis: *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus*; sic sese illi tradiderunt, sic illi adhæserunt, in eoque remanserunt, ut nullius alterius præter eum meminerint, imo ut ait Matth. 2. num. 12. Responsum à Deo acceperunt, *ne redirent ad Herodem*; considera, apud Herodem non manent, nec quiescunt, apud Jesum sic complacent, ut nullum alium requirant. Rem ponderat Imperfectus hom. 2. in Matth. & ait: *Qui relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter revertuntur ad Christum, qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam revertuntur ad Herodem.*

Justi ita sunt Dei ut nunquam ab eo recedat.

169 Considera apud Oseam 2. num. 5. Israelem à Deo fugientem omni delectationi, jucunditati, ac appetitui indulgentem: *Vadam post amatores meos, qui dant mihi panes, & aquas meas, & lanam meam, &c.* tandem in se reversus Israel ubi Deo adhærere cœpit, subdit Propheta num. 16. *Et erit in die illa, ait Dominus: Vocabit me ultra Baalim. Et auferentur nomina Baalim de ore ejus, & non recordabitur ultra nominis eorum;* undè fieri poterit, quod ille, qui maximè recreabatur in affluentia mundialium bonorum, seque totum in illis ingurgitabat, si ab illis se expediat, & animo separetur, ut ne nominum eorum amplius recordetur, nec illa sumat in ore, undè illi tanta abdicatio, & oblivio? Indicat text. *Vocavit me vir meus*; hoc est sponsus meus Christus me ad se traxit, meque sibi adhærere fecit, & ex eo quod Israel in eo manet, omnia alia à se dimittit, omniumque aliorum obliviscitur. Theophyl. ibi: *Quomodo verò, ait, ea nomina exemit, abstulitve? Cum Sol justitiæ Christus effulsit.* Cum Sol divinus justitiæ resplenduit in eorum mentibus, sic omnia à se dimittunt, ut etiam eorum nomina penitus ignorent: *Auferentur nomina Baalim.*

Qui terrena pro Deo dimittit, omnium obliviscitur.

Apoc. 20 n. 14. Et infernus, & mors missi sunt in stagnum ignis; hæc est mors secunda.
Num. 15. Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

VERSIONES.

Syriacus n. 14. Mors & infernus projecti fuerunt.
Arabicus. Abyssus & infernus projecti sunt in stagnum ignis, plenum sulphure.
Æthiopic. Conjecerunt in infernum, &c. in stagnum ignis, qui fuit plenus sulphuris, & mortis secundæ, quæ gehenna ignis est.
S. Prosp. n. 15. Qui non sunt inventi, missi sunt.
Arabicus. Conjectus est in stagnum ignis comburentis.
Æthiopic. Coniiciet in gehennam ignis.

EXPOSITIO.

170 Duæ expositiones probabiliores.

Infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Stagnum ignis idem est, ac infernus; quomodo ergo infernus missus est in infernum? quod hic facit magnam difficultatem. Duæ expositiones, mihi videntur probabiliores; primam dat Gagnæus: *Mors*; id est Diabolus, qui extitit causa totius mortis: *Et infernus*; hoc est cæteri damnati, ac reprobi missi sunt in perpetuum, in stagnum ignis. Secundam expositionem præbet Ferrarius, qui per infernum intelligit Purgatorium, per mortem Limbum puerorum, qui sine Baptismo obierunt, & quia post diem judicii, nec erit purgatorium, nec Limbus puerorum, qui cum originali mortui sunt, juxta multorum sententiam de quo q. seq. & quia locus Purgatorii, & locus Limbi convertentur in stagnum ignis, ad quæ loca post diem judicii dilatabitur infernus, ut ex Isaia dicam quæstione sequenti, inde infernus, & mors sumpti, pro ipsis locis, dicuntur missi in infernum: *Et hæc est mors secunda;* quam damnatis secundùm corpus & animam mors, & infernus simul junctim inferent in æternum.

171 Ob peccata, non scribitur homo in libro vitæ.

Et qui non est inventus in libro vitæ scriptus. Considera dicendi modum; non dicitur, qui non est *scriptus* sed qui non est *inventus scriptus*; quia quilibet suis delictis, ac peccatis fuit in causa, ut non inveniretur scriptus, nam prima locutio, non est scriptus, dicit negationem, secunda verò, qui non est inventus, dicit privationem, quam quisque suis meritis comparavit.

172 Dubium hìc tamen est de parvulis sine Baptismo cum originali morientibus, nam hi non inveniuntur scripti in libro vitæ, cum sint sine Baptismo, nec ibunt in stagnum ignis, quia licèt habeant pœnam damni, carentiam nempe visionis Dei, tamen pœnam sensus non sustinent, ut tenet communis sententia theologorum. Noster autem Evangelista non loquitur hìc de parvulis, sed de adultis, qui solùm habent opera, ut ipsemet hìc exprimit supra vers. 11. dicens: *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum;* sic & D. Matth. agens de judicio finali c. 25. à n. 34. proponit quomodo benedicti vocantur ad cœlum, & maledicti ab eo excluduntur missi in ignem æternum, prout unusquisque bene, vel male gessit; & sicut Matth. non agit de parvulis, sed tantùm de adultis, qui habent opera, sic & noster Joannes in præsenti. Parvuli autem, ut ait D. August. lib. 6. contra Julian. cap. 4. & ex eo Bellarmin. lib. 6. de amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 5. judicabuntur per Adamum, & quia in Adamo peccaverunt; de loco verò, quem habebunt post diem judicii commodiùs dicam quæstione sequenti.

QUÆSTIO XIX.

Quare dicitur quod mors, & infernus mittentur in stagnum ignis, cum stagnum ignis sit infernus.

173 Hìc ferè veniunt omnes sententiæ superiori quæstione datæ, & primò S. August. Ticonius, Primas. Vieg. Ribeir. per mortem, & infernum metonymicè intelligunt Diabolum, qui est princeps, & causa mortis, & inferni; sed si hæc duo mors, & infernus pro una persona ponuntur, non erat dicendum: *Missi sunt*, sed missus est; deinde mors, & infernus eodem modo hìc accipiuntur, ut supra, vers. 13. *Mors & infernus dederunt mortuos suos*; ubi mors, & infernus non significant Diabolum, ut patet, & ipsi auctores fatentur.

174 Secundò Alcazar, Cornel. Menoch. dicunt, ut antea etiam dixerunt, mortem, & infernum induci in præsenti, tanquam duas personas tragicas, quorum munus est, ut una vitam mortalibus auferat, altera verò deglutiat, & subterraneis sepulchris & specubus vinctos detineat. Sed contra hanc sententiam urget, quod sepulchra mortuorum, non mittuntur in stagnum ignis, nec etiam mors in illud mittitur, nam si per mortem multi abierunt in infernum, etiam per mortem multi ascenderunt in cœlum.

175 Probabilis sententia.

Tertiò, & satis probabiliter, Ferrarius per infernum intelligit Purgatorium, ut sumitur multis in locis, Purgatorium autem post diem judicii non erit; per mortem verò interpretatur Limbum parvulorum, qui, ut vidimus superiori quæst. dicuntur mortui mortis, qui mortui sunt morte, seu peccato primi hominis, & post diem judicii ad illum locum, seu Limbum amplius non remittentur, at inde post diem judicii, tam locus Purgatorii, quàm locus Limbi convertentur in stagnum ignis, proindeque post diem judicii, dilatabitur ad spatia Purgatorii, & Limbi, juxta illud Isaiæ 30. n. 33. *Topheth à rege præparata, profunda, & dilatata.*

176 Quisnam locus parvulorum post diem judicii.

Sed etiam suboritur dubitatio, ad quæ loca ibunt illi parvuli, quia non ibunt in beatitudinem, ad illam enim non intrat nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto; ad Gehennam ignis non descendent,

dent, quia non sustinent pœnam sensus; ad quem locum ergo ibunt? Ferrarius sequenti vers. *Qui non est inventus in libro;* constanter tenet quod tales pueri non remittentur ampliùs in Limbum post diem judicii, quia Limbus cum Purgatorio transibit in Gehennam. Suar. in 1. 2. tract. 5. de vitiis, & peccatis, disp. 9. sect. 6. num. 6. ex multorum sententia piè & probabiliter existimat habitationem horum puerorum futuram in hoc Mundo. Arriaga 1. 2. disp. 52. sect. 2. num. 5. tenet, eos futuros esse in loco lucido, ac capaci ad ambulandum, ac colloquendum inter se.

177 Quartò Gagnæus, & etiam Ansb. Alensis, Andr. Cæsar. per infernum intelligunt damnatos, & reprobos, qui tanquam ab inferno egressi ad judicium, iterum in infernum remittuntur, & nomine inferni dicuntur, tanquam illius incolæ; per mortem verò intelligitur Diabolus, causa, ac radix mortis totius generis humani, & inde meritò dicitur mors. Andreas Cæs. *Ut enim civitas dicuntur, qui illam inhabitant, ita quoque mors, & infernus, qui horum incolæ, vel causæ quoque sunt;* proindeque infernus & mors missi sunt in stagnum ignis, id est maledicti, & Diabolus mittentur in die judicii in ignem æternum; & hæc sententia est satis probabilis.

Satis probabilis sententia.

178 Semper impiorum capita gravissimè puniuntur à Deo; ait regius Vates Psalm. 73. num. 13. *Contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis, dedisti escam populis Æthiopum.* Per dracones intelligit exercitus Ægyptiorum, & cum omnes suffocati fuissent in mari, ita ut nec unus eorum remansisset, tamen Propheta peculiariter commemorat capita draconum, per capita intelligit eorum duces & principes, & per capita draconis Pharaonem; & cum omnes periissent, hoc tamen exprimit, & in medium adducit, quia licèt omnes in aquis submergerentur, tamen insigniter, ac valde peculiariter divina indignatio desævit in principes, ac præfectos malorum, qui in tot flagitiis exstiterunt duces, & causæ. Theodoret. ibi ait: *Dracones Ægyptios vocat, capita verò draconum eorum duces, & centuriones, & præfectos, draconem verò Pharaonem nominat; hos omnes, inquit, demersisti, & undis illos obruisti.*

Peccantiũ capita rigide puniuntur à Deo.

179 Ad hujus rei gustum ait Habacuc 3. num. 13. *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum; maledixisti sceptris ejus, capiti bellatorum ejus.* Impiorum domus, ac familiæ, solent à Deo funditus perdi, ac destrui, itaut dicit Psal. 36. num. 36. *Transivi, & non est inventus locus ejus;* & tamen in impiorum ruina, ac desolatione, particulariter dicit Propheta, quod Deus percusserit eorum capita, & quod eos suis bonis spoliaverit, & quod in reges, ac capita bellatorum suam maledictionem induxerit; & cur in ruinis impiorum prætermissis cæteris, silentioque involutis, sic amat tamen sciri, ac cognosci capitum supplicia? Ut fiat manifestum, quod flagitiorum duces, in magnam Dei indignationem inciderint, & ideo rigidiores dabunt pœnas, ut percussi omni plaga, denudati omni bono, & affecti, ac exercrati omni maledictione.

Qui alios adducit ad peccandũ, in grandẽ iram incidit.

180 Huc spectat illud 4. Reg. 3. num. 16. quando Rex Moab Israelitico exercitu cinctus, & penè oppressus, filium suum jugulavit super muros; ait text. *Cum vidisset Rex Moab prævaluisse hostes, tulit secum septuaginta viros educentes gladios, ut irrumperent ad Regem Edom, & non potuerunt. Arripiensque filium suum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum, & facta est indignatio magna in Israel, statimque recesserunt ab eo;* ex hebræo habetur, ut dicunt Lyran. & Burgens. *Facta est indignatio magna super Israel;* à Deo nempe offenso; sed cur Deus videns nefarium Regis facinus, filium suum sacrificantis, magna ira excandescens in Israelitas desæviit, illosque vehementer pestilentiæ calamitate oppressit? cur execrabile Moabitarum scelus videns illud tanquam inultum prætereins, & obliviscens tanto furore desævit in Israelitas? Dubii solutionem nobis dat regius Vates Psalm. 105. num. 37. *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmonibus.* Fuit antiqua pestifera consuetudo Israelitarum, ut filios suos dæmonibus jugularent, ab hisque Rex Moab execrabile facinus didicit, ut etiam filium suum immolaret; ideo Altissimus Deus iniquitatum ultor, prætereins Moab, Israelem meritò conterit, & affligit utpote auctorem, ac ducem tanti criminis. Lyran. & Burgens. inquiunt: *Ex Hebreo habetur: Facta est indignatio super Israel; ipsius scilicet Dei offensi contra filios Israel, eo quòd tunc recordatæ sunt iniquitates eorum coram Deo, eo quòd ipsi tanta mala, vel pejora fecerunt, immolando filios suos, & filias suas dæmonibus, propter quod in vindictam hujus mali cecidit pestilentia in exercitu Israelitarum.*

Qui author est peccati, illi tribuitur omnia crimina.

Constans, & vera est sententia, Adamum gravius, quàm Evam peccasse, pensata gravitate damni, quod probant theologi, Cajetan. in cap 3. Genes. Bellarm. lib. 3. cap. 9. de amissione gratiæ, Suar. de sex diebus lib. 4. cap. 6 num. 4. Pereira lib. 6. in Gen. disp. 1. tamen Eva gravius quàm Adamus punitur, ut ex text. vult Serenus apud Cassian collat. 8. cap. 11. Adamus terra maledicta ad labores, ac sudores trahitur, ut inde in pulverem revertatur, num. 18. & 19. at Eva mater super hosce dolores, & pulveris miseriam, magnis doloribus, & multiplicatis afficitur; ait ei Deus: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios,* Gen. 3. num. 16. cum majus esset peccatum Adæ, cur Eva gravius punitur? Utpote, quæ virum induxerit prior ad peccandum, & totius ruinæ radix extiterit; & ait Serenus citatus: *Mulier, quæ persuasor extitit, multiplicationem gemituum, ac dolorum promeruit.* Graviùs doleat, qui auctor scelerum invenitur.

181

Eva ut magistra, gravius dolet.

CAPUT XIX.

1 *Aliqui, & Seraphinus, Ubertinus, Hortulanus, Joachimus volunt hìc agi de illo pacis tempore post Antichristum usque ad diem judicii, quod dicunt mille anni; & hoc falsum rejeci superiori cap. q. 2. Alcanar vult hæc hìc dici à Joanne de Ecclesia in cœlo, sed quasi ibi describi triumphum Ecclesiæ Romanæ, vel ut sub Constantino, & deinceps, quando cœperunt gentes ambulare in lumine ejus, & Reges terræ afferre illi gloriam & honorem. Sed hæc, ut patebit ex statim dicendis non possunt subsistere.*

2 *Certum est ad literam directè hìc agi de Ecclesia triumphanti, ac cœlesti, ita ut dicat D. August. esse impudentiam hæc de Ecclesia militanti, ac aliter explicare, ita ut lib. 22. de civit. c. 27.* Hæc de illo tempore accipere impudentia nimia est, quia illa absterget Deus omnem lachrymam: tanta luce dicta sunt de sæculo futuro, & de immortalitate, atque de æternitate sanctorum, ut nulla debeamus in literis sacris quærere, vel legere manifesta, si hæc putamus obscura. *Sanctum Doctorem sequuntur communiter omnes interpretes, ita exigit acolouthia, ac plus Apocalypsi: postquam enim superiori cap. egit de resurrectione, ac judicio, rectus ordo postulat, ut hìc agatur latè, ac ferè per totum, cap. de gloria beatorum, ac etiam de pœna damnatorum, quam breviter proponit vers. 8.*

De sæculo futuro est sermo in hoc capite.

3 *Probatur primò, quia hìc noster Joannes ait vers. 1.* Vidi cœlum novum, & terram novam: *Hæc non habentur in præsenti, sed in futuro post diem judicii, ut ait D. Petrus 2. epist. c. 3. n. 13.* Novos verò cœlos, & novam terram, secundùm promissa ipsius expectamus. *Secundò dicitur, vers. 3.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; *quale autem sit hoc tabernaculum nobis explicat David Ps. 14. num. 1.* Domine quis requiescet in monte sancto tuo? *quod de cœlesti Patria est manifestum. Tertiò vers. 4. habetur:* Et ipse Deus, erit eorum Deus, & absterget omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus neque clamor, nec dolor erit. *Hæc sublim dici poterunt de tempore futuro, ac statu beatorum, & non de hoc præsenti sæculo, in quo est mors, dolor, & luctus.*

Probatur vera sententia.

4 *Oppones, quod vers. 12. & 13. dicitur, quod hæc civitas habet murum magnum, & altum; ab Oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres, ab Austro portæ tres,*

Solvitur objectio contraria.

tres, ab Occasu portæ tres. *At, quid cœlestis Patria, seu cœlum empyreum, cum sit super omnes cœlos? non ibi inveniuntur Oriens, Aquilo, Auster, & Occasus: ergo hæc de terrestri Ecclesia dicuntur. Respondemus, quod ut ait, Apostolus*: Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. *Hic explicatur cœlestis Jerusalem, per analogiam ad Jerusalem terrestrem, imo & per analogiam ad magnam civitatem, & inde dicitur, quod habeat murum magnum, & altum, habeatque duodecim portas ab omnibus quatuor Mundi partibus, quia ex omni plaga vocantur electi ad cœlestem Patriam. In portis, ac fundamento civitatis, sunt nomina Apostolorum, quia ut ait Paulus ad Ephesios 2. totum hoc ædificium spirituale superre ædificatur*; Super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum; *& ideo eorum nomina sunt in portis, quia per apostolicam ingreditur in Beatitudinem.*

Apoc. 21. *n.* 1. Et vidi cœlum novum, & terram novam, primum enim cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non est.

VERSIONES.

Syriacus.	Vidi cœlos novos, &c. Illud enim cœlum & terra abierunt.
Arabicus.	Cœlum enim primum, & terra prima evanuerunt, & mare non extabit amplius.
Alia lectio.	Et mare ultra non erit.
Æthiopicus.	Et mare exhaustum fuit.
Primas.	Nam primum cœlum, & terra recesserunt.
Tertull.	Abierunt, & locus inventus non est eis.

EXPOSITIO.

5 De visibilibus ad invisibilia ascendendum.

Idi *cœlum novum*. Valde mirum, quod cum D. Ioannes vellet tractare de gloria, ac beatitudine sanctorum priùs agat de innovatione hujus Mundi, & cœli, & terræ. Ad quod recte respondet Rich. Victor. & ait: *Mira providentia sacra utens prophetia, primò ponit innovationem elementorum, deinde subjungit glorificationem justorum, ut videlicet de mundanis ad cœlestia conscendamus, & de visibilibus ad invisibilia contemplanda pertingamus.* Si hæc visibilia tanta luce, ac splendore fulgebunt, in quem mutabuntur? quid erunt beati, ac cœlestes cives in gloria Dei?

6 Cœli novi & terra nova secundum substantiã.

Vidi cœlum novum, & terram. Relicta expositione morali, & mystica, de qua quæst. seq. & ut eadem quæst. dicam, non est hìc sermo de cœlo empyreo, sed de aliis cœlis Firmamenti, & planetarum, de quibus superiori cap. vers 11. dixit quod à conspectu sedentis in throno *fugit cœlum & terra, & locus non est inventus in eis*. Ait ergo quod vidit cœlum novum, non solùm qualitate, sed etiam substantia in perfectiorem, & excellentiorem naturam commutatum, ab omni alteratione, mutatione, ac concursu liberatum. *Primum cœlum, & prima terra abiit*; id est, vetus cœlum & vetus terra abierunt, ut darent locum novo cœlo, ac novæ terræ succedentibus pro eorum loco.

7 *Et mare non est*. Arabicus: *Non extabit amplius*. Quod non ita intelliges, ac si mare omnino sit abolendum, ac exsiccandum, ut Beda, & alii dixerunt, sed sic ut Evangelista ait, quod primum cœlum, & prima terra abiit, ita etiam ait, quod mare, scilicet primum abiit, seu non est, ac proinde erit aliud mare novum, non solùm secundùm formam substantialem, tunc enim non erit mare salsum, amarum, terrenum æstuans, ac procellosum, sed purum serenum, quietum & tranquillum pellucidum instar Chrystalli sed de hoc latiùs, q. 2.

QUÆSTIO I.

Quare adveniente finali judicio cœlum, & terra innovabuntur; & qualis futura sit hæc innovatio.

8 TOta Scriptura clamat adventu Judicis in finali judicio cœlum, & terram innovandam esse, ut testificatur in præsenti text. *Vidi cœlum novum, & terram novam, primum cœlum, & prima terra abiit*; & item rum vers 5. *Ecce nova facio omnia*; & superiori c. 20. n. 11. à conspectu Judicis: *Fugit cœlum, & terra, & locus non inventus est eis*; Et 2. Petri 3. n. 12. *Expectantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent. Novos verò cœlos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus*; & Isai. 51. n. 6. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*; & 65. n. 17. *Ecce ego creo cœlos novos, & terram novam, & non erunt in memoria priora*.

9 Tota quæstio in hac re consistit, an hæc innovatio Mundi futura sit substantialis, ac accidentalis. Latè hanc quæstionem tractant recentiores, & multi graves auctores cum Suar. to. 2. ad 3. p. disp. 58. sect. 2. *Dicendum tertiò*, cum Conimbr. 1. de cœlo, cap. 3. q. 1. qui dicunt hanc innovationem futuram tantùm esse accidentalem, secundùm aliquas qualitates, cursus cessationis, lucis, ac splendoris, juxta illud Isai. 30. n. 26. *Erit lux Lunæ, sicut Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum*.

10 Secunda sententia, quam communiter tuentur SS. Patres & graves doctores, quos citant, ac sequuntur Hieron. Magio lib. 2. de exustione Mundi c. 6. & 7. Molin. tract. de opere sex dierum disp. 3. Salmer. in epist. 2. Petri c. 3. Iliid. Serrar. la Haye in c. 20. Apoc. n. 11. qui citat pro hac sententia SS. Patres D. Epiph. D. Chrys. D. Justin. D. Ambr. D. Hilar. D. Hieron. in c. 34. Isaiæ asserit hanc innovationem futuram esse substantialem. Hæc sententia mihi videtur probabilior, utpote valde conformis modo loquendi sacræ Scripturæ, nam D. Petrus citat. ait in sua canonica, quod cœli, elementa, ac terra transibunt, & magno calore ignis solventur, quod non rectè dicitur per cessationem cœlorum à motu, sed potiùs per corruptionem, & alterationem denotatur cœlos perire: quidquid ignis arripit, sua efficacia, ut ligna, & saxa in cineres convertit; quod ut maximè significaret Apostolus ait: *Per quem*, scilicet Christum, *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent*; & David Ps. 101. n. 27. ait: *Ipsi*, scilicet cœli, *peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur*; sic & modus loquendi Isaiæ: *Cœli liquescent*; non propriè dicitur de accidentibus, sed de substantia rei, sicut & illud: *Creo novos cœlos, & novam terram*; creatio enim maximè tendit ad substantiam rei.

Elementorum mutatio secundum substantiã.

11 Quando dicitur, quod cœli mutabuntur, ac innovabuntur, sermo est de cœlis firmamenti, ac Planetarum; nam cœlum empyreum, ut conveniunt omnes, non est purgandum, aut immutandum, cum sit ab omni mutatione alienum, sempiternum, nullius purgationis indignes, cum sit quodammodo ipsius Dei immortalis regia, Angelorum, ac sanctorum hominum habitatio. Hoc autem cœlum empyreum, quia totum Mundum terminat, solidam partem extimam, seu supremam habere valdè probabile est; ea verò pars, quæ hominibus beatis recipiendis ab initio Mundi destinata liquida sit, ut in ea sine ulla penetratione, sineque ullo miraculo beati cum corporibus suis extensis manere possint; illius autem temperies, non aliam habet qualitatum mistionem, quam perspicuitatis, & opacitatis, cujus partes non omnino perspicuæ, ac diaphanæ, at in eo aliquæ sunt opaciores. In hoc conveniunt omnes ferè auctores pro utraque sententia proximè relata, scilicet Suar. Conimbr. Molina, Hieronymus, Mag. la Haye & alij.

Cœlum Empyreũ non innovandum.

12 Electio mutatis in melius cætera etiam perficiuntur.

Quæstio principaliter inquirit, ad quid hæc totius Mundi scilicet cœli, & terræ fit innovatio, cum Beati non sint commoraturi in terra, sed in cœlo empyreo? Respondeo primo: Paulus de beatis, ac electis ait: *Omnia vestra sunt*; indèque omnia illis debent respondere, illorumque statui esse consentanea, proindeque in novum statum beatitudinis translatis electis, respondebit novitas cœli, & terræ, & electis mutatis in melius congruum est ut cætera perficiantur. Dionys. Carthus. ait: *Cum hæc corporalia propter hominem sint creata, illi hominis statui conformabuntur, quem electi peractio habebunt judicio; ideo sicut corpora electorum innovabuntur, & digniores qualitates habebunt, videlicet claritatem, incorruptibilitatem, ita elementa, & cœlestia*

cor-

corpora tunc clariora consistent, & elementorum mutua alteratio desinet.

13 Provocamur ad gratias agendas creatori.

Secundò, ut ex tanta luce, ac splendore visibilium, scilicet cœli, & terræ rapiantur beati in gratiarum actionem, quia Deus, ea, quæ propter eos creavit tanta luce, ac fulgore illustraverit, ac condecoraverit. Richard. de S. Vict. ait: *Innovabitur Mundus, non ut homini, vel ut amplius Mundo serviat, sed ut Mundo æternaliter subsistente, homo creatori, & renovatori ejus æternas gratias agat, sicque homini maximè serviet, cum non serviat.*

14 Ex visibilibus invisibilia conjecturantur.

Tertiò, ut ex tanta nobilitate, ac sublimitate cœlorum, ac elementorum, quæ nobis proponuntur, ita ut dicat Isaias: *Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum*; inde liceat nobis suspicari, ac conjecturam facere, qualis erit gloria, ac majestas electorum in ipsa patria. D. Clemens lib. 3. de recognitione operis: *Necesse est transire statum*; ait, scilicet harum rerum, *ut status illesublimior regni cœlestis effulgeat.*

15

Quartò mysticè multi Patres, ut Joachim. Ansbert. Albert. Mag. qui dicunt hìc describi gloriam Ecclesiæ militantis post Antichristum, ut sit sensus: *Vidi cœlum novum*, cœtum nempe sanctorum, qui ad instar cœli fulgent, *& terram novam*, minores nempe fideles, jam per baptismum innovatos; *& mare non est*, id est jam non sunt gentiles qui fluctus perturbationum in navem Ecclesiæ commoveant.

16 Tot justi in mundo, tot Soles.

In eadem sententia persistunt D. Nicænus hom. 13. in Cant. & ait opificium Ecclesiæ, quasi quædam Mundi creatio est, in qua secundùm illam Vatis vocem, cœlum novum creatur, quod est firmamentum fidei in Christum, & terra nova paratur, quæ imbrem cœlestium donorum in se desuper ebibat, & alius homo formatur, qui per generationem supernam renovatur, ac imaginem creatoris, ut tanquam Mundi lux effulgeat; sic ait S. Doctor: *Nec solùm hoc novum est, in illo novo rerum opificio, quod magnam syderum multitudinem in eo condat verbum, sed quod etiam Soles multi creantur, qui bonorum operum radiis Orbem illustrent; sic etiam ait is, qui hujusmodi condidit: Fulgebunt justi, tanquam Sol*, Sap. 3. n. 7. In hoc novo Orbe Ecclesiæ in Christo; hoc cœleste cœlum Ecclesiæ, non reducitur ad unius Solis angustias, sed tot sunt sub Christo Soles, quot justi. In hoc sensu ait Christus D. Matth. 13. n. 43. *Fulgebunt justi in regno Patris eorum*; & Paul. ad Philipp. 2. n. 15. *Inter quos lucetis sicut luminaria in Mundo*; Prov. 4. n. 18. *Justorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem*; Dan. 12. n. 3. *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Jacob post luctam factam cum Deo Gen. 32. n. 30. ait: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salva facta est anima mea: Ortusque ei est statim Sol*; quam luctam exponit Oseas 12. n. 3. de oratione, ac contemplatione cum Deo; & notanter advertit text. *Ortus ei est statim Sol*; quia ubi primùm ipse unitus est cum Deo, statim in anima ejus ortus est, Solque ipse cœpit resplendescere, ac effulgere. D. Athanas. serm. 4. contra Arianos: *Sol illi exoriebatur, cum transiret species Dei, in eum scilicet.*

17 Justorum splendor impeditur societate impiorum.

Quintò Joachimus Abbas existimat in cœlo novo, & terra nova justos intelligi, qui in gloria innovabuntur; sed cur non antea à Joanne videbantur, tandiu quam cœlum novum? nonne virtus, & sanctitas radios suos spargebant? cur ergo modo ait: *Vidi cœlum novum*; & non antea? Quia nunc supponuntur impii dejecti in infernum, cum justi ab eis appareant separati, tunc tanquam cum novo splendore, innovati fulgent, & apparent; sic ait citat. Joachim: *Discedente Juda traditore à cœtu discipulorum, protinus Dominus locutus est, dicens: Nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est*, Joann. 13. n. 31. *& in eo similiter loco, ubi proposuit parabolam de inimico homine, qui seminavit zizania in medio tritici, in fine expositionis istius parabolæ, simile aliquid locutus est dicens: Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis, &c. quod cum dixisset, adjecit & ait: Tunc justi fulgebunt sicut Sol in regno Patris eorum*, Matth. 13. num. 43. *Quia nimirum non potest esse dies in perfecto splendore, quamdiu pars aliqua tenebrarum lucis corpusculum obfuscando denigrat: sed quomodo discedentibus tenebris dies clerus effulget, ita impiis in infernum dejectis apparebit cœlum novum, & terra nova.*

18

De se ait Anima sancta: *Nigra sum, sed formosa*, Cantic. 1. n. 4. undè Virgo, quæ tota formosa, & elegans erat, ut de illa à suo dilecto diceretur: *Tota pulchra es, & macula non est in te*; sic aliquantulum facie fœdata est, ut aliquid de sua venustate ei esset deperditum? undè illi nigredinis labes orta est? Ipsa proximè insinuat n. 5. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Pugna erat domestica cum hoste fœdato & immundo, & etiam à commercio, à pugna cum hoste fœdato moribus, quid nigredinis hauritur, teste D. Nyss. oration. 4. *Nigra propter pravitatis commercium reddita est.* Ab hoste capit homo fœdos mores, & quamvis hostis displiceat, illius pulvis nocet, à quo si quis non capit sordes animi, certè nævos trahit. D. Paulin. Epist. 4. ad Sever. ait: *Vel de habitatione corporea, vel de exercitationis internæ pulvere nigrentes.* Ab exercitio externo cum hoste nigredinis rubigo contrahitur, undè perbelle Seneca Lucilium monet epist. 7. *Convictor delicatus paulatim emollit, & enervat.* Ex commercio impiorum obfuscatur justus.

19

Cum Amasias Rex Juda, pugna vellet premere Idumæos, conduxit milites ad se ex Israel, hoc est ex Samaria, & Ephraim. 2. Paralipomenon, capite 25. numer. 6. *Tunc vir propheta venit ad illum, & ait: O Rex ne egrediatur tecum exercitus Israel; non est enim Dominus cum Israel, & cunctis filiis Ephraim*, ibidem numer. 7. & cur tam districtè mandat Deus, ut Rex Juda à se disjungat, ac separet exercitus Israel, ac Samariæ? Erat miles Samarites colendis vitulis deditus, & inde non solùm ex corrupta ejus fide, via peccandi aperiebatur, sed etiam ex eorum societate fideles obfuscabantur, ne Dei gratiam ad victoriam assequerentur, ideo mandat Dominus eos amovere: *Quoniam erant idololatræ, ideo eorum societas magis nocuisset, quàm juvisset.*

QUÆSTIO II.

Quare Evangelista ait simpliciter, quod mare non erit, cùm sit innovandum sicut cœlum & terra.

20

GRaves authores, ut Beda, Andreas Cæsariensis, Aretas, Haymon, & ex recentioribus Ferrarius, omnes absolutè dicunt post diem judicii mare esse exsiccandum, ac omninò tollendum, omneque illius spatium in superficiem terræ redigendum. Fundantur, quia noster Joannes ait in præsenti: *Mare non est*; cùm immediatè antea dicat: *Vidi cœlum novum, & terram novam*; ita etiam si mare futurum erat novum, debebat dicere, & mare novum; at hoc non dixit, sed tantùm simpliciter, mare non est; ergo absolutè mare non erit.

21 Vera sententia.

Tamen communis, & vera sententia est, quam tenent Pannonius, Ansbertus, Divus Thomas, Carthusianus, & communiter Interpretes, Viegas, Cornelius, & alii, quod mare innovabitur, & fiet novum mare æquè, ac cœlum, & terra, fietque stabile, purum, pellucidum, quietum, serenum, fulgidum, ut non videatur mare, sed esse veluti crystallum; & hoc benè colligitur ex text. infra vers. *Ecce nova facio omnia*; illud enim, omnia, est universale, & comprehendit universa. Et ratio efficaciter urget, quia mare est unum ex quatuor elementis spectans ad perfectionem Universi, ac proinde tolli non debet, sed conservari, ut Universum suam habeat integram perfectionem; conservari autem habet, mutatum tamen, & novum factum, sicut cœlum, & terra.

22 Solvitur fundamentum contrarium.

Nec obstat. quod noster Joannes dicat: *Vidi cœlum novum, & terram novam*; & quid simile non dicit de mari, sed potiùs ait: *Mare non est.* Respondeo, quod cùm noster Evangelista dicat: *Vidi cœlum novum, & terram novam*; etiam intelligit nova facta, quæ in medio interjacent; sicut cum Moyses ait 1. Genes. numer. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*; per hæc duo cœlum & terram, quæ sunt extrema, intelliguntur quæ in medio habentur, ut aqua, aer, & ignis: ita Divus Basilius homili 1. in Hexaemer. Valentia de Opere sex dierum, & ad form Genes.

Perei-

Pereira, & alii multi apud ipsos: sic noster Joannes, cùm ait, cœlum novum, intelligit etiam media elementa innovata. Si verò dixit: *Mare non est*; hoc dixit sicut illud: *Primum cœlum, & prima terra abiit*; & ait: *Mare non est*; scilicet primum, aliud intelligens novum, sicut cœlum, & terram, ideo dixit: *Ecce nova facio omnia*.

23 Divus Augustinus libro vigesimo de civitate Dei, capite vigesimo sexto dubitat dicens: *Utrum mare illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facilè dixerim: fortassè tamen maris nomine intelligitur hoc sæculum turbulentum, & procellosum.* Hoc posito ait Noster Evangelista: *Et mare jam non est*; seu ut habet Arabicus: *Mare jam non extabit amplius*; & quomodo hoc potest stare cùm dicatur Apocalyps. 4. *Et in conspectu sedis tanquam mare vitreum simile crystallo*: ergo si mare vitreum tanquam crystallum erat juxta Dei thronum, quomodo dicitur de mari, jam non est? cur non potiùs dicitur de eo in melius esse mutatum, nempe in crystalli, aut vitri soliditatem, ac tranquillitatem? cur magis de illo asseritur, quod non est? Divus Augustinus ait, quod per mare intelligitur hoc sæculum turbulentum, & procellosum, & ideo huic mari, seu præsenti sæculo est essentialis, & intrinseca mutabilitas, & inconstantia, ut eo ipso, quod firmum, ac solidum ostendatur instar crystalli, jam totaliter credatur, hoc mare, seu sæculum periisse, & non esse. Quod benè ad hanc humanam vitam refert Andreas Cæsariensis, & ait: *Observandum autem est, de cœlo, & terra hìc affirmari transisse, hoc est mutata esse in meliorem formam; de mari autem non amplius existere, cum mare sublimiori quodam sensu significet præsentem hanc mortalem vitam fletibus, & perturbationibus plenam; in hac notione nullus erit ei locus, siquidem nil perturbationis, aut formidinis sanctis reliquum erit:* Sic propria est humanæ vitæ mutabilitas, ac turbatio, quod ubi apparet aliquid firmum, & tranquillum, jam non creditur esse vitæ humannæ, sed omninò eum periisse, ac esse extinctum, & rem esse alterius conditionis.

In temporalibus nil solidum, & omne vanum.

24 Dum Daniel somnum Nabuchodonosori explicat, ait ei capite 2. numer. 31. *Videbat, & quasi statua una grandis, statua illa magna, & statura sublimis*; Arabicus, Pagninus legunt: *Ecce una imago grandis, imago quæ sic erat*. In sublimi imagine, auro, argento, ære, & ferro constanti mundialia omnia regna, & imperia monstrabantur à Deo; & cur non potiùs ostenduntur à Deo in seipsis? Diabolus Christo in deserto *ostendit omnia regna Mundi*, Matthæi 4. num. 8. Diabolus ut decipiat, regna Mundi objicit tanquam si habeant opulentiam, magnitudinem, & firmitatem, at verò Deus ut sincerè, & apertè veritas appareat, illa omnia in imagine exhibet, quia nihil solidum habent in se, sed solùm quandam repræsentationem & figuram, vacuitatem, & inanitatem. Theodoretus ibi ait: *Qua de causa in imagine multiplicis hujus materiæ vidit compositionem? Imago figuras, & non res habet. Talis est præsens vita, quæ nihil habet perpetuum, neque stabile, quare Paulus exclamat: Præterit figura hujus Mundi. Quando itaque præsens vita celerrimas habet mutationes, mortalia enim omnia, quæ videntur ad exiguum tempus permanentia, & imago rerum vim haud continet, sed solas Regum, ac Principum, & illis subjectorum figuras continet, meritò rerum omnium author superbum illum docere volens, quanta sit humani supercilii vanitas, & quam facillimam habeant res humanæ mutationem, imaginem illi in somniis proponit:* vide supra capite 15. quæstione 6. numero 49. & capite 16. quæstione 18. numero 130. & capite 17. quæstione 21. numero 184. & seqq. & quæstione 27. numero 239. & seqq.

Temporalia solum habent imaginem & præsentationem.

Apoc. 21. n. 2. Et ego Joannes vidi sanctam civitatem Jerusalem novam, descendentem de cœlo à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.

VERSIONES.

Syriacus. Illam sanctam Urischlem novam vidi.
Arabic. Et urbem sanctam, ornatamque ut sponsam.
Primas. Ornatam conjuge suo.
Græcus. Ornatam marito suo, descendentem à Deo de cœlo.

EXPOSITIO.

ET *ego Joannes vidi*: In toto hoc libro Apocalypseos, noster Joannes magna, & alta mysteria vidit, & tamen in aliis visionibus non apponit nomen suum, ut in præsenti visione videmus, cum sufficeret dicere: Vidi civitatem; cùm apertè inde cognoscebatur, quisnam esset ad tantam visionem sublimatus. Joannes interpretatur gratia, & in præsenti sermo est de gloria, ut inde deprehendatur, quod solùm ille, qui fuerit gratia plenus, poterit cœlestem beatitudinem agnoscere, & videre. Divus Bernardus in præsenti ait: *Joannes loquens de Sanctorum gloria nomen suum apponit, quod non facit, quando vidit alia, quia Joannes interpretatur gratia; ad innuendum ergo quod nullus illam civitatem ingrediebatur, nisi haberet hanc gratiam in via, ideo nomen suum apposuit.*

25 Nullus ingreditur in gloriam nisi in via habuerit gratiam.

Vidi, vel oculo mentis, vel etiam corporeo; dura ipsa civitas tanquam quid materiale objecta est oculis. *Sanctam civitatem, Jerusalem*; magis emphaticè legit Syrus: *Illam urbem sanctam*. Civitatem, nempe Ecclesiam triumphantem, omnium sanctorum collectionem, Proindèque civitas hìc non dicit ipsum materiale opificium, sed formale civium ædificium, qui conflant illam civitatem. *Sanctam*; immaculatam, & mundam, in eam enim nihil coinquinatum intrat: *Novam*; non veterem illam, ac terrestrem, sed cœlestem, quæ meritò nova dicitur, ob novum gloriæ statum, novamque corporum glorificationem. Dicitur nova, quia ut ait Primasius, nulla in sanctis vestigia vetustatis remanebunt; meritò ergo dicitur nova, quia finita sunt omnia vetera, juxta illud; *Vetera transierunt. Jerusalem*; quæ dicitur pacis visio, ibi enim nullæ erunt perturbationes, ac tumultus, sed summa pax, ac quietudo.

26

Descendentem de cœlo à Deo; tanquam ab auctore, à quo habet ortum, & originem, cùm omnis sanctitas sit à Deo, ac proinde, *à Deo*, potiùs conjungendum est cum *descendentem*, quàm cum *paratam*. Vel ut etiam multis placet, hìc introducitur ipsa cœlestis curia, tanquam descendens ad recipiendos gloriosos martyres, qui pro Christo contra Antichristum dimicarunt. *Paratam*, charitate, ac omnibus virtutibus; vel *paratam*, comptam, compositam omnibus cœlestibus donis, quæ ad veram felicitatem pertinent. *Sicut sponsam ornatam viro suo*; ut decet Regi immortali sociatam. Sponsa exornatur, pro dignitate, ac qualitate viri sui; aliter exornatur sponsa Principis, ac nobilis, aliter, sponsa plebeji, & inferioris; animæ autem sanctorum per gratiam, & gloriam desponsantur cum agno Christo Jesu. Ex quo conjice, quanta erit majestas sanctorum in gloria.

27 Parata & ornata ut sponsa summi Regis.

QUÆSTIO III.

Quænam sit hæc sancta civitas Jerusalem.

PRimasius, & Beda, per hanc sanctam civitatem Jerusalem interpretantur Ecclesiam militantem; tamen communiter omnes Patres, & Interpretes intelligunt Ecclesiam triumphantem: ita Aretas, Andreas Cæsariensis, Divus Ambrosius, Ansbertus, Rupertus, Albertus Magnus, Alensis, Divus Thomas, & alii; & apertè convincitur ex text. versu 4. *Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor*; & versu 22. *Templum non vidi in ea, templum illius enim agnus*; & versu ultimo: *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum*; & cætera omnia, quæ apertè convincunt sermonem esse de Ecclesia triumphante, seu de cœlo empyreo cœtu, & collectione sanctorum; & rectè dicitur, sancta civitas Jerusalem, ut modo explicavi in expositione, nec hìc iterum repetenda.

28

Alcazar hæc refert ad statum, quem habuit Ecclesia triumphans dum adhuc militavit in terris, nam è cœlo habuit omnia, spiritum, doctrinam, sacramenta, & gratiam. At ut benè objicit Cornelius: *Descendentem*, ut patet ex radice græca est in præsenti,

29

senti, quæ modò descendit, & non quæ jam olim descenderat, & ea quæ modò diximus contra primam sententiam, etiam contra hanc Alcazaris faciunt; & non possunt adaptari ad ipsam Ecclesiam prout militavit in terris.

30 Quatuor dicuntur de cœlesti Jerusalem. De hac Ecclesia triumphante, quatuor hìc notantur à nostro Evangelista, ut advertit Albertus Magnus, & ait: *Nota quod quatuor hìc tanguntur, quæ pertinent ad Ecclesiæ gloriam. Primum est unanimitas, seu conformitas, ideo dicit: Vidi civitatem; id est, civium unitatem. Secundum est securitas, propter quod dicit sanctam, id est firmam, & securam. Tertium est pax, undè dicit Jerusalem, quæ est visio pacis, in omni pace & quiete constituta. Quartum novitas, quam habet per dotes, & ideo dicit novam, id est innovatam, quia immortalem, impassibilem, &c. In his quatuor consistit perfecta gloria, quæ sunt uniformitas in appetendo, securitas in possidendo, pax quoad Regem, & consortes, novitas in se quoad dotes.*

31 Maximè distat sancta civitas Jerusalem à civitate Babylonica. Eleganter Pannonius opponit hanc cœlestem Jerusalem Babyloni, cujus sordes, & clades audivimus capite 17. & 18. quæ breviter sic ex ipso Pannonio refero. Babylon interpretatur confusio, in qua degunt quicunque serviunt carni. Jerusalem pacis visio, qua summa fruuntur cives ejus; in Babylonia certamen & bellum, in illa meretrix super bestiam colitur, in ista Deus adoratur; meretrix non dat nisi abominationes spurcitiæ suæ, Ecclesia charismatum dona distribuit; nova hæc omni virtutum germine, vetus illa, & rugosa, quæ florem juventutis suæ profligavit cum amatoribus terræ. Speciosa virgo est Ecclesia, sponsa pudica, à Deo de cœlis descendens, in omni ornatu virtutum spiritualium, decora, ideoque parata, cujus odor inæstimabilis, amis in vestitu ejus, &c. Babylon autem nullo decore, nulla honestate, nulla commendatione, utpote suarum libidinum spurcitiis abominabilis, & opprobriis, & confusione flagitiorum plena. Hæc ex Pannonio.

32 Virgo B. animata civitas ad nos descendens de cœlo. Mysticè, ac moraliter Georgius Metropolitanus Nicomediensis, oratione 5. ad hunc locum Apocalypseos alludens, sanctissimam Virginem Mariam appellat *animatam Dei sanctam civitatem Jerusalem*. Dicitur animata civitas, quia in ea Deus, ut in regia civitate habitat; *sancta*, quia ab ea manavit, & prodiit omnis sanctitas Christus Jesus; *Jerusalem*, quæ est visio pacis, quia ejus interventu suprema pax facta est inter Deum, & homines; *nova*, quia ejus precibus homines innovantur in justitia, & gratia; *descendens à Deo de cœlo*; hìc juxta sensum literalem, repræsentatur, ac fingitur, ac si ipsum cœlum empyreum, seu cœtus beatorum ad terram descenderet, ut ex meritis filii sui, ac ejus intercessione homines terrestres in cœlis adoptentur, in cœlestiaque habitacula ducat, super omnesque cœlestium gratiarum rorem diffundat.

33 Fons gratiarum Mariæ inex haustus. De terrestri Paradiso dicitur Genes. 2. numero 6. *Fons ascendebat à terra irrigans universam superficiem terræ*; & iterum numero 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita*. In hoc fluvio ac fonte Dei curam præfigurari scribit Jacobus Monachus oratione in ejus nativitate, dicens: *In te Virgo Maria abundantiùs exundant perennis gaudii flumina, terramque totam in Orbem gyrantia, inexhaustam restagnant gratiam*. Flumina gratiarum ex Maria totam terram in Orbem in quatuor partes divisum gyrant, ne quis sit Marianæ beneficentiæ exors, sicque universam terram alluunt, ac fœcundant, *ut inexhaustam restagnent gratiam*; quæ verba alta meditatione sunt expendenda. Quamvis abundanter ex Maria flumina gratiarum, donorum, ac sanctitatum exundent in totum terrarum Orbem, & quantumcunque quis hauriat, nunquam tamen illam poterit exhaurire: *Ut inexhaustam restagnent gratiam*. Tanta gratia tantisque donis locupletata est à filio suo, ut de illa bibens universus Orbis exhaurire non valeat, ut quantumcunque quis bibat, magis ac magis de illa participare potest.

Scribit Divus Lucas cap. 2. nu. 25. *Ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus Sanctus erat in eo*; tamen ut vidit puerum Jesum ingressum in Templum in Marianis ulnis, exclamat: *Quod paraisti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium*; usque modò expectabat in Christo consolationem unius populi Israel, jam verò modò ipsum contemplatur, ut salutem, ac lumen omnium populorum, ac gentium; undè illi tam diversa consideratio? undè ille qui ad unius populi salutem erat intentus, jam omnium populorum remedium meditatur? Quandiu ipse ut justus, rectus, ac sanctus oculos elevabat in Christum, ipsum ut salutem unius populi reputabat, at ut ipsum in Marianis manibus agnovit, à Marianisque manibus accipit, jam illum non unius populi Israel, sed omnium populorum, ac gentium salutem, & lumen æstimat; à Marianis enim manibus fluunt gratiæ in totum terrarum Orbem, ut omnes de illis hauriant & participent. Ad hæc author Gregorius in catena Græca, & ait: *Antequam Simeon dignus videretur beatæ visionis, præstolabatur solatium Israel, ut autem quod sperabat, obtinuit, exclamat se vidisse salutem omnium populorum*. Antequam videret sperabat salutem unius populi Israelis, & ubi vidit puerum Jesum in manibus Mariæ, sic incrementum concipit, ut omnium mortalium salutem exclamet. 34 E manibus Mariæ fructus salutis, omnibus populorum prodit.

Ecclesiastici cap. 24. nu. 7. ait de se Æterna sapientia: *Ego in Altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis*. Thronus Dei est sanctissima Virgo Maria, in qua Deus tanquam in regali solio requiescit, inde dicitur in Psalmis: *Thronus ejus sicut dies cœli*; sed quid habet Deipara cum columna nubis? Recole ex libro Exodi cap. 13. n. 21. Columna nubis semper in via protegebat populum ut etiam ab ipso peccante non recederet, nocte illuminans in tenebris, die verò ostendens viam ad terram promissionis; inde sanctissima Virgo Maria tanquam columna nubis se gerit, justos & peccatores benignè protegens, ac pio vultu refovens, peccatores, ut in tenebris suorum peccatorum illuminet ad gratiæ splendorem, justos verò degentes in justitiæ claritate, ut eos ad cœlestem patriam ducat. Cardinalis Hugo ait: *Hæc est columna nubis, quæ præcessit, & protexit filios Israel per desertum, ita stabilis, ut nec ab ipsis peccatoribus recesserit; sic Beata Maria multos in peccato protegit, ipsa enim est advocata peccatorum. Item columna illa nubis statione sua loca castrorum monstrabat; scit Beata Virgo, ubi locus est aptus quieti exercitus christiani, ubi scilicet non sunt leones, neque serpentes, neque vermes, sed fontes, & prata, & arbores, &c.* 35 Maria pro omnium salute valde sollicita

QUÆSTIO IV.

Quare cœlestis Jerusalem, cùm sit valdè perantiqua, dicitur tamen in præsenti nova.

QUocunque modo accipias hanc sanctam civitatem Jerusalem, ipsa semper valde perantiqua est, nam si cum communi sententia de triumphanti intelligas, si per respectum ad Deum, prout est ejus regalis curia, potest dici æterna, ut ipse Deus, si per respectum beatorum à creatione, ac beatitudine Angelorum; si vero intelligas de Ecclesia militante, hæc constitit ab infusione fidei in ipsis primis parentibus: cùm ergo hæc sancta civitas in utroque sensu sit tam perantiqua, quomodo dicitur in præsenti nova? 36 Difficultas quæstionis.

Respondeo quod rectè cœlestis Jerusalem, ac triumphans Ecclesia dicitur nova, ut distinguatur à terrestri Jerusalem, & ut etiam denotetur novus status gloriæ, novaque glorificatio sanctorum; tam secundùm animam, quàm corpus, vetera transierunt, nova sunt omnia, ut dixi in expositione, & ut ait Primasius: *In judicio Dei, quod erit manifestum per ejus filium Jesum Christum, tanta ejus, & eorum qui de Dei munere claritas apparebit, ut nullis remanent vestigia vetustatis; quandoquidem & corpora ad [illegible] irruptionem,* 37 [illegible] nova dicuntur. Summa aviditate, [illegible] Beati videt Deum.

nem, atque immortalitatem novam, ex veteri corruptione, ac mortalitate transibunt. Deinde cœlestis dicitur civitas nova, quia infinita Dei bonitas, quæ in ea se ostentat, tanto affectu, desiderio, ac gaudio à beatis videtur, tantaque submissione, ac veneratione ab eis colitur, ac si in quolibet momento, ac instanti quid novum, & nunquam antea visum appareret. In hoc sensu explicavi supra cap. 5. vers. 9. q. 25. n. 25. quod cœlestis curiæ cives *cantabant canticum novum*; quod canticum erat de morte, ac passione Christi, quæ jam erat antiqua. Dicitur tamen canticum illius novum, quia tanta aviditate, jucunditate, ac amore, & reverentia iterum, atque iterum, imò millies absque fastidio repetebatur, ac si in qualibet vice esset novum, & nunquam antea auditum. Gilbert. Abbas ser. 4. in Cant. & ait: *Verè novum, cujus nescit antiquitatem materia, fastidium gratia, quæ semper est in amore recens, usu recentior.*

38 Ecclesia militans ex multiplici capite nova

Si verò de Ecclesia militante intelligas, rectè dicitur Jerusalem nova distinctione ab antiqua terrestri; & quia in hac Ecclesia vetera transierunt, & nova sunt omnia, novus legislator Christus Jesus, novaque lex ab eo promulgata, novoque & amplissimo gratiarum imbre, ex ejus pretioso sanguine irrigata, novaque doctrina evangelica illustrata, scripta à quatuor Evangelistis, & à SS. PP. ac Ecclesia Romana in vero sensu explicata, sanctissima sacramentorum administratione fœcundata, sacro cæremoniarum cultu expolita, novaque præsentia Christi sacramentali munita, ac corroborata, mira excellentissimorum Ecclesia semper nova prole renascitur

ministrorum varietate circumdata, illustrissimarum Religionum institutis insignita; etsi hæc Ecclesia perantiqua, quotidie tamen nova prole, novo fœtu renovatur, ac renascitur, undè de tam fœcunda novitate Ecclesiæ lætari, ac exultare nos hortatur D. Zeno lib. 2. ser. 24. & ait: *Exultate igitur fratres, ædificationemque vestram ede ista de novella cognoscite.*

39 Christianus novo exortu quotidie debet proficere.

Loquens Isaias 40. n. 31. de justo, & sancto ait: *Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ;* quod magis exauditum in Mundo, quàm quod justus mutet suam fortitudinem, si eam, quam habebat relinquat? nil magis nobis commendatur à Domino, quàm quod constantes, & perseverantes simus; quomodo ergo S. Propheta ait, quod justus reponens suam spem in Deo, suam fortitudinem mutet? Omnia optimè cohærent; vult Propheta, quod ita simus perseverantes in nostra vocatione, ut ad perfectam salutem assequendam ex vocatione concepta, non unam fortitudinem habeamus, sed plures, non quiescamus una fortitudine, sed instar mutatoriæ vestis quotidie novam fortitudinem induamus. Gilbert. Abbas ser. 14. in Cant. ait: *Mutabunt fortitudinem, non quidem, ut veterem perdant, sed ut novam adiiciant, qui senescentem devotionem, & quodam languentem tædio, in novum denuo fervorem reducant, & perseverantiæ fastidia nesciant, reparatione frequenti. Mutatio hæc profectuum videtur innovatio jugis, sine defectu, sine fatigatione.* Magnum fundamentum christianæ spei est, nova & frequens nativitas, jugisque renovatio profectuum.

40 Jesus quærit vitæ novitatem.

Mandat Dominus suis discipulis Lucæ 19. nu. 30. *Ite in castellum quod contra est, in quod introeuntes invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo unquam hominum sedit, solvite illum, & adducite,* &c. Considera quid Dominus sibi mandat adduci; non equum, non asinum, sed pullum asinæ, seu asellum; & cur tam parvum animal sibi Dominus gaudet adjungi? Erat in illo animali vitæ novitas, qua Jesus maximè tenetur; nihil meus Jesus amat vetustum, sed quidquid est veteris hominis abjicit, & novitatem vivendi in suis requirit. Sic ait Apollinaris in catena Græca D. Luc. *Per hoc, quod pullo asinæ insederit, nobis declaratur, cœlestem dari, & Jerosolymæ Regem novo populo insedisse; pullus enim significabat vocationis novitatem.*

41 Vetera abjicienda, nova inquirenda.

Ajebat anima sancta ad suum dilectum Jesum: *Lectulus noster floridus,* Cant. 1. n. 15. in hortis flores suo nativo splendore virescunt, at in lectulo, necesse est marcescant, imò ut penitus putrescant; quomodo ergo invitat suum sponsum, ex eo quod lectulus sit floridus, cùm brevissimè flores decidant? At anima sancta tam vigilanti cura prædita erat ut pro quolibet momento lectulus animæ suæ novis floribus suppositus exornabatur. Flores in lectulo marcescunt, nisi adsit studium renovandi in dies, at si frequenter novi addantur, semper nitidus mira varietate purpurat. D. Bern. ser. 47. in Cant. ait: *In campo quidem, & in horto oritur flos, in thalamo autem minimè, sed jacet tanquam qui illatus, non innatus. Propterea, & necesse est reparare frequenter, & recentiores apponere flores, quod odorem suum minimè retineant, nec decorem: quod si lectulus respersus floribus conscientia est bonis referta operibus, video certè, ut similitudo servetur, nequaquam sufficere semel, vel secundò operari, quod bonum est, nisi incessanter addas nova prioribus.* Expende ultima verba.

QUÆSTIO V.

Quare cœlestis civitas, quæ est cœlum empyreum immobile, hìc visitur descendens.

DE opinione Alcazaris jam egi q. 3. Maldonat. ad c. 25. Matthæi astruit hìc civitatem cœlestem descendere cum Christo ad judicium in valle Josaphat, ut scilicet judicet Orbem. At hæc sententia non cohæret cum textus serie, de judicio enim jam noster Joannes tractavit superiori cap. ubi, quæ ad illud pertinent jam absoluta sunt. 42

Cornelius verò ait figuratè dici Jerusalem cœlestem descendere de cœlo, ut electos ad se assumat; fingitur enim cœlum empyreum & Ecclesia, sive cœtus beatorum in terram descendere, ut homines terrestres sibi cives adoptet. Quæ sententia ad theses morales maximè juservit, sic enim pigri & inertes ad cœlestia sunt homines, quod nisi superna Jerusalem ad ipsos descendat, ipsi ad eam ascendere oscitanter negligant, hinc Joannes Matth. 3. n. 2. clamabat: *Appropinquavit regnum cœlorum*; tanta enim hominum inertia ad illud, quod nisi ipsum regnum cœlorum descendat, ad illosque appropinquet, minimè homo pedem moveat, ut ad illud ingrediatur. Gloss. ibi ait: *Appropinquavit regnum cœlorum, quia nisi appropinquaret, nemo redire posset:* vide quæ dixi tom. 2. in Evang. cap. 5. q. 10. n. 85. Hæc tamen sententia non est secundùm literam, quia in hac cœlesti curia jam supponuntur electi, & ex eis ipsa conflatur; quomodo ergo assumet ad se quos jam habet in se, & per quos ipsa consistit. 43 Valde desides homines ad gloriam, quæ velint cœlum ad eos descendere

Vera, & genuina sententia est, quod dicitur civitas *Jerusalem descendens de cœlo à Deo*, ut à suo auctore, à quo tota ipsa cœlestis beatitudo habet originem, & à quo composita, ordinata, ac fabricata est, ab ipsoque secundùm omnes excellentias, & perfectiones manat; undè ut benè notant Cornel. la Haye, Ferrarius, hæc verba, *à Deo*, non sunt referenda ad sequentia, *paratam*, sed ad antecedentia, *descendentem*; quod patet ex textu græco, qui habet: *Descendentem à Deo de cœlo.* Huic sententiæ favet D. Aug. lib. 20. de civ. c. 13. dicens: *De cœlo dicitur descendisse, quia cœlestis gratia est, qua Deus eam fecit, & de cœlo quidem ab initio sui descendit, Spiritu Sancto misso de cœlo.* 44 Vera sententia.

Mysticè ac moraliter. Pulchrè Rupertus in præsenti considerat discrimen, inter civitatem sanctam Dei, ac impiam Diaboli; hæc sancta civitas Jerusalem scribitur descendens: *Descendentem à Deo*; at civitas Diaboli repræsentata in Lucifero, introducitur ascendens: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*; quid inde factum est? Hæc civitas Diaboli, dum intendit ascendere, cecidit, & ruit: *Ad infernum detraberis in profundum laci*, Isai. 14. n. 15. at civitas sancta Dei, dum descendit, sic extollitur, & sublimatur, ut fulgeat, ac resplendeat claritate, ac luce Dei, ut dicitur infra vers. 10. *Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem, habentem claritatem Dei.* Qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur. Rupertus: *Descendentem dixit non cadentem, ut cecidit ille Angelus, & Diabolus factus est, & Satanas; cadere namque superbiæ, descendere humilitatis est: talis descensus gloriosus est, & in magna claritate sublimis. Cum dixisset* 45 Qui se humiliat exaltatur.

dixisset descendentem de cœlo, rectè subjunxit, habentem claritatem Dei.

46 Et confirmatur, quia dicitur: *Descendentem de cœlo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Parata, & ornata scribitur omni sanctitate, virtute, ac donorum opulentia, & tunc ut descendens nobis proponitur, quanto enim quis plus proficit, tanto magis se demittere debet, ut Deo placeat. Galfridus in Allegoria super Genesim, ait: *Gradus scalæ profectus vitæ, ascendunt per eam Angeli, & descendunt. Dum sectatores angelicæ puritatis, & æmulatores societatis eorum, quanto magis proficiunt, tanto humiliores existunt.*

Quanto quis proficit, tanto plus se demittit.

47 Secundò ecce introducitur Ecclesia triumphans de cœlo descendens; & cur descendit? Ut nempe militanti opituletur: hæ duæ Ecclesiæ valde conjunctissimæ sibi sunt, imò ut vult Divus Augustinus lib. 10. de civit. cap. 7. nos cum ipsis sumus una civitas Dei, de qua dicitur in Psalmo: *Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei*; cujus pars in nobis peregrinatur, pars in illis regnat, & nobis opitulatur; non ergo mirum, quod illa de cœlo descendens appareat, ut militanti opituletur; sic ait S. Augustinus: *Quæ tota hic accipienda est, non solùm ex parte, quæ peregrinatur in terris, verùm etiam ex illa, quæ in cœlis semper, ex quo condita est, adhæsit Deo. Hæc in sanctis Angelis beata persistit, & suæ parti opitulanti, sicut oportet, opitulatur, quia utraque una erit consortio æternitatis, & nunc una est vinculo charitatis, quæ tota instituta est ad colendum Deum.*

Ecclesia triumphãs militanti opitulatur.

48 Tertiò quomodo Joannes ait, quod viderit sanctam civitatem descendentem, cùm ipse dicat infra versu 16. quod *Civitas in quadro posita est*? nam quod descendit movetur, forma autem quadrata immobilitatis symbolum est. Tamen nulla est contradictio, nam hìc civitas cœlestis sumitur per respectum ad Angelos, qui quotidie ad nos descendunt de cœlo, Angeli enim quò ad nos sunt mobiles, tamen quoad Deum immobiles, cùm ab ejus contemplatione nunquam recedant; ita ponderat Div. Bernard. ser. 5. de dedicat. Eccles. ad illa verba Christi D. Matth. 18. num. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; sic ait S. Doctor: *Sicut videlicet parvulorum custodiæ deputati, ut non privati ullo modo beatitudine sua; hinc est, quod Joannes sanctam civitatem descendentem vidit, stantem non potuit videre.* Quamvis Joannes oculis non potuit videre simul civitatem stantem, & descendentem, tamen mente utrunque posse simul stare optimè intellexit, quia ut rectè docet Div. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 2. Angeli sancti ministrantes descendunt ita ad nos, ut simul stent intuentes divinam essentiam.

Angeli sic ad nos veniunt, ut Dei visione fruantur.

Cœlum descendit ad Angelos Custodes.

49 Confirmatur ex his, quæ ait Isaias cap. 6. n. 2. quod viderit Dominum in solio majestatis: *Seraphim stabant super illud, sex alæ uni, & sex alæ alteri; duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes, & duabus volabant*; in quo est celebris difficultas. D. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto c. 22. & ait: *Si stabant, quomodo volabant? Et si volabant, quomodo stabant?* Stabant defixi in contemplatione divinæ essentiæ, & volabant in ministerium, ad quod erant missi. Ait David Ps. 103. n. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Angeli per essentiam sunt spiritus, quid ergo ait David quod Deus facit Angelos suos spiritus? Spiritus est, per quem homo vivit, & alitur, Angelus respectu sui clientis est veluti spiritus, per quem respirat, & vivit ad vitam gratiæ lectam. *Et ministros tuos ignem urentem.* Peroptimè Angelus dicitur ignis, qai inter elementa est summæ efficacitatis, & contigua corpora ad se convertit. Angelus tutelaris summæ est efficaciæ pro nostra salute, & ita de illa sollicitus ut ex hominibus, morum puritate, ac vitæ sanctimonia Angelos facere intendat, & eos similes sibi facere.

Angelus tutelaris valde sollicitus pro nobis.

50 Quartò valde mirabile est, quod cœlestis curia descendens videatur, tota tamen admiratio ex sequentibus tollitur, cùm dicitur: *Audivi vocem dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus*; ac si dicatur: Non admirandum civitatem Dei descendere ad homines, cùm apud ipsos sit Dei tabernaculum, filius nempe Dei factus homo; inde non mirabile, quod cœlestia regna non se contineant, sed maximè festinent ad nos venire. Ait regius Vates Ps. 140. n. 5. *Domine inclina cœlos tuos, & descende*; benè poterat ipse descendere, cœlis in sua celsitudine manentibus, veniat ipse, & cœli suo loco maneant; ad quid necessarium est utrunque conjungere, ut inclinet cœlos, & descendat? Maximè sanè hæc duo sunt conjuncta; cùm filius Dei ad homines venit, statim omnia cœlestia se se inclinant, & ad homines veniunt. D. Bern. ser. 5. de dedicatione Ecclesiæ, ait: *Quidni pro eis, inclinet cœlos, pro quibus ipse quoque cœlorum Rex inclinavit se, ita ut digito in terra scriberet: Domine inclina cœlos tuos; parum est: & descende.*

Ut filium Dei ad nos accipiendos, atque in sua cœlestia ad hos vocandos.

QUÆSTIO VI.

Quare cœlestis civitas apparet descendens in occursum Deiparæ in die suæ Assumptionis.

ECce Joanni tota cœlestis civitas magno, ac præclaro decore, ac ornatu è cœlo descendere ostenditur: ad quid necesse fuit, ut tota civitas veniret? Ut nempe ad se exciperet Deiparam in sua magnifica assumptione; ait: *Vidi Ierusalem descendentem de cœlo à Deo ornatam, & lapidibus pretiosis intextam. Quo profectò hodie decorata ideo descendit, ut Reginam Mundi, Beatam scilicet Mariam, secum eveheret ad sublimia, & collocaret in throno regni.* Non solùm filius Mariæ, sed etiam tota cœlestis civitas, cum magno lætitiæ, ac festivitatis apparatu occurrit, ad Virginem ascendentem in cœlum excipiendam. 51

Festivo applausu cœlestis civitas occurrit Deiparæ.

Dicitur supra Apocalyps. 14. n. 1. *Ecce Agnus stabat supra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia; & audivi vocem de cœlo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem, quam audivi, sicut citharædorum, citharizantium in citharis suis*; cur omnes cœlites, cum tanto jubilo, exultatine, ac festivo gaudio cum canticis, ac citharis ad sanctissimum agnum conveniunt? ut nempe Deipara à filio suo in cœlestibus excipiatur. Divus Ildeph. sermone citato sic ait: *Quando hodie beata Virgo in cœlestem Ierusalem evehitur, non dubium, quin illa centum quadraginta quatuor millia qui in conspectu throni sunt, tenentes citharas suas cecinere cum omni fragore cœli canticum novum, quod nemo potest dicere nisi ipsi, qui hodie festivi veniunt obviam cum citharis suis, ac læti in suos Beatam choros excipiunt Virginem.* Quanta festivitas, ac exultatio hodierna die abundavit in cœlo, solùm ipsi cælites capiunt & dicere valent: *Nemo dicere potest, nisi ipsi, qui hodie festivè veniunt obviam.* 52

Gaudium Cœlitum in die Assumptionis solum ipsi valent explicare.

D. Athanas ser. de Deipara Psal. 44. ab illis verbis versu 10. *Astitit Regina à dextris tuis*; totum de Beata Virgine interpretatur. Dicitur Regina, utpote mater supremi Regis. *Astitit*, seu ut alii legunt *stat*; & non dicitur sedens, sed *astitit*, ut valde prompta in nostrum auxilium, ac subsidium; & in hac consideratione dixit D. Stephanus: *Video filium hominis stantem à dextris*, Actor. 7. num. 55. Et dicitur *à dextris tuis*; quæ verba sic explicat D. Bernardus tom. 3. serm. 11. art. 3. & ait: *Sicut benedictus Iesus sedet à dextris Patris, id est in potioribus bonis paternis, sic ista Virgo gloriosa in potioribus bonis filii sui Iesu juxta ipsum in throno sublimata consedit.* Nota verba, quod *sicut Christus sedet in potioribus bonis Patris, sic & ipsa Virgo sedet in potioribus bonis filii sui.* Altè perpende, quod ut D. Marcus explicaret majestatem gloriæ Christi, ait de ipso: *Sedet à dextris Dei*, cap. 16. num. 19. Sic & regius Vates, ut nobis indicaret beatitudinem ac gloriam Deiparæ eadem phrasi utitur: *Astitit Regina à dextris tuis*; & subdit: *In vestitu deaurato*; dono nempe incorruptibilitatis corporis: *Circumdata varietate*; gratiarum, ac donorum: *Inclina aurem tuam*, ad preces nostras, & ne obliviscaris nostri, qui sumus de familia, & Domo Patris tui; & ait Athanas. *Filia nostra est, quia ejusdem naturæ ex nobis genita.* 53

Deipara valde prompta ad nostrum auxilium.

Curia Deiparæ per gloriosa hujus exemplaria.

54 Pergit regius Vates citato Psalmo versu 13. *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*; Chaldæus legit: *Faciem tuam manè quærent*; quæ verba D. Athanas. cit. D. Damascen. D. Ildephons. citand. intelligunt de Beata Virgine in sua Assumptione. Ait Chaldæus: *Faciem tuam manè quærent*; id est, valde avidè, ac diligenter faciem tuam præ tui desiderio magnis votis quærunt cælites. D. Ildephonsus ser. 6. de Assumptione: *Quam Angeli desiderabant & cœlum ipsum de ejus ascensione quærebatur*. Parum est dicere quod omnes divites plebis, hoc est cœli summates faciem Beatæ Deiparæ deprecabantur, dum ipsa in terris agebat, *quærere* dicuntur. Sed aliud quid majus ait D. Ildephonsus, quod *cœlum ipsum de ejus ascensione querebatur*. Querelæ valde peregrinæ sunt à cœlo; quisnam in empyrea gloria *querelis locus*? Humano modo explicat sanctus Doctor, quàm sit gloriosum cœlitibus faciem Beatæ Virginis & sublimem ejus gloriam videre, ut quamvis à cœlo procul sit querimonia, tamen si in cœlo novo modo posset dari, ante Assumptionem Virginis, de ejus in terris incolatu, seu mora, & in cœlis absentia, cœlites querebantur, & quodammodo videbantur tanta gloria terricolis invidere: *Et cœlum ipsum de ejus Ascensione quærebatur*; quod eleganti exaggeratione dixit magnus Ildephonsus, ad explicandam summam cœli festivitatem in hac die.

Vehementer cœlites exoptant secum habere Deiparam in gloria.

55 Illi suffragatur D. Ansel. de Excellentia Virgin. & attentè considerandus, & ait: *Dies Assumptionis, non solùm te Domina ineffabiliter sublimavit, sed cœlum ipsum, quod penetrasti, nec non cuncta, quæcùm eo sunt, nova, & ineffabili gloria decoravit, quia priorem gloriam ex præsentia tui ultra quam dici possit, aut cogitari magnificavit; nam cum Tu Domina illuc ascendis, nova illud, & præcellenti virtutum tuarum dignitate irradias, immensaque miserationum tuarum, & gratiarum luce perlustras*; & sequenti cap. magis rem explicat: *Advertas quæ gloria, vel quod gaudium erit omnibus illis, qui in regnum beatitudinis assumpti, cum ipsam Dominam, per quam tanta bona eis provenere, præ oculis habuerint juxta Deum*. Magna sanè & mira ratio erat exultandi beatis, cum præ oculis haberent B. Virg. tanta gloria sublimatam, cum per eam tot, & tanta bona in eos devenerunt, ei gratulabantur Angeli cum per filium ejus fuerint glorificati, ei gratulabantur homines cum per filium ejus essent redempti.

Gloria Beatorum præsentia Virginis magnificata est.

Lætatur Beatus, cum videns eā, per quam tanta bona acceperit.

56 Modulatè in persona omnium beatorum canit David Ps. 16. n. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; Div. Hieron. pro, *satiabor*, legit, *implebor*; alii, *complebor*; & quidnam est hoc adimpletivum, seu completivum cœlestis gloriæ? Tanto desiderio, ac effectu cœlites Deiparam secum habere exoptabant, ut cum eam intuerentur ascendentem in cœlum, eorum gaudium & lætitia compleri vivebatur. Bellissimè D. Ildephons. ser. 2. de Assumpt. ait: *Hæc festivitas Assumptionis Virginis præcipua, & venerabilis nobis, sed venerabilior in cœlo est Angelis & sanctis omnibus, quorum lætitia & gaudium procul dubio ex hujus completur diei exultatione, quando Beata Dei genitrix clarior Sole refulsit in throno claritatis*. Consultissimè ait Propheta: *Complebor cum apparuerit gloria*; undè ait D. Ildephons. ea lætitiam & gaudium cœlitum abundè compleri. Nec hoc valde mirum est, cum ipsa à D. Bonav. in speculo, *Trinitatis requies & complementum* dicatur, quia sicut ejusdem ad extra gloriam ubertim cumulat, sic etiam cœlitum gloriam accidentalem complere dicitur.

Gloria Deiparæ, complementū Cœlitum gloriæ dicitur.

Deiparæ Trinitatis requies.

QUÆSTIO VII.

Quare cœlestis civitas Jerusalem insigniter dicitur parata, & ornata, ut sponsa viro suo.

57 At noster Joannes quod viderit sanctam civitatem descendentem, à Deo *paratam*, sicut sponsam ornatam viro suo, ti sponsam vocat, cur non adjungit ornatam sponso suo, non autem viro? & si virum dixit, cur similiter non dixit uxorem? Celebris est consuetudo Scripturæ, ut sponsos appellet viros, & sponsas uxores, juxta illud Joel. 2. nu. 16. *Egredietur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo*; Exod. 4. num. 25. dixit Sephora ad Moysem: *Sponsus sanguinum tu mihi es*; Deuter. 22. num. 23. *Si in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & concubuerit cum ea, ipse morietur, quia humiliaverit uxorem proximi sui*; & cœlestis Jerusalem absolutè hic non dicitur uxor, sed sponsa. Ait Haymon: *Sponsa nunc & sancta Ecclesia, per fidem, spem & dilectionem, sed tunc erit uxor, quando ad amplexus viri, id est ad contemplationem Dei omnipotentis pervenerit*: vide quæ dixi supra cap. 19. qu. 10.

Ecclesia nūc dicitur sponsa in futuro sæculo uxor.

58 Ad quæstionem: Cur sancta civitas dicitur parata, sicut sponsa viro suo ornata? Quia anima, quæ futura est sponsa Christi, virtutibus debet ornari. Div. Petrus Chrysolog. serm. 22. & ait: *Ex quo ad desponsandam suam Ecclesiam Christus advenit, thalamus ornatur sponsæ, & ornatur auro fidei, argento sapientiæ, virtutum gemmis, sanctitatis nitore, verecundiæ rosis, liliis castitatis, pudoris violis, & ad alta cœli pudicitiæ templa, fastigium Virginitatis*; & Richard. *Quemadmodum missis muneribus à viro, ad thronum viri præparatur sponsa, sic datis donis cœlestibus à Christo, virtutibus quoque, & operibus bonis, ad cœlitem Christi copulam præparatur anima*.

Anima quæ Christo desponsatur, virtutibus exornetur.

59 Secundo apparet ipsa sancta civitas ornata sicut sponsa viro suo, decora nempe omnibus virtutibus, sicut decet veram Christi sponsam; & undè illi tantus virtutum splendor? Adverte, quod noster Evangelista de illa præposuit, *descendentem*; non mirum ergo, quod tot virtutibus ornata fulgeat, humilitas enim germen est omnium virtutum fructus producens; quod optimè explicat D. Doroth. Abbas de humilitate Doctrinæ, & ait: *Anima nostra, si humilietur statim fructus edit, quantoque plus fructus attulerit, tanto magis humiliatur*.

Humilitas germen producens cæteras virtutes.

60 Tertiò quare cum introducitur sancta civitas Jerusalem omnibus virtutibus ornata, dicitur parata à Deo? Quia totum decorum, ac illustre quod habebat, id non sibi, sed Deo tribuebat. Rupert. Abbas ait: *Non enim sibi arrogat id, quod est illa civitas sancta, sed à Deo se accepisse, non suis meritis, sed cœlesti gratia semper meminit, & sempiternas agit gratias*. Omnium bonorum splendor à Christo descendit, & inde dicitur parata à Deo, quia ab eo defluxerant omnia bona. Alensis: *Ornatam viro suo, id est recipientem ornatum à viro suo, scilicet Christo, qui est Deus, & ornamentum omnium sanctorum*.

Quid homo non nobis sed Deo tribuamus.

61 Quartò sup. cap. 17. num. 4 de babylonia meretrice, cum qua fornicati sunt Reges terræ, maximè describitur pomposus ejus apparatus, quod erat multa elegantia deaurata, monilibus gemmisque pretiosis erat ornata, &c. cur ergo de hac sancta civitate nil tale dicitur, nec ejus ornatus exprimitur, an esset interior vel exterior, sed tantùm absolutè dicitur ornata? Non externa pulchritudine sanè, sed interior, nam sponsus animarum nostrarum non attendit ad exteriorem nitorem, sed tantùm ad internam compositionem. Joach. Abbas ait: *Qualia creduntur esse ornamenta illius? nunquid visibilia, aut manu facta? Absit; quid enim conferre potest gloriæ cultus exterior mercenarii? Siquidem & Babylon deaurata esse describitur auro, & lapidibus pretiosis, non ad gloriam, sed ad confusionem ipsius. Porro Jerusalem parata semper ad nuptias Christi, observans ne appareat in ea aliquid deformitatis, quo possit offendere oculos sponsi sui, sciens quod nequaquam sponsus ejus exteriorem, sed interiorem pulchritudinem requirat*.

Christus nō requirit externam pulchritudinem, sed internam.

62 Confirmatur: Dicitur Ruth. 4. n. 13. *Tulit Booz, Ruth, & accepit uxorem; ingressusque est ad eam, & dedit illi Dominus, ut conciperet & pareret filium, & vocaverunt eum Obed*, id est obedientem seu subditum; & undè Booz meruit tantum, & talem habere filium? Quia in Ruth non quæsivit pulchritudinem ut in meretrice, sed ut in uxore probitatem, quam in Ruth laudat Booz c. 3. n. 10. *Non est secuta juvenes, pauperes sive divites*; & ubi non aurum nec pulchritudo attenditur, inde generosa proles procedit. D. Chrysost. hom. 1. in Imperfecto, & ait: *Talis ergo Booz*

Pulchritudo mulieris maledictam & vanam.

ex

ex tali conjuge Ruth, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus: Nunc autem, qui divitias eligunt, & non mores, pulchritudinem, & non fidem, quod in meretricibus solet queri, hoc conjugibus optant, propterea non generant filios subditos, vel sibi, vel Deo; unde Salomon laudatissimam illam matronam commendans ait Pro-
In meretrice quæritur pulchritudo in uxore probitas.
verb. 31. n. 30. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo, mulier timens Dominum, ipsa laudabitur;* Hebraic. *Mendacium, gratia, & vanitas pulchritudo;* Syriac. *Mentitur decor, infructuosa est pulchritudo;* Rabbi Salomon: *Mulier haud laudibus extollenda, quod forma præcellat, cum omnia sint quid inane, & merum mendacium; mulier verò, quæ Deum timet, hæc sola laudibus est celebranda.*

63 Quintò maximè expendendum duo verba, quæ hìc ponuntur de sancta Civitate descendente de cœ-
Qui virtutibus fulget inimicos contra se excitat.
lo: *Paratam & ornatam*; *ornatam* omni pretiosa supellectili virtutum, ac donorum, *& paratam*, id est præparatam omni vigilantia, ac cura; & quomodo cohærent eximius cœlestium donorum ornatus cum tam vigilanti præparatione veluti ad certamen? Cum crescunt dona, crescunt & simul exortæ tempestates, quæ te subvertere nituntur; quanto magis donis irradias, tanto magis contra te inimici insurgunt, & te omnibus modis obscurare, ac obfuscare nituntur. Perbellè dixit Cassiodor. lib. 11. epist. 2. *Graviores insidias adversarii tunc subimus, quando Dei dona suscipimus.*

64 Maximè laudat regius Vates Psalm. 44. num. 3. Christi elegantiam & pulchritudinem: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tui, propterea benedixit te Deus in æternum.* Multis encomiis extollit ejus formositatem, & elegantiam in omni virtute, justitia, & sanctitate, gratiamque, & efficaciam in labiis doctrinæ, & prædicationis: *Propterea benedixit te Deus in æternum;* omni cœlesti, ac divino dono, prærogativa, ac præeminentia, ut explicant D. Basilius, Chrysost. & alii; & statim adjungit regius Vates: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime*; & quænam connexio pulchritudinis cum gladio? benignitatis gratiæ cum duritie ferri? affluentiæ cœlestium donorum cum rigida, & forti potentia? *Potentissime.* Multum per omnem modum si resplendet donis, virtutibus, fortitudine, scientia, ac sapientia: *Accingere gladio tuo super*
Si virtutibus fulges arma sume ad tuam defensionem.
femur; resplendet donis virtutis. Assume tibi gladium, ut irruentium adversariorum impetus valeas reprimere, & ab eis te custodire, ac defendere; splendor virtutum excitamentum inimicorum ut in te insurgant, & lanceas acuant, & suas linguarum sagittas vibrent.

65 Cum Saul exiret in bellum cum toto populo Israel contra Philisthiim, & bellum undique graviter perurgeret, refert sacer text. 1. Reg. ult. n. 3. *Totum pondus prælii versum est in Saul;* ac si ipse solus esset in certamine; cur non potiùs in Jonathan fortissimum, vel in alios magni prælii duces, sed omnes adversarii omni impetu ferebantur in Saul? quænam hujus rei causa? Notat Scriptura: *Non erat de filiis Israel melior illo; ab humero & sursum eminebat super omnem populum,*
Qui cæteris eminet adversarios convocat contra se.
1. Reg. 9. n. 2. erat Saul altior omnibus, corporis magnitudine cæteris eminebat, & inde super cæteros ab inimicis impetebatur, totoque conatu eum delere intendebant; & cujus rei causa? *Non est de filiis Israel melior illo; ab humero & sursum eminebat super omnem populum;* & tantæ magnitudinis quænam fuit consequentia, quid verò peperit? *Totum pondus prælii versum est in Saul.* Ipsa ejus celsitudo, ac magnitudo contra se advocabat hostes.

Apoc. 21. n. 3. Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Num. 4. Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

VERSIONES.

Primas. n. 3. Audivi vocem de cælo.

Æthiopicus. Ecce sanctitas Dei habitat cum hominibus, & ipse Deus cum eis erit.

Syriacus. Cum eis, qui sunt Populus ejus, quorum ipse Deus est.

Arabicus. Evanescet omnis lachryma, nec dolor erit unquam amplius, propterea quod prima transierint.

Syriacus n. 4. Abstulit Deus omnes lachrymas, &c. neque gemitus.

Arabicus. Cessabit omnis lachryma; neque labor erit amplius.

Aretas. Neque quisquam amplius, quia abiit primum testamentum, & ecce nova sunt omnia.

EXPOSITIO.

Audivi vocem magnam de throno dicentem. Hæc vox non procedit à sede Dei judicantis, de quo actum est superiori cap. hìc enim agitur de aliis, quæ post judicium futura sunt: hæc ergo vox procedit à sede Dei regnantis, cujus auctoritatem, ac majestatem indicat throni nomen; magnitudo autem vocis, non solùm indicat Dei majestatem, gloriam beatorum, sed etiam nos exhortatur, non tantùm ad intelligendum, sed etiam ad tantum bonum omni affectu acquirendum. *Ecce* indicat rem magnam, & admiratione dignam; & quid majus, ac mirabilius, quàm id quod sequitur? Non ait tantùm: *Ecce tabernaculum Dei*; sed addit: *Cum hominibus;* mira res sanè quod infinitus, & immensus Deus sic hominum amore captus, ut simul familiaritate velit in uno tabernaculo, in uno beatitudinis loco, cum eis adesse, ac claudi, de quo plura qu. seq. 66
Cur vox magna.

Et habitabit cum eis. Si superiùs dixerat, quod tabernaculum Dei erat cum hominibus, ad quid nunc addit: *Habitabit in eis?* Ut indicaret perpetuitatem mansionis. Richard. Vict. *Per hoc quod habitabit, æternitatem societatis, ac mansionis denotat.* Et subdit text. *Et ipsi populus ejus erunt.* Nulli alteri subjecti, nisi unum tantùm Deum colentes; & ut ait Haymon, quando homo peccat, recedit à Deo, & non dicitur populus Dei, cum autem per pœnitentiam cum gratia revertitur ad Deum, tunc *dicitur populus Dei, quia possidet Deum, & à Deo possidetur.* Et rectè dicitur, *populus ejus erunt*, quia licèt in beatitudine pro differentia meritorum, sit differentia gloriæ, ac dignitatum, ut ait Apostolus: *Stella ab stella differt in claritate*, 2. Cor. 15. n. 41. tamen in beatitudine omnes electi sunt inter se summa charitate, ac familiaritate uniti, & nullus superbit, nec se extollit, ac si omnes essent æquales, ac de uno populo. 67
Cur Beati populus Dei.

Et ipse cum eis erit eorum Deus. Ex quo considera, quàm magnus sit beatorum status; Deus est omne bonum, & unusquisque, cum Deum habeat, habebit omne bonum, & sic illud infinitum bonum omnibus se communicat, ac si uni tantùm se communicasset; & rectè notat D. Th. Quomodo dicitur peculiariter de beatis, quod erit eorum Deus, cum etiam ipse sit cum suis in Mundo? Matth. ult. n. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Ait Angelicus Doctor: Quia, licèt modò Christus cum suis sit, non tamen conspicitur ab eis, *sed tunc verè cum eis esse apparebit, quando glorificatus illis revelata facie se monstrabit; si autem Christus promisit esse cum suis, omnibus diebus, hoc est eis auxilium, & protectionem assiduè impendendo, non autem se eis manifestando.* 68
Deus modo nobiscum est per auxilium.

Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Metaphora sumpta est ab indulgentissimis parentibus, qui filios flentes blandè, ac benignè demulcent eis lachrymas abstergendo de quo quæst. 10. *Et mors ultra non erit.* Superiori versu descripsit noster Evangelista supremum beatitudinis statum, ut vidimus, modò apponit illius firmitatem, ac securitatem. *Quia mors ultra non erit*; & sit allusio ad Isai. 25. nu. 8. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus* 69
In beatitudine summa firmitas, & securitas.

Deus lachrymam ab omni facie; quod etiam docet Apostolus 1. Cor. 15. n. 54. *Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria.*

70 *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, &c.* Explicat Cornel. *neque clamor martyrum.* Secundò clamor pauperum oppressorum à potentibus præ injuria, ac laborum, & dolorum magnitudine suspirantium, ac clamantium. Tertiò quo sancti in colica & calculo, aliisque morbis; item in paupertate, infortuniis, injuriis, calumniis, & quibusvis ærumnis gemunt, & clamant ad Deum. *Quia prima abierunt;* vita nempe mortalis, undique malis plena, omnisque illius ærumna commutata est in gaudium, ac felicitatem æternam.

QUÆSTIO VIII.

Quare cœlestis beatitudo, quæ antea appellatur sancta civitas, nunc dicitur tabernaculum Dei cum hominibus.

71 AD Quæstionem respondet Ferrarius, quod illa, quæ proximè dicta est civitas sancta Jerusalem nova, modò dicitur tabernaculum Dei cum hominibus, ut intelligamus, non solùm de formali, id est de beatitudine, sed quoque de materiali, id est de loco beatorum, sermonem esse, utrunque enim vidit Joannes, & utrunque nobis describit, modò de uno, modò de altero loquens.

72 Respondeo tamen juxta ea, quæ dixi in expositione, quod dicitur tabernaculum, ut ostendatur mira Dei familiaritas cum hominibus, cum quibus vult in uno eodemque tabernaculo commorari. Pro quo nota, quod quando cœlestis Jerusalem, appellatur civitas, non dicitur, quod Deus habitat in ea cum suis, ut modò hìc asseritur, cum tabernaculum nuncupatur, nam in civitate sunt multi cives, & inter se valde diversi, qui minimè se agnoscunt, & inter se habent amicitiam, & in uno, eodemque tabernaculo tantùm habitant, qui inter se intimè sunt conjuncti sanguine vel amicitia, & ideo cum de habitatione sanctorum agitur, dicitur tabernaculum, non solùm ad indicandam intimam familiaritatem, quam habent inter se, sed etiam cum Deo, & Deus cum illis, cum sint populus Dei, & ipse sit cum eis eorum Deus.

Beati habent intimam familiaritatem inter se, & cum Deo.

73 Secundò Viegas in voce tabernaculi existimat alludi ad Ecclesiam militantem, quæ nunc quasi in tabernaculis militantibus veluti in campo, ac stadio degit; at cur potiùs Ecclesia non comparatur cum magnifico palatio, vel domo regia, sed cum tabernaculo? Ut innueret alumnis Ecclesiæ, quod quandiu sumus in hoc sæculo ad modicum tempus, non est ad delitias, vel requiem, ut in domo regia, sed ut in tabernaculis militaribus ad labores famis, frigoris, & æstu, ac sudoris pugnam, ut inde transeamus ad cœlestem patriæ domum, ad requiem, ac dulcedinem illius; de his loquitur reg. Vat. Psal. 41. n. 4. *Quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei*; quæ verba expendens Petrus Abbas Celens. lib. de Panibus cap. 2. ait: *O miser & miserabilis, qui non intrat in locum tabernaculi admirabilis; qui extra est, tanquam frater senior in agro; qui intra est lætatur, qui extra cruciatur; qui intus est satiatur in bonis, qui extra est deficit in malis: surgendum est à peregrinationis mensa, & properandum ad illam, quæ in patria est.*

In hac vita laborandum ut ad cœlestia transferamus.

74 Tertiò Albert. Magn. per tabernaculum intelligit Christi humanitatem juxta illud Psal. 18. n. 6. *In Sole posuit tabernaculum suum*; id est in passionis fervore posuit suum tabernaculum, suam nempe humanitatem, in qua militavit contra principes tenebrarum; & est cum hominibus, id est cum suis sanctis in eadem gloria; & habitabit cum ipsis, scilicet Dominus cum servis, Magister cum discipulis, & amicus cum amicis. *Et erit eorum Deus*, secundùm divinitatem existens; cum eis, id est præsentialiter, erit eorum Deus perfectè dilectus, & possessus, ut solet dici de re maximè dilecta; sed cur postquam dixit, quod tabernaculum Dei erit cum hominibus, addidit, quod ipse sit eorum Deus? Citatus Albert. *Quia in his duobus, scilicet præsentia Christi Dei, & hominis erit totum bonum nostrum, & gloria;* undè ait D. August. lib. de Spiritu & litera: *Propter hoc Deus factus est homo, ut totum hominem in se beatificaret, & tota hominis esset ad ipsum conversio, & tota dilectio esset in illo, ut sive ingrederetur, sive egrederetur pascua inveniret; pascua foris in carne, pascua intus, in Divinitate creatoris.*

Præsentia Christi ut Dei & Hominis est totum gloria.

Ait noster Joannes superiori versu: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem descendentem de cœlo;* quod nempe viderit magnam civitatem plenam populo simul descendentem, in qua Deus veniebat ad assumendam sibi naturam humanam, ut ex multorum sententia dixi qu. 5. & statim subdit in præsenti: *Audivi vocem magnam de throno dicentem, ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitavit cum eis.* Venit Deus ut sibi desponsaret naturam humanam in utero Virginis, & habitaret in nobis, ut ipse Joannes dixit 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Illud maximè ponderatione dignum quod cum cœlestis vox solùm nos attendere velit ad Dei descensum in uterum Virginis: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus;* simul testatur, quod viderit frequentissimam descendere civitatem. Mysterium hujus visionis est, quod Deus descenderit in suum tabernaculum, seu uterum Virginis, ad quid etiam scribitur, quod magna civitas multitudine abundans descenderit? si Dei filius veniebat ut naturam humanam sibi hypostaticè uniret in multa humilitate, ad quid tantus concomitatus non unius, vel alterius, sed integræ magnæ civitatis? Ansbertus citatus à Viegas in cap. 3. Apoc. commentar. 2. sect. 5. *Multitudo electorum cum Christo in utero Virginis prædestinata descendit.* Magno mysterio cum Deus in uterum Virginis descendit, simul cum eo tanta multitudo venit, ut fieret evidens, quod in ipsomet instanti, in quo Deipara electa est in matrem Dei, simul ibi destinata est mater omnium prædestinatorum, quæ maternitas tanquam in dotem suæ desponsationis ei assignabatur, nam quamvis ipsa constituebatur mater naturalis unius filii, tamen spiritualiter multorum mater creabatur, proindeque quando Dei filius descendit de cœlo ad suam matrem naturalem, etiam tota civitas prædestinatorum descendit ad suam matrem spiritualem: *Multitudo electorum cum Christo in utero Virginis prædestinata descendit.*

75

Maria Virgo omnium fidelium mater.

Canticorum 7. num. 2. de B. Virgine dicitur: *Ventar tuus sicut acervus tritici;* quomodo fructus ejus cum acervo tritici confertur? ipsa enim in suis purissimis visceribus, unum solum granum tritici portabat, ut ipsemet de se testatur Joan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terra, &c.* quomodo ergo eam Spiritus Sanctus acervum tritici appellat? Cum Virgo sanctissima portaret in utero suo vivificum illud granum, virtualiter etiam gestabat omnes homines, qui spiritualiter ab illo grano nascituri erant, & cum Virgo esset mater illius divini frumenti, etiam omnium electorum frumenta peperit. Div. Ambros. ad citatum Cantic. locum ait: *Granum tritici, secundùm quod scriptum est: Amen dico vobis, nisi granum frumenti, &c. sed quia de uno grano tritici acervus est factus, completum est illud propheticum: Valles abundabunt frumento; quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit.*

76

Maria ex eo quod est mater Christi, mater est omnium ad salutem.

Dicitur Cantic. 4. num. 13. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum;* ibi fructus Marianus combinatur cum uno integro paradiso: maximè tamen ibi dubitant Interpretes, quomodo hoc possit stare? si diceretur, quod sacratissima Virgo portabat in suis visceribus vitæ arborem, id est benedictum filium suum, hoc bene intelligebatur, at cum asseritur ipsam portare integrum paradisum arborum fructuum, ac florum, valde est difficile. Præclarè Guillelm. Abbas apud Delrium ait: *Emissiones fructus sunt ex Maria emissi; unicus enim fructus est, qui ab efficace salute, Jesus dictus est: sed in uno illo fructu, multiplex est fructus, in uno salvatore Jesu pluri-mos Maria peperit ad salutem, pariendo vitam, multos peperit ad vitam: eo ipso, quod mater est capitis, multorum membrorum mater est; mater Christi, mater est mem-*

77

Deipara cum sit mater capitis mater est membrorum.

membrorum Christi, quia caput, & corpus unus est Christus, undè etiam mater ab omnibus appellatur, & ab omnibus cultu debito, ut mater honoratur. Deipara unum filium naturalem Jesum peperit, quod est omnium vita, & cum ipso peperit omnium vitam, nos membra sumus Christi, ipse enim est caput nostrum; cum ergo Virgo sit mater nostri capitis Christi, mater est etiam membrorum Christi; ex capite, & membris unum corpus resultat, inde meritò ipsa ab omnibus mater appellatur, ab omnibusque ut mater debito cultu honoratur, sub cujus umbra, & patrocinio omnes vivimus, & custoditi sumus ab omni malo.

78 Ait Isai. 4. n. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israel;* & post pauca subdit n. 6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem, à turbine, ac pluvia;* & cur Propheta postquam loquitur de illo fructu in magnificentia, statim adjungit, quod tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu? & quis nexus inter hæc? Adverte quod sicut per germen intelligitur Christus Dominus, ita per tabernaculum Virgo Mater. Richard de S. Laurent. lib. 1. de laudib. Virginis cap. 7. *Etiam Christus dicitur germen gloriæ in magnificentia. Diximus etiam Virginem Deiparam dici tabernaculum;* & lib. 10. ait: *Tabernaculum est uterus Virginalis, qui propriissimè dicitur tabernaculum, sicut ipsamet testatur Ecclesiastic. 24. Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Optimus tamen nexus germinis, & tabernaculi in umbraculum; quia ex eo, quod Christus salutis fructus prodiit ex purissima Virgine, ipsamet Virgo humani generis taberuaculum in umbraculum, & protectionem fa[illegible]; & cum Deipara dicitur tabernaculum in umbraculum non explicatur cujusnam sit, ut intelligamus, quod ipsa non sit unius singularis, sed omnium universale umbraculum. Anonymus ait: *Ea ergo nobis tabernaculum, quo protegamur, de quo loquitur Isaias; omnium hoc tabernaculum esse ostendit, cum nulli singulariter dicitur esse futurum, est enim MARIA universalis interpellatrix, omnium Mater, gallina pullos congregans, turris David, omnes protegens.*

Maria Virgo est omnium protectio.

QUÆSTIO IX.

Quare laudes sanctæ civitatis non exeunt ab ipsa, sed à throno Dei.

79 Ait text. *Et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Hìc tabernaculum Dei refertur ad ipsam sanctam civitatem descendentem de cœlo, & idem est hìc tabernaculum Dei cum hominibus, ac ipsa sancta civitas descendens; quæstio ergo præsens est: Cur hæc vox mirificè laudans ipsam cœlestem civitatem non exiit ab ipsa civitate, sed à throno Dei?

Difficultas quæstionis.

80 Respondet Rupertus, & ait: *Verè magna, & delectabilis vox ista, quam sanctam civitatem, & sponsam suam ipse, qui sedet in throno, dignam commendat, atque demonstrat; neque enim illa unquam commendavit seipsam, atque idcirco dignum est, ut vir suus Deus commendet illam.* Cum illa sancta civitas cœlestis esset valde sublimis, & excelsa, parata à Deo, & ornata ut sponsa viro suo, esletque Dei tabernaculum, in quo simul Deus habitat cum hominibus, & ipse Deus sit cum eis per claram sui visionem, ac manifestationem, & ipse sit eorum Deus, perpetua amicitia per gratiæ confirmationem; cum hæc sancta civitas sit tam præclara, ac illustris, nunquam tamen seipsam laudat, sed vox ipsam commendans exiit à throno Dei: *Audivi vocem magnam de throno dicentem;* qui enim sui præconia non manifestat, nec seipsum laudat, dignus est ut à Deo laudetur, & in multis commendetur: *Idcirco dignum est ut vir suus Deus commendet illam.*

Qui se non laudat, dignus ut à Deo laudetur.

81 Civitas sancta cum tantis virtutibus esset ornata, tantis donis locupletata, nec minimum verbum dixit in sui laudem, è contra verò illa abominabilis, & turpis meretrix, cum qua fornicati sunt Reges universæ terræ, se multum extollens de se magna prædicat dicens: *Sedeo Regina, vidua non sum, & luctus non videbo,* supra Apocal. 18. num. 7. quomodo hæc infamis, & turpis mulier de se tam magna prædicat? Quia impia, & omni spurcitia abundans est. Iniquorum proprium est, ut seipsos commendent, & laudibus efferant. Rupert. citatus: *Meretrix illa corruptis, & corruptionibus suis se ipsam commendat; semetipsam, corde & ore proprio, apud illos in malis propriis commendat, nam in fronte ejus, nomen scriptum: Mysterium Babylon. Magna mater fornicationum, & abominationum terræ; item in corde suo dicit: Sedebo Regina; hæc autem, nempe civitas sancta, non seipsam commendat, sed Deus suus, vir suus, sedens in throno, magna voce illam commendat.* Ex quo pereleganter dixit D. Chrysost. hom. 5. de laudibus Pauli: *Grande malum est, de seipso aliquid grande dicere, atque mirabile, extremæque omnino dementiæ, nulla imminente necessitate rerum, propriis velle laudibus decorari, non enim est hoc secundùm Deum loqui, indicium est istud insaniæ.* In nostris virtutum monumentis propriæ linguæ laudes fugiamus.

Iniqui, & depravati semetipsos laudant, & extollunt.

82 Quod maximè nos docuit summus omnium magister JESUS, ipse enim de se ait Joan. 5. num. 31. *Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum;* quomodo de se hoc testatur suprema veritas, quæ nec falli, nec fallere potest, in cujus ore non est inventus dolus, nec mendacium? quomodo ergo de se ait, quod si ipse testimonium de se dat, quod non sit verum; undè bene ait Div. Thomas: *Admirationis præbet materiam, quod dicitur, namsicut Dominus de se infra ait, cap. 14. num. 6. Ego sum veritas; quomodo ergo testimonium ejus non est verum, si veritas est? vel cui creditur, si veritati non creditur?* Respondeo ut dixi tom. 3. in Evang. cap. 2. quæst. 10. num. 81. cum Div. Chrysostom. homil. 39. Euthymio, Theophylacto, Div. Thom. & aliis, quod Christus Dominus loquitur in præsenti de suo testimonio, non prout erat in re ipsa, quia ut sic erat verissimum, & omni fide dignum, sed agit hìc juxta vulgarem hominum opinionem, quia quamvis quis de se verissimè dicat, tamen apud homines fide caret, & laudes in ore proprio malè audiunt propter suspicionem de nimio sui amore, undè ait Div. Cyrill. Alexandr. lib. 2. in Joan. cap. 147. *Aliquid hominum consuetudini concessit, qua minus ea probantur, quæ de seipso à quopiam dicuntur.*

Testimonium in propria opinione vulgi peri-clitatur.

83 Ait Christus Dominus Matth. 6. num. 2. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus; te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid facit dextera tua.* Hoc tibi mandatur in virtutum operibus exterioribus, quod rectum, ac de exterum opus, nullo sinistro vitio deturpetur, ut valorem suum deperdat. Sed quo studio, ac affectu efficies omnia opera tua bona, & sancta, ab omni sinistro malo, ac vitio aliena? Ipse divinus magister docet: *Noli tuba canere ante te;* id est ipsum opus bonum, quod facis noli labiis tuis, lingua tua publicare, ac laudibus extollere, ipsumque per totum Mundum tanquam tuba sonare, sed tacens fac opus, & si feceris bonum omnino illud dexterum, ac laudabile erit. Suo acumine ut solet ait Div. Chrysolog. serm. 27. *Ergo ut opus est dextera, quod facit tacitus dator, quod facit dator garrulus hypocrisis est sinistræ.* Opus quod canit lingua maximè vilescit, & suum valorem deperdit, ac dignum vituperio redditur.

Dum quis tuba canit suum opus illud deperdit.

QUÆSTIO X.

Quare dicitur, quod Deus absergat justorum lachrymas non in hac vita, sed in æterna Patria.

84 IN præsenti de justis in æterna patria ait text. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum.* Similitudo abstergendi lachrymas deducta ab matri-

Christus suos beat, quos charissimos habet.

bus, quæ tenero affectu se habent erga sua dilectissima pignora, dum ea blandè demulcent, multisque oculis eorum lachrymas, vel manibus propriis, vel linteo abstergunt; ut ergo nobis innuatur eximia Christi charitas, ac indulgentia erga suos, ex materno affectu depromitur similitudo. Rupertur Abbas ait: *Magnificentiùs exprimi non potuit magnitudo consolationis, quæ in isto sæculo flentibus, illic reposita est sanctis; hujusmodi namque dictio à similitudine tracta est matris, quæ parvulis suis fletus non sustinet, oculos ejus, & faciem manu tergit, mulcet oculis; pro intimando nobis tanto affectu suo, idem Deus in Propheta inter cætera dicit: Pueri eorum in humeris portabuntur, & super genua consolabuntur; statimque ad ipsos parvulos apostrophen facit, & dicit eis idem gratiæ Spiritus: Quemadmodum mater consolatur filios suos, ita & ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini*, Isai. 66. n. 13.

85 Secundò non solùm ait sacer text. quod Deus absterget lachrymam, sed addit, *omnem*, & insuper apposuit: *Et mors ultra non erit, neque luctus*; nonne lachrymæ & luctus ad idem pertinent? Minimè, luctus à malo hujus temporis gignitur, & ideo ablato malo, aufertur & luctus, at lachrymæ etiam à gaudiis, ac bonis temporalibus parturiuntur, & ideo omni malo sublato, & magno bono præsenti possunt lachrymæ manare, quæ sunt tristitiæ signa, sed hoc in bonis temporalibus, quæ quamvis multa sint, semper ex aliqua parte important molestiam & tristitiam, non sic verò in cœlestibus, in quibus nullum est signum tristitiæ, nec illius vestigium, sed omnia summo gaudio replentur, & ideo dicit, quod absterget omnem lachrymam ex omni nempe parte, ac motivo. D. Ambros. ibi: *Cum superiùs dicat, quod absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, quid necesse fuit in hac re luctum ponere? Sed inter effusionem lachrymarum & luctum aliqua distantia est, nam tristitia sæpè lachrymas educit, sæpè & gaudium, sæpè & lætitia.*

Bona temporalia juvant lachrymas non sic cœlestia.

86 Tertiò Tertull. lib. 6. de Resurrect. carnis, pro *absterget*, legit *delebit Deus omnem lachrymam*. Divina bonitas non solùm absterget lachrymas, sed etiam delebit. Sed cur Tertullian. pro *absterget*, ponit *delebit*? Quod abstergitur non omnino deletur sed aliquod sui vestigium relinquitur; *delebit* ergo dixit, ut innueret quod solius divinæ indulgentiæ erat omnino exsiccare imbrem lachrymarum ab oculis justorum; sic ait Tertull. *Delebit omnem lachrymam ab oculis eorum, utique ex eisdem oculis, qui retro fleverant, quique adhuc flere potuissent, si non omnem lachrymæ imbrem indulgentia divina siccaret.* Et confirmatur ex versione Syriaca, quæ habet: *Et evanescet omnis lachryma*; quod autem evanescit, ita disparet, ac si nunquam fuisset: ita sunt tristitiæ lachrymæ apud beatos, ut omnino evanescant, ac si non fuissent; ad quod pertinet Abbas Cellens. lib. de panibus cap. 7. dicens: *Nomen mortis nomen languoris, nomen paupertatis, non nominatur apud vos cives cæli, domestici Dei.*

Indulgentia divina siccantur lachrymæ in Patria.

87 Quartò expende quod dicitur in text. *Absterget, Deus omnem lachrymam*; non creatura aliqua delegatur, non Angelus, sed Deus ipse officium lachrymas abstergendi sibi reservat; alia aliis committit: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, Psalm. 90. similiter ubi mendicus moritur, *factum est, ut portaretur ab Angelis in Abrahæ sinum*, Luc. 16. at modò nulli creaturarum nec Angelo credit, quod lachrymas abstergant; id munus proprium est divinæ manus, ut dicat D. Bernard. in Declamationibus: *Felices lachrymæ, quas benigna manus conditoris absterget.* Merito clamat Isai. 52. n. 2. ut captivi populi lachrymæ, ac luctus consolentur: *Excutere de pulvere, consurge, sede Jerusalem, solve vincula colli tui, captiva filia Sion*; sed quis poterit à captivis luctum, ac lachrymas tollere? an forsitan tyrannus melior factus concedens facultatem redeundi in patriam? an permissi dies festi, & convivia inter amicos celebrata? Unica, & certior causa est, quæ possit lachrymas abstergere, ac captivorum luctum eliminare, quam Propheta Dei nomine assignat dicens:

Sola una Dei manus valet, multos cœlestes lachrymas siccare.

Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse, qui loquebar ecce adsum; non tyrannorum favor, nec patria dives, nec omnia mundialia bona valent miserorum lachrymas temperare, nisi una tantùm Dei manus, ejusque divina præsentia. Rupertus lib. 6. in Genes. cap. 18. *O longa suspiria populi, sanctorum quomodo in gaudium sublevatus, & in visum est delatus? quomodo absterso est omnis lachryma ab oculis ejus, testatur Isaias cum dicit: Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.* Una Dei manus sola est, quæ nos valeat consolari, & lachrymas siccare.

88 Quintò ait text. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*; & statim subdit: *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*; ubi sermo est, de justis dum assumuntur ad Dei tabernaculum, ac æternam beatitudinem. Et cum dicitur: *Absterget Deus omnem lachrymam*; commemorantur, ac supponuntur lachrymæ in oculis eorum; cur non potiùs supponuntur, ac commemorantur aliæ virtutes, ut paupertas, obedientia, humilitas, castitas, sed tantùm lachrymæ? Cœlestis beatitudo in visione consistit, ut ergo illic sit officium visionis, sic & hìc ploratus inter omnia lachrymis maximè purificatur, ac acuitur intellectualis visus, ad Deum videndum, ac contemplandum. Post Petri lapsum, ait Text. *Conversus Dominus respexit Petrum*, Luc. 22. nu. 63. Dominus respexit Petrum, & tamen non scribitur, quod Petrus respexerit Dominum, ut debita urbanitas exigere videbatur; Dominus à Petro non postulabat signa gratitudinis, sed fletum, ut ipsum videre posset; erant oculi Petri obtenebrati peccato, & ideo largo aquarum imbre erant præparandi, ac mundandi ad Domini intuitionem, & ideo post fletum oculorum inter primos, gaudia resurrectionis promeretur. Ipse Div. Chrysol. ser. 107. ait: *Solet Petrus flere, cum in eum Christus intendit. Nec quisquam in Apostolis imbrem irrigui luctus accusat: jucundæ sunt lachrymæ, quæ gaudia immortalitatis emerunt.* Dum largiter mittit imbrem lachrymarum ad gaudia æternæ immortalitatis, in resurrectione devenit.

Lachrymis purificatur visus ad Dei cognitionem.

89 Sextò: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum*. Valde serò Deus lugentes solatur homines; & cur non in hujusce vitæ scena lachrymas hominum Deus cohibet? Divina providentia hoc factum est, ne homines malè cessantes à fletu in magnum inciderent periculum, si dum viverent, non lugerent boni viri. D. Paschas. lib. 2. in Threnos, ait: *Flebant nolentes luctus sui finem sibi imponere, quò usque judex veniret, qui absterget omnem lachrymam.* Quamdiu sumus in hoc sæculo nunquam à lachrymis temperandum, quæ sunt tutamen rectè, ac bene vivendi. Ait Ecclesiastes 3. nu. 4. *Tempus flendi, & tempus ridendi*; si à Divo Hieronymo petas, quænam sit hujus loci interpretatio? Scitè respondet Sanctus Doctor: *Nunc tempus flendi est, & in futuro ridendi.* Et valde cautè sapiens præponit rationes flendi rationibus ridendi, ut inde agnoscas, quid tibi, dum vivas, agendum, nempe flendum, ut postea in futuro rideas.

Dum vivimus nusquam à lachrymis cessandum.

90 Ait Jeremias Thren. 2. num. 10. *Deduc lachrymas per diem, ac noctem*; & idem Vates sui similis ad cap. 1. num. 1. *Plorabo die, ac nocte.* Diem, ac noctem reponit Vates pro tota vita gentis humanæ, neque enim à lachrymis temperandum, dum vitam vivunt homines. D. Paschas. lib. 2. in Thren. *Plorandum die, ac nocte, ut nemo dum vivit, sibi parcat, & turgeat quasi jam securitate accepta.* Ad hujus rei gustum ait David Psal. 6. n. 7. *Lachrymis meis stratum meum rigabo*; & Ps. 101. n. 10. *Et potum meum cum fletu miscebam*; ita innuens quòd nec in lectulo, nec in mensa à lachrymis sit cessandum, & hoc largiter, & in multa copia, undè ait Jeremias cap. 9. num. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum*; non petit imbrem lachrymarum, sed fontem: inter utrumque hoc est discrimen; imber frequenter, & multoties cessat, sed fons perenniter currit: & non solùm fontem petit, sed etiam multitudinem aqua-

Semper in omni occasione flendum.

aquarum in capite, ut per totum corpusculum inundet, ut ait Chrysost. hom. 12. ad Colossen. *Tanquam non sufficiente ad hoc naturali fonte;* inde postulat multitudinem aquarum.

Apoc. 21. n. 5. Et dixit, qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, & vera.

Num. 6. Et dixit mihi: Factum est; ego sum Alpha & Omega, initium & finis; ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis.

VERSIONES.

Arabicus n. 5. Ecce renovo res omnes: Scribe, nam sermo iste fidus, ac verax Dei est.

Æthiopic. Ecce faciam omnia nova, &c. Sermo, qui in veritate est fit: Scribe, propterea, quod illa verba fidelia sunt, & vera Dei sunt.

Codex. Veron. Ecce, Ecce nova, &c.

Aretas. Sermones isti Dei fideles, & veri.

Arabicus n. 6. Jam actum est, ego Alep & Ye, primus, & ultimus.

Aretas. Factus sum.

Syriacus. Ego ei, qui sitit dabo ex fonte aquarum vivarum.

Æthiopic. Dabo ut bibat gratis.

D. August. Ego sitientibus dabo.

EXPOSITIO.

91 ET *dixit, qui sedebat in throno*; nempe Deus ipse, qui regnat in sanctis suis. *Ecce nova facio omnia.* Ut notat Ansbertus, consequenter loquitur ad ea, quæ immediatè dicta sunt: *Absterget Deus omnem lachrymam, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor:* subjungit: *Nova facio omnia*; nam sicut cœlum, terra, & elementa abjecta antiqua vetustate, in sua perfectione innovantur, sic & beatorum corpora libera à servitute antiquæ corruptionis, innovata cœlestibus donis gloriæ, ut ait Paulus 2. Corinth. 5. num. 17. *Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: Ecce facta sunt omnia nova.* Rich. de S. Vict. hæc verba, *Ecce facio omnia nova*, transfert ad Deiparam, *quia per eam innovatum est genus humanum, quod per Evam inveteraverat, quod scilicet, novum factum illud est in ea*; mysterium scilicet incarnationis absconditum à sæculis, undè ait D. Anselm. lib. de Oratione: *Per te, O Virgo Deipara, elementa renovantur, homines salvantur, Angeli redintegrantur.*

Corpora beatorum resurrectione innovantur.

Per Deiparam omnia innovatur.

92 *Et dixit mihi: Scribe.* His verbis excitat nos ad dictorum fidem, ac credulitatem, ac ad eruditionem cæterorum. *Quia hæc verba fidelissima sunt, & vera;* quæ nempe tractant, de innovatione, ac resurrectione, in quibus proponitur præmium ad fortiter sustinendos labores, ac luctamen; & ideo dixit, *fidelissima*, in superlativo, ut notat Ansbertus, & ait: *Eo in cordis memoria arctius debent imprimi, quæ loquuntur, quo nullis verborum Dei comparantur, sed cuncta præcellere videntur; & revera dignum erat, ut verba fidelissima vocarentur, quæ de tota fidei summa, de tota spei fiducia loquerentur.* Meritò tamen dubitat Albertus Magn. cur sicut hæc verba dicuntur fidelissima, non dicuntur etiam verissima, sed tantùm vera? Respondet ipse: *Fidelissima dici per comparationem ad nos, respectu quorum potest fieri comparatio, sed vera referuntur ad Deum in quem non cadit comparatio.*

Multa fidelitas in proponendis præmiis.

93 *Et dixit mihi: Factum est;* id est, jam consummata sunt omnia, quæ de filio hominis erant, quæ ad statum Ecclesiæ pertinebant, & quæ ad hominum mortalem vitam illiusque tempus spectabant, addens: *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis;* & statim subjungit: *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis;* ut exprimeret, quòd sicut ab initio omnia per eum habuerunt originem, ac principium, ita etiam omnia jam innovata per eum habitura sunt consummationem. Richard. *Ego sum initium, & finis, quasi diceret: Sicut omnia per me habent originem, ita per me habent consummationem; ego existentia creavi, ego inveterata, ut æternaliter subsistant, renovavi, ego refeci, feci in principio, refeci in fine:* de hoc multa dixi cap. 1. vers. 8.

Cui rem inceptam perficiat.

Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Innuerat 94
Dominus immediatè antea omnia hominum à se esse innovanda, & consummanda in gloria, nunc subdit: *Ego sitienti dabo, &c.* ac si dicat: Modò non mihi imponatis, quasi nolenti, si non dedero omnibus gloriam meam, quæ vobis manifestavi me facturum, ego enim dare paratus sum, sed nolo dare illam nauseanti, sed illam vehementer desideranti, ac sitienti, ardenter concupiscenti, ac ad cœlestia anhelanti. *De fonte aquæ vitæ.* Aqua vitæ est gratia ut dicam infra, q. 12. *De fonte.* Sub nomine fontis intelligitur Deus, qui est fons, & origo gratiæ, gloriæ, ac omnium donorum cœlestium, juxta illud Isai. 12. n. 13. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris;* undè Abbas Absalon serm. 5. de Adventu, fontem illum Paradisi irrigantem universam superficiem terræ, intelligit Christum D. cujus pretioso sanguine universa terra est irrigata, ac fœcundata. Et dicitur, *gratis*, quia licèt beatitudo formaliter detur per merita, tamen radicaliter datur *gratis*, ob primam gratiam quæ gratis datur, & quia omnis labor hujus vitæ exiguus, ac momentaneus est, per respectum ad futura gloriam, ut ait Apostolus Rom. 8. n. 18. ut latè hic ponderant Aretas & Richard.

Deus non dat gloriam nisi per merita.

QUÆSTIO XI.

Quare ea, quæ hic Joanni revelantur, non solùm ei dicuntur, sed etiam mandantur scribi.

DEus omnipotens sedens in throno dixit: *Ecce nova facio omnia;* & statim Joanni ait: *Scribe*; quia hæc verba mea fidelissima sunt, & vera; si hæc solùm voce dicerentur, æqualis essent auctoritatis, ac si scriberentur, cur ergo tam apertè ordinatur ut literis mandentur? Ea, quæ sanctis invisibiliter, & spiritualiter ostenduntur, alii non possunt cognoscere nisi scribantur: Ecce cur Deus voluit ea scriptis redigi; ut omnium tam præsentium, quàm futurorum sint ad utilitatem. Rich. Vict. *Dixit scribe, ac si diceret: Quod tibi ostensum est, scriptis commenda, ad utilitatem aliorum, ut qui viderint, & legant, & legentes ad meliora proficiant.* 95

Scripta proficiunt præsentibus & absentibus.

Ait Job. 19. n. 25. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, vel celte sculpantur in silice?* Job cum amicis multa pertractavit de sua probitate, innocentia, ac multis aliis mysteriis, & tamen non quievit, quòd hæc verbis tantùm dicantur, sed inde vehementer exoptat, ut scribantur indelebiliter; non sat erat illa dicere? ad quid necesse est, ut scribantur? Verba Job magna, & alta mysteria continebant de Redemptore, de carnis resurrectione, ac gloria beatorum, & hæc cùm tam magna essent, omni affectu anhelabat, ut in perpetuum in scriptis reponerentur, ut non solùm præsentibus, sed etiam absentibus, & futuris prodessent, & ut etiam omnes similiter ad patientiam ejus exhortarentur. Glossa Ordin. ait: *Dura, quæ sustinet, non vult per silentium tegi, sed exemplo ad notitiam pertrahi, ut alii ad patientiam valeant ædificari.* 96

Job scripta exoptat ad omnium utilitatem.

Ait regius Vates Psal. 44. nu. 1. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*; ait Propheta, se magnum præclarum, & altum verbum dixisse, & statim subdit, quòd lingua sua fiat calamus scriptoris. D. Cyprian. Testim. cap. 29. *Scriptoris acutè scribentis*; & ait text. *velociter*; heb. legit, *festinanter, promptè*; si verbum erat bonum, præclarum, ac elegantissimum, & magna energia prolatum, ad quid tanta diligentia, ac dexteritate ingenii scriptis mandatur? Propheta magno charitatis affectu ad omnes illuminandos, ac in magnis instruendos ferebatur, & si quod dixerat utile erat præsentibus, ne à tanto bono defraudarentur absentes, scriptis ad per- 97

Quod dictum contra hæ- [illegible]

perpetuitatem datur, ut omnes tam altis mysteriis divites redderentur. D. August. ad citat. Psal. ait: *Lingua mea calamus scribæ, quia quod lingua dicitur, sonat, & transit, quod scribitur manet: Cùm ergo dicat Deus verbum, & verbum, quod dicitur non sonet, & transeat, sed ut dicatur, & maneat, scriptis hoc maluit Deus comparare, quàm sonis.* Cùm ea, quæ dicebantur, ob mysteriorum altitudinem, vellet Deus ut non transirent, sed permanerent, inde voluit ut non tantùm verborum sono, sed scriptis, darentur: vide quæ dixi tom. 1. in Apocal. cap. 2. n. 392. & c. 4. q. 36. num. 325.

QUÆSTIO XII.

Quare non omnibus indifferenter, sed tantùm scientibus promittitur fons aquæ vitæ æternæ.

98 AIt text. *Sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis:* Fons aquæ in Scriptura significat gratiam; *Aqua, quam ego dabo fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.* Significat etiam fons aquæ vivæ, ipsam cœlestem beatitudinem; Psalm. 41. n. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum.* Et quamvis aliqui dicant quod in præsenti de fonte aquæ vivæ sermo sit de gratia, tamen verior & germanior est sensus, quod hic denotatur gloria, nam de ipsa est in præsenti, ac toto hoc capite sermo.

Quid sit fons aquæ vivæ.

99 Et ait primò: *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ;* cur non dixit, esurienti dabo panem vitæ, cur magis dicit sitienti? regius Vates sitiendi, & non esuriendi verbo usus est Psalm. 41. n. 3. *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum*; & Psalm 62. n. 2. *Sitivit in te anima mea*; cur non dixit esurivit? D. Chrysost. ad verb. Psal. 41. sic respondet: *Non dixit, amavit anima mea Deum vivum, neque amat anima mea Deum vivum; sed ut ostenderet affectionem, amorem sitim vocavit, utrunque nobis significans & ardorem amoris, & ejusdem perpetuitatem: qui sitiunt non hoc uno die patiuntur, duobus, & tribus, sed per totam vitam:* Ita Sancti pro omnibus diebus vitæ perseverant in Dei amore, & ideo potiùs dixit, sitivit, quàm esurivit, quia homo frequentiùs sitit, quàm esurit, & frequentissimè pro quolibet die, & momento Dei amor sit in nobis. Aliter respondet Agellius ad verba Psalm. 62. *Sitire non esurire dixit, ut ardentissimum erga Deum studium declararet, ardentius est enim potus, quàm cibi desiderium, & magis torquet.* Meus JESUS cum penderet in Cruce dixit: *Sitio*, Joan. 19. num. 29. at Petrus post orationem, *cum esuriret, voluit gustare*, Actor. 10. num. 9. Divus Chrysostom. ibi & D. Ambros. serm. 10. sitim Christi, & famem Petri de salute animarum exponunt, ut ad citatum locum Joannis dixi; sed cur Christus sitit, & Petrus esurit? cur non in utroque sitis, vel fames, sed in Redemptore est sitis, in Apostolo fames? Quia veluti officia charitatis dividuntur quodammodo inter Christum, & Petrum; vehemens desiderium Christi de nostra salute, excedit omnem hominum affectum, & nullus cum eo valet conferri, & cum fortior sit appetitus sitis, quàm famis, ideo dicitur, quod Christus sitit, & Petrus esurit.

Ardentissimè Deus amandus, ac quærendus est.

Officia charitatis dividuntur

100 Secundò: *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ;* tam pretiosum donum, ut cœlestia charismata, quo pretio, vel argento comparabitur? Nullo alio nisi nostro desiderio; ait: *Sitienti ego dabo de fonte aquæ vitæ, & hoc gratis*; non pretium quærit, sed desiderium, ut habes apud Isaiam 55. num. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, emite absque ulla commutatione:* Desiderium sitientis est ei pro pretio, ac commutatione. D. Gregor. orat. 10. ait: *Hoc bonum solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur, appetitionem ipsam Deus ingentis pretii loco habet.* Miseri Israelitæ quondam de suis puteis aquam, ac domestica de suis silvis ligna pretio comparabant, Thren. 5. num. 4. sic inquiunt: *Aquam nostram pecunia bibimus, ligna nostra pretio comparavimus*; at nos divinæ bona, in quæ nullum jus habemus ex nobis non pretio, sed desiderio, ac affectu consequimur, & ita ait Christus in præsenti: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ;* solam sitim, & non aliud pretium requirit. D. Chrysostom. hom. 50. in Joan. ait: *Nemini vim facio, neminem traho, sed si quis libens, & promptus contendit, si quis ardet desiderio, hunc ego adduco.*

Deus dona sua gratis ad confert.

Desiderium pro pretio est Christo.

101 Tertiò & genuinè ad literam, ut jam dixi in expositione, ait Dominus: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ*; ac si dicat, quod dabit, non cuicunque sed vehementer sitienti; ipse paratus est omnibus dare, non tamen vult dare fastidienti, ac contemnenti, sed sitienti, ac vehementer quærenti, ac ex ipsa siti, ut par est, operanti, undè perbelle dixit D. Bernard. sermon. 21. in Cantic. *Quàm pauci post te Domine Jesu ire volunt, cum tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua usque in finem. Et propterea volunt omnes te frui, at non ita & imitari, conregnare cupiunt, sed non compati; ex his erat ille, qui dicebat: Morietur anima mea morte justorum, & fient novissima mea horum similia; optabat sibi extrema justorum, sed non ita principia: non curant quærere, quem tantùm desiderant invenire cupientes consequi, sed non sequi.* Hæc sunt iniquorum hominum desideria, quibus sic divina expetunt, ut nullam illis acquirendis diligentiam adhibeant; & cum multa desidia torpeant, habent fiduciam, quod Jordanis influat in os suum, & manibus in sinu compositis, volunt, ut esca ipsa ad os perveniat; hi nunquam ad beatitudinem devenient, sed perpetuò ab ea exulabunt; at justi sic sitiunt beatitudinem, & avidissimo appetitu desiderant, ut pro ea obtinenda, omne opus diligentissimè impendant.

Multi volunt beatitudinem, sed non operantur ad illam.

102 De Publicano illo Zachæo scribit D. Luc. 19. nu. 3. *Et quærebat videre Jesum, quis esset, & non poterat, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus.* Compone modò desiderium istius, cum desiderio Herodis, *qui erat cupiens ex multo tempore videre eum*, scilicet Jesum, Luc. 23. num. 8. & contentus est suo desiderio cum videret illum, & nihil aliud curabat; Zachæus, sic cupiebat videre, ut non sibi temperaret quin præcucurrerit, & ascenderit in arborem sycomorum, quæ ob ruborem fructus, mortificationem, ac martyrium significat, ut docent Beda, & Haymon, ut ita frueretur optatis videndi Jesum, undè meritò ait D. Laurent. Novar. homil. de Pœnitent. *Bene festinavit, optimè ascendit, qui dum avidus cupit videre salvatorem, salutem ipsam, quam ignoravit, invenit.* Herodes cupiebat videre, & ut reprobus suo desiderio contentus est, at Zacchæus, cum ad justorum sortem pertineret, non quiescit in suo desiderio, sed ad illud explendum, magna & præclara opera adhibet, cucurrit amplectens omnem pressuram, & laborem pro Christo, ideo in sycomoro martyrium innuente ascendit.

Justi desiderant Christum, & ut par est ad illum currunt.

103 Dicebat Anima sancta Cantic. 3. n. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea, quæsivi illum, & non inveni;* tunc surgit à lectulo, & magno affectu quærit eum per vicos, & plateas, elapsa ex custodum manibus: *Paululum cum pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, &c.* in lectulo non invenit, sed in plateis. Dum sui sponsi præsentiam desiderat tantùm, illa caret, at cum suo desiderio opera adhibet, surgens & diligenter quærens, contemnens nocturna pericula civitatis, ac custodum, tunc ejus optata præsentia fruitur, ipsumque secum tenet, ac possidet. Gillibert. serm. 6. ait: *Per noctes, quæ languidus & remissus animus, culpabili quadam patientia non tam optat, quàm expectat futura bona; qui verò fervention est, ardenti fertur desiderio, repositam plenitudinem furtim, & ex parte deflorare tentat.* Fervens desiderium cœlestium bonorum nescit quiescere, sed omnibus modis repositam cœlestem plenitudinem, intentat deflorare, ac sibi comparare; at animus languidus non tam optat, quàm culpabili patientia expectat, ut bona cœlestia ad eum descendant, & influant in os ejus.

Anima Sancta non solum desiderat, sed quærit Christum.

Apoc. 21. n. 7. Qui vicerit, possidebit hæc, & ero illi Deus & ille erit mihi filius.

Num. 8. Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.

VERSIONES.

Arabicus n. 7. Victor hæreditate possidebit.
Æthiopic. Possidebit hunc.
Pagninus. Hæreditate accipiet omnia.
Syriacus. Ipse erit filius meus.
D. Cyprianus. Ergo ejus Deus ero.
Arabicus n. 8. At verò timidorum, & infidelium, & sceleratorum, & impiorum, & homicidarum & scortatorum, &c. fors erit in stagno.
Syriacus. Infidelibus & peccatoribus, & pollutis, & scortatoribus, & incantatoribus, & cultoribus idolorum.
Primas. Dubiis autem, & infidelibus, & abominatis, pars erit in stagno ignis, quod ardet sulphure.

EXPOSITIO.

104 *Qui vicerit.* Ut explicat Lyran. nempe Diabolum & carnem cum Antichristo. Et rectè hæc subjunxit, nempe: *Qui vicerit*; nam dixerat superiùs, se gratis sitienti aquam daturum, ne quis inde segnis, & socors fiat, omnemque felicitatis curam deponat, sciat tamen, quod hæc salutaris aqua non datur nisi certantibus, ac vincentibus, ac proinde sitienti dabitur aqua vitæ; non tantùm desideranti, sed cum affectu quærenti. *Possidebit hæc*; Arabicus: *Hæreditate possidebit*; non quomodocunque possidebit, sed hæreditate, ut immediatè sequentibus explicat: *Ille erit mihi filius.* An ut filius, an ut hæres paterna bona possidebit, nobis non explicat D. Joan. Rich. Vict. ait: *Possidebit hæc, quæ oculis non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se, quæ propter immensitatem nequeunt comprehendi, propter æternitatem æstimari. O quàm grandia sunt ista cœlestium bonorum promissa, quæ exuperant omnem sensum.* Dei gloria incomprehensibilis.

105 *Et ero illi Deus.* Natura sua Deus est omnium, nec potest non esse omnium Deus, tamen peculiariter, gratia, officio, atque voluntatis approbatione, solùm Deus est victorum, atque justorum. *Et ipse erit mihi filius.* Sic cum illo me geram, eumque tractabo, ut charissimum filium; non solùm me habebo erga illum, ut creator ad creaturam, sed ut pater ad filium, quæ sunt correlativa, omniaque ut filius possidebit, meque illi per gratiam communicabo, veluti pater filio se communicat per naturam, undè exclamat Ansbert. *O ineffabilis pietatis affectus! O inæstimabilis ardor charitatis! Ait nunc: Qui vicerit, ero illi Deus, & ipse erit mihi filius; quid ampliùs debuit, aut potuit promittere? seipsum promisit in præmium dare possidendum, se patrem adoptionis existere, atque hæreditatem cum illis dividere.*

106 *Timidis autem.* Superiori versu explicatur via, qua itur ad gloriam, & etiam bona, quæ ibi possidemus, & quod in sortem filiorum Dei transeamus, nunc verò explicat vitia, quæ nobis faciunt impedimenta, proposita in pœna, in stagno ardenti. *Timidis*; id est ignavis, qui suis cupiditatibus, ac persecutionibus cedunt. *Et incredulis.* Incredulos vocat, qui bona futura minimè credunt, qui vera fide carent. Sicut timiditas fortitudini opponitur, sic & incredulitas adversatur fidei; & sicut timidus nihil bene agit, sic incredulus, undè graves auctores, sub incredulis intelligunt malos christianos, qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *Execratis*; seu, ut legit D. August. *in execrabilibus.* Sunt illi, ut rectè ait Rich. Vict. qui ad se redire nolentes, à fidelium cœtu, & Ecclesia meritò per censuras expulsi sunt. Recentiores verò per execratos, intelligunt malos christianos, qui turpia, ac execrabilia crimina committunt. Ut incredulus habeatur qui malè operatur.

Homicidis. Homicida propriè est ille, qui hominem opere interficit; aliqui etiam extendunt ad illos, qui alium verbo interimunt. *Fornicatoribus*; qui carnis illecebris indulgent. *Veneficis*; qui magicis incantationibus, ac maleficiis vacant, de quo infra q. 14. *Idololatris*; qui nempe idola, & vana eorum simulachra colunt: sed jam supra dixerat, Incredulos, sub quibus idololatræ comprehenduntur. Respondet Ansbertus, quod per Idololatras cupidos, & avaros intelligit, qui Mundi divitias, pro Deo videntur amare, quod ad avaritiam pertinet, de qua ait Paulus ad Colos. 3. n. 5. *& avaritia, quæ est idolorum servitus*; ad quæ verba, ait Petrus Lombard. *Avaritia tam fugienda, sicut Idololatria, cui simile, & par vitium est, quia rebus etiam pro Deo servit; sub rerum etiam nomine duo pessima & impia vitia prohibet, idololatriam & avaritiam.* Addit text. *Mendacibus.* Beda restringit ad mendacium, quo contra religionem peccatur, dum quis se fingit bonum cum sit malus. Alcazar ad peccatores, qui in Scriptura dicuntur mendaces; mendaces ergo sunt, qui decipiunt verbo, & opere faciunt falsa, ac mendacia cum injuria Dei, vel proximi, vel utriusque. 107 Avaritia genus Idolatriæ.

Pars illorum; id est fors, & quasi hæreditas: at verò, cur ait, malos partim habitaturos in stagno ardenti, non autem omnes arsuros in eo? Richard. Victor. *Dixit partem, ut designaret alios plus, alios minus passuros.* 108

QUÆSTIO XIII.

Quare inter octo genera peccatorum, quæ hìc apponuntur, à nostro Evangelista, timidi habeant primum locum; & quinam sint isti timidi.

109 Octo genera peccatorum hìc ponuntur ab Evangelista, ut denotetur, eos qui ab octo beatitudinibus alieni sunt, infœliciissimos futuros, utpote qui in stagno ardenti igne cruciabuntur in æternum. D. Thomas ait: *In hoc loco octo differentiæ perversorum hominum numerantur, ut per hujusmodi numerum à justis, qui octo beatitudinibus dicebantur, ipsi prorsus alieni ostendantur.*

110 Tota quæstio est: Quare timiditas omnem iniquorum turbam præcedit, primoque loco ponitur? sed primò quinam sint isti timidi, maximè inquirendum est. Timidi in radice græca idem est, ac ignavi, & socordes, & primò illi dicuntur timidi, qui in persecutionibus deficiunt, rabiem tyrannorum, eorumque cruciatus formidantes. Secundò timidi hìc dicuntur, qui labori, ac difficultati, quam secum affert virtus miserè succumbunt, & ignominiosè virtuti terga dant tentationibus Satanæ, ac concupiscentiis carnis minimè resistentes. Rupertus in præsenti: *Rectè tamen timidi dicuntur, qui nihil fortè propter spem vitæ, nihil arduum propter præmiorum fiduciam aggrediuntur.* Timidi, qui arduum pro gloria non aggrediuntur.

111 Tertiò rectè notat Tertul. adversùs Gnosticos c. 12. ante omnes reprobos, timidis pars in stagno ardenti; sed cur timiditas tantum flagitium habetur, ut ante omnes damnatos apponatur? Non est fermo de quocunque timido, sed de judice, ac præside impio, qui innocentem condemnat ob timorem humanum; iste graviter, & præ omnibus aliis *in inferno* est torquendus. D. Ambros. hìc ait: *Sunt & timidi, qui non solùm alios non juvant, sed propter timorem hominum, sententiam damnationis in eos proferunt*; undè rigidè D. Pasch. lib. 12. in Matth. arguit Pilatum, qui timore Cæsaris innocentissimum Agnum Christum D. morti tradidit, Joan. 19. n. 12. & sic ait Pasc. *Lavit quidem manus, sed culpam non lavit, quia Judex non debet cedere timori, nec ullis adversantium impulsionibus, ut sanguinem condemnet innocentem, quem prædicabat justum.* Judex timore condemnans innocentes gravissimè punitur.

112 Quartò maximè ponderandum, cur in tam larga serie suppliciis æternis damnatorum, primi timidi ponantur? & quinam sunt timidi, qui in facinoribus primas tenent, ut in suppliciis eadem teneant? Illi nempe, qui sua auctoritate, familiaritate, & principum, ac prælatorum crimina compescere, & evitare poterant, sua tamen ignavia iniquis consentiunt, eorum- Qui possùnt resistere prævaricationibus majorum & non faciendo, puniuntur.

eorumque cupiditatibus obluctari nequeunt; sic quidem solvit D. Ambros. in præsenti & ait: *Sunt timores valde pessimi, de quibus hic dictum esse reor; sunt multi, quibus dedit Deus scientiam de rebus temporalibus, qui in Judiciis positi, dum vident quosdam à potentioribus injustè opprimi, plus timentes iras hominum, quàm iram Dei, eos, quos per doctrinam, quam acceperunt juvare poterant, & à periculis liberare, tacendo in damnum magnum sinunt devenire.* Ecce qui primi omnium in acerbissima inferni tormenta præcipitantur, illi nimirum, qui alios *tacendo in damnum magnum sinunt devenire*. Time homo timiditati tuæ; quæ te non sinit potentiorum facinoribus obluctari, aliàs tua timiditas te dejiciet in æternum supplicium.

113 Vir auctoritatis qui non prohibet malū, punitur.

Jonathæ mors magnam quæstionem facit D. Isid. Pelus. nam Jonathas maximè favebat David, multaque verba pro ejus innocentia habuit erga Patrem, præliaque Domini imperterritus dimicavit, & qui multa alia bene egerat, tamen is primus ex tota familia Saulis mortuus occubuit; cur ergo tam bonus, tam magnam ruinam est passus? Memoria recole, quod cum Saul unà cum filio suo Jonatha esset in castris, præliaturus cum Philisthæis, eorumque magnam multitudinem vidisset, timore percussus Pythonissam consulvit, *aitque mulieri: Divina mihi in Pythone*, 1. Reg. 28. n. 8. in quo gravissimè peccavit; à quo peccato Jonathas, qui charissimus Regi erat, minimè Regem prohibuit, & ideo ante Regem, qui flagitium commisit, ipse pœnas dedit, & mortis ruinam sustinuit. D. Isidor. lib. 1. epist. 371. ait: *Angorem mihi affert Jonathæ pœna, qui patrem Pythonissam quærentem minimè prohibuerat, ob idque ante eum, qui scelus admiserat, is qui prohibere poterat, in bello interiit.*

114 Qui sua familiaritate non impedit malum, punitur.

Sara Abrahami uxor, rapta fuit ab Abimelecho rege Geraris; statim Rex, & tota regia cœpit crudeli morbo corrumpi, & agitari; ait text. Gen. 20 n. 18. *Concluserat enim Dominus omnem vulvam Domus Abimelech propter Saram;* in quo Josephus omnesque hebræi agnoscunt gravissimum morbum, quo tota regis domus fuerat infecta: Rex tantùm perpetravit crimen, rapuit mulierem, in quo saltem aliæ uxores non consenserant, & alii ex ejus familia non fuerant cooperatores, cur ergo universi multantur, qui regiam habitabant? In regali familia multi erant intimè Regi charissimi, qui multa auctoritate apud eum pollebant, & tamen nullus fuit in tota regia, qui voluerit Regis voluntati obluctari, ejusque appetitui resistere, ideo meritò universi acutissimo morbo pœnas dant. Philo lib. de Abraham ait: *Tunc Deus propitius misertus, & protector factus super injuriam patientium, graves pœnas, & cruciatus magno inflixit Regi: quam ejus pœnam sensit & tota regia, eo quod nemo se tantæ opposuerat iniquitati.* Percipiant, & intelligant hæc universi principum laterones, & videant quantis se implicent periculis, quantumque metuere debeant, ne principum suppliciis involuantur, equidem is est Deus, qui non solùm spiritum Principum aufert, sed illis gravissima infert damna, qui non audent principum facinoribus adversari.

QUÆSTIO XIV.

Quare post tot peccatores ponuntur venefici, & quinam sint.

115 Diabolus à minoribus tentando ad majora inducit.

OCto peccatorum genera hìc ponuntur ab Evangelista, & inter ultimos venefici referuntur: venefici sunt illi, qui Magiæ incantationibus, & maleficiis vacant; cur ergo post enarrationem tot peccatorum qualia sunt timiditas, incredulitas, homicidium, fornicatio, tandem postea apponit veneficia? Ad hoc rectè respondet Haymon, & ait: *Venefici, id est magi, qui incantationes peragebant, sanè ut denotaret, non statim ad venefica pervenire, sed post plurimorum peccatorum commissionem.* Diabolus non statim ad maxima peccata nos inducit, sed à minoribus incipit, ut inde ad majora, ac maxima nos promoveat.

116 Venefici idolatræ.

Secundò noster Evangelista connectit venefícos cum idolatris: *Venefici, & Idolatræ;* quia ut dictum est in expositione ex Ansberto, hìc per Idolatriam denotatur avaritia, quæ ut ait Apostolus, est idolorum servitus; non ergo mirum, quod hæc duo simul conjungantur, quia id, quod homines maximè ad idololatriam trahit, est ipsa avaritia, ac cupiditas auri. Legimus in actis Apostolor. c. 16. nu. 16. in magno pretio habitam à Magis puellam Pythonam habentem, *quæ magnum quæstum præstabat Dominis suis divinando;* similiter multi non recusant Diaboli servitutem, dummodo pecuniam ab eo habere valeant, ob cujus cupiditatem, nullum malum respuunt. D. Ambros. serm. 59. optimè rem explicat: *Grande malum est avaritia, imò malorum omnium origo, sicut ait Apostolus 1. Timoth. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide.* Avaritia quoddam veneficium.

117 Deditus vino pro veneficio habetur.

Tertiò ait text. *Fornicatoribus, & veneficis;* Origen. homil. 9. in Judic. habet, *fornicatoribus, & vinariis*, indicans idem esse vinarios, ac veneficos; forsitanne idem vinum, ac veneficium? Ita sanè immoderatè sumptum, eo enim homines dementantur, ut principalis eorum pars, nempe mens deficiat. Veneficium dementat, & insanos facit homines, quod idem vinum operatur, & hoc nullum majus malum. Philo lib. de Planta Noe sic ait: *Quantum quidem intelligo, separatio corporis ab anima, ut levior præ graviore malo, alienatione mentis, si quæ datur optio eligenda est, proculdubio hoc venenum, nempe vinum, si non mortem, creat insaniam, & quid vetat insaniam mortem dicere, cujus accessu præcipua nostri pars mens interit?*

118 Ebrietas insanabile venenum.

Ait Moyses Deuteronom. 32. num. 33. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Vinum ibi juxta communem vocem interpretum, appellat doctrinam iniquorum, multis fallaciis, & impostoris compositam, qua homines dementat, & eos trahit in sua scelera venenata, & lætifera, velut fel draconum, & venenum crudele, ac insanabile, quod omnes bibentes perdit, & occidit. In quæstionem tamen voco cur doctrinam mortiferam & venenatam insanabiliter, non cum alio comparat, sed tantùm cum vino? Meritò sanè, nam malum & insania, quam vinum infert, super omne venenum occidit, & vulnus immedicabile transfundit; quod pulchrè notat D. Ambros. lib. de Helia cap. 14. vinum appellat venenum insanabile: *Multi*, inquit, *reliquorum serpentium veneno curantur, nemo ebrietate.*

119 Immoderato vino omnia mala explicantur.

Isaias loquens de principibus Israel, quia malis voluptatibus corripiebantur, ait cap. 28. nu. 7. *Præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt. Sacerdos, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium;* ubi tam multiplex fit illorum verborum repetitio: *Nesciendi, errandi, & ignorandi*; in quæ mala devenerunt Proceres Israel; *nescierunt* nempe Deum, *erraverunt* à via veritatis, *ignoraverunt* lumen intelligentiæ, ne à sua perversitate possent redire ad salutem, ut ita venenum eorum fieret omnino insanabile. Et ut tot mala exprimeret Propheta, à quo sumit metaphoram? A vino nempe immoderato, quod tam crudele venenum est, homines dementans, ut Deum nesciant, in via salutis errent, & penitus ignorent suum regressum ad illam. Noster D. Cyrillus Alexand. ait: *Sine vino, inebriati sunt enim, non hoc vinum subiectum sensibus bibendo, sed ex impotenti ira, & furore ebrietatem & diabolicæ perversitatis obteret rationem in animis, quasi domicilium admittendo.*

120 Immoderatus vini usus non hominis sed bellua.

Loth cum vinum bibit, ait de illo Scriptura: *Mansit in spelunca*, Genes. 19. n. 30. dum vino vult indulgere, speluncam eligit; cur non potiùs in montis amœnitate, vel in ejus cacumine, undè multa ad animi recreationem circumspicere poterat, sed in spelunca, quæ non est hominum triclinium, sed rapientium, atque devorantium ferarum spelæum? Inde maximè, quia qui vino immoderatè utitur, homo esse desinit, & in ferarum conditionem transit; quod rectè expendit D. Ambros. lib. de Elia c. 5. & ait: *Convenit ebrietati solitudinis locus, ferarum magis latibulis, quàm humanis aptior domicilijs.*

Apoc.

Apoc.21. n.9. Et venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis, & locutus est mecum dicens: Veni, & ostendam tibi sponsam uxorem agni.

Num. 10. Et sustulit me in spiritu, in montem magnum & altum, & ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de Cœlo à Deo.

VERSIONES.

Arabicus n. 9. Septem ex istis postremis venit, dicens exponemus tibi mulierem illam, quæ est agni sponsa.

Æthiopic. Qui portabant septem calices.

Aretas. Ostendam tibi mulierem, quæ est sponsa agni.

Jul. Firm. D. Cyprian. Ostendam tibi novam nuptam.

Syriac. n. 10. Adduxit me super montem.

Arabicus. Duxit spiritum meum super montem sublimem, ostendit mihi urbem.

Æthiopic. Attulit me spiritus, &c. à Deo meo.

EXPOSITIO.

121 Prælatus dat suavia, & aspera pro tempore.

ET venit unus de septem Angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis. Ecce Angelus, qui antea c.15.nu.6. mortem, & calamitatem intulerat in Orbem, nunc summam felicitatem conspiciendam exhibet, more magnorum Prælatorum, ac concionatorum, ut ponderant Andreas Cæsariensis, & Richardus Victorinus, qui pro temporum varietate dulcia, & aspera, suavia, & dura præstant. *Unus Angelus.* Quis sit iste Angelus maximè dubitatur. Sed nec est Innocentius III. ut aliqui dixerunt, nec D. Paulus ut vult Alcazar, nec D. Jacobus Apostolus, ut contendunt D. Bernardus, & Lyranus, nec Michael Archangelus, ut insinuat Michael Navæus in Chronico apparitionum 1. Michaelis lib. 12. c.11. Tamen verè & propriè in natura sua est Angelus, ut ostendi supra. c.16.n.1.

122 Nunc Joannes videt clarius.

Veni exiens à terrenis rebus, & mentem sublimi contemplatione in altum erigere. *Et ostendam tibi sponsam uxorem agni;* nempe cœlestem Jerusalem, quam licèt Joannes antea videret versu 1. nunc ad iterum videndam monetur ab Angelo; nam de divinis, ac cœlestibus ob earum celsitudinem, non satis est quod cognoscitur, sed semper supereſt aliquid ultra cognoscendum ut statim explico.

123 Omnia sanctorum sublimia.

Et sustulit me in spiritu. Ex quo patet, quod non est sermo de elevatione reali, & corporea, sed tantùm de spiritu, & mente. *In montem magnum & altum;* in quo constituta erat ipsa sancta civitas, ut in ejus cacumine Joannes positus posset clarè, & apertè muros civitatis & plateas, ac reliqua ejus interiora conspicere. Dubitatur tamen an iste mons fuerit in ipsa civitate, vel extra. Tamen cum Joannes dicat, quod Angelus ostendit ei civitatem descendentem, videtur quod fuerit extra civitatem; & ad hunc montem magnum, & altum Angelus sustulit Joannem, quia ut ait Aretas, omnia sanctorum sublimia, & alta sunt, & nihil est in eis terrenum & abiectum.

124 Descensus humilitatis firmitas magnitudinis.

Ostendit mihi civitatem sanctam Jerusalem; nam licèt Joannes eam viderit supra. v.2. tanquam indistinctè, nunc Angelus eam apertè, ac clarè ostendit Joanni per singulas suas partes, per plateas, muros, fundamenta, ac portas illius. *Descendentem de cœlo;* non cadentem. Descendere humilitatis est, & quò major est celsitudo, quanto magis se humiliat, tanto firmiùs stat, & consistit. Rupert. *Descendere humilitatis est, in quo semper descensu se continens illa Jerusalem in æternum stabit:* de hoc vide supra v.2.

QUÆSTIO XV.

Quare cœlestis Jerusalem, quæ antea dicebatur sponsa, vel uxor tantùm, nunc utrunque dicit & in civitate ostenditur.

125 Difficultas quæ sit.

SÆpè Ecclesia sancta in Scriptura appellatur sponsa, ut in hoc capite versu septimo: *Ut sponsa ornata viro suo;* tamen post diem judicii dicitur uxor, ut supra cap.19. versu 7. *Et uxor ejus præparavit se,* quod latè explicavi ibi, quæst.10. nunc verò hic utroque nomine dicitur. Ait Angelus: *Ostendam tibi sponsam uxorem agni;* si sponsa, cur uxor nominatur? & si conjux cur sponsa? cum sponsa nondum ad conjugium pervenit; dicat ergo Angelus unum ex duobus: Veni ostendam tibi sponsam, vel uxorem.

Meritò tamen Angelus utrunque dixit, quia licèt 126
Ecclesia tanquam uxor fœcundissima innumeros Christo filios spirituales dederit, semper tamen sponsa virgo pura permansit. Rupertus Abbas ait: *Quare autem utrunque dixit, & sponsam, & uxorem? Videlicet quia conjugium Agni, & unicæ Ecclesiæ ejus virgìnale est, etiam illic ubi jam uxor erit, in plenitudine voluptatis, sponsa nihilominus permanebit;* in illa nempe beata copula semper uxor cum filiis suis, semper virgo erit intacta permanentibus nuptiis, & sponsalibus festis. Pro quo audiendus est Sanctus Agobardus Episcopus Lugdunensis, epistola ad clericos & monachos Lugdunenses, de modo regiminis Ecclesiæ, qui ait de hac uxore virgine: *Generat Agnus Dei, Agnus Deus, Agnus omnipotens, Agnus omnipotentis, agnos, & oves, quos commendat Beato Petro Apostolo, dicens Joannis c.21.n.15. Pasce agnos meos; & iterum: Pasce oves meas.* Hæc sancta Ecclesia sui similes generat filios, fœcundus, ut oves, puros, & virgines, ut agnos. Ecclesia ut fœcunda generat ut virgo pura.

Secundò dicitur uxor, & sponsa, ex frequenti usu 127
Scripturæ, ac more hebræorum confunduntur uxoris, & sponsæ vocabula, ita ut quæ sponsa dicitur, etiam uxor appellatur, & vice versa; cur ergo absolutè, non sponsam, aut uxorem dicit? Hujus dubii solutionem nobis innuit D. Bernard. serm. 7. quærens rationem, cur in Canticis non dicitur uxor, nupta, sed sponsa? Quia sicut sponsi amor erga suam sponsam ferventissimus est, & cum illa omnia sua communicat, sic & Christus se habet erga suam Ecclesiam; ait sanctus Doctor: *Non sunt inventa æque dulcia nomina, quibus Verbi, animæque dulces ad invicem exprimantur affectus, quemadmodum sponsus, & sponsa; quippe quibus omnia communia sunt, nihil proprium, nihil à se divisum habentibus; una utriusque hæreditas, una domus; denique propter hæc relinquet homo patrem & matrem: si ergo amare specialiter sponsis principaliter convenit, non immeritò sponsæ nomine censetur anima, quæ amat.* Summus amor inter Christum, & ejus Ecclesiam.

Tertiò pollicetur Angelus Joanni se ostensurum 128
uxorem agni; ait ei: *Ostendam tibi uxorem agni;* & in re ipsa manifestavit ei civitatem Jerusalem: *Ostendit mihi civitatem sanctam;* quomodo ergo dicis Angele te ostendere uxorem agni, si in re ipsam civitatem videndam præbes? quænam convenientia civitatis cum uxore? Meritò tamen cùm dicit se ostensurum sponsam agni, exhibet civitatem aspiciendam, quia sponsa, & uxor agni immaculati in civitatis custodia ostenditur, de eaque gloriatur, nunquam enim sponsa agni sine custodia civitatis manifestatur. D. Bernardus serm.5. in dedicat. Eccles. ait: *Dico autem, quod eadem sponsa, quæ civitas est, purissimus agnus sibi sponsam eam comparavit, quæ non per agros vagaretur, sed clausa custodiretur civitate.* Fœmina honesta frequentes agrorum fugit.

Cant.3.n.2. *Surgam, circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea;* quæ est tua 129
hæc inquisitio sponsa sancta? tuus dilectus habitat in hortis, & ad hortos sæpè invitatur; nonne ipse de se testatur: *Ego flos campi, & lilium convallium?* cur ergo quæsitura dilectum, non pergis ad agros, & campos, sed dicis: *Circuibo civitatem per vicos & plateas?* Non per agros, sed in civitatis clausura, ac custodia, Virgines habent, undè Deo placeant, indeque ibi ipsum Deum tenent. D. Ambrosius lib. de Isaac cap. 5. sic præfata verba expendit, & ait: *Quæram in foro, in illo foro, ubi tractant jura consulti, ubi oleum venditur, quod evangelicæ virgines emant, ut nempe facie sua luceant.* Virgo judica intra clausuram civitatis Deum quærit.

Compone modò peccatricem Magdalenam cum 130
muliere Eva; illa dum *cognovit, quod Jesus accubuisset in domo Simonis,* domum ingreditur, pedes Jesu tenet, Luc.7.nu.37. at verò Eva dum vagatur per Paradisum, illius amœnitatem considerans, Diabo-

Mulier in [illegible]

lum habet obviam; undè illa cùm esset peccatrix tenet Jesum, hæc verò in statu innocentiæ, Diabolum. Magdalena erat in domo, Eva verò extra, & vagans per varia loca, & mulier in domo habet Deum, extra verò Diabolum, in illiusque tentamenta incidit. Ad hoc tendit D. Ambrosius cit. c. 5. de Isaac, dum considerat peccatricem ad pedes Jesu, & ait: *Vade ad Patrem, sed non requiras Evam, ne iterum labatur; tecum eam ducito jam non errantem;* ac si dicat: Si apud te malè audiunt intempestivè Evæ gressus per campos, & agros, ecce jam novam Evam habes ad imitandum, non per agros errantem, sed intra civitatis mœnia, intra domus septa quærentem Jesum, quem misericorditer, cum multa indulgentia invenit.

131 Ex quo magna laus est fœminis, si latebris domesticis se contineant, qualem fortem bono viro David precatur Ps. 127. n. 3. *Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ;* D. Hier. *in penetralibus domus tuæ*; & cur mulier fœcunda prole, virtute, ac donis cum vite confertur? Vitis ut copiosa sit in fructu, debet esse pedamentis obligata; talis & sit pudica mulier in penetralibus domus suæ, ut abundet justitia, prole, ac sanctitate. Ad quod respicit D. Chrysost. homil. 4. in Epistola ad Titum, & ait: *Uxor, quæ domus curam habet pudica quoque sit, necesse est, nunquam vel circa delicias, vel circa intempestivos improbosque processus, aut aliud aliquid hujusmodi se occupabit.*

Uxor se domi continens fœcunda.

132 Et ita oportet, quod mulier sit clausa in domo, ut ne prætextu pietatis, ac religionis foras exeat. Præcipiebat olim Deus in lege: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo*, Exod. 23. n. 17. Deut. 16. n. 16. Coram Domino tuo, id est, coram arca, vel tabernaculo in Templo, ubi de sexu muliebri nulla fit mentio; ex quo probant Interpretes, mulieres ea lege non teneri; & cur mulieres ad tantam religionis legem non tenebantur? Scitè & benè respondet Oleaster ad c. 34. Exodi: Ne scilicet pietate adumbrata Deum orandi, templum visitandi, licentiùs vellent excurrere; sic ait Oleaster: *Amat hoc genus exire, hinc inde amat discurrere, & quia à viris sæpiùs arcentur, causa religionis, aut pietatis mentiuntur.*

Pietatis facto mulier desiderat foras excurrere.

QUÆSTIO XVI.

Quare Joannes, qui jam antea viderat civitatem cœlestem, nunc vocatur ab Angelo, ut ipso monstrante iterum eam videat.

133 NOster Joannes jam viderat sanctam civitatem, ut ipse testatur sup. nu. 2. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem, sicut sponsam ornatam viro suo;* ad quid ergo vocatur ab Angelo, ut ipse eam illi ostendat, & eam iterum videat, ac contempletur?

134 Ad quod primò respondeo, quòd Joannes antea viderat civitatem indistinctè, absque eo, quod singulas ejus partes agnosceret, nunc verò vocatur ad magis distinctam, & expressim ejus cognitionem, ut videat, & considerat illius structuram, amplitudinem, muros, fundamenta, &c. Secundò, & ad magnum documentum nostrum, quòd quamvis per nos multa sciamus, tamen non recusemus alios audire, ab eisque doceri, nam quæ de sancta civitate hactenus dicit Joannes, erant ex his, quæ ipse viderat, & ab aliquo non didicerat, quæ verò nunc de hinc dicit, se ab Angelo didicisse testatur, ac agnovisse.

Non recusemus ab alijs edoceri.

135 Tertiò, & maximè ad literam: Quamvis Joannes jam viderat sanctam civitatem, iterum tamen nunc vocatur ab Angelo ut veniat ad hoc ut ipse Angelus eam illi ostendat, & magis videat, hoc enim habent res divinæ, ob sui magnitudinem, ac excellentiam, ut satis nunquam ad illas, quantum in se habent, perveniamus, nec quantum intelligi possunt, intelligamus, sed semper in illis multa supersunt, quæ quæramus, & intelligamus. Rich. Vict. ait: *Jam magna quidem viderat, sed adhuc tamen valde majora visurus erat, liquet nimirum in sequentibus, ubi sanctæ civitatis murum, partes, angulos, mensuram, fundamenta, & alia multa illius gloriosa sacramenta multiformiter, & pulchrè describit, ea quæ jam viderat, & ipse æstimanda, parva tamen ad illorum mirabilium comparationem, quæ restabant videnda;* ait ergo: *Veni, ostendam tibi sponsam, uxorem agni; quasi dicat: Magna quidem sunt, quæ de futuro sanctorum statu vidisti, sed eleva, & dilata mentem, quia de eodem statu eorum visurus es mira, quæ nondum vidisti.* Pro qua re audiendus est etiam D. Leo, serm. 9. de Nativit. *Nemo*, ait, *ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus divinis, etiamsi multum proficiat, semper sibi superesse quod requirat; nam, quisque ad id, quò tendit, perveniisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione deficit.*

Etsi de beatitudine multa cognoscantur, ampliora tamen restant.

De Salomonis curru, quo se Rex regum magnificè 136
extra domum videndum præbebat, dicitur Cant. 3. n. 9. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis libani; columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit.* Valde minutim sponsa ponderat, ac prædicat ferculi divitias, partes, structuram, non sic verò, ubi ad lectulum ventum est, ibid. n. 7. de eo solùm ait: *En lectulum Salomonis sexaginta ambiunt*; ubi nullus est sermo de lectuli magnificentia, columnis, ac de illius reclinatorio; nec etiam verbum habetur de illius pulchritudine ac divitiis, ut de ferculo, seu curru gestatorio legimus. In ferculo denotantur ea, quæ ad viam hujus sæculi spectant, in lectulo verò innuitur cœleste cubiculum, ac requies justorum. Etsi ea, quæ hujus viæ sunt, dici possint, minimè verò, ea quæ ad æternam gloriam, ac requiem justorum pertinent, quæ omninò sunt ineffabilia, & nulla mente comprehendi valent. Gilbertus Abbas ser. 16. in Cant. ait: *Quid est, quòd de ipso nobis lectuli apparatu nihil dicit? quod non ejus, vel in medio delicias, & thronum regis Salomonis & ferculum, sed utrunque ambitioso structum apparatu, & sicut regias decet delicias? nunquid lectulum intelligimus neglectum? Absit, sed sufficiebat, ut lectulum diceret; fortè verbum, hoc verbum ineffabile, quod non licet homini loqui*; quidquid enim ad lectulum, ac ad cœlestes delicias, ac divitias pertinet, ineffabile est: *Verbum ineffabile, quod non licet homini loqui.*

Quidquid pertinet ad cœlestem gloriam ineffabile est.

In vertice montis Thaboris præbuit Jesus quan- 137
dam ostentationem, & umbram suæ gloriæ; facies ejus mira pulchritudine refulsit, vox Patris insonuit, & omnis terra à plenitudine gloriæ majestatis ejus repleta est; tunc Petrus lingua audet dicere: *Bonum est nos hic esse*, Matth. 17. nu. 4. ex impulsu magnitudinis præsentis gaudii, at verò cùm Dominus gloriosè in cœlum ascendit, & portæ cœlestis patriæ tunc primùm reserantur, admirantibus Apostolis præ tanta majestate adest Angelus dicens: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum*, Actor. 1. n. 11. non ait Angelus, quid statis loquentes, sed quid statis aspicientes; nonne Petrus antea inter glorias Thaboris locutus est: *Bonum est nos hic esse?* cur modò tacet, & nec unum verbum profert? Etsi ad umbram, ac similitudinem gloriæ homo loquatur, tamen à magnificentia veræ, ac propriæ gloriæ cœlestis mens obruitur, ut nec unum verbum valeat eructare, sed cum submissione videre, ac contemplari. D. Chrysost. serm. 4. de Ascensione ait: *Tunc Petrus magna cum fiducia respondit: Bonum est nos hic esse; nunc verò nec loqui quidem potuit aliquis discipulorum, nec os aperire.*

Cœlestis gloriæ magnitudo nullis potest verbis explicari.

Ait Ecclesiast. 1. nu. 8. *Cuncta res difficiles; non potest* 138
eas homo explicare sermone; quæ verba sic legunt Græcus, D. Greg. Nyssen. *Omnes sermones sunt laboriosi, & non poterit vir loqui*; & quinam sunt hujusmodi sermones laboriosi, de quibus homo non poterit loqui? cùm videamus quod Salomon, & alii multa dixerunt de arboribus, plantis, ac rebus temporalibus. Loquitur ergo sapiens de rebus divinis, nam quamvis in eis homo multo studio, ac diligentia laboret, nihil sufficiens, ac pro dignitate poterit dicere. Olympiodorait: *De divinis sermo semper est utilis, quem tamen non poterit homo pro dignitate explicare.*

Nullus sermo sufficiens ad divina explicanda.

Apoc. 21. n. 11. Habentem claritatem Dei, & lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis, sicut crystallum.

Num. 12. Et habebat murum magnum, & altum, habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim, & nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim Tribuum filiorum Israel.

VER-

VERSIONES.

*Syriacus n.*11. Habentem gloriam Dei tanquam lucem splendidam, similem lapidi multum pretioso.

Arabicus. Erat in ea gloria Dei, eratque splendor ejus, ut gemmæ pretiosissimæ, ac Pyropi, & unionis coruscantis.

Æthiopic. Et gloria Dei super eam fuit, & stellæ ejus videbantur sicut lapis pretiosus, & alba fuit sicut margarita.

Primas. Habentem lumen claritatis Dei, quod illuminat eum, &c. refulgenti in modum crystalli.

Aretas. Luminare ejus simile lapidi pretiosissimo tanquam lapidi jaspidi crystallizanti.

Aretas, 12. Habebat murum magnum ac sublimem.

Æthiopic. Magnus fuit murus ejus, & mœnia ejus excelsa.

Arabicus. Ad portas Angelos duodecim.

Syriacus. Nomina scripta super ea.

EXPOSITIO.

130 Claritas gloriæ firma, ac stabilis.

HAbentem claritatem Dei; seu ut alii legunt, *gloriam Dei*; id est quandam admirabilem claritatem, & gloriam Dei, quæ Deum decet, ejusque Palatium, ac sanctam civitatem, quæ claritas indicat emanationem à summa majestate Dei, quæ facit sibi regiam in dignitate, ac gloria respondentem. *Et lumen ejus simile lapidi pretioso.* Jam per partes explicat noster sacer Evangelista claritatem sanctæ civitatis, quæ ostendit regiam divinitate dignam, ac proinde hoc lumen est fixum, stabile, & fulgentissimum cùm non proveniat ab aliquo corpore, ut Sole & Luna, sed immediatè ab ipso Deo. *Simile lapidi pretiosissimo*, ut habet græcus; quo significatur nullum hoc lumine clarius, fulgentius, ac suavius. Et nota, quod Dei nutu noster Interpres posuit *lumen* per abstractum, & non luminare, ut alii legunt, ut nobis indicaret ipsum lumen, seu splendorem in omni sua excellentia, & puritate.

129 Splendor aliorum mirificus omni pulchritudine

Tanquam lapidi Jaspidis, sicut crystallum. Non vult noster Joannes nos esse sollicitos, cui lapidi pretioso hoc lumen sit simile, inde illud confert cum lapide Jaspidis. Lexicon biblicum affirmat septuaginta esse species; si tot species, utique meritò comparavit Jaspidi tam vario, ac multiplici, ut inde intelligeremus hoc lumen non esse nudum lumen, sed affectum omni pulchritudine, elegantia, ac varietate, & inde supra c.4. nu.3. Deus apparuit in similitudine lapidis Jaspidis, ut nempe omnium creator. Habent ergo beati subjecta suis oculis, quæcunque pulchra sunt per lumen, quo illustrantur; ex quo manifestum apparet, quanta sit eorum beatitudo, ac jucunditas. *Sicut crystallum.* Ne autem aliquis existimaret prædictum luminare per extima quidem esse lucidum, inquis verò esse opacum, addit sacer Vates, *sicut crystallum.* Et Jaspis omnium colorum varietate distinctus, & maximè viridis, & simul totus pellucidus est, & diaphanus, ut est crystallum, lucemque in seipso variat ac temperat, undè græcus habet: *Lapidi Jaspidis crystallizanti.* Crystallizat iste Jaspis omni lucis claritate perlucens, ac nitens.

141 Angeli nostri ductores.

Et habebat murum magnum & altum. Hic murus denotat firmitatem insuperabilem, & magnam, undique securitatem in summa pace, & quiete cœlestis Jerusalem: *Qui ponit fines tuos pacem*, Psal.147. n.14. *Habentem portas duodecim*; ut per eas habeant ingressum omnes Tribus ex filiis Israelis, hoc est, in eis significati omnes electi, ex universis gentibus à quatuor Orbis partibus, ut exprimit sequent. vers. & bene custodita erat civitas, cujus singulas portas singuli tenent Angeli; & etiam sunt in portis tanquam animarum ductores, ac receptores in cœlum. Eleganter Sophronius Archiepiscopus Jerosolymitanus in encomio ab eo scripto de Angelis, ait: *Veri omnium Regis estis administri: rerum divinarum interpretes, custodes, & præsides, conservatores, & conductores, & vie duces, defensores, decertatores, & propugnatores.* Sunt etiam Angeli in portis duodecim, quia per ipsas portas significantur Apostoli, ac viri apostolici, ut dicam quæst. 19. inde Angeli sunt in ipsis portis tanquam coadiutores, ac cooperatores ad seminandum Evangelium. Aretas ait: *Si persuasum nobis est, cuique fidelium designatum esse Angelum, multò magis fundamentis Ecclesiæ, & verbi Dei seminatoribus consentaneum est, Angelos esse adjutores ad Evangelium prædicandum:* idem habet Andreas Cæsariensis.

Angeli cooperatores ad prædicandum Evangelium.

Et nomina scripta, quæ sunt nomina duodecim Tribuum filiorum Israel; quibus significatur suam unamquamque Tribum habere portam, & suum etiam habere Angelum; per quæ significatur omnibus gentibus optimè consultum à Deo, ac provisum, cùm singulis suam assignaverit portam, per quam intromittantur in Paradisum, & suum unicuique ad hoc ipsum dederit Angelum, proindeque sub nomine Israelis intelliguntur veri Israelitæ, seu veri fideles, qui habent veram fidem Dei, ac Christi Iesu ejus filii, ut explicat Pannon. 142 Omnibus provisum est ad salutem.

QUÆSTIO XVII.

Quare claritas cœlestis civitatis comparatur cum triplici lapide.

AIt noster sacer text. quod civitas cœlestis habet claritatem Dei, nempe lucem & splendorem, prout decet Dei Palatium; qualis verò sit hæc claritas, explicat dicens: *Et lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis sicut crystallo;* ubi illam claritatem, illumque lumen explicat, per triplicem lapidem, pretiosum, jaspidem, crystallum, de cujus sensu literali jam dixi in expos. 143

144 S. Trinitas illuminat Ecclesiam.

Mysticè verò primo plurimi existimant, denotari hic SS. Trinitatem, nam ejus simplicissimam unitatem indicat rectè vox, *luminare*, & ideo non luminaria, sed luminare dicitur; trinitas verò personarum in triplici lapide appositio optimè innuitur, nempe pretioso, jaspide, crystallo, & tres hi lapides unum sunt luminare. Sed statim inquires: Quomodo hi tres lapides tres divinas personas denotant? Primus lapis *pretiosus*, ostendit Patrem, quia ingenitus est; *jaspis* filium, eo quod talis lapis maculosus sit, hoc est vario macularum nostrarum colore respersus, cùm nostra mortalitate indutus ipse apparuit; crystallus Spiritum Sanctum indicat, crystallus enim, cum aquei coloris sit, fidem, & Baptismum significat, ut bene adnotavit Rupert. fides autem, & Baptismus munus sunt Spiritus Sancti, qui aquas fœcundat, ut homines renascantur in gratia, ac fide: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire regnum Dei*, Ioan.3.nu 5. undè cùm Christus baptizatur, Spiritus Sanctus, sub columbæ figura in caput ejus descendit, Matth.3. nu.16. & ipsemet Christus Apostolos baptizandos Spiritu Sancto testatur, Act.1.n.5. Hanc totam ponderationem acutissimè firmat D. Ambr. & ait: *Ecce tres lapides posuit, quorum lumen Ecclesiæ assimilavit, unum sine nomine, duos verò nominatim exprimens: possumus itaque per lapidem pretiosum Patrem, per jaspidem Filium, per crystallum, Spiritum Sanctum intelligere.* Hoc ergo luminare, quod est sancta Trinitas illuminat Ecclesiam, & omnes fideles ad salutem.

145 Christus iter, ostium, & ductor.

Secundò Andreas Cæsariensis, Rich. Vict. Albert. Magnus per hoc luminare interpretantur Christum Dominum, nam ut dicitur infra: *Lucerna ejus est agnus*; indeque rectè hoc luminare Christus Dominus confertur cum triplici lapide, pretioso, jaspide, crystallo, quia in Christo Domino triplex substantia invenitur, divinitas, corpus, & anima; divinitas denotatur in lapide pretioso, seu ut habet græcus, pretiosissimo; corpus in jaspide maculoso: illud sanctissimum corpus fuit maculosum, ac variè depictum in passione, flagellis, clavis, spinis; crystallus significat ejus purissimam, ac candidissimam animam. Deinde optimè Christus significatur per lapidem pretiosum, jaspidem viridem, ac crystallum pellucidum, nam ipse est pretiositas animarum nostrarum, ipse nostra, lux nostra, ac splendor noster; in hoc sæculo gratia sua,

sua, in futuro Dei visione, ut ait Ansbertus. Deinde sicut lux est rerum reconciliatrix, ut ait D. Thomas, sic & Christus est animorum nostrorum reconciliator in se, & in vera charitate.

146 Tertiò, & maximè expendendum, quod hæc civitas sancta dicitur habere claritatem Dei, non quando in sua sublimitate consistit, sed dum descendens apparet. Ait Text. *Ostendit mihi civitatem sanctam descendentem de cælo, habentem claritatem Dei*; nam esset mirum quod sancta civitas videretur de terra ascendere in cœlum, & tunc de ea affirmaretur habere claritatem Dei, esseque Deo similem, nam ascendere maximè ad divinitatem spectat, ob suam sublimitatem, & ideo ait regius Vates Psal.67.n.33. *Regna terræ cantate Deo, psallite Domino; psallite Deo, qui ascendit, super cœlum cœli ad Orientem*. Inde ergo Deus decantatur, quia ascendit super cœlum; quomodo ergo hæc civitas, non ascendens, sed descendens sub radiis decantatur? Descensus voluntarius ex Dei amore, ac proximi maximè pulcherrimus, animamque nobilitat, ac illustrat cœlestibus donis. Rupertus libro 12. in Apocal. ait: *Pulchrè nimirum descendit, quæ in ipso descensu, in ipsaque humilitate descensus sui, claritatem habet Dei, id est, similis est claritati Dei*. Dum hæc sancta civitas descendit ad justos recipiendos, ad Joannemque sui cognitione illustrandum, inde maximè ascendit, ut fulgeat, & resplendeat Dei claritate, ac lumine.

Quanto quis magis se humiliat, tanto magis splendet, & illustratur.

147 Daturus Jesus panes turbis, præcepit discipulis Joannis cap.6.num.10. *Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco*; at Matth.15. nu.35. dum similis discubitus mandatur ad prandium, nulla ibi fit mentio fœni, sed nuda terra proponitur, dicens: *Præcepit turbæ, ut discumberent super terram*; cur non in fœno, sed super terram? In primo miraculo, per quinque panes, qui ad miraculum inserviebant, denotabantur quinque dona Spiritus Sancti, in secundo autem, miraculum ministrabatur per septem panes significantes septem dona Spiritus Sancti, & ubi homo ad tantam gratiam vocabatur, ut septempliciter donorum luce fulgeret, ac resplenderet, major humiliatio requirebatur, ut non in fœno, sed in nuda terra jaceret. D. Hilarius canone 15. in Matthæum, ait: *Peccatorum, corporumque suorum origini hærentes ad donum Spiritus septiformis vocantur*.

Major illuratio majorem requirit humiliationem.

148 Ut ostendatur divinum templum Ezechieli dicitur ei cap.40. nu.4. *Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi, quia ut ostendantur tibi, adductus sum huc*. Adducebatur quidem Vates ut magna, & alta sacramenta de templo Dei videret, ad quæ ut accedat passim nomine filii hominis vocatur: non tali nomine frequenter dicitur Daniel, sed suo proprio, cap.9.n.22. *Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres*; & iterum cap.10. n.11. *Daniel vir desideriorum intellige verba, quæ ego loquor ad te*; cur ergo non similiter vocatur Ezechiel nomine suo proprio? cur maluit Angelus hunc vocare filium hominis, quàm illum? Daniel vocabatur, ut audiret vocem Angeli cap.10.n.9. & ut ab eo doceretur: *Ut docerem te*; Ezechiel vocabatur, ut videret Dei sacramenta, quæ Angelus ei ostendebat: *Fili hominis, vide oculis tuis, quæ ego ostendam tibi*. Major lux, majusque lumen requiritur ad videndum, quàm ad audiendum; cùm ergo Ezechiel adduceretur ad videndum, Daniel ad audiendum, inde ille frequentissimè dicitur filii hominis nomine, quia ubi major necessaria erat lux, majorque requirebatur humilitas, majorque humilitatis descensus ad propriam vilitatem humanæ naturæ, ut inde magna Dei claritate repleretur ad vitanda, & agnoscenda superna Dei sacramenta. Rupert. in Ezechiel. c.4. ait: *Fili hominis, inquit, opportuna commendatio infirmitatis. Ita humiliato capite, vide oculis tuis, quæ ego ostendam tibi*; ac si sine humiliatione capitis illa non posset videre.

Inde Ezechiel ad videnda divina adducitur, quia homo humiliatur.

QUÆSTIO XVIII.

Quare de cœlesti Jerusalem dicitur, quod habeat murum magnum, & altum, & quisnam sit iste murus.

149 QUorsum hic murus, cùm dicatur Zachariæ 2. n.4. *Absque muro habitabitur Jerusalem*? quod dicitur de Jerusalem terrestri, ob magnam multitudinem inhabitantium, ita ut muro non posset cingi, & multi essent in suburbiis. Si verò mysticè dictum Prophetæ ad Ecclesiam militantem referas, hoc exinde dicitur, quod absque muro habitabitur, quia toto Orbe diffusa, ad eam undique confluit innumerabilis multitudo fidelium: ita D. Aug. ser.131. de tempore, D.Remig. Albert. Lyran. Vatabl. Arias, & alii.

150 Summa pax & quies beatitudinis.

Hìc etiam in alio sensu mystico de cœlesti Jerusalem dicitur, quod habet murum magnum, & altum, ad indicandam summam illius securitatem, firmitatem, ac pacem: *Posuit fines tuos pacem*, Psalm.147. n.14. cum admirabili quiete, & requie absque aliquo timore adversarii impetus, ut dixi in exposit.

151 Christus murus suos custodiens, & defendens.

Tamen multi graves auctores per hunc murum interpretantur Christum D. qui magnus & altus perhibetur; magnus est per immensitatem incomprehensibilem, & infinitatem æternitatis, altus verò per exaltationem humanitatis, & sublimitatem suæ majestatis, & inde dicitur murus hujus civitatis sanctæ magnus, & sublimis, suos nempe à quibusvis adversariis protegens, ac defendens. Rich.Vict. ait: *Per murum convenienter accipimus Christum, qui ipsam sanctam Jerusalem undique circumdat, & contra incursores dæmones, & graves homines, & vitia circumstantia nunc defendit*.

152 Solum ubi Christus est omnia sunt integra, & secura.

Ait Paul. Coloss.3.n.1. *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est*. Non contentus est Apostolus nobis persuadere, quod superna quæramus, sed insuper addidit: *Ubi Christus est*; nonne sat erat quærere superna, ad quid ultra monet: *Ubi Christus est*? Eleganter D.Chrysol.ser.23. rationem assignat: *Ubi tali custode dormias tu securus, quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi*. Quæcunque bona sunt, omnia latronibus, periculis, ac perditioni sunt obnoxia, solùmque sub Christo servantur, secura, & tuta sunt; ubi ille non est, etiam si Paradisus sit, latrones, ac adversarios admittit, quæ universa bona diripiant, ab illisque nos spolient, ut invenimus manifestum in primis parentibus.

153 Christi virtutem ignorat, & qui evilipendat illum timeri posse.

Ex quo optimè deducitur, quod non benè Magdalena edocta erat de Christi virtute, cùm enim vacuatum inveniisset sepulchrum, plorabat tanquam sibi Christum ereptum, undè Dominus ait ei: *Mulier quid ploras? quem quæris*? Joannis cap.20 nu.15. Evidenter sciebat Dominus, quem Magdalena requirebat, ad quid ergo interrogat fletus causam, & quem quærat? Ut ita innueret illam prorsus Christi virtutem ignorare, dum illum quasi furto raptum cogitat, cum ille nulli furto, ac perditioni subjaceat, ac proinde dum Jesum furto ablatum præsumebat, non benè Jesum agnoscebat. Ad hæc D. Ambrosius ait: *Benè addit, quem quæris? non quod iste dubitet, quem requirat; sed quia illa quem quærebat, ignorabat, non enim Christum quærit, quem putat raptum*. Ubi Christus est, nullus datur aditus latroni, ac perditioni, sed omnia sunt integra, secura hominibus tali munimine servata.

154 Qui Christum secù habet nil timeat.

Monebat Christus Dominus suos Apostolos: *Estote prudentes sicut serpentes*, Matth.10.nu.16 quænam est hæc prudentia serpentis, quam nos observare vult Christus? de quo multa dixi suo loco. Illa ad præsens optima est, quia dum coluber impetitur ab adversariis, magnoque periculo premitur, totum se in gyrum vertit, caput custodiendo, ac amplectendo se, & nihil amplius de toto corpore cogitat, dum caput illæsum in se teneat. Hæc prudentia imitanda est à nobis; insurgunt adversarii, urgent pericula, circumstant undique contrarietates? hæc nobis maximè cura sit, ut Christum nobiscum retineamus, & inde maximè securi, ac custoditi sumus ab omni con-

tra-

trarietate, cum adversùs eum nil possit creata potestas. Eleganter D. Paschasius lib. 4. in Threnos, ait: *Coluber cùm urgetur periculis caput abscondit, & in orbem se colligit, abjecta reliqua parte corporis; ita & membra Christi caput, quod Christus est custodiant, & primatum observent.* Elegantissima similitudo stat in eo, quod in periculo *caput abscondit, & in orbem se colligit*; & sicut cùm serpens caput in se retineat illæsum, inde se totum existimat securum, ut nihil amplius timeat, sic & nos si Christus nobiscum sit, nihil timeamus.

QUÆSTIO XIX.

Quare in sancta civitate Jerusalem duodecim describuntur portæ.

155 CUm una sit charitas, per quam fit accessus ad sanctam civitatem, quomodo in illa non est una porta? Et augetur difficultas, quia sicut Christus est murus civitatis, sic etiam ille est illius porta, sicut ipse dixit Joan. 10. n. 7. *Ego sum ostium, per me si quis introierit salvabitur*: ergo in hac sancta civitate una tantùm porta sufficiebat. Ipse tamen est principalis porta, cujus meritis in cœlestem civitatem ingredimur, ejusque meritis multæ portæ assignantur, ut denotetur, quod ex omnibus gentibus ex unaquaque parte electi vocantur, ut statim dicam. Nunc audiamus Ansbertum Abbatem: Dicitur Psalm. 17. n. 19. *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam*; sic ait citat. Abbas: *Cùm priùs plurali numero portas sibi aperiri postulat, ac deinde portas ingressus, singulari numero unam portam se vidisse testatur, per quam justos in civitatem intrare conspexit; patet proculdubio, quia quisquis per illas ingreditur per unam, quæ principalis, & singularis est omnium, imò quæ in omnibus una, & singularis est, ingreditur.*

Christus principalis porta cœlestis civitatis.

156 Ad sensum literalem. Salmeron in Prolegom. 20. Villapandus in Ezechielem tom. 1. existimant ex Adricomio hìc fieri allusionem ad duodecim portas Jerosolymæ, quas dicunt habuisse tempore Davidis, & Salomonis; tamen Arias Montanus, Alcazar, & alii, quin & ipse Salmeron tract. 42. tantùm novem portas Jerosolymæ fuisse testantur.

157 Communiter omnes ferè Recentiores, Ribeira, Viegas, Cornelius, Menochius, la Haye, Ferrarius tenent hic alludi ad castra duodecim tribuum Israel, quæ sic in quadrum erant disposita, ut singula quadrilatera tres continerent Tribus, quarum singulis singulæ portæ respondebant, ut patet ex Num. 2. ad Orientem erant Tribus Juda, Issachar, & Zabulon ad Meridiem Ruben, Simeon, & Gad, ad Occidentem Ephraim Manasse, & Beniamin, ad septemtrionem Dan, Aser, & Nephtali.

158 Tamen in hac distributione castrorum illud facit difficultatem, quod Tribus Levi sit omissa, quæ utpote sacerdotalis erat extra omnem sortem, & sine dubio sua porta est ei assignanda in cœlesti curia; & ideo Alcazar, & Ferrar. dicunt, quòd Tribus Dan sit omissa à nostro Evangelista, sicut etiam supra cap. 7. num. 5. ejusque loco Tribus Levi sit appo-nenda. Sed hoc apertè pugnat cum Propheta Ezechiele citando, qui expressè assignat portam tribui Dan in civitate.

159 Proindeque simpliciter dicendum existimo, quòd noster Joannes hìc alludit ad duodecim portas tribuum Israel, quas numerat, & assignat Ezechiel 48. n. 31. *Et portæ civitatis ex omnibus tribuum*; & statim Propheta figillatim unicuique tribui suam portam adscribit, portam unam tribui Ruben, unam Judæ, unam Levi, unam portam Joseph, unam Beniamin, unam Dan, & unam portam Simeoni, unam Issachar, unam Zabulon, & unam portam Gad, unam Aser, unam Nephtali; ubi Propheta expressè ponit portam Dan, & sub porta Joseph, intelligit Ephraim, & Manasses, qui sunt filii Joseph, & sic completæ sunt duodecim portæ assignatæ ad omnes Tribus Israel, sub quibus intelliguntur omnes veri fideles, qui sunt spirituales filii Abraham, Isaac, & Jacob, quibus omnibus Deus ex se ostendit viam, & aperit portam ad salutem.

Propheta cuilibet tribui assignat suam portam.

Si verò c. 7. Apoc. n. 5. non nominatur inter electos, 160
Tribus Dan, non est ex eo, quod nullus ex tali tribu fuerit salutem assecutus, nam hoc est apertè falsum, siquidem Sampson natus est ex tribu Dan, & tamen est in catalogo justorum; & idem de aliis dicendum, ut probavi cit. cap. 7. qu. 15. n. 134. sed ob execratam maledictam sobolem Antichristi sic tota Tribus odiosa facta est, ut ob illum tota Tribus inter electos taceretur, ut dixi eadem q. n. 140. at hìc in portis Tribus Dan fuit scribenda, ut fieret manifestum quod Deus ex se omnibus ostendit viam salutis, & aperit portam ad illam: Deus nemini negat necessaria ad salutem.

Deus omnibus ostendit viam, & aperit portam ad salutem.

Esto admittamus, ex Tribu Dan nullum fuisse salutem consecutum, adhuc sua porta fuit ei assignanda, quia divina bonitas potiùs abundat in pietate, ac misericordia, quàm in rigore, ac severitate, hinc Dominus sugillat pernitiosam Pharisæorum duritiem; ait Matth. 23. n. 4. *Alligant enim onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum*: Hoc proprium est iniquorum, ac deterrentium à salutis via, ut errent per multam crudelitatem, cùm potiùs errandum sit per multam pietatem, ac misericordiam. Pro quo eleganter ex D. Chrysost. D. Thomas in catena pungens rigorosos ministros, ac sacerdotes, ait: *Tales sunt, qui grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt; & si erramus modicam pœnitentiam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam reddere rationem, quàm propter crudelitatem? Ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax; si Deus benignus, ut quid sacerdos ejus austerus?* Sic & monet Ericus hom. in cap. 23. Matth. quod melius sit errare ex pietate, quàm ex multa severitate. 161

Valde superabundans est Dei misericordia.

Mysticè jam Joachimus, per has duodecim portas intelligit duodecim religiones, quas Deus in fine Mundi post extinctum Antichristum excitabit ad convertendas gentes, ita ut unicuique tribui sua respondeat Religio. Aliqui auctores per duodecim portas intelligunt duodecim fidei Articulos. D. Bernardus ait, quod sunt Dei mandata; sed cùm mandata sint decem, quomodo possunt designari in duodecim portis, per quas ingredimur ad vitam? Respondet S. Bernard. *Idcircò sunt duodecim portæ, nam observatio mandatorum cum duobus præceptis charitatis*, scilicet Dei, & proximi, *facit ad vitam ingredi.* 162

Dei mandata porta ad cœlum.

Tandem communiter Patres, D. Hieronymus in cap. 48. Ezechielis, D. Augustinus, Ansbertus, D. Thomas, per has duodecim portas intelligunt duodecim Apostolos, per quorum doctrinam, ac prædicationem omnes Tribus Israel, idest, omnes fideles ad vitam ingrediuntur. Richard. Victorinus ait: *Per portas sanctos Apostolos intelligimus, per quorum fidem, & doctrinam in civitatem introimus; quotquot enim hominum ad Christum convertuntur, per ipsorum eruditionem sanctam Jerusalem ingrediuntur.* Rupert. per muros intelligit justos, & sanctos, qui custodiant civitatem, per duodecim portas duodecim Apostolos; & sicut portæ, habent majorem honorem, excellentiam, ac elegantiam, quàm muri, sic & Apostoli cæteris sanctis excellentiores sunt; ita ait citat. Abbas: *Duodecim portæ, duodecim Apostoli sunt, qui pro officio, quo hìc nobis prædicando regnum Dei aperuerunt, & janua ad vitam extiterunt, honorem illic ampliorem habebunt, quanto ampliorem in civitatibus habent portæ honorem, sive pulchritudinem à cætero ambitu murorum.* 163

Per doctrinam Apostolorum ingrediuntur in cœlum Apostoli aliis sanctis excelentiores.

Ultimò ex his magnum documentum datur cunctis Regibus, ac Principibus; ait text. quòd sancta civitas habebat *murum altum, & magnum habentem portas duodecim, & in portis Angelos duodecim.* Discant Principes à supremo Rege, à cœlesti civitate, ut in sua curia multas habeant portas, ut qui habent negotia, habeant aditus ad ipsos principes, sintque ab eis multi constituti ministri, qui negotia determinent, ac expediant, nec omnia ad unum coarctentur, tunc enim cuncta peribunt; ad tot & tanta munus unius hominis insufficientes sunt. Perbene ait Petrus Damomerius 2. Hippoaphor. Polit. *O Princeps!* ait, *observa in te, quod in ædificiis templorum, quæ non unum,* 164

Principes in sua curia multas habeant portas, multos aditus & ministros.

sed plures introitus ad se habent, Deum ipsum non unum, sed plures mediatores habentem; ita & principes dum plures mediatores, & aditus ad se habent, & præter quam, quod imitantur Deum (summa securitas, & felicitas) diviniores fiunt, & diviniores Reges apparent.

165 Cùm Saul ex Dei mandato venisset ad perdendum Amalec, dixit 1. Reg. 11. n. 6. Cineo: *Recedite, atque discedite ab Amalec, ne fortè involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascenderent de Ægypto.* Magna quæstio est apud expositores, quænam misericordia extiterit, quam Cineus præstiterit filiis Israel in via, ob quam se illi tam adstrictum, ac obligatum recognoscit Saul. Abulens. citand. existimat, quòd Cineus originem trahebat à Jethro, qui cum vidisset, quòd Moyses causas totius populi judicaret, dixit ei Exod. 18. nu. 18. *Stulto labore consumeris, nec solus pondus universi populi poteris sustinere; sed constitue tribunos Centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui causas populi cognoscant, & judicent.* Abulens. citat. cap. 15. q. 26. *Erat autem istud beneficium non solùm ad Moysem, sed ad omnes filios Israel, ut hîc dicitur, quia causæ totius populi peribant propter unitatem judicis, & gravabantur nimis expectando eum;* Summum Beneficii Reipublicæ, si in ea sint multi ministri. *sic dicit Jethro: Stulto labore consumeris, tu & populus iste, qui tecum est.* Ecce magnum beneficium populo exhibitum, ob quod Saul, maximè se debitorem agnoscit Cineo; quia nempe ejus Avus Jethro dedit consilium Moysi, ne ipse solus causas totius populi judicaret, sed per multos ministros, & quinquagenarios distribueret; hoc enim valde est utile, & salutiferum Reipublicæ, aliàs omnia periclitantur, ac deperduntur: *Causæ totius populi peribant propter unitatem judicis, & gravabantur nimis.*

166 Minatur Dominus magna supplicia Jerusalem dicens Isai. 3. num. 1. *Ecce Dominator Dominus aufert à Jerusalem, & à Juda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, fortem, & virum bellatorem, judicem & prophetam, ariolum, & senem, Principem super quinquaginta.* Extrema supplicia proponuntur super Jerusalem, quod auferebat ab ea Dominus virum fortem, ac bellatorem, ut qui ipsam custodiat, ac tueatur, omneque robur panis, aquæ, & alimenti ad vitam, prophetam, & ariolum, qui super eam vigilet, judicem, & principem super quinquaginta, ut illorum causas videat, & judicet, quia sicut necessarium est, ut respublica valeat consistere, quod detur vir fortis ad eam tuendam, panis & alimentum, ad sustentationem vitæ, sic & necessarium est, quod multi sint judices, & principes super quinquaginta, qui eorum causas videant, & judicent, nam si omnia ad unum defluunt, cuncta cadent, & peribunt: sicut necessarius est ad ostentationem vitæ humanæ panis, sic necessaria est multitudo ministrorum ad conservationem Reipublicæ: *Auferam omne robur panis, & principem super quinquaginta.*

Summum mali Reipubl. quod unus ut minister causæ omnes agnoscat.

Apoc. 21. n. 13. Ab Oriente portæ tres, & ab Aquilone portæ tres, & ab Austro portæ tres, & ab Occasu portæ tres.

Num. 14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis nomina duodecim Apostolorum agni.

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Ab Oriente portas tres, & ab Aquilone portas tres. (*Alias omisit tum ab Austro, tum ab Occasu.*)

Syriacus n. 14. Et murum urbis, &c. Et super ea duodecim nomina duodecim Apostolorum illius agni.

EXPOSITIO.

167 *A Oriente portæ tres.* Ad quatuor Mundi partes ternæ portæ obversæ sunt, & in unaquaque eius erat Angelus, ut patet ex superiori versu, quia per Apostolorum prædicationem, & Angelorum custodiam, ac auxilium, ex omnibus Mundi partibus electi venturi erant, ut in sanctam civitatem ingrederentur, ut dictum est à Domino Matth. 24. nu. 31. *Et mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt omnes electos ejus à quatuor ventis*; ubi ait Guillaudius: *Proinde, ac si dicat, undecunque terrarum congregabuntur.* A quatuor Mundi partibus colligun-tur electi.

Et murus civitatis habens fundamenta duodecim. Lyranus, Alcazar, dicunt duodecim fundamenta esse duodecim fidei articulos; tamen communis sententia Patrum D. Ambros. D. August. D. Thomæ, & aliorum tenet esse Apostolos, cùm expressè dicatur in text. *Et in ipsis nomina duodecim Apostolorum*; & Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ, quia ipsi primi Ecclesiam fundarunt per Orbem prædicatione, ac doctrina, quam seminarunt verbo, scriptis, ac multis documentis, per multas traditiones nobis datas, & etiam admirabili exemplo vitæ suæ, & ita ait D. August. *Ecclesiam fundarunt verbo, & exemplo immaculatæ vitæ*; undè Paulus suis discipulis scribens, ait ad Ephes. 2. num. 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum.* Joannes hîc ait fundamenta duodecim, Paulus verò unum dicit fundamentum Apostolorum; & rectè quidem: Apostoli sic erant uniti charitate, ac conformes doctrinæ, quòd quamvis duodecim, unum possit dici fundamentum. Ait text. *Apostolorum agni*: Non solùm dicit Apostolos, sed exprimit *agni*, ad denotandum, quòd quidquid prædicarunt, docuerunt, scripserunt, *de plenitudine agni acceperunt*, ut ait Rupertus; & quia ipsam Ecclesiam fundarunt, ac rexerunt agni mansuetudine, & non leonis ferocitate. 168 Apostoli Ecclesiæ fundamenta. Apostoli unanimes charitate, ac doctrina.

Dubitatur hîc tamen maximè, de ordine, quo hæc lapidum fundamenta erant dispositа; nam Alcazar, Cornelius tenent quòd quilibet lapis totum circuiret murum, ita ut in imo esset jaspis, super jaspidem sapphirus, super sapphirum chalcedonius, & sic de cæteris; & in eo hi auctores nituntur, quia fundamenta civitatis undequaque non habent unum lapidem, sed singula omnes duodecim lapides. Oppositum tamen mihi videtur verius, nempe quòd omnes partes muri non omnes habebant lapides, sed unaquæque pars muri pro fundamento suum habebat lapidem distinctum ab alia parte; & hoc deducitur ex text. infra vers. 19. ubi dicitur: *Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius;* qui modus dicendi manifestè indicat, quod omnes lapides collectivè non stabant pro omnibus muri partibus, sed singuli pro singulis in fundamento, quod est in imo. Deinde duodecim lapides superpositi, unus super alium, jam non essent fundamentum muri, sed magna pars illius; murus autem, ut dicitur vers. 18. erat ex lapide jaspide. 168 Unusquisque lapis in qualibet parte Mundi.

Dubitatur etiam an duodecim lapides sint fundamenta muri, & etiam civitatis utriusque? Affirmat Alcazar, Cornelius dubitat; tamen simpliciter dico, quod lapides muri erant fundamenta, nam expressè ait text. *Murus civitatis habebat fundamenta duodecim;* de ipsa verò civitate dicitur vers. 18. *Ipsa verò civitas aurum mundum*, nec nos aliud de ea possumus affirmare. 169

QUÆSTIO XX.

Quare in sancta civitate ad singulas Mundi plagas terræ portæ obversæ erant.

170 IN civitate sancta ad quamlibet Mundi plagam tres portæ apparent; ad Orientem tres, ad Aquilonem tres, &c. cur ergo ternarius numerus ad quamlibet Orbis partem appositus est? Ribeira existimat, & ait: *Ut sciamus ex omnibus ferè partibus æqualem fortasse venturum electorum numerum, ideo ad singulas plagas portæ ternæ sunt.* Tamen hæc sententia, non mihi videtur multùm firma, quia ut diximus supra, cum ipso Ribeira, ac communi sententia supra cap. 7. quæst. 10. nu. 88. cùm dicuntur duodecim millia signati ex qualibet tribu filiorum Israel, non est ita intelligendum, quòd æqualis sit numerus salvandorum in omnibus tribubus, ita ut nec unus quidem magis salvetur ex una tribu, quàm ex alia, sed ponitur numerus certus pro incerto; ita non est

necesse

necesse in præsenti, ut ex omni plaga æqualis sit numerus electorum.

171 Vera ratio est ut jam dixi super. quæst. per hunc ternarium numerum portarum, ad quamlibet Orbis partem, denotari summam Dei bonitatem, qui omnes ad se vocat, omnibus aperit viam ad salutem, omnesque si digni sunt, paratus est excipere.

Divina bonitas omnibus dat viam ad salutem

172 Secundò tot sunt portæ respicientes omnes Mundi plagas, ut significetur, quòd licèt omnibus electis pateret aditus ad regna cœlorum, hoc tamen fit per varios modos, & vias, ac statuta Religionum. Gilbertus relatus ab Hugone Cardin. in c. 13. Matth. ait: *Ab Occidente portæ tres, per quas furantur regnum, scilicet occultæ afflictiones, humiles confessiones secretæ orationes; ab Aquilone portæ tres, per quas intrant patientes, dum subtrahitur, quod delectat, imponitur, quod affligit, intentatur quod terret; ab Austro portæ tres, per quas intrant pœnitentes, dum pravitas voluntatis, longinquitas consuetudinis, naturæ fragilitas separatur; ab Oriente portæ tres, per quas intrant comparantes regnum, qui scilicet opere misericordiæ, exercitio justitiæ, studio sapientiæ adipiscuntur;* sicque diversa beatitudinis merces pro diversitate meritorum.

Diversi merces, pro diversitate meritorū.

173 Tertio ad unamquanque partem Orbis tres sunt portæ in cœlesti curia; per Orientem, intelliguntur justi, qui fuerunt ab origine Mundi; per Aquilonem significantur illi, qui ex frigore gentilitatis ad calorem fidei sunt conversi; per Austrum antiqui judæi, & justi in Salvatoris fide colentes, ac corroborati convenienter designantur; per Occasum verò, qui in fine sæculi convertentur. Sed cur in qualibet parte tres sunt portæ? cur non potiùs una, vel duæ, vel quatuor, sed tantùm tres, nec plures, nec pauciores? Ut in tribus portis denotaretur Mysterium sanctissimæ Trinitatis, & ideo quælibet porta erat ex margarita fabricata, ut dicitur infra num. 21. margarita autem dicitur, & appellatur. Tres personæ Trinitatis, unam & identicam habent naturam; tres ergo portæ in cœlesti patria ad quamlibet plagam Orbis significant tres personas Trinitatis, ac proinde quòd nullus in regnum cœlorum poterit intrare nisi per fidem sanctissimæ Trinitatis. Lyranus ait: *Ideo tres portæ, nam in fide Trinitatis recipiuntur electi ad gloriam cœlestem.* D. Bernard. tom. 1. serm. 61. c. 1. ait: *Ab Oriente, ab Aquilone, ab Austro, & Occasu, portæ tres in civitate congruè designantur, quia quicunque ex gentibus intrant in civitatem supernam, per fidem sanctissimæ Trinitatis, in quatuor Mundi partibus, in duodecim articulis prædicatam ingrediuntur.*

Ad vitam æternam per fidem Trinitatis ingreditur.

174 Cùm Christus baptizatur in Jordane instituitur ab ipso Sacramentum Baptismi; tunc aperti sunt cœli, & datur aperta, & clara notitia mysterii Trinitatis antea valde abscondita, & occulta; vox Patris auditur Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus*; Spiritus S. sicut columba descendit super eum, & filius adest baptizandus; sed cur inter omnia Sacramenta in institutione Baptismi, tam aperta, & clara datur notitia Trinitatis? Inter cætera Sacramenta, hoc habet peculiare Baptismus, quòd sit janua regni cœlorum, & cœlos aperiat, non poterat autem cœlos patefacere, nisi in fide, ac vera cognitione Trinitatis, & ideo ipse Baptismus sub invocatione Trinitatis datur: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Divus August. serm. 29. de temp. ait: *Quod hoc spiritualiter pertinet ad Christi Baptismum, quia per id ostenditur, quòd quando homo egreditur de Baptismo, tunc janua regni cœlestis aperitur.*

Fides Trinitatis nobis aperit januas cœli.

175 Jacob profectus est in Mesopotamiam, & cùm in via sub noctem vellet requiescere, ait text. *Tulit de lapidibus, qui jacebant & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco*, Genes. 28. num. 11. & statim, ut subdit text. *apertum est cœlum, & vidit scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlos: Angelos quoque Dei, ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ*; qui multas, & largas benedictiones, ei impendit; undè Jacob dignatus tam illustri visione, tot, & tantis miraculi plena? quid in ea apparuit, quòd tantis mysteriis cœlo aperto sublimatus est? Recole quod dicitur: Jacob *tulit de lapidibus, qui jacebant & supponens capiti suo*; ex quo colligunt doctores, quòd multi fuerunt lapides: *De lapidibus.* Rabbi Nehemias, & alii hebræi tenent, quod tres fuerunt lapides, quos Jacob posuit ad reclinandum caput; cùm vero evigilasset, tres illos lapides unitos invenit, & ex eis unus tantùm lapis factus est; & hoc indicat Scriptura ibi num. 18. dicens: *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum*; jam non lapides, sed unum lapidem in singulari; quod totum factum est in figuram sanctissimæ Trinitatis, ac typum trium divinarum personarum in unitate unius essentiæ. Ibi Lyran. *Quod fuit in signum unitatis essentiæ in Deo, & Trinitatis personarum*; cùm ergo Jacob adhæsit, & univit se umbræ, ac figuræ sanctissimæ Trinitatis, inde consequens erat, ut statim cœlum apertum videret, Deumque ipsum intueretur, Angelosque ascendentes, & descendentes aspiceret; ascendentes, ut ejus postulata offerrent Deo, descendentesque ut ipsum asportarent in cœlum, omnique dono, ac benedictione ditaretur: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & benedicentur in te omnes gentes.*

Fides Trinitatis aperit cœlum, & nobis omnia bona impendit.

Ingreditur Jonas 3. nu. 4. juxta lectionem Septuaginta: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur*; cur tres dies, & nec plures, nec pauciores dantur ad indulgentiam? In umbram nempe sanctissimæ Trinitatis; quia si peccatum clauserat eis cœlum, eosque in omne malum præcipitaverat, Trinitatis umbra apertam viam cœli ostendebat, eosque ad omne bonum evocabat. D. Ephrem serm. de pœnitent. ait: *Tres dies habet pœnitentia ad consequendam veniam*; & deinde ait: *Poterant & in momento, & in ictu oculi omnia fieri, sed ob mysterium Trinitatis intra triduum, hostem gratia ligavit.*

176

Ad umbrā Trinitatis omne malum depellitur, & omne bonū venit.

Apoc. 21. *n.* 15. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram arundineam, ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum ejus.

Num. 16. Et civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta latitudo, & mensus est civitatem de arundine aurea, per stadia duodecim millia; & longitudo, & altitudo, & latitudo ejus, æqualia sunt.

VERSIONES.

Arabicus n. 15. Cæterum, qui mecum loquebatur habebat in manu, ut ea metiretur.

Syriacus. Habebat mensuram calamum aureum ut metiretur urbem.

Æthiopicus. Portabat calamum aureum, æqualem virgæ, quo metiretur.

Primas. Habebat arundinem auream ad mensuram.

Syriacus n. 16. Et illa urbs quadrangularis erat, & mensus est urbem calamo supra stadia duodecim millium.

Arabicus. Urbs illa habebat quatuor angulos, &c. Inventa est urbs circiter duodecim millia stadiorum.

Æthiopicus. Fuit hæc civitas in æqualitate longitudinis suæ, & mensus est cum illo calamo, & fuit quantitas ejus duodecim, centum longitudine.

D. Ambros. In quadro posita.

Primas. Mensus est civitatem arundine stadiorum, &c. longitudine, & latitudine æquali.

EXPOSITIO.

ET *qui loquebatur mecum*; nempe Angelus, qui mihi civitatem ostendebat habebat *in manu sua mensuram arundineam*. Mensura, arundo, sive calamus dicitur ut habet græcus; calamus autem mensura est, ut patet ex Ezechiele 40. num. 5. *& in manu* 176

viri calamus mensuræ, sex cubitorum, & palmo. Calamus est mensura, quæ desumitur ab hominis longitudine; cubitus enim, ut vult Alcazar, sumitur à flexu brachii usque ad manus initium. Cornelius verò & Ferrarius cum communi sententia affirmant, quòd cubitus sumatur à flexu brachii, usque ad extremum digiti longissimi, & ita homo constat ex quatuor tantùm cubitis. *Mensuram arundineam auream*. Cum hæc mensura esset aurea, non erat propriè arundo, sed rotunda, & similis arundini.

178 *Arundinem auream*. Mensura illa non erat ex quacunque materia, sed ex auro, & ad denotandas excellentias illius sanctæ civitatis, aurum enim maximè est pretiosum, & durabile, status ille beatorum maximè pretiosus, & durabilis in perpetuum; aurum symbolum est charitatis, & amoris, qui in cœlesti patria maximè floret, aurum symbolum sapientiæ, quæ ut ait Ansbertus maximè visitur, & agnoscitur in illa cœlesti patria, & ut ait Alensis summa Dei sapientia maximè ostenditur, & declaratur in ordinatione electorum ad gloriam; deinde aurum valde purum, & ait Joachim. indicat puram & sanctam meditationem, quam habent omnes sancti, divinæ majestatis; hinc rectè ponderat Rupertus, quòd hìc Angelus ad mensuram civitatis cœlestis habet arundinem auream, Joanni autem infra Apocalyp. 11. n. 1. datur calamus similis virgæ, ad mensurandum templum, & ea quæ sunt hujus seculi, utpote inferiora: ad cœlestia, mensura est aurea, utpote excellentiora, ac majoris pretii.

Cœlestia excellentiora.

179 *Et civitas in quadro posita est*; ideſt, perfectè quadrata, seu æquilatera. *Longitudo ejus tanta est, quanta est latitudo*; hoc est, perfectè est quadrangula, undè Arabicus vertit: *Civitas habet quatuor angulos*; quæ symbolicè sunt accipienda. Longitudo, ait Gagnæus, significat visionem, ac contemplationem Dei, latitudo charitatem, quia beati videntes Deum summè diligunt. Aptiùs tamen Ribeira ait: *Longitudo æternitas, latitudo extensio gaudiorum de Deo viso, ac objectis in eo repræsentatis*.

180 *Et mensus est civitatem de arundine aurea*; ideſt per arundinem auream. *Per stadia duodecim millia*. Unum stadium continet centum viginti quinque passus; octo stadia faciunt unum milliare Italicum, tria milliaria Italica unam leucam Gallicam, sex Hispanicam, & ita duodecim millia stadiorum sunt mille quingenta milliaria Italica, & quingentæ leucæ Gallicæ, seu Hispanicæ; cum ergo dicitur, quod civitas habebat in longitudine, ac latitudine duodecim millia stadia, ita aliqui intelligunt, ut per quodlibet latus haberet tria millia stadia. Aptiùs Alcazar existimat, quod quodlibet latus civitatis habebat duodecim millia stadiorum, proindeque totus ambitus civitatis continebat 48. millia stadia, nam ait ipse propriè metiri civitatem, est ejus longitudinem ab una porta ad alteram è regione opposita dimetiri, & ita longitudo hujus civitatis adimplebat quingentas Leucas, & tantum distabat una porta ab altera opposita, ut distat Ulissipo, seu Hispalis ab urbe Roma.

Explicatur quid sit stadium longitudo, ac latitudo civitatis.

190 Tamen hæc duodecim millia stadia, non literaliter sunt accipienda, sed mysticè, sicut & civitas, muri, portæ, ac fundamenta accipiuntur, ut nempe denotetur ejus ingens capacitas, & amplitudo, quæ fundata, ac fabricata fuit per duodecim Apostolos. Inde Angelus mensuram illius civitatis cœlestis non computat per Leucas, nec milliaria, sed per stadia, nam stadium significat cursum, & certamen, quia ad illam cœlestem civitatem non pervenitur nisi per certamina, & labores, Joachim. Abb. ait: *Per stadia duodecim millia omnes laborantes in Ecclesia exprimuntur; per stadium quippe illud intelligitur, quod in stadio agitur, & inde labor & præmium laborantium*; hinc Paulus 1. Corinth. 9. ait: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*.

Ad civitatem cœlestem non descenditur nisi per labores.

QUÆSTIO XXI.

Quare tam accuratè Angelus mensurat civitatem, murum & portas ejus.

191 APertè ait text. quod Angelus habebat in manu arundinem auream, *ut metiretur civitatem, & portas ejus, & murum*. Multa alia videbantur extare in civitate ad mensuram; ut viæ, fora, theatra, & tabernacula, de quibus nulla in text. fit mentio; & merito sanè, ibi nullæ commemorantur viæ, quia locus ille in termino & quiete est, non in labore, ac fatigatione, nec commemoranda fuerunt fora, theatra, ac tabernacula, quia tota civitas forum, ac theatrum est, in quo repræsentatur, & spectatur quidquid ab electis per omnia tempora factum est, & etiam quod tota illa cœlestis curia unicuique beatorum est tabernaculum, ad quietem & requiem perpetuam.

Quare non mensurantur alia in civitate.

192 Tota quæstio est quare Angelus tam sollicitè ostendit Joanni longitudinem, ac latitudinem hujus amplissimæ civitatis super omnes, quæ fuerunt ab Orbe condito, etiamque ejus eximiam elegantiam, ac pulchritudinem ex tanta loci capacitate, amplitudine, ex omnique auro gemmis, ac lapide pretioso, cum luce perpetua sine ullis tenebris? Ut ostendatur infinita Dei potentia, sapientia, ac bonitas, quæ tot, & tanta præparavit diligentibus se ad felicitatem, & gloriam salvandorum, ut dixi in exposit. n. 178. & de quo etiam egi sup. c. 19. q. 12. n. 93. & seq.

Ostenditur Dei bonitas, ac potentia in gloria suorum electorum.

193 Secundo, & moraliter: Angelus habet mensuram in manu ad metiendam hanc civitatem, murum, & portas ejus, & tamen alia est mensura civitatis, ut hìc dicitur, alia murorum ut patet, ex vers. 18. alia portarum, ut adnotabo infra ad vers. 21. quod ideo factum est, ut nobis manifestetur non omnia justorum merita esse æqualia, sicut nec præmia, sed in quibusdam esse majora, in aliis minora. Subscribit Richard. Victor. & ait: *Mensura rerum differentiam significat; mortuorum superiùs vidit civitatem munitam, & ornatam; hìc docetur attendere alios ab aliis in sancta civitate meritis differre*; undè ait Paulus 1. Corinth. 15. n. 41. *Stella ab stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum*: vide supra c. 15. q. 20. n. 168. & seqq.

Justi sicut in meritis sunt inæquales, ita & in præmiis.

194 Tertiò tria ad mensurandum venit Angelus, civitatem, murum, & portas, quæ sic interpretatur Albertus Magn. Per civitatem, intelligit plebejos, qui sunt de communi civitate, utpote minores; per portas interpretatur magnos, ut doctores & prædicatores, qui doctrina aperiunt viam cœli; per murum explicat maximos, ut prælatos, ac Ecclesiæ defensores, quia majorum, ac minorum merita ad examen vocabuntur, ut præmia accipiant; sic ait citat. Albert. *Ut metiretur civitatem, ideſt minores; & portas, ideſt prælatos, & prædicatores, qui alios ad fidem introducunt; & murum ejus, ideſt Ecclesiæ defensores spirituales, & temporales, ut sunt principes catholici*.

Qui Ecclesiam defendunt maximi sunt ad præmium.

195 Quartò Richard. Victor. per hunc Angelum, qui habet mensuram in manu intelligit prælatos, & prædicatores, qui debent mensurare civitatem, & populum sibi commissum, tam parvos, & plebejos denotatos in civitate, quàm magnos significatos in muro, ut juxta eorum capacitatem, ac indigentiam eis distribuat Dei verbum, & proportionatè ad eorum mores sermonem suum diffundat; sic ait Richard. *Angelus civitatem metitur, quia doctorum auctoritas eam fidelibus secundùm uniuscujusque capacitatem, & mensuram dispensat, & quantum unusquisque secundùm ipsam operatur, studiosè considerat, auditorum conatum, & mentem*; undè Magnus Prædicator Baptista, non eadem documenta dabat publicanis, militibus, Herodi, ac populo cogitanti de illo, quod esset Christus, Luc. 3. num. 12. sed diversa, pro diversa conditione & statu, ut ponderant D. Ambros. Tit. Bostrens. & alii.

Prædicator distribuat doctrinâ juxta auditorum capacitatem.

Quintò Petrus Antonius à S. Michaele, cùm per hanc civitatem intelligat Ecclesiam militantem, ait quòd Angelus, nempe Christus Dominus magni consilii

filii Angelus habet in manu arundinem auream ad mensurandam civitatem secundùm longitudinem, latitudinem, & altitudinem, quia cum mensura permittit Deus labores, adversitates, ac tribulationes hujus vitæ in nos irruere, juxta nostram capacitatem, ac proportionatè ad nostras vires, juxta illud Pauli, 1. Corinth. 10. num. 13. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis*. Neque Deus sinit, ut tyranni, ac adversarii insurgant in nos secundùm totam suam perversitatem, prout volunt, sed Deus eos coercet, eorumque rabiem compescit, ut non nisi quod consentaneum est nostræ virtuti, & nil ultra in nos facere valeant, juxta illud, quod dicitur Regi Assyriorum, crudelissimo hosti gentis Israeliticæ, cùm multa superbia ascenderet adversùs eum, Isai. 37. num. 29. *Cùm fureres adversùm me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & reducam te in viam, per quam venisti*: Tu, ò Assyre, qui multa mala promittebas, ac jactabas in Israel, te tanquam mulum, aut equum, veluti circulo, aut fræno injecto comprimam, & circumagam, & reducam in Assyriam, & tu ut notat Sanchez, qui suspenso, ac erecto naso multa contumeliosè, & lingua petulanter extorquebas, inde Deus, in naso infigit circulum, & ori, ac linguæ injicit frænum. Div. Gregor. lib. 23. moral. c. 10. *Ponam circulum in naribus tuis; ac si apertè dicat: Cogitando insidias suspiras, sed ex vulnere, quod appetis non valendo, omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas, ut cum bonorum mortem ardentiùs anhelas, ab eorum vita vacuus redeas*.

Cum mensura juxta nostras vires Deus permittit tentationes, ac adversitates.

197 Sextò hæc civitas cœlestis condita fuit à Deo, ab eoque descendebat: *Descendens à Deo de cœlo*, supra vers. 2. cur ergo tam exactè ab Angelo mensuranda? Ut omnibus fiat manifestum, Deum infinita sua sapientia omnia disponere in mensura & numero. Joachimus Abbas ait: *Ut scirent cuncti, & intelligerent, quod qui creavit omnia in sapientia, mensuram, & numerum servare voluit in operibus suis, ne quid informe, aut indecens appareret; maximè autem ab imagine Dei, & spiritualium virtutum dissimilia esse viderentur*.

Deus omnia disposuit in numero, & mensura.

198 Iratus Deus in Babylonium Regem, scripsit in pariete sententiam capitalem, cujus scriptionis verbum è tribus erat *Thecel*, quod juxta Danielis interpretationem sonat: *Appensus est in statera*, Daniel. 5. num. 27. ubi Septuaginta apud D. Chrysostomum legunt: *Liberavit Deus regnum tuum*; quasi non aliter Deus infunderet, nisi priùs libræ, ac mensuræ meminerit, & laborum cumulos mensuraret. D. Chrysost. in Psal. 95. ait: *Libravit, inquit, ac mensus est; nihil enim ab illo fit absque mensura, nihil sine pondere, sed justa mensura vindictam infligit, cumque punit trutina librat ultionem*.

Deus in pondere, & libera omnia mensurat.

199 Profundè considera, quod pœnæ, ac labores Job è manu Dei provenerunt cap. 1. num. 11. *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet*; at pœnæ, & supplicia nefariissimi proditoris Judæ, à propriis manibus sunt illata: *Projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit*, Matth. 27. num. 5. undè tanta differentia, ut unum sit è manu Dei, alterum è manu hominis? Ibi adversitates mensuram, ac proportionem habebant cum ejus patientia, virtute, ac generositate, at in nequissimo Juda valde diversimodè se res habet, nam sicut ejus facinus excessit omnem mensuram, modum, ac malitiam, ita ejus pœna debebat excedere omnem modum & mensuram; & ubi nullius mensuræ habenda erat ratio, non manus Dei, sed manus hominis intervenit; quod meditatur D. Leo serm. 3. de Passione, ubi sic loquitur cum ipso, reddens rationem cur ejus manibus permissa sit vindicta, & ait: *Ut quia facinus tuum omnem mensuram ultionis excesserat, te haberet impietas tua judicem, te pateretur tua pœna carnificem*; expende illud: *Quia facinus tuum omnem mensuram excesserat*. Ubi labor, & ærumna sine mensura inferenda erat, non ibi Deus judicem agit, id munus scelestissimo Judæ creditur, qui solus supra mensuram supplicia sibi conglomerare poterat: vide supra, c. 14. q. 23. n. 210. & seqq. & c. 15. qu. 19. n. 159. & c. 18. q. 10. n. 85. & seqq.

Quod sine mensura fit non à Deo, sed ab homine venit.

QUÆSTIO XXII.

Quare hæc sancta civitas in quadro posita est.

200 ALiqui hoc loco disputant an cœlum empyreum, sit quadratum vel sphæricum? quam quæstionem tractant Theologi de opere sex dierum, & Philosophi lib. de cœlo; & hìc non est ad rem, nam hæc sancta civitas de auro purissimo non sumitur *literaliter*, sed symbolicè, sicut & muri ejus, portæ, ac fundamenta, ut sæpè dixi.

201 Et primò hæc sancta civitas non debuit apparere rotunda, vel ex aliqua parte longior, nam in figura rotunda, neque est principium, neque finis, quod magis convenit Deo, quàm creaturis, solus enim Deus sine principio, ac fine est, at hæc civitas principium habet, ac proinde figura rotunda illi non conveniebat. Nec erat expediens, ut hæc civitas esset ex aliqua parte longior, quia in hac civitate, omnia sunt in perfecta mensura, ac æqualitate.

Cœlestis curia non est rotunda.

202 Ribeira ait, quòd hæc civitas in quadro posita erat, quia potentissimæ, ac maximæ civitates per suos muros ita construi solebant, vel in quadro, vel ex aliqua parte in longinquum: Ita maximè spectat ad pulchritudinem, elegantiam, ac fortitudinem civitatis, ut tradit Vitruvius lib. 1. de Architectura cap. 5. & tradit Vegetius lib. 4. de re militari cap. 2. ut ita facilè adventum hostium valeant explorare, undè Babyloniam quadratam fuisse scribit Herodotus lib. 1. ad finem, & Ninive, ut est apud Diodorum Siculum lib. 2. rerum antiq. c. 1. ita condita est, ut duo muri latera essent aliis duobus longiora.

203 Cornelius, quem multi alii sequuntur, ait quod hæc civitas, à singulis quatuor partibus, sive plagis dicitur habere tres portas, hinc ad majorem firmitatem, & ornatum quadrata describitur; urbes enim quadratæ primò commodiores, secundò pulchriores, & perfectiores, inde omnem perfectam architecturam videmus in quadrum conformatam.

204 Tertiò Pannonius Haymon, Ansbertus, Richardus Victorin. in quatuor lateribus accipiunt fidem, spem, charitatem & bona opera. Quartò jidem auctores, Albertus Magnus, Hugo, & alii in hac civitate quadrata intelligunt quatuor virtutes cardinales, per quas electi Dei sunt prudentes in intelligentia, fortes in adversitate, justi in operatione, & temperantes in voluptatibus, & in omni zelo discretionis se convenienti mensura multum moderantes. At hæc vel spectant sanctam civitatem, ut est in terris, & adhuc militat, vel ut triumphat in cœlis ex præmio eorum, quæ habuit in terra.

205 Quintò Rupertus: *In quadro posita, idest summa omnium illic pax, & concordia; omnes sponte, & quasi naturaliter ibi sunt concordes, sicut in quadrato ædificio parietes, sive anguli omnes sunt æquales*. In ædificio quadrato omnes anguli sunt æquales, & maximè inter se uniti, ac connexi, & quia in beatitudine summa est unio, & connexio, inde cœlestis civitas in quadro posita apparet.

In beatitudine summa pax & unio.

206 Sextò Andreas Cæsarien. ait: *Quadrata hæc civitas* describitur ad designandum *immotam* illius firmitatem; figura quadrata, cùm secundùm suam profunditatem, altitudinem, longitudinem, ac latitudinem, quadrangularis sit, & inde secundùm regulas Mathematicæ valde firma, & stabilis est, & inde ad hanc firmitatem, & consistentiam in statu beatorum judicandam, cœlestis civitas in quadro posita apparet; inde Isai. cap. 33. num. 20. eam appellat tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: *Nec auferentur clavi ejus usque in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur, quia solummodo ibi magnificus est Dominus Deus noster*.

Maximè firma & stabilis civitas superna.

207 Septimò hujus rei duæ mihi videntur rationes; & prima, quia hæc sancta civitas ad singulas Mundi partes habebat tres portas: ergo ut hoc fieret cum summa

ſumma proportione, ac æqualitate, expediebat, ut eſſet quadrangularis, ut ex æquo reſpiceret quamlibet plagam Orbis cum tribus portis.

208 Octavò cœleſtis civitas quadrangularis apparet, nec enim ejus ſublimitas, ac altitudo potuit aliter explicari, niſi forma, ac figura Crucis. Aretas ait: *Cum civitas quadrangularis ſit, per figuram Crucis ex diametro dividitur, ut innueretur, Cruci velut inniti, Crucemque habere pro fundamento*; quod confirmat Anonymus græcus auctor. to. 2. apud Gretſerum, & ait: *Nulla eſt domus firma, quæ Crucem non habeat, fundamentum quadrans*. Crucis forma repræſentatur cœleſtis curia, tum quia ad eam per Crucem aſcenditur, tum etiam quia ejus celſitudo, ac firmitas fuit condecoranda, ac nobilitanda, nobiſque maximè explicanda figura, ac diſpoſitione Crucis.

Crux cœli firmitas, ac nobilitas.

209 Hinc Apoſtolus, ut nobis Dei celſitudinem explicaret, nobis formam Crucis proponit ad Epheſ. 3. num. 18. ait: *Det vobis ſecundùm divitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per ſpiritum ejus, & Chriſtum habitare in cordibus veſtris, in charitate fundati, & radicati, ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti*. In his quatuor dimenſionibus, extenſione, longitudine, ſublimitate, ac profunditate nobis explicat Apoſtolus ingentes noſtras divitias in Chriſto; cur non potiùs duplici menſura, in typo duplicis naturæ Chriſti, qui nobis totum bonum promeruit? vel triplici menſura in typo Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed quaternam menſuram proponit Apoſtolus? In umbra ſanctiſſimæ Crucis, ut eſt commune placitum ſanctorum Patrum, intellexit ſanè doctor gentium, quod nulla figura ex quocunque alio ſupernaturali myſterio deſumpta poterat aptiùs nobis ingentes Chriſti divitias aperire, quàm umbra Crucis Chriſti, à qua undique in nos omne bonum diffunditur, ac dimanat. D. Auguſtinus lib. de Doctrina Chriſti cap. 41. ait: *Ut poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas, & profundum, ideſt Crucem domini, cujus latitudo dicitur in tranſverſo ligno, quo extenduntur manus, longitudo à terra uſque ad ipſam altitudinem, quo à manibus, & infra totum corpus affigitur; altitudo à latitudine ſurſum uſque ad ſummum, quo corpus adhæret; profundum verò, quo terræ infixum abſconditur*. Similiter locum Pauli de Cruce interpretantur D. Gregorius Nyſſenus orat. 1. de Chriſti Reſurrectione Joannes Xiphilinus Oration. de Crucis adoratione, Theophanes Cerameus Archiepiſcopus Tauromínii in Sicilia, ibidem ad locum Pauli Div. Chryſoſtomus, Theophylactus, D. Anſelmus.

Divitiæ Chriſti inter omnia myſteria per Crucis figuram explicantur.

210 Ad hujus rei guſtum ut regius Vates nobis aperiret celſitudinem attributorum Dei, ejus nempe immenſitatis, omnipotentiæ, præſentiæ, juſtitiæ, ac miſericordiæ, per Crucis figuram explicat, ut ponderat Div. Gregorius Nyſſenus oration. 1. de Reſurrectione Chriſti dicens: *Videbiſque ſponte ſua Crucis figuram exprimi à ſuperis ad infima, ab extremis ad extrema. Hanc figuram Crucis magis etiam de ſe loquens expreſſit David Pſ. 138. n. 7. ait: Si aſcendero in Cœlum, (hoc eſt ſublimitas Crucis,) tu illic es; ſi deſcendero in Infernum (hoc eſt profundum) ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, ideſt ad ortum Solis, (hæc eſt latitudo) & habitavero in extremis maris*, ſic enim occaſum appellat, *hæc eſt longitudo. Cernis quomodo Crucis figuram deſcribat*. Volens David explicare nobis Dei attributa immenſitatis qua cuncta replet, præſentiæ, qua omnibus adeſt, juſtitiæ, qua punit in Inferno, pietatis, ac miſericordiæ qua refovet in Cœlo, à Cruce ſumit materiam, ac methodum, ac ſi nullo meliùs, ac aptiùs Dei attributa ejuſque magnalia aperiantur, ac declarentur, quàm per formam, & figuram Crucis.

Dei magnalia, ac attributa per crucem ſignificantur, ac explicantur.

211 Conſidera magnam Crucis celſitudinem. Chriſtus Dominus circumcidítur: *Et vocatum eſt nomen ejus Jeſus*, Luc. 2. num. 21. inter guttas ſui pretioſiſſimi ſanguinis, tantùm ſimpliciter, & abſolutè dicitur Jeſus, at cùm Cruci ſuſpenditur, de ipſo ait Apoſtolus ad Philippenſes 2. num. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod, & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur cœleſtium, terreſtrium, & Infernorum*. Utrobique idem eſt Jeſus filius Dei, utrobique, tam in circumciſione quàm in Cruce effudit ſuum ſanguinem infiniti valoris, tamen in circumciſione ſolùm dicitur Jeſus, at in morte, non ſolùm dicitur Jeſus, *ſed nomen, quod eſt ſuper omne nomen, in quo flectitur omne genu*; undè tanta rei differentia? Tanta eſt Crucis majeſtas, ac ſublimitas, ut ipſemet Dei filius coæternus Patri, ab ipſa Cruce dicatur exaltatus: *Et datum illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, in quo flectitur omne genu; factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod Dominus exaltavit illum, &c.* ac ſi ab ipſa Cruce habeat exaltationem.

Chriſtus Dominus à Cruce ſublimatur, ac exaltatur.

Supremum myſterium fidei noſtræ, inſtitutum 212
à Chriſto Domino, eſt euchariſticum Sacramentum, & hoc Crucis ſigno notavit, ac ſublimavit; loquens Chriſtus Dominus de hoc altiſſimo myſterio ait: *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam, quem filius hominis dabit vobis, hunc enim Pater ſignavit*, Joan. 6. n. 27. Hunc, ſcil. panem ſignavit Deus, ut multi Patres explicant, ut dixi tom. 3. in Evang. c. 35. qu. 3. de pane euchariſtico; quem Deus Pater ſignavit, ſeu ſigillavit, ut habet græcus; ſed quo ſigno? Explicat Rupertus: *Signavit ſuo ſigno, quod eſt Crux*. Tantum myſterium, ut maximè eſſet ſublimatum, & exaltatum ſigno Crucis fuit notandum, inſtitutum enim fuit in memoriam paſſionis pſius: *Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis*.

Euchariſticum Sacramentum ſigno Crucis ſignatur.

Apoc. 21. n. 17. Et menſus eſt murum ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt Angeli.

Num. 18. Et erat ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide; ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.

VERSIONES.

Syriacus n. 17. Ad centum quadraginta quatuor menſuras cubitorum hominis, quæ eſt Angeli menſura.

Arabicus. Invenit centum quadraginta quotuor cubitos menſura hominis, qui eſt Angelus.

Æthiopicus. Secundum cubitum hominis, qui eſt unus ſecundum cubitum Angeli.

Richardus. Menſus eſt muros ejus.

Syriacus n. 18. Structura muri jaſpis eſt, & ipſa urbs auri puri ſimilis vitro puro.

Arabicus. Erat ex hyacintho, & urbs tota ex auro puro, ſimilis vitro pellucido.

Æthiopicus. Et in capite muri hujus civitatis ſtructura fuit de hyacintho, & de lapide jaſpide, & videbatur civitas, quaſi de auro puro ſtructa fuiſſet.

Primaſ. Et fuit ædificatio muri hujus.

EXPOSITIO.

ET menſus eſt murum ejus. Poſtquam Evangeliſta ſuperiori verſ. 16. egit de menſura civitatis, ſecundùm ejus latitudinem, longitudinem, & altitudinem ædificiorum, nunc agit de altitudine murorum. *Centum quadraginta quatuor cubitorum.* Cubitus complectitur pedem unum cum dimidio. 213

Quid ſit cubitus.

Et cur murus ſanctæ civitatis talem habet menſuram? Alcazar per murum intelligit ſacerdotes, qui 214

tanquam

tanquam murum se debent opponere pro domo Domini, hos vult significatos illis 24. senioribus cap. 4. n. 24. per sex multiplicata faciunt 144. Alii per hunc murum intelligunt Apostolos, Doctores, & Prælatos; alii ut Rupert. S. Eucharistiam; alii dicunt in isto muro significari Christi potentiam, qui Patris brachium est, & brachium Domini, cui revelatum est Isai. 53. & inde cubitus hujus brachii duodecies in duodecies repetitus, dat sanctæ civitati omnem muri firmitatem, quæ non potest convelli; hinc est illud Isaiæ 26. nu. 2. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale.*

Murus sacra Eucharistia.

215 *Mensura hominis, quæ est Angeli.* Ribeira, Cornel. ita explicant. Angelus tali mensura usus est, quali communiter solent homines uti. Villapandus, hanc mensuram vocari hominis, quia desumpta erat ex cubito humano, qua Angelus sub specie hominis apparens utebatur, ut inde cognoscatur quod non erat spiritualis, nec intellectualis, sed humano more cubitorum. Aliter explicat Ferrar. Mensura hominis scilicet Christi, qui dictus est ab Isaia Magni consilii Angelus, & à Malachia Angelus testamenti, qui secundùm suam scientiam, potentiam, ac merita murum hujus civitatis architectavit, & constabilivit per duodecim fundamenta Apostolorum; primus dicendi modus probabilior.

216 Ex hoc, quod dicitur, *Mensura hominis, quæ est Angeli*, Haymon colligit, quod homines electi ad æqualitatem Angelorum assumentur, juxta illud Matth. 22. *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Ansbertus etiam colligit ex hoc, tot homines salvandos, quot Angeli ceciderunt; sed hoc nullum habet fundamentum.

217 *Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide.* Supra cap. 4. num. 3. Jaspis stat pro Christo Domino. Hìc structura muri sanctæ civitatis est ex jaspide, quia Christus Dominus est murus hujus sanctæ civitatis, ut docent Andreas Cæsarienf. Richardus, & alii: ait ipse per Zachar. 2. num. 5. *Ero ei murus ignis in circuitu & gloria ero in medio ejus.* Secundò jaspis virens, & firmus significat in isto muro firmatas, ac inclusas omnes nostras spes, quas nemo potest à nobis tollere, hinc ait Isaias 54. num. 12. *Ponam jaspidem propugnacula tua.* Tertiò Haymon; jaspis virore suo habet amœnitatem, cum tam multiplex sit, ut asserant quidam, ut supra dixi, ejus esse septuaginta species; ex quo palam fit intra hunc murum omnes esse delicias, omnesque aspectus, qui habent amœnitatem, ac recreationem, quibus delectatur, ac deliciatur noster visus, ac animus. Cur autem murus extruitur non ex lateribus, nec ex vulgaribus lapidibus jam patet ex dictis; & cur ipsa civitas dicitur aurum mundum explico seq. quæst.

QUÆSTIO XXIII.

Quare sancta civitas dicitur aurum mundum simile vitro mundo.

218 CUm sancta civitas dicitur aurum mundum simile vitro mundo, his maximè notatur excellentia, ac sublimitas illius civitatis, in qua nullæ erunt sordes, nulla excrementa, nullæ labes, sed tota ipsa civitas, tam secundùm se, quàm secundùm corpora beatorum, quæ in ea sunt omnino perfecta, & absoluta, tunc enim maximè corpora nostra, sine ulla turpitudine, ac ignobilitate, maximè perspicua, ac pellucida erunt veluti fulgentissimum aurum, cum natura vitri mundissimi: In illa sancta civitate nil erit turpe, nam membra, quæ modò turpia sunt, tunc in illis mirè effulgebunt divina gloria, quæ est in sapientia, & potentia divina instaurante, & efformante omnia, ut non solùm sine verecundia, sed cum magno decore, ac Dei laude spectabuntur, consumpto enim peccato, & statu mortalitatis ab eo inducto, utique consumpta erit omnis indecentia, ac turpitudo. Vestes etiam ibi erunt, ut notat Ferrar. non ex terrena materia, sed ex mirifica luce varios inducentes colores, & formas eximias, pro cujusque dignitate præferentes, miram oblectationem aspicientibus ingerentes.

Ratio literalis.

Dubitant multi hìc: Cum civitas dicatur aurum mundum, an etiam hoc intelligatur de domibus ejus. Multi negant ibi esse domos. Opponit Cornelius illud Joann. 14. num. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*; & insuper addit: *Quia civitas non vocantur horti, aut Paradisi, sed domus civium.* Hoc tamen non est firmum, quia illa sancta civitas non est sicut nostrates, & dictum Christi accipi debet de locis gloriæ differentibus pro ratione meritorum, ut & sunt ipsa præmia differentia. 219

An dentur domus.

Maximè tamen ad quæstionem: Cur ipsa civitas dicatur aurum mundum, nam aurum quamvis sit inter metalla pretiosissimum, tamen non est apta materia ad ædificia; quomodo ergo sancta civitas dicitur extructa ex auro? Aurum maximi fulgoris est, inde benè cœlestis civitas dicitur aurum mundum, quia beati illius supernæ civitatis incolæ in æterna felicitate maximè fulgebunt claritate. Div. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 27. ait: *Joannes in Apocalypsi dicebat: Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide; ipsa verò civitas aurum mundum, quia enim sancti omnes summa in ea beatitudinis claritate fulgebunt, instaurata auro dicitur.* 220

Beati magna claritate fulgent.

Tertiò rectè sancta Ecclesia in auro significatur ob fulgorem suæ puritatis, virtutis, ac sapientiæ, & inde frequenter Ecclesia in auro declaratur, ut patet in candelabris aureis, & phialis; sed cur etiam præter aurum comparatur vitro mundo? Vitrum pellucidum, & transparens est, inde licèt ipsa superna civitas sit aurum mundissimum, tamen simile vitro purissimo dicitur, quia in ipsa cœlesti curia, quæ in ea sunt, ejusque beatis patent, nihil ibi est occultum, & absconditum, sed omnia tam interna, quàm externa sunt manifesta, sicut ea, quæ in vitro mundo retinentur: ita post Divum Gregorium proximè citatum explicat Div. Antonin. Ulyssiponensis in fragment. & ait: *In vitro quilibet liquor continetur, talis exteriùs ostenditur: in auro ergo & vitro accipimus in superna patria sanctorum societatem, qui beatitudinis claritate fulgebunt, & uniuscujusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet; qui enim claritatem Dei vident, nihil in creatura agitur, quod videre non possint.* 221

In cœlesti curia nihil est abscondium, & occultum.

Quartò non solùm sancta civitas dicitur aurum, sed etiam *simile vitro mundo*; aurum & si exteriùs luceat, tamen id, quod interius est, minimè lucet, & videtur, quod verò habet proprium vitrum, exteriùs maximè resplendet, & quidquid est interiùs prospicitur: inde sancta civitas non solùm dicitur aurum mundum, sed etiam simile vitro, quia sancti, ac justi in ea non solùm exteriùs, sed etiam interiùs cum summa munditia, ac puritate fulgent, & resplendent. Ait Isaias 1. nu. 16. *Lavamini, mundi estote*; quid est, quod postquam dixit *lavamini*, addidit, *mundi estote*? an ut perseverantiam in munditia, ac puritate ostendat, ac persuadeat? Ita multis placet; sed insuper ad rem nostram: primum verbum *lavare*, secundùm radicem græcam *Zathachit*, idem valet, ac lavari ad modum vitri, atque crystalli; ita ergo nos puros, ac mundos vult Propheta, ut ipsa puritate, tanquam vitro mundo luceamus: taliter visa est à Joanne sancta civitas. Hanc expositionem nobis dat Oleaster, & ait: *Lavate vos, non quidem vulgariter, sed ita ut valde mundi sitis; & huic expositioni favet verborum, quæ hìc ponuntur propria significatio.* Rachatha, *quod priori loco ponitur, significat communiter lavare, sequens verò significat lucere, quasi vitrum, nam Zachachit, ab ea radice est vitrum, undè ad literam vertendum est: Lavate vos, ac lucidi estote, seu puri veluti vitrum.* 222

Sancti lucent puritate interna, & externa.

Quintò civitas appellatur à nostro Evangelista, *aurum Mundum*, magna emphasi, non verò civitas aurea munda; quem dicendi modum Cornelius refert ad hebraismum, quod scilic. hebræi non habent auri concretum, sed Joannes non scripsit Apocalypsim hebræo sermone, sed græco, & ut dixi majorem emphasim 223

phasim habet vocare eam aurum, quàm auream, ac si totum, quod in ea est pretiosissimum, ac purissimum aurum sit; tum etiam ad denotandam illius perpetuitatem, & permanentiam, nihil enim tam validum, ut eam tollat; aut minuat: hæ sunt proprietates auri; in igne nihil de eo deperditur, sed magis purificatur, nullam admittit rubiginem, semper suum splendorem retinet, nihil ejus bonitatem consumit, minuitve, & ideo sancta civitas, pro sui constantia, ac perpetuitate, ex auro dicitur constructa.

224 At verò aliter ædificatur Mundi civitas; nam cum ædificaretur turris Babel, lutum inservivit pro lapidibus: *Habuerunt lateres pro saxis*, Genes. 11. num. 3. quod egregiè ponderavit Div. Hieronym. & ait: *Perversi quique illius antiquæ Babel imitantur exemplum, cujus, teste sancta Scriptura, civitatis auctores, pro saxis lateres, pro cæmento bitumen habuisse loquuntur, per quod intelligitur, quos Mundi amatores carnalis vitæ construunt municipium.* Civitas cœlestis est perpetua, ac durabilis, ex auro, & lapide pretioso componitur; Mundi verò civitates, ex luto, ac bitumine construuntur, ut breviter transeuntes, ac cadentes; illa ex auro ad perpetuam felicitatem, hæ verò ex luto ad inconstantiam, ruinam, ac perpetuam fatigationem.

Civitas mundi ut debilis corruit.

225 Sextò alta consideratione dicitur: *Civitas aurum mundum, simile vitro mundo*; cur non potiùs dicitur, quod civitas sit veluti lapis pretiosus, v. gr: adamas, similis crystallo? nam adamas durabilis est ut aurum, & illo pretiosior; crystallus valde pellucida. Tamen magno mysterio dicitur, quod illa civitas sit aurum mundū simile vitro, nam aurum & vitrum duo sunt, quæ necesse est per ignem transire; aurum sine igne non mundatur, nec vitrum sine igne efficitur; præsentium laborum ignis illam sanctam civitatem nobis efficit, & ædificat, & ideo non comparatur cum adamante, & crystallo, quia licèt fulgorem auri, ac temperamentum vitri habeant, nihil tamen illis est cum igne, ac proinde non explent id, quod in similitudine aurum & vitrum nobis denotant.

Labores nobis pariunt cœlestem gloriam.

226 Moysi *apparuit Dominus in flamma ignis, de medio rubi, & videbat, quod rubus ardebat, & non combureretur*, Exod. 3. n. 2. Visio plena mysteriis, & nunquam satis explicata; ad quid in igne Dominus, præcipuè quando descendebat, ut Israelis filios educeret de Ægypto, & introduceret in terram bonam fluentem lac & mel? quid tanta benignitas cum rigore, ac ardore ignis? Inde populus maximè erat transferendus in terram promissionis cœlestem patriam denotantem & cum Dominus descenderet, ut in illam populum asportaret, in igne sese ostentat, tanquam innuens, quod per ardores, ac calores ignis, in illam transeundum sit; qui ignis licèt premat, ac torqueat, minimè tamen consumit, ac perimit. Philo Hebr. l. 1. de vita Moysis, ait: *Ignis urebat, & non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui offligebantur inimicorum violentia, sed conatum eorum fore irritum, illos verò evasuros incolumes.*

Per ignem ad cœlestē patriam fit via.

227 Ex Dei mandato *fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo; quem cum percussi aspicerent, sanabantur*, Numer. 20. num. 9. cur Deus mandat fieri serpentem æneum, & non potiùs ligneum, vel lapideum, ut notat D. Isidorus? In serpente illo denotabatur salus proveniens ex Christo crucifixo, ut ipsemet Dominus explicavit Joan. 3. inde magno mysterio serpens æneus est, quia ut talis interventu ignis fiebat, minimè verò, si esset ex ligno, vel lapide, ut inde nobis esset documentum, quod salus ab illo non obtinetur nisi per ignem, ac ardentem flammæ ardorem.

Apoc. 21. n. 19. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum jaspis; secundum sapphirus; tertium chalcedonius; quartum smaragdus.

VERSIONES.

Syriacus. Et illa fundamenta muri urbis, &c. Tertium calydon.

Arabicus. Omnigenis gemmis ornata; fundamentum primum ex hyacintho.

Æthiopicus. Fundamentum muri, &c. sicut vitrum album, & ornatum fuit cum omni lapide. Primum fundamentum cum jaspide.

D. Augustin. Fundamenta civitatis omnia lapides pretiosi.

EXPOSITIO.

Fundamenta muri civitatis. Maximè primò hìc dubitatur, an istæ duodecim gemmæ unum constituant fundamentum continuum, ita ut unus lapis esset impositus super alium, an verò in diversis partibus fundamenti diversæ sint gemmæ, ita ut in fundamento primæ partis sit jaspis, & secundæ sapphirus, & sic deinceps. Hoc secundum ut probabilius secutus sum supra expos. 8. 228

Primum dubium.

Secunda difficultas est, an tales gemmæ futuræ sint in cœlo? Affirmat hìc Cornelius, tamen dicit magis pretiosas, quàm apud nos, & probat ex Tobia 13. num. 21. ubi dicitur: *Portæ Jerusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex omni lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus; ex lapide candido, & mundo, omnes plateæ ejus sternentur, &c.* Et quamvis non sit negandum in cœlo esse admirabiles constructiones corporeas, cum ibi sint beati cum suis corporibus, & locus ille sit corporeus, tamen quod nostra pretiosa, ut aurum, & gemmæ ibi reperiantur, non est facilè dicendum ex citatis locis; nam aliàs Joannes, & Tobias erunt sibi contrarii, siquidem Joannes 21. dicit portas esse ex margaritis, Tobias verò supra ex sapphiro, & smaragdo, Joannes ibidem dicit plateam esse, ex auro, Tobias ex lapide candido, Joannes dicit murum ex jaspide, supra, num. 18. Tobias ex omni lapide pretioso: ergo non loquuntur propriè, sed metaphoricè, alias sibi essent contrarii, quod non est dicendum; proindeque eximios splendores, luces, ac fulgores illius sanctæ civitatis per ea, quæ sunt nobis nota explicat Scriptura, nam ut ait Paulus Rom. 1. n. 20. *Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* 229

Secundum dubium.

An in cœlo sint lapides pretiosi.

Lapides in patria metaphoricè accipiuntur.

Tertia difficultas, quod spectat ad materiale harum gemmarum, & notant etiam Ferrarius la Haye, & novi etiam à peritissimis gemmariis in hac civitate Ulyssiponensi, multæ gemmæ fuerunt apud antiquos, quæ perierunt, ac interierunt, & aliæ apud nos sunt inventæ, & substitutæ. Illud etiam notandum quod in Rationali antiqui Pontificis, Exod. 28. nu. 17. erant infixæ duodecim gemmæ, quarum unicuique inscriptum erat nomen unius ex duodecim Patriarchis, qui caput, ac principium extabat illius Tribus. Et notandum secundò etiam, quod hìc apud Joannem Chalcedonius, Hyacinthus, Chrysoprasus, ibi apud Exodum est Carbunculus, Ligurius, Achates, & ibi etiam ponitur Onichum, hoc loco sit Sardonix, sed non est discrimen, quia Sardonix species est Onichi, & etiam in tribus primis gemmis non est discrimen, quia fortè tempore Joannis aliqua gemmarum nomina erant mutata, ac variata, de quo infra cum de unaquaque gemma fuerit sermo. 230

Tertium dubium.

Diversæ gemmarum species.

D. Bernard. Gagn. & alii per hos duodecim lapides intelligunt duodecim fidei articulos. Joachim. Abb. Albert. Magn. duodecim virtutes; sed hìc non agitur nec de fidei articulis, nec de virtutibus, ideo communis vox interpretum est, denotari hìc duodecim Apostolos, & patet ex vers. 14. supra ubi dicitur: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, in ipso nomina duodecim Apostolorum agni.* Quomodo verò, quilibet lapis pretiosus conveniat unicuique Apostolorum per sequentes quæstiones explico. 231

QUÆ.

QUÆSTIO XXIV.

Quare cum lapide jaspidis comparatur Magnus Petrus, inde ejus apponuntur elogia.

232 DIvus Petrus Princeps Apostolorum dictus, à D. Dionysio Areopagita de divinis nominibus c.3. appellatur, *supremum Apostolorum fastigium*; à D. Athanasio Synaita, lib.6.Hexaemer. *summus Apostolorum vertex*. Apostoli sunt in suprema dignitate in Ecclesia in ordine gratiæ, ut docent D. Anselm. Divus Thomas ad c.3. Matth. de quo satis latè Benedictus Justinian. tom.1. in epist. Pauli in Prolegomen. Petrus dicitur supremum Apostolorum fastigium, ac vertex, undè de eo dicam illud, quod de Christo Dom. ait Isaias 2. nu.2. *Et erit in novissimis diebus, præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur super omnes colles*. Mons iste in vertice montium elevatus super omnes colles, ut docent D.Basil. D. Hieronym. Div. August. Rupert. & alii, est Christus D. doctrina, sanctitate, ac justitia, elevatus super omnes Patriarchas, Prophetas, ac Apostolos, qui sunt Ecclesiæ montes, ac colles, & inde ad similitudinem sui magistri, potest dici Petrus elevatus, cum sit supremum eorum fastigium, ac vertex; nunc verò aliqua ad ejus laudem dicamus.

Petrus Apostolorum fastigium.

Petrus sublimior cæteris Apostolis.

Quæ correspondentia detur inter Magnum Petrum, ac lapidem jaspidem.

233 Jaspis ut habet Lexicum Biblicum septuaginta habet species; ipse lapis est pellucidus, multiplici colore nitet; albo, viridi, rubicundo, cæruleo, & alio multiplici, ac vario. Quod hic lapis D. Petrum significet, tenet Andreas Cæsarien. hic, & ait: *Per lapidem jaspidem, qui ad smaragdi similitudinem, ac viriditatem tendit, probabile fit D. Petrum Apostolorum coryphæum significari, qui Christi mortificationem in suo corpore usque ad mortem portaverit, vegetamque charitatem vernantem, erga illum semper ostenderit, qui etiam per fervidam fidem ad loca pascuæ dux nobis extitit*; idem habet Aretas, ac si Petrus in jaspide repræsentetur, ob fidei fervorem, ac vernantem, & multiplicem charitatem; sed hoc altiùs est investigandum.

234 Primò Petrus significatur in jaspide, nam Christus D. in jaspide adumbratur supra Apocal.4. numero 3. *Ecce sedes posita erat in cœlo, & super sedem sedens, & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis jaspidis*; qui erat Christus D. ut ibi dixi ex communi sententia. Christus repræsentatur in jaspide; sic & Petrus ob magnam similitudinem, quam habet cum suo magistro Christo Jesu. Ait Paulus, 1.Corinth.3. num.11. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; quomodo ergo dicitur quod primum fundamentum sit jaspis, qui est Divus Petrus, si Christus est unicum fundamentum? *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*. Quare ergo Petrus dicitur primum fundamentum? Nulla est dissensio, sed summa concordia, nam Christus, & Petrus figurantur in eodem jaspide, sic & unum, & idem faciunt fundamentum; sicut potestas regis, ac proregis, prælati, ac vicarii non est distincta, sed eadem, sic Christus, & Petrus unum sunt fundamentum, Christus ut principale, Petrus ut minus principale, quem nomine fundamenti maximè Christus voluit honorare. D. Ambros. ibi: *Petrus fundamentum Ecclesiæ est; nec repellit nos à nostro intellectu illud, quod Apostolus dixit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus; non enim aliud fundamentum est Petrus, & aliud Christus*; sed veluti idem fundamentum.

Petrus quandam similitudinem Christi refert.

Petrus unus Ecclesiæ fundamentum cum Christo.

235 Secundò: *Fundamentum primum jaspis*; & tamen ut dicitur in hoc c.ver.18. *Erat structura muri ejus ex lapide jaspide*. Jaspis primum fundamentum significat Petrum ut modò dixi, & ex ipso jaspide constituitur civitatis murus, quia Petri potestas, & auctoritas totum ambitum Ecclesiæ custodit, munit, ac protegit, nam Ecclesia Achajæ, quæ habuit pro fundamento Andream, & Ecclesia Jerosolymæ, quæ habuit pro fundamento Jacobum, & quæcunque Ecclesia à quolibet fundata sit, ipsa tota Ecclesia Petri auctoritate, munimine, ac defensione tuta, & salva consistit. Dum comprehenderetur meus Jesus, notat D. Joan.18. n.10. *Simon Petrus habens gladium, eduxit eum & percussit Pontificis servum*; quæstio est satis solemnis apud Patres: Cur Petrus ex omnibus Apostolis solus exemit gladium? ut disputavi tom.5. in Evang. lib.8.cap.3. qu.18. Soli Petro data est potestas ligandi, ac solvendi, inde ipse habet in manu evaginatum gladium ad custodiam, ac defensionem Ecclesiæ, ac ipsius Ecclesiæ capitis. Ad hoc tendit D. Ambros. lib.10. in Luc. & ait: *Quare Petrus exemit gladium? Quia ipse est, qui accepit claves regni cœlorum*; & tam alta, sublimis, & ampla est dignitas Petri, quæ totam Ecclesiam custodit, ac munit.

Petrus suæ auctoritate munit & custodit Ecclesiam.

Hanc magnam potestatem, & excellentiam Petri 236
expendens Cardinal. Damianus, ait serm.16. *O quàm potens dignitas, quàm digna potentia! judicat Petrus, & Petri judicia confirmat omnipotens, & est in manu Petri, manus Altissimi; solus ille efficitur familiaris Christi, qui Petri familiaritatem habuerit*; expende illud: *Est in manu Petri manus Altissimi*. Hæc fulgentissima Petri excellentia nobis indicatur Cantic.5. num.11. ubi de capite Ecclesiæ dicitur: *Caput ejus aurum optimum*; alii legunt, *aurum Cephas*; non enim in capite Ecclesiæ licet videri aliud aurum, quod Cephas non sit, hoc est Petrus, quidquid enim est aurum optimum in capite, hoc totum Petrus est, qui dictus est à Christo Cephas, Joan.1. num.42. id est Petrus à petra, quo non solùm denotatur excellentissima ejus potestas, sed etiam ejus excellentissima, ac admirabilis sapientia, & prudentia in administratione tantæ dignitatis. D. Ambros. in Psalm.118. serm.15. ait: *Caput ejus aurum Cephas; undè, & Aquila Petrum aurum dixit, Simachus lapidem aureum, quod significat stabilem, eminentemque sapientiam*. Sapientia in auro significatur; Petrus totus aureus est, totus sapiens: de qua re loquens D. Dionysius Areopagita epistola ad Timotheum, ait: *Petrus suprema, & antiquissima Theologorum summa*. Petrus est compendium, ac epilogum totius Theologiæ, ab eoque in omnes dimanat.

Petrus excelsus potestate, ac sapientia.

Tertiò: *Primum fundamentum jaspis*; cur primum 237
fundamentum totius Ecclesiæ militantis, ac triumphantis jaspis est? Lapis jaspis satis vulgaris est in nostra Lusitania, & Algarbiorum regno; cur ergo primum fundamentum non est ex lapide pretioso v. g. adamante, saphiro, smaragdo? Jaspis valde varius est, ut septuaginta illius sint species, ut jam dixi, num.233. valde pellucidus est, & varius multiplici colore, albo, rubicundo, cæruleo, viridi nitet; hoc primum fundamentum est Petrus, nam magna virtus Petri non poterat in una specie lapidis, in unoque colore denotari, sed necessaria erat multiplex species, omnisque colorum varietas, in eoque omnis virtutum fulgor, ac radius præclarissimè resplendet. De eo ait Petrus Blesens. serm. ad vincula: *Petrus in omni virtute Apostolica eminentissimus, atque totius virtutis exemplar*; nam si aliorum Apostolorum virtutes exprimuntur uno lapide pretioso, ut in saphiro, smaragdo, adamante, ut patet ex hoc versu, & sequenti, & per sequentes quæstiones explicabo, at vero ad Petrum significandum, necesse est multiplex lapidum species, multiplexque colorum varietas, ita enim magnus, & excelsus virtute est, ut dicat D. Bernard. serm. ad Clerum in Concil. Rhemensi de D. Petro agens: *Præter Deum non est similis ei, nec in cœlo, nec in terra*.

In Petro omnes virtutes fulgeur, ac nitent.

Cum ergo Petrus sit primum Ecclesiæ fundamen- 238
tum, tot, ac tantis virtutibus, ad ipsum cætera omnia sunt reducenda, juxta illud celebre axioma: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum*. Loquens noster Joannes de sancta civitate Jerusalem, ait de ipsa: *Habentem claritatem Dei, & lumen ejus simile lapidi pretioso, lapidi tanquam jaspidis*; ita supra hoc cap. vers.11. ipsa sancta civitas maximè adornabatur

Ad virtutes Petri, virtutes aliorum differre.

batur omni lapide pretioso, undè ortum est, ut tot præclarissimæ gemmæ tantam eclipsim paterentur; cur non ibi nitet smaragdus viridis, inflammata carbunculi rubicunditas, vel cærulitas sapphiri? Omnis hæc ibi refulgens est ex jaspide; maximè Petrus est jaspis, & ad intuitum virtutum irradiantium Petri, omnes aliorum sanctorum virtutes, qui in aliis lapidibus adumbrantur, quodammodo videntur obumbrari, & minimè lucem dare, seu suam lucem contrahere; vel quia primum fundamentum jaspis, in quo alii lapides innitebantur, & exinde assurgebant, proindeque fulgores aliorum lapidum ab influentia primi fundamenti derivabantur, ad ipsumque inde reducebantur, indeque luces aliarum gemmarum, tanquam splendores jaspidis reputabantur; cum ergo Petrus sit primum fundamentum Ecclesiæ, ac cœlestis civitatis, indeque influentiæ, ac operationes aliorum sanctorum, ut Jacobi, Philippi &c. attribuantur, ac referantur ad ipsum: *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum.*

A virtute Petri derivantur virtutes in alios.

239 In ultima cœna ait Christus Dominus Petro: *Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc.22. num. 31. ad quæ verba elegantissimè D. Leo serm.3. in die Assumpt. ait: *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione; fortitudinis, & divinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare cupiebat, & tamen specialis à Domino Petri cura susscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur.* Attentè considera sequentia verba: *In Petro ergo omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* A Petro tanquam primo fundamento stabilitas est in alios; à Petro tanquam capite influentia est in membra: *Ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* A Petro cœlestia dona derivantur in alios, de quo infra.

Fortitudo fidei per Petrum derivatur ad alios.

240 Quartò: *Primum fundamentum jaspis.* Dicitur supra vers.11. quod lumen illius supernæ civitatis sit *simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis crystallum*; veluti ad instar crystalli splendentis, quod obversantium objectorum reddit figuras, exprimitque imagines. Jaspis Petrus, primum fundamentum, ac caput Ecclesiæ, omnium curam gerens, omniumque figuras induens, ita ut omnes in illo se inspicere debeant, omnium colores referens, omnibusque sese configurans, adaptansque, eorum etiam infirmitatibus condescendens; talis & sit prælatus, Petrum tanquam primum exemplar imitans; nec semper sit albus, nec semper purpureus, vel cæruleus, sed pro tempore, ac occasione, non detrectet aliquorum imagines in se ostendere. Ait Paulus 1. Corinth.9.numero 22. *Cum liber essem, ex omnibus me servum feci, ut plures lucrifacerem*, &c. & postea subdit: *Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem, omnibus omnia factus sum, ut omnes salvos facerem*; quæ verba explicans Divus Anselmus, ait: *Omnibus omnia factus sum, quasi omnium sectarum essem, in se enim personas omnium piè transfigurabat.* De veste pontificia Aaronis scribitur Sap.18. num.24. *In veste poderis, quam habebat, totus erat Orbis terrarum.* Præclarè D. Thom. dilucidans verba Pauli ait: *Omnibus omnia factus sum, & hoc ut omnes salvos faciam, quia Sapientia 18. in vestimento poderis, quod habebat Aaron, totus erat Orbis terrarum descriptus, & Eliseus contraxit se ad modum pueri, & sic suscitavit illum.* Ecce effigies magni Prælati, non uni, vel alteri conformis sit, & tanquam pellucida crystallus, totius Orbis imaginem in se exprimit, ac suscipit, & sic unicuique adaptatur, ac si illi tantùm esset quid peculiare, omnes in suo pectore gestat, omniumque infirmitatibus etiam parvulorum se contrahit, ac accommodat.

Petrus tanquam summus, omnium subditorū personas suscipit.

241 Quintò de jaspide memoriæ produnt auctores, quod vana phantasmatum, atque spectrorum terricula pellat, fugetque; sic scribit Divus Hieronym. in cap.54. Isaiæ; & ait: *Jaspis est smaragdi habens similitudinem, quo omnia phantasmata fugari autumant*; inde meritò Divus Petrus dicitur jaspis, quia non solùm ejus potestas, auctoritas, & imperium dæmones fugabat, sed etiam illius umbra, ut dicitur Actorum capite 5. num. 15. *Ita ut in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberabantur ab infirmitatibus suis.* Umbra Petri liberabantur homines à quacunque infirmitate, verbi gratia, febri, cæcitate, claudicatione, ac vexatione dæmonum; ex quo patet magna excellentia, ac potestas Petri, ut notat Lyranus, & ait: *Ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum, nam alii Apostoli curabant infirmos per tactum manuum, sicut dicitur supra ibidem, numero 12. Per manus autem Apostolorum fiebant signa, & prodigia, &c. Petrus verò, non solùm per tactum, sed etiam per umbram, quod est majus, quod fiebat ad ostentationem, quod erat principalis Apostolus.* Et quàm magnum, ac mirabile sit umbra miracula edere, explicat magis ipse Lyranus, subdens: *Majus est curare leprosum, vel languidum solo verbo, quàm tactu, & per umbram, quàm per verbum; verbum enim est aliquid procedens ex homine, umbra nihil est ipsius, sed tantùm privatio lucis ex interpositione corporis*; umbra est privatio lucis, & nihil est, & umbra, cùm sit nihil, curat Petrus, quia nihilum Petri admiranda operatur, & mirabilia, ac magnifica edit, ac producit, in tantum ut dicat Bozius lib.18. de notis Ecclesiæ, c.1. & insinuat Chrysostomus citato Actorum loco, quod umbra Petri tangente, non unus dumtaxat, sed cæteri omnes, qui illi vicini, vel in eadem platea expositi erant, sanabantur; etsi ab umbra Petri non contingerentur, satis erat, quod proximi adstarent umbræ Petri, quæ est tantùm privatio, ac nihil.

Petrus in miraculis edendis excedebat alios Apostolos.

Nihilum Petri magnifica miracula operatur.

Magna excellentia Petri, quod sit primus.

Primum fundamentum jaspis. Petrus est primum fundamentum, & Princeps Apostolorum post Christum, inde Div. Matth. enumerans Apostolos capit. 10. numero 2. ait: *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus*: Cur autem ipse primus dicitur, missis multis, quæ dixi tom.3. in Evangel. cap.5. quæst.16. Petrus primus appellatur in Collegio apostolico excellentia, eminentia, potestate, ac meritis. Div. Paschas. lib.6. in Matth. ait: *Jure in meritis primus æstimatur, per quem & in quo ad alios dona transmittuntur; acceperunt autem reliqui in eo omnes claves regni cœlorum cum ei specialiùs committuntur.* Præpondera magnam Petri excellentiam, quod ideo ipse dicitur, *primus, per quem, & in quo ad alios dona transmittuntur*; jam similia dixi sup. ex D. Leone n.239.

Per Petrū ad alios dona derivantur.

Altiùs in rem nostram expendamus cit. text. Matt. 242
Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater ejus, Jacobus Zebedæi, &c. Recta dispositio videbatur postulare, quod diceretur primus Petrus, secundus Andreas, tertius Jacobus, &c. sed solùm Petrus dicitur primus, in cæteris tacetur numerus; & meritò, quia Petrus ita est primus, ut non habeat aliquem secundum æqualem sibi. Interrogat Christus Dominus suos Apostolos: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Matth.16. referunt illi vulgi opiniones; tunc Christus ad eos ait: *Vos autem quem me esse dicitis?* Respondet Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi*; & nullus alius Apostolorum dixit verbum: Christus omnes interrogavit, Petrus dixit suam sententiam; cur etiam alii id, quod sentiunt, non dicunt? Tam primaria erat auctoritas Petri apud omnes, quod cùm Petrus loqueretur, nulli alteri erat locus ad dicendum. Maximè tamen venerandum ait commentum Divus Hieronymus: *Petrus ex persona omnium Apostolorum loquitur*; & Divus Augustin. serm.13. de verbis Domin. *Petrus pro multis dedit responsum.* Tantus erat Petrus, ut totum collegium apostolicum in eo compecteretur, ut docent Divus Ambrosius lib. de Incarnat.capit.4. Divus Paschasius lib.8. in Matth. Cassian. lib.3. de Incarn. imo ut testantur Divus Chrysostomus homil.45. in Matth. Abulens. qu.57. ad c.16. Matth.

Petrus ita excelsus, ut nullus sit ei secundus.

Matth. ait: *Petrus profitetur, & cæteri Apostoli, consentiunt, & credunt.* Ita magnus putabatur Petrus, ut sat erat, quod ipse diceret, ut cæteri fidem præstarent, & crederent.

243 Mulieribus venientibus ungere Jesum dat Angelus felicissima nuncia de ejus resurrectione, & ait: *Ite, dicite discipulis ejus, & Petro*, Marc. 16. num. 7. Pervulgare dubium: Cur dixit: *& Petro*, cùm Petrus esset unus ex discipulis? Respondent Guillelm. & Estius ibi: *Hoc dicitur, quasi Petrus esset plusquam discipulus, id est super alios discipulos.* Tamen meo videri, eo fine dixit Angelus: *Dicite discipulis ejus & Petro*; ac si ut gloria crucifixi agnoscatur, & credatur in toto Mundo, ab ore Petri est dicenda, ac prædicanda, ac proinde idem est, ac si diceret Angelus. Non sat est, ut dicatis discipulis ejus, sed necesse ut Petro diceret, ut ipse de tanto triumpho crucifixi testimonium perhibeat, ut in toto Mundo crederetur, ac annuntiaretur. Cùm venissent duo discipuli Emmaus, & undecim Apostoli essent congregati, *dicunt: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, Luc. 24. numero 34. Fœminæ Jesum surrexisse nuntiarunt, idque tum ex sepulchro reserato, tum ex Angeli testimonio probantes, nec tamen eis fides à discipulis adhibetur; apparuit Jesus Petro, eique id asserenti fides præstatur. Tanta erat Petri auctoritas, ac si in lingua ejus mendacium non posset inveniri. Cajetanus ibi ait: *Surrexit Dominus verè, Apistoli, & discipuli mulieribus non crediderunt, sed crediderunt Petro, & dicunt, quod surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.*

Ut Christi magnalia credantur ab ore Petri sunt dicenda.

244 Cùm tanta esset Petri auctoritas, divina providentia ordinatum est, ut aliquantulum deprimeretur, ne aliquid supra hominem crederetur. Cùm Petrus ambularet super mare, *videns ventum validum timuit, & cùm cœpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac*, Matthæi capite 14. numero 30. Majus quid erat ambulare super mare, quàm sustinere venti impetum; quomodo ergo Petrus si non timet gressum super mare, timet ventum? Sic dispositum est, ut natura humana in Petro agnosceretur, ne æqualis virtute cum Christo ambulante super mare haberetur. D. Maxim. serm. in Nat. Apost. Petri, & Pauli ait: *Ob hoc solùm trepidare visus est, ut fragilitas humana agnosceretur, & quanta esset inter servum, & dominum distantia, ne dum super aquas ambulans Petrus, & pedes intrepido pervenissent ad Christum, Domini fortè sui virtutibus æquaretur.* Expende ultima verba, cum primis: *Ob hoc solum trepidare visus est.*

Deprimitus Petrus ne Deus credatur.

Maximè Petrus nobilitatur à tota Trinitate donis, ac scientia.

246 Æternus Pater maximè D. Petrum nobilitavit, ac illustravit supernaturali scientia; cùm ipse Christo Domino dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi*; ad hoc Christus respondit: *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis*, Matth. 16. num. 17. Petrus primus clarè, & apertè, confitetur, ac prædicat mysterium incarnationis, ac Christum verum Deum, & hominem, de quo magno mysterio loquens Paulus ad Ephes. 3. numero 9. ait: *Dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, qui omnia creavit, ut innotescat principatibus, & potestatibus per Ecclesiam, multiformis Dei sapientia.* Sub principibus, ac potestatibus intelligit Apostolus cæteros Angelorum ordines, ut docent Div. Hieron. D. Chrysost. D. Thom. & alii expositores; sed quomodo spiritus angelici ingenio perspicaces, ac magno lumine divino illustrati, tanquam de cœlo descendunt ad Ecclesiæ scholam? *Per Ecclesiam multiformis Dei sapientia*; ut discant, & apprehendant. Hæc est alta dispensatio divini sacramenti in Deo: *Ut innotescat principibus, ac potestatibus per Ecclesiam multiformis Dei sapientia*; sed quis iste erit primarius cathedraticus, ac magister, qui juxta Pauli doctrinam, cœlestes potestates instruat, & doceat, nisi caput, ac princeps ipsius Ecclesiæ Petrus? ut notat Div. Paschas. lib. 8. in Matth. qui primus in toto Mundo mysterium Incarnationis apertè, & clarè prædicavit, ac docuit: *Ut innotescat principibus, ac potestatibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Quod Angeli non agnoverant in cœlo, non solùm Petrus agnovit, sed etiam docuit in tetris.

Petrus agnovit, & docuit quæ Angeli nõ agnoverãt.

247 Cùm Christus interrogat: *Quem dicunt homines esse filium hominis?* respondet Petrus: *Tu es Petrus filius Dei vivi*, Matth. 16. magno sacramento Christus interrogat, ut sanè Petrus tam altum testimonium, ac præclaram doctrinam cunctis præbeat, & doceat. Euthym. Zigavonius homil. ad diem 29. Junii apud Bibliotech. ait: *Interrogavit Christus dispensatorio modo, ut Petrus doceret, quod sibi revelatum erat.* D. Cyrill. Jerosol. Cathec. 11. *Hæc dixit Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi; ut alios nempe veritatem doceret;* cur hæc tanta revelatio non est facta Andreæ, Joanni, Jacobo, vel alteri discipulorum, sed tantùm Petro? Quia ipse creabatur, ac constituebatur magister, ac doctor omnium Apostolorum, ac universorum omnium.

Petrus Magister Apostolorum.

248 Juxta mare Tyberiadis *accesserunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma*, Matth. 17. numero 23. quod tantùm à capitibus familiarum exquirebatur, ut tradunt Joseph lib. 24. Antiq. cap. 8. & lib. 7. de bell. Judaic. cap. 26. Egesip. lib. 1. capit. 7. quod probant ibi Lyran. & Abulens. tunc Christus Dominus ait Petro: *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & illum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumes, da ei pro me, & te*; quod ad magnam excellentiam Petri refert Div. Chrysostom. homil. 29. in Matth. Ex his magna suboritur quæstio; nam ab exactoribus solùm à magistro quærebatur tributum: *Magister vester non solvit didrachma*; & nulla facta est mentio de Petro; cur ergo Dominus non solùm pro se, sed etiam pro Petro mandat solvere didrachma? Petebatur tributum à magistro Apostolorum: *Magister vester*; tanta erat Petri auctoritas, ut tanquam magister Apostolorum reputaretur à Christo, ab ipso ad tantum ministerium erat inauguratus; Christus habebatur ut supremus magister, ac fons totius doctrinæ, Petrus verò, ut immediatè ab illo participans, ut in alios eructaret: *Dispensatorio modo interrogat Christus, ut Petrus doceret*; ut ex Div. Cyrill. dixi superiori nu. 247. Christus & Petrus magistri Apostolorum, Christus Dom. ut supremus magister, Petrus, ut immediatus post ipsum, ideo cùm quæritur tributum à magistro Apostolorum, mandat Christus dare pro se, & pro Petro.

Cõmuniter Petrus reputabatur magister Apostolorum.

249 Christus Jesus Dei filius maximè Petrum sublimavit, clavium potestate ei data: *Quodcunque ligaveris super terram, ligatum erit & in cœlis*; ad imperium Petri solvitur, & ligatur cœlum. Pro quo audiendus est Petr. Damian. serm. 26. *Adest Petrus, & ad ejus arbitrium, Orbis universitas solvitur, & ligatur, & præcedit Petri sententia sententiam Redemptoris, non quod Christus, hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus, ipso hoc idem attestante: Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis.*

Quod ligat Petrus, ligat Christus.

250 Spiritus Santus maximè Petrum sublimavit, ut ex Christi ore filius illius diceretur: *Beatus es Simon Bariona*; ait illi Christus. Ibi D. Hieron. *Ex confessione fortitur vocabulum, quod revelationem ex Spiritu Sancto habeat, cujus & filius appellandus, siquidem Bariona in nostra lingua sonat filius columbæ*; quod nulli alteri Apostolorum est dictum, nam si pro magna gloria, ac encomio Joannis Evangelistæ, eximioque Christi amore in illum celebratur, quod ab ore Christi filius Virginis Mariæ sit dictus: *Mulier ecce filius tuus*, Joann. 19. quanta ergo gloria est Petri, quòd ab ore Christi filius Spiritus Sancti sit dictus, & appellatus?

Petrus ab ore Christi filius Spiritus S. ei dictus.

Magna Petri fides.

Fundamentum primum jaspis. Quamvis omnes sacri Apostoli omnibus virtutibus fulserint, tamen Joachimus

251

Petrus maximè commendatur de fidei firmitate.

chimus Abbas per hos duodecim lapides intelligit duodecim virtutes, quæ singulis Apostolis datæ sunt, ita ut quælibet peculiariter unicuique respondeat, tanquam particulare donum à Deo sibi datum, alius quidem sic, alius verò sic, indeque Divo Petro tanquam gemma propria jaspis adaptatur, nam Jaspis magna ex parte refert colorem viridem, & inde fidem designat, quæ magnum omnium bonorum, ac donorum germen producit, & profert; inde & meritò jaspis Petrum significat Ecclesiæ fundamentum, sicut & fides fundamentum est omnium cœlestium donorum; deinde quia ipse maximè conspicuus est fidei firmitate, qua omnia dona sibi, & nobis parturivit. Joachim. Abbas ait: *Primum fundamentum rectissimè jaspis, qui significat rectam fidem, quia Petrus Apostolorum primus, de fidei firmitate commendatur.*

252 Facta Petri confessione: *Tu es Christus filius Dei vivi*; ait ad illum Dominus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. num. 18. quænam ait hæc petra, super quam tota Ecclesia fundatur? Joannes Aureolus Episcopus lib. 3. de cultu imag. ait: *Multi & penè omnes, petram, super quam ædificata est Ecclesia, fidem Petri intelligunt, eaque communitur Ecclesia: Quanto firmius est fundamentum, tantò firmiùs durat ædificium. Ut Ecclesia constantissimè perduraret in perpetuum, suprema Dei providentia, nullum aliud fundamentum ei supponitur, nisi fides Petri; nil sanè firmius, nil constantius.* Ut ædificium perpetuò duret, ex stabilitate fundamenti constat, inde ut Ecclesia in perpetuum duraret, ei posuit Deus pro fundamento Petri fidem: *Nil sanè firmius, nil constantius.*

Ecclesia ut firma super fidem Petri fundatur.

253 In ultima cœna ait Christus Div. Luc. 22. numer. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas, expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Sicut jam ex Div. Leone supra dixi: *Periculum commune erat omnibus; omnes Diabolus exagitare cupiebat*; quomodo solum pro Petri fide rogat? Quia si fides Petri perseveret, hæc sola sufficiens est ad fundamentum, munimen, ac tutelam totius Ecclesiæ, & nil amplius requirebatur; & hac de causa, ut jam notavi tom. 4. in Evang. cap. 5. quæst. 21. num. 168. facta confessione Petri: *Tu es Christus filius Dei vivi*; subdit D. Matth. 16. numero 21. *Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & occidi.* Nota verbum *exinde*, seu ut habet græcus, *ex tunc*; scilicet ex illo tempore, quod confessio Petri, ejusque fides manifestata est, statim Jesus cœpit agere de morte sua: *Oportebat eum ire Jerosolymam, & multa pati à senioribus*; cur non antea, sed modò post declaratam fidem Petri, Christus de sua morte pertractat? Quia tanta fide manifestata mors & passio ejus fuit acceleranda, quia jam suæ Ecclesiæ abundantissimè erat provisum, cùm jam esset ædificata supra firmam Petri fidem, illaque munita, ac custodita adversùs omnes infernales potestates. Albert. Mag. *Habita fide, & confessione deitatis, supra quam fundatur Ecclesia, tangitur passionis futuræ revelatio.*

Declarata fide Petri Christus agit de sua morte.

254 Et si Petrus in fide adeo firmus est, quomodo ad unius ancillæ verbulum nutavit? Perbellè D. Maxim. homil. 4. ait: *Petrus tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Tanquam bonus enim pastor Petrus, gregem accipit, ut qui sibi antea infirmus fuerat fieret omnibus firmamentum.* Singula verba profundè sunt consideranda. Petrus tentationibus proficit, crescit periculis, & tentationibus solidatur, ita omnia ei cumulantur in bonum, ut ex infirmitate factus sit omnium firmamentum, quasi ab infirmitate sua pœnitentia, & lachrymis fortitudinem, ac stabilitatem mutuaverit: Ut *magnus Pastor, qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum*; sibi infirmitatem assumit, ut fieret omnibus firmamentum, undè merito ab ipso S. Doctore appellatur Petrus, *justitiæ, & pietatis plenitudo.*

D. Petrus quamvis fuerit sibi infirmus, nobis est firmamentum.

Eximius D. Petri amor in Christum & fratres.

255 *Primum fundamentum jaspis.* Anselmus Boetius lib. 2. de Gemmis, c. 101. affirmat, quod jaspis omnium gemmarum conditionem, ac naturam amplectitur. *A commistione cum Achate vocatur jaspis, Achates cum Onyche illa, quæ nivem imitatur, ac crystallo similis est, quem hodie Chalcedonium vocant, & Jasponix appellatur;* & sic per cætera discurrit, & inde meritò D. Petrum significat, qui in se habuit omnium virtutum commistionem in gradu heroico, & in se ut vera charitas omnium conditionem, ac naturam suscepit, ut omnes lucrifaceret, qui tantus amor in fratres ex amore Dei dimanavit, ut docent theologi cum D. Thom. 2. 2. Petrus autem fervidus erat amore in Christum super cæteros Apostolos, ut tenent Victor Antioch. in c. 7. Marc. Titus Bostrens. in c. 22. Lucæ, & inde ait Origenes homilia secunda in divers. Evang. *Nemo nos existimet Petro Joannem præferre, quis hoc fecerit? Quis esset altior Apostolorum illo, qui est, & dicitur vertex eorum.*

Petrus fervidus amore in Christum.

Interrogat Jesus Petrum. *Simon Joannis diligis me plus his?* Joan 21. num. 15. cur solùm Petrum de tam eximio amore interrogat? cur non etiam alios Apostolos? nam omnes constituti sunt à Christo pastores, & judices, juxta illud Matthæi 18. numero 18. *Quæcunque ligaveritis super terram ligata erunt in cœlo, &c.* Omnes tamen cum subordinatione, & respectu ad Petrum, tanquam ad supremum Ecclesiæ caput; & sicut in supremo pastore requiritur amor ad oves, ita etiam in aliis pastoribus, licèt inferioribus, solùm Jesus Petrum interrogat, an diligat plus cæteris? *Plus his?* Jesus scrutator est cordium; & quia de solo Petro poterat verificari, quod diligebat Dominum plus omnibus, ideo solùm Petrum interrogat, ut tantus amor esset cunctis notus & apertus. Divus Chrysost. homil. 51. in Joannem, sic expressè ait: *Nemo enim, ut Petrus Jesum diligebat.*

Petrus præcæteris Christum magis amabat.

Undè Christus eum constituit suum Vicarium, non solùm in eximia potestate ligandi, ac solvendi, sed etiam eum constituit suum Vicarium in suo eximio amore erga homines. Accipe D. Ambrosium lib. 10. in Lucam ad c. 27. & luculenter sic ait: *Non est dubium credidisse Petrum, & credidisse, quia dilexit, dilexisse, quia credidit; undè & contristatur, quia tertiò interrogatur: Amas me? Id enim interrogatur, de quo dubitatur, sed Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non ut disceret, quem elevandus in cœlum, amoris sui nobis vicarium, relinquebat:* Tu scis Domine, quia amo te. *Jam dudum Deo cognitum Petrus testificantur effectum; quis enim alius, qui de se hoc facilè profiteri posset? & ideo quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur, major enim omnibus charitas*; & statim subdit: *Non jam agnos, ut primò, sed oves pascere jubetur, perfectiores, ut perfectior gubernaret:* hæc Sanctus Doctor præclara Petri signa proponens; & quid illustrius, quàm Jesus amoris vicarium esse, & nuncupari? & inde ad tantum perfectionis apicem evehitur, ut perfectiores, nempe Apostolos perfectior ipse gubernet; & quia solus ipse ex omnibus profitetur, omnibus antefertur.

Petrus vicarius amoris Christi in homines.

Tam fervidus erat Petri amor in suas oves, ac fratres, ut officia charitatis, quodammodo videantur dividi inter Christum, & Petrum, ut jam ponderavi supra in hoc cap. quæst. 12. n. 99. & de hac re vide quæ dixi tomo 4. in Evang. c. 5. q. 22. n. 176. & seqq.

Charitatis officia in Christum, & Petrum.

Ingens D. Petri pœnitentia.

Fundamentum primum jaspis. Jaspis non uniformis est, & non solùm viridis, & candidus, sed etiam maculosus, ac cæruleus; proindeque rectè Div. Petro adaptatur, denotans ejus eximiam, & præclaram pœnitentiam, qui perpetuis lachrymis suum negationis peccatum deflebat; cujus pœnitentiæ magnitudinem satis exaggerat Drogo de Sacramento dominicæ passionis, & ait: *Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Vide, quis graviora pertulit opprobria; Christus foris in corpore, an Petrus in corde?* sanè animosam exaggerationem pro Petri pœnitentia audet proferre Drogo. Christi dolores maximè excedunt omnium martyrum, ac carnificum dolores, & etiam ipsum Petri martyrium index Neronianæ crudelitatis, tamen mite, & blandum videbitur, si

Dolor Petri aliquo modo æmulator Christi passionis.

confe-

conferatur cum minimo mei Jesu dolore: & licèt audeat Drogo dolorum æstus per oculos manifestatos, quibus viscera Petri torquebantur, cum Christi Domini magnis, ac ignominiosis tormentis componere, hæc tamen comparatio, maxima est dolorum pœnitentiæ exaggeratio, ad denotandam dolorum magnitudinem, quam perpessus est Petrus ob suam negationem, & ideo per exaggerationem loquitur Drogo: *Christus foris in corpore, an Petrus in corde?*

260 Graviter reprehendit Christus soporem Apostolorum, & sigillatim arguit Petrum: *Venit ad discipulos suos, & invenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Matthæi cap. 26. n. 40. & veniens iterum ad illos post tertiam orationem, ait ad discipulos suos: *Dormite jam, & requiescite*, ibid. n. 45. quomodo hæc possunt cohærere? somno oppressos objurgat, & ad vigiliam, & excubias excitat, & statim suadet somnum, & quietem exhortatur; si torquentes discipulos vituperat, cur appropinquante jam hoste, & instanti jam periculo, somnum admonet, quietem præcipit? Solutionem hujus dubii acutissimè nobis dat Divus Hilarius lib. 10. de Trinitate, & ait: *Christus etiam pro Petro Patrem rogat, ne deficiat fides ejus, & ut negantis infirmitati, dolor saltem pœnitentiæ non abesset;* & paulò inferiùs, ait Dominum pro fide Petri, ne deficeret, orasse, & tunc subiicit Sanctus Doctor: *Post multam Domini precem, Angelum sletisse confortatem eum, ait; missò enim ad tuitionem Apostolorum Angelo, & per eum confortato Domino, ne pro his tristis esset, jam sine tristitiæ metu existens ait: Dormite jam, & requiescite.* Ecce acumen Hilarii omnem difficultatem extricat, & nodum solvit; Jesus multum oravit in horto, pro se, & pro Petro speciatim, ne ejus fides deficeret, & post lapsum, ac naufragium, pœnitentiæ tabula surgeret, & in portum divinæ clementiæ perduceret; tunc apparet Angelus Jesum confortans, dicens exauditum esse pro sui reverentia tam pro se quàm pro Petro, & quod nunquam ejus fides deficeret, nam ille nunquam perdidit fidem, licèt peccaverit contra confessionem fidei; & tunc proponit Angelus ejus eximiam pœnitentiam post lapsum. Deinde veniens Jesus ad discipulos, ait illis: *Dormite jam, & requiescite*; nam jam Ecclesia fundata super constantissimam Petri fidem, ejusque lachrymis, ac magna pœnitentia munita maximè firma, ac secura consistebat, & inde ait Dominus: *Dormite, & requiescite*; multum enim sanguineus sudor è sacro corpore Christi, prævisis lachrymis pœnitentiæ Petri, cum ejus magna fide demulcebatur: *Ut negantis infirmitati, vel dolor saltem pœnitentiæ non abesset. Dormite.* Cùm fides, & pœnitentia Petri esset proposita, quibus Ecclesia maximè munita erat, ac si nihil amplius esset requirendum, inde eis dicitur: *Dormite, & requiescite.*

Prævisis lachrymis Petri, demulcetur sudor sanguineus.

QUÆSTIO XXV.

Quare sanctissimus Apostolus Andreas sapphiro lapide significatur.

261 SApphirus tam apud veteres, quàm juniores, gemma est nobilissima, & in magno pretio habita, ideo Tobias 13. n. 12. ait: *Portæ Jerusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur.* Oleaster in cap. 28. Exodi existimat, quod deducitur à radice hebraica *Sappar*, & dicit esse tanquam jaspidem, propter multitudinem, ac varietatem colorum. Anastasius Nyssenus ait, quod sapphirus purpurescit, & nascitur in India, & Æthiopia.

262 Tamen communis sententia est, quod sapphirus sit gemma cærulei coloris. Arias Montanus ait deduci à radice hebraica, *Zaphir*, id est cæruleum, & ita docent D. Hieronymus in cap. 3. Aggæi, Abulensis, & alii ad c. 28. Exodi cum Plinio, & D. Isidoro lib. 16. etymolog. c. 9. & apertè constat ex c. 24. Exodi, num. 10. ubi dicitur: *Et viderunt Deum Israel, & sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cum serenum est.* Scribit Plinius lib. 37. c. 9. *Sapphirus aureis punctis collucet.* Varias illius species, ac medicamenta, ad quæ inservit, ut ad confortandum cor, referunt Anselmus Boetius lib. 2. de gemmis c. 119. Rucus verb. *sapphirus*; ex quibus per sapphirum communiter intelligitur ab auctoribus B. Andreas Apostolus, ut ex multis dicendis patebit.

Sanctus Andreas magnus nomine.

Freculphus Episcopus Lexovienf. Chronic. lib. 2. c. 4. in Bibliothec. tom. 1. part. 1. Div. Anton. titulo 6. c. 19. dicunt, quod Andreas interpretatur, *decorus, pulcher, elegans*; quod maximè intelligitur de pulchritudine, elegantia justitiæ, sanctitatis, ac probitatis. Nato Salomone 2. Regum 12. num. 25. *Misit*, Deus scilicet, *in manu Nathan, & vocavit nomen ejus, amabilis Domino, eo quod diligeret eum Dominus*; ex hebræo hæc ultima verba leguntur: *Eo quod pulchrum fecerat eum Dominus*. Ex eo quod eum pulchrum fecerat Dominus, inde index erat quod eum diligeret Dominus; eximiam pulchritudinem Andreæ Apostoli Deus in nomine significavit, ac demonstravit, tanquam signum demonstrativum suæ eximiæ dilectionis erga illum, & inde rectè de eo canit Ecclesia: *Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis.* 263

Andreas Deo amabilis

Andreas nomen est hebraicum, vel syriacum; ita illud interpretatur D. Remigius apud Abulensem qu. 32. in cap. 10. Matth. *Andreas interpretatur virilis, sic apud græcos, Andreas derivatur ab Andros, undè virilis dicitur, qui relictis omnibus viriliter secutus est Christum, & viriliter in mandatis ejus perseveravit.* Valde virilis, & animosus fuit, dum relictis omnibus suis Christum sequitur, & dum semper de minori ad majorem profectum progreditur; ex Baptistæ discipulatu ad Jesu Christi comitatum ascendit, & ad Christi scholam cum fratre suo venit, non ut requiescat, sed ut magis laboret, & de uno labore ad alium graviorem, ac duriorem transit, illisque dixit Christus: *Venite post me; faciam vos fieri piscatores hominum*, Matthæi cap. 4. nu. 19. undè rectè ait Divus Paschas. lib. 3. in Matth. *Mutatur intentionis negotium, non piscationis officium.* Piscatores etiam constituuntur à Christo. Div. Petrus Chrysolog. serm 28. ait: *De labore transeunt ad laborem, quia labor nescit lacescere mediatus*; & considerans Sanct. Pater quomodo hi duo Apostoli sub piscatorum voce veniunt in Collegium apostolicum, subdit: *Voluit Deus eis manere fortitudinem, de exercitio præstare virtutem, & quia fructus provenit ex labore, voluit eos labores non perdere, sed mutare.* Piscatoris officium multis laboribus plenum, indiget multa arte, industria, vigiliaque noctis, sudore diei, sustinentia frigoris, & æstus, cum multis periculis maris, ac temporum; at hominum piscatio multo duriora, & graviora importat, nam præter omnia supradicta, necesse est sufferre tyrannorum persecutiones, carnificum tormenta, iniquorum odia, & eorum opprobria, & iniurias. 264

Andreas viriliis & fortis.

Andreas de labore transit ad laborem.

Sed quod præmium proponitur nostro Apostolo Andreæ pro tot, & tantis meritis? nam cum Christus sermonem habet in monte, Matthæi c. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*, &c. cum de beatitudinibus est sermo ad singulas virtutes proponit præmium, sicut & in die Judicii suis electis: *Esurivi, & dedistis mihi manducare*, Matth. cap. 25. & tamen ad tot labores, ac pressuras, ad quas Andreas vocatur, nulla ei assignatur merces. Maximè sanè tam magnum, ac præclarum est ejus præmium, quod potiùs colligendum sit ex meritis, quàm verbis explicandum. Multus est Christus Dominus in referendis laboribus, quos Apostoli propter nomen ejus sustinebunt Matth. cap. 10. num. 16. & ait: *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum*; & statim: *Tradent vos in conciliis, & in synagogis suis, & flagellabunt vos, & ad reges, & præsides ducemini propter me*; & iterum: *Tradet frater fratrem in mortem, & pater filium; & insurgent filii in parentes, & morte eos afficient, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.* Ecce magnum catalogum proponit divinus magister de pressuris, ac persecutionibus, quas sui tulerunt, & tantùm ad eorum consolationem unum solum verbum habet: *Qui perseveraverit usque in finem, hic sal-* 265

vus

Merces data B. Andreæ non potest verbis explicari.

vus erit; sicut latè eis prædicit ærumnas, & afflictiones, cur non etiam affluentias cœlestis gloriæ aperit? D. Paschas. lib. 6. in Matth. ait: *Multus est Dominus in laboribus, brevis in mercede*; ac si potiùs ex ipsis laboribus merces sit intelligenda, & investiganda, quàm verbis aperienda, & manifestanda. Tot, & tanta sunt, quæ superant omnem modum dicendi, nulla enim sunt verba, quæ tot, ac tanta valeant explicare: vide tom. 1. Apocalyps. c. 11. q. 11. n. 84.

Andreas vir divinus, ac cœlestis.

266 *Fundamentum secundum Sapphirus*. Pretiosa gemma, cœlestis, cærulei coloris, cœlestiaque denotans, & inde ut jam dixi ex Tobia 13. Portæ cœlestis Jerusalem ex sapphiro fabricatæ videbantur; inde meritò D. Andreas in sapphiro significatur, ac adumbratur, quia hic magnus Apostolus totus cœlestis, ac divinus puritate, virtute, ac sanctitate erat. B. Andreas in externa apparentia homo videbatur, & tamen totus cœlestis erat eximia puritate, quam semper per totam suam vitam perpetuo cœlibatu servavit, ut tradunt Presbyteri Achajæ in ejus vita; homo mortalis videbatur, & tamen ita supra homines erat, ut una die triginta mortuos suscitaverit, ut ex Divo Remigio infra referam. Tanquam homo videbatur, & tamen ita mitis, ac mansuetissimus erat, ut tanquam agnus ad similitudinem sui sanctissimi magistri se haberet, ut de eo scribunt citati Presbyteri; homo videbatur manducans, ac bibens, & tamen ut quid cœleste, absque ulla fatigatione, sine cibo, & potu pro hominum salute per multos dies laborabat, ut citati Presbyteri scribunt; homo videbatur conditiones elementorum patiens, & tamen super elementa dominatum habebat, magna, & præclara miracula edens in terra, aqua, igne, & aere, in quo ejus interventu apparuit fulgentissima Crux in auxilium Scotorum; nam cum inter Anglos, & Scotos esset durissimum bellum, Hungus Pictonum rex fortiter invocans Beatum Andream, ipso cum Cruce splendenti apparente, tunc gloriosam victoriam destructis, & fugatis Anglis est adeptus, ut testatur Hector Brethius lib. 10. Historiæ Scotiæ; & quamvis noster Apostolus homo videretur, tamen super vires hominum Crucis dolores biduo sustinuit, de quo infra.

D. Andr. exterius apparebat homo, interius quid divinum.

267 Tales commendat Christus Dominus, ut essent sui discipuli: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum*, Luc. cap. 12. num. 36. non ait vos sitis homines expectantes Dominum suum, cum revera tales requirebantur cum multa vigilia ad Domini adventum in die Judicii; cur ergo ait: *Vos similes hominibus*? Quia quamvis in exteriori viderentur similes hominibus, tamen in interiori vigilia, præparationeque ad Domini adventum debebant esse non homines, sed veluti quid supra homines, ac proinde etsi exterior apparentia, & similitudo esset hominis, tamen interior virtus ad tantum negotium, esset totum quid cœleste.

Vir Apostolicus, etsi exterius videtur homo, interius est aliud.

268 Cum Paulus, & Barnabas Iconii multis mirabilibus perfulsissent, clamarunt viri illi Act. 14. num. 10. *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*; Græcus habet: *Dii assimilati hominibus descenderunt ad nos*; ac si dicerent: Dii assumpta hominum specie venerunt ad nos; magis ad laudem videbatur dicendum, homines in figura Deorum venerunt ad nos, nam opera ab eis edita speciem divinitatis videbantur ostentare: *Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos*. Multum conducit ad mirabilia operanda, quod exterius sit humanum, interiùs verò divinum; exteriùs apparet fragilitatis humanæ conditio, modusque humanus, interius verò latet veluti quædam divinitas cum excellentia justitiæ, virtutis, ac probitatis. Preme verba: *Descenderunt ad nos*. Ut præclaris factis resplendeas debes ex fulgore divinitatis animo descendere ad vilitatem, & abiectionem naturæ humanæ, & non ex fragili conditione humana ascendere ad splendores divinitatis, quia tunc certa est ruina, & evidens præcipitium, ut experimentum habes in Adamo: *Dii assimilati hominibus descenderunt ad nos*; ac si interiùs latet divinitas, exteriùs verò assimilatio hominis est.

Similitudo hominis cum abscondita virtute multum erat.

D. Andreas multiplici dignitate primus.

269 In multis mirabilibus D. Andr. primatum habet; & primò iste fuit primus homo, cum quo Christus locutus est; volens Dominus dare principium suæ prædicationi, suæque cœlesti doctrinæ, juxta Joannis Evangelium, extitit Beatus Andreas, nam cum ipse, & alius essent discipuli Joannis Baptistæ, & ab eo audissent de Christo prætereunte: *Ecce Agnus Dei*; statim sequuti sunt Jesum: *Conversus autem* Jesus *videns eos, sequentes se, dicit eis, quid quæritis*? Joan. 1. numero 38. Divus Thomas ibi ait: *Hoc est primum verbum, quod Christus in isto Evangelio loquitur, & congruit: primum, quod quærit Deus ab homine est recta intentio*. In exordio prædicationis evangelicæ, ac conversionis gentium, primum Christi verbum est cum Andrea. *Dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*, Genes. 2. numero 3. Div. Athanas. Synaita lib. 1. Hexaemer. ait: *Primum Dei verbum producit lucem*. In exordio Mundi primum Dei verbum producit lucem, in exordio renovationis Mundi, ac prædicationis evangelicæ producit hanc magnam lucem hujus magni Apostoli. Creata luce narrat scriptor canonicus: *Factum est vespere, & mane dies unus*, Genes. 1. num. 5. cur non ait factus est dies primus, cùm revera esset primus, sicut in aliis diebus dicitur secundus, tertius & quartus? num. 8. & 13. *Factum est vespere & mane dies secundus, vel tertius*, &c. cur ergo mutatur stilus, & dicitur dies unus, & non potiùs primus? Primus dicit ordinem ad secundum, & tertium, & dies, in quo Deus omnipotens dedit exordium ad Mundi fabricam, creavit lucem, tantus est dies, ut unus & singularis sit, & secundum non habet. Div. Ambros. lib. 2. Hexaemeron cap. 1. sic ait: *Excipiendus à cæteris tanquam dies unus, non censendus cum cæteris, tanquam dies primus, undè fundamenta rerum omnium posita, & causæ esse cœperunt*. Hic ergo magnus Apostolus rectè, unus & singularis est habendus, in quo positum exordium verborum Christi ad doctrinam, ac prædicationem evangelicam, ac sequelam, & scholam Christi, ad cognitionem majorum mysteriorum cum colloquio Christi, ut statim dicam, ac proinde ille primus est, quem Christus elegit ad exordium suorum verborum, ac documentorum cœlestium.

Primum Dei verbum est Andreæ.

Andreas primus, & singularis.

270 Primus fuit Andreas, in quem Christus iniecit oculos suos, in exordio suæ prædicationis; nam cum B. Andreas cum alio Baptistæ discipulo Christum sequeretur, *conversus autem* Jesus, *& videns eos sequentes dicit eis*: *Quid quæritis*? Joan. 1. num. 38. Quid vulgarius quàm ab oculis divinis omnia bona diffluere? hinc dicebat regius Vates Psalm. 85. numero 16. *Respice in me, & miserere mei*; hoc tantùm exoptabat, ut Deus eum respiceret, & inde omnes misericordias sibi promittebat. Ibi D. Augustin. *Ab oculis Dei fontes misericordiarum dimanant*; & sic Christus dixit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant*, Joan. 10. numero 10. cum ergo Christus in hunc Mundum venisset, ad magnam gratiarum abundantiam, quæ ab oculis Christi dimanat, inde facilè deprehenditur, quanta abundantia gratiarum diffusa sit in Andream Apostolum, cum ipse sit primus, in quem divinus intuitus positus est in exordio prædicationis evangelicæ, cum tam ampla abundantia gratiarum.

Primus intuitus oculorum Christi in Andream.

271 Tertio primus est B. Andreas, qui in exordio prædicationis evangelicæ promeruit in Christi habitaculum ingredi, & ioi cum eo manere, ac quiescere; nam cum B. Andreas cum alio Joannis discipulo, Christum sequeretur, dicunt ei: *Magister ubi habitas*? Jesus dicit eis: *Venite, & videte; & venerunt, & apud eum manserunt die illo; hora autem erat quasi decima*, Joan. 1. numero 39. Notat Evangelista, quod erat quasi hora decima, nempe ab ortu Solis, & quarta post meridiem, & secunda ante Solis occasum,

Andreas in eodem habitaculo cum Christo.

sum, & cum Evangelista dicat, quod manserunt ibi die illo, intelligitur quod manserunt ibi etiam per totam noctem sequentem, usque ad alterum diem juxta computationem judæorum, ut docent Divus Augustin. D. Cyrill. Alexandrin. D. Chrysostom. Euthymius, Theophylat. D. Thomas, D. Bonav. & alii à me citat. tom. in Evangel. lib. 3. cap. 6. quæst. 6. num. 38. Hanc tantam felicitatem vehementer exoptat regius Vates Psalm. 14. numero 1. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Hoc noster Apostolus statim obtinuit in suo tyricinio, & quàm magna, & abdita mysteria, ac sacramenta, ac admirabilem doctrinam receperit noster Apostolus Andreas, non explicat noster Evangelista; tot, & tanta sunt, quæ calamus non valet scribere, nec lingua explicare, & ideo exclamat Augustinus Tractatu 7. in Joan. & ait: *Quis est qui nobis dicat, quæ audierunt illi à Domino?* Euthym. *Tantum manifestum reliquit Evangelista intelligendum, tantum enim una nocte profecerunt, ut ad aliorum venationem sequenti die procederent*; & D. Chrysostom. homil. 17. in Joan. ait: *Hoc potiùs ex effectu, quàm ex verbis pensandum est.* Considera quantum Andreas illa nocte ex colloquio Christi profecit, ex venatione, ac effectu; nam ipse statim lucratus est fratrem suum magnum Petrum, eumque ad Christum adduxit, ut patet ex sequent. numero 272. Quid simile de sanctis Magis Christum adorantibus ponderavi suo loco.

Quæ Andreas ex Christi colloquio accepit nō possunt explicari.

272 Quartò primus B. Andreas expresso verbo Christum appellat Messiam, ut notat Divus Gaudentius serm. 17. qui est de Basilica martyrum, nam quamvis Joannes Baptista multis clarissimis verbis testificatus sit Christum Dominum esse verum redemptorem, ac salvatorem: *Post me venit, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti solvere*; & multis aliis, tamen expressum, & apertum Verbum Messiam Andreas extitit primus, qui profert, ac profitetur, nam postquam per diem, ac noctem commoratus est cum Christo: *Invenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus*, Joan. 1. numero 41. Ecce primum verbum expresse sonans Christum, verum Messiam noster Evangelista in exordio sui Evangelii intonat: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum*; noster Div. Cyrill. Alexandr. ibi ait: *Hoc tantùm verbum eructandum datur singulari discipulo singulariter dilecto, qui supra pectus Domini in cœna recubuit*; hoc tantùm verbum: *Invenimus messiam*; datur eructandum singulari discipulo Andreæ singulariter dilecto, quia licet non recubuerit una hora supra pectus Domini, recubuit per unam integram noctem, & diem cum Domino in eodem habitaculo, ac in eadem domo, ex quo magnum verbum protulit: *Invenimus messiam, qui dicitur Christus*; & cito properavit, ut alios adduceret, & converteret ad Christum, & inter eos fratrem suum Petrum Joan. 1. n. 42. quem sua prædicatione Christo peperit.

Andreas primus expresse Christum appellat Messiam.

273 Quinto primus est Andreas, qui secutus est Christum ut jam notavi ex Joan. 1. numero 38. & inde ipse primus est in collegio apostolico. Proculus Archiepiscop. Constantinopol. Orat. in sanctum Andream ait: *Andreas nos congregavit: qui primò est in Apostolorum coronam vocatus; qui quasi columna primus affixus est in Ecclesia, & ante Petrum, qui primitiarum fuit principium, qui antequam vocaretur, alios vocat ad Dominum, qui ante consignat, quàm consignaretur, qui antequam adducitur adducit.* Divus Gaudentius citata Orat. *Habemus beatissimum Andream, quem priorem Christus Apostolum scribitur elegisse.* Petrus Damian. serm. 2. de S. Andrea ait: *Andreas in apostolici senatus catalogo secundus ponitur, qui tamen in agnitionem Domini, juxta evangelicam fidem primus invenitur.* Abulens. ad cap. 10. Matth. quæst. 32. *De Andrea dicendum est, quod iste est primus, qui ad Christum venisse legitur.* O magna gloria, & excellentia hujus magni Apostoli, quod ipse sit primus, qui Christum sequitur, primusque in catalogo discipulorum, primus qui Christum prædicat, primusque qui ad Christum alios adduxit.

Andreas primus est qui Christum sequitur.

274 Nobilissima est aquarum virtus, quæ per Baptis-

mum assumpta est ad regenerationem filiorum Dei: *Nisi qui regeneratus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. 3. num. 3. undè aqua habuit, quod in tantum super omnia elementa nobilitaretur, ut per illam credatur, quod homines regenerantur in filios Dei, & hæredes vitæ æternæ? Recole id, quod Deus mandavit in creatione Mundi Genes 1. numero 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram, & sub firmamento cœli*; Aquæ primæ omnium fuerunt, quæ jubentur animas viventes producere, sive quæ natant in mari fluminibus, sive quæ per aerem ad cœlestia volant, inde meritò sic extolluntur, ut ad regenerationem filiorum Dei inserviant, omnis enim dignitas debetur ei, qui est primus in aliquo ordine, & qui primus est in generatione eorum, qui in cœlum volant, sit etiam primus in regeneratione filiorum Dei. Tertullianus lib. de Baptism. cap. 3. sic ait: *Primus liquor, vivere edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquæ animari noverant.* Expende: *Primus liquor vivere edidit*; & inde inter omnia ad viventium generationem assumitur. Andreas fuit primus, in generatione viventium in schola Christi, ac ejus collegio etiam erit primus in regeneratione in cœlesti comitatu Christi in gloria.

Maximè nobilitandus qui primus est in aliqua virtute.

Loquens Deus cum Diabolo de Job. 1. numero 8. 275
dit: *Nunquid considerasti servum meum Job, quod non sit similis ei in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* quis est, de quo simile testimonium detur ab ore Dei quod non sit similis ei in universa terra? sed quibus meritis ad tantam Dei benignitatem pervenit? quibus meritis refulsit Job, ut tale præconium daretur de eo? Job primus omnium in omnibus virtutibus extitit, ut nullum alium videret ad imitandum in patientia, ac conformitate cum divina voluntate, in contemptuque tantarum rerum temporalium, & inde tantam gloriam ab ore Dei promeruit. Div. Augustin. ex utroque mistim, quæst. 118. ait: *Non est enim Job similis in terris verus Dei cultor, quis tantum potuit promereri, cui tale testimonium Dominus perhiberet, nisi hic, qui non imitator invenitur, sed auctor eorum, quæ gessit?* Magna Laus B. Andreæ: *Non imitator invenitur, sed auctor eorum, quæ gessit*; in Christi sequela.

Maximè celebrandus Job quia non imitator, sed auctor.

B. Andreas præclarus in omni genere virtutum.

Primò B. Andreas ardentissimo amore flagrabat 276
Christum cognoscendi, ac inveniendi, ut ipsum sequeretur, ac adoraret. Ait ipse ad Simonem Petrum fratrem suum: *Invenimus Messiam, quod est interpretatum Christus*, Joan. 1. numero 41. preme verbum: *Invenimus*; quo significatur vehementissimum desiderium erga Christum, ut eum haberet, eique adhæreret. Divus Chrysostom. hom. 18. in Joannem: *Hoc verbum, invenimus, animæ est ejus præsentiam desiderantis, & cœlitus adventum expectantis, cujus adventu exultans, alios Evangelii gestit fieri participes.* Idem etiam notant Beda, Euthymius, Albertus Magn. D. Bonaventura & ideo exultans, ac lætabundus præ gaudio charitate inflammatus, festinat aliis nuntiare; quod jam expendo.

B. Andreas ardentissimè quærebat Christum.

Secundò ardentissima charitate de aliorum salute ardebat Andreas, & ideo in tertio lapide chalcedonio, qui idem est, ac carbunculus, qui in pectore Pontificis erat, Exod. 28. numero 18. dicunt multi ob suum ardorem significari B. Andream; ita Andreas Cæsariensis cap. 60. in Apocalyps. & ait de calcedonio: *Hic lapis sacerdotali rationali non inferebatur, sed carbunculus, cujus hoc loco nulla fit mentio; spectandum est tamen ne forte theologus per chalcedonium, carbunculum designaverit, sunt enim ejusdem propemodum coloris carbunculus autem Beatus Andreas Apostolus vocari potest, ut pote Spiritus Sancti igne luculenter accensus*; similiter Aretas cap. 67. in Apocalyps. ait: *Porro carbunculus est B. Andreas tanquam in catalogo vitæ legatus, & ipse sua luce nactus quæsitum Messiam, & sibi notis significans, ac demonstrans.* Hunc charitatis ardorem maximè demonstravit Apostolus, nam cum ipse, ac condiscipulus ejus agnovissent Christi habitaculum, apud

eum

cum manserunt die illo, Joan. 1. num. 39. ut jam dixi supra num. 271. ex sanctis patribus; ex Christi verbis magna, & alta mysteria agnoverunt, mirabilique doctrina, ac dulcedine ejus sunt recreati; sed quomodo uno tantùm die contenti sunt, & statim discesserunt? Divus Bonaventura ibi: *Breviter manserunt, ut festinaverunt ad annuntianda aliis arcana, quæ audierant, ut inventum thesaurum aliis demonstrarent.* Non sibi tantùm retinent thesaurum, sed aliis annuntiant, ut de illius divitiis alii locupletes fierent; pro quo nota, quod non ait Apostolus, inveni Messiam, sed *invenimus*, quia tantum bonum non sibi, sed omnibus aliis volebat.

Andreas sedentissimus de salute aliorum.

277 Cum gentiles tenerentur desiderio videndi Jesum, rogant Philippum, ut eis illum ostendat; tunc Philippus dicit Andreæ; Andreas rursum, & Philippus dixerunt Jesu, Joan. 12. num. 22. ut Jesus manifestaretur gentibus, Philippus dicit Andreæ, ac si ipse per se solum non auderet de hac re loqui cum Jesu, ut notat Divus Chrysostomus homil. 65. in Joannem; sed cur potiùs Philippus loquitur de hac re cum Andrea, quàm cum alio Apostolo? Valde nota erat charitas, & affectus Andreæ, ut omnes venirent ad Christum, & de ejus doctrina fruerentur, ut existimaret Philippus Apostolus, quod negotium videndi, ac loquendi cum Jesu, cum nullo alio aptiore erat pertractandum, nisi tantùm cum Andrea ut faciliùs daretur via ad Jesum; undè ait Divus Bernardus sermon. 15. in Cantica: *Si Philippum, & Andram habuerimus ostiarios, repulsam non patiemur.* Petrus creatus est claviger regni cœlorum, sed Andreas constitutus est claviger supremi Regis cœlorum.

Andreas claviger regni cœli.

278 Tertio Divus Andreas præclarus fuit summa religione in Deum, ac sacram Eucharistiam; quotidie missam celebrabat, & ideo ipse dixit Ægeæ Præsidi: *Ego omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie non hircorum sanguinem, sed immaculatum agnum in altari.* Apostolus quotidie missam celebrabat, ut patet ex Epistola Presbyterorum Achajæ, quotidieque missam celebrabat, tum ob eximium amorem sacræ Eucharistiæ, tum ut etiam Deo recommendaret conversionem gentium, eorumque salutem, tum ut etiam pro animabus defunctorum Deum exoraret, quod magnum, & insigne pietatis opus est, ut dicam ad finem hujus c. qu. ultima.

Andreas quotidie missam celebrat.

279 Quartò admirabilis fuit nostri Apostoli obedientia. Ad vocem Christi ipse, & frater ejus secuti sunt Christum, de quo multa dixi tom. 2. in Evangel. c. 8. quæst. 18. Insignis fuit etiam ejus humilitas, nam cùm ad vocem sui Mag. Joannis Baptistæ Christum sequerentur; *Secuti sunt Jesum, conversus autem Jesus vidit eos*; Joan. 1. numero 38. à tergo sequebantur, quia præ humilitate ad ejus latus non audebant accedere, & ideo necesse fuit, ut Domini voce, ac oculis animarentur, illisque Jesu diceret: *Quid quæritis?* Beda ibi: *Discipuli Joannis cominus, & coram & antecessu Jesum videre non poterant, sed tergum illius sequebantur, ut viderent; convertit se, & quodammodo de sua majestate descendit, ut possint discipuli contemplari faciem ejus.*

Andreas præ humilitate non audebat accedere ad Christum.

280 Quintò, & maximè consideranda est D. Andreæ prudentia, nam cùm Christus vellet saturare quinque millia hominum in deserto post interrogatum Philippum, dicit Andreas: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces; sed quid hæc inter tantos?* Joan. 6. numero 9. Quamvis in hoc negotio noster Apostolus ab aliquibus fugilletur, tamen hic maximè ejus prudentia nitet, ac resplendet, indeque juxta prudentiæ dictamen, proponit, ac disponit rem, non miracula, nec media extraordinaria requirens, cum tamen optimè sciret summam Christi pietatem ad miracula edenda, cujus benignitas à nullo magis poterat moveri, quàm à præsenti hominum necessitate, inde hanc ostendens ait: *Quid hæc inter tantos?*

Andreas præclarus prudentia.

281 Cùm populus in deserto flagrasset carnium appetitu, easque à Moyse peteret, ipse ait ad Dominum: *Undè mihi carnes, ut dem tantæ multitudini? stent contra me dicentes: Da nobis carnes, ut manducemus*, Numer. 11. num. 13. Valde mirum quod Moyses talia dicat; quis magis in magnis mirabilibus, multisque miraculis versatus est, quàm Moyses, ita ut non solùm videretur constitutus Deus Pharaonis, sed etiam omnium elementorum, ut ait Divus Augustin. in quibus tot magna prodigia est operatus in Ægypto, ac itinere, & tamen ait: *Undè mihi carnes?* cur non elevat virgam, qua mare divisit, & fluenta aquarum dedit, qua & tot signa edidit, sed ait: *Undè mihi carnes?* de quo dicendi modo multum admitatur Lorinus. Moyses maximè erat instructus in omni sapientia Ægyptiorum, & inde ut magnus, ac præclarus minister loquitur, ut rerum causæ, ac tempus postulant, & de his, quæ sunt extra communem usum, & miracula involvunt nec unum verbum habet, nec de illis agit, sed ut rerum cursus postulabant, differit, ac secundùm prudentiam.

Bonus minister non quærit miraculum sed prudentiæ regulas.

D. Andreas miraculis clarus.

D. Remigius in explanatione Epistolæ ad Rom. c. 8. ait: *Beatum Andream legimus uno die triginta, & eo amplius mortuos suscitasse.* Quid majus, & illustrius? de nullo alio sancto quid simile legisse recordor, ut una die tot mortuos, & eo amplius noster Apostolus suscitasset. Ait Deus ad Moysem Exod. 7. num. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; per participationem divinæ potestatis contra Pharaonem, ut rectè ibi explicat Rupertus, & ait: *Faciam te Deum Pharaonis, ut ranas producas, ut imperes terræ, ac cineri, faciasque in rege, exercituque ejus sciniphes, & muscas, ut imperes aeri, & pestem generet, imperes igni, & cum grandine mistus feratur super peccatores, imperando elementis, Deus eris Pharaonis.* Imperando elementis constitutus est Deus Pharaonis, & tamen Moyses nullum mortuum suscitavit; quod inter omnia miracula est primum, & maximum, & exinde de nostro Apostolo possumus dicere, quod non solùm fuit constitutus Deus Pharaonis, sed etiam participativè totius Mundi, ac etiam ipsius mortis, dum non solùm est operatus multa miracula in elementis, terra, mari, igne, aqua, ut jam dixi supra, sed etiam dum tot, ac tantos à vinculis mortis absolvit, undè de illo per participationem potest dici, quod pro magna Christi excellentia, ac potestate decantatur: *Habeo claves mortis, & inferni*, Apoc. 1. n. 18. vide ibi dicta.

282

Andreas plusquam triginta mortuos uno die suscitavit.

Andreas habet veluti claves mortis.

Ait Christus Joan. 5. n. 28. *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*; suaviter, ac efficaciter vocantis ad vitam, ut explicant D. Chrysostom. Euthym. Theophyl. D. Thomas. Ut electi congregentur à quatuor ventis: *Mittet filius hominis Angelos suos*, Matth. 24. nu. 31. ad congregandos justos veniunt Angeli, at verò ut mortui suscitentur à monumentis tam magnum, & mirabile opus est, ut ipsamet Dei vox resonet, & imperet: *Qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei*; tam admirabile est hoc opus, ut requiratur, quod ipsamet Dei vox resonet, & imperet; hæc autem efficacia divinæ vocis videbatur participativè in ore, ac lingua B. Andreæ, dum tot, & tantos mortuos suscitat. Docet D. Th. 3. p. q. 43. art. 1. quod Deus dat alicui sancto potestatem ad facienda miracula, vel in confirmationem eorum quæ docet, vel etiam ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sanct. ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam. Quàm mirabiliter Deus per gratiam inhabitabat in suo Andrea Apostolo, quando per eum tot, & tanta mirabilia operabatur!

283

Magna efficacia vocis Andreæ.

Colloquium S. Andreæ cum Cruce, illiusque mors.

Beatus Andreas maximè cupiebat dissolvi, & esse cum Christo, & hoc tamen per Crucem, quam summè amaverat, quam non ut patibulum mortis, sed ut thronum supremi Regis considerabat; quid ergo suæ dilectissimæ Cruci dicat consideremus: *O bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita.* Crux instrumentum mortis ignominiæ, ac dolorum, undè tam grata est nostro Apostolo? de quo D. Bern. serm.

284

Dulcissima crux beati Andreæ.

2. de

2. de Sanct. Andrea. explicat illud Ecclesiast. 24. n. 27. *Spiritus meus super mel dulcis*. Sic B. Andr. divino spiritu repletus erat, ut testatur Bernard. *Ut ne ipsa quidem dulcedini ejus prævalere queat amarissima licèt mortis amaritudo; quod non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque ipsam facit dulcem*. Inde ex considerata Christi morte mors, & Crux nostro Apostolo dulces erant.

285 Hanc dulcedinem cum tanta alacritate, ac gaudio Crucis accepit Andreas à suo sanctissimo magistro Iesu; cum ipse bajularet Crucem exiens in calvarium, sequebantur flentes mulieres, quibus ipse dixit: *Nolite flere super me*, Luc. 23. nu. 28. cur pium mulierum affectum, sic Dominus contemnit, ac prohibet? D. Ambros. ibi: *Ablaturus omnes lachrymas suæ beneficio Crucis passione propria futuræ, inter beatitudinis lætitiam exhibebat*. Ferebatur ibi Crux, apparebat ibi Crux, cujus conspectu lugentium lachrymæ fugantur, omnisque lætitia, & gaudium conciliatur: *Ablaturus omnes lachrymas beneficio Crucis*. Cùm apparente Cruce omnis lachrymarum dolor extinctus esset, inde fletus minimè decebat.

Crucis dulcedinē à Christo hausit Andreas.

286 Hoc spiritu plenus Paulus dicebat 1. Corinth. 5. n. 7. *Pascha nostrum immolatus est Christus*; *itaque epulemur, non in fermento veteri, sed in azymis sinceritatis*; ac si diceret: In hoc nostro Paschate Christus in arbore Crucis est immolatus, inde à tam bona arbore boni, & dulces fructus prodeunt, & omnes veteres amaritudines abierunt, omniaque sunt plena lætitia, & epulis. D. Chrysost. hom. de Cruce, & latrone, ait: *Paulus præcepit propter Crucem festivitatem celebrari: Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque diem festum celebremus; adjunxit causam, quia Pascha nostrum immolatus est Christus: Vides Crucis intuitu perceptam lætitiam*. Perpende verborum connexionem, juxta Apostolum dies festus, & celebris est agendus; & cujus rei causa? Quia Christus est crucifixus, & immolatus in Cruce: Ubi Crux apparet nullus est locus tristitiæ, sed summum gaudium, ac lætitia: *Vides Crucis intuitu perceptam lætitiam*.

Crucis intuitu lætitia percipitur.

287 Ait D. Andreas: *O bona Crux diu desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita*; quæ verba plena lætitia, & exultatione considerans D. Bernard. serm. 1. de Sancto Andrea, ait: *Si non videor temerarius, longè est ab hac voce: Pater si fieri potest transeat à me calix iste*, Matth. 26. nu. 39 Valde mirabile, Andreas ad intuitum Crucis lætatur, & exultat, & Christus Dei fortitudo tristatur, & pavescit, & ita in agonia prolixiùs, inde pullulavit sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Considera altum mysterium; Christus ut magnus dux, & princeps suorum infirmitatem in se suscepit, & inde hanc exteriùs ostentans pavet, & timet, & suam fortitudinem suis membris communicat, Andreas, ut bonus, & generosus miles acceptum talentum, & fortitudinem non abscondit, sed alacri, & robusto animo ostentat, ac manifestat. D. Bernardus citatus ait: *Agnosco planè pusillanimorum trepidationem, agnosco ægroti vocem in medico, agnosco infirmitatem, gallinam cum pullis, concludero charitatem, stupeo miserationem*.

Andreas divinæ fortitudini respondet

288 Cùm Beatus Andreas vidisset Crucem, ait: *Suscipe me discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus*. Andreas commendat se Cruci quod eum suscipiat; aliter verò, cùm lapidaretur Stephanus vidit cœlos apertos, & *Jesum stantem à dextris Dei, & ait: Domine Jesu, suscipe spiritum meum*, Actor. 7. n. 58. Stephanus rogat, ut Iesus suscipiat spiritum ejus, ut ibi in ejus gloria sedeat, & requiescat, Andreas verò commendat se Cruci, ut eum suscipiat, ut ibi dolores, ac tormenta mortis patiatur, nam passio, ac mors Crucis tantis doloribus plena erat illi pro magna gloria. Ait Paulus Roman. 5. n. 2. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, non solùm autem, sed gloriamur in tribulationibus*; ac si dicat Apostolus: Magna gloria, & lætitia exultamus ex concepta spe assequendi beatitudinem, ac hæreditatem filiorum Dei, & quandiu hanc non obtinemus, maximè gloriamur, & exultamus in tribulationibus, quas pro Christo, & vita christiana patimur, & sustinemus, ita ut ipsæ tribulationes nobis inserviant pro gloria, & mercede. D. Bernard. serm. 1. de Sanct. Andrea ait: *Talem invenimus Beatum Andream Apostolum, quem non modò expectatio futurorum bonorum, sed & præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita ut in eis etiam glorietur*.

Pari Christo pro alacro Andreas.

Inde Christus Dominus maximè Andream sua Cruce nobilitavit, nam ex omnibus Apostolis Petrus, & Andreas Crucis morte sunt condecorati. Pro quo audiendus est Petrus Damianus serm. 57. & ait: *Inter cuncta sanè martyrii genera, illud nobilius, illud non immeritò judicatur esse præcipuum, quod in ipso redemptore nostro, capite videlicet martyrum cognoscitur dedicatum*; cur ergo ex omnibus Apostolis Petrus, & Andreas, tanto sunt insigniti honore? Hi duo tanquam primores Apostolorum, tantam gloriam sunt promeriti; Petrus primum est Ecclesiæ fundamentum, Andreas primum fundamentum collegii apostolici, ac agnitionis Christi, ut satis dixi supra n. 237. quia ergo hi duo in Christi schola primatum tenent, primarius Domini thronus, ac gloria, quæ est Crux, illis conceditur. Damianus citatus: *In illam beatitudinem sempiternam eos Crux portavit æquales, qui enim hìc sunt filii Joannis, illic sunt filii Crucis, Crux enim quæ eos morientes huic vitæ subtraxit cœlesti Jerusalem renascentes cum triumphali gloria, novos cives invexit*. Cùm sint filii Crucis cum triumphali pompa, ipsa Crux eos sublevavit in gloriam. 289

Quare ex omnibus Apostolis Petrus & Andreas cruce nobilitantur.

QUÆSTIO XXVI.

Quare sanctus Jacobus Zebedæi Apostolorum protomartyr in lapide chalcedonico adumbratur.

290 AIt præsens text. *Fundamentum tertium chalcedonius*; pro quo lapide in Rationali Pontificis Exod. 28. n. 18. erat carbunculus, & ideo D. Isidorus lib. 16. Etymol. cap. 13. Beda, & Aretas affirmant chalcedonium esse carbunculum, aut carbunculi speciem; aut saltem chalcedonius similis est coloris cum carbunculo, tum quia chalcedonii lapidis antiqui non meminerunt, tum etiam quia non videtur, quod Ioannes præteriisset carbunculum, quæ erat una ex præcipuis gemmis in rationali Pontificis, & quia, ut ait Philippus Archiepiscopus Nicosiens. lib. suarum universarum institutionum, contemplatione 4. part. 2. cap. 3. carbunculus gemmarum omnium excellit dignitatem, ut aurum cætera metalla ob suum fulgorem, ut statim adnotabo.

Chalcedonius idem ac carbunculus.

291 Carbunculus autem dicitur chalcedonius, quia prope Chalcedonem Constantinopoli, ex una parte Bosphori objacente in littorum saxis, & scopulis innascitur lapidis quidem speciem habens, & colorem carbunculi, seu carbonis ardentis, proindeque carbuncula à radice græca idem est, ac *pruna ignita*; seu etiam dicitur *pyropus*, quod à græco idem valet, ac *ignis faciem habens*. Hic lapis nocte lucere dicitur, & qui perfectior est omnia circa se illustrat, ac à tenebris noctis non vincitur, sed nocte tanquam carbo ignitus lucet: ita D. August. lib. 2. de doctrina christiana, cap. 16. D. Isidorus citat. & multas illius species, ac qualitates refert Anselmus Boeti lib. 2. de gemmis c. 87.

Carbunculus id est carbo ardens.

Ardentissimè D. Jacobus Christum dilexit.

292 Quamvis Andreas Cæsarienfis cap. 66. in Apocal. Aretas c. 674 in Apocal. in lapide onychino dicunt significari Iacobum Apostolum, quia colorem sanguineum refert, & ipso colore resplendet, inde potiùs in carbunculo, seu chalcedonico significatur, nam hic lapis inter omnia gemmarum genera est pretiosissimus, & tanquam pruna ignita rubet, inardescit, & splendet. Hic noster magnus Apostolus maximè fuit pretiosus omni virtute, splendore doctrinæ, ac prædicationis, & ignito amoris ardore Christum diligebat, & ab eo diligebatur, ut notat Divus Bonaventura serm. 1. de Sancto Iacobo, & ait: *Hic Apostolus sanctus dum accendit ignem ardentem, intus celare non potuit; multum Christus Jacobum dilexit, multum ab eo dilectus fuit*.

Iacobus præcipuus inter Apostolos.

Seraphicus doctor citato serm. ipsum summam dilectionem Iacobi erga Christum, ex multiplici cap. 293 probat,

probat, quæ ad tria reducuntur; primum est bonorum omnium communicatio, imo, & contemptus ob rem amatam; secundum est unitas, seu conformitas voluntatum; tertium est tolerantia adversariorum pro amico; ait ergo D. Bonav. *Multum Christum Jacobus dilexit, quia propter eum omnia dereliquit, non solùm res temporales, sed etiam dilectos parentes, imo seipsum, quod maximum est, nam ipse cum fratre sanctissimo vocati à Domino, continuò relictis retibus, & patre, secuti sunt eum*, Matth.4.n.22. Omnes Apostoli pro Christo omnia reliquerunt, tamen tam expressè, & apertè solùm de Ioanne, & Iacobo dicitur, quod non solùm reliquerint omnia, sed insuper, & Patrem, quod de nullo alio Apostolo scribitur. Ait reg. Vates Psalm. 44.n.11. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui*; commendat, ut videat, & audiat, & inclinet aurem suam; ad quid, *obliviscere domum patris tui*? D.Paschasius ad eandem Psalm. *Ad quid obliviscere domum patris tui? Utpote quid mirabile*; ita ut ad illud omnes vires, & sensus sint applicandi: & in hoc valde insignis est noster Jacobus; vocat Christus Petrum, & Andream, & ait illis: *Venite post me; faciam vos fieri piscatores hominum*, Matth.4.n.19. & procedens inde, vidit alios duos fratres, *Jacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem ejus, & vocavit eos; at illi relictis retibus, & patre secuti sunt eum*. Cùm vocantur proceres Apostolorum Petrus, & Andreas, præmio trahuntur: *Faciam vos fieri piscatores*; id est, doctores, ac principes hominum, at verò, ut Jacobus, & Joannes Christum sequantur, nullum præmium proponi necessarium fuit, sed tantùm levi signo vocari, nam hi duo Apostoli naturali pondere, & amoris affectu, in Christum ferebantur, ut me citato tom.2. in Evang c.4.q.18. nu.121. notat Magister Thomas Frances de Urrutigoyti in suo Colegio apostolico, Concl.6.n.7.

D.Iacobus pro Christo insigniter omnia sua reliquit.

294 Secundum amoris signum, ait citatus Bonav. est voluntatum unitas, & conformitas. Hæc autem conformitas voluntatum fuit perfectè in Jacobo cum Christi voluntate, quia nihil voluit Apostolus nisi id, quod agnoscebat Christum velle, nam cùm Jacobus, & Joannes sessionem ad dexteram, & sinistram à Christo peterent, & ille eis diceret: *Nescitis quid petatis; non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matth.20.n.21. statim ut Domini vocem audierunt, tacuerunt, & nil aliud petierunt. Hæc Apostolorum petitio facta est multo tempore post confessionem Petri, nomine omnium Apostolorum: *Tu es Christus filius Dei vivi*, Matth.16. ac proinde bene sciebant hi duo nobiles fratres, quod Christus erat verus Deus, & æqualis potentia, ac voluntate cum Patre, & cum tamen hæc bene scirent nil respondent, sed dictis Christi prompta obedientia se submittunt, ac voluntati ejus conquiescunt: *Statim, ut ejus vocem audierunt, tacuerunt, & illud amplius non petierunt*, ut ait citatus D. Bonaventura.

Intimo voluntatis affectu Iacobus unitus erat Christo.

295 Adhortatur Christus suos discipulos: *Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum*, Joan.15.nu.4. & 5. Mirum non est, quod qui manet in Christo, & in quo Christus manet, multum fructum afferat, at valde mirum est quod Christus suos discipulos hortetur, ut non solùm in seipso maneant, sed ut ipse Christus in ipsis discipulis sit; quomodo hoc potest esse in eorum potestate? Per intimam nempe voluntatum unionem: *Manete in me per voluntatis affectum, ita ut vestra voluntas, nil aliud petat, nisi id, quod ego volo, & ego in vobis*; ita ut non voluntas vestra sit, indeque detur reciproca unio voluntatum, ut vestra voluntas in nullo discrepet à me voluntate, proindeque si vos manseritis in me, & ego in vobis, & tunc fiet quod sequitur: *Hic fert fructum multum*. Cajetan. ait: *Manete in me, & ego in vobis; non est sensus: Manete in me, & ego manebo in vobis; sed: Studete, ut vos maneatis in me, & ego in vobis; itaque utrumque mandatur eorum studio*. Si homo manet in Christo affectu suæ voluntatis, ut tamen velit quod vult Christus, Christus manet in eo, & fert fructum multum. *Utrumque mandatur eorum studio*.

Conformitas cum divina voluntate magnum fructum producit.

296 De se testatur regius Vates Psalm.26.n.4. *Unam petii à Domino hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini*; ad eam nempe exequendam, ac implendam in omnibus. D.Augustin. apud Catenam: *Ut videam voluntatem Domini; hoc est, ut contempler delectationem Domini*. Ecce David adhuc in terra habitans, tanquam humanæ felicitatis summam avidè expetit videre, seu cognoscere divinam voluntatem: *Ut contempler delectionem Domini*; hoc est voluntatem Domini, ac in ipso summè delectari, ut in nullo ab ejus voluntate discedamus, sed in omnibus illi quiescamus.

Qui sequitur divinam voluntatem Domini delectationem tenet.

Docet nos Christus D. Matth.6. n.10. orare: *Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*. Petimus ut ad nos *veniat Regnum* Dei; & quodnam medium ad hoc assignatur? *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra*. Cum nos conformamus cum divina voluntate, statim ad nos advenit Regnum Dei, & terra fit tanquam cœlum, & cœlum veluti terra. D. Chrysost. hom.20. in Matth. ait: *Quia concupiscere docuit cœlestia, per hoc quod dictum est, adveniat regnum tuum, antequam ad cœlum perveniatur, ipsam terram jussit fieri cœlum per hoc, quod dicit: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra*. Qui facit Dei voluntatem vivens in terra, jam est in cœlo. 297

Qui se conformat cũ divina voluntate, regnum cœleste possidet.

Tertium, quod ponit D. Bonaventura pro signo eximii amoris, est tolerantia adversariorum, & D. Jacobus verbera, vincula carceres, pro magna suavitate delectationis habuit, imo & primus omnium pro Christo sanguinem effudit, de quo multa dicam infra. 298

Christus Dominus summè dilexit D. Jacobum.

Hoc apogè docet D. Bonaventura jam citatus. Jacobus est unus ex tribus Apostolis, quos Christus ad magna mysteria vocavit; ad transfigurationem *assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem ejus*, Matth.17. & similiter quando puellam suscitavit, Marc.5.nu.37. & quando in horto patitur agoniam, cùm mortis horrore, Matth.26.n.37. & ideo quando hos tres Apostolos creavit, nova nomina eis imposuit, tanquam inter cæteros viros magnos; Simonem Joannis dixit Petrum, Joan.1. n. 42. Jacobum, & Joannem vocavit Boanerges, Marc.3.n.17. & quod ad mysterium transfigurationis hos tantùm tres elegerit, ait D. Chrysost. hom.57. in Matth. *Quamobrem hos solos accepit, quia excellentiores cæteris erant*; meritis nempe, virtute, privilegiis, & amoris prærogativa. 299

Iacobus ad magna mysteria assumitur à Christo.

Ait Christus suis Apostolis in ultima cœna: *Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo nota feci vobis*, Joan.15.n.15. Inde comprobat Christus, quod sui Apostoli non sint servi reputandi, sed amici, quia eos fecit suorum secretorum conscios, quod est intimæ amicitiæ signum, ut docet D. Irenæus lib.4. cap. 27. & communiter Interpretes, & si omnes Apostoli demonstrarentur intimè amici, ac dilecti, quia eis Dominus revelat sua secreta; inter hos intimos amicos, ac peculiariter dilectos, magis intimi, ac supernè dilecti comprobantur Jacobus, Joannes, & Petrus, quos Christus Dominus ad magna, & alta secreta suæ transfigurationis: *Nemini dixeritis visionem hanc*; ac orationis in horto convocavit. Deinde pro magno elogio nostri Apostoli, ait D. Bonaventura serm. 1. de eo: *Iacobo aperuit Christus cor suum, datque ei cor suum*. Ait Isaias 24. num.16. *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*; multi codices habent in scholiis Sixtianis: *Mysterium mihi, & meis*. Idem est quod mysterium sit mihi, ac etiam sit meis, nam mei reputantur simul mecum, & idem est quod sit mihi, ac simul etiam sit meis: vide tomum 4. in Evangel. c.4.q.2.n.9.10.11. & tom.5. lib.7. c.15.q.9.n.60. & seqq. 300

Iacobus & Ioannes eximie dilecti à Christo.

Secreta soli amico communicanda.

Sed dices: Si tam dilectus est Jacobus Christo D. quomodo tam hispido responso ejus petitio de primatu regni inficiatur? *Nescitis quid petatis*, Matth.20. n.21. Vidit Dominus quod generosa aviditate ad altissimum scopum suorum desideriorum sagittas emisissent, 301

sent, ideo in eis arguit, non animi generositatem sed insciti am, ac ignorantiam, quod absque luctamine, ac sudore coronas appeterent. Imperfectus hom. 35. ait: *Petebant quasi religiosi, & perfectæ gloriæ amatores, propterea non voluntatem, neque propositum eorum culpat, sed solùm ignorantiam reprehendit.* Perpende verba: *Solum ignorantiam reprehendit;* ne eorum voluntatis impetus ad ardua retardaretur, cùm eos Dominus ad magna disponeret, generosam audaciam non eneruat, ob quam in suis servis gaudet Dominus. Canit David Psalm. 63. n. 7. *Accedat homo ad cor altum, & exaltabitur Deus;* & quo pacto accedet homo ad cor altum? Nempe ut elucidant Hugo Haymon, intendendo alta, & sublimiora, quàm natura capit, ac veluti excedunt ipsam naturam; & quid inde? *Exaltabitur Deus*; ac si nihil ita Deum ampliori gloria cumulet, ac servorum suorum generosæ cogitationes, dum illustribus ausibus summa rerum fastigia anhelant, omniaque rerum pericula contemnunt. D. Bernard. serm. 32. in Cantic. *Regiæ majestatis schema apparere existimo iis, qui accedentes ad cor altum, de majori spiritus libertate, & puritate scientiæ magnanimi majores facti consueverunt audere majora.* Expende; *Accedentes ad cor altum consueverunt audere majora;* vide tom. 1. in Apocalyps. cap. 5. q. 8. num. 61. & seqq.

Jacobus, & Joannes generosi, & inde gaudendi.

302 In laudem nostri magni Apostoli altiùs rem expendamus. Respondit eis Jesus: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum; dicunt: Possumus.* S. Maxim. homil. de hac fest. ait: *Illi qui jam martyris constantiam retinebant, dicunt, possumus.* Adhunc erant in limine apostolico, & jam martyris constantiam retinebant, ob suam magnam generositatem; pro quo facit, quod his duobus fratribus, primò, & ante omnes alios Apostolos Dominus calicem suæ passionis offert, & ita Jacobus omnium primus vitam dedit.

Jacobus, & Joannes adhuc impoliti constantiæ martyrio ostendunt.

303 Tunc ait illis Dominus: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matth. 20. n. 23. Profundè attende quæso quomodo hoc Christus referat ad Patris facultatem, cum ipse sit æqualis potentiæ, ac potestatis. O eximius amor Christi in hos duos fratres! satius Christus duxit suæ potestati aliquantulum quid subtrahere, ac veluti eam coarctare, quàm summè dilectis aliquid denegare: Fervidus amor non patitur quidquam dilectis abnegare, sed copiosè omnia largitur, & tamen alta divina providentia dictabat, duorum fratrum postulata non concedere, inde aptiùs visum est aliquid veluti in externa apparentia de potestate diminuere, quàm in sui amoris ostentatione deficere. Præclarè D. Ambros. lib. 2. de fide, cap. 3. ait: *Noluit his, quos dilexerat videri, quod peterent denegasse; sanctus, & bonus Dominus, qui mallet dissimulare de jure, quàm de charitate deponere*; expende ultima verba.

Amor Christi in Jacobum & Joannem non patitur aliquid eis denegare.

304 Clamat Chananæa pro filiæ sanitate, eam videtur Jesus contemnere; rogant pro muliere discipuli, ut dimittatur, quibus respondet Christus: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*, Matth. 15. n. 24. *Christus Jesus venit in hunc Mundum, omnes peccatores salvos facere*, ait Paulus; quomodo ergo ait Dominus: *Non sum missus nisi ad oves domus Israel?* nunquid Apostolus contrarius est verbis Domini? Absit, tamen dum rogaretur pro muliere Dominus, ait: *Non sum missus nisi ad oves domus Israel.* D. Basil. Seleuc. Oration. 20. in persona Christi ait: *Luctu confertam despicio, commiserationem tego, & si luctu miseror.* Christus D. benevolo animo erat in mulierem, ob ejus interiam fidem, quam bene agnoverat, tamen ob altas rationes, necesse erat cunctationem facere, & moras interponere; inde satius visum est, aliquid de commissa potestate subtrahere, quàm negando postulata amoris defectum declarare erga illam, ad quam benevolo affectu erat propensus: *Mallet aliquid dissimulare de jure, quàm de charitate deponere.*

Diligens potius vult subtrahere in potestate quàm in amore.

305 Secundò cùm Christus D. ait: *Calicem quidem meum bibetis*; postulata duobus fratribus videtur concedere, nam ipsi petebant à Christo sedes, prout homo erat; sic ait D. Ambros. proximè citatus: *Rogatus erat à muliere, quasi homo;* inde illis ait Christus: *Calicem quidem meum bibetis;* regnum cœleste distribuere Patris mei est, regnum autem quod ego ut homo habeo, est meus calix passionis, & Crucis pro hominibus; hoc regnum mihi est in magna æstimatione, & pretio: *Dominus regnavit à ligno*; hoc regnum vobis offero, illiusque vos participes efficio. D. Ambros. citat. *Calicem inquit meum bibetis, hoc est, passionem quidem, quæ carnis meæ est, non negabo, quod enim humanæ passionis habeo, potestis imitari, donavi vobis victoriam passionis, hæreditatem carnis.* Huic adaptanda est expositio Divi Hilarii Matth. 6. num. 36. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; Hilarius: *Transeat à me ad meos*; ex quo docet D. Thom. de Villanova serm. de S. Jacobo eorum petitionem fuisse à Christo auditam; ait: *In hoc regno cœlorum, id est Ecclesia eorum petitio impleta videtur, nam Joanni sedes data est in Asia, quæ est ad dexteram Ierusalem, & Jacobo in Hispania, quæ est ad sinistram partem.* Quod autem Crux, & passio sit regnum Christi, vide nostros tomos in Evangelia verb. *Crux, Passio.*

Christi regnum mors, & crux, hoc concedit Jacobo, & Iosuæ.

Tertiò cum Dominus ait: *Calicem quidem meum* 306
bibetis; ipsas sedes in regno cœlorum, ac cœlesti gloria concedit. Æterna Dei lege constitutum est, ut gloria sit germen passionis, ac Crucis; ab eis tanquam semen cœlestis beatitudo ut fructus nascitur, & qui rem alicui concedit, cui altera inseparabili nexu adhæret, tam verè hanc, quàm illam concessisse censendus est; ergo cum Christus offert calicem, simul & regnum promittit. Imperfectus hom. 35. in Matth. ait: *Interrogat eos: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? ut illis respondentibus, quia possumus, audeant cæteri condiscipuli, & conquiescant intelligentes, quoniam, & si ipsi parati sunt mori cum Christo, nihilominus possunt juxta Christum sedere per illorum sessionem nequaquam excluso;* sic ait Apostolus: *Si compatimur, & ut conglorificemur.*

Beatitudo germen crucis, & passionis.

D. Jacobus magnus prædicator, prædicat in Hispania, illuminat Mundum.

Scribit D. Marcus 3. n. 17. quod Christus D. *vocavit* 307
ad se, quos voluit, & fecit quod essent duodecim, & imposuit Simoni nomen Petrus; & Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & imposuit eis nomina Boanerges, quod est filii tonitrui. Cur autem his duobus fratribus hæc nomina imposuit, alta indagine inquirendum est. Cajetan. ait: *Sic dictos, quia ambo in transfiguratione, tonitruum divinæ majestatis audierunt.* Sed si hæc ratio firma esset, etiam ob illam Petrus filius tonitrui diceretur, ipse enim præsens fuit mysterio transfigurationis.

Hujus nominis quatuor optimas rationes propono. 307
Primò Titinus, ait: *Vel certè filii tonitrui sunt ipsa fulmina, ut Baronius exponit, sicut filii pharetræ sunt sagittæ;* proinde in præsenti de eis dicere possumus: *Hi sunt duo fulmina belli.* Secundò præclarè Theophylactus, & ait: *Filios tonitrui appellat Dominus Jacobum & Joannem, ut præcipuos prædicatores, & maximè theologos;* sicut Joannes intonando: *In principio erat Verbum;* sublimem, & altam theologiam eructavit, sic & Jacobus, sua prædicatione, suaque epistola canonica, quam multi ei attribuunt, præclaram theologiam docuit.

Jacobus, & Joannes magni Theologi.

Tertiò Albertus Magn. filii tonitrui, quia adjuncti 308
sunt summæ potestati, ut fulgerent signis, exemplis: *In virtute, & prædicatione, tonent doctrinam in veritate*; Psalm. 76. n. 19. *Vox tonitrui tui Deus in rota; hoc est in Scriptura. In rota*; alii legunt, *in volubilitate*, hoc est charitate, quia maximè volubili velocitate hi duo Apostoli fulserunt, signis, virtutibus, ac prædicatione, qua velocitate Jacobus Ierosolymis venit in Hispaniam, magnaque illius parte ejus adventu illustrata, iterum pergit Ierosolymam ad novam prædicationem evangelicam. Ait Job 38. n. 35. *Mittit fulgura, & abeunt, & revertentia dicent tibi: Adsumus.* Fulgura sunt prædicatores, ac magistri evangelici,

Jacobus & Joannes signis fulserunt.

gelici, ut exponit Glossa, qui spargentes lucem velocissimè tanquam fulgura abeunt ad id, ad quod à Deo mittuntur, & munere suo adimpleto, eadem velocitate revertuntur, ut iterum ad novum munus mittantur. D. Jacobus tanquam fulgur missus est à Deo in Hispaniam, & officio suo persoluto, ad novam prædicationem reversus est Jerosolymam.

309 Quartò juxta Plinium, & Senecam tonitruum tria habet; primò, edit magnum sonitum, ac strepitum; secundò, mittit splendorem, ac micantem lucem; tertiò *mollibus parcit, dura tamen comminuit, ac dissipat*. Verè filius tonitrui noster Jacobus; maximè prædicatione evangelica insonuit per totum Orbem quem mirificè illuminavit, valde pius & clemens in humiles, durus & acer in adversarios, tam gladio prædicationis, quàm gladio ferreo contra suos hostes, ut in multis bellis visus est pro christianis, de quo infra. Et adverte quòd non ait text. imposuit eis nomen in singulari, sed in plurali: *Imposuit eis nomina*; quia quod dicerentur filii tonitrui, multa nomina, significata, ac signa denotabantur.

Jacobus mitet, & resplendet verbo & gladio,

310 Jacobus sua prædicatione, magnum sonitum dedit, maximèque gentes illuminavit: *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem, quia placeret Iudæis*, Actor. 12. n. 2. erant Jerosolymis proceres Apostolorum D. Petrus, D. Joannes, D. Matthæus, & alii, cur præ cæteris, & ante omnes, comprehenditur Jacobus, & occiditur? Quia noster Apostolus magno zelo erat ferventior, & audacior in prædicatione evangelica Christum annuntians, & judæos confundens, & ideo ipse primò quæritur, & occiditur; in quo videns Herodes, quod *placuisset Iudeis*; græcus, *rem gratam fecisset Iudæis*, utpote, quia eorum acerrimus adversarius è medio sit sublatus, D. Chrysost. hom. 57. in Matth. paulo post initium: *Iacobus acer atque gravis Iudæis erat, ut magnum munus illis obtulisse, cum eum interfecerit Herodes, visus sit*.

Jacobus acerrimus Prædicator

311 Noster Apostolus, cùm esset Christi amatissimus, sic honoris, reverentiæ, ac fidei illius erat magno zelo repletus; nam cùm Samariæ Christum spernerent, & recipere noluissent, etsi alii discipuli tacerent, indignantes Jacobus, & Joannes Christi injuriam ulcisci voluerunt, quod erat ex ingenti zelo, ac fervido amore in Christum & si adhuc rudi, & impolito zelo, undè dicunt Luc. 9. n. 54. *Domine si vis, dicimus, ut ignis descendat de cœlo, & consumat illos*; id est: Vis ut instar Eliæ eos igne cœlesti, & fulmine afficiamus? Et nota quod æstuantes tam vehementi zelo, adhuc debitam obedientiam erga Dominum ostendunt, cùm dicunt: *Domine si vis*; sine ejus nutu, ac beneplacito nihil audebant facere.

Jacobus vehementissimus zelator honoris Christi.

312 De nostro Apostolo scribit D. Hieronym. De viris illustribus: *Iacobus Zebedæi filius duodecim tribubus, qui erant in dispersione, omnibus prædicavit Evangelium Iesu Christi. Interfectus est autem gladio ab Herode Tetrarcha Iudæorum*. Imò noster Apostolus extitit prædicator totius Mundi, totumque ipsum Mundum secundùm omnes suas partes fide illustravit, ac illuminavit; ipse in Hispania seminavit Evangelium, illiusque noster magister est, omnesque nos illius sumus discipuli, Hispania autem seminarium extitit prædicationis evangelicæ; per totum Orbem ab illa exierunt prædicatores fidei, in Orientem usque ad Japonem per spatium decem millium leucarum; ab ea exierunt prædicatores fidei in Occidentem, Americam, & Brasiliam; ab ea exierunt prædicatores in Africam, sunt enim ibi multæ civitates sub nostra ditione; ab illa exierunt magni, & illustrissimi prædicatores per totam Europam, inde, & Jacobus Apostolus per se, suosque discipulos totum Mundum illuminavit.

D. Jacobus totum Mundum illuminat, ac illustrat

313 De Christo Domino ait Isaias 49. n. 6. *Parum est, ut sis mihi famulus, ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*. Tanta Christi gloria non poterat coarctari inter Tribus, & fæces Israel, & inde prædicatione evangelica dilatanda fuit per totum Mundum: *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ*; & quomodo hæc possunt verificari, cùm Christus à Judeæ regno non exierit? Noster D. Cyrillus Alex. D. Augustin. D. Thomas dicunt: *Christus datus est lux, & salus gentium usque ad extremum terræ, per se, & suosque prædicatores*; nam, ut ait ibi Cornelius: *Quæ Apostoli fecerunt, hoc in eis Christus effecit*; sic in præsenti dicimus: Tanta Jacobi gloria non poterat coarctari inter Tribus, & fæces Israel, sed fuit dilatanda, ut Sol & lux gentium, & salus mea, usque ad extremum terræ.

Jacobus lux usque ad extremum terræ

Scribens Apostolus 2. Corinth. 1. nu. 1. ait: *Paulus Apostolus Iesu Christi, per voluntatem Dei, & Timotheus frater*; magnum dubium est; Cur Apostolus, ut ait Chrysostom. *hic sibi Timotheum copulat?* Ac si ab utroque tanquam ab una persona epistola esset scripta. Corinthii querimonias ediderant, quòd præsentiam suam quam illis promiserat, distulisset Paulus, undè disposuit mittere ad eos Timotheum discipulum suum, ut sui imaginem, ut ait Chrysost. *Timotheus ad illos accedens, Pauli virtutis specimen dedit apud illos*; ut ergo denotaret, quod ipse ut magister, & Timotheus ut discipulus veluti unam personam constituebant, inde nomine utriusque epistolam scribit, ut inde deprehenderent, quod cum Timotheo ad eos veniente, simul & ipse Apostolus veniebat, & simul cum Timotheo discipulo Paulus magister cooperabatur; & pro hujus rei majori diligentia do verba Cajetani, qui in præsenti sic ait: *Timotheus fuit unus ex illis, per quos Paulus priorem epistolam misit è Philippis, ad Corinthios & aliquo tempore conversatus est in Ecclesia Corinthiorum, & retulit Paulo, tum querimoniam, quod Paulus non iviſſet personaliter ad Corinthios, ut promiserat, tum oblocutiones de Paulo &c. Propterea Timotheus non tanquam delator, sed tanquam constructor in principio epistolæ nominatur*. Unus, & idem Timotheus cum magistro Paulo, sic & D. Jacobus unà cum suis Hispanis, unus & idem reputandus est.

314 D. Jacobus per se suosque Hispanos totum Mundum illuminavit.

Quæ discipuli docet magistro tribuuntur.

Facit etiam pro magna luce, ac gloria doctrinæ nostri Apostoli, quod epistola canonica, quæ nomine B. Jacobi circumfertur, huic Jacobo majori attribuatur; ita Lucius Dexter in Chronico, nu. 37. & ait: *Quæ epistola prima fuit scriptura novi testamenti, tanto Apostolo digna*. Eandem sententiam tenent D. Isidor. lib. de vita, & morte sanctorum, Sixtus III. Epistol. de malis Doctoribus. Levitpand. Ticiensis in Chronica æta. 856. & apertè favet subscriptio syriaca in eadem epistola; ex quo Hieronymus de Guevara in cap. 1. Matth. observat. 16. num. 11. docet, quod ideo Petrus, Jacobus, & Joannes fuerunt à Christo Domino assumpti ad mysterium transfigurationis, quia hi tres fuerunt primi scriptores legis gratiæ, in suis epistolis canonicis, nam Joannes multo post scripsit suam Apocalypsim, ac Evangelium.

315 Jacobus scriptor Epistolæ Canonicæ

Scriptores honoratur à Christo.

D. Jacobus Apostolus præclarus devotione, ac veneratione in B. Virg. Mariam.

Nostrum assumptum ex triplici capite probatur; & primò: Noster Apostolus fuit charissimus B. V. Mariæ, tum ob suas insignes virtutes, tum quia Virgo erat, sicut frater ejus Joannes, ut testatur D. Epiph. Hæres. 59. & ait: *Virginitatem habuit Iacobus sicut frater ejus Ioannes*. Hac de causa, & ex multis aliis gratissimus erat noster Apostolus Beatiss. V. Mariæ, & ideo adhuc ipsa vivens Jerosolymæ, eidem apparuit Cæsaraugustæ, insistens columnæ, jussitque ibidem oratorium sibi extrui, prædicens illam Hispaniæ partem, sibi fore devotissimam; quare B. Jacobus eidem sacellum omnium in urbe primum ex jussu ipsius Virginis, & ab Apostolis ædificatum: ita Lucius Dexter ann. 37. Calixtus III. summus Pontifex in sua Bulla. Dixi primum ex jussu Virginis, & ab Apostolis ædificatum, ut excipiam sacellum ædificatum à parente Elia in monte Carmelo eidem Virgini consecratum, ut tenent multi auctores, quos citant, ac sequuntur Petrus Oieda inform. pro Immaculata Concept. c. 1.

316 S. Jacobus Virgo.

B. Jacobus ædificat templum B. V.

f.3.p.2.Ægyd.Lusitan. lib.3. de Concept.q.4.art.1.§.1. n.8.& hoc maximè cedit in gloriam nostri Apostoli.

317 Egressus Noe ab arca: *Ædificavit altare Domino, odoratusque est Dominus odorem suavitatis*, Gen.8. nu.20. id est hoc sacrificium fuit valde suave, ac gratum Deo, indeque largas benedictiones dat ei, ac filiis suis amplum dominatum super totum Orbem cunctaque animalia terræ, volucres cœli, pisces maris, Gen.9.nu.1. & 2. & undè tantam gratiam,ac benevolentiam sibi promeruit Noe? nam etiam Abrahamus Domino erexit altare. At Noe primus fuit, qui ædificavit altare in gloriam, & honorem Dei, ut canit Claudius Marius lib.3. in Genes.

Non priùs officii quidquam servatus inire
Constituit; quàm sacra Deo, laudesque rependat,
Gratesque evaso referat discrimine Noe;
Mox niveo sacra exurgunt altaria saxo,
Agnovitque hæc prima recens altaria Mundus.

Iacobus multa dona sibi, ac Hispanis promeruit.

Noe in toto Mundo primus altare erexit Deo, inde sibi, ac suis filiis multa dona promeruit. B. Iacobus primus ex Apostolis, ac in Hispania ædificat altare, & sacellum in honorem V. Mariæ, indeque multas benedictiones, ac affluentiam cœlestium donorum sibi, suisque spiritualibus filiis Hispanis impetravit.

318 Festum Conceptionis celebrat.

Secundò magnus devotionis affectus in Virg. Mariam nostri Apostoli ostenditur ex eo, quod ipse festum Conceptionis celebravit, celebrandumq; cunctis tradidit, ut canit Marc. Max. citatus à Salazar de Concept.c.31.§.2.in quodam hymno de B.M.*del Pilar.*

Templo Virgini consecrato, ejusque Conceptionis Festo celebrato maximè Iacobus honorificat filium & matrem, nam ut ait D.Bern. serm. 6. in Cant. *Honor impensus matri, proculdubio redundat in filium*; nam ut ait Arnol.Carnot. *Individuam esse matris, ac filii gloriam, & commune esse utriusque præconium.*

Laus Mariæ, laus Christi.

319 D.Iacobus orationem Angelicam compositi, & salutat. Virg.

Tertiò dicamus aliquid peculiarius & non vulgare. B.Iacobus Apostolus fuit primus,qui in laudem B.V. Mariæ simul in unam orationem composuit salutationem angelicam: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum;* cum salutatione Prophetica Elisabeth: *Benedicta tu inter mulieres, benedictus fructus ventris tui;* totumque simul in unam orationem copulavit dicens: *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* ut patet ex Liturgia nostri Apostoli Iacobi apud Canisium l.5.de laudibus Dei. c.3. Theatr. Vitæ humanæ auctor, Laurent. Beyerlinck verb. Maria §. *Mos salutandi.* Quod spiritus Angelicus in laudem V. Mariæ dixit, & spiritus propheticus eructavit, totum simul noster Iacobus Apostolus in unam orationem composuit & cæteræ preces, quæ sequuntur: *Ora pro nobis nunc & in hora mortis nostræ*; ex ejus Liturgia bene colliguntur.

Liturgia Iacobi.

320 Docuit nos Christus D. orare: *Pater noster, qui es in cœlis; sanctificetur nomen tuum*, &c. Matth.6.nu.9. cujus orationis multæ partes expressè vel impliciter habentur in Scriptura, ut illud: *Sanctificetur nomen tuum*, Lev.19.n.21. *Non pollues nomen Dei tui*; & passim illud: *Fiat voluntas tua*; ut Reg. c.3.n.1. *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*, & sic in multis aliis locis; tamen ut ait D.Pasch. lib.4. in Matth. *Christus Dominus orationis modum nobis aperuit, ac expressit, & cuncta divino, ac supernaturali modo disposuit.* Licèt in oratione Mariana spiritus angelicus, & propheticus partes erunt, tamen noster Iacobus Apost. cuncta divino, ac supernaturali modo disposuit, incipiens à salutatione angelica, & prosequens prophetica, indeque universales magistri orationum inveniuntur Christus D. & Iacobus Apostol. Christus nos docuit orationem ad Patrem, Iacobus Apost. orationem ad Matrem.

Magistri orationis Christus & Iacobus Apostolus.

Iacobus Apostolus inclytus martyrio.

321 S. Iacobus Primus Martyr Apostolorum.

Iacobus primus fuit inter Apostolos, qui pro Christo sanguinem fudit, & est communis sententia: ita habet D.Chrysost.hom.8.in Marc. assignans rationem cur Petrus, & Iacobus assumpti fuissent à Christo ad Transfigurationis mysterium; ait: *Eligitur Petrus, super quem fundata est Ecclesia, & Iacobus, qui primus de Apostolis martyrio coronatus est, & Ioannes qui virginitatis est exordium.* D Anton. 1. part. tit. 6. cap. 7. ait: *Primus etiam omnium Apostolorum Iacobus vocatus est per martyrium ad regnum cœlorum.* Imo Tirinus in suo Chron. appositio in Biblia magna tom.1.c.50. vers. die 14. ita ait: *Die 14. mensis Nisan pridie Paschæ judæorum pridie Kalendas Aprilis, Iacobus Zebedæi ex Hispania redux ab Herode Agrippa gladio feritur, eadèm die mensis lunaris, & hora, qua fuit Christus crucifixus, inquit Calixtus Papa, vel quicunque est auctor libri de miraculis S. Iacobi*; & hoc ex magna parte colligunt Interpretes ex c.12. Actorum nu.1. ubi dicitur: *Eodem autem tempore misit Herodes Rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit autem Iacobum fratrem Ioannis*; Lucas ponit eodem tempore, ut denotet tempus necis B. Iacobi prope Pascha, ut advertunt Lorinus, Cornel. Estius, & alii.

Moritur eadem die & hora, qua Christus.

Primus inter Apostolos, qui pro Christo dedit sanguinem extitit dux B.Iacobus; o quanta gloria illi ex hoc auspicanda est! Multa indagine inquirendum, cur inter duodecim Tribus Israelis Tribus Iuda obtinuit principatum, & regale sceptrum? *Iuda adorabunt te filii patris tui, non auferetur sceptrum de tribu Iuda*; ait Iacob Gen.49.n.8 undè tanta gloria vaticinata est tribui Iuda,& eam sibi promeruit? Credo quod in tanto vaticinio Iacob conjicit oculos, quod cum Israel fugeret à tyrannide Ægyptia, & ad ripam maris vidisset à tergo currus Pharaonis, Moyses virga maris undas percussit, & ad illius ictum duodecim colles aperti sunt per medium maris, ut graderentur duodecim Tribus; novitatem miraculi pertimescentes hebræi timidi hæsitabant, & novam viam maris ingredi non audebant; tunc Aminadab Princeps Iuda impavido corde iter ingreditur, & aliis dat animum ad viam; hanc tantam generositatem intuens spiritu Iacob, illi prædixit regiam dignitatem & sceptrum;quod etiam considerans Anima sancta dicebat Cant.6.n.11. *Anima mea turbavit me*; id est, in admirationem magnam me rapuit; & loquitur nomine totius populi: *Propter quadrigas Aminadab*; eo quod contemplata sim currus hujus principis, quando primus horribiles aquarum gurgites invaserit, qui cæteris pavorem incutiebant, cujus exemplum reliqui ejus audaciam sunt secuti. Lyran. ad citatum Cantic. locum ait: *Per quadrigas Aminadab intelligitur potentia Regis Iuda, eo quod tribus Iuda, secundùm omnes doctores hebræos, & latinos, meruit dignitatem regiam in transitu maris rubri, nam aliis tribubus formidantibus Moysem sequi per mare divisum, Tribus Iuda constanter secuta est ipsum, & aliis constantiæ dedit exemplum; tunc autem Aminadab erat Princeps Tribus, qui egressus est de Ægypto.* O quàm regale solium, quantamque gloriam habet noster Iacobus, qui primus inter Apostolos, perfuso sanguine ingressus est mare rubrum carnificum, tormentorum, ac tyrannorum, aliisque constantiæ suæ dedit exemplum! vide superiori q.25.n.274. & 275.

322

Licèt Stephanus, & alii antea pro Christo priùs effuderint sanguinem, tamen Iacobus primus inter Apostolos. Nato Christo veniunt Magi Ierosolymam dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Iudæorum;* & inde Bethleem venientes, *obtulerunt ei aurum, thus, & myrrham,* Matth.2.n.12. quod considerans Tertull. lib. de idololatr. ait: *Primi stellarum interpretes natum Christum annuntiarunt, primi muneraverunt. Hoc nomine Christum opinor, sibi obligaverunt;* magnus Africanus, quomodo ait, quod Magi primi Deum adoraverunt, ac muneraverunt? nonne priùs *in ipsa* nativitatis nocte festinantes venerunt pastores, adoraverunt, & munera sua obtulerunt? quo ergo fundamento astruitur, quod Magi primi adoraverunt, ac muneraverunt, & inde Deus maximè devotus,ac proclivis mansit in eos multa illis largiens cœlestia dona? Verum est, quod ex vulgo judæorum primi venerunt pastores, & in regionibus suis annuntiarunt,at ex principibus,& Regibus primi fuerunt Magi, & exinde multis donis à Deo sunt cumulati: licèt alii ex ordine Levitico,ac interiori priùs animam pro Christo dederint, tamen ex principibus, ac magnatibus Ecclesiæ, SS. Apost. primus extitit Iacobus, & inde multa affluentia cœlestium donorũ coronatus est: *Hoc nomine Christum opinor sibi obligaverunt.*

Ex principibus primus in gratiæ cultum promeretur.

324 Deinde ut ex Calixto Papa ait Tirinus: *Jacobus Apostolus, feritur eadem die mensis lunaris, & hora, qua fuit Christus crucifixus. O quantus honor, & gloria, quod tali temporis articulo pro Christo vitam dederit!* Celebrato convivio in domo Abrahæ ubi appositus est vitulus tenerrimus in figuram Christi D. promittit Angelus filium Abrahæ dicens: *Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, & habebit filium Sara uxor tua*, Gen. 18. n. 10. tempore isto ut habent Septuaginta: *In hac die, & hora;* & cur evoluto anno nativitas Isaac promittitur eadem die, & hora? & cur non potiùs antea, ac celerius? Ad majorem beneficii excellentiam eadem die, & hora. Lypom. *Semen tuum honorabo;* & quæ major gloria, & honor poterat contingere Isaac, quàm quòd ille dies, & hora esset nativitatis ejus, in qua vitulus in Christi repræsentatione apparuit, & est in mensa? ut inde deprehenderetur quanto donorum cumulo ab ipso erat sublimandus; quid glorioſius, ac honorificentius poterat contingere nostro Apostolo, quàm quòd ille dies, & hora eligatur ad ejus mortem, in qua etiam Christus crucifixus mortuus est, ut annua veluti solemnitate illius magni sacramenti, ac pretiosi Sanguinis maximè etiam ditatus, ac locupletatus esset dies ille morte nostri magni Apostoli.

Maximè honoratur Iacobus Martyrio die, ac hora, qua Christus.

Divus Iacobus Hispaniæ protector, ac defensor.

325 Actorum 12. n. 1. dicitur: *Misit Herodes Rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia; occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio*; Ierosolymis gladio occiditur noster Apostolus, cur non potiùs Cruce, ut erat pœna communis apud judæos? Ut nempe gladius ille exactus sanguine Iacobi, verteretur contra illius hostes. Evaginavit Abrahamus gladium ut filium suum Isaac Deo immolaret; clamat Angelus de cœlo, dicens: *Quia fecisti hanc rem, benedicam tibi, & possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum*, Gen. 22. n. 17. Rabbi Salomon ibi: *Possidebit semen tuum in gladio tuo portas inimicorum suorum;* per portas intelligit civitates, ut est communis expositio; sed quomodo dicitur Abrahamo: *Gladio tuo possidebit?* Gladius Abrahami evaginatus est ut filium suum Isaac Deo immolaret, & gladius, qui Abrahamo inservivit ad Dei sacrificium, inde conversus est in ejus hostes, ut eos destrueret, & civitates eorum caperet. Iacobus alto Dei consilio gladio occiditur, ut inde gladius evolaret contra ejus hostes ad eos destruendos ac eorum civitates subjugandas, ut eas suis Hispanis daret. Huc advoco id, quod perbellè dixit D. Cyprian. *Stare hominem, nec moveri, torqueri, nec tamen vinci, sed pœna ipsa potiùs, qua cruciatur, armari.* Gladio, quo Iacobus cruciatur, ac feritur contra suos hostes armatur: *Pœna ipsa potiùs, qua cruciatur, armatur.*

Gladius quo occiditur Iacobus vertitur in ejus hostes

326 Hoc gladio armatus B. Iacobus, in equo candido sæpè apparuit in auxilium Hispanorum contra Mauros glorioſissimis victoriis obtentis; sic apparuit sub Alphonso Cast., vel ut alii volunt, sub Ramiro Rege, ferens vexillum candidum rubræ Crucis figura, barbarorum innumera multitudine cæsa; illustri victoria obtenta, multa donaria eidem Apostolo oblata sunt. Similiter regnante Banimiro in equo albo districto gladio sæpè in bellis visus est Apostolus; & tandem cùm Rex Ferdinandus anno Christi 1137. obsideret Conimbricam, quæ fortiter resistebat, visus est Apostolus in equo albo cum gladio, dans civitatis claves, & glorioſa victoria reportata est, ut Calixt. Papa refert Monarch. Lusitan. tom. 2. lib. 7. c. 28. ad finem, indeque de eo benè decantatur illud, quod de Sampsone dicitur Iudic. 16. num. 3. *Multo plures occidit moriens, quàm ante vivens occiderat;* nam vivens solùm infidelitatem in septem occidit, quos peperit in fide, at post mortem, innumeram hominum multitudinem, multasque civitates extincta infidelitate ad lumen fidei perduxit.

In multis magnis victoriis D. Iacobus patrocinatur.

327 Quid mirum, quod tam magno, ac eximio patrocinio D. Iacobi ditata sit Hispania, cum ejus sacratissimo corpore sit honorata, ac munita? Barcepha Syrus lib. 1. de Paradiso c. 14. in 1. tomo Bibliothecæ 2 editionis tenet, Noe detulisse secum in arca ossa Adami, ut in communi naufragio sibi essent præsidium, & deinde egressus ipse ab arca, cum ejus filii essent spargendi per quatuor Orbis partes, ossa ipsius Adami inter eos divisit, dans unicuique filio os suum, pro certo habens, quod unum os Adami esset sufficiens ad tutelam, & munimen unius partis totius Orbis; si præsidio unius ossis Adami tota integra pars Orbis secura, ac tuta manebat, quomodo Hispania præsidio non unius tantùm ossis, sed totius corporis hujus magni Apostoli, non erit munita, ac custodita, ab omni incursu malorum?

Reliquiæ corporis D. Iacobi nos custodiunt, & tuentur.

328 Et inde meritò in Hispania in gratificationem tanti præsidii, & protectionis, institutus est Ordo militaris S. Iacobi portans Commendam, ut vulgò dicitur Iacobi, quæ simul habet figuram Crucis, & ensis. Clamat Angelus Ezechiel. 9. n. 4. *Transi per mediam civitatem in medio Ierusalem, & signa Thau super frontes virorum gementium.* Thau, ut docet D. Hier. Origen. D. Ambr. lib. 1. de fide Abraham, D. Aug. D. Isid. & alii, quos citant, ac sequuntur Pinto, Sanch. Corn. qui omnes dicunt, Thau figuram exprimere Crucis. † Hoc signo denotabatur omne periculum vincendum, & ab omni liberandum. Tertull. lib. contra judæos: *Quoniam eo signo vita hominum præstruebatur.* Et si res benè consideretur, Thau id est † figuram habet Crucis, & ensis, indeque adumbrat commendam S. Iacobi, quæ importat figuram Crucis, & ensis, qua illius equites superant omne periculum, & custodiuntur ab omni malo.

Commenda S. Iacobi, vincit periculum, & custodit à malo.

329 Portant etiam in solemnibus equites accincto gladio pallium candidum. Postulat David ab Abimelech Sacerdote gladium, qui ait ei: *Ecce hic gladius Goliath Philisthæi est involutus pallio post Ephod; si istum vis tollere, tolle:* & ait David: *Non est huic alter similis, da mihi*, 1. Reg. 21. fol. 9. Abulensis ibidem ait, quod Ephod pallium erat candidum Deo dicatum, & gladius equitum D. Iacobi involutus pallio candido non est illi alter similis in universa terra.

QUÆSTIO XXVII.

Quare Ioannes Apostolus repræsentatur in smaragdo lapide.

330 DE smaragdo duo refert Plinius lib. 37. c. 5. primum attinet ad ejus jucundissimum colorem; viriditate superat omnes herbas; secundum verò spectat ad ejus magnitudinem, & sic ait: *Nullius coloris aspectus jucundior est; etsi herbas quoque virentes, frondesque avidè spectemus, smaragdus verò tanto libentiùs, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret. Præterea soli gemmarum contuitu oculos implent, nec satiant, quin & ab intuitione alia obscurata aspectu smaragdi recreatur acies;* multa alia prosequitur, & tandem de ejus magnitudine subdit: *Theophrastus tradidit in Ægyptiorum commentariis reperiri, Regi eorum, à Rege Babylonis missum smaragdum, è quatuor cubitorum longitudine, & fuisse inter eos in Iovis delubro obeliscum, è quadraginta cubitorum longitudine, latitudine verò in parte duorum.* Multa alia de smaragdo referunt Plinius citat. Anselm. Boetius lib. 1. de gemm. c. 52. & Athenæus lib. 3. lib. 32. & ex dicendis aliqua patebunt.

Descriptio, elegantiæ, & pulchritudinis smaragdi.

Illius magnitudo.

D. Ioannes Evangelista rectè in smaragdo adumbratur.

331 De hoc magno, ac dilecto Domini Apostolo multa dixi tom. 5. in Evangelia lib. 9. c. 8. per totum, & to. 1. in Apocalyps. c. 4. q. 31. per totam, modò etiam pro nostra tenuitate aliqua de hoc magno Apostolo dicamus. Andr. Cæs. c. 66. in Apocalyps, accommodans smaragdum nostro Apostolo ait: *Per smaragdum qui viridem colorem fortitur, nec non perspicuitatem, & venustatem ex illo mutuatur, Ioannis Evangelistæ prædicationem insinuari arbitramur; hic enim animi dejectionem ex peccato ortam, divino oleo ferenat, excellentique theologiæ gratia assiduum Dei vigorem nobis præstat;* similia habet Aretas cap. 69. Insuper, quæ ex smaragdo relata ex Plinio, propriissimè nostro Ioanni applicantur; quis illo jucundior? cunctorum oculos Ioannes complet, sibi attrahens singulorum affectus; quis satiatur ejus conspectu? quæ oculorum acies non recreatur tantæ pulchritudinis intuitu? Etiam tenues, & debiles men-

Ioannes omnibus gratus præjucundus.

mentes ejus doctrina illuminantur ad alta, & magna cognoscenda; quæ tam alta, & sublimia sunt, ut etiam altitudine, ac profunditate, superent omnium Apostolorum doctrinam, qui per alios lapides pretiosos denotantur, sicut smaragdus sua magnitudine superat alias gemmas, ut ex Plinio dixi.

332 Aretas citatus in præsenti ait: *Smaragdum, qui viridem demonstrat colorem, & splendorem, ex eo susceptum, ac venustatem, Joannis Evangelistæ prædicationem significare arbitramur, qui divina misericordia exhilarat in nobis ortam ex peccatis tristitiam.* Smaragdus valde præjucundus est oculis, cum eo maximè jucundatur cor, & tristitia abigitur, quod maximè convenit Joanni, nam præsentia ejus imaginis tristitia excluditur, & magna lætitia participatur.

Visum acuit.

333 Tertiò smaragdus in oleo injectus fit lucidior, ac elegantior, ut ex Joachimo adnotabo infra cum de Joannis morte fuerit sermo; deinde etiam quod in ignem injectus non comburitur. Quartò smaragdus valde familiaris est castitati, ac puritati, & libidini adversatur, ut omnino frangatur, si quis eum secum habeat in patranda re venerea, ut refert Pierius in suis Hieroglyph. lib. 41. c. de smaragdo, & experimento comprobat; etenim in conceptione Jo. II. Regis Lusitaniæ, Isabellæ matri smaragdus summi pretii, quem annulo inclusum gestabat, fractus dicitur, ut Rex Alphonsus, hoc nomine, ipsius Joannis Pater confirmavit, ut refert Resenda in vita ipsius Jo. II. & habetur c. 1.

Smaragdo familiaris virginitas.

Ioannes nomine admirabilis.

334 Postquam Christus D. dixit Petro: *Sequere me*; & conversus Petrus vidit sequentem discipulum, quem diligebat Iesus, ait Petrus: *Domine hic autem quid?* Ioan. 21. n. 21. Petrus, optimè agnoscebat Ioannem, & optimè sciebat ejus nomen, cur illud non exprimit: Domine, Ioannes quid? sed omne illud tacet, ac supprimit?

335 Primò, & forsitan in magnum documentum Prælatorum, qui ita debent constitui in apice suæ dignitatis, ut nihil de antiquo homine, nec etiam nomen in eis appareat. Erat jam Ioannes constitutus à Christo Ecclesiæ princeps, ac creatus Episcopus, & inde sic novus modus in eo repræsentabatur, ut nihil antiquum, nec etiam nomen in eo videretur: grave dubium sane est, cur noster Ioannes scribens septem epistolas Episcopis Asiæ, Ephesi, Pergami, Tiatiræ, Sardii, &c. in nulla tamen proprium nomen Episcopi affixit, sed illud omnino tacet, & ait: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe*, Apoc. 2. n. 1. *Angelo Pergami Ecclesiæ scribe*; & sic etiam de cæteris c. 3. Respondet quidam auctor modernus doctus, Episcoporum nomina prætermisse silentio Ioannem, quia postquam Episcopale fastigium attigerunt, debuerunt in viros alteros commutari, & antiqui nominis deperdere honores, juxta illud 1. Reg. 10. nu. 6. *Mutaberis in virum alterum*. Hieron. de Guevara in c. 1. Matth. vers. 5. observ. 12. n. 18. ex eo deducit rationem, quia Episcopus, ac Prælatus, sic debet in subditos transformari, ac cum eis incorporari, ut non unum proprium nomen habeat, sed tot nomina nactus sit, quot subditos, quorum omnium personæ, ac conditiones in ipsis transpositæ sint.

Prælatus debet mutari in virū alterum, & nihil de antiquo homine habere.

336 Secundò Ioannes nomen hominis, & Petrus puritatem, ac virginitatem, & sanctitatem nostri Apostoli, eumque non tanquam hominem, sed ut Angelum venerabatur, undè meritò Guarricus Abb. serm. 2. de Assumptione ait: *Joannes novus in carne Angelus*. Veniat iterum, quod supra notavi: Semel, & iterum vult Ioannes adorare Angelum, à quo semper est prohibitus; Apoc. 19. n. 10. *Et cecidi ad pedes ejus, ut adorarem eum, & dixit mihi: Vide ne feceris; conservus tuus sum*; similiter Apoc. 22. n. 9. ad quæ verba magnum dubium excitat D. Greg. hom. 18. in Evang. nam Angeli veniunt ad Abraham, & patiuntur ab eo adorari, Gen. 18. nu. 2. veniunt & ad Loth, & conquiescunt ab eo adorari, Gen. 19. n. 5. venit & Angelus ad Iosue, & non renuit ab eo adorari, Iosue 5. num. 53. sic & Angelus acquiescit parentibus Sampsonis eum adorantibus, Iud 13. nu. 2. Sic ait D. Greg. *Loth & Josue Angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Joannes verò in Apocalypsi sua, adorare Angelum voluit, sed tamen eum Angelus, ne debeat adorari, compescuit dicens: Ne feceris; conservus tuus sum*; quæ hujus rei ratio? Abrahamus, Loth, & Josue, etsi viri magni, ac illustrissimi, tamen erga eos Angeli suam superioritatem cognoscebant, & ideo illorum adorationem non prohibent, at cum Joanne non superiores, sed æquales illi Angeli se reputabant, & inde talem adorationem prohibent, quia talis præcedentia ab æquali non erat deferenda, & ideo Angelus ait: *Vide ne feceris; conservus tuus sum*; at verò erga alios erat multa præcellentia, & ideo Abraham, Loth, Josue, Angeli Domini appellatione venerant, Angelosque Domini ipsi appellant. Arnold. de verbis Domini ad illud: *Mulier Ecce filius tuus*; sic ait: *Hanc interim gloriam virginitas merebatur, per hanc in hunc gradum discipulus sublimatur; quod si Angelus est, non miror, quod ejusdem velut ordinis nobilitate præclarum, alter Angelus ut veneraretur non sit passus.*

Ioannes puritate Angelus.

337 Tertio ait Smaragdus discipulus nostri Apostoli lib. de ejus vita: *Joannes nomen magnum, & mirabile*; & inde Petrus nominis magnitudinem, ac excellentiam venerans, non audet ipsum dicere, ac pronuntiare, sed tantùm: *Domine hic autem quid?* Hac fortè de causa cum Petrus, & Joannes ingrederentur templum, & claudus postulans ab eis eleemosynam, ait ei Petrus: *Respice in nos*; Act. 3. num. 4. non ait, respice in me, & Joannem, sed in nos, fortè nomen Joannis ore pronuntiare non audens; & quod majus est, sæpè sæpius noster Evangelista de se ipso frequenter facit mentionem in suo Evangelio, & tamen suum Joannis nomen nunquam exprimit; semel in suo c. 13. tribus vicibus, c. 18. iterum tribus vicibus, c. 19. quatuor vicibus, c. 20. & aliis quatuor vicibus c. 21. & tamen nomen suum silentio involvit, cum videamus, quod D. Matth. frequenter in suo Evangelio seipsum nominat. c. 9. nu. 9. *Vidit Jesus hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*; & c. 10. n. 2. Jesus duodecim Apostolos nominavit; primus Simon, qui dicitur Petrus, Andreas, & D. Th. & Matth. cur etiam Joannes nomen suum non exprimit, sed semper illud silentio tegit? Origenes: *Joannes frequenter submissionis affectu, ac modestiæ causa nomen suum non declarat*. Tam sublime, & altum est nomen Joannis, quod illius modestia, ac humilitas, tantam magnitudinem sui nominis non patitur de se evulgare.

Ioannis nomen magnum, & mirabile.

Quæ sunt Joannis valde profunda, & alta.

338 De his aliqua dixi tom. 5. in Evangel. lib. 9. c. 8. q. 15 ad illa verba Petri: *Domine hic autem quid?* & citata q. 31. in c. 4. Apoc. nunc verò aliqua addamus. Scribit Ezechiel. c. 47. n. 3. & 4. quod Angelus duxit eum ad fluvium magnum: *Et mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquas usque ad talos. Et rursus mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua: & mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad renes: & mensus est mille, torrentem, quem non potuit pertransire, quoniam intumuerunt aquæ profundi torrentis.* Ductu Angeli quatuor mensuras expertus est Propheta; prima fuit per mille cubitos, usque ad talos; secunda per alios mille cubitos usque ad genua; tertia, per alios mille cubitos usque ad renes; quarta per alios mille cubitos, & tanta fuit profunditas, ut Propheta non potuerit transuadere; undè tanta difficultas in hac quarta mensura, quæ minimè erat in cæteris? Theodoretus per hunc fluvium intelligit Evangelium, quod quatuor habet mensuras, quæ sunt quatuor Evangelistæ, qui illum scripserunt, scilicet D. Matth. D. Marcus, D. Lucas, D. Ioan. qui nempe est ultima mensura, qui ultimus scripsit; jam planum est mysterium: hæc quarta mensura facienda, attendebat Ioannis Evangelium, quod est ultimum, & quartum, inde evidens, & manifestum fit, quod illius altitudo ita profunda est magnitudine mysteriorum, ut ad illam nemo possit penetrare, nec illam attingere. Respectu Matthæi, Marci, Lucæ, fluvius erat, respectu Ioannis mare magnum, & spatiosum; quantum ad alios Evangelistas, aquæ erant in mensura, ac paucitate, quantum verò ad Ioannem multitudines apparebant aquarum, in alis parvus torrens iter præbens, in Joanne immensæ aquarum moles intumescentes, ut non possint pertranseri. Theodor.

Ioannis Evangelium valde profundum & ex usu super humanum captum.

ibi; *Scire operæ pretium est, quater illum dimensum fuisse, & divinis Evangeliis æqualem numero mensuram adhibuisse: existimo verò, quartam mensuram divini Joannis Evangelium indicare, quod theologiam continet inaccessam, & ad quam hominibus aspicere minimè liceat, quæ enim mens ultra illud, In principio, poterit penetrare? & quæ ad illud, Erat, transcendere?*

339 De Christo D. testificatur Joan. 1. nu. 18. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis;* ad quid tendit illa conjunctio: *Deum nemo vidit unquam*; & statim addit: *Unigenitus qui est in sinu Patris?* Scilicet, quod ea, quæ sunt Dei, nemo novit, nisi unigenitus qui est in sinu Patris. Tolet. ibid. annot. 54. *Utpote quod Dei occulta ei sint manifesta; quæ enim occultamus in sinu reponimus.* Joannes de se ipso testatur: *Erat recumbens in sinu Jesu*, Joan. 13. n. 23. Jesus qui est in sinu Patris Dei abdita, & occulta penetravit, & nobis manifestavit, Joannes, qui est in sinu Christi, abdita ipsius de sacro fonte potavit, manifestavit, evulgavit, ac scripsit, quod singulariter est ei datum, ut de abditis divinitatis mysteriis scriberet. D. Bern. serm. 8. in Cant. ait: *Hausit Joannes de sinu unigeniti, quod de Paterno hauserat ille.*

Joannes ecreta, & occulta divinitatis manifestat.

340 Vocat Christus D. Petrum, & Andream *mittentes rete in mare, erant enim piscatores*, Matth. 4. n. 58. deinde vocat duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus *reficientes retia sua*; ibid. n. 21. seu, ut legit Imperfectus citandus, *componentes retia sua*. Petrus & Andreas vocantur mittentes rete, quia missa eorum prædicatione pisces erant trahendi ad Christum, Joannes, & Jacobus reficientes, seu componentes retia, quia non solùm prædicatione, sed etiam compositione, ac scriptione multi erant ad Christum lucrandi. Imperfect. hom. 7. in Matth. ait: *Petrus prædicavit Evangelium, & non composuit; Joannes autem & prædicavit Evangelium, & ipse composuit.*

Vocatur Joannes ad Apostolatum, ut scribat & prodeat.

Joannes intimo amore Christum diligebat.

341 Valde frequenter in Evangelio dicitur: *Discipulus, quem diligebat Jesus;* ex quo ait Petrus Damian. serm. 1. de S. Ioan. *Plus amabat, qui plus amabatur.* Et hoc ex eo bene deprehenditur, quòd, ut Petrus sequeretur Iesum, dictum est eibis: *Sequere me*; semel Ioan. 21. n. 22. & iterum, n. 24. *Quid ad te? tu me sequere*; at noster Ioannes absque aliquo imperio, & absque alicujus nutu, sed naturali amoris pondere Christum sequitur: *Conversus Petrus, vidit illum discipulum sequentem, quem diligebat Jesus;* & hoc etiam notavi superiori q. nu. 193. ex diverso modo, quo Christus vocat Ioannem, & Iacobum, ac Petrum, & Andream.

Joannes amoris pondere sequebatur.

342 Ait noster Ioannes de se c. 1. n. 10. *Audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis, quod vides scribe; & conversus sum, ut viderem vocem, quæ loquebatur mecum, & conversus vidi septem candelabra, & in medio similem filio hominis.* Sæpè in tota Apocalypsi Ioannes audivit voces magnas, & nunquam dicitur conversus ad eas, ut videret, ut cap. 10. n. 3. cùm Angelus habens unum pedem in mari, alterum in terra, ut leo clamavit, non dicitur conversus, ut videret; cùm audit voces septem Angelorum habentium septem phialas iræ Dei, cap. 16. non dicitur conversus, ut videat, & sic multis aliis in locis, sed tantùm quando resonat vox filii hominis, & maximè quia ad voces Angelorum stat Ioannes firmus, absque eo, quòd se convertat, & inclinet, cùm magno ponderis affectu ad ipsum feratur, ut eum videat, ac contempletur, eique adhæreat.

Magno pondere Joannes fertur ut in Christo.

343 Sed dicis: Si Ioannes tam fervido amore Christum diligebat, cur tantùm ait: *Discipulus quem diligebat Jesus?* cur non etiam ait, discipulus, qui diligebat Iesum? Quamvis noster Ioannes intimo amoris impulsu teneretur erga Iesum, tamen suum amorem ut nihilum reputabat, & ideo illum præterit, de eoque nullam facit mentionem. Ait D. Bernard. serm. 83. in Cantic. *Quem diligebat Jesus. Vides quàm sit iste affectus, non cæteris tantùm affectibus, sed etiam se ipso potentior.* Eximius affectus Ioannis erga Christum, non solùm alios affectus patris, matris, Mundi, ac bonorum temporalium, sed etiam se ipsum vincebat, ut suum amorem erga Christum nihil duceret, nihil reputaret: *Vides quàm sit iste affectus, non cæteris tantùm affectibus, sed etiam se ipso potentior.*

Suum amorem erga Jesum ut nihil reputabat.

Jesus Ioannem diligebat, ideo dat ei Deiparam in matrem.

Ad nostrum scopum, in quo intendimus probare eximium Christi amorem erga Ioannem ex eo, quod Virg. Maria dederit ei in matrem, de quo locis citatis multa dixi; nunc verò addo, pro quo suppono, quod verus amor omnia facit communia, & ita dicitur Actor. 4. n. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Verus amor bonorum singularitatem odit, & in unum plura corda connectit, & bona conjungit, adeo ut animorum indistinctionem rerum, & possessionum confusio sequatur, quod satis perbellè confirmat Rupert. lib. 9. officior. c. 6. expendens orationem Christi ad Patrem. Ioan. 17. nu. 9. *Ego pro eis rogo, non pro Mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, & omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* Cùm sit perfectissimus, & summus amor inter Patrem, & Filium, omnia Patris sunt Filii, & omnia Filii Patris, de quo latè, & copiosè ibi Rupert. Et optimè etiam confirmatur ex Ps. 4. n. 6. ubi ait Psalmista: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo;* id est lumen tuæ gratiæ, charitatis, ac amoris infusum & signatum est super nos; & subdit: *Dedisti lætitiam in corde meo;* inconsequens sanè videtur ordo verborum, pari enim progressu procedendum erat: *Signatum est super nos lumen vultus tui, dedisti lætitiam* in cordibus nostris, & non *in corde meo*. Apage, nam statim ac vultus divini, seu illius charitatis flamma irradiat, ejusque amoris fulmen plures percutit, destruit pluralitatem, ac multitudinem, & in unum cor omnium adstringit, & inde optimè ait, *in corde meo*, nam cor Davidis erat cor omnium, & cor omnium cor Davidis. Rupert. lib. 6. de Trinit. c. 15. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine; protinus uti maluit singulari numero dicens, ex persona ipsorum: Dedisti lætitiam in corde meo; & rectè quia multitudinis credentium erat cor unum, & anima una, ipse namque Spiritus Sanctus de multis efficit unum.*

344

Amor omnia facit communia.

Charitas multa facit unum.

Ad propositam quæstionem. Pendens meus Iesus in Cruce, ait Matri suæ: *Mulier ecce filius tuus. Deinde ait discipulo: Ecce mater tua*, Ioan. 19. nu. 26. ad quid talis conversa vicissitudo? Christus summo amore super omnes creaturas Mariam Virginem matrem diligebat, speciali & singulari amore in Ioannem ferebatur, at amor verus non patitur aliquid exceptare, ac divisum sibi retinere, inde Christus Deiparæ ait: *Ecce filius tuus*; ac si dicat Christus: Cum ego, & tu mater unum simus reciproco amoris incendio, quo vicissim inflammamur, & inde hoc jure omnia mea tua sunt, & tua mea; ex quo etiam Ioannes est specialiter tuus, quia specialiter meus est: *Et discipulo: Ecce mater tua.* Erat Deipara ditissima Christi hæreditas; erat quoque Ioannes qui potiora illius amoris signa ebiberat, inde Mariam singulariter Ioanni assignat, id est: Cùm ego te, Ioannes, præ cæteris diligam, mea omnia tua sunt, & quod magis meum, magis tuum, ideo Mariam, quæ mea est specialiùs, tuam etiam specialiùs dico, ita ut ipsa, quæ est mater mea, sit etiam mater tua, & ego qui sum filius illius, tu etiam sis illi filius; ego filius natura, tu admirabili modo adoptivus, & ita omnia mea tua, & tua mea. Ad hoc tendit D. Ildephons. serm. 5. de Assumptione Mariæ, & ait: *Joanni dilecto Mariam Christus commendavit, qui ab ipsa Cruce eam suscepit in sua solitudine, & cura, videlicet ut Domini nostri rependeret servitutis, & dilectionis obsequium, qui eum præ cæteris sua dilectione fecerat dignum.*

345

Eximius amor Christi in Joannem non patitur peculiariter habere matrem absque eo quod communicet illi.

Secundò etiam Christus nostro Ioanni dat Deiparam in matrem: *Dicit discipulo: Ecce mater tua.* Ob Ioannis singularem virginitatem, quæ in tanta eminentia, ac apice erat, ut concomitari Deiparam mereretur; nam Ioannis virginitas aliqualiter videbatur adumbrare vestigia Mariæ virginitatis: vide quæ dixi supra c. 19. q. 28. n. 200. 201.

346 Ob virginitatem meruit Joannes filius virginis dici.

Tertiò

347 Tertiò scribit Evangelista: *Stabat juxta Crucem JESU mater ejus*; deinde subdit: *Cùm ergo vidisset IESUS matrem, & discipulum stantem, dicit matri suæ: Ecce filius tuus;* cur in hoc eventu adnotatur, quod mater stabat, & etiam quod simul discipulus stabat? Vidit JESUS stantem matrem inter tot pæricula impavido corde, vidit & discipulum stantem pariter intenta mente, indeque in Joanne contemplatur enitentem matris imaginem, ipsiusque mulieris munus & specimen gerentem, cumque discipulus tanquam filius matris constantiam imitaretur, inde illam ut matrem discipuli, discipulumque ut filium illius attestatur, dicens: *Ecce mater tua: Ecce filius tuus*. Theophyl. ait: *Concredit discipulo præfecturam Matris: jam : : : : quoddammodo honorat discipulum fratrem suum illum faciens. Usque adeo bonum est stare apud patientem Christum, nam in fraternitatem illius ducit.*

Ob suam constantiam Joannes meretur ut filius sit Virginis.

Joannes in ferventi dolio.

348 Multa de hoc nostro magno Apostolo dixi citato cap. 8. nunc verò ad ejus martyrium, ac dolium ferventis olei considerandum accedamus. Et incipiamus à nostro tex. *Fundamentum quartum smaragdus.* Per smaragdum, ut jam dixi, ex Andrea Cæsariensi, ac aliis noster Apostolus denotatur, & inde alta providentia ipse missus est in dolium olei, quia ut ait Joachimus Abbas: *Quoniam smaragdus colorem refert purissimi olei, & abundantiùs repletus est illo oleo spirituali, quo unctus est Dei filius præ consortibus suis; undè, & in dolio olei legitur missus, ut quasi quidam smaragdus oleo perfectissimo perficere videretur;* quæ verba nunc & infra in laudem nostri Apostoli sunt examinanda.

Joannes in dolio proficit.

349 Ubi citatus Joachimus accommodat nostro Apostolo id, quod de Christo D. ait reg. Vat. Ps. 44. n. 8. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus suis;* quæ verba in sensu morali optimè conveniunt nostro Apostolo; summè dilexit justitiam, summo odio detestatus est iniquitatem, summa puritate vivens absque labe peccati mortalis, fugiensque ab omni iniquitate, ut noluerit attingere fontem, in quo se lavit Cerinthus hæreticus; propterea ut explicat D. August. *Hoc de causa causam subdit tantæ dilectionis, & additur: Deus Deus tuus*. Ut notat Paschas. reduplicativè dicitur Deus, quia singulariter, ac valde peculiariter Deus illius est ob summam dilectionem erga eum. *Unxit te oleo lætitiæ*. Inter omnes Apostolos, & discipulos alta Dei providentia, ipse exteriùs unctus est oleo materiali, ut denotaretur, quod intus ungebatur spirituali oleo lætitiæ, magnæ gloriæ, potestatis, ac exaltationis. *Præ consortibus tuis*. Incognitus, præ aliis Apostolis, ac sanctis.

Joannes præ omnibus Apostolis ungitur oleo donorum.

350 Et quanto oleo exultationis noster Apostolus appareret in dolio sublimatus, inde apparet, quod inter illos ferventes igneos globos veluti quædam imago divinitatis apparebat. Moysi *apparuit Deus in flamma ignis, & videbat, quod rubus ardebat, & non comburebatur*, Exod. 3. n. 2. undè Moyses magna admiratione repletus, vehementi conatu rapiebatur ad videndam illam magnam visionem; quod eleganter ponderat Philo Hebræus lib. 1. de vita Moysis, & ait: *E medio promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, divinum simulachrum luce fulgens clarissima, ut suspicari posset Dei esse imaginem*. Apparebat in rubo *quoddam simulachrum divinitatis, & veluti quædam imago Dei;* & undè hoc colligit magnus auctor? Prædixerat ipse quod rubus inter flammas *mancbat integer, & illæsus quasi non esset incendii materia*. Joannes inter ferventes flammas, intactus, & illæsus apparens Dei gratia veluti quoddam simulachrum, ac specimen divinitatis præbere videbatur.

Joannes in dolio videbatur simulachrum divinitatis.

351 Vidit noster Joannes Christum D. admirabili figura facies resplendebat ut Sol in luce meridiana, & ait: *Pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti*, Apoc. 1. n. 15. & statim subdit Evangelista: *Cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus*, n. 17. ex multa nempe reverentia, ac adoratione; quod non similiter factum vidimus in multis aliis locis Apocalypseos, in quibus Christus D. ei se manifestavit, ut Apoc. c. 4. nu. 3. apparens in sede majestatis adorantibus viginti quatuor senioribus, & cum similiter c. 7. n. 9. ante ejus thronum stat turba magna, quam dinumerare nemo poterat decantans ejus laudes, nec etiam quando c. 14. n. 1. ipse ut agnus supra montem Sion se exhibet, & ejus præconia decantant centum viginti quatuor millia, sed solùm tantam ruerentiam exhibet, ut cadat tanquam mortuus, dum ejus pedes sunt in camino ardenti suæ mortis, ac passionis, ut explicant D. Ambros Pannonius Haymon, Rupert. D. Thomas, undè ait Galfrid. *Radiabat tunc in homine divinitas;* eo quod in camino ardenti non combureretur, nec consumeretur; & si in omnibus operibus Christi, multum micabat divinitas, tamen insigniter, dum in camino ardenti ejus pedes, nun consumuntur, nec pereunt: *Tunc radiabat divinitas in homine*. Omnes Apostoli, ac discipuli opera sunt Christi, sed inter omnia hæc opera, maximè *divinitas irradiat in homine*, scilicet Joanne, dum inter cæteros Apostolos, ac discipulos, inter horribiles flammas, ipse tanquam recentes flores gratus, ac præjucundus apparet.

Radiabat divinitas in Joanne cum esset in dolio.

Dicitur psalm. 22. n. 5. *Impinguasti in oleo caput meum,* 352
& calix meus inebrians, quàm præclarus est; *Quintus per accommodationem addi sensus potest de Ioanne Apostolo, quì in olei ferventis dolium, solùmve conjectus est Romæ, de quo etiam pronuntiari verba sequentia valent: Calix meus inebrians, quàm præclarus est*. Rem tamen altiùs consideremus: *Impinguasti in oleo caput meum*; totum nempe meum corpus, quod per caput intelligit, magna olei abundantia, ac copia repleviſti, ac fœcundasti; & quid inde *Calix meus inebrians*? Calicem suum dixit, nempe passionis tormentorum, ac carnificum, ut prædixerat ei Dominus: *Calicem meum bibetis*, Matth 2. inebrians omni suavitate, ac dulcedine cœlestium contemplationum, ut explicant D Chrysost. Euth. D. Hieron Nicephorus. Quantam verò dulcedinem ex illo oleo Joannes deguitaverit, *nulla mens valet dicere, nec intelligere*, ut ait Nicephorus in ejus vita; & inter istam ebrietatem, & corporalem, multa est differentia, ut notat noster Incognitus, & ait: *Ebrietas corporalis obscurat intellectum, ebrietas autem gratiæ magis illuminat*. Quamvis Joannes semper esset sublimis aquila, qui de ipso sacro fonte pectoris Christi fluenta sapientiæ potaverit, tamen postquam inebriatus est calice dolii, *magis illuminat*. nam post vidit Apocal. & scripsit, ac Evalgel. literis mandavit. *Quàm præclarus est*. D. Cyprian. *optimus;* Simach. *maximè bonus*; Omni bonitate cœlestium donorum, gratiarum, ac prærogativarum, affabilitatis, mansuetudinis, ac benignitatis, ac suavitatis, prædicationis, ac doctrinæ quibus totum Mundum ad se devicit.

Calix Passionis Ioannis plenus sua excellentia.

Dicitur Cant. 1. n. 2. *Oleum effusum nomen tuum; ideo* 353
adolescentulæ dilexerunt te nimis. Verba sunt animæ sanctæ ad Christum D. & ut notat D. Bern. ser. 18. in cant. Philo Carpath. & per nomen ipsummet Christum intelligunt, quia sua pietate, ac charitate diffusus est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum; sic ait Philo: *Totus Mundus pietatem ejus sanctissimè imoluit*. Simili modo de nostro Apostolo dicamus: *Oleum effusum nomen tuum*; ab illo oleo dolii factus est oleum charitatis in omnes; ipse intimè Christum diligebat, intimèque ab eo, indeque ipse summopere omnes diligebat, & mutuam charitatem in omnes infundere satagebat, per singulas collectas dicens: *Fratres diligite alterutrum*; & ideo omnium corda, ac affectus ad se traxit, ac conciliavit; inde sequitur: *Adolescentulæ*; seu, ut ex radice hebraic. legit Cornel. *Virgines absconditæ dilexerunt te nimis*; & quia ipsæ sunt absconditæ, & separatæ à Mundo, dilexerunt te nimis, quia Joannes sic separatus erat à Mundo, ut non videretur homo, sed novus in carne Angelus, ut supra *dixi*.

Charitas Ioannis diffunditur per totum orbem.

Joannes à ferventi dolio extincto igne purior, & vegetior exiit.

Quartum fundamentum smaragdus; qui talis naturæ 355
est, ut injectus in ignem non comburatur. Et rectè in eo noster Ioannes adumbratur, nam ipse magna Dei gratia corroboratus in ferventem dolium igne inflamatum ingreditur, & tamen læsionem ab eo non est passus;

Ioannes stabat in dolio ut ignis superior.

passus; & insuper ab ipsius conspectu, ac si ipse esset ignis superior, calor, ac activitas ignis omnino extincta est. Vidit Moyses, quod rubus arderet, & non comburetur, tunc Moyses ait: *Vadam, & videbo visionem hanc grandem; quare non comburatur rubus*, Exod. 3. n. 2. Magnitudo visionis non stabat tantùm in eo, quod rubus arderet, & non comburetur, sed etiam quòd ipse rubus, & frondosus, ignem extingueret, & consumeret. Philo lib. 1. de vita Moysis, ait: *Rubus incremabilis non à flamma uri, sed potiùs ipsam flammam urere, & consumere videbatur.* Adest Jo. in dolio inter ferventes flammas olei; visio sanè magna, & mirabilis! & cum ipsa ex natura sua sit cremabilis, tamen non à flamma uri, sed potiùs ipsam flammam urere, & consumere videbatur.

356 Cùm ignis egressus à Domino, rapido, ac vehementi impetu grassaretur in populo, tunc adhortatu Moysis Aaron, sumpto thuribulo cum incenso, pergens citò ad populum, stans inter mortuos, & vivos, *obtulit thymiama, & plaga cessavit*, Num. 16 n. 48. Abulensis, Lorinus: *Plaga cessavit, & ignis extinctus est ad odorem thymiamatis*; veluti eodem modo, cum Ioannes steterit inter flammas ardentis dolii, tanquam gratissima victima Deo, ac suavissimum holocaustum ad illius odorem cessavit plaga, ignis extinctus est.

Ioannes ut victima ab illius odore exanguitur ignis.

357 *Quartum fundamentum, smaragdus*; de quo testatur Joachim. Abbas, quod illi, qui non usque adeo virent, oleo abluti emundantur, & majorem virorem, & intensiorem virorem acquirunt; ex quo ipse Joachimus sic infert: *Unde Ioannes in dolio olei legitur missus, ut quasi quidam smaragdus oleo perfectissimè proficere videretur*; nam ipse ex eo fortior, purior, ac vegetior exiit. Gen. 11. nu. 31. dicitur quòd *Thare tulit filium suum Abraham de Ur Chaldæorum*; hoc est, ut multi habent, & exprimit Esdras lib. 2. c. 9. n. 7. ab igne Chaldæorum, de quo ait Rabbi Moyses relatus à Burg. in suis additionibus ibi, quod Abrahamus egressus est ab igne *fortior animo, & corpore*; ac si ab igne virtutes animi, & corporis essent adauctæ, & sic magnus factus, ut dicat D. Hier. de tradition. hebraic. & notat Pereira disput. 15. *Abrahamus Dei auxiliis liberatus est ab igne, & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus ætatis reputari cœperunt.* Abrahamus veluti phœnix ab igne renascitur, ab igne novas vires, novumque robur corpore, & animo accipit, proficiens magnis virtutibus, ac progressibus, ac si veluti ab igne nascatur, & exinde *dies vitæ ejus, & tempus ætatis reputari cœperunt.* Noster Ioannes veluti alter Phœnix ab igne renascitur purior & vegetior egrediens, renascensque in magnis mirabilibus; quæ ex tunc edidit renascens magnis mysteriorum visionibus, quibus fruitur in sua Apocalypsi, renascensque magna prædicatione, ac doctrina, quam scriptis dedit.

Ioannes ut phœnix renascitur ab igne.

358 Cùm tres sancti pueri essent in camino ardenti absque aliquo nocumento, ad ostium fornacis accedit Nabuchodonosor, & ait: *Sidrach, Misach, & Abdenago servi Dei excelsi egredimini*, Dan. 3. n. 93. illis verò egressis mirabantur Rex, magistratus, & magnates, videntes, quod ignis nullam potestatem habuisset in eis, siquidem nec minimus capillus capitis periit, sed omnes omnino salvi, & integri erant; quod considerans D. Chrysost. ho. 8. in Epist. ad Ephes. ait: *Non aliter progressi sunt ex camino, quàm si ex ipso cœlo prodirent.* Tanta venustate, elegantia, ac pulchritudine exierunt, ac si à cœlesti curia descenderent; sic, & eodem modo noster Apostolus à ferventi dolio exiit totus jucundus, decorus, ac speciosus forma præ aliis, ac si ab ipso cœlo descenderet; sic de eo loquitur ejus discipulus Prochorus in sua historia c. 11. & ait: *Ebullientis, & ferventis olei dolio velut athleta fortissimus, non combustus sed tanquam unctus illæsus atque intactus exivit, & Domini, qui eum dilexit salvante gratia, & refrigerante, ita illæsus, & liber à pœna apparuit, quàm à corruptione carnis manet integer atque immunis.*

Ioannes tanquam à cœlo exiit à dolio ferventi.

359 Dices tamen: Christus D. prædixit Ioanni calicem suæ passionis bibendum: *Calicem meum bibetis*; quomodo hoc potest stare cum eo, quod ipse præjucundus procedat à dolio tanquam sponsus à thalamo suo? Respondeo, ut jam dixi citato c. 8. lib. 9. quod Ioannes stans juxta Crucem videns, & contemplans Christi passionem, ac mortem calicem Domini bibit acutissimo doloris vulnere, quo anima ejus transverberata est, & nisi esset magnum Dei auxilium eum confortans, ac corroborans omnino ibi vita deficeret; cùm ipse vidisset Christum D. admirabili figura: *Pedes ejus similes aurichalculo, sicut in camino ardenti*; quid inde? *Cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus; & posuit dexteram suam super me*, Apoc. 1. n. 7. Per pedes in camino ardenti, juxta communem Patrum sententiam, intelligitur Christi humanitas in camino ardenti suæ passionis, mortis, ac dolorum, quæ cùm Ioannes vidisset, cecidit tanquam mortuus. Haym. *Contemplans passiones Domini tanquam mortuus*, ait; & cur non omnino moritur Apostolus? Ipse assignat rationem: *Posuit manum suam super me*; ipse nempe auxilio suo me corroboravit, & animavit, ne omnino spiritum, & vitam exhalarem. Ioannes Gualens. *Posuit manum suam dexteram super me, scilicet ad me consolandum, & auxiliandum, & fovendum ne vita deficerem.*

Ioannes dolorem mortem inducit juxta crucem.

Tamen meritò dubitabis: quomodo dicitur, quòd 360
ipse consideratione mortis Christi ceciderit tanquam mortuus, cùm ipse juxta Crucem forti, & constanti animo stetisset? *Vidit discipulum stantem*, Ioan. 19. Intrepido animo stabat juxta Crucem corroboratus, ac animatus, constantia, & generositate præsentiæ Virginis Mariæ; vel fortè quia durior est mors in repræsentatione, quàm executione, & qui virili, ac intrepido animo astat coram reali morte, ad illius repræsentationem cadit.

Ioannes à præsentia Virg. corroboratus.

Ioannes ergo modò in dolio ferventi non bibit cali- 361
cem passionis Domini, ut ei prædictum fuerat: *Calicem meum bibetis*; quia jam antea illud biberat vehementissimo dolore juxta Crucem: sic frequenter multa, quæ prædicta sunt in Scriptura, cum existimatur tempus illius assignatum, verè adimplentur, quia sunt jam executioni data. Ingreditur Ionas Ninive, cap. 3. n. 4. clamans: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*; & tamen transactis quadraginta diebus Ninive stat, & perseverat absque aliqua devastatione, & ruina; nunc quid? Ionas spiritu prophetico clamans: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; mentitus est? Absit hoc, nam ante quadraginta dies, Ninive peccatrix per pœnitentiam deleta, ac destructa est, & ideo Ninive, quæ perseverat, non est eadem, sed alia per lachrymas, ac fletus Domino reconciliata. D. Aug. lib. 4. de civ. Dei c. 24. ait ad propositam quæstionem: *Evertuntur enim peccatores duobus modis, aut sicut sodomitæ, ut pro peccatis suis ipsi homines puniantur, aut sicut Ninivitæ, ut ipsa hominum peccata pœnitendo destruantur.* Post quadraginta dies naturales Ninive materialis stat, quia jam antea Ninive peccatrix subversa erat. Ioannes in dolio non bibit calicem passionis, quia jam antea illud biberat in Calvario.

Prophetiæ sæpe antea sùt impletæ quam reputantur.

Ioannis mors mysterium.

Quærenti Petro de Ioanne: *Domine, hic autem quid?* 362
respondit IESUS: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ioan. 21. n. 22. Expende particulam, *Sic*, qua denotat magnum mysterium; Ioan. 3. n. 16. *Sic Deus dilexit Mundum*; innuens magnum mysterium paterni amoris erga Mundum; Ioan. 4. n. 6. de Christo dicitur: *IESUS fatigatus ex itinere sedebat sic*; Ut mysterium affectus desiderii Christi, de salute generis humani ostendatur; & David in persona Ecclesiæ ait Ps. 60. n. 9. *Sic psalmum dicam nomini tuo*; ut significaret magnum mysterium, quod observat Ecclesia in divinis laudibus decantandis: eadem ergo methodo, quo significatur mysterium amoris Patris in Mundum, amoris Christi in homines, affectus venerationis Ecclesiæ in Deum, eodem utitur Christus ad significandum Ioannis discessum ex hoc Mundo, ac si esset quoddam magnum mysterium: *Sic eum volo manere &c.*

Ioannis mors mysterium.

Et vide quàm secretum mysterium sit discessus Io- 363
annis, nam D. Hippolyt. D. Doroth. D. Damascen. Theophyl. Salmer. & alii à me citati, to. 5. in Evang. lib. 9. c. 8. q. 16. qui omnes dicunt eum adhuc vivere, & venturum esse contra Antichristum cum parente Elia,

Ioannis mors in multa opinione vertatur.

Elia, & Enoch, & contra alii multi Patres, ut D. Chrysost. D. Ambros. D. Aug. Beda Rupert. & alii eodem loco à me citati, dicunt esse mortuum, & paucos post dies à morte ejus, adveniente Christo cum Angelis translatum fuisse simul cum corpore in gloriam, & ita explicant illud: *Donec veniam;* ad eum scilicet suscipiendum.

364 Ecce mysterium, ut referunt Simon Metaphrastes in vita S. Ioan. & S. Gregor. Turon. lib. 1. Historiæ Francorum c. 16. Petr. Damian. ser. 2. de S. Ioanne, ait: *Ut historia continent, quadratam in Ecclesia foveam fieri jussit, moxque in eam descendens extensis manibus post prolixæ orationis verba migravit; mox autem tanta super eum lux cœlitus est immissa, ut nullus eam ferret aspectus.* Ingreditur in foveam quadratam, tanquam in cœlestem civitatem, quæ in quadro posita est, ut dum efflavit animam magna luce, ac splendore cœlesti nitet, veluti de B. Stephano dicitur Actor. 6. n. 15. *Quod circumstantes intuebantur vultum ejus, tanquam vultum Angeli*; undè eleganter ait Euseb. Emissen. hom. de S. Stephano: *Beatus qui ipsa collucratione pugnantis, jam præfert speciem resurgentis*; sic Ioannes in sua suavi, ac dulci morte lucem, ac splendorem resurgentis jam dabat: alia de Ioannis morte vide cit. qu. 16.

Joannes in morte splendorem dabat resurrectionis.

Apoc. 25. *n.* 20. Quintum Sardonix, & sextum Sardius, septimum Chrysolitus, octavum Beryllus, novum Topasius decimum Chrysoprasus undecimum Hyacinthus, duodecimum amethystus.

VERSIONES.

Syriacus. Sextum Sarion, septimum Chrysorius, &c. nonum Topadion, decimum Chrysoprasius.

Arabicus. Octavum viridis Hyacinthus.

Æthiopic. Novum cum Varavero, decimum cum Chrysopraso.

EXPOSITIO.

365 CIrca dispositionem ordinum eorum lapidum in fundamento muri sanctæ civitatis jam dixi expositione superiori; de natura, ac qualitate uniuscujusque lapidis, dicam per sequentes quæstiones dum interpretationem, ac accommodationem sanctorum Apostolorum prosequimur: Quod autem quidam dicunt in his duodecim gemmis significari duodecim fidei articulos, ac duodecim virtutes, minus proprium minusque verisimile est, ut jam dixi.

QUÆSTIO XXVII.

Quare Sardonix gemma adumbrat Beatum Philippum Apostolum.

366 SArdonix est præstantissima species onychis, excellentissima gemma, cujus India est parens, & in maximo ornatu erat apud Arabes in zonis suis, illaque utebantur Romani in annulis ad sigillandum ob sui duritiem. Sardonix tribus coloribus constat; in inferiori est niger, in medio candidus, in superiori rubeus, seu carneus color: ita Plin. lib. 37. cap. 6. Solinus c. 14. D. Isidor. lib. 16. Origen. c. 8. Haymon Alb. Magn. & alii etiam ex peritissimus medicis. Addit Andreas Cacci. tr. 12. de gemmis, quod si hic lapis admoveatur ad oculos aufert malos humores, visum acuit, & confirmat.

367 Ex quibus Isidorus citat. Haymon, Alcazar Cornel. & alii dicunt in hoc quinto lapide fundamenti civitatis adumbrari B. Philip. Apostol. nam ipse quinto est in catalogo Apostolorum; & optimè Sardonix lapis ei convenit, nam in inferiori parte est color niger, quem aliqui referunt ad illam petitionem: *Domine ostende nobis Patrem*; de quo infra. Referri etiam potest ad ejus patriam Bethsaidam peccatis plenam, de quo statim. Color candidus denotat illius candorem, undè gentiles fidenter accesserunt ad eum: *Domine volumus videre IESUM*, Ioan. 12. nu. 21. Rubeus color denotat charitatem, quam Philippus habuit erga Christum, ob quem crucifixus vitam, ac sanguinem dedit, ita ut dici possit de eo: *Dilectus meus candidus, ac rubicundus*, Cant. 5. n. 10.

Philipp. Apost. adumbrat.

Philippus Christo vocante primus est in Collegio apostolico.

Post colloquium Christi habitum cum Andrea, ac Simone Petro, subdit D. Ioannes c. 1. nu. 43. *In crastinum volut exire in Galilæam, & invenit Philippum, & dicit ei IESUS: Sequere me.* Ecce prima vox externa, quam Christus protulit ad discipulos suos, ut eum sequerentur, nam hoc postea dictum est ad alios Matth. 4. & 9. ut notavi to. 1. in Evang. lib. 3. c. 6. n. 62. ac proinde primus omnium voce Christi externa vocatus est Philippus ad Apostolatum, ut advertit Euseb. Gallican. ho. in vigilia S. Andreæ, & ait: *Primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus*; nam ut notat Lorin. in Acta Apostolorum, cap. 1. vers. 13. scilicet Philippus. Quamvis Andreas, & Petrus priores ad Christum venissent, tamen nec tunc sunt vocati neque tunc fixi cum eo discipuli permanserunt, ut fuit Philippus, qui à Domino vocatus: *Sequere me*; à Domino non recessit: vide quæ dixi supra c. 12. qu. 46. n. 371. & seqq. 368

Philippus primus Apostolus vocatus.

Notat D. Chrysost. loquens de Christi virtute hom. 19. in c. 1. Ioan. ait: *Iam nulla me admiratio tenet, cur Philippus Christum sequutus sit*; *Andreas enim audito Ioanne, Andreæ Petrus, hic nemine, sed tantùm Christo dicente sequere me, quàm primum credidit, & secutus aliis factus est prædicator.* Andreas cùm audisset à suo magistro Ioanne Baptista de Christo dicente: *Ecce Agnus;* venit ad IESUM, Ioan. 1. n. 32. deinde ipse Andreas adduxit fratrem suum Simonem Petrum ad IESUM; at verò Philippus excellentior fuit in hoc, nam nemine persuadente, nec adhortante solo Christo verbo audito: *Sequere me;* statim credidit, & secutus est, & aliis factus est prædicator. Noster D. Cyrill. Alexandrin. multùm Philippi virtutem extollens, ait de illo lib. 2. in Ioan. *Probi Philippus fuerat animi, & valde ad sequendum Christum propensus, cujus futuram fidem, & virtutem non ignorans, unico verbo vocavit.* 369

Valde admirabilis Philippus in Christo sequendo.

Ex quo conjice, quantis cœlestibus donis, tam prompta fide fidelis, & obediens discipulus fuerit à Deo repletus. *Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud;* ait Christus D. Matth. 11. n. 12. & quinam sunt isti, qui cum tanta vi, ac volentia sibi rapiunt regnum cœlorum, illiusque omnes divitias? Illi nempe, qui audita Domini voce, statim sequentes obtemperant, abnegantes se ipsos, & omnia sua contemnentes. Guarric. Abbas in serm. S. Joannis Baptistæ, ait: *Regnum cœlorum vim patitur: Planè, inquit, vim facit, qui intonante tuba præcepti, nescit parcere sibi.* 370

Magnis cœlestibus donis ditatur Philippus.

Si intonante tuba cœlestis vocis ille, qui obedit, & nescit sibi parcere, tam violenter rapit cœlum, quantò magis illud sibi obtinebit, qui in hoc primas tenet, & aliis est exemplum? Valde mirum sanè, cur Deus Abel tot, & tantis prærogativis condecoraverit, ipse enim inventus est primus justus sine peccato mortali, ipse primus virgo, primus sacerdos, & primus martyr; quodnam meritum fuit in eo, ut tantis sublimaretur? De eo legitur Gen. 4. n. 4. *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*; in Scriptura multi alii inveniuntur, qui magna sacrificia Deo obtulerunt, & tamen tantis splendoribus non sunt condecorati; quid ergo enituit in Abel? Rupert. lib. 4. in Gen. *Primus unigeniti filii Dei testis Abel voluntarium Deo de primogenitis gregis sui sacrificium obtulit in fide passionis ipsius.* Abel primus obtulit sacrificium Deo de grege suo, inde primas sibi promeruit in omni sublimitate, ac cellitudine: quantum ergo sibi promeruit noster Apostolus, dum intonante Christi voce: *Sequere me*; obtulit in sacrificium non oves de grege suo, sed semetipsum in hostiam viventem? vide supra q. 25. n. 293. & seqq. & qu. 26. n. 321. 323. 371

Philippus primus in collegio Apostolico magna illius sublimitas.

Et notat Joan. 1. n. 44. quod quando Christus dixit Philippo: *Sequere me*; *erat autem Philippus à Bethsaida*, quæ erat civitas plena peccatis, ac iniquitate, ut patet ex c. 11. Matth. nu. 21. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere egissent pœnitentiam.* In terra tam iniqua, & peccatrice ortus est Philippus tanquam rosa inter spinas, & 372

ab

ab eorum iniquitate, ac malitia non est infectus, ac coinquinatus.

373 Tamen, & maximè in ejus laudem, quod postquam Christus D. vocavit ad se Philippum, dicens: *Sequere me;* non multo intervallo interposito, cum vidisset, Nathanael ait de illo: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, Joan. 1. n. 46. qui cum audisset tale testimonium ab ore Christi, ait D. Aug. tr. 7. in Joan. *Cogitaret quod deberet ipse primus esse inter Apostolos;* & tamen hunc non elegit, sed Philippum. Et quæ major gloria, ac sublimitas nostri Apostoli potest excogitari? non enim tantùm ipse prælatus est hominibus iniquis patriæ suæ Bethsaidæ, sed etiam sanctis, & justis, in quibus dolus non est; ipse præ eis assumptus est ad Apostolatum, ut justis justior, & sanctis sanctior. Ait reg. Vat. Ps. 77. n. 67. *Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Juda.* Maximè dubitant ibi D. Aug. noster Incognit. cur cum Propheta agit de assumptione ad regalem dignitatem, tantùm tribum Joseph, & Ephraim commemorat? cur non potiùs tribum Ruben. qui erat primogenitus, vel tribum Simeonis, vel Beniamin, sed tantùm illas duas tribus apponit? Pro magna nempe gloria tribus Iuda, nam Ioseph valde conspicuus erat omni virtute, puritate, castitate, charitate, & prudentia; in Ephraim relucet Iosue adeo meritis excelsus, ut imperium in Solem, & Lunam haberet, ideo hæ duæ Tribus proponuntur. Magna gloria erat Tribus Iuda si præ minoribus, ac inferioribus assumeretur; at verò quod præ magnis excellentissimis viris, ad supremum regale fastigium destinetur, suprema gloriæ, & honoris est majestas. D. Aug. ait: *Eos potissimùm nominavit, qui clarioribus meritis videbantur excellere, nam Ioseph pavit in Ægypto patrem, & fratres suos, & merito pietatis, castitatis, & sapientiæ justissimè sublimatus est; Ephraim majori fratri avi sui Jacob, benedictione sublimatus est, & tamen Deus repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit, sed tribum Juda, ut per hæc præclari meriti nomina intelligamus.* Si Philippus inter malos, & iniquos homines patriæ suæ esset vocatus ad Apostolatum, multa erat illi gloria, at verò quod præ magnis, ac clarissimis viris in quibus nec erat dolus nec fraus, ut veri filii Israel, summa est illi gloriæ majestas.

Magna gloria Philippi quod ipse ex clarioribus sic electus.

Philippus magna luce resplendet prædicatione, ac charitate.

374 D. Hieronymus in cap. 3. Marci, interpretans nomen Philippi, ait: *Philippus qui est os lampadis qui illuminare potest, quod corde concepit.* Abulens. in cap. 10. Matth. q. 35. ait: *Remigius dicit, & Cyrillus, quod Philippus interpretatur, os lampadis sive Lampadum, quia lumen, quo illuminatus est à Domino, mox invento fratri Nathanael per officium oris studuit propinare.* Eusebius Emisenus, seu Gallican. ho. in Vigilia S. Andreæ ait: *Primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus; & meritò primus vocatur ille, qui os lampadis interpretatur, quatenus & ipse & cæteri post ipsum intelligant, ad quale officium eligantur. Tale tunc os omnes receperunt, quando in linguis igneis Spiritus Sanctus super eos descendit.* Magnus, & excelsus est Philippus, in cujus nomine Deus impressit, ac sigillavit totum, quod postea daturus erat Apostolis; Spiritus Sanctus missus est à Patre super Apostolos linguis igneis, ut eis daret os lampadum, ac flammarum, ut tanquam lampades illuminarent ore suo, prædicatione nempe evangelica, & simul tanquam flamma ignis, accenderent corda fidelium in Dei amore; hoc totum insculpsit in nomine Philippi, & ideo merito ipse primus est Apostolorum in cujus nomine totum officium apostolicum est impressum, & effigiatum: *Os lampadis interpretatur, quatenus, & ipse, & cæteri post ipsum intelligant, ad quale officium eligantur.*

Philippus juxta suum nomen fulget & resplendet.

In Philippi nomine officium Apostolicum effigiatum.

375 Imò, & quod magis est Isai. 62. n. 1. de Christo D. loquens ait: *Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur.* Christus D. à Propheta appellatur lampas; ad quæ verba sic ait Glos. sa: *Lampas græcè, flamma latinè; hac succensi, Apostoli loquebantur variis linguis.* Lyran. ibi: *Ut lampas accendatur ardore charitatis ad alios accendendum, sicut de lampade accensa, accenduntur aliæ.* Christus D. veluti per essentiam lampas lucens: *Erat lux verè, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum;* & erat lampas ardens ad inflammanda aliorum corda; Deus charitas est, & hoc hausit Philippus participativè à suo magistro Iesu, ut esset os lampadis ad illuminandum, ac inflammandum, nam unum sine alio non prodesset. D. Bernard. serm. de S. Ioanne Baptista expendens illud, quod de eo dicitur Ioan. 5. n. 35. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*; sic ait: *Est tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum; ardere, & lucere perfectum.*

Philippus à Christo participative, ut luceat, & ardeat.

Utrunque habuit Philippus, ut luceret, & arderet, nam postquam à Christo vocatus est: *Sequere me*; statim subdit Ioan. 1. n. 45. *Invenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus IESUM*, Lucem, quam Philippus ex voce, ac præsentia Christi accepit in mente, & ardorem in voluntate, totum voluit Nathanaeli suo charissimo communicare, ut notat citat. Abulens. *Mox invento fratri Nathanael per officium oris studuit propitiari.*

376

Pro majori explicatione, expendamus loquendi modum. Philippus ad Nathanael ait: *Invenimus IESUM;* non ait: *Inveni, sed invenimus.* Tantum bonum non sibi soli quærebat, sed omnibus, & ut omnes eum invenirent. Ait anima sancta Cant. 3. n. 2. *Surgam, & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Maximè mirandum, quòd dilectum suum quærat per vicos & plateas; cur non potiùs ipsum quærit in propria domo, vel in horto suo, ad quem aliquando eum invitaverat, vel in lectulo, de quo ipsa dicebat Cant. 3. n. 1. *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea;* sed modò per plateas quærit? Quando illa est in caliginosa nocte, at adhuc in minori perfectione, quærebat in lectulo, in domo: *In lectulo meo per noctes quæsivi;* at verò modò cùm jam multum profecerat & plena erat charitate quærit per vicos, & plateas publicas, quia ibi optabat suum dilectum ut eum omnes haberent, omnes invenirent, & à nullo esset absconditus. Gilbertus Abbas serm. 6. in Cant. ait: *Deliciæ ejus sunt tecum esse dilectum suum; non invidet, non zelatur dilectum suum, omnium vult esse dilectum, ideo apud omnes quærit, ut illum apud omnes aut inveniat, aut invitet:* vide supra cap. 12. q. 31. n. 241. & seqq.

377

Philippus bonum inventum aliis vult cõmunicare.

Hac charitate plenus erat Philippus, & ideo non ait: *Inveni, sed invenimus IESUM.* Maximè optabat, ut omnes invenirent Iesum, & cùm haberent, ipse præ multa charitate maximè sollicitus erat de omnium bono spirituali, ac temporali, de spirituali, & ideo ipse præ omnibus Apostolis rapitur ab Angelo, ad docendum, ac illuminandum Eunuchum Reginæ Candacis, Act. 8. n. 26. & etiam de bono temporali, & ideo in illo celebri miraculo de quinque panibus interrogavit Iesus Philippum: *Undè ememus panes;* & cur potiùs Philippum, quàm alium discipulum interrogat? Card. Tolet. *Quia Philippus inter omnes plus hac sollicitudine præmebatur;* ob suam multam charitatem erga omnes omnium curam agebat de omnium bono sollicitus.

378

Philippus ardet charitate præ cæteris.

Deinde considera quanta prudentia Philippus se habeat cum Nathanael; ait ei: *Quem scripsit Moises in lege, & Prophetæ invenimus IESUM*; proponit ei Scripturas, & Prophetas; Nathanael erat vir doctissimus in Scripturis, ut tradunt D. Aug. D. Cyrill. D. Chrysost. Euth. Theoph. D. Th. inde Scriptura proposita, ac sua inclinatione vult Philippus eum inducere, ac allicere, & ait ei: *Veni, & vide*; quia lucem, gratiam, ac cœlestia dona, quæ ex verbis, ac præsentia Christi accepit non valet dicere, nec explicare; & intendit Nathanaelem adducere ad Christum ut similium particeps fiat, & fideliter credat. D. Chrysost. ho. 10. in Ioan. *Si videns solummodo dicit, si sermonem cum eo conferas facillimè mihi assenties.* Ad Christi præsentiam vult eum adducere, ut ab eo illuminetur, ut assentiat & credat; sciebat valde difficile esse virum doctum, & magistrum reducere, & emendare, quod à sola Dei manu venire

379

Philippus prudentia nitet.

potest:

potest: vide quæ dixi to.2. in Evang. c.11. q. 7. n.53. 54. & to.4. c.1. q.11. n.59.

Philippus primus prædicat sanctissimum JESUS nomen.

380 Ait Philippus intimo amico, seu fratri, ut aliqui volunt: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ invenimus JESUM*, Joan.1. nu.45. Angelus prædixit hoc sanctissimum nomen, JESUS, Virgini Mariæ, ac Joseph: *Vocabis nomen ejus JESUM*, Luc.1. n.31. Matth. 1. n.21. in Circumcisione Virgo Maria, & Joseph imposuerunt ei nomen, JESUS, sicut prædictum fuerat ab Angelo Luc.2.n.21. at hoc sanctissimum nomen inter homines prædicare evulgare, ac manifestare primus est Philippus in toto Evangelio, nam Joannes Baptista Christum vocat Agnum Dei: *Ecce Agnus Dei*, Joan.1. n.36. Andreas eum dicit Messiam fratri suo Simoni Petro: *Invenimus Messiam*, Joan.1. nu.45. at JESUM prædicare, ac pronuntiare inter homines, primus invenitur Philippus: *Invenimus JESUM*; & quæ major gloria, majorque excellentia de illo decantari potest? *Credidit, & secutus, aliis factus est prædicator*, ut ait Chrysost. supra citatus.

Philippus primus inter homines prædicat JESUS, nomen.

381 Maximè celebratur in Scriptura, ac multis encomiis à sanctis Patribus sublimatur Enos, de quo dicitur Gen.4. n.26. *Ille cœpit invocare nomen Domini*. Alii legunt; *Speravit invocari nomine Domini*; quod explicans Eusebius apud Lippon. ait: *Speravit invocari nomine Domini, hoc est Deus dici & filius Dei*; & undè ad tantum apicem elevatus est Enos ut speraret quòd Deus, id est filius Dei diceretur? Ubi nostra Vulgata habet: *Cœpit invocare nomen Domini*; aliqui apud Bibliam Maxim. legunt: *Cœpit prædicare nomen Domini*; & qui incipit intonare, ac prædicare nomen Domini, in tantùm extollitur, ac sublimatur, ut Deus, ac Filius Dei dicatur.

Magna celsitudo illius nomen Dei primus prædicavit.

382 Cùm circumciditur IESUS, ait Luc.2. nu. 21. *Et vocatus est nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur*. Valde diligenter notat Evangelista, hoc sanctum nomen IESUS, priùs fuisse dictum, ac pronunciatum ab Angelo, quia tantum nomen primò intonare, dicere, ac in Mundum inferre, non humanæ, sed sublimioris naturæ erat, ut ponderat Origenes, homil. 14. in Lucam, & ait: *Vocabulum JESU glorioſum, omni adoratu, cultuque dignum, non debuit à parentibus, aut ab alio homine appellari, neque ab eis afferri in Mundum, sed ab excellentiori quadam, majorique natura*. Si tantum nomen primò dicere, ac in Mundum inferre, non fuit hominis, sed excellentioris, majorisque naturæ, inde liceat inferre, quod tantum nomen, primò prædicare, ac in Mundo vulgare, non est hominis, sed excellentioris, majorisque conditionis, ad quam Dei gratia sublevatus est Philippus.

Non homuis sed Angeli fuit nomen Dei primo in Mundo dicere.

Philippus excelsi, & magni animi.

383 Philippus magno animo, etsi adhuc imperfecto, & imposito Christum alloquitur dicens: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis*, Ioan.14. nu.8. tamen eum Christus reprehendit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me*, &c. de quo infra. Inter has Philippi ignorantias, generositas animi Philippi relucet; pro quo audiendus est D. Bernard. ser.32. in Cant. & ait: *Regiæ majestatis schema apparere existimo his, qui accedentes ad cor alium de majori spiritus libertate, & puritate confident, & magnanimiores facti consueverunt audire majora. Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo: Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Talis Philippus, qui sibi, & suis condiscipulis Patrem flagitabat ostendi. Talis, & Thomas, qui nisi fua manu tangere vulnus, & fossum latus, credere recusabat. &c. Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt, & quæ audent, obtinent*; & paulo infra postquam astruit Moysem aspicere Deum consuetum fuisse, subdit: *Philippo quoque secundum petitionem cordis sui, ostensus est Pater in filio, in eo procul dubio, quod incontinenti audivit: Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, & quia ego in Patre, & Pater in me est*; juxta ergo mentem Sancti Doctoris, Philippus ex generositate animi, ac ferventi amore proficiendi in fide, ac cognitione supernaturalium rerum, desiderabat Patrem æternum videre, quod Christus illi concessit, non ut Patrem tunc clarè videat, sed dum illi explicat identitatem suæ naturæ cum Patre, sicque ex magnitudine sui cordis promeruit, ut magno profectu alta, & sublimis theologia à divino magistro, sibi, ac condiscipulis suis explicaretur, inde ait D. Cyrill. Alex. lib.9. in Ioan. c.36. *Laudandus est ergo Philippus, qui visionem Patris, cæteris rebus antepositi*: vide supr. q.26. n.301.

Generositas animi Philippi circa visionem Patris.

Maximè laudandus Philippus, qui Dei Patris visionem exoptabat. Dicebat Moyses ad Dominum: *Ostende mihi faciem tuam*, Exod.33. n.13. cui respondit Dominus; *Ego ostendam tibi omne bonum*, n. 19. Dum anima sancta suum dilectum quæreret, ad custodes civitatis dicebat Cant.3. n.3. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* solùm cupit agnoscere an viderint, cur non etiam, an aliquid audierint de eo? vel an forsitan per illum locum transierit, vel forsitan, an sciant, ubi cubat, ubi pascat, ut ipsa alibi fuerat sollicita: *Indica mihi, ubi cubas*; vel cur etiam non interrogat, an fortè sciant, ad quem locum declinaverit? vel ubi habitat, ut olim ab eo quæsivit Andreas? *Magister ubi habitas?* Ioan.1. n.38. sed tantùm est sollicita de eo, an ipsum viderint: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* Ardenti desiderio ad ejus visionem ferebatur sponsa, & nihil aliud cogitabat, nisi ut ipsum videret, ideo nihil curat de loco, in quo cubat, vel pascitur, nec de habitaculo, in quo habitat, sed tantùm de ejus visione scisitatur, ac de ea inquirit, quia eam tantùm cogitabat, hanc tantùm habebat in mente: *Num quem diligit anima mea, vidistis?* pro certo habens, quod si ipsi vidissent suum dilectum, inde fieret, ut etiam ipsa eum videret. Gilbertus Abb. ser.6. in Cant. ait: *De visione illorum se visuram præsumit, ideo diligenter investigat custodum visionem, eorum sperans alloquio, dulcioribus affici*. 384

Dei visio super omnia bona appetenda.

Secundò ostendit Philippus generositatem sui animi, quia dum Christus Dominus ageret de sedibus, ac mansionibus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Ioan. 14. n.2. tunc respondet Philippus: *Domine ostende nobis Patrem*; non quærit Philippus, nec sollicitum se ostendit de mansionibus, sed tantùm de videndo, & agnoscendo Patrem, ut ejus voluntatem videns, illam adimpleat, & exequatur, nullis labori parcens, ut inde valeat multum promereri. Ezechieli admirabili visione, objicitur Dei currus, qui à quatuor animalibus ferebatur, simul cum rotis, alta dispositione ordinatis, de eisque dicitur: *Spiritus vitæ erat in rotis*, cap.1. n.20. & cur spiritus vitæ potiùs est in rotis, quàm in animalibus, de quibus magis consentaneè videbatur dicendum? nam ad cursum animalium moventur rotæ; undè ergo tanta sublimitas in rotis? *Spiritus vitæ erat in rotis*. Attende; in animalibus dabatur distinctio locorum, unus primus scilicet, alter secundus, & tertius, & quartus, at in rotis nulla erat locorum differentia, sed tantùm meritorum ratio, nam pars, quæ erat in superiori, statim ad inferius devolvebatur, & quæ erat in inferiori, ad superiora ferebatur, cum in gyrum, ad nutum divinæ voluntatis circumageretur, in quo stat tota meritorum ratio; & qui non attendit ad locorum dignitatem, sed ad famulatum, ac obsequium divini beneplaciti, in tantum extollitur, & sublimatur, ut de illo insigniter dicatur: *Spiritus vitæ erat in rotis*. 385

Magnus solum attendit meritū, non locorū dignitatem ut Philippus.

Inde Petrus inscientis nota calculatur, quod in vertice Thaboris positus, inter resplendentes Christi glorias, ait: *Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, Eliæ unum*, Matth.17. n.4. Solùm attendebat ad mansiones, & loca, non verò ad merita, quibus descendens illustrandus erat, etsi in hoc parui animi fuit Petrus, generositatis suæ specimen dedit Philippus, dum Patrem videre desiderat: *Laudandus ergo est Philippus, qui visionem Patris cæteris rebus antepositi*; ut illius nutum, & beneplacitum sequeretur. 386

Eum reprehendit Christus: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me; Philippe qui videt me, videt* 387

& Patrem

& Patrem meum, permissum est, ut Philippus ignoraret, ut Christus doceret sublimem, & altam doctrinam mysterii Trinitatis; sic & Petrus, cum vult Christo mortem Crucis impedire, ei dicitur à Domino: *Vade post me Satana*, Matth.16. nu.32. cum Jacobus, & Joannes primas cathedras petunt, ait eis Dominus: *Nescitis quid petatis*, Matth. 20. nu. 22. Dum & discipuli interrogant, *quis sit major in regno cœlorum*, Christus humilitate objecta, eorum contentionem reprimit: *Qui se humiliaverit, sicut parvulus iste, hic erit major in regno cœlorum*, Matth. 18. nu. 4. undè rectè ait D. Hieronymus: *Interrogatio discipulorum, facta est ratio insinuandæ veritatis*; & ita ostendit Christus divitias sui amoris ad mortem, suam justitiam in distribuendis donis, suamque providentiam in cunctis disponendis; sic, & cum Philippus dicit: *Ostende nobis Patrem*; Christus explanat altissimam theologiam identitatis numericæ suæ naturæ cum Patre: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*; quæ doctrina maximè utilis fuit ipsi Philippo, cæteris, ac nobis: hoc habent ignorantiæ, ac errores sanctorum, ut nobis proficiant, ut infra dicam, cum de D.Tho. fuerit sermo.

Errores Sanctorum nobis profuerunt.

Philippus inclitus, & excelsus suo martyrio.

388 Ut tradit Eusеb. lib.2. Histor. c.2. ad annum Christi 54. n 3. Philippus quintus ordine Asiam superiorem Evangelio traditur excoluisse, demum Hyeropoli, annos natus septuaginta septem, flagellatus, crucifixus, ac lapidibus obrutus est; varia tormentorum genera enumerat Paulus, quæ per justos, ac sanctos distributa sunt: *Alii verò ludibria, & verbera experti sunt, insuper, & vincula, & carceres, lapidati sunt, sectisunt*; &c. quæ omnia tormenta Philippus sibi comparavit, ut per carceres, vincula, flagella, lapides, ac Crucem sibi faceret scalam ad videndum Patrem, quem optaverat, & desideraverat; & si olim ex ignorantia absque passione desideravit tanto bono frui, nunc ad illud obtinendum multis meritis coronatus ascendit.

Martyrium Philippi.

389 Voluerunt judæi Christum lapidare, JESUS eorum furorem declinans, abscondit se: *Tulerunt lapides ut jacerent in eum, JESUS autem abscondit se, & exivit de templo*, Joan.8. n.58. Valde mirum, quod JESUS, qui ardentissimè sitiebat mortem, oblatam per lapides fugiat, & declinet! Alb.Magn. *Fugit lapides, qui properabat ad mortem Crucis*; ex alto consilio Christus lapides rejecit, ac expulit à se, quia mortem Crucis elegerat, Philippum tamen suæ Crucis participem facit, & lapides, quos Dominus recusavit, Philippo reservavit, ut simul Cruci affixus, ac lapidatus vitam daret.

Mors Crucis, & lapidum reservata est Philippo.

390 Ait Zacharias Propheta 9. n.16. *Salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, quia lapides sancti elevabuntur super terram: Lapides sancti*, legit Vatabl. *lapides coronæ*, vel diadematis. D. Hieron. Theodoret. Remig. dicunt fieri hic allusionem, quando lapis prægrandis lignea machina erigitur ad magnum, & altum ædificium ab artifice. Voluit supremus artifex CHRISTUS JESUS ad salutem multorum, hunc lapidem magnum, & grandem Philippi ad supremum ædificium cœlestis Jerusalem erigere, apposuit ligneam machinam Crucis, ut per eam hic lapis sanctus, corona, ac diademate, Philippus scilicet sublevetur ad gloriam. De justo, ac sancto decantat reg. Vat. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*; at corona in capite nostri Apostoli non est de laide uno pretioso, sed de multiplicibus, ac variis lapidibus composita, & fabricata.

Philippus per lapidem erigitur.

391 Ad altum examen voco: Cur noster Apostolus Cruci affixus, ac lapidibus oppressus moritur? cur non potiùs gladio, ut Jacobus Apostolus, vel igne consumptus, ut multi sancti, vel excoriatus, ut Bartholomæus, sed lapidibus, & Cruce dat animam? Crux Christi vexillum: *Tunc apparebit signum filii hominis*, Matth.24. lapis Christi figura: *Petra autem erat Christus*; & ita noster Apostolus totus erat transfixus, & transformatus in Christum, ut nec etiam dolores, tormenta veller, nisi in quibus haberet Christum, eique in omnibus Christus repræsentaretur.

Mittitur Jonas in mare, & Dei providentia servatur, ut in civitatem Ninive accedat, & ad hoc præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam: *Et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus*, c.2. n.1. ad quid ad liberationem Jonæ tam extraordinarius modus disponitur, ac ordinatur, cur non conceditur ei virtus, ut ambulet super aquas, ut Petro datum est? vel, cur non asportatur ab Angelo, ut factum est cum Habacuc, sed piscis eum deglutit, & tribus diebus, & tribus noctibus in utero portat? & ut etiam ipse subdit n.6. *Pelagus operuit caput meum*; seu, ut ex hebræo legitur: *Juncus operuit caput meum*. Jonas in utero bestiæ præfigurabat Christum mortuum, & sepultum: *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ*, Matth.22. n.40. Juncus marinus, seu spinus operiens caput ejus, coronam Christi spineam denotabat, & Propheta sic erat totus unitus, ac transformatus in Christi mortem, ac passionem, ut nullas alias tribulationes, pressuras, ac labores pateretur, nisi in quibus Christus passus, sepultus, ac spinis coronatus adumbrabatur. Eucherius Lugdunensis, ut vult Baronius ad Martyrologium Roman. die 16. Novemb. ait: *Jonas iram Dei fugiens, in multas tribulationes devenit, mortis Christi figuram portans*.

392 Cur Philippus moriatur Cruce, & lapidibus.

Philippus maximè unitus, & transformatus in Christi Passionem.

Dum Philippus Apostolus Cruci affixus penderet, dicebat: Domine dimitte illius, quia nesciunt, quid faciunt; quam orationem didicerat à suo sanctissimo magistro, ac meo JESU, qui crucifixus clamabat: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quod faciunt*; & iterum: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; & hæc dicens expiravit. Videns autem Centurio, quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens, verè hic homo justus erat*, Luc.23. n.46. Marcus verò addit, c.15. nu.39. *Videns autem Centurio, qui ex adversò stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat*; & undè cognovit Centurio, quod Christus verè Filius Dei erat? Viderat, quod Christus tot tormenta, flagella, & opprobria sustinebat à suis inimicis, & tamen pro eis orabat ad Patrem, inde rectè intulit, quod talis inimicorum exhortator, non homo tantùm, sed Filius Dei erat; cum ergo Philippus è Cruce pendens, pro inimicis deprecatur, veluti quandam imaginem Filii Dei adumbrat, & repræsentat: de hac re vide multa to.1.verb.Amor inimicorum.

393 Rogare pro inimicis est Filii Dei.

QUÆSTIO XXIX.

Quare S. Bartholomæus Apostolus in Sardio lapide effigiatur.

394 Ait textus: *Sextum*, scilicet fundamentum, *Sardius*; vel Sardinus. Is est, quem Plin. & Solonius, & alii Sardam vocant. Olim erat in majori pretio, ac æstimatione, quàm nunc, & ideo in Rationali Sacerdotis in primo loco positus est, Exod. 28. n. 17. in eoque inscriptus erat, Ruben. Et quia in Sardinia frequenter invenitur, inde nomen habet, & Sardius dictus est, ut notat Anselm. Boetius lib.2. de gemmis, c.8. Plinius tamen lib.37. cap.7. & Anastasius, Nyssenus, q.38. ex D. Chrysost. dicunt, quod Sardius nascatur in India, & aliis partibus, dicitur tamen tali nomine, vel quia à Sardinis fuit inventus, vel saltem à Sarda pisce, cujus colorem refert.

395 Color Sardii.

Color verò illius est carneus, vel rubeus. Bartholomæus Anglicus lib. 16. de proprietatibus gemmarum, c.89. ait, quod Sardius in hebræo idem est, ac *Odem*, diciturque à verbo *Adam*, quod significat rubrum. Arias Montanus putat nomen deduci à sanguine, cujus colorem refert, esseque eundem cum nostro *Rubino*, quod probat ex radice Chaldaica. Abulensis ad citatum locum Exodi ex D.Isidoro, lib. ibi. Etymologiar. cap.8. Bartholomæus Anglicus citat. & non dissentit Plin. lib.37. c.7. dicunt, hunc lapidem igneam habere speciem.

396 Proprietates Sardii.

De proprietatibus hujus lapidis ait Aret. quod feris terrorem incutit; secundò D.Epiphan. tr.12. de gemmis, quod vulneribus ferro inflictis, & tumoribus medetur; tertiò Anselm.Boet. lib. 2. de gemmis, c.8. & Abulensis citat. dicunt, quod gaudium accendit, tristitiam expellit; quarto, præter dicta, ait Alb. Magn.

hunc

hunc lapidem gestanti audaciam præstare, eumque à veneficiis, & fascinationibus tueri.

397 Sardius, ut docent D. Isidor. Gregor. Venetus, Cardinalis Petrus Damianus, repræsentat D. Bartholomæum Apostolum, qui Sardii fortitus est speciem, cum excoriatus fuerit pro Christo, tunc enim tota ejus caro rubra apparuit, indeque feris, id est, dæmonibus terribilis extitit.

Sardius D. Bartholomæum præfiguravit.

S. Bartholomæus ex regio sanguine.

398 Breviarium Romanum dicit, eum fuisse Galilæum; Metaphrastes, & Surius die 25. Augusti, eum dicunt pauperem, & humilem piscatorem, tamen, cum multi graves authores teneant, eum ex regali progenie exortum, fieri poterat, ut inde in paupertatem devenisset, ut sanctus Joseph Virgin. Sponsus ex regio Davidis stipite fabrilem artem exercebat. Tamen Sabellicus lib. 2. c. 1. Maurillus lib. 2. c. 12. dicunt ex patre Rege natum, & ob Christi amorem regiam dignitatem, ac divitias contempsisse, & simul pauperem vitam cum piscatoribus elegisse. Pelbertus ser. 2. de S. Bartholomæo qu. 56. inter Æstivales, eum facit filium Ptolemæi Regis Ægyptiorum, ac proinde ex illustrissima progenie natum.

Bartholomæus ex regali sanguine.

399 Ex quo maximè auspicatur excellentia hujus magni Apostoli, nam virtus ubique fulget, ac maximè in nobilitate resplendet; pro quo pulchrè, ac eleganter D. Bernar. miratus virginem nobilem in via mandatorum diligenter currere, ait ep. 113. *Mulierem fortem quis inveniet? multò magis fortem, & nobilem? minimè quidem Deus est acceptor personarum: nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet;* perpende ultima verba. *Nescio tamen quo pacto virtus in nobili plus placet.*

Virtus in nobili multùm placet.

400 Multum celebrat sacra Scriptura ob virtutes, ut latè ponderant Sancti Patres, atque de illo cap. 1. n. 1. *Vir erat in terra Hus, nomine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo;* & subditur num. 3. *Et erat vir ille magnus inter omnes Orientales*; quæ verba sic leguntur apud Origenem: *Fuit autem hic homo de genere optimo ex partibus Orientis;* nempe ex Abrahamo per Esau, ut ipse Origenes tenet; & cur inter præclaras virtutes Jobi, quæ tanquam in compendio referuntur, dicitur, quod erat vir? Quia verè vir fortis, & robusto animo fuit, & ideo triplici ter dicitur vir; *in terra Hus*, habitatione iniquorum, ut rosa inter spinas; & quod erat, *simplex* sine dolo; *rectus* in suis operationibus, *ac timens Deum*, in quo clauditur summa perfectio omnium virtutum, ac maximè *à malo recedens*. Ad quod insuper additur, *quod erat ex genere optimo*, quia ipsa virtus ex illustri genere maximè illustratur: *Nescio tamen, quo pacto virtus in nobili plus placet.*

Virtus in nobili plus placet.

401 Ad Christum Dominum in incunabulis veniunt pastores festinantes, & offerentes munera sua, veniunt, & Magi ab Oriente, una stella duce, ut prophetavit Isaias 60. num. 3. *Et ambulabunt, gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*; cur solùm de adoratione Magorum fit mentio, & non de adoratione pastorum? nam si Magi venerunt in luce unius stellæ: *Vidimus stellam ejus in oriente*, Matth. 2. pastores etiam in præstantissima luce: *Et claritas Dei circumfulsit illos*, Luc. 2. cur ergo de Magis, & non de pastoribus fit mentio? Pastores rudis plebecula, & ignobiles judæorum, at Magi principes, ac Reges, & inde Deum sibi maximè devotum, ac benignum fecerunt, maximèque nobilium obsequium placet, in illoque delectatur Deus. Huc advoco Tertull. supra à me datum, lib. de idololatria, & ait: *Primi stellarum interpretes Christum annuntiaverunt, primi muneraverunt; hoc nomine, Christum, opinor, sibi obligaverunt.* Inde Christum maximè devotum, ac propitium fecerunt, hoc nomine nempe, quia stellarum interpretes proceres, ac nobilissimi ex gentibus: *Hoc nomine Christum, opinor, sibi obligaverunt.*

Cultus à Regis Deo sibi devoto factus.

402 Tabernaculum Dei collocatum est in urbe Silo; tabernaculum illud valde celebre, quod ad colendum Deum in deserto factum, Exod. 26. à nu. 10. & quod per desertum portabatur à Levitis, Num. 1. num. 50. postquam tamen ventum est in terram promissionis, in urbe Silo collocatum fuit; Josue 18. n. 1. *Congregati sunt filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum testimonii.* Inde verò quæstio est apud interpretes, cur potiùs in Silo, quàm in aliis urbibus collocatum fuerit? Silo erat civitas de sorte Ephraim, ex qua tribu erat Josue, princeps, ductor, ac gubernator totius populi, inde alta Dei ordinatione dispositum fuit, ut in illa urbe reponeretur, ut maximè, à principe, ac gubernatore divinus cultus impenderetur. Cajetan. ibi ait: *Par fuit, ut in sorte Principis locaretur divinus cultus*; quamvis enim divinus cultus ex se magnus, & excelsus sit, tamen, dum à Principe exhibetur, illustrissimè conspicuus fit.

Deus gaudet veneratione à principibus, & Regibus.

Divus Bartholomæus Magnus nomine.

403 D. Hieronymus in cap. 3. Marci, ait: *Bartholomæus, qui filius est suspendentis, aquas; & quis est filius suspendentis aquas, nisi qui dixit: Et mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem?* Cardinalis Petrus Damianus serm. 2. de sancto Bartholomæo, aliàs serm. 42. & ait: *Bartholomæus (quod utique nomen Syrum est, non hebræum) interpretatur filius suspendentis aquas, filius utique Dei;* deinde subdit: *D. Bartholomæus insignis est, & conspicuus, qui quodam præsagio futurorum hujus mystici vocabuli titulo cernitur insignitus, nam cum dicitur filius suspendentis aquas, dicitur proculdubio filius Dei, non quidem naturalis generationis origine, sed propensionis gratiæ dignitate: erat quidem verè Dei templum, cœlestis gratiæ sanctuarium, arca fœderis, tabernaculum testimonii.*

Bartholomæus quid significet.

404 Bartholomæus juxta sui nominis interpretationem, id est, *filius suspendentis aquas*. Per aquas frequenter intelliguntur in Scriptura labores, tribulationes, oppressiones, ac alia innumera mala. Psal. 65. nu. 12. *Transivimus per ignem & aquam*; Psal. 68. n. 2. *Intraverunt aquæ usque ad animam meam*; & n. 16. *Non me demergat tempestas aquæ*; Psalm. 87. n. 18. *Circumdederunt me sicut aqua*; & multis aliis in locis. D. Bartholomæus filius suspendentis aquas, labores nempe, calamitates, & oppressiones. Ipse innumeros defunctos à vinculis mortis absolvit, innumerabiles morbos sanavit, cæcos, claudos, debiles ad integram sanitatem restituit, igneos globos repressit, tempestates sedavit, sævientes bestias, ac dracones fugavit; filius verè suspendentis malorum, ac tribulationum aquas, ita ut de nostro Apostolo possimus dicere illud, quod de Deo decantat reg. Vat. Ps. 17. nu. 17. *Assumpsit me de aquis multis*; ipse nos assumpsit, liberavit à multis tribulationibus, ac laboribus, inde meritò nomen ejus est filius suspendentis aquas, seu labores, & oppressiones.

Bartholomæus suspendit omnes labores & persecutiones.

405 Varia sunt Angelorum nomina, quidam dicuntur Seraphini, Isaiæ 6. n. 2. quidam Cherubini, Psalm. 98. num. 1. sed & Dei præstantes quidam Dominationes, Principatus, & Potestates, Paulo teste ad Colossenses 1. num. 16. & tandem reliqui Angeli humanæ salutis administratorii. Zachar. num. 12. Thessalonicens. 1. cap. 4. num. 16. undè illis tam diversa nomina? Ratione nempe officii, ad quod sunt destinati; quidam præstant Dei amore, quidam scientia, quidam virtute imperandi, ac ordinandi; quidam, ut ministri executores. Origenes hom. 23. in Josue, ait: *Certum est, quod unusquisque Angelorum, vel hominum, ex eis, quæ illis injunguntur officiis, & actibus nomina sortiuntur.*

A muneres, ac officio nomen datur.

406 Cum filia Pharaonis à fluvio puerum eduxisset, *vocavit nomen ejus Moyses, dicens, quia de aqua tuli eum*, Exod. 2. n. 10. Deinde semper, & à periculo liberatus Moyses dicitur, id est, extractus aquis, seu aquarum victor, & tunc ipsum nomen erit vacuum, & nihil significabit? Absit quod tam illustris viri nomen sit inane, & vacuum, & nil amplius suo significato importabit, sed magnum, & gloriosam victoriam denotabit, ab aquis dum mare rubrum divisit, aquasque illius separavit, ut populum Israeliticum liberans à tyrannide Ægyptiorum, iter liberum ei præberet in terram promissionis. D. Aug. ser. 79. de tempore, ait: *A fructibus denique ejus lingua, Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem, quam præparaverat in*

Moyses à suspensione aquarum habet nomen.

mam Jerusalem devastationem ab hostibus factam fuisse, in qua non reliquerunt lapidem, quod fuit summus dolor habitantium, ait Propheta: *Contritio super contritionem vocata est*; hoc est, dolor super dolorem venit; & quæ tantorum dolorum causa? Subdit Propheta: *Repente vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ*; nam subitò domorum habitacula sunt destructa, ac solo æquata, & etiam pelles, quibus tabernacula operiebantur, ut erat in usu apud Palæstinos. Hac phrasi, ait Sanchez, significat Propheta, quod Jerusalem sic dissipata, ac vastata est, *ut nullum civitatis vestigium maneret*. Cum pelles in nostro Apostolo pereunt, quid tunc? Contritio super contritionem inventa est in eo, seu dolor super dolorem, ita ut hìc dici possit id, quod ait Seneca in Hercule furente: *Finis alterius mali, gradus est futuri*. Cumque pelles pereunt, ac extrahuntur ab eo, nec vestigium, nec umbra figuræ, ac personæ humanæ in eo remanet, & unus dolor super dolorem.

In nostro Apostolo dolor super dolorem.

422 Tamen tantum spectaculum Deus in suo Apostolo permisit ad ostentationem illius puritatis, innocentiæ, & sanctitatis. Gen.3.n.21. *Fecit quoque Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*; & ad quid tales vestes eis composuit? In confusionem nempe suorum peccatorum. D.Chrysost.hom.18. in Genes. ait: *Quia propter transgressionem pœnæ mortis reus erat factus homo primigena, opusque habebat veste, quæ confusionem tegeret, pelliceas fecit vestes*. Ad tegendam confusionem, & ignominiam peccati dantur vestes pelliceæ Adamo; & vestes sunt pelliceæ, quæ ab animalibus mortuis extrahuntur, in signum, ait August. in Ps. 103. Conc.5. mortis, quam per peccatum contraxerant. Bartholomæus excoriatur à pellibus in signum suæ puritatis, & sanctitatis, & quia liber à nexibus mortis transibat in gloriam, totus in Christum Jesum transformatus, juxta illud Pauli ad Colossen.n.9. *Expoliantes veterem hominem, induentes novum, qui renovatur in agnitionem*.

Extrahitur pellis Bartholomæo.

In signum innocentiæ, & puritatis.

Div. Bartholomæus mirabili virtute dæmonem ligat ignitis vinculis.

423 Cum Diabolus sub idolo barbararum gentium lateret, quas multis falsis responsionibus decipiebat, Apostolus divina virtute Diabolum igneis catenis alligatum, publicè, ac patenter in omnium oculis ab idolo eiicit. In Scriptura tantùm legimus hoc datum fuisse Angelis à Deo dæmones vinculis alligare; sic Angelus Raphael, *Apprehendit dæmonium, & religavit illud*, Tobiæ 8.n.3. sic *& Angelus ligavit quatuor dæmones in flumine magno Euphrate*, Apoc.9. nu.24. sic *& Angelus apprehendit draconem serpentem antiquum, & ligavit per mille annos*, Apocal.20. nu.2. & cum ligare dæmonem datum sit Angelis à Deo, hoc etiam concessum vidimus nostro Apostolo, quia ipse virtute, puritate, ac sanctitate veluti Angelus erat.

Bartholomæus dum ligat Diabolum, Angelus fit.

424 Et cum Diabolus sit spiritus, non alligatur vinculis, vel catenis corporeis, sed Dei virtute, ne se moveat ab illo loco, quod variis modis fieri potest, ut dixi tom.1. in Apocal.c.9.q.18.n.172.173. tamen Diabolus exteriùs divina virtute apparet alligatus ad majorem gloriam Dei, confirmationem fidei, sublimitatem, ac decorem Apostoli. Refert D.Lucas 4. n.41. *Exibant dæmonia à multis clamantia, & dicentia: Quia tu es filius Dei; & increpans non sinebat ea loqui*; si Christus præcipit tacere, ad quid permittuntur dæmones clamare? Christus ob suam modestiam, ac humilitatem obmutescere imperat, tamen alto consilio æterni parentis clamant. Ait D.August.in epist. 1. Joan. *ut id, quod divina virtus interiùs operabatur, exteriùs manifestaretur*. Apparet dæmon catenis alligatus, ut id, quod virtus Apostoli interiùs operabatur, exteriùs manifestaretur.

Quomodo Diabolus alligatur.

Id quod fit intus, manifestatur extrinsecus.

425 Postquam Christus Dominus ejecit Dæmonium ab homine cæco, & muto, admiratæ sunt turbæ; ait eis Christus D. Luc.11. n.21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet*. Cum hoc loco conjungit D.August. lib.20. de civit.c.7. & 8. illud Apocalyps.20.n.1. *Vidi Angelum habentem catenam magnam in manu sua, & apprehendit draconem, serpentem antiquum & ligavit eum*. Juxta communem sensum Patrum, quos citavi to.3. in Evang. c.9. fortis armatus est Diabolus, qui fortiter, ac tyrannicè dominabatur in Mundo, quem per atrium intelligit; venit fortior ipso in Mundum, Christus D. ita ut vicerit, & ligaverit eum, quia, ut ait Tolet. ibi, annot.54. *Nemo potest ingredi domum fortis, nisi priùs alligaverit eum*. Christus veniens in Mundum: *Nunc princeps hujus Mundi eiicietur foras*, Jo.14. ipsumque Christus alligavit, confringendo, & coercendo ejus vires, ne noceat prout vult, armaque ejus, nempe peccata abstulit, ipsa nempe peccata extinguendo, diminuendo: *Et Spolia ejus distribuet*. Auferens animas, quas captivas sub peccatis tenebat, eas distribuens per varias cœlestes mansiones juxta sua merita. Ad similitudinem sui magistri Bartholomæus Apostolus veniens ad citeriores Indos, in quibus Diabolus tanquam fortis regnabat, eum alligavit, non solùm interiùs, sed etiam exteriùs, spoliaque duodecim civitatum auferens, quas ad fidem convertit, & ad varias mansiones cœlestes dividens.

Bartholomæus ad imitationem Christi, librat cibolum & spolia ejus distribuit.

Diabolus apparet ligatus ab Apostolo catenis igneis, dæmones enim in quocunque loco sint etiam per aera, ibi ab igne tartareo torquentur: *Infernus sequatur eum*, Apocal.6.n.8. ut ibi explicavi, q.19. num.180. Proindeque virtus apostolica fecit, ut ignis, quo interiùs Diabolus cruciabatur, exteriùs appareret; vel quia, cum Diabolus exiret ab illo loco, ne homines perderet, ac tentaret, magnum, & acerbum erat illi tartareum tormentum: vide quæ dixi to.1. in Apocalyp. c.2.q.21.n.476. & c.6.q.33. n.292. 426

Ubicunque sit diabolus, eum ignis torquet.

Tamen in hac re inquiro: Cur inter cæteros Apostolos hæc prærogativa data fuit Bartholomæo, ut dæmonem devinceret, ligaret, ac expelleret? Ipse fuit valde insignis in perpetua, ac assidua oratione: *Centies in die, centies in nocte flexisse genua, dum orationes iteraret, ferunt*; oratio autem efficacissima est ad dæmonem vincendum, ligandum, ac superandum; sic dixit Christus D. suis Apostolis: *Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi per orationem, & jejunium*. Div. Chrysost. hom.3. de Davide, & Saule, ait: *Oratio justi, & furorem mitigat, & hostes deiicit, cum impios quaque spiritus expellat*. 427

Prærogativa Bartholomæi, Diabolū ligare ob orationē.

Danieli oranti ait Gabriel Angelus: *Ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui exaudita sunt verba tua, & ego veni propter sermones tuos: Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti, & uno diebus*, Daniel.10. n.13. Orabat Daniel pro libertate sui populi; qui erat in captivitate babylonica; tunc Princeps regni Persarum, sive sit bonus, sive malus Angelus, de quo est multa quæstio apud interpretes, totis viribus intendebat, ne Danielis orationes effectum fortirentur; potuit ne Angelus prævalere adversùs orantem Danielem? Absit; cum Daniel ad Deum per orationem confurgeret, adversantibus angelicis potestatibus, superior evasit; sic ait D.Greg.lib.17. moral. cap.8. *Precum quidem tuarum merita exigunt, ut Israeliticus populus à jugo suæ captivitatis exuatur, sed est adhuc, quod in eodem populo, Persarum Dominus purgari debeat, undè ereptionem illius Persarum Princeps mihi jure contradicat; quamvis preces tuæ adjuvent*: de hoc latiùs vide multa, quæ dixi, per quinque tomos in Evangelia, & primum Apocalyps. Verbum *Oratio*. 428

Per orationē vincuntur potestates adversariæ Angelicæ.

QUÆSTIO XXX.

Quare Divus Matthæus Apostolus in Chrysolitho lapide significatur.

SEptimum fundamentum cœlestis civitatis est Chrysolitus, gemma pretiosa, & erat in quarto ordine in rationali summi Sacerdotis, Exod.28. n.20. aureoque colore translucet, ut docent Plinius lib.37. c.9. D.Isidorus, lib.15. Etymolog. c.15. Anast. Nyssen.q.38. & ad locum Exodi Arias Montan. Oleaster, 429

Chrysolithus cælum fit coloris.

ster, Sâ, & alii hìc. Alcazar annot. 22. contendit Chrysolitum non alium referre colorem, nisi aureum; at auctores citati cum Anselmo Boetio de gemmis c. 66. tenent, quod non tantùm sit aurei coloris, sed etiam marini, inde Chrysolithus hebraicè dicitur *Tharsis*; sive ab illius inventore, sive à loco, ex quo asportatur, sive quia, hebraicè, *Tharsis* idem est, ac mare, undè ubi nostra Vulgata habet, Ezechiel. 1. num. 26. *Quasi visio maris*. Hebr. habet: *Quasi visio Tharsis*; & ita ait D. Isidorus citat. *Chrysolitus auro similis est, cum marini coloris similitudine*; cum nempe mare percutitur radiis solaribus.

430 Abulensis ad citatum locum Exodi tenet, ex Div. Isidoro hanc gemmam nocte igneam, die auream lucem emittere. At D. Isidor. de Chrysopraso, & non de Chrysolito loquitur, ut legenti patebit. Notat etiam Ruzus lib. 1. de gemmis cap. 7. excellentissimos Chrysolithos esse ex India, nam ex Arabia sunt inferioris, ac deterioris conditionis.

431 Illius proprietates multas referunt Ruzus lib. de gemmis c. 7. & ex eo Anselmus. Boet. c. 66. ait, Chrysolitum valere contra asthma, & pectoris angustias, & contra pusillanimitatem, & contra angorem, ac tristitiam animi, timoresque nocturnos. In ore si habeatur, fitim extinguit. Addunt Abulensis citato loco Exod. 28. n. 20. & Mardobæus Gallus, lib. de lapidibus, valere etiam contra Dæmones, quia scilicet habet vim contra melancholiam, per quam operari, & tentare homines solent Dæmones.

432 In hoc lapide juxta Joachimum, D. Isidorum, Gregorium Venetum, significatur Matthæus Apostolus, qui est septimus in ordine apostolico, & quia hæc gemma nascitur in Æthiopia, in qua prædicavit D. Matthæus, qui maximè fulget sapientia in suo Evangelio, & per suam cœlestem doctrinam liberat à timore nocturno dæmonum.

D. Matth. denotatur in hac gemma.

Matthæus magnus, & mirabilis in nomine suo scripto.

433 De hoc magno Apostolo multa dixi to. 2. in Evang. c. 27. per tot. nunc breviter: Matth. si nominis etymologiam attendamus, hebraicè interpretatur, *Donatum*. Secundum D. Isidor. & Oecumenium. *Mandatum etiam Altissimi*. Secundum Anastas. & Antioch. duplex erat illi nomen commune, & valde notum, Matthæus; antiquum verò, quod jam in oblivionem abierat, Levi; erat enim ipse ex tribu Levi, ut patet ex Marc. 2. n. 14. *Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium*, &c. Luc. 5. nu. 17. *Et post hæc exiit*, scilicet Jesus, *vidit publicanum, nomine Levi, sedentem ad telonium*. Ecce unum nomen, alterum verò ipsemet Matth. de se scribit c. 9. n. 9. *Et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*.

Significatio nominis Matthæi.

434 Ad quod primò respondet juxta D. Hieron. Abul. in c. 9. Matth. q. 35. & ait: *Dicendum quod Matthæus, ex humilitate hoc fecit, alii autem ex urbanitate; primum patet, quia Matthæus ex humilitate non vult abscondere ignominiam suam, erat enim publicanus, & quando scripsit hoc, cognoscebatur sub hoc nomine, Matthæus, & ita de cætero à toto sæculo cognoscendus erat; illud autem nomen Levi abierat in desuetudinem: si ergo sub hoc nomine Levi de se loqueretur, cum sic à raris agnosceretur, videretur occultare ignominiam suam*. Et si alii Evangelistæ ex urbanitate, ac decore quodam erga ipsum commune, & valde notum Matthæi nomen tacent, ipse tamen ex humilitate proprium, & commune nomen exprimit, ut ab omnibus tanquam magnus, & crimmosus peccator agnoscatur.

Eximia humilitas Matthæi.

435 Aliter respondet Victor Antiochen. in c. 2. Marci: *Et quidem B. Marcus, & Lucas, nomen, quod illi familiare erat primæva appellatione obnubunt, ipse verò Levi dum Evangelii historiam contexit, palam, quæ ad se pertinebant, denuntiat, ait enim: Cum transiret Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*; & subdit: *Quò enim medici artem impensius admireris, suum ipse vulnus aperit*. Post sanatum paralyticum, ad alium graviori morbo infirmum sanandum accedit Christus, & ut excellentem artem medici agnoscas, se publicanum peccatorem introducit Matthæus, ut *medici artem impensius admirerit*. Uno verbo Christus de teloniario fecit Apostolum, pe publicano Evangelistam, de ardenti divitiatum appetitu, illarum contemptorem.

Divina bonitas maximè relucet in eò, quòd unus Matthæi.

Et quod majus miraculum, & quod majus opus, quàm talis mutatio dexteræ excelsi? *Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes: Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum*, Matth. 2. n. 2. duo magna Dei facinora hìc apparent, quod nova stella irradiet in cœlo, fiatque dux hominum, & quod Magi veniant ad Christum; quodnam majus Dei opus? an quod stella per cœlum, an quod Magus per terram veniat ad Christum per terram? In hac quæstione audiendus est Chrysologus ser. 156. & ait: *Plus cœleste de Magis, quàm de stella, signum est; quod Judæa Regem, quod legis auctorem Magus scit*. Majus sanè miraculum, quod Magi, de tenebris gentium ad Christum, de regali opulentia ad stabuli paupertatem, de superstitione gentilitatis ad fidei sinceritatem traherentur, quàm quod nova stella fieret in cœlo, totiusque cœli, terræque natura alterationem pateretur. 436

Matth. ex vi doloris prius in se videt peccatum, quàm seipsum.

Deinde profundè ordinem verborum considera; ait textus: *Cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*. O profundum humilitatis ingenium! non solùm in se omittit vocabulum minùs notum, *Levi*, & se prodit communi, & noto nomine Matthæi, sed etiam priùs in se infestum teloniarii nomen, infame, & avarum crimen notat, quàm vulgarissimum Matthæi nomen scribat: non dicit, vidit Matthæum in telonio sedentem, *sed hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*; ac si ita defixa mente esset in sua peccata, ac crimina, ut priùs illa haberet ante oculos, quàm semetipsum, suamque personam. 437

Hoc documentum nobis præbet scriptor canonicus in primo molimine rerum, ait: *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi*, Gen. 1. n. 2. Super faciem abyssi, id est, super ingentem molem aquarum; & antequam præponat abyssum, ac ingentem aquarum multitudinem, priùs præfixit turpe obscuritatis elogium; antequam scribat aquas, illarum tenebras notat, ut rectè ibi advertit Chrysost. *Cum de aquarum opificio nihil dixisset, ait: Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Valde frequens est in Scriptura, quod per aquas intelligantur mundana, & temporalia. Hoc symbolo cunctos informat Moyses, ut in mundialibus priùs intelligamus, ac cognoscamus eorum tenebras, & caliginem, quibus meus obscuratur, & earum substantiam, & naturam, indeque nobis sit vehemens stimulus ad illorum contemptum, si priùs caliginem, qua involvuntur, quàm eorum proprietates consideremus: de hoc nomine Matth. plura dixi citat. c. 27. q. 2. per totam. 438

Ad contemnenda mundialia ante omnia considera illius obscuritatis.

Magna, & miraculosa conversio Matthæi.

De hac miraculosa conversione Matth. latè dixi to. 2. in Evang. cit. c. 27. q. 3. & seqq. Nunc verò aliqua addamus, & à nostro textu incipiamus. *Septimum fundamentum* civitatis sanctæ, *chrysolitus*. Anselm. Boet. citatus in exordio quæstionis ait, quod chrysolitus, cum aureo colore, quo fulget, etiam parum, vel multum nigrescit; inde D. Matth. adumbrat, quia multa nigredo fuit in eo, ante suam conversionem publicanus erat deditus usuris, sed post vocationem totus aureus fuit, ut sic ab eo disceremus, quod quamvis simus nigri per peccata, possumus tamen, media gratia, tanquam aurum apparere. Suffragatur D. Epiphan. hæresi 51. & ait: *Hic itaque Matthæus Evangelium suscipere dignus judicatur, & justissimum hoc erat; opportebat enim à multis peccatis conversum, & à telonio digressum, in exemplum nobis futurum, fateatur, ab eo, qui ob salutem generis humani venit, ac dixit: Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*. 439

D. Matthæi exemplū peccatoribus.

Et notandum, quod conversio Matthæi ponitur 440

inter miracula, post nempe sanatum paralyticum, Matth.9. numero 6. ut ibi notat Abulens. quæst.37. & non solùm inter quæcunque miracula, sed tantùm inter illa, in quibus Christus ait: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*; & ut ex hoc agnoscas, quàm difficile sit peccatorem inveteratum ad viam salutis adducere, & convertere ad pœnitentiam, de quo multa variis in locis dixi.

Peccatore convertere opus divinæ omnipotentiæ.

441 Deinde inter magna miracula dimittuntur peccata, & convertitur Matthæus, ut scias, quod hoc opus est magnum, & peculiare divinæ omnipotentiæ. Ait David Psalm.50. numero 12. *Cor mundum crea in me Deus*; non ait, munda, vel purifica cor meum, sed *crea*; quia juxta sententiam Div. Thomæ, ac communiorem theologorum, solius divinæ, & infinitæ omnipotentiæ est creare, & ex nihilo producere, sic & solius divinæ omnipotentiæ est cor nequitia plenum purificare, ac sanctum facere.

442 Ait Joannes Baptista Matth.3. numero 9. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*; quomodo hæc cohærent cum verbis Christi? Matth.7. numero 17. *Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit*; si mala arbor malos fructus producit, si spinæ vuas non parturiunt, quomodo potest stare, quod lapides filios Abrahæ producant, aut in eos convertantur? nunquid contrariatur Jesus Joanni? Absit; Jesus loquebatur de fructibus, quos natura generat, Joannes verò de illis, qui ab infinita Dei potentia proveniunt, in quibus ex obduratis peccatoribus, renascuntur teneri, & obedientes filii Abrahæ ad obsequium, & voluntatem Dei; ex quo dicebat Tertullianus lib. de anima, cap.10. *Nunquam discordabunt sententiæ sanctæ; non dabit enim arbor mala bonos fructus, si non seratur, & lapides filii Abrahæ fient, si in fidem Abrahæ formentur, & genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, si venena malignitatis expuerint. Hæc erit vis divinæ gratiæ potentior utique natura.* Supra omnem naturam est potentia, quæ obstinatas, ac repugnantes mentes, ad docilem, ac meliorem frugem trahit.

Peccatores convertere opus divinæ, ac infinitæ potentiæ.

443 *Vidit hominem sedentem in telonio.* Rupertus lib.6. in Matth. *Hoc ad gloriam, & honorem filii hominis prædicandum, atque audiendum est, tu Deus, qui vidisti me*; & post pauca subdit: *Sunt oculi, quibus istum vidit, oculi gratiarum, qui juxta Zachariam in uno lapide, & juxta Apocalypsim Joannis, in capite unius agni sunt. Oculi isti nominibus suis nulli sunt, aut debent esse incogniti*; *quæ videlicet nomina sunt spiritus sapientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, scientiæ, & pietatis, & timoris Domini. Istis oculis hunc hominem vidit.* Alludit quidem Rupertus ad Apocalypsim 5. numero 6. *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* His igitur cornibus oculatis, seu oculis cornutis, agnus iste aspexit, & direxit Matthæum, sed quia agnus cornua non habet, quibus feriat, caret enim ferocitate teneritudo novella, iis Matthæum sanavit, & si sauciavit, amoris vulnera fuerunt, quæ dulcedinem, & non dolorem ingerunt, iis luminosis cornibus ventilavit Matthæum, ut de humilitate telonii raptum attolleret ad apostolicum verticem; hisque cornibus ventilavit, & exclusit in Matthæo omnem vitiorum nequitiam, & oculis gratiarum adimplevit cum omnibus cœlestibus donis, qui fœcundissimi oculorum spiritus missi sunt in omnem terram opere, verbis, & scriptis.

D. Agnus ex telonio sublevavit Matthæum ad Apostolatum.

444 Cætera, quæ pertinent ad conversionem hujus magni Apostoli, latè dixi cit. cap.27. nunc tamen moneo omnes peccatores, in quanta obligatione sint erga B. Matthæum, nullus enim est peccator, qui suam salutem quodammodo non debeat adscribere B. Matthæo, tanquam nempe primo pœnitentiæ documento, ac solemnis conversionis exemplari. Ipse est primus peccator conversus in Evangelio, & ut Matthæus pœnitentia factus est, & Christum est securus, *statim peccatores, & publicani venientes discumbebant cum Jesu, ac discipulis ejus*, Matth.10. numero 9. & nisi ipsi essent conversi, & de peccatis compuncti, non admitterentur tam facilè à divino magistro ad mensam. Divus Paschasius ibi, ait: *Non præcereundum quod Matthæus ob id electus sit de telonio, quatenus nemo immanitate scelerum suorum diffideret Domini bonitate attractus, qui de tam imis, & obscœnis quæstibus, videt hunc provectum, & in numero Apostolorum subitò connumeratum. Undè mox in domo ejus, quæ fuerat officina crudelitatis, cellarium fraudis, spelunca iniquitatis, fons emanat pietatis, ut multi publicavi, & peccatores, quasi ad vitam resuscitati, cum Domino participentur! Alioquin si in peccatis permanere decernerent, ei qui sine peccato est, nequaquam convesci auderent*; *imo unius peccatoris conversio, multis exemplum præbuit pœnitentiæ. Mutavit ergo Matthæus negotium, neque amisit, dum in domo, ad quam priùs multos secum propter lucra conduxerat, ad veniam invitat.*

Omnis peccator quo quomodo suis solutè debet Matthæo.

Imo ex hoc egregio facto Matthæi possumus dicere, quòd ipse omnium pœnitentium sit magister, parens, & doctor, nomen enim doctoris non solùm habet, qui verbo instruit, sed etiam qui exemplo informat. Beda ait ibi: *Neque enim solùm, qui fratrem verbo erudit, sed etiam, qui exemplo ad meliora convertit, ministerium gerit doctoris.* Indeque D. Matthæus in Ecclesia duplici doctoris laurea est insignitus, nam, & scriptis pariter, & exemplo universæ Ecclesiæ doctor est effectus. 445

D. Matth. duplici Doctoris laurea est insignitus.

Magnificus, ac regius spiritus Matthæi, veluti speculum ad Christi imaginem.

Ab exordio suæ conversionis regales spiritus in D. Matthæo coruscant, oculi enim Christi, cum aspexissent Matthæum, regales animos etiam infuderunt in eum; ait Luc.5. numero 29. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*; magnum dicit, amplum, & magnificum, regali magnificentia constructum. Rupertus lib.4. de operibus Spiritus Sancti, cap.14. *Convivium ergo fecit ei, & magnum, nimirum quasi convivium Regis*; *nam sicut aliàs jam pleniùs diximus apud istum Evangelistam, Rex genere, & actibus Christus ostenditur*; & subdit victor Antioch. in cap.2. Marci: *Ob vocationis beneficium gratum se declarat*; & addit Divus Chrysostom. homil.31. in Matthæum: *Ut magistrum honoraret*; ut regia obsequia offerret Domino, à quo ad regalia insignia vocabatur. 446

Convivium ut Regis præparat Matth.

Visus est Divus Matthæus cum Domino de regia magnificentia decertasse; uterque inter se contendunt de regiis epulis hinc inde communicandis, pro quo suppono, quod ubi primùm Christus Dominus vidit Matthæum, eumque ad se vocavit: *Cum transiret Jesus inde, vidit hominem sedentem in telonio.* Oculi Christi tantæ virtutis, ac efficaciæ fuerunt, ut in Matthæo, quem aspexerunt, instar fictorum, regiam imaginem insculperent. Divus Paschasius ait: *Erat enim ipse Matthæus, tanquam speculum pellucidum, quatenus conspectu Solis nequaquam appositum, sed in tenebris reconditum, & sub lecto latens curarum nimis sæcularium, utpote teloniarius de navibus negotiatoriis cum clamore: ubi verò vidit eum Jesus, & Sol verus resplenduit ex aspectu ejus, & quia vidit eum talis filius hominis, & reddidit imaginem ejus, & formata est in ipso facies hominis.* Veluti speculum ad intuitum Solis positum, ex radiis ejus, ipsam imaginem Solis in se suscipit, & repræsentat, sic Divus Matthæus in se suscipiens radios oculorum Christi, quibus eum aspexit, imaginem ipsam divini Solis in se susceptit, in eoque effigiata est, & inde sic à Matthæo Christus pascitur, ut & ipsum pascat, ut expendit Rupert. juxta illud Domini Apocal.3. n.20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Christus cum ad se advocat Matthæum, eum introducit in divinam mensam omnibus cœlestibus donis repletam; vicissim Matthæus præparat Christo magnum convivium: *Et ecce multi Publicani,* 447

D. Matth. tanquam speculi in se repræsentat imaginem salvatoris.

blicani, & peccatores discumbebant cum Jesu. Apponit Matthæus Christo in mensa peccatores, & Publicanos, ut ipsi doctrina Christi resipiscant, & pœnitentiam agant: Conversio peccatorum suavissimus Christo cibus. Ait Christus Joann.4.n.34. *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus meum*; explicat ibi Chrysost. *Hominum salutem hoc loco cibum appellat.*

448 Regalis, ac magnificus animus Matthæi etiam patet in hoc convivio appositio Christo Domino, nam postquam scribit, quod Christus ei dixit, *sequere me*, & ipse surgens secutus est eum, subdit: *Et factum est, discumbente eo in domo, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Jesu, & discipulis ejus*, Matth.9. n.9. Non explicat noster Evangelista in cujus domo Jesus discubuerit, nec tam magni convivii lætitiam aperit, & qualis domus convivii maximè esset, nobis abscondit, & occultat, ut notat Div. Augustinus, lib. 2. de consensum Evangelistarum capit.27. nisi Marcus, & Lucas expressissent domum Levi; sed cur Matthæus tantum obsequium à se Christo exhibitum subticet? Nil sanè tam regium, quàm beneficia elargita silentio involvere: Magni, & excelsi animi est, se in donis non meminisse largitorem, nam qui illud divulgat, jam usuram recipit, & liberalitatem devenustat; indeque divini magistri spiritum, & documenta ebibens D. Matthæus, talem se erga Dominum convivam præstitit, qualem ipse Dominus postea se erga convivas suos erat exhibiturus.

Valde regium data beneficia abscondere & occultare

449 In celebri illo convivio de quinque panibus narrat D.Matthæus 14.n.15. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes: Desertus est locus, & hora jam præteriit; dimitte turbas ut euntes in castella emant sibi escas. Jesus autem dixit eis: Non habent necesse ire; date illis vos manducare*; & postea n.9. *Aspiciens in cœlum benedixit, & fregit, & dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.* Et supponò ex D.Chrysostom.hom. 50. in Matth. miram panis multiplicationem in manibus Apostolorum distribentium, patratam fuisse, & ita ait: *Quinque panes, quos fregerat, dedit; horum autem fragmenta in manibus discipulorum, novo miraculo multiplicabat;* quod etiam indicat D.Ambros.lib.6. in Lucam. Maximè voluit Christus in hoc magnifico suæ liberalitatis prodigio se auctorem ab illo subtrahere, occultareque tam inclitum munus à se prodiisse, & ideo discipulis coram omni multitudine, ait: *Date illis vos manducare.* Non voluit Dominus, ut inter suos digitos miraculosæ segetis exortus erumperent, sed panem tradit discipulis non multiplicatum, nec miraculosè auctum, sed stupenda incrementa inter discipulorum manus efferbuerunt, & ab ipsis confluebant in turbas; quid hoc? quare tam splendidum beneficii jubar non in manibus Christi, sed in discipulorum digitis exundat? Verè beneficii factum in se cohibet, & veluti aliis illius exuberantiam adscribit, ut ex eo, quod ipse in illo tanquam se non opificem demonstret, beneficii ratio plus eluceat, & liberalitatis magnificentia ampliùs resplendeat. Sed exinde nova exoritur difficultas: Apostoli videbantur miraculi operatores, nam in eorum manibus panis fœcundabatur, & tamen turbæ veniunt, & volunt Christum rapere, & facere Regem: *Jesus ergo, cum cognovisset, quod venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*, Jo:6.n.14. Quanto se magis Christus abscondit, in beneficiis, tanto magis ejus regalis dignitas, regiaque existimatio aperitur, nam silentium in beneficiis præstandis, regium conceptum, & nomen prometur, & amplificat, silens enim beneficii occultatio, clamosum illius præconium est, & regalem magnitudinem maximè in animis gignit.

Occultatio in beneficiis regalē magnificētiā declarat.

D. Matthæus Illustrissimus Evangelista, & valde præclarus suo Evangelio.

450 Vidit Ezechiel. cap.1. numero 10. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, facies leonis, facies bovis, & facies aquilæ;* sed cur facies hominis elegantior, & pulchrior super cætera animantia, leonem, bovem, & aquilam, adumbratur in Matthæo? nam sicut hominis aspectus regium imperium præ se fert, & inter animantia cæteris eminet, sic & Matthæus dignitate, specie, & forma cæteros vincit; & etiam, quia primus fuit, qui Evangelium scripsit, & divulgavit, inde æquitas postulabat, ut principis facie nobilitaretur. Petrus Damianus serm.49. ait: *Inter cæteros sanctos, qui de triumphato Mundo victoriæ titulos intulerunt, B. Matthæus mihi videtur insignis, atque conspicuus, & quendam inter eos dignitatis obtinere principatum, atque ut audacter dicam, nemo post Christum est, cui magis debeat sancta universalis Ecclesia, nam quod Mundus vivit, hoc est causa, quia lux nobis evangelica coruscavit. Constat autem, quia Matthæus hebraico stylo Evangelium scripsit, & quia igitur ad sanctum Evangelium scribendum, primus iste prorupit, scribendi cæteris Evangelistis viam præcessor aperuit, tanquam dux vexillum sequentibus prætulit.* Confirmat hoc exemplo: *Planè sicut Moyses Prophetis non absurdè præponitur, & omnibus, quicunque scripserunt aliquid in veteri testamento, ita Beatus Evangelista Matthæus omnes jure præcellit, qui scripsisse reperiuntur in novo.*

Matthæus inter Evāgelistas pulchriori vultu.

Ecclesia ei maximè debitrix.

Quod etiam confirmatur ex Beda: *Qualis Matthæus factus sit in Apostolorum numero, cui insertus est, docet ipsum Evangelium, in quo scribendo, novi testamenti conservavit exordium, cui speciali privilegio donatum est, ut dominicæ incarnationis mysteria, quæ cuncti à sæculo Prophetæ futura præcinebant, ipse primus omnium jam facta describerit, & credentibus legenda transmiserit.* Mysteria divinæ incarnationis, quæ Prophetæ futura prædixerunt, Matthæus jam facta scribit, & demonstrat, dans primus exordium novo testamento; & primus in aliquo ordine magna excellentia sublimatur: vide supra cap.21. quæst.25. numero 273. & sequentibus, & quæst.26. num.322.323. 451

Matthæus dat exordium novo testamēto.

Communiter Patres ad citatum locum Matthæi, per faciem hominis intelligunt Div. Matth. Div. tamen Augustin. in facie leonis hunc nostrum Apostolum intelligit. Rupert. lib.4. de operibus Spiritus Sancti capit.9. & lib.3. in Apocalypsim, ait: *B.Augustinus juxta ordinem libri istius Matthæum dicit in leone intelligi, qui regiæ dignitatis in Christo prosapiam narrat.* Et meritò noster Apostolus significatur in facie hominis, & leonis, quia ipse fuit mitissimus, & humanus in peccatoribus recipiendis ad pœnitentiam; fuit fortis, ut leo, ad Evangelii prædicationem, ut fecit in Judæa, & Æthiopia. 452

D. Matth. fortis, & mitis.

De eoque sic scribit P. Damian. serm.50. & ait: *Div. Matthæus non solùm Apostolus est, sed & Evangelista, &, ut ita fatear, Evangelista Evangelistarum non immeritò dici potest, qui dux, & præceptor, ac primus omnium reperitur, undè & illius quadriga cœlestis, quam vel Joannes in Apocalypsi se vidisse perhibuit, vel Ezechiel in prophetica visione, hic congruè potest, non modò pars, sed auriga vocari, qui dum ad scribendum Evangelium primus erupit, quasi quandam lineam præcedendo, tetendit, & undè cæteri currerent, rectitudinis semitam designavit; ut, sicut de Elia dicitur, hic etiam currus, & auriga illius mystici sacramenti meritò nuncupetur.* Alludit ad historiam Parentis Eliæ, in qua ab Eliæo discipulo vocatur currus, & auriga 4.Reg.2. num.12. D.Matthæus vocatur currus, & auriga Evangelistarum, currus, quia alios ad scribendum Evangelium suo exemplo adduxit, auriga verò, quia eorum dux, & princeps, viam, & semitam aperuit, in textu evangelico componendo. 453

D. Matth. Evāgelii & Evangelistarum, currus & auriga eorum.

Adeo est excellens Evangelium Matthæi, ut Apostolorum proceres illius videantur discipuli. Tertullianus lib. de carne Christi cap.22. ait: *D. Matthæus fidelissimus Evangelii commentator; sed & Paulus ejusdem Evangelii & discipulus, & magister, & testis, qui ejusdem ipsius Christi Apostolus.* Magnus Paulus est discipulus Evangelii Matthæi, ita etiam, ut ipse Paulus sit magister, testis & prædicator. Barnabas Apostolus sua propria manu conscriptum Evangelium Matthæi secum asportavit, ut ex illo depromeret, quæ docebat, ac prædicabat. D.Marcus in suo proprio Evangelio scribendo, secutus est D.Matthæum, & ut 454

Proceres Apostolorū Matthæi discipuli.

& ut post D.Hieronym. ait Damianus, serm.49. *Matthæus autem breviatorem Marcum, atque perdissequum habuit.*

D. Matthæus illustrissimus martyrio.

455 Cum noster Apostolus in Æthiopiam venisset, quę provincia ei fuerat data sorte evangelicæ prædicationis, cum Regem, Reginam, ac filiam Regis Iphigeniam ad fidem convertisset, imò ipsam Regis filiam ita in amore Christi incendit, ut Matthæo persuadente, virginitatis votum emiserit, & ita eam ex temporali regno, ad quandam divinam conditionem sublevavit. Cum filii Israel essent in captivitate Babyloniæ, ex Regis mandato convocati sunt aliqui pueri ex semine Regio ad regale palatium, ut ibi in literis, ac omni scientia instruerentur, & ad hoc traditi sunt Principi, ac magistro eunuchorum, qui posuit eis varia nomina, Sidrach, Misach, & Abdenago, Danieli autem dedit nomen Balthassar, Daniel.1. nu.7. *Danieli imponitur nomen Balthassar*; quod erat nomen Dei Babyloniæ, juxta illud: *Balthassar secundùm nomen Dei mei*, Daniel.4. n.5. ex quonam motivo hic magister, cum esset vir doctus, & peritus, aliis pueris hominum nomina imposuit, at verò Danieli non nomen hominis, sed Dei sui attribuit? *Balthassar secundùm nomen Dei mei*. Daniel non solùm erat castus, ut docent D.Epiphanius, Dorotheus in vitis Prophetarum, sed etiam castitatis voto adstrictus erat, ut docent Mag. Frater Franciscus à sancta Maria, lib.2. histor. Propheticæ, c.42. nu.13. Magister Lesana tom.1. Annal. ann.3425. n.3. & puer ex regio genere natus, qui jure regni gaudet, & tamen castitatis voto resplendet, ac se astringit, non homo, sed tanquam Deus, ac divinitas quædam apparet.

Virginitatis votum in divinam conditionem transfert.

456 Hyrtacus molestissimè ferens Iphigeniæ virginitatem, constanter suis votis obsistentis, cum Matthæum talis consilii auctorem esse cognovisset, ad altare sacra facientem gladio confodi jussit: ita ex Breviario Romano; quæ sanè illustrior mors, quàm inter Dei sacrificia vitam exhalare, ac animam dare? Obtulerunt Abel, & Cain sacrificia Deo: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain verò, & ad munera ejus non respexit*, Gen.4. n.4. inde Cain ira commotus surrexit in fratrem suum Abel, & eum interfecit, undè ait D.Ambrof. lib. de Cain, & Abel. *Ex peracto sacrificio mors illi machinatur*; & cur ex sacrificio illi originatur mors? Abel princeps, & præclarus in omni virtute; ipse primus justus sine peccato mortali, primus virgo, primus sacerdos, primus martyr, & qui tam præclarus, ac caput omnium magnatum erat, nulla alia mors illi debebatur, nisi quæ ex sacrificio, ac sacrificii intuitu daretur.

Nobilissimo martyrio, in altari sacra faciens, moritur Matthæus.

457 Ad hoc respexit Christus Dominus Matth.23.nu. 35. dum ait: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, & altare.* Ex illustrissimis martyribus & Prophetis, & aliis sanctis, qui occisi, crucifixi, ac flagellati fuerunt à Judæis, duorum tamen Dominus facit mentionem, scilicet protomartyris Abelis, & Zachariæ, qui, ut multis placet, Pater est Joannis Baptistæ, de quo tractavi tom.4. in Evangel. c 47.q. 9. nu.55. sed cur inter tot numerosos martyrum greges Dominus hos tantùm duos commemorat? Quia eorum martyrium valde illustre, ac gloriosum extitit inter sacrificium, ac altare, & cum intuitu ad sacrificium, sacrificium enim est perfectissimus religionis actus inter cæteros, & qui in eis vitam dat, illustrissimus omnium est habendus.

Illustrissima mors, inter sacrificia.

458 De Christi morte agens Paulus ad Ephesios 5. nu.2. ait: *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* D. Augustinus: *Moritur Dei filius, hostia factus pro nostris peccatis.* Nulla alia mors debebatur filio Dei, nisi in hostia, & sacrificio, quo oblatus est Deo Patri in odorem suavitatis; sic & D.Matth. insigniter ad imitationem sui magistri, talem mortem est affectatus in oblatione, & sacrificio, in odorem suavitatis.

A imitatione Christi Matth. in ter sacrificia mortitur.

QUÆSTIO XXXI.

Quare Beryllus gemma pretiosa denotat sanctum Thomam Apostolum.

459 BEryllus gemma pretiosa erat in Rationali summi sacerdotis, Exod.28. n.20. in eaque scripta erat tribus Beniamin, in magnaque æstimatione fuit olim habita à Regibus; testatur enim Quin. Curtius lib.9. sceptrum aureum, quod Alexandro dono dedit Sophite, beryllus distinctus erat: etiam Regis Porcennæ berylli meminit Augustus in epistola ad Mecenatem.

Beryllus in magna æstimatione.

460 Colorem hujus lapidis aliqui dicunt esse veluti jaspidem, nam beryllus, ut notat Montanus, hebraicè est Jaspeh; & onkelos vocat pantheram, nomine omninò jaspidi conveniente, nam panthera est animal pictam habens pellem, macularum elegantia, ac varietate cæteras feras alliciens; fulvum esse colorem sentit Montanus cit. loc. Exod. & Oleaster:

Color hujus lapidis.

461 D.Isidor.lib.16. Ethymol.c.7. sic habet: *Beryllus in India gignitur, gentis suæ linguæ nomen habens, viriditate similis smaragdo, sed cum pallore; politur autem ab Indis in sexangulas formas, ut hebetudo coloris repercussione angulorum excitetur, aliter politus non habet fulgorem. Genera ejus novem.* Colorem ejus esse viridem etiam docet Abulensis ad cit. loc. Exod. & Rucus lib.1. de gemmis c.8. quem sequitur Ribeira de vestibus sacerdotalibus cap.11. & Caspar de Morales in suo lapidario lib.2.c.8. Anselmus Boetius lib.10. de gemmis cap.69. ait, quod ejus color sit cæruleus ex viridi ad instar aquæ maris. Alcazar hoc c.21. Apocalypseos, annotatione 23. asserit, ejus colorem esse viridem albicantem, qualis reperitur in foliis olivæ, sive salicis.

Color viridis juxta communem sententiam.

462 Ejus proprietates sunt, pugnantes excitare, & animare ad pugnam, inhibere catharros, atque humores, qui ad oculos, ac guttur fluunt: ita Anselmus de gemmis lib.2. cap.71. qui ad alia multa medicamenta dicit inservire. Insuper addunt ad citatum locum Exodi Abulensis ex Dioscordie, & Berchorius in suo reductorio morali lib.10.c.52. quod in aqua dilutus multa medicamenta præstat.

463 Beryllus significat D.Thomam Apostolum, quia, ut ait Gregorius Venetus, hic lapis nascitur in India, ad quam solùm ex Apostolis penetravit D. Th. in eaque multas pretiosas gemmas in fide parturivit. Secundò hic lapis expurgat oculos, visum acuit; oculos acutos, ac perspicuos accepit D. Thomas, cùm Christum post resurrectionem, ejusque vulnera vidit, & palpavit, & *exclamavit: Dominus meus, & Deus meus.* Tertiò, quia beryllus inter alias gemmas mollis est, & facilis ad poliendum, D.autem Thom. ut scribit Metaphrastes, erat valde mitis, ac lenis in agendo, reprehendendo, ac docendo. Aliqua de hoc magno Apostolo dicam.

Beryllus D. Thomæ adumbrat.

D. Thomas Apostolus magnis favoribus illustratur à Christo in sua conversione.

464 De hoc magno Apostolo multa dixi to.5.in Evang. lib.9.c.5. per tredecim quæst.seq. Valde mirum, quod aliis hominibus proponit Deus gloriam, ut finem, & simul eis assignat media, & viam, per quam assequenda sit, hinc dedit decem præcepta Decalogi, Exod. 20.à n.1. hinc & passim dicebat Deus: *Si audieritis vocem meam, & feceritis, quæ præcipitio vobis, eritis mihi in populum*; at verò aliter se res habet cum D. Th. in manu ejus datur, ut ipse eligat medium, & conditiones proponat: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam*, Joan.20. n.5. ut Christus Dominus Div. Thomam reducat ad fidem, omnibus his conditionibus annuit, ut videat, & ut mittat digitum in loca clavorum, & manum in latus: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Valde mirum! omnia ad placitum Thomæ conceduntur; quando duo rixantes ad pacis fœdera veniunt, qui

Christus pignoratus amore Thomæ, concedit quæ vult Thomas.

qui superior est, ad suum nutum conditiones proponit; Christus, & Thomas veluti contendebant, Thomas obsistebat, Christus intendebat eum ad fidem, & deinde ad gloriam adducere, Christus Dominus amore vulneratus, ac conversione Thomæ pignoratus, omnia à Thoma assignata admittit, dummodo suo amori satisfaciat, quo de ejus conversione ardebat.

465 Dicebat Jacob Deo Genes. 28. nu. 20. *Si fuerit Deus mecum, & custodierit me, in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, & reversus fuero prosperè in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*; supremam majestatem agnoscit esse Deum, & Dominum, cur ergo ipse non imponit Jacobo conditiones, ut inter ejus servos computetur, sed Jacob conditiones assignat Deo, ut ipse sit Dominus ejus? *Si custodierit me in via, & dederit mihi panem.* Procopius ait: *Nunc tandem post tanta accepta beneficia Deum suum Dominum agnoscere volebat.* Qui se multo favore insignitum agnoscit, has sibi comparat facultates; consideravit Jacob Deum sibi multum propensum, & benignum in illa celebri visione scalæ tangentis cœlum, in qua multa dona ei promisit, & illud maximum, ex ejus semine carnem sumere, & quod ipse futurus erat ejus progenitor, & pater, inde Jacob confidentiam hausit, ut Deo, tanto amoris affectu inclinato conditiones juxta suum beneplacitum assignet: sic & D. Thomas, cùm cognovisset Christum erga se valde affectuosum, jam enim priori altera vice eum quæsierat, Joan. 20. n. 24. ideo uni Deo tanto amore æstuanti, generoso animo audet conditiones in pactum adscribere: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.*

Jacobus ex Dei favoribus, erga illum multam cõfidentiã habet.

Div. Thomas urbanus, & prudens in suis postulatis.

466 Ait D. Thomas citato loco Joannis 20. n. 25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in loca clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Circa hæc verba Thomæ multa dixi citato c. 5. q. 2. & seqq. nunc verò dubito, cur noster Apostolus postulat tantùm videre, & tangere vulnera manuum, & lateris? cur non etiam vulnera pedum? nam hæc quinque vulnera æqualiter nostram salutem sunt operata.

Thomas cur petit manus, & latus, non verò pedes

467 Respondeo primo, quod Thomas confitebatur Christum, ut Dominum, ac Regem: *Dominus meus*; & ad hoc, ut quisquis agnoscatur ut Dominus, ac Rex, sat est, quod manus appareant perforatæ, & latus sit apertum: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? & dicet: His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me*, Zachar. 13. nu. 6. si ipsi diligebant Christum, multo magis ipse eos diligebat, ut ibi notant communiter D. Hieron. & interpretes, & cum eos diligeret, consequens erat, ut manus essent scissæ, & perforatæ. Domini, ac Principis affectus non patitur manus clausas, & obserratas, sicut nec & cor. Cùm meus Jesus penderet in Cruce, in ejus summitate ponitur titulus: *Jesus Nazarenus, Rex Judæorum*, Joan. 19. n. 19. tunc Dominus inclinat caput, & tradidit spiritum; nec enim illa inclinatio facta est in veneration em nominis Jesu, ut aliqui dicunt, quia ipsum nomen Dei non est magis sublime, & excellsum, quàm ipsemet Deus, ut ei debeat venerationem præstare: illa ergo inclinatio super pectus, ut est communis sententia, facta est ob nomen Regis affixum, tanquam tali inclinatione indicans, & ostendens pectus suum ad vulnera, & apertionem, non enim bene cohærebat cum Regis nomine clausum pectus, sed expediebat, ut esset apertum, & manifestum, & ideo cum Joannes scribit: *Unus militum lancea latus ejus aperuit*; ait ibi D. August. *Vigilanti verbo usus est Evangelista; non dixit: Vulneravit; sed aperuit.* Huc advoca, quæ dixi tomo 5. in Evang. lib. 8. c. 11. q. 5. per totam.

Regis signum manus perforatæ, & latus apertum.

468 Secundò respondeo ad hoc dubium. Prudenter, & cautè Thomas postulat manus, & latus, non verò pedes, nam pedes jam veluti concessi erant Magdalenæ, at verò manus, & latus habebantur tanquam loca vacua, & nemini data. Sed dicet aliquis: Sicut Magdalenæ concessa fuit pedum possessio, sic & Petro manus, & Joanni pectus concessum est. Adverte, quod Petro datæ fuerunt manus Christi mortalis in mari, cùm cœpisset mergi: *Extendens manum, cum cœpisset mergi, apprehendit eum*, Matth. 14. n. 3. Joanni datum est pectus ipsius Christi, etiam prout mortalis erat: *Recubuit in cœna*, Jo. 21. n. 20. at Magdalena, si sibi obtinuit pedes Christi, prout mortalis erat in domo Pharisæi, Luc. 7. n. 8. etiam Martha Luc. 10. n. 39. hanc autem possessionem, quam Magdalena fuerat assequuta de pedibus Christi, etiam post ejus resurrectionem confirmavit, ac renovavit, prout immortalis, ac impassibilis erat: *Tunc accesserunt, & tenuerunt pedes ejus*, Matth. c. 28. n. 9. & quamvis Christus dixisset Magdalenæ: *Noli me tangere*, Jo. 20. jam ipsa velocissimè pedes ejus tenebat, proindeque pedes Christi etiam immortalis præoccupati erant à Magdalena, at vero manus, & pectus Christi, etsi concessa fuerant Petro, & Joanni, non gustata morte, tamen prout ipse gloriosus, & immortalis erat post resurrectionem, à nullo in possessione erant præhabita, & inde prudentissimè Thomas à pedibus abstinuit, & manus, & pectus Domini gloriosi, utpote nullius juris, sibi postulat, & exoptat. Magnæ etiam prudentiæ est à locis præoccupatis abstinere, & vacua absque alicujus possessione sibi affectare, ac quærere.

Prudentissimè Thomas petit loca vacua & nemini concessa.

Valde debilis mente est, qui locum, ac officium 469
jam datum petit, & omnibus modis sibi intendit. Joannes, & Jacobus postulant sibi primas sedes in regno Dei, nam ex eorum ore accedit mater, & postulat: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo*; quibus Christus statim respondit: *Nescitis quid petatis, sedere autem ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, Matth. 10. n. 22. Isti duo fratres, ut multis placet, petebant primas sedes jure consanguinitatis: Potiora, & priora loca in cœlo illis sunt præparata, & assignata à Patre cœlesti, qui ejus perfectionem sequuntur, ac imitantur; inde merito dicitur eis à Christo: *Nescitis quid petatis*; nam petere, ac intendere loca aliis præparata, & assignata, ignorantia, & insciti a est: *Nescitis quid petatis.*

Magna ignorantia quæ erga & affectare loca aliis assignata.

Magnam confidentiam erga Thomam Apostolum Christus ostendit.

Cùm Thomas dixisset aliis Apostolis: *Nisi videro* 470
in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus; ait textus: *Post dies octo, iterum erant discipuli intus*, Jo. 20. n. 21. & tunc venit Jesus, ut Thomam reduceret, & ait illi: *Thoma infer digitum tuum huc, &c.* cur tantam moram, spatio octo dierum interponit Christus ad conversionem Thomæ? cum citissimè se habuerit in negatione Petri in eadem hora, & tempore: *Respexit Dominus Petrum, & egressus foras flevit amarè*, Matth. 2. & tamen Thomam permittit per octo integros dies in sua incredulitate persistere. Non plus dilexit Christus Petrum, quàm Thomam; sed majorem confidentiam habuit erga Thomam, quàm Petrum, nam forte in prævidit Dominus remedium dilatum Petro inservire posse ad condemnationem, at Thomæ confidit, ut nulla mora obstinatione, ac incredulitate, cum temporis continuatione conversionem impediret, ac difficilem redderet, sed ad quamlibet Christi vocem, cito, & promptè obediret, magna fide præstita: *Dominus meus, & Deus meus.*

Multi de obedientia ac promptitudine Thomæ Christus confidebat.

Deliquit David peccato magno homicidii, & adulterii, & tamen Deus post transactum unum annum 471
integrum de ejus conversione, ac remedio agit, nam prius natus est filius ex adulterio: *Quem peperit ei filium; misit ergo Dominus Nathan ad David*, 2. Reg. 12. numero 27. & capite 12. numero 1. Maximè David acceptus erat Deo, quomodo ergo per unum annum integrum in suo

in suo peccato obdormit ? cur non statim ei Dominus manum porrigit, ut erigatur ? Hoc cum Davide sic factum est, non ex defectu divini amoris, sed ex multa confidentia erga illum ; erat David vir valde magnus, de quo dicebat Deus : *Inveni Davidem virum secundùm cor meum ;* proindeque Dominus certò sciebat quod in quacunque hora ipsum vocasset, ille præsto adesset cum multo dolore, ac pœnitentia in exemplum cunctis peccatoribus : Sic & tanta confidentia erat Christo de Thoma Apostolo, qui vir sanè magnus erat ex corde, ac pectore Christi, ut statim dicam, quod si ad majorem evidentiam obstinationis, & confirmationem fidei, permissum esset tandiu in sua incredulitate persistere, tamen uno verbo vocatus in magnam confessionem prodiret: *Dominus meus, & Deus meus.*

Thomas sanctus, & Apostolus ex corde, ac pectore Christi.

472 Ait ei Christus : *Affer manum tuam, & mitte in latus meum*; obediens Thomas mittit manum suam in illud totius divinitatis sacrarium, amoris officinam, omnium cœlestium donorum infinitum thesaurum, omniumque suavitatum, ac dulcedinum immensum pelagus, totiusque pietatis, ac misericordiæ ostium apertum, undè jam Thomas non est vir magnus, & sanctus, ut David, secundùm cor Dei, sed est sanctus in corde Dei, & ex corde Dei, undè noster Apostolus sanctus factus est ex corde Dei, ipsiusque cordis factura est, in quo ipse maximè omnium sanctorum favoribus prælatus est. Joannes Baptista sanctus, & magnus factus est ex Dei manibus : *Etenim manus Domini erat cum illo*, Lucæ cap. 1. Petrus magnus sanctus ex Christi oculis : *Respexit Dominus Petrum, & flevit amarè*, Matth. cap. 26. Matthæus magnus, & sanctus factus est ex Christi verbo : *Sequere me*, Matth. cap. 9. Magdalena magna, & sancta facta est ex Christi pedibus : *Sedens secus pedes Domini*, Luc. cap. 10. Joannes Evangelista factus est sanctus, & magnus ex Christi pectore : *Qui in Cœna recubuit supra pectus Domini*, Jo. cap. 21. Thomas etiam magnus, & sanctus factus est ex Christi pectore; sed multa est differentia inter ipsum, & Joannem : Joannes sanctus, & magnus ex Christi pectore clauso, & obserato, Thomas verò magnus, & sanctus ex Christo pectore aperto, & manifesto; Joannes magnus, & sanctus ex Christi pectore deforis, at Thomas in illud ingressus est : *Mitte manum tuam in latus meum* ; Joannes recubuit supra pectus, absque Domini jussu, Thomas verò ex Domini mandato : *Mitte manum tuam in latus meum*; indeque ex Christo fuerunt imperia, ex parte verò Thomæ obedientia.

Thomas sanctus ex corde Dei, in favoribus prælatus aliis.

Prælatus D. Thomas habet ex cellentiam, ex pectore Christi, quam Joannes.

473 Duæ fuerunt veluti facturæ principales, ac fructus valde conspicui, qui ex illo sacro pectore aperto, ac ex illo divino latere amore inflammato prodierunt; Christus nempe Dominus sacramentatus, à latere nempe Christi omnia fluxerunt sacramenta, & Thomas conversus, & fidelis, proindeque quodammodo in aliquo pio sensu videntur posse dici tanquam duo fratres, ambo enim, tanquam ex eodem principio, seu latere, nati nobis proponuntur. Christus in Sacramento nobis datus, & Thomas, ut in fide formatus, ac natus; Christus tamen, ut frater major, Thomas verò, ut minor. Et communiter inter fratres hæc est differentia, quod major secum defert omnia bona, divitias, ac hæreditates, omnesque affectus paternos, minor verò etiam multo amore paterno prosequitur. Christus sacramentatus habet secum omnes divitias, & thesauros sapientiæ, scientiæ, ac omnipotentiæ divinæ, Thomas verò, ut minor, multis favoribus divinis cumulatur, dum in Christi pectore fovetur, recreatur, ac veluti formatur; inde ait D. Isidorus lib. de vita beata : *Didymus, ideſt, germanus Christi, similis Salvatori, quantum fcilicet fas eſt.*

Thomas conversus ex Christi pectore quodàmodo frater ejus.

474 Joannes etiam Evangelista Christi frater est dicendus, ambo enim suo modo fortiti sunt eandem matrem; Joannes factus est Christi frater ab ipsius ore, ex vi, ac efficacia divini Verbi : *Mulier ecce filius tuus*; at Thomas factus est Christi frater ex nativitate à corde, & pectore ipsius, ex vi, ac vehementia divini amoris : nullo alio majori modo poterat declarari, ac explicari, quàm nativitate ex latere, ac corde. Ut Isaias denotaret eximium Christi amorem erga suos fideles, ac filios adoptivos, ait cap. 60. num. 4. *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* Præstantissimæ animæ cœlestibus donis adornatæ, dicuntur filiæ, nam tales in domo sui patris excellentioribus monilibus componuntur; & ait : *De latere surgent*; Pagnin. *juxta latus surgent ;* alii legunt apud Sanchez, *nutrientur*; & alii, *fovebuntur*. Metaphorica est locutio ad exaggerandum Christi amorem erga fideles, quos tanta indulgentia, ac benignitate fovet, ut videatur eos juxta suum latus nutrire, ac alimentare : vide ergo quanta indulgentia, ac favore sublimatus est Thomas à Christo, quia non metaphoricè, sed verè, ac realiter ejus vulnera tetigit, ut ut dixi tom. 5. in Evangel. lib. 9. cap. 5. expos. 2. n. 3. atque in ejus latus ingressus est, ibique nutritus, creatus, ac formatus est, conversus, & fidelis, & quod in aliis est metaphorica exaggeratio, in Thoma est vera, & sincera realitas.

Quod in aliis sanctis est metaphorica exaggeratio, in Thoma est realis veritas.

D. Thomas Illustrissimus inter credentes.

Ubi Thomas sacra vulnera tetigit, ubi manum misit in latus, exclamat : *Dominus meus, & Deus meus*; in quibus verbis sublimem, & altam docuit theologiam, confitetur enim Christum verum Deum, & hominem in unitate unius suppositi, ut jam dixi citato cap. 5. expos. 3. n. 65. & hìc habet Theophyl. *Quia dicendo Dominus meus, humanam, & Deus meus, divinam confessus est naturam, & unum, & eundem Deum, & hominem duplicemque naturam in una hypostasi*; imò quandam primitiam confessionis ei tribuit Cajetanus, & ait : *Thomas incredulitatis suæ culpam magnitudine professionis pensavit, primus enim est, qui professus sit expressè Jesum esse verum Deum*; quod maximè facit ad gloriam, & excellentiam nostri Apostoli.

475

Thomas primus exprese Christum dicit Deum.

Thomas primus est, qui in Evangelio confessus sit Christum expresè, & apertè verum Deum : multi eum acclamarunt filium Dei; Petrus : *Tu es Christus filius Dei vivi*, Matth. 16. Nathanael : *Tu es filius Dei*, Joan. 1. Martha : *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi*, Joan. 11. Cæcus à nativitate : *Tu credis in filium Dei?* respondit : *Credo*, Joan. 9. & Centurio ait : *Verè hic filius Dei erat*, Matth. 27. omnes isti, tanquam ex quadam consequentia profitentur Christum esse verum Deum, quia ex eo, quod eum dicunt filium Dei Deum esse astruunt, nec enim alius potest esse filius Dei, nisi sit etiam Deus; ac directè, & expresè Thomas omnium primus eum confessus est Deum : *Dominus meus, & Deus meus*; esse autem primum in aliqua virtute, quid valde magnum, & illustre est : vide supra hoc cap. 21. qu. 25. num. 273. & seqq. & qu. 26. n. 322. 323.

476

Primus in Christi confessione Thomas.

Dices tamen : Videtur, quod hæc Thomæ confessio non fuerit tam grata Christo, ut hìc dicitur, siquidem illi non aliquod præmium datum legitur, nec pro ea aliqua remuneratio facta, imò & quædam reprehensio prolata est : *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt*. Forsitan ex his colliget aliquis, quod fides eorum, qui non viderunt, & crediderunt, præferenda sit fidei Thomæ, qui vidit, & credidit; Christus Dominus non dixit : *Beatiores, qui non viderunt, & crediderunt*; sed tantùm : *Beati, qui non viderunt, & crediderunt*; proindeque datur ansa, ut dicamus, quod Thomas fuerit insigniter beatus, quia vidit, & credidit, proindeque inter credentes, hoc habet valde singulare, quod sit videns, & credens : *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

477

Thomas illustrissimus inter credentes.

Joannem Baptistam Christus Dominus Matth. 11. num. 9. appellat, *Prophetam, & plusquam Prophetam*; Syriacus : *Certè dico vobis præstantiorem Propheta*; Varablus, *excellentiorem Propheta*; & in quo Joannes est præstantior, & excellentior cæteris Prophetis? Quia

478

alii

Sient inter Prophetas Baptista major, sic Thomas inter credentes.

alii Prophetæ prophetaverunt, & non viderunt id, quod propheticè prædixerunt, at Joannes id, quod de Christo prophetavit, præsens vidit. Joannes major inter Prophetas, quia id, quod prophetizavit, digito ostendit; Thomas major inter credentes, quia id, quod credidit, digito tetigit. Fides, ut ait Paulus Hebræor. 11. *Est argumentum non apparentium*; & omnem evidentiam excludit, evidentia verò nullam obscuritatem admittit; at fides Thomæ, qua credens dixit: *Dominus meus, & Deus meus*; adeo singularis & excellens fuit, ut potuerit adunare obscuritatem fidei cum luminis evidentia: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*; quod D. Gregorius explicat: *Unum vidit, & aliud credidit*.

479 Et ait Divus Thomas: *Dominus meus, & Deus meus*; dupliciter eum dicit suum, quod communiter, ut suo loco dixi, Interpretes referunt ad duplex beneficium, unum orationis, alterum redemptionis. Dico tamen quod Thomas bis dicit suum, semel ob redemptionem, qua in carne passibili ipsum, ac omnes nos redemit, & iterum modò, quando corpore glorioso ipsum convertit, & in fide generavit. Dupliciter etiam Christus Paulo præstitit medicinam, semel, ut mortalis communi redemptione, & iterum, quando gloriosus ad se advocat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. num. 4. Tamen particularis conversio Thomæ in multis præcessit particularem conversionem Pauli; utrique Christus gloriosus apparuit, Paulo indignans: *Quid me persequeris?* Thomæ verò benignus, & amore affabilis: *Mitte manum tuam in latus meum*; Paulum prosternit: *Cadens in terram*; Thomam verò in corde suo recondit: *Mitte manum tuam in latus meum*; Paulum cæcum reddidit: *Nihil videbat*; Thomam verò superna luce illuminat: *Vidisti me Thoma*; Paulus sic dejicitur, ut aliorum manibus ferretur: *Ad manus autem illum trahentes*; Thomæ verò dat Jesus manus suas: *Vide manus meas*; Paulus rigore, ac asperitate trahitur, Thomas verò favore, ac amore allicitur, ut dicat: *Dominus meus, & Deus meus*.

Illustrior conversio D. Thomæ, quam Pauli.

Thomas animo generosus.

Valde mirabiliter in Indiam tendit Divus Thomas ad prædicandum Dei Evangelium.

480 Nostrum Apostolum ita describit Metaphrastes in ejus vita: *Ingrediens Apostolus ornatus Christi moderatione, & pro quovis alio ornamento, lorica ea indutus, cotidiano sordidus, vultu pallidus, totus aridus, & exanguis, & planè succo carens; & ut semel dicam, non tam corpus, quàm umbram corporis circumferens, sordido, & trito amictus pallio, moribus lenis, sermone utilis, factis vehementibus admirabilis, humilioribus se accommodat, spiritus aliorum deprimens*. Ad examen voco illa verba: *Non tam corpus, quàm umbram corporis circumferens*. Sic dura, & aspera vita tam exanguis, ac extenuatus erat, ut videretur non habere humanum corpus, sed umbram illius. Sic Archangelus Raphael dixit Tob. 12. num. 19. *Videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor*; Codices græci habent: *Omnibus diebus apparebam vobis, sed non manducabam, neque bibebam, sed visionem vos spectabatis*. Angelus videbatur habere corpus, & non erat corpus, sed corporis, visio, umbra, & imago. Div. Thom. sic totus desæcatus, ac spiritualis factus fuit Dei gratia, ut veluti alter Angelus, non corpus, sed umbram, ac imaginem corporis circumferre videretur.

D. Thomas corpore extenuato veluti Angelus apparuit.

481 Hac mirabili, & veluti angelica forma Thomas cœlesti doctrina, ac prædicatione, magnis miraculis, & operibus, pertransivit multas, & barbaras nationes, & tandem ad remotissimos Indos pervenit, ut innumeras lucrifaceret Christo animas; deinde ad extremas Orbis partes, & ad remotissimas gentes, Indos nempe se contulit, ubi mirificè Christi fidem propagavit, ita ut dici possit de nostro Apostolo: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, Psal. 2. num. 8. in hæreditatem, ac possessionem datæ sunt ei gentes, termini, ac fines terræ. Magnus spiritus Thomæ non quievit in una civitate, regno, vel provincia, sed ad omnes, & ultimos fines terræ, ac terminos se extendit, tantus enim spiritus in uno non poterat coarctari, nisi totum Orbem apprehenderet.

Apostolus Thomas, priusquam obiit, visitavit fines terræ.

Ad remotissimos Indos penetravit noster Apostolus, ad quos nullus alius ex Apostolis accessit, nisi Thomas, ipse enim pro Christi amore, omnia discrimina superabat, omnia pericula contemnebat; sic ex multa generositate, cum Apostoli recusarent cum Christo in Jerusalem pergere, Thomas dixit ad condiscipulos: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*, Joan. 11. num. 16. quod ex magno animi robore dictum esse, latè ostendi tom. 4. in Evang. c. 25. quod etiam ex Joann. 20. num. 19. *Cum sero esset die illo, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum*, &c. & postea subditur, num. 23. *Thomas autem unus ex duodecim non erat cum eis*. Generosus Thomas non est cum metuentibus, sed cum fortiter, ac valide prædicantibus, ut in die Pentecostes. Et forsitan propter timorem discipulorum, Thomas non erat cum eis, non quia animo esset divisus ab illis, sed quia potiùs voluit sustinere notam singularitatis, quàm decorem generosi amittere. 482

Apostolus Thomas illustri martyrio coronatur.

Apostolus Thomas postquam multas gentes convertit, ac magnum fructum animarum protulit, multosque filios Christo peperit, ad quandam speluncam se contulit, ubi à populo segregatum orantem, idolorum sacerdotes ira accensi, tanquam canes rabidi, eum circuierunt, cum ipse esset in profunda, & alta oratione coram una Cruce, & multis jaculis emissis, tandem una lancea vibrata vulneratus, & interfectus est, cujus sanguine simul cum terra, illustrissima miracula facta sunt: ita Metaphrastes, Surius, & alii auctores referunt in ejus vita. 483

Admirabilis mors D. Thomæ.

Thomas lancea vulneratus occubuit, & moritur. In Christi persona, ait regius Vat. 5 Psal. 21. num. 21. *Erue à framea Deus animam meam*. Per frameam intelligit Lorin. lanceam, qua latus Christi fuit apertum; sed cur Christus Dominus tam obnixè postulat à Patre liberari à framea, seu lancea, cum maximè avidè alia tormenta suæ passionis, ut flagella, Crucem, clavos exoptaret? A lancea postulat liberari, & erui, quia dolor vulneris lanceæ fuit tantùm in repræsentatione, nam cùm Christus esset in vita, illud vulnus sibi à Patre expositum libentissimè acceptavit; tamen quando in re est inflictum, dolorem non generavit, cùm corpus jam esset mortuum, inde ipse vehementer exorat, ut à tali vulnere lanceæ eruatur: *Erue à framea Deus animam meam*; at si dolor vulneris lanceæ Christum in re ipsa non attigit, ut jam mortuum, talis dolor videtur Thomæ reservatus, ipsumque vehementissimè apprehendit, & penetravit, ita ut ex tali vulnere vitam daret, proindeque videtur, quod Christus Dom. dolori suæ passionis compartícipem fecisset Thomam Apostolum. Christus sibi reservavit dolorem Crucis, & clavorum, Thomæ verò concessit dolorem vulneris lanceæ. Huc venit expositio D. Hilarii ad verba orationis Christi in horto: *Pater transeat à me calix iste*; *ad meos nempe Apostolos*, ait S. Pater, *ad meum nempe Thomam Apostolum*. 484

Christus D. Thomæ Apostolum fecit participem duorum suæ Passionis.

Moritur Apost. vulnere unius lanceæ; semper ipse habebat in mente defixum vulnus pectori Christi à lancea inflictum, moritur & ipse lanceæ vulnere in pectore suo. Ipse semper vivebat cum uno pectore lancea aperto, pectore etiam perforato occubuit: talis mors, qualis vita. Mandat Deus Moysi: *Ascende in montem Nebo, & morere*, Deuter. 32. num. 48. *Ascendit Moyses, & mortuus est, jubente Domino, & sepelivit eum in valle terræ Moab*, Deuter. 34. num. 6. si ipse sepeliendus erat in valle, ad quid mandatur, montem ascendere? ut ita mors cohæreat cum vita, & talis sit mors, qualis & vita. Moyses vitam duxit frequenter loquens cum Deo in monte, moriatur & in monte, verba habens cum Deo: *jubente Deo*; seu, ut alii legunt: *In osculo Domini*. Thomas perpetuo vivebat 485

Mors Thomæ respondet ejus vitæ.

vivebat pectore transfosso, ac lanceato, consideratione vulneris lateris Christi, moriatur etiam pectore lancea vulnerato, ut mors contingat, sicut & vita; una lancea sit ei instrumentum mortis, sicut & altera lancea fuit occasio salutis, & vitæ.

486 De se ait Dominus Cant. 2. n. 1. *Ego flos campi, & lilium convallium.* Quod magis est, magni Expositores hæc referunt ad Christum in monte Calvario, ac Cruce; sed quomodo tunc est *flos campi*? Flos talis est naturæ, quod sive dum vivit in radice, sive dum succisus est, suum servat odorem. Christus Dominus verè flos campi est, nam dum viveret eximium odorem suæ pietatis, charitatis, ac beneficentiæ, quo peccatores reducebat, semper servavit, eos recipiens in vinculis cordis, quos multa beneficentia sanabat; hunc odorem charitatis ostendit in morte orans pro inimicis, ostendens cor lanceæ apertum, ut eos reciperet, ex quo vulnere manavit sanguis, & aqua in omnium salutem. D. Ambros. lib. 2. de Spiritu S. cap. 5. ait: *Flos odorem suum servat succisus, & contritus accumulat, nec avulsus amittit; ita & Dominus Jesus in illo patibulo Crucis, nec contritus emarcuit, nec avulsus evanuit, sed illa lanceæ punctione succisus, sacri speciosior fusi cruoris colore vernavit, mori ipse nesciens, & mortuis æternæ vitæ munus exhalans;* sic & Thomas flos campi semper dedit odorem suum in vita, & in morte; in vita, Christi latus lancea apertum semper secum ferebat in mente, & in morte lancea latus ejus aperitur; in vita omnes corde recipiebat, & in morte cor ostendit eis apertum, ad eos omnes recipiendos, pro quibus ad Christi similitudinem Thomas Apostolus rogabat; in vita multis beneficiis, ac miraculis omnes adimplevit, sic & in morte omnes ejus sanguine effuso, simul cum terra, multis miraculis illustrantur.

Ad similitudinem Christi, lancea latus Thomæ aperitur.

487 Pro magna gloria nostri Apostoli unum magnum miraculum referam, quod commemorat Gregorius Turonensis, & habetur apud Theatrum vitæ humanæ tom. 6. verbo Peregrinus fol. 197. litera H, quod nempe elychnium, sive lampas ante sepulchrum ejus, die, & nocte resplendet, absque aliquo fomento, ita ut nullo vehementi vento valeat extingui; & meritò sanè lumen est ad ejus sepulchrum, qui confessione sua lumen fidei nobis dedit, multumque ad illud profecit. Cùm Petrus esset in carcere, *ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo*, Actor. c. 12. num. 7. Venerunt Angeli ad Abraham, ad Loth, ad Josue, ad Gedeon, & ad multos alios, absque ullo luminis splendore, & tamen ad Petrum venit cum tam mirifico fulgore. Meritò sanè Petrus confessione sua: *Tu es Christus filius Dei vivi*; nobis fidei lumen præbuit, inde alta providentia ordinatum est, quod ubi Petrus adest, tenebræ dispareant, & lumen refulgeat, quod & de nostro Apostolo simili modo dicendum est.

Lampas ardens sine nutrimento ad sepulchrum Thomæ.

QUÆSTIO XXXII.

Quare Topazius lapis pretiosus significat Beatum Jacobum fratrem Domini, sive Minorem.

488 TOpazius gemma pretiosa apud antiquos in multa æstimatione erat, inde dicitur Pl. 118. n. 127. *Dilexi mandata tua super aurum, & topazion;* ubi ait D. Hilar. *Sicut præstat cæteris metallis aurum, sic & aliis lapidibus Topazion;* & in hoc sensu multi explicant illud Job 28. n. 19. *Non adæquabitur ei topazius de Æthiopia;* & hac de causa erat in secundo loco in rationali summi sacerdotis, Exod. 28. n. 20. in hocque Topazio insculptus erat Simeon; licèt ergo Topazion antiquitus fuisset in tanta æstimatione, modo non est in tanto pretio.

Topazius olim in magna æstimatione.

489 Dicitur Topazius, ideſt, quæsitus: ita autor Plin. lib. 37. c. 8. quia inveniebatur in Topazio insula, quæ, quia valde nebulosa, à nautis quærebatur. Aliqui suspicantur, Topazium deduci ab hebraica voce, *paz*, ideſt, aurum, seu aurea gemma, cujus colorem refert. Inter gemmas, Topazius est valde magnus, nam inventi sunt Topazii quatuor cubitorum, ex quibus facta est statua Ptolomæi, Philadelphi, ut testatur Plinius.

Nominis etymologia.

Circa colorem hujus lapidis variæ sunt sententiæ. 490
D. Isidor. lib. 16. Etymol. c. 7. ait, hunc lapidem omni colore resplendescere, maximè aureo, & ut ait Abulensis ad c. 28. Exodi, ad Solem si ponatur, super cæteras gemmas lucet. Viridem colorem ei tribuunt Anastasius, Nyssenus qu. 38. Andreas Cæs. cap. 66. Apocalyps. Ribeira lib. 3. de vestibus sacerdotalibus cap. 11. Topazium colore magis rubere, quàm carbunculum, scribit D. Epiphanius tract. de duodecim gemmis, undè bene ait Alcazar in præsenti annot. 25. Topazius veter partim aurei coloris erat, partim viridis, puta, porracei, sive qualis est foliorum porri, quare, ait ipse Alcazar, moderni topazii, qui toti sunt aurei, & fulvi, à priscis diversi sunt: illius duæ sunt species, de quibus latè videndus Anselmus Boetius lib. 1. de gemmis c. 62.

Hujus lapidis variæ sunt proprietates, ac virtutes. 491
Anastas. Anselm. ait, conducere ad depellenda vitia oculorum. Secundò Abulens. citat. ait: Valet contra freneſim, & morbum lunaticum, ut ait Dioscorid. valet etiam tertiò, ad cohibendam, & sedandam iram; & ad luxuriam reprimendam, & ad eruptiones sanguinis sistendas, ut tradunt Vincent. Berchor. Rucus ap. Alcaz. qui etiam dicunt, quod si quis teneat annulum cum topazio in digito, possit securè manum mittere in ferventem aquam; sed de hoc ridet experientia, ait Anselm. Boet. lib. 2. cap. 63. Ex multis causis hic lapis significat B. Jacobum Alphæi.

Virtutes.

Jacobus Alphæi magnus justitia, puritate, ac sanctitate.

Nonum fundamentum, *Topazius* est, qui cùm colorem aureum referat, S. Jacobum Minor. significat, ut tenent Joachim. Gregor. Turonensis & alii, siquidem puritate, justitia, ac sanctitate totus aureus erat. Antequam de his dicamus, aliqua de ejus nomine sunt prælibanda. 492

D. Jacobus totus virtute aureus.

Jacobum Alphæi ita interpretatur D. Hieronymus in c. 3. Marci, & ait: *Jacobus Alphæi, ideſt, docti, vel millesimi, cujus à latere cadunt mille, & decem millia à dextris ejus.* Dicitur Minor, non quia talis esset virtute, & meritis, quia ut sic magnus, & præclarus erat, ut eum appellant D. Maximus lib. 3. de virtutibus, & vitiis cap. 92. Andreas Cæsar. in Apocalypsim c. 36. Richard. de S. Victore in Psal. 8. sed dicitur Minor, vel ætate, vel corpore, vel quia, ut ait D. Antonin. 1. part. tit. 6. c. 8. *Ad Apostolatum vocatus est post alium Jacobum.* Dicitur etiam Jacobus Cleophæ, seu Alphæi, juxta D. Hieronym. in c. 14. Matth. ac communem sententiam, quia filius erat Cleophæ, seu Alphæi, qui frater erat S. Joseph Sponsi Virginis, & inde S. Jacobus consobrinus S. Joseph, & inde dicebatur frater Christi, more judæorum, qui cognatos dicebant fratres, de quo statim. 493

Cur dicatur Minor cùm sit magnus virtute.

Cognomento dictus erat Justus, de quo sic scribit D. Hieronym. ad Galat. 1. *Hic Jacobus Episcopus Jerosolymorum primus fuit, cognomento Justus, virtutis & sanctitatis, & rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere;* ut illa mulier, quæ fluxu sanguinis laborabat de vestimento Christi dicebat Matth. 9. nu. 21. Et non solùm dicebatur justus, sed etiam per antonomasiam, *sanctus*, ut testantur Sabellicus lib. 6. c. 3. Theatrum vitæ humanæ litera N. fol. 34. marginali litera B. & vir Spiritu S. plenus dicitur à D. Cyrillo lib. 2. in Joann. ita ut sanctificatum fuisse in utero matris suæ scribant Ægesippus, teste D. Hieronymo de Scriptoribus ecclesiasticis in Jacob. D. Epiphan. hæres. 29. D. Antonin. tit. 31. cap. 8. in qua integritate, puritate, ac perpetua virginitate per totam vitam perseveravit, ut ipsi, & alii auctores communiter tradunt. 494

Justus & Sanctus dicitur.

Noster Apostolus per antonomasiam Sanctus vocabatur, ac dicebatur, quod est proprium nomen Dei. Abdiæ n. 17. *In monte Sion erit salvatio, & erit Sanctus;* Habac. 3. n. 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan;* Psal. 15. nu. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et adeo Sanctus est proprium nomen 495

Dei,

Dei, ut excedat cætera ejus nomina. Annuntians Angelus mysterium Incarnationis Virgini Mariæ, ait: *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei*, Lucæ cap. 1. n. 34. Partum nasciturum priùs dicit sanctum, quàm filium Dei, ac si tanta sit præexcellentia sanctitatis, ut ab illa maximè magnificetur, ac extollatur filius Dei, & ideo in prima fronte ponitur Sanctus; hinc meritò D. Dionys. Areopag. lib. de divin. nominib. c. 12. sanctitatem appellat excellentiam cuncta excellentem, & ait: *Deus per excellentem cuncta excellentiam sanctus prædicatur*; hac de causa Ecclesia ad Primam decantat: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis*; sufficiens videbatur dicere: Deus fortis, & immortalis; ad quid per singula additur Sanctus? Tanta est nobilitas sanctitatis nominis, ut ipsamet Deitas, fortitudo, ac immortalitas, Deique attributa ad sui magnificentiam, & excellentiam requirant, ut sanctitas de ipsis prædicetur, ac dicatur.

496 Commendans Christus in ultima cœna suos Apostolos æterno Parenti, dicebat: *Pater sancte serva eos in nomine tuo*, Joan. 17. nu. 11. si de suorum custodia, ac tutela agebat, cur non dicit, Pater omnipotens fortis, vel Pater misericordiarum, sed *Pater sancte?* D. Cyrill. Alexandr. *Supremum Dei nomen ponit*; & addit Maldonat. *Sanctum appellat; & ad hoc pertinet, ut blandis, gratiosisque vocabulis Patris benevolentiam alliciat*. In tanta æstimatione est noster Jacobus Alphæi erga Deum, ut sui supremi sanctitatis nominis ei maximè grati, ac præjucundi, eum participem faciat, cum eoque communicet, ut per antonomasiam Sanctus diceretur, ac communi vocabulo talis appellaretur: vide quæ dixi tom. 1. in Evang. lib. 1. c. 5. q. 50.

Supremi nominis Dei Jacobus fit particeps.

497 Et quod majus est, noster Apostolus dicebatur sanctus communi vocabulo Jerosolym..s, cum adessent ibi præclarissima Ecclesiæ lumina Apostoli Petrus, Paulus, Andreas, Joannes Evangelista, &c. Gen. 1. n. 16. dicitur: *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti*. Luna ob sui splendorem, optimè appellatur luminare magnum, hoc tamen minoritatis habet, quod fulgeat inter noctis tenebras, cum stellæ, ac planetæ scintillant: *Luminare minus, ut præesset nocti*; at Sol inter densissimas nubes fulget, & nitet, diemque nobis ministrat, ad ejusque intuitum, cætera luminaria, ut Luna, stellæ, planetæ absorbentur, ut minimè lucere videantur, & à tanto lucis fulgore opprimuntur. Ait noster Joannes cap. 12. nu. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*; aderant præclarissima lumina, Sol, Luna, & stellæ, & inter tot lucentia luminaria, sola mulier Virgo Maria fulgebat, & apparebat; quid est hoc? Duodecim stellæ sunt duodecim Apostoli, Luna Patriarchæ, Sol beatissimi, ac cœlestes spiritus, qui à Patre luminum habent fulgorem super Solem. Petrus Damianus serm. de Assumpt. ait: *In illa inaccessibili luce perlucens, sic utrorumque spirituum, idest, hominum, & Angelorum habet dignitatem, ut in comparatione Virginis, nec possint, nec debeant apparere*. Mariæ præsentia sua excessiva luce omnia alia luminaria eclipsat, & fugat, ut nec appareant, nec luceant. Magna luminaria in justitia, sanctitate, ac probitate sunt omnes sacri Apostoli, & inter eos, tanquam luminare majus videtur noster Jacobus, nam sic ipse sanctitatis luce refulget, ut per antonomasiam, inter omnes sanctus, & justus diceretur, & nullus alius tali vocabulo gauderet: vide sup. qu. 28. n. 373.

Jacobus inter præclarissima lumina insigniter fulget.

D. Jacobus per excellentiam valde similis Christo.

498 De hac re sic scribit D. Ignatius epist. 2. ad S. Joannem seniorem: *Si mihi licitum est apud te, ad Jerosolymæ partes volo accedere, ut videam illum venerabilem Jacobum, quem dicunt Christo similimum facie, vita, & modo conversationis, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus; quem, ut referunt, si videro, ipsum Jesum videbo, secundùm omnia corporis lineamenta*. Ita noster Apostolus similimus erat Christo facie, ac corporis lineamentis, vita, & modo conversationis, ut dicat D. Ignat. *Si ipsum videro, Jesum videbo*; & ita multi veniebant in Jerusalem, ut ipsum videntes, Christum in eo contemplarentur.

Jacobus valde similimus Christo.

Et fortè hac de causa simpliciter communi vocabulo, frater Domini dicebatur, nam licèt alii Apostoli fratres Domini dicerentur, ut patet Joan. 2. n. 2. tamen inter omnes per antonomasiam simpliciter frater Domini dicebatur, ut notat D. Hieronymus c. 1. ad Galat. n. 19. ad illa verba Pauli. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; sic scribit S. Hieronym. postquam notat, quod alii Apostoli dicebantur fratres, & ait: *Sed præcipuè hic frater dicitur; & quomodo Job, & cæteri Patriarchæ dicti sunt famuli Dei: sed quasi egregium quiddam Moyses habuit, ut scriberetur de eo: Sed non sicut Moyses famulus meus; sic & B. Jacobus specialiter frater Domini, ut ante diximus, appellatus est*. Licèt omnes Prophetæ, & Patriarchæ dicerentur servi Dei, tamen Moyses peculiari jure, ac excellenter dicitur Domini servus, Num. 12. n. 7. sic & licèt omnes Apostoli dicerentur fratres Domini, ut patet ex citato loco Joannis, tamen peculiari jure, ac vocabulo, & per excellentiam, noster Apostolus, magnifico, ac illustrissimo nomine, frater Domini dicebatur, ut notat D. Chrysost. ad c. 1. epist. ad Galatas ad illa verba: *Nisi Jacobum fratrem Domini*; & sic ait: *Sed vide, quanto eum honore, & hunc nominavit; non enim simpliciter dixit Jacobum, sed magnificum illud elogium addidit, fratrem Domini. Atqui nec frater erat Domini juxta carnem, sed esse putabatur*.

Ob similitudinem frater Domini dicebatur.

499

Dicebatur noster Apostolus Christi frater, quia ei similimus erat, veluti gemellus, non solùm corpore, & facie, sed etiam, ut ait sanctus Ignatius, *vita, & conversationis modo*, cum eximia puritate, virginitate, ac vita sine peccato mortali floreret, ita ut à multis credatur, in utero matris sanctificatus; cum admirabili mansuetudine, lenitate, ac suavitate in verbis, ut dici posset de eo: *Diffusa est gratia in labiis tuis*; undè miram sui similitudinem, ac imaginem Christus in eo impressit, quod est magnum eximii amoris signum, ut communiter notant Patres, ad illa verba Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; & docet D. Augustinus in manuali cap. 26. & ait: *Ut familiarius Deus diligeretur ab homine, in similitudinem Deus apparuit*; magno enim amoris affectu quisquis rapitur ad sui simile, indeque similitudo character, & nota est amoris.

500

Similitudo amoris causa.

Loquens Paulus de Christo D. 2. Cor. 4. n. 4. ait: *Ut fulgeat illis*, scil. gentibus, *illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei*; & ad Coloss. 1. n. 15. etiam de Christo ait: *Qui est imago Dei invisibilis*; utpote valde similis Deo Patri, ut ibi explicat Chrysost. & ad locum Corinth. dicitur *imago Dei*, utpote ei similimus. S. Clem. Romanus epist. 1. ait: *Filius vivens imago Patris erat*. Hoc Pater dedit filio suo Christo Jesu, ut ipse dum viveret esset sui similis, & imago; hoc etiam dedit Christus suo Jacobo Apostolo, ut ipse, dum viveret, esset sui similis, & imago. Æternus Pater ostendens suam summam charitatem erga filium suum Christum Jesum, ei natura dedit, ut esset illius imago, & similitudo; hujus summæ charitatis aliquale vestigium adumbravit, ac præfiravit Christus D. in nostro Jacobo, dum ei gratiam concessit, ut esset illius similitudo, ac imago.

501

Mira charitas Christi in Jacobum.

S. Jacobus Alphæus ob magnam sanctitatem, ac admirabilem sapientiam, apud omnes magnæ erat authoritatis.

S. Jacobus admirabilis fuit vitæ sanctitate, perpetua virginitate, ac puritate vitæ, florens sine peccato, cum rara, ac extraordinaria abstinentia, nunquam carnem comedit, nec bibit vinum, nec dulcia attigit, perpetuò abstinens ab omnibus animatis, oleo, balneis, vestibus laneis, ut tradunt Eusebius lib. 7. Historiar. c. 14. D. Epiphan. hæresi 78. D. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis; qui etiam docent, quod ita frequens erat in oratione, ut genua veluti pellis cameli viderentur; imo testatur D. Chrysost. hom. 5. in c. 5. Matth. quòd ex assiduitate orandi, *prostratus ad pavimentum, frontem callo obductam habebat*; & ideo tam sublimis vitæ erat, ut videretur esse spécu-

502

Admirabilis abstinentia cum imagine cœlestis viri.

ſpeculum, & imago cœleſtis vitæ, ad cujus contemplationem frequenter in cœlum ipſe rapiebatur; & hoc didicit à Chriſto Jeſu, cum quo à ſua pueritia eſt converſatus, cum ipſoque educatus eſt, ut teſtatur D. Epiphan. hæreſi 75.

503 Admirabilis ſapientia, & hac de cauſa creatus eſt à D. Petro, ac cæteris Apoſtolis Epiſcopus Jeroſolymorum, ut ſua ſapientia confutaret judæos, qui ſe jactabant doctos in lege, ac Scriptura: hàc ſua admirabili ſapientia ſcripſit epiſtol. canonicam, in qua ipſe tradit, & docet Sacramentum Extremæ Unctionis, & alia multa; & quamvis eam aliqui adſcribant Jacobo Zebedæi, tamen cæteri Patres, & recentiores Jacobo Alphæi tribuunt: ita S. Hieronym. in catalogo ſcriptorum in Jacobum, Euſebius lib. 2. Hiſtoriar. c. 22. aliàs 23. D. Auguſt. in c. 2. ad Galatas, D. Ambroſ. lib. 7. in Luc. c. 9. Lyran. Benedictus Juſtinian. Lorin. Cornel. D. Balthaſſar Paz in Proœm. & Eccleſia in Breviario Rom. in ejus ſolemnitate, dicit: *Unam ſcripſit epiſtolam, quæ de ſeptem catholicis eſt.*

Illuſtriſſimus ſapientia eſſe voluit.

504 Noſter Apoſtolus magnæ authoritatis erat apud omnes, ut patet ex magna ejus ſanctitate, ab omnibus venerata; & primus in Concilio Apoſtolorum poſt Petrum locutus eſt, Actor. 15. n. 13. Paulus Apoſtolus ad Galat. 2. n. 9. eum appellat columnam Eccleſiæ, cum eoque contulit ſuam doctrinam evangelicam; de eoque teſtatur ipſe Paulus ad Galatas 1. n. 19. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini.* Petrus è carcere per Angelum liberatus, Actor. 12. n. 17. peculiariter certiorem facit Jacobum, dicens: *Nuntiate Jacobo, & fratribus meis*; de ejuſque fraternitate multum gloriatur Judas Apoſtolus, dicens in ſua canonica n. 1. *Judas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi;* & ſacri Evangeliſtæ volentes honorare Mariam Cleophæ, eam dicunt matrem noſtri Apoſtoli; Marci 15. n. 40. *Erant autem & mulieres de longè aſpicientes, inter quas erat Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi Minoris* &c.

Jacobus admirabili authoritate floruit.

D. Jacobus Jeroſolymorum Epiſcopus creatur.

Sicut Chriſtus fuit miniſter circumciſionis, ut ait
508 Apoſtol. Rom. 5. n. 8. hoc eſt ſolis prædicavit judæis, tanquam genti electæ à Deo, cui per Prophetas eundem, tanquam Meſſiam, & Salvatorem promiſerat Deus, ita Jacobus, quaſi Chriſti frater ſucceſſor, & hæres ex omnibus Apoſtolis, ab eiſdem juſſu Chriſti, teſte Euſeb. lib. 7. Hiſtor. c. 14. in fine electus, & conſtitutus eſt ſanctæ civitatis, ſcil. Jeroſolymæ Epiſcopus, ac judæorum Paſtor, undè Heſychius in oratione, quæ habetur apud Photium in Biblioth. n. 83. appellat Jacobum novæ Jeruſalem ſummum ducem, Sacerdotum Principem, Apoſtolorum verticem, in lampadibus reſplendentem, inter aſtraque illuſtriſſimum; creatuſque eſt Epiſcopus Jeroſolymæ à S. Petro & Joanne, ut ait Anacletus Papa epiſt. ad Epiſcop. Italiæ, idque poſtridie necis S. Stephani ait Beda in Chron. puta die 27. Decembris anno Chriſti 34. ut judæos exacerbatos libertate, & increpatione S. Stephani noſter Apoſtolus ſua lenitate, modeſtia, ac manſuetudine, mitigaret, ac leniret, rexitque illam Eccleſiam per 29. annos.

Jacobus Epiſcopus Jeroſolymorum Judæos converteret, ac leniret.

509 Pro quo profundè conſidera; electis duodecim Apoſtolis, mandavit eis Chriſtus Matth. 10. num. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis, ſed potiùs ite ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.* Expreſsè imperat Dominus, ne ad gentes tranſeant, ſed ut perſiſtant in regno Iſraelis, in ejuſque converſione prædicando, & docendo, & tamen Apoſtoli abierunt ad gentes per totum Orbem; ſolus noſter Apoſtolus ſe continuit Jeroſolymis prædicans, & docens judæos per totum regnum; quomodo ergo mandatum Domini impletum eſt ab Apoſtolis, ne tranſirent ad gentes, ſed potiùs convenirent ad oves domus Iſraelis? Relinquebatur Jeroſolymis Jacobus Alphæi, & ipſe cum unus eſſet, ſufficiens erat pro omnibus Apoſtolis; in eo veluti alii Apoſtoli recapitulabantur, ac tanquam virtute continebantur, & ipſe pro omnibus ſtabat ad converſionem Iſraelis ſua vita, & exemplo, ac efficacia ſuæ doctrinæ, ac prædicationis, ut omnes converteret, & adduceret ad fidem.

Jacobus primus Apoſtolus.

Alii Apoſtoli ad prædicandum gentibus, at noſter 510
Apoſtolus remanet in Jeruſalem ad convertendos, ac reducendos judæos, & in eis Scribas, Phariſæos, ac Seniores populi, qui ſe multum jactabant, ut peritos, & doctos in lege, quorum converſione nil ſanè difficilius. Dixerunt diſcipuli ad Chriſtum, quod Phariſæi ſcandalizabantur in eo, quòd diceret non eſſe neceſſarium lotis manibus manducare panem; reſpondit illis Jeſus: *Sinite illos; cæci ſunt, & duces cæcorum*, Matth. 15. n. 14. ſed quomodo divinus magiſter, qui ad omnium medelam venerat, non curat ſanare Phariſæos, ſed ait: *Sinite illos?* Erant doctores & magiſtri inveterati in ſuis erroribus. D. Paſchaſius lib. 7. in Matth. ait: *Salvator præcipit, doctores peſſimos ſuo arbitrio dimitti, eò quòd tales difficiliter poſſunt corrigi, & à ſenſu pravitatis immutari*; & quamvis Apoſtolus dicat 2. Timoth. 4. n. 2. *Inſta opportunè, importunè*; tamen ad doctorum pravos mores corrigendos, non intendit Dominus, ſed ſinens illos, turbas ad ſe convocat, ſua divina ſcientia intelligens, quàm difficilè ſit errantem doctorem à ſua malitia, ac perverſitate removeri. Euthym. inquit: *Sinite illos tanquam incurabiles; ideo neque ipſe curavit illorum offenſionem, ſciens, nihil illis profuturum eſſe, quidquid diceret.* Tamen noſter Apoſtolus Jacobus tam altæ, ac efficacis fuit doctrinæ, ac ſapientiæ, ut multos ad meſſem Chriſti lucratus ſit, multoſque ad chriſtianam fidem perduxit, ut tradunt Euſeb. D. Epiphan. citati.

Valde difficile errantem doctorem emendare.

S. Iacobus primus Miſſam celebrat, ſacramque Euchariſtiam diſtribuit.

Noſter S. Jacobus Alphæus, primus Miſſæ ſacrifi- 511
cium ſolemniter celebravit, ut indicat ſexta Synodus de conſecr. diſtinct. 1. cap. *Iacobus*, ejuſque celebrandi formam, & ritum præſcripſit; extat etiam Miſſa S. Iacobi Apoſtoli, quæ in multa veneratione eſt habita à Conciliis, ac Patribus, ut refert Cornel. in Proœm. epiſt. S. Iacobi §. 10. *S. Iacobus*. Maximè in Scriptura, ac Patribus decantatur Melchiſedech, ut à Paulo dicatur aſſimilatus filio Dei, Hæbr. 7. n. 3. & quid in Scriptura narratum habemus de Melchiſedech? *Quod cum eſſet ſacerdos Dei Altiſſimi, obtulit panem & vinum*, Gen. 14. n. 18. in quo primus præfiguravit ſacrificium euchariſticum Miſſæ. D. Aug. lib. 12. de Civit. c. 22. *Ibi primum apparuit ſacrificium, quod nunc à chriſtianis offertur.* Si tanto elogio Melchiſedech celebratur, ut dicatur aſſimilatus filio Dei, cùm unam figuram ſacrificii euchariſtici obtulerit, quantò magis omni ſæculo celebrandus eſt noſter Apoſtolus, ut aſſimilatus filio Dei, cùm non unam figuram, ſed in vera realitate in ſolemni Miſſa ipſum ſacrificium obtulerit, poſt inſtitutionem ipſius à Chriſto factam?

Jacobus I. Miſſam celebrat.

Cùm omnes Apoſtoli eſſent Ieroſolymis poſt Chri- 512
ſti Aſcenſionem, & licèt D. Petrus omnium Apoſtolorum caput, Vicarius Chriſti, & ſummus Eccleſiæ Pontifex creatus eſſet, ceſſit tamen Iacobo, in hujuſmodi celebratione, eò quòd eſſet creatus Epiſcopus illius S. Civitatis, & de manu ejuſdem, ut piè creditur, acceperunt tunc temporis primò S. Euchariſtiam omnes Apoſtoli, ſimulque B. Virgo Maria. Fundamentum ad hoc exhibet Ekius tom. 3. de Sanctis, & ait: *Hunc honorem reliqui Apoſtoli detulerunt S. Iacobo, ut permiſerint primitias (hoc eſt primam Miſſam) illum ſuas celebrare Ieroſolymis, quod idem fecit Petrus in Antiochia, & Marcus in Alexandria.*

Euchariſtiam Jacobus miniſtrat Apoſtolis.

Iacobus Epiſcoporum, ac Prælatorum inclitus protomartyr.

De noſtro Apoſtolo ſic ſcripſit Simon Metaph. *Hic* 513
ſanctus additus eſt ſanctis, martyr martyribus, juſtis, qui juſtus erat, & nominabatur; quippe primus inter Epiſcopos fuit martyrii corona redimitus; nam inter Diaconos præceſſit Stephanus, inter Apoſtolos Zebedæi Iacobus, nunc autem Pontifex, Chriſtum Pontificem primum eſt ſecutus martyrem, qui pro univerſo Mundo proprium præbuit ſanguinem. Quàm multa tibi debitæ ſunt coronæ diſcipulo, Pontifici, juſto, fratri Dei, martyri!

D. Jacobus Epiſc. primus Protomartyrum.

Mar-

514 Martyrium nostri Apostoli ex Clem. Alexandr. & Ægesippo sic scripsit Euseb. lib. 2. Hist. c. 22. *Ex alto loco templi adolescentes justum præcipitem dederunt, & quoniam dejectus in præceps non statim in mortem obiit, sed vultu sursum sublevato, genibusque flexis dixit Christo D. Pater, da illis veniam, nesciunt quid faciunt; cæperuntque saxa in eum conjicere.* D. Hieron. sic scribit de viris illustribus: *Jacobus præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus adhuc semivivus tollens ad cœlum manus dicebat: Domine ignosce eis, quod enim faciunt nesciunt; fullonis fuste percussus interiit.* Hæc de felicissimo illius transitu habemus.

Martyrium D. Jacobi

515 De pinna templi præcipitatus est, & lapidibus obrutus. Dupliciter intentavit Diabolus Christum præcipitare; semel cum eum *statuit super pinnaculum templi, dixitque ei: Si filius Dei es mitte te deorsum*, Matth. 4. nu. 5. & iterum per manus judæorum: *Cum ipsi duxissent illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum*, Luc. 4. n. 29. dupliciter & voluerunt judæi Christum lapidare, Joan. 8. n. 59. & Joan. 10. n. 31. & tamen Christus nec lapidibus, nec præcipitio moritur, quia ex alto divino consilio mortem Crucis sibi elegerat, tamen cum Diabolus in vanum laborasset præcipitio, ac lapidibus in Christum, in B. Iacobum utpote ipsius Christi imaginem, ac similitudinem hic maligno spiritu insurgit infernalis spiritus, qui dicitur serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, *& Satanas, qui seducit universum Orbem*, Apocalyp. 12. n. 9. qui ab exordio Mundi primos parentes tentavit, & deinceps omnes ejus posteros, omni maligna, & perversa machinatione; & cur illi tanta rabies in homines? Anastasius Synaita lib. 10. Hexaem. *Cum Diabolus*, ait, *nihil mali audeat in Deum, in homines desævit, factus est homo in imaginem, ac similitudinem Dei.* B. Jacobus habebatur tanquam quædam imago, ac similitudo Christi, Diabolus præcipitio, & lapidibus non potuit Christo nocere, ideo has nocendi artes contra ejus imaginem convertit, scilic. B. Jacobum.

Diabolus in Jacobū exequitur quæ in Christum machinaverat.

516 Deinde alto Dei consilio permissum est, ut noster Apostolus ex præcipitio, ac ex lapidibus interiret, ne si ab his esset liberatus, à populo ut filius Dei haberetur, ob suam magnam authoritatem, quam habebat apud omnes, ut supra dixi; & ut ait Josephus, quisquis attingebat fimbriam vestimenti ejus, sanus fiebat à quacunque infirmitate detinebatur: vide quæ dixi supra de D. Petro q. 24. n. 245.

Præcipitatus meritur Jacobus Christus credatur.

517 Tertiò Christus D. noluit subire mortem, ex lapidibus, ac præcipitio, hanc tamen mortem remisit ad Jacobum, ut imaginem, & similitudinem suam, & quia tale genus mortis, quod inimici ei præparaverant sustinere non poterat, qui ad Crucem properaverat, saltem in imagine sua illud tenet, & amplectitur. De Joseph. dicitur Sap. 10. nu. 13. *Descendit cum illo in foveam*; id est carcerem; Hugo, *cisternam*. Legimus Jerem. 37. n. 15. & 38. n. 6. missum fuisse in carcerem, & tamen de Jeremia non dicitur, quod Deus descenderit cum eo in foveam, seu carcerem; & cur hoc tantùm de Joseph insigniter exprimitur? Joseph figura, & typus erat Christi, ut est satis vulgare apud Patres, indeque ea, quæ Joseph, utpote imago Christi sustinebat, insigniter, & peculiariter dicitur, quod filius Dei sustinuisset. Cum ergo Jacobus esset imago, & similitudo Christi, ea quæ Christus D. ex superna providentia non reportavit in corpore suo, saltem in sua imagine, ac similitudine exequi voluit.

Ut Christi similitudo patitur Jacobus.

QUÆSTIO XXXIII.

Quare Chrysoprasus repræsentat Sanctum Judam Thaddæum Apostolum.

518 CHrysoprasus gemma pretiosa est, pro qua in rationali Sacerdotis respondebat Achates, Exod. 28. n. 20. De ejus colore sic scribit Andr. Cæs. dicens: *Chrysoprasus, qui auri colorem, auro ipso altiùs imbibit.* Auctores sic communiter scribunt de eo, quod sit lapis viridis, sed aureis guttis est inspersus, undè ait Plin. lib. 37. c. 8. quod lapis iste referat succum porri, & inde ex compositio verbo græco, quod significat porrum, & aurum dicitur Chrysoprasus, & ipse inter tenebras maximè splendet; de eo sic scribit Ansel. Boetius l. 2. de gemmis c. 56. & tres species, tresque colores illi assignat, & ait: *Primæ continentur, qui exacte viridis porri colorem æmulantur; secundæ, qui multum flavedinis habent, ac filicis arescentis ferè colorem referunt. Hi si aurei sint splendoris, Chrysopteri veterum sunt; tertiæ, qui exigua viriditate, majorique flavedine lactescunt; has tres species omnes apud me reservo.*

Nominis etymologia.

519 Ejus proprietates sunt, debilitatem oculorum sanare, ut firmiter eorum obtutus valeant in rem objectam tendere, simulque avaritiam, ac nimiam divitiarum cupiditatem reprimunt, & liberalitatem, ac generositatem ingerunt.

Ejus proprietates.

520 Chrysoprasus est Judas Thaddæus, ut docent Andr. Cæs. & alii, fulgens aurea doctrina, qua cunctos illuminavit, aureaque sapientia, qua hæreticos confutavit, ut patet in ejus epistola, aureo charitatis, omniumque virtutum nitore quo mirificè resplenduit, inde Christo, omnibusque multum amabilis, ideo cum Christus dixisset: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum*, Jo. 14. n. 21. tunc respondit noster Apost. *Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non Mundo?* respondit Christus dans sublimem, & altam doctrinam sui amoris, indicans quod tali amore eum prosequebatur, cujus tantæ doctrinæ fecerat dignum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum.*

S. Judas Thaddæus multiplici nomine præclarus.

521 Noster Judas Apostolus filius fuit Cleophæ, sive Alphæi fratris S. Joseph sponsi Virgin. & filius Mariæ Alphæi, quæ quatuor habuit filios, tres fuerunt Apostoli Iacobus Minor, sive Alphæi, noster Iudas, & Simon Chananæus, quartus fuit Joseph, qui cognominabatur justus, & competitor Matthiæ, cum sors apostolica ceciderit super Matthiam, Act. 1. Hi quatuor vocantur fratres Christi, more hebræorum, qui affines, & consanguineos dicunt fratres, ut sæpè dictum est.

Parentes & fratres Judæ.

522 Noster Apostolus multiplici nomine insignitur. Notat Pagn. in dictionario nominum hæbraicorum, quod Dei septem sint nomina in Scriptura: tam superna, & alta magnitudo uno nomine non poterat abbreviari, sed multiplici vocabulo erat dicenda, & investiganda; Iudas multiplici dicitur nomine, nec enim uno tanta magnitudo poterat angustiari.

Sublimitas Thaddæi multis nominibus explicatur.

523 Noster Apost. dicitur Iudas, quod hebraicè idem est, ac confessio, & laus, seu confessor, & laudator Dei, & Christi, ut est satis commune; & hoc nullum majus potest esse nostri Apostoli elogium. De Lia dicitur Gen. 29. n. 25. *Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino; & vocavit eum Judam, cessavitque parere.* Ter pepererat, nec confitetur Domino, nec hymnum dicit nomini ejus, nec decantat gratias, ubi autem quartum parturit, scilicet Iudam, tunc juxta ejus nominis etymologiam, jam confitetur domino, jam laudes ejus dicit, & tunc cessat parere; post confessionem, post gratiarum actionem, post Deo datas laudes, cur statim ponitur cessatio partuum? Nimirum ubi Domino confitetur, ad summum apicem pervenit, & nihil ampliùs habet quid faciat; ita Philo lib. de plantatione Noe, & ait: *Dicitur desitisse parere, quando non haberet quò se verteret, jam ad perfectionis progressa terminum, nam inter omnia rectè facta, nullus partus est præstantior, quàm hominis in Deum patrem omnium.* Cum noster Apostolus ex vi sui nominis Dei confessionem in laudibus importet, nullum majus de eo potest dici elogium.

Dum Iudas dicit Dei confessionem nil majus.

524 Dicitur Chananæus sicut & frater ejus Simon, quasi ex Chananæa ortus; & Chananæus idem est, ac zelotes, teste D. Hieron. in c. 4. ad Galat. dicitur Thaddæus, seu *Labbæus*, id est hebraicè Leoninus. *Labi* Hebraicè, ideſt, cor, hoc est vir cordatus, seu animosus. Iterum Labbæus, ideſt corculum, & idem valet, ac Thaddæus; nam ubi nostra Vulgata Matth. 10. n. 3. habet: *Qui cognominatus est Thaddæus*; Græcus, & Syrus referunt: *Labbæus*; quod idem est, ac corculum, ut ait D. Hieron. in c. 10. Matth. ideſt mirè cordialis, benevolus, amabilis, aut mirè sapiens, & prudens, undè antiquitus vafle cauti, prudentes, ac sapientes vocabantur corculi, ut testatur Plin. lib. 7. cap. 1.

Explicantur significationes nominis Apostoli.

cap.31. de Festo, qui à corde corculus dicebatur, utpote solers, & acutus, & inde Cicero Tuscul. 1. Scipionem Nasicam ob prudentiam bis consulem appellat corculum.

525 Angelus verò Caninus de nominibus hebraic. novi testam. cap.13. ait quod Thaddæus non derivatur ab hebræa voce *toda*, idest laus, sed ab hebræo nomine *thad*, seu *sad*; undè Deus dicitur *Saddai*, idest mamma bonorum omnium, undè Syrus, & Chaldæus, pro *Thaddæus*, dicunt *Saddæus*, idest mamma, uber, quod est mammeus, uberalis, dulcis, misericors, benignus, ac beneficus. At verò D. Hieron. seu quisquis est auctor comment. in Marc. & ex eo Pagnin. de interpr. nomin. hebraic. *Laubæum* volunt dici à corde, quasi cordis cultorem, qui scilic. cordis puritati, sanctitati, & perfectioni unicè incubuerit. Dicitur etiam Iudas Iacobi, hoc est frater Iacobi minoris.

526 Ecce noster magnus Apostolus in suo nomine, tot, & tam magna involvit, ut per proprium nomen, quo dicitur Iudas, idest confessor, & laudator Dei, dicitur Chananæus, idest zelotes, zelans Dei honorem, & etiam Thaddæus juxta varias interpretationes, idest vir generosus, seu leoninus, & ut alii volunt, prudens, & sapiens, uber fertilis, ac beneficus, seu ut placet D. Hieron. cultor, illiusq; puritati consulens. Præclarè Cassiod. 6. var. 7. *Grata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones, quando tota ambiguitas, aviditati tollitur, ubi in vocabulo concluditur, quod agitur.*

Divina spiritione tot nominibus insignitur.

527 Adamus contemplans suum os animatum, ex parte sui corporis Evam formatam, dixit: *Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est*, Gen. 2. num. 23. non multo post Viraginis vocabulum in Evæ appellationem migravit: *Vocavit Adam nomen uxoris suæ Heva, eo quòd mater esset cunctorum viventium*, Gen. 3. n. 20. nonne sat erat primum nomen Viraginis? ad quid insuper additur, quod ipsa sit mater? nunquid intendit negare, vel memoriam abolere ortus, ac originis illius à viro? Minimè quidem, non enim mutavit Adamus illius nomen, ut antiquo privaretur, sed ut maximè Hevam nobilitaret, ex fœcunditate, ac ubertate, qua constituta erat mater viventium. D. August. apud Lippom. ait: *Nec frustra ipse, majori quodam instinctu, tunc vocavit nomen uxoris suæ vitam, quoniam ista est mater cunctorum viventium.* Antea eam Adamus dicit viraginem, ut indicaret illius originem ab homine, nunc verò majori quodam instinctu, eam dicit Hevam, ad indicandam illius illustrissimam fœcunditatem, non negando prius nomen, sed hoc secundo eam maximè illustrando, ac nobilitando.

Nomen præsagium futurorũ.

528 Noster Apostolus nomine suo Iudas vocatur, idest confessor, ac laudator Dei, in quo tota ejus natura videbatur conversa; deinde dicitur Chananæus, ac Thadæus, non quod ejus primum nomen deleatur, sed ut magis explicetur ejus fœcunditas, & charitas multiplici nominum significatione, ejus nempe Zelus honoris Dei, ac salutis animarum, ejusque eximia leonina generositas ad confutandos, ac reprimendos idolatras, ejusque ubertas, ac fœcunditas, qua innumeros filios Christo peperit, ejusque sapientia, ac prudentia, qua populos sibi commissos rexit, ac gubernavit, magnaque puritas cordis, quæ in eo renituit, fulsque devotis communicat, multaque ejus beneficentia in donis, ac foribus præstandis.

Thaddæus omni virtute conspicuus.

529 Unde meritò in serm. quodam de S. Simone & Iuda D. Bonav. accommodat illis dictum Isai. 60. nu. 8. *Qui sunt isti qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Merito hi duo Apostoli dicuntur nubes, nam nubes, licèt ex vaporibus terræ originentur, maximè sunt separatæ à terra, & in supernam, ac cœlestem conditionem elevatæ. Hi duo Apostoli, etsi nati essent ex terra, tamen spiritu, ac virtute sic elevabantur in supernam, ac cœlestem conversationem, ut viderentur quid cœleste, & non terrenum, undè merito illis convenit dictum in Evang. à Christo D. *Vos de Mundo non estis*, Ioan. 15. nu. 19. Deinde ut ait D. Bonav. *Nubes fluunt, & coruscant.* Hi duo Apostoli cœlesti rore suæ doctrinæ, prædicationis, ac apostolicæ vitæ totum Orbem fœcundarunt, & multis, & magnis miraculis refulserunt, ac coruscarunt, undè D. Bonav. accommodat illis dictum Zachar. 14. n. 4. *Hi sunt duo filii olivæ splendentis, qui assistunt dominatori universæ terræ;* subdit Propheta: *Quasi columbæ ad fenestras suas.* Hi duo viri puritate, ac sinceritate tanquam columbæ volabant, contemplatione, ac meditatione ad cœlestes mansiones, tanquam fenestras suas, quarum dulcedinem jam videbantur gustare.

Thaddæus, & Simon Apostoli tanquam quid cœleste.

Iudas Thaddæus fervens zelo honoris Dei.

Cum Christus D. dixisset: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum; dixit ei Judas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non Mundo?* Ioan. 14. n. 21. 22. *Quid factum est.* Hebraismus est, & idem valet, ac quæ ratio, quæ causa est. *Quia manifestaturus es nobis teipsum, & non Mundo*; ad quæ verba rectè ait N. D. Cyrill. Alex. lib. 10. in Ioan. c. 2. *Laude dignus est, quippe Solis more per totum terrarum Orbem Christi gloriam splendescere desiderat, nec sibi sufficit si cum paucis, ipse Christum agnosceret.* Noster Apostolus firmiter credebat, & agnoscebat, Christum verum esse Regem, Messiam, ac Salvatorem Mundi, inde fervenți zelo gloriæ, & honoris Dei, vehementer optabat, ut Christus non paucis, sed toti Mundo manifestaretur, ut omnes ei ut supremo Deo, ac Domino adorationem, & venerationem deferrent. 530

Laudantur Thadæus zelo honoris divini.

De parente Elia dicitur Mach. 1. cap. 2. n. 16. *Elias dum zelat zelum legis, raptus est in cœlum.* Diligenter quærit D. Thom. 1. qu. 28. art. 4. in corpore, quisnam fuit iste zelus Eliæ tam celebris, ac magnificatus in Scriptura, ut inde promeruerit tantam gloriam, ut curru sublevaretur in cœlum, cum tanta majestate, ac apparatu, ut de nullo alio usque ad illud tempus similia legantur; & cur in tanto triumpho non fit mentio de ejus puritate, ac virginitate, vel de ejus extrema paupertate, ac mira abstinentia, cum rigorosa vita, vel de ejus religiosa vita totius monastici status exemplari, sed tantùm de ejus zelo? *Elias dum zelat zelum legis raptus est in cœlum.* Thomas Angelicus: *Non patiebatur Elias, quod esset homo vivens, qui Deum non adoraret, & inde dicebat: Relictus sum ego solus*; & tam vehemens, & ardens desiderium gloriæ, & honoris Dei, omnes alias virtutes transcendebat, in quibus maximè florebat Elias, ut in suo triumphali raptu, solùm de suo zelo fit mentio: ex quibus conjice in quanto apice virtutum erat noster Apostolus, ut alter Elias, *non patiebatur, quod esset homo vivens, qui Deum non adoraret.* 531

Zelus honoris Dei virtus imperata inter omnes.

Vel etiam admirans ait noster Iudas Thaddæus: *Quid factum est*; idest, quæ causa, & ratio est; *quia manifestaturus es nobis teipsum & non Mundo.* Hæc tanquam admirans dicebat, optimè enim noster Apostolus sciebat, quod Deus promiserat sui manifestationem universo Mundo, omnibusque gentibus: *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*; & iterum Isai. 40. *Videbit omnis caro salutare Dei*; inde Apostolus zelans honorem divinum, quomodo fieri potest, ait, ut tuum verbum datum, tuum promissum factum non adimpleatur, & tantùm sis manifestaturus te ipsum nobis, & non Mundo, ut promisisti? 532

Zelat Iudas, ut Deus suũ verbum promissum adimpleat.

Ait Deus Noe: *Delebo hominem, quem creavi à facie terræ*, Gen. 6. n. 7. meritò dubitat Rupertus, cur Noe cum accipit sententiam à Deo destructionis universæ carnis, non intercedit, aut loquitur pro hominibus, ut de Moyse legimus Exod. 32. n. 11. *Cur Domine iracsitur furor tuus contra populum tuum? recordare Abraham, Isaac, & Israel, quibus juraſti; multiplicabo semen tuum*; fortitan preces Moysis majoris erant efficaciæ, quàm Noe? vel Moyses ardebat majori charitate in populum, quàm Noe in universos homines? vel Moyses præcedebat Noe in dignitate? cur ergo Moyses suis verbis intendit mitigare divinum furorem, at verò Noe, cum per spatium centum annorum arcam extruens laboraverit, cur tam longo tempore iratum Deum non intendit avertere? Perpende multum interfuisse divino honori, ac authoritati, ne tempore Moysis populus deleretur, promiserat enim Deus Abrahæ, quod in semine ejus, à quo populus originem ducebat, benedicerentur omnes gentes, & quoad usque hoc promissum adimpleretur, expediens erat divinæ veritati populum non delere; tale autem promissum de cæteris gentibus non extabat apud Noe, inde Moyses 533

Instat Moyses, ut Dei promissa adimpleatur.

zelans

zelans divinum honorem pro populo loquitur, ne videretur Deus suis promissis deesse; at apud Noemum nil tale pollicitum erat, ac proinde quod homines delerentur, nil contrarium authoritati, ac veritati divinæ fiebat. Rupert. lib.2. de vict. Verbi Dei cap. 29. *Ille*, nempe Moyses, *non tantùm attendebat multiplicationem seminis, vel possessionem terræ Chanaan, quam tunc erant intraturi, quantum aspiciebat ad honorem Dei, ut esset Deus verax, & victor populi; Abrahæ namque promiserat, imò & juramento repromiserat Deus, quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes, quod est Christus.... Noe universam carnem delere volente rationabiliter dimisit, quia videlicet perditio multitudinis nihil impediebat victoriam Verbi Dei, sive propositi Dei, dummodo superesset, vel unus, ad suscitandum semen mulieris inimicitias habiturum contra semen serpentis.*

Omnium salutem vehementissimè exoptat Thaddæus.

534 Ad citata verba Joan.14. n.21. Iudæ: *Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum & non Mundo?* ac si dicat: Quomodo hoc stare potest, ut nobis tui facias manifestationem, & non Mundo? Ad quæ sic ait D.Cyrill. Alexandr. citat. lib.10. in Isai. cap. 2. *Quoniam pius, & charitate fratrum plenus erat Iudas Thadæus, extendi Salvatoris gloriam, & omnibus fratribus, idest hominibus cognitionem hanc, & gratiam Dei communiter optat.* Noster Apostolus charitate fervens summum bonum fidei, ac agnitionis Christi, quam in se habebat, inde vehementer optat in omnes transfundens, ut omnes lucrifaceret Christo, omnesque in Christo salutem assequerentur. De Apostolis, ac discipulis Christi loquens Petrus dicebat epist.1. c.2.n.8. *Vos estis genus electum regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis;* græc. legit *Populus in acquisitionem;* ad acquirendas Christo animas.

De aliorũ salute valde sollicitus Thadæus.

535 Ait Paul.1. ad Thessal.3. nu. 8. *Nunc vivimus, si vos statis in Domino*; ita Apostolus charitate æstuabat, ut tunc se vivere reputabat, cum alios firmos, ac stabiles in fide, & gratia Christi videret; & quamvis ipse multis magnis donis esset cumulatus, ut usque ad tertium cœlum esset raptus, tamen si alii non essent radicati in Christo non erat illi vita, sed mors. D.Chrysost. hom.1. de S. Romano sic ait: *Vide quantoperè studebat, ut res fratrum rectè se haberent, qui nec se vivere existimabat, si illi salvi non essent. Homo, qui ad tertium cœlum raptus fuerat, atque in Paradisum delatus, tantamque apud Deum fiduciam fuerat assecutus, illorum bonorum sensum non accipiebat, nisi etiam fratres secum salvos esse vidisset.*

Justus tunc vivit, cum alii salvi fiunt.

536 Recole duos præstantissimos Prophetas, Moysem, & Isaiam, divinæ œconomiæ candidissima lumina; ille dum à Deo destinatur, & mittitur ad Israelem, recusat dicens: *Mitte quem missurus es*, Exod.4. n.13. alter verò, vix Dominum sollicitum animadvertit, de ministro eligendo, & statim tanto muneri se offert: *Ecce ego, mitte me*, Isai.6. n.8. uterque piè, ac sanctè agit, sed undè unus se offert, alter se excusat? Div. Gregor. Nazianz. ait: *Bonum est aliquantisper Dei imperium detrectare, ut Moyses ille; & rursus ad vocantem promptè, atque impigrè occurrere, quemadmodum Isaias.* Perpende: Moyses destinabatur ad clavum, ac regimen totius populi, Isaias verò eligebatur ad puricandum, ac sanctificandum populum sua doctrina, ut ipse à manu Angeli calculo purificationem acceperat, ibid. n.6. Moyses ex humilitate detrectat imperium accipere, Isaias vero ex vehementi charitate, qua pro populi salute studebat, promptum se exhibet, ut summam divinam beneficentiam, quam è manu Dei acceperat, miseris hominibus communicaret; purificationis illi datæ alios participes esse volebat, aliosque etiam purificari exoptat. Nicætas Nazianz. Scholiastes sic ait: *Etenim Moyses impari metuens muneri, sibi suoque fragilitati prospiciebat refugiendo, Isaias autem cum remissis sub peccatis audisset, quis proficisceretur ad populum hunc, atque existimaret eam ob causam, nuntium quæri, ut pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur, præ animi lætitia se ipsum offert, ut illis quoque peccata remitterentur: Ecce ego, inquit, mitte me; quare non sine ratione, ille mandatam sibi Provinciam deprecabatur, & hic cupidè ambiebat.* Expende illud: *Ut & illis quoque peccata remitterentur*; vide quæ supra dixi c.12. qu.31. num.241. & seqq.

Justus optat, ut sua dona aliis communicetur.

Judas Thaddæus cordis cultor, illius puritati incumbens.

Ut jam dixi supra, Thaddæus, idest Labæus, qui juxta commentum D. Hieron. in c. 6. Marc. & ex eo Pagnin. de nominibus hæbraic. dicunt Labbæum deduci à corde, quasi cordis cultor, qui scil. cordis puritati, sanctitati, ac perfectioni mirificè incumbit, & hac de causa noster Judas Thaddæus præ cæteris Apostolis S.Bernard. fuit in veneratione, devotione, ac delitiis, ut auctor ipsius vitæ Bernard. testatur lib.5. cap.2. ubi narrat ipsum reliquias S.Judæ Jerosolymis ad se missas, magna, devotione excepisse, atque juxta cor suum semper gestasse, indeque moriturum jussisse eas secum sepeliri, & pectori suo superponi, ut qui ejus intercessione cor perfectum acceperat, in corde semper haberet. 537

Thaddæus cordis, ac illius puritatis cultor.

Et quid excellentius, ac magis desiderabile, utpotè summè gratum Deo, quàm cor rectum, & perfectum? hinc S. Rex Ezechias cum appropinquaret ad portas mortis, & dum pro sua vita exoraret, ait 4. Reg.20. nu.3. *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulaverim coram te in veritate, & corde perfecto.* Multa opera bona sua poterat sanctus Rex in medium adducere, nil eorum commemorat, sed tantùm in medium proponit quod ambulaverit in corde perfecto, quia ibi tanquam in compendio omnia bona continentur, & clauduntur, ab eo enim opera bona veniunt, hinc dicebat David Psal.44. n.1. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi*; si cor habet bonum Dei verbum in se, statim opera Deo consecrata prodeunt: *Dico opera mea regi.* 538

A corde puro omnia bona profluunt.

Hinc orabat Azarias Dan.3. n. 38. *Non est in tempore hoc, Princeps, & Dux, & Propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te, ut possimus invenire misericordiam tuam, sed in animo contrito, & spiritu humiliato suscipiamur, & nunc sequimur te in toto corde.* In oratione sua profitetur, quod nec est Dux, nec Propheta, qui viam ostendat; quod nec est sacrificium, nec holocaustum, nec oblatio, nec alia, quæ ad religionis actus proficiunt, aderant in præsenti, sed tantùm cor contritum, & humiliatum, & hoc abundans & sufficiens erat, pro omnibus sacrificiis, oblationibus, ac totius religionis cultu ad Dei obsequium, ad ejus misericordiam impetrandam, ac ducem in via habendum. Cordis affectus gratissimus est Deo super omnem aliam oblationem. 539

Cordis puritas Deo placet super omnia sacrificia.

Juxta Origenis lectionem ait Moyses ad populum Exod.35. n.5. *Sumite à vobis ipsis redemptionem Domino, omnis qui concipit corde offerat, initia domino aurum, & argentum*; quid est, quod ait: *Sumite à vobis ipsis*; nunquid homo habet in se ipso aurum, & argentum? ad quid ergo tendit talis modus imperandi? Non aurum materiale quærit Dominus, sed aurum cordis humani, quod vult Deus, ut unusquisque ei offerat cum omni suo affectu, ac desiderio, quod ei maximè cordi est. Orig. homil.13. in Exod. ait: *Quid est quod dicit Moyses, offerte à vobis ipsis, & unusquisque sicut concipit corde? nunquid intra me aurum nascitur, aut argentum?* Aurum, & argentum cordis nostri quærit Deus. 540

Puritas cordis super aurum æstimabilis.

Quod confirmatur ex his, quæ dicuntur 2. Paral.11. *Sed & de cunctis tribubus Israel, quicunque dederunt cor suum, ut quærerent dominum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandas victimas suas coram Domino Deo patrum suorum, & roboraverunt regnum Israel;* undè isti boni viri iram Dei placare potuerunt, & regnum suum stabilire, ac roborare? Quia cor suum dederunt Deo, & cum cor est Deo unitum, statim furor Dei quiescit, & omnia bona profluunt. 541

Cordis munditia placet Deo.

Thaddæus virtute apostolica temporalia contemnit.

Cum noster Judas Thaddæus Mesopotamiam peragrasset, innumerasque gentes in fide Christi peperisset, Abagarum Regem, Mederum ab elephantiæ morbo sanavit, qui cum divitias suas Apostolo obtulisset, omnia ille generosè rejecit, ut scribit Eusebius lib.1. cap.14. *Cum Abagarus beneficia sibi collata* 542

Thaddæus temporalia contemnit.

compensare auro, vel argento, compensatam oblationem respuit, & Apostolus apostolicam sententiam, dum recusaret, protulit: Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? O magnum proloquium apostolicum! qui enim propria sua, non solùm bona, sed etiam propriam terram, ac patriam, suosque parentes, cognatos, & amicos, imò & seipsum, suamque voluntatem, qua nihil pretiosius est, reliquit, quomodo, & alia non contemnet? Nil magis est homini in pretio, ac æstimatione, quàm propria voluntas, propriusque affectus, ac illius patria, & parentes; & si Apostolus hæc parvipendat, quomodo minoribus illaqueabitur? de temporalium contemptu vide in Indice verb. contemptus.

543 Ad rem. Magnus ille athleta Job, bonis omnibus spoliatus juxta lectionem Septuag. cap. 2. n. 8. *sedebat super acervum stercoris extra civitatem*; cur non in civitate, sed extra sessurus abiit? Magna sanè animi generositate, amisit ille regnum, multas civitates, ac copias, nec in civitate angulum vult: Qui à magnis excluditur, in parvis non adhæreat. Origen. lib. 2. in Job ait: *Cur in civitate maneam, cum re, ac filiis, & civitate, & domibus carui? Cum re familiari, ac liberis, corona regni ablata est mihi, cum regno, relinquam etiam civitatem, ac domum.* Erubescant illi, qui regna, qui Mundi grandia generosè à se repellunt, si postea parvis, ac minoribus irretiuntur.

Qui contemnit majora non detinetur in minoribus.

544 Hoc nos docuit ipse summus magister Christus Jesus, qui cum semper secum haberet suos discipulos, tamen post saturatas turbas Joan. 6. n. 15. *Cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*; expende illud: *Ipse solus*; non à populorum acclamatione, ac regno solùm fugit Jesus, sed etiam à discipulis fugit, ac si etiam de discipulorum ductu obliviscatur; solus fugit, & meritò sanè ne videretur paucorum ductu teneri, qui multorum populorum regnum, ac ductum dimittebat. Orig. tom. 31. in Joan. *Jesus cum cognovisset futurum, ut venirent, & raperent eum, ut illum regem facerent, secessit in montem, sed non cum discipulis, sed solus, ne his occasionem præbeat, quod ipsorum etiam Rex esset.* Valde indecorum videtur, ut qui magna relinquunt, videantur adhuc teneri, & illigari parvulis.

Princeps si magna dimittit, dimittat & parva.

545 Cum meus Jesus comprehenderetur, Petrus ardentissimo zelo nefario militi auriculam amputavit, & tamen à Domino non fuit probatus, & ait illi: *Mitte gladium tuum in vaginam*, Joan. 18. nu. 11. cur Domine tantum obsequium à tuo discipulo præstitum contemnis? ad quid reprimere eum vis? Christus D. noluit habere in sui defensionem duodecim legiones Angelorum, nec pro illis rogare Patrem, & qui tot exercitus reliquit, noluit unius gladio se tueri. Div. Leo serm. 6. de Passion. ait: *Superfluum erat, ut qui nolebat præsidio angelicarum virtutum tueri, vellet se unius discipuli oppositione defendi.* Qui fugit Mundi magnalia, de parvis non sit sollicitus.

Qui multas copias dimittit, non parvis hæreat.

Judas Thaddæus mira luce facie refulget.

546 D. Bonav. citato serm. de S. Simeone, & Juda sic ait: *Cum Abagarus Rex vidisset Thaddæum scil. Judam Christi discipulum contemnentem munera, ille intuitus cum vidisset in ejus vultu quendam nimium splendorem, mirificè radiantem, adorans Deum, dixit: Verè discipulus Christi Jesu filii Dei vivi.* Cum noster Apostolus stat coram Abagaro Rege solaribus radiis fulget, & splendet in vultu, veluti cum Steph. stat in Concilio Act. c. n. 15. circumstantes *viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli*, ut sæpè dixi ex D. August. *radiantem tanquam Angeli.* Facies Thaddæi resplendet, sicut & facies Stephani, hac tamen differentia; Stephanus splendens, ut blasphemus judicatur, Thaddæus splendens ut Christi discipulus habetur; Stephanus splendens lapidatur, Thaddæus splendens magno cultu veneratur; Stephanus splendens multo impetu à turba judæorum impetitur, Thaddæus splendens à Rege deposita corona, magnis honoribus recolitur.

Thaddæus fulget splendore, & magna differentia ab Stephano.

547 Ex quo conjice, quam aptè noster Apostolus Thaddæus dicatur cultor cordis, qui sic valuit cor regis idololatræ expolire, ac suis intercessionibus coram Deo illuminare, ut cognosceret Apostolum verè discipulum Jesu Christi filii Dei vivi, ad quod multum conducens fuit præsentia Apostoli, quæ sui humilitate, mortificatione, ac modestia odorem sanctitatis exhalabat. Accessit Parens Elias ad mulierem viduam, petitque ab ea buccellam panis, quæ respondens dixit ei: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem*, &c. 3. Reg. 17. n. 12. quibus verbis mulier eum maximè veneratur ut justum, sanctum, virum Dei, ac Prophetam; quod notavit D. Basilius Seleuc. orat. 11. & ait: *Vivit Dominus Deus tuus. Tanquam Prophetam honoras, quem mendicum vides, undè in prophetæ notitiam venisti?* Et quamvis aliqui dicant ex revelatione, tamen satis communiter dici potest, quod ex situ, præsentia, ac gestu, quæ omnia per se sanctitatem ferebant, cognoverit ipsum esse virum justum, ac sanctum Dei, & Prophetam. De ejus morte, ac martyrio dicam quæst. seq.

Thaddæus gestu, & præsentia sua sanctitatem exhalabat.

QUÆSTIO XXXIV.

Quare S. Simon Chananæus, seu Zelotes adumbratur in Hiacyntho lapide.

548 Hiacynthus gemma est pretiosa, & ut advertit Cornel. juxta Symmach. deducitur ex nomine hæbraico significante marinum colorem. In rationali Pontificis Exod. 28. n. 19. ponitur ligurius, qui ut ex multis probat Cornel. idem est, ac hyacinthus. Alcazar in præsenti tenet ligurium esse genus succini, vel electri, & esse speciem hyacinthi, in eoque scriptus erat Azer. Hæc gemma ad Iseram fluvium in confinibus Silesiæ, & Bohemiæ invenitur, & iste, ut ignobilior; optimi verò & nobiliores ab Oriente deferuntur, ac in Canano, Caleco, & Camdia, reperiuntur.

Nominis derivatio.

549 Hyacinthus apud veteres, idem est, qui nunc à gemmariis vocatur Sapphirus, ut tenent Rucus, Gregor. Agricola, & Alkaz. Hyacinth. olim æquè, ac noster sapphirus cærulei coloris est, qui modicè violaceo diluebatur, ut docent Plin. lib. 37. c. 9. D. Hieron. Nyssen. Greg. Magn. Euchir. ad cap. 1. Ezech. qui dicunt esse cærulei coloris, vel aerii. Anselm. Boetius lib. 2. gemmis c. 29. affirmat, quod moderni hyacinthi sint coloris aurei, ut mellei, & chrysolithi sunt; prima tamen sententia, ut accepi à peritis gemmariis est vera.

Color cæruleus.

550 Ejus proprietates multas referunt citati auctores: 1. Si in ore feratur illud refrigerat, sono favet, & à fluminibus liberat, illum habenti divitiæ augescunt, ingenium acuit, suspiciones abigit, à venenatis rebus, & ab aeris corruptione defendit, amentiam coercet, phantasmata, ac nocturnas visiones excludit, & potissima ejus vis agnoscitur in cordis medicina adversùs venenum, febresque sanat, & si comminutus, & in pulverem redactus bibatur, pectoris doloribus medetur.

Proprietates.

Sanctus Simon Apostolus totus cœlestis in Hyacintho repræsentatur.

551 Andr. Cæsar. cap. 66. in Apocal. de Ligurio, seu Hyacintho, sic ait: *Hyacinthum qui cærulei, aeriique coloris speciem præ se gerit, ad Simonem tanquam charismatum, & gratiarum Christi relatorem, cœlestemque prudentiam haud vulgarem fortitum, haud incommodè retuleris.* Subscribit etiam Aretas cap. 67. in Apocal. *Undecimus est hyacinthus, huic qui cærulei coloris est, sive aerem referentis Simon Zelotes assimilatur, figuram quidem gerens continuæ errantis turbæ zelantium, sive amatorum, aut invidorum (ideo etiam veluti aerem, ac ventum mentem sequens) attamen per veritatis cognitionem, quanquam ferò zelum ad id, quod optimum est accommodans.* Ex utroque auctore, ac etiam ex D. Isidoro habemus Simonem Apostolum in hyacintho significari, quia hæc gemma cæruleum, ac cœlestem habet colorem, quia hic magnus Apostolus, quamvis de terra natus, totus fuit cœlestis vita, moribus, actionibus, operibus, ac doctrina.

Apostolus Simon cœlestis.

Dicitur Isai. 60. nu. 8. *Quid sunt isti, qui ut nubes volant?* quæ verba ut jam super. quæst. dixi S. Bonav. in serm. de S. Simone & Juda, his duobus Apostolis accommodat, & ait: *Isaias per spiritum prævidens, nostros scil. Apostolos, substantias deferre, conjugia non appetere, filios non generare, nil in terra petere, nil possidere, non eos per terram velut homines ambulantes, sed nubes volantes appellat.* Non ait Isaias currunt, sed volant,

volat, quia nostri Apostoli, etsi de terra essent nati, tamen operibus, vita, vivendique modo videbantur, non tanquam homines degere in terra, sed tanquam quid supernum, ac cœleste per cœlum volare.

553 Inde ergo propter cœlestem vitam noster Apostolus in hyacintho cœlestem habente colorem denotatur. D. Chrysost. ait sponsi Cant. 5. nu. 14. *Manus ejus tornatiles aureæ plenæ hyacinthis*. Opus tornatile perfectum est, cui nihil addi, vel minui potest, inde manus Christi, seu Christi opera, dicuntur tornatiles, utpote consummata, & perfecta in omni genere; *aureæ*, utpote fulgentes claritate; *plenæ hyacinthis*; & cur potiùs plenæ dicuntur hoc lapide pretioso, quàm quocunque alio, ut topazio, vel adamante? Hyacinthus ob suum colorem cæruleum, denotat cœlestia, inde dicuntur plenæ hyacinthis, quia omnia opera Christi prudentia, beneficentia, ac dispositione, cœlestia, ac divina erant. Angelomus: *Plenæ hyacinthis, utpote opera Christi cœlestia erant*. Ex his considera quanta sit celsitudo S. Simon Apostoli, quantumque assimilatus fuerit Christo in suis operibus, suoque vivendi modo, ut per hyacinthum denotetur, per quem, divina Christi opera significantur.

Christi opera & Simonis eodem typo significantur.

554 Admonet Christus D. suos discip. dicens: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*, Matth. 5. n. 48. id est ut se intendant quantum fieri potest assimilari cœlesti parenti; cur tunc dicit Patrem cœlestem, & non potiùs Patrem misericordiarum, Deum consolationis, ut eum Paulus vocat, vel alio nomine, sed cœlestem tantùm dicit? Intendebat Christus ut sui discipuli supremo domino similes fierent, inde eum Patrem dicit. Valde congenitum est filiis, ut ad similitudinem suorum parentum se componant; si ergo erant filii cœlestis Parentis, & inde Christus eos orare docebat: *Pater noster qui es in cœlis*, Matth. 6. debebant cum eo se proportionare, ut sicut ille per naturam cœlestis est, ita & illi quamvis sua conditione terreni, tamen per gratiam ejus fierent cœlestes. D. Greg. Nyss. lib. Orat. D. c. 2. ait: *Dum nobis Patrem cœlestem invocandum præcepit Christus, magnam hominis dignitatem ostendit, cui potestatem dedit filium Dei fieri, ut humilia hæc, & vilia contemnens, Deum tantùm cogitet, & inquirat*; & inde rectè Christus D. suis Apost. dixit: *Vos de hoc Mundo non estis*, Joan. 15. n. 19.

Apostoli cœlestes admonebantur à Christo.

Sanctus Simon promptè obediens, dum tacens audit divina præcepta.

555 Simon ex suo significato obedientiam dicit, in qua valde insignis extitit noster Apost. ut statim dicam. Rectè D. Laur. Justin. in ser. scilicet Simonis, & Judæ, expendens illud dictum Christi D. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*; ait: *Hanc salutarrimam exortationem sapientiæ gloriosissimi Apostoli Simon, & Judas, quorum dies natalitius hodie celebratur mente, & corpore audire meruerunt; sæculi quippe blanditias, carnis lenocinia, terrenas facultates, quomodo spernere potuissent, nisi corde, & corpore accessissent ad Christum, tanquam veri obedientes discipuli in omnibus*.

Simon valde singularis in obedientia.

556 Pro quo profundè considera, alios Apostolos sæpè locutos fuisse in Evangelio, at de nostro Apostolo, nullum habemus verbum scriptum, quod ipse dixisset, sed promptè obediens Christi verba audiebat, & auscultabat. Petrus frequenter loquitur in toto Evangelio, Jacobus, & Joannes, cum primas sedes petunt, Matth. 20. Andreas, & Philippus in convivio deserti, 9. & cum gentiles Christum videre voluerunt, Joan. 12. Thomas cum ad condiscipulos ait: *Eamus & nos, & moriamur cum illo*, Joan. 11. Judas Thadæus cum de sui magistri manifestatione agit, Joan. 14. Bartholomæus & multorum est sententia ipse est Nathanael, ut dicit Christo: *Tu es filius Dei vivi*; at noster Apostolus semper tacens, nullum dictum ab eo scriptum habemus, in quo denotatur summa ejus perfectio, consummata obedientia, eximius affectus maximè cum Christo unitus.

Simon in Evangelio obedienter accedit & non loquitur.

557 De Justo, ac viro sancto ait Ierem. Thren. 3. n. 28. *Sedebit solitarius, & tacebit*. Nota ordinem verborum; priùs ait, quod sedebit solitarius, deinde quod tacebit. Priùs mens sit solitaria, ac denudata à terrenis rebus illarumque concupiscentia, & in hoc forti, & constanti animo perseverans, & tunc consummata perfectione tacebit, absque aliquo verbo dicto, ut audiat divina mandata, & illa impleat, & exequatur. D. Ambr. ser. 2. in Ps. 118. ait: *Feriatus ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis, & voluptatis divinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus revelari*.

Monet Moyses populum, & ait: *Attende, & audi Israel, hodie factus es populus Domini Dei tui*, Deut. 27. nu. 9. Israelitica gens antea jam per multos annos erat populus Dei, quo ergo fundamento ait Moyses, quod hodie factus sit populus Dei? Considera, quod ait: *Attende, & audi Israel*; Græc. habet: *Tace, & audi Israel*; & qui tacendo audit, perfectam formam, ac studium obedientiæ ostendit, & inde insigniter, ac peculiariter vocatur servus, ac populus Dei. D. Hier. ep. 4. ad Rustic. ait: *Credas salutare, quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judicet, cujus officium est obedire, & implere ea, quæ jussa sunt, dicente Moyse: Tace Israel, & audi*. Rectè agit, & sanctè, qui silens obedit, satius putat obtemperare, quàm obstrepere, undè teste D. Ambr. lib. 1. offic. c. 2. *Moyses non dicit loquere, sed audi Israel*, Deut. 6. n. 3. nam ut ait Iustin. Venetus de Controv. Monast. c. 7. *Obediens jussa facit libens, nec de jussis quæritur, nec disputat, ne præceptore prudentior esse videatur*.

Sub Deo magistro dicitur non loquendo, sed audiendo.

Ex quo David suum silentium commendat, cum se ad obediendum Deo accingit Ps. 61. n. 2. *Nonne Deo subjecta erit anima mea?* Hebraic. legit: *Deo silentium animæ meæ*; a verbo hebraico, *quod est tacere, & subjacere*. Hoc colore, ac studio dicendi hortatur Isai. 47. n. 5. *Sede tacens*; Hebr. text. habet: *Sede subjacens*. Ille perfectè subjacet, qui tacens est. Taciturnitatem crede, obedientiæ dotem esse, qua homo nihil de mandatis differit, nihil omnino quærit. Hac dote Samuel, cum primò, secundò, & tertiò vocatus esset à Deo, toties *cucurrit ad Heli, vocasti enim me*, 1. Reg. 3. n. 5. idque in profunda, & alta nocte: res videtur absurda puero, cum etiam toties rejectus esset ab Heli, cur saltem secunda, & terita vice, non quærit, quis est, qui me vocat, & ad quid vocat? quo, vel motivo, vel causa? sed nil disputat, nil quærit, sed submisso capite cucurrit ad Heli. D. Greg. lib. 2. in lib. Reg. ait: *Nescit judicare qui quis perfectè didicit obedire; hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat*.

Obediens non quærit, nec disputat de mandato.

S. Simon præclarissimus zelo honoris Dei.

Nostrum Apostolum Simonem Chananæum vocat D. Matth. c. 10. n. 4. & Marc. 3. n. 18. Chananæus idem est, ac zelus, & expressè referens catalogum Apostolorum D. Luc. c. 6. n. 15. *Et Simonem, qui vocatur Zelotes*; & idem nomen ei apponit Act. 1. n. 13. *Et Simon Zelotes*. SS. Apostolis varia nomina imposita sunt, tanquam indices futurorum, ac eorum virtutum, ac munerum; sic Princeps Apostolorum dicitur Petrus à petra, quia ipse petra fundamentalis totius Ecclesiæ futurus erat; Joannes, & Jacobus dicti sunt à Christo Boanerges, & Jacobus minor, seu Alphæi frater Domini, non solùm ob cognationem, sed etiam ob eximiam similitudinem cum ipso; sic & noster Apostolus dicitur Zelotes ob ejus eximium amorem, ac zelum in Deum, cuique peculiariter commissus zelus honoris, ac auctoritatis Dei.

Simon Apostolus dicitur Zelotes.

Ait Christus D. Joan. 8. nu. 50. *Ego non quæro gloriam meam, est qui quærat, & judicet*; scilicet Pater meus, ut tenent communiter Patres, Aug. D. Chrysost. undè præclarè dixit Alb. Magn. in quodam ser. alibi à me citat. *Christus Ecclesiam suam Petro commendavit, Joanni Virginem Matrem, discipulis corpus suum: Accipite, & dividite inter vos; honorem verò Patri*. Quamvis Christus suam Ecclesiam regendam Petro tradiderit: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; suamq; sanctissimam virginem Matrem Joannis curæ commiserit: *Ecce mater tua*; discipulisq; suis corpus suū dederit: *Accipite, & dividite inter vos*; tamen proprius honor tanta est ei æstimatione, ut solùm Patri commendaverit; quod nec Petro, nec Joanni, nec cæteris Apostolis, sed solùm Patri est reservatum, hoc peculiariter videtur commissum zelo Simonis Apost. ut ipsi æterni Parentis vices gerens, de illius honore ferventi zelo curam habeat, & inde insigniter inter omnes dicitur zelotes.

Zelo S. Simonis committit Christus suum honorem.

562 Dicitur Simon Zelotes, Deus dicitur zelotes: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes*, Exod. 20. n. 5. Exod. 34. n. 14. Deus dicitur zelotes sumpta metaphora, ut explicat ibi Adamantius à viro, qui legitimè matrimonio conjungitur cum uxore, & non patitur in ea potestatem peccandi cum altero, sed accenditur zelo ad castitatem matrimonii conservandam; Deus autem animas fide sibi desponsavit, teste Paulo: *Desponsi vos uni viro, virgines castas exhibere Christo;* non ergo mirum, quod Deus zelotes prædicetur, ita enim Deus animas nostras diligit, ut non patiatur eas peccatis, ac vitiis coinquinari, ac se tradi. Adaman. ait: *Ideo zelans dicitur Dominus, quia animam sibi mancipatam, non patitur dæmonibus admisceri*. Exinde ergo noster Apostolus dicitur zelotes, quia præ cæteris eximia Dei charitate ardebat, & non patiebatur, ut anima, quæ Deo conjuncta erat, sive per fidem, sive per creationem ab eo discederet, peccatis, ac vitiis serviens.

Deus dicitur zelotes & hoc nomine nobilitat Simonem.

563 Ex tanto affectu zelo gloriæ, ac honoris Dei, facilè colligitur celsitudo nostri Apostoli. Israelitam luxuriantem cum Madianite interfecit Phinees, quod factum ita fuit gratum Deo, ut diceret Dominus Moysi: *Phinees avertit iram meam à filiis Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, ut non delerem filios Israel; id circo loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini ejus pactum sacerdotii sempiternum*, Num. 25. n. 11. 12. Quid sit pactum sacerdotii sempiternum explicat Abul. quod scilicet ipse Phinees, cum sua stirpe post Patrem Eleazarum in pontificatum succedet, ita ut pontificatus inviolabiliter maneat in ejus familia, & posteritate semper, quamdiu scilicet judæorum respublica fit; sed cur tantus honor non defertur Moysi, ac semini ejus in sempiternum, cum de ipso inter omnes servos ait Dominus: *In domo mea fidelissimus est; ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata*, Nu. 12. n. 7. qui dux & princeps totius populi erat, qui in Dei oratione, contemplatione, ac veneratione admirabilis extitit, multasq; persecutiones in Ægypto, multasq; adversitates in deserto in multa patientia sustinuit, cum esset mitissimus omnium, cur ergo ei, ac ejus semini non conceditur supremus summi sacerdotii honos, sed tantùm Phinees? Quia licèt Moyses fuisset illustrissimus in omni virtute, Phinees maximè resplenduit zelo honoris Dei, dicente Domino: *Zelatus est pro Deo suo;* & sicut zelus supereminet omnibus virtutibus, quæ sine zelo nihil sunt, & substantiæ suæ amittunt prærogativam, ait D. Ambr. in Ps. 118. sic qui zelo Dei fulget, cæteris omnibus antefertur honore, & dignitate, maximèque gratus sit Deo.

Zelus honoris Dei alias virtutibus supereminet.

Sancti Simon, & Judas Apostoli testimonia falsa dissolvunt, ut veritas appareat.

564 Cum S. Apostoli degerent in Babylonia, accidit, ut quædam mulier nobilis conciperet, quæ totum crimen conjiciebat in Euphrosinum SS. Apostolorum diaconum; res delata est ad Regem Babylouiæ, diaconus in carcere, ac vinculis conjectus est, & cum Apostoli cognovissent diaconi innocentiam, faciunt adduci puerum natum, & ab eis interrogatus puer, an ille diaconus esset ejus parens, respondit puer, quòd diaconus tale crimen non commisisset, & quod erat bonus, & rectus absque peccato mortali, sicque falsitatem mulieris manifestarunt, veritatem aperuerunt, & innocentia defensa, ac custodita perseveravit.

Falsum testimonium repellunt Apostoli.

565 Magna, & suprema virtus quæritur ad repellenda falsa testimonia. Per falsa testimonia duorum seniorum ducebatur Susanna ad mortem; quid tunc? *Suscitavit Dominus Spiritum Sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel*, Dan. c. 13. n. 45. Syrus legit: *Misit Deus subitò Spiritum suum Sanctum super puerum parvum;* Arab. *Commovit Deus Spiritum Sanctum in juvene nominato Daniel*. Ad arguendos senes accusatores Susannæ mittitur Spiritus Sanctus à Deo in puerum Danielem, & ad arguendum summum sacerdotem Heli de peccatis suis: *Venit vir Dei*, 1. Reg. 3. n. 27. ad annuntianda peccata Regi Saul, regnumque ab eo transferendum venit Samuel 1. Reg. 15. n. 1. ad mortemque aperiendam Regi Ezechiæ venit Isai. 4. Reg. 20. n. 10. & tamen pro defensione Susannæ, mittitur ipsemet Spir. S. à Deo; & si ad arguendum sum. Pontificem veniat vir Dei, ad

Ad [illegible] testimonia falsa ad [illegible] Spiritum.

ad annuntiandaq; infausta regibus, ut mortem, & regnum ablatum veniant Prophetæ, tamen adeo est difficile iniquorum, testimonium repellere, eorumque falsitatem aperire, machinationes detegere, ut ad hoc ipsemet Spititus Sanct. dicatur à Deo missus. D. Chrisost. ho. de Susanna, ait: *Spiritus Sanctus continuò nequissimorum seniorum vidit fallaciam, falsi nequissimi testes sunt, redite in judicium; quid pluribus? apparuit falsitas*.

Veniat huc Job, cui post amissam totam rerum substantiam, post filiorum mortem, post gravissimos morbos corporisque dolores, venit ultima tentatio amicorum calumnia multis composita falsis criminibus: *Ubi est timor tuus, quis unquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt?* Job. 4. nu. 6. Tanquam fortissimum, ac durissimum telum, falsa amicorum objurgatio ad ultimum locum reservatur, ut observavit D. Ambr. in exhort. ad Virg. & ait: *Adhuc amicorum increpationes ad certamen ei ultimum reservantur. Luctatus fuerat cum affectu paterno, luctatus cum dolore corporis, & ægritudine, oportebat eum subire etiam sermonum tentationes;* & quid terribilius homini ingenuo, quàm mendosa, & falsa calumnia? Clamabat ipse Job. c. 19. n. 2. *Usquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus;* non quæritur de morbis, non de morte filiorum, non de tota re amissa, sed de falsis verbis querebatur, tanquam si hæc importabilia essent. Origen. in Catena Græca ait: *Iobus athletarum fortissimus, in cujus libro nihil ita eminet, ut ejus fortitudo, & patientia, labores tamen sentit, quos ex duro sermone hauriebat, idcirco his loquitur verbis: Quamobrem ad corporis dolorem, animi quoque molestiam adhibetis? cur meum magis verbis, quàm doloribus corpus concidit?*

Falsa testimonia generant acerbissimum dolorem.

Misertus Dominus super labores Job, ut ei restitueret omnia dixit ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Iob*, c. 42. n. 5. si Eliphaz non fuit locutus rectum coram Domino, quomodo tantam assequitur dignitatem, ut cum Domino sit locutus? cur ad eum non mittitur Angelus, vel aliquis bonus vir? Agebatur de calumnia falsa diluenda, & verbo mendaci destruendo, ac falso testimonio refellendo, & veritate aperienda, ac manifestanda, quod adeo perdifficile habetur, quod inde, nec Angelus de cœlo, nec vir sanctus, & bonus de terra mittitur, tanquam ad tam magnum negotium non valde aptus, sed ipsemet Dominus adest, ut ejus divina præsentia, ac verbo falsæ impositiones dissolvantur, ac destruantur.

Ad falsa testimonia destruenda veluti ex gitur Dei præsentia.

Magno imperio Apostoli dæmonibus dant facultatem.

Cùm Sancti Apostoli Simon, & Judas pervenissent in Persidem, statim idola dæmonum, quæ solebant dare responsa obmutuerunt, & ne verbum quidem ampliùs dixerunt; cùm Jesus ejiceret Dæmonium in Synagoga ab homine exclamavit dicens: *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos? & comminatus est ei Iesus dicens: Obmutesce, & exi de homine; & exclamans voce magna exiit ab eo*, Marc. 1. nu. 24. Jesus imperat dæmoni obmutescere, & ille adhuc exclamat, & perstrepere audet; imperant Apostoli ut taceat, & ille alto silentio comprimit os, & nec in unum verbum minutum prorumpit; hìc adimpletur illud, quod dictum est à Christo D. *Opera, quæ ego facio, & ipsi facient, & majora eorum facient*.

Ad imperium Apostolorum tacent Dæmones.

Postea verò data facultate ab Apostolis, idola dant responsa; cùm essent interrogata super bella ab Indis illata, dixerunt bellum diuturnum futurum, ac longævi temporis, multoque sanguine cruentatum; quod cùm audissent Apostoli irriserunt, asserentes intra spatium viginti quatuor horarum, nuntios eventuros ab judæis petentes pacem, ut revera contigit; permittunt Apostoli, ut idola loquantur, ut ex eventu rei dæmonum falsitas agnoscatur, ipsorumque Apostolorum veritas fiat manifesta: Facilè unusquisque ex sua lingua, ac ore agnoscitur; vide, quæ supra dixi c. 13. q. 12. n. 101. & seqq.

Falsitas dæmonum & Veritas Apostolorum.

Deinde Apostoli dant facultatem dæmonibus, ut loquantur, ut cognita eorum falsitate, nulla inde fides

eis

eis adhibeatur. Dantur Jacob. felicissima nuntia de vita, imperio, ac opulentia Joseph, quo nihil illi gratius, ac optabilius contingere poterat, tamen ut ait text. *Quo audito Jacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat eis*, Gen. 45. n. 26. & cur non credidit bonus senex tot testibus? Forsitan omnium ore audierat Joseph mortem, inde factum est, ne facilè credat dicentibus de ejusdem vita, prosperitate, ac imperio, quo dominatur in tota terra Ægypto; meritò ergo bonus senex non dabat eis fidem, qui enim dixerant Josephum mortuum, non creduntur, cùm vivere affirmant. D. Chrysost. ibi ait: *Incredibile ei visum est, quod de Joseph annuntiabatur, & meritò; qui enim tunc attulerant vestem sanguine hædi inquinatam, & patri persuaserant, quod à bestiis esset devoratus, nunc dicunt quòd vivat, & dominetur in Ægypto.*

Deprehensus in mendacio amplius non est credendus.

571 Peccavit Petrus, pœnitentia commotus respiciente Jesu, *egressus foras flevit amarè*, Matth. 26. n. 75. cur magne Petre cum tanto silentio egrederis? Peccasti in cœlum coram amantissimo tuo magistro Jesu, accelera ergo, & accede ad tuum magistrum, & dic ei: Piissime, ac amantissime Jesu peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari discipulus tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis; cur in salutis suæ causa, nec verbum aliquod dicit, sed alto silentio foras egreditur? Prudenter quidem, salutis negotium, nequit linguæ credere, quæ negationi ter servivit. D. Maxim. de Pœnitentia Petri ait: *Ideo Petrus jam non utitur sermone, quo fefellerat, quo peccaverat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo usus fuerat ad negandum, ac per hoc mavult causam suam flere, quàm dicere.*

Lingua semel mēdax semper præsumitur mēdax.

Sancti Simon, & Judas Apostoli illustri martyrio venerantur.

572 De martyrio Sancti Simonis hæc scribit Abulens. ad c. 10. Matth. q. 22. & ait: *Isti enim Simoni, ut dicit Hieronymus, Ægyptus sorte prædicationis data est, ubi cum Evangelium Christi prædicasset, rediit in Judæam, & Jacobo justo, qui primus Jerosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus fuerat, occiso, ex consensu Apostolorum, Jerosolymitanus Episcopus iste Simon factus, in quo usque ad centum, & viginti annos, manens vitæ suæ, tempore Trajani Imperatoris, crucifixus est, eodem die, quo Judas frater Jacobi, licèt non eodem anno, nec etiam eodem loco, & eodem die, communis solemnitas colitur*; in hacque sententia sunt Eusebius & Beda relati à Div. Antonino 1. p. tit. 6. c. 14. cùm tamen ipse D. Antoninus oppositum teneat.

573 Tamen hæc sententia est falsa, & contraria vera, quam tenet communis consensus DD. Ecclesiaque Romana in Breviario die 28. Octobris in festo istorum Apostolorum, & ait: *Postea in Perside convenientes, cùm innumerabiles filios Jesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminassent, doctrina, ac miraculis, ac denique glorioso martyrio, simul sanctissimum Jesu Christi nomen illustrarunt.* Deinde prædicta sententia Abulensis, confundit Simonem Apostolum cum Simone Episcopo Jerosolymitano, quos ut distinctos celebrat Ecclesia Romana, nostrum Apostolum citata die 28. Octob. alterum verò Episcopum die 16. Febr.

Sanctus Simon Apostolus distinctus ab alio Simone Episcopo Jerosolymitano.

574 Tamen cùm certum sit quòd nostri Apost. gloriosissimi martyres extitissent, nihilominus martyrii genus valde est incertum, an fuerint crucifixi, trucidati, lapidati, vel gladio decollati, undè ait Baron. tom. 2. Annal. ad an. Christi 68. n. 5. *Malumus hoc ignorare, quod à majoribus, non sit traditum, quam temerè quid certum in re dubia statuere.*

Genus martyrii Simonis & Judæ ignoratur.

575 Et magna consideratione dignum est, quòd aliorum Apostolorum martyrium exactè cognoscimus. Petrus crucifixus est verso ad terram capite, Paulus gladio decollatus, Andreas in Cruce suspensus est, Jacobus ab Herode gladio decapitatus est, Joannes in dolium ferventis olei missus, purior exiit, quàm intravit, Thomas lancea transfixus, Philippus crucifixus, & lapidibus obrutus, Jacobus frater Domini è pinnaculo templi præcipitatur, Bartholomæus, vivus à barbaris excoriatus est, Matthæus sacra faciens transfigitur; solùm de nostris sacris Apostolis genus martyrii, alto silentio premitur; de morte aliorum Apostolorum nobis aperta datur notitia, & in his duobus maximè nobis est abscondita, & occulta, fortè ob amborum majorem celsitudinem, sæpè enim augustæ majestatis est indicium, rem potiùs silentio venerari, quàm verbis manifestare, ac declarare.

Martyrium aliorum Apostolorum cognoscitur.

Vidit Isaias Dominum super solium excelsum, & 576
elevatum inter Seraphim alas, & clamantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum; plena est omnis terra gloria ejus; & dixi, Væ mihi, quia tacui*, c. 6. nu. 5. de qua admirabili visione agens Joannes Evangelista c. 12. n. 41. *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est de eo.* Videtur contradictio in text. nam Isaias postquam vidit gloriam Domini ait: *Væ mihi, quia tacui*; Joannes verò testatur quod verba protulerit de eo: *Et locutus est de eo*; quomodo hæc possunt stare, tacere, & loqui? Optimè sanè; tacendo loquitur Propheta, dum enim augustam mysterii majestatem tacendo veneratur, de ea altisonè loquitur, & præclarum dat testimonium.

Magna mysteria potius silentio, quā verbis significantur.

Christus D. passioni proximus anxiè ad Patrem 577
orat in horto; tunc *apparuit Angelus de cœlo confortans eum*, Luc. 22. n. 43. Hic textus multas habet expositiones, ut suo loco dixi, nam consolatio, saltem in repræsentatione, videtur aliquid novum involvere; & quid demùm Angelus loqui poterat, quod Dei filium, & verum Deum priùs lateret, & deinde, nec quid de consolatoriis verbis suggerere potuerit Angelus idoneum? Facilè occurrit Pineda exponens illud Jobi, dum dicitur quod amici visa ejus calamitate, attoniti *sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum, videbant enim dolorem esse vehementem*, c. 2. n. 13. sic expendit hanc eloquentem taciturnitatem amicorum, simul & præfata verba Lucæ de Angeli consolatione, & ait: *Est miseris in primis delectabile sumere actuale experimentum de vera amicitia per certa, verissimaque signa, nullis etiam verbis adhibitis, & quidem fortè Angelus, qui Christum D. orantem confortabat, ea potissimùm ratione consolabatur, non quidem verbis illis.* Ad Christo D. consolationem exhibendam muta, & infans est humana lingua, tatiscit, ac deficit Angelorum facundia, & quid verbis loquatur, & quomodo dicat, ignorat, & ubi deest humana, & angelica eloquentia, adsunt Christo Angeli, linguata arcani silentii eloquentia, altaque taciturnitate tot mysteria, tot dolores, ac tormenta venerantes, Christum confortasse dicuntur. Ubi desunt verba angelico cœli oratori, silentium loquitur, & taciturnitatis eloquentia significat, quod lingua eloqui non valet: vide tom. 1. in Apoc. c. 8. quæst. 2. n. 23.

Magna potius silentio, quā verbis venerātur.

QUÆSTIO XXXV.

Quare Amethystus Sanctum Matthiam Apostolum significat.

DUodecimum fundamentum Amethystus, qui 578
est lapis pretiosus, violaceus, purpureus, & roseus, sculptura facilis, & lenter veluti quasdam flammas fundit, de quo Plin. lib. 37. c. 9. ait: *Amethystum usque ad vini colorem accedere, sed in violam desinere, & fulgorem quendam purpuræ in illa cerni, non ex toto igneum, sed in vini colorem deficientem*; & ideo hæc gemma est oculis maximè grata, & Plinius eam appellat *gemmam Veneris*. Dictus est Amethystus, id est, *non ebrius*, eo quòd vini colorem non plenariè referat, sed in violam desinat, aut, ut alii dicunt, *Amethystus*, id est, ebrietati resistens, à verbo græco, quod idem valet, ac, *non inebrior*; eratque hic lapis in rationali Pontificis Exod. 28. n. 19. in eoque inscriptus erat Zabulon.

Color illius.

Nominis etymologia.

Variæ illius assignantur virtutes, ebrietatem arcet, 579
& inde omnia remedia adversùs ebrietatem, Amethysta communi vocabulo dicuntur; & quamvis Plin. & Plutarch. hanc virtutem rideant, tamen multi eam recipiunt, & etiam dicunt hanc gemmam, ejusque colorem sobrietatem designare, veneficiis resistere, adeuntes reges conciliare, eosque vigilantes reddere, vimque etiam quandam attrahendi habere, de quo latiùs Anselm. Boetius l. 2. de Gemmis c. 66.

Virtutes hujus lapidis.

D. Matthias Apostolus Ecclesiæ gaudium.

Duodecimum fundamentum *Amethystus*, de quo 580
sic ait Andr. Cæs. cap. 66. *Per Amethystum, qui ignis*

D. Matthias significatur in Amethysto.

formam spectantibus exhibet, Matthiam significari conjicio, ut qui in linguarum distributione cœlesti igne affatim sit aflatus, & ob inflammatum à Deo, à quo electus erat, serviendi, & plantandi desiderium, idoneum census, qui in prolapsi Judæ locum sufficeretur; & similiter Aretas, c. 67. ita citati authores, quod altiùs est examinandum.

581 *Amethystus* maximè oculis est gratus, ac præjucundus, undè à Plinio dicitur, *Gemma Veneris*; inde meritò hic lapis tribuitur D. Matthiæ; & quonam fundamento? Quia ita sua electione, qua duodenarius numerus Apostolorum est completus Ecclesiam lætitia adimplevit, ut meritò jure nuncupari possit gaudium Ecclesiæ, undè rectè de eo ait D. August. serm. de nostro Apostolo: *Cùm præclara B. Matthiæ Apostoli festivitas per annui cursus revolutionem se repræsentet, maximæ jucunditatis gaudium nobis meritò multiplicat.* Multiplicavit noster Apostolus gaudium, & lætitiam Ecclesiæ sanctæ, quæ de proditione, ac perditione Judæ mœsta erat. Solatur sanè bona mater in amissione prolis, ac sobolis, cùm novum producit fœtum.

Dum in locū Judæ eligitur D. Matthias, gaudet Ecclesia

582 Cùm interficeret Cain Abel, dilectissimum filium amisit Eva; tunc Deus ipsam benignè respiciens: *Cognovit quoque Adam uxorem suam, & peperit filium vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, Gen. 4. n. 25. cum ait Text. pro Abel, quem occidit Cain, denotat magnum dolorem conceptum ob filii mortem, tamen novo filio, nova prole genita, acedita, dolor lenitus est magno gaudio concepto, cùm se videret restitutam de priori sobole amissa. D. Chrysost. ibi ait: *Volens benignus Deus patri pro tristitia efferre consolationem, alium dedit filium Seth, videlicet quo & ipse satis solatus est.* Multo majorem dolorem, ac molestiam passa est pia mater ecclesia in perditione Judæ, quàm passa est Eva in interitu Abelis, hæc enim filium perdidit aliquando sibi suscitandum, illa verò, scilicet Ecclesia genitum amisit, & simul omnem spem illius restitutionis; consolatus est illam Deus, quia pro Juda dedit Matthiam, & adaucto fœnore ejus gaudium multiplicavit, quia non solùm Ecclesiæ dedit Deus filium pro filio, sed pro filio iniquissimo, qui ad perditionem erat multorum, dedit filium sanctissimum, scilicet Matthiam ad salutem plurimorum, sicque amissio Judæ, multo fœnore reparabatur in Matthia Apostolo.

Gaudet Eva dum pro Abele peperit Seth.

583 De morte matris suæ Saræ, magno dolore afficiebatur Isaac, qui duxit in conjugem Rebeccam, de quo sic ait text. *Qui introduxit eam in tabernaculum matris suæ Saræ, & accepit eam uxorem, & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat temperaret*, Gen. 24. n. 67. quod symbolicè sic à multis interpretatur: Valde commune est Saram Synagogam designare, sicut & Rebeccam Ecclesiam gentium, & etiam in Isaaco Christum D. denotari; quid igitur sibi vult quòd in tantum Rebeccam Isaac dilexit, ut dolorem, quem ex morte matris suæ conceperat, temperaret, nisi quòd tanto amore Christus D. Ecclesiam diligit, ut Synagogæ perditæ tristitiam in oblivionem adduxerit? ita Rupert. lib. 6. in Gen. c. 45. & ait: *Quid magni erat, secundùm corticem literæ, quòd juvenis in tantum dilexerit adolescentulam conjugem, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat, temperaret? Ergo medulla sensus spiritualis carere non debet, quia revera Christus D. secundùm humanum affectum doluit super matre sua Synagoga, quippe qui civitatem videns flevit super eam, sed adeptus novam reginam, de qua sibi nonagenaria nasciturā esset, rectè dolorem temperavit, & delectabiliter consolatus est.* Sic & Ecclesia dolorem, quem concepit ex perditione Judæ, lenivit, ac temperavit, magno gaudio suscepto, dum in ejus locum vidit Matthiam introductum.

Sic gaudet Christus de Ecclesia Gentium, ut oblivisc. atur de tristitia de perditæ Synagogæ.

Admirabiliter eligitur D. Matthias in Apostolum.

584 Oravit Christus D. ut suos Apostolos eligeret, Luc. 6. n. 12. orant & Apostoli ut eligant D. Matthiam, Act. 1. n. 24 orat & Christus in Evangelio: *Confiteor tibi Pater*, Matth. 11. num. 25. de quo latè dixi tom. 2 in Evang. c. ... per totum, orat & Christus in Pf. 40. pro electione D. Matthiæ, nam postquam mentionem fecit proditoriæ iniquitatis Judæ: *Homo pacis meæ in quo speravi, qui edebat panes meos*, &c. & prosequitur Pf. 40. in Christi nomine ad Patrem orantis, n. 11. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis*; ad quæ verba sic ait D. Ambr. *Non resuscitari se postulat, sed resuscitari sibi postulat Matthiam in locum Judæ, ut Apostolorum numerus impleatur.* Cùm Christus loquitur de D. Matthia, ait: *Resuscita me*; nunquid D. Matthias, idem est, ac Christus, ut in persona Christi Matthias intelligatur, ut dicat Christus: *Miserere mei & resuscita me?* Pro magna gloria, ac cellitudine D. Matthiæ ita Christus loquitur, sicque hic Apostolus tam sanctus, ac justus erat, sicque conformis Christo, ut dum de illo est oratio, de Christo videatur sermo; sic prosequitur D. Ambr. citatus: *Nota formam orationis: Resuscita me, inquit, cum eligendus Matthias sit, ut ex hac parte constet hujus Apostoli gloriam & honorem, quasi suum proprium æstimare salvatorem;* expende ultima verba: *Quasi suum proprium æstimare salvatorem.*

Christus Dominus de Matthia tanquā de se loquitur

585 *Cecidit Sors super Matthiam*, Act. 1. n. 26. Syrus legit: *Ascendit Sors*; qui enim eligit dignum, ac benemeritum, maximè ascendit, ac exaltatur. Tamen ad rem nostram: Quænam fuit hæc sors, quæ D. Matthiam Apostolum designavit? Carthus. existimat, quod *Spiritus S. descendit, quasi columba, & mansit super Matthiam*; seu, ut alii dicunt, quod fuerit quædam vox cœlestis dicens: *Hic est Apostolus meus dilectus.* Cùm Christus baptizaretur in Iordane, *venit vox de cœlo dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. n. 17. Aderant duo in Iordane, Christus, & Baptista, & poterat dubitari, de quonam proferebatur testimonium: *Hic est filius meus dilectus*; nam Christus D. tanquam in figura peccatoris baptizabatur, Ioannes tanquam superior, ac mundus baptizabat: ne ergo humana mens erraret, *vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & manentem super se*, Ioan. 1. n. 33. cur in hoc negotio, tot & tanta mysteria aperiuntur? Pater intonans de cœlo, Spiritus Sanctus in specie columbæ descendens; cur non potiùs venit Angelus, vel Archangelus, vel quidam cœlestis radius? D. Chrysost. hom. 11. in Ioann. ait: *Cùm se ipsum magis ostendit, longè prioribus majora miracula apparuerunt, siquidem non amplius stella, non cœlum, non Angeli, non Archangeli, non Gabriel, non Michael, sed ipse eum cœlitus Pater prædicavit, & cum Patre ipse Paraclitus unà cum voce in ipsum descendens, & manens super eum.* Cùm essent duo in Iordane Christus, & Baptista, & vox Patris proclamaret: *Hic est filius meus dilectus*; ad judicandum quisnam esset, de quo Pater loquebatur, non venit Angelus, nec stella, sed ipsemet Spiritus Sanctus verus Deus ad majorem gloriam, & sublimitatem Christi, qui non ab alio, sed ab ipsomet Deo declaratur, ac manifestatur filius æterni Parentis. Aderant in præsenti D. Matthias, & Ioseph, qui dicebatur justus; vox de cœlo intonabat: *Hic est Apostolus meus dilectus*; & ne dubium esset, de quo testimonium dabatur, non venit Angelus, non Archangelus, nec stella, sed ipsemet Divinus Spiritus ostendens, & indicans Matthiam ad majorem gloriam, & celsitudinem illius, qui ab ipsomet Deo dignatus est manifestari, ipsemetque Deus Spiritus Sanctus super eum descendens videbat.

Spiritus Sanctus descendit super Matthiam ad ejus dignandā ac honorandum.

Et quid mirum, quòd tam illustrissimè sit sublimatus à Divino Spiritu, cùm ei nomen suum dederit? Gloss. ordinaria ex Beda, ad c. 1. Act. ad illa verba: *Matthiam*, ait Beda: *Matthias qui donatus est, vel donum Dei interpretatur, cui donum apostolatus à Domino collatum est; vel Dei parvus interpretatur. Merito parvi transcenditur ille, qui laude hominum erat justus*; de quo infra. Illud nunc expendo, quod Matthias interpretatur *Dei donum*, quod nomen est proprium Spiritus Sancti, ut de illo canit Ecclesia: *Qui diceris paraclitus altissimi donum Dei*; & quòd majus amoris signum quod suo proprio nomine eum insigniri? Ad Ecclesiam suam ait Christus Dominus, ut aliqui legunt, juxta radicem hebraicam: Isai. 43. nu. 1. *Vocavi te nomine meo, meus es tu*; cui lectioni favet Sanchez. Et cum ait quod nomen meum erit in illo, indicat summam, & peculiarem amicitiam, & familiaritatem cum illo, ut D. Hieron. denotat; ex qua quid sequitur? *Meus es tu*;

586

D. Matthias divinit spiritus gaudet nomine.

tu; peculiariter, nempe, meus charissimus, amicus, & intimus filius, ex corde: vide quæ dixi hoc cap. q. 32. n. 497. 498. Deinde pro magna ejus gloria, quod inter justos sit electus: vide sup. q. 32. n. 499.

Precibus Virginis Mariæ D. Matthias eligitur in Apostolum.

587 Hippolytus Maracius lib. qui intitulatur *Apostoli Mariani*, c. 4. ex Christophoro de Castro, in historia Deiparæ, c. 17. sic ait: *Beatissimæ præsertim Dei Genetricis precibus in Apostolum electus, ac in locum prævaricatoris Judæ suffectus est S. Matthias*; & idem Christophorus eodem cap. 17. n. 3. prope fin. sic ait: *Virgo Maria reversa est cum aliis ex Monte Oliveti*; *quòd si reversa, adfuit ascensioni, & mansit in cœnaculo expectans adventum Spiritus Sancti, atque ejus precibus Matthias electus est*; nam Apostoli erant in cœnaculo orantes simul cùm sanctissima Virgine Maria, ut dicitur Act. 1. n. 14. proindeque quando Apostoli in cœnaculo erant orantes in electione D. Matthiæ, unà cum eo aderat sanctissima Deipara orans; ex quo conjice magnitudinem excellentiarum, ac gratiarum Divi Matthiæ, cum ex precibus, ac oratione Virginis in numero Apostolorum electus sit.

Precibus Mariæ Virginis eligitur Matthias in Apostolum.

588 Ait divina Sponsa nomine Ecclesiæ sanctæ, quærens suum dilectum Cant. 3. n. 4. *Inveni, quem diligit anima mea*; *tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*; seu ut habent Septuag. *in penetrale genitricis meæ*; id est, Ecclesia cùm invenit suum divinum sponsum, ac dilectum Jesum, introducit eum in domum, & in cubile suæ genitricis Virginis Mariæ; non solùm ait, in domum, sed etiam in cubile, seu penetrale, hoc est locum orationis, ut explicat Ghisler. expos. 2. hoc tantùm intendit Ecclesia ut filios suos introducat in domum orationis, ac precum B. Virginis, quia cùm viderit Virginem orantem pro suis filiis, statim in eis agnoscit omnia cœlestia dona, ac gratiarum affluentiam. Hugo de S. Vict. lib. 6. Expos. in Hierarchiam cœlestem, S. Dionys. *In cubile genitricis*, ait, *ubi dilectio magis tenera est, & blandimenta dulciora, ut nihil apud te durum, & rigidum inveniat virilis truculentiæ, sed totum liquefiat, & molescat igne dilectionis.*

Ex oratione Virginis ómia bona cœlestia in nos.

589 Ait Christus D. Cant. 6. n. 7. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Una est columba mea, perfecta mea, una est matri meæ, electa genitrici meæ.* Per adolescentulas intelligit incipientes, per concubinas proficientes, per Reginas, quæ paucæ sunt, perfectas animas: inter has omnes *una est columba mea perfecta mea, &c.* Virgo nempe Maria: *Una columba*; una, nempe sponsa S. Trinitatis, perfecta in omni genere virtutis: *Una est matri suæ: electa genitrici suæ*; Ecclesiæ nempe Patriarcharum, ut explicat Rupertus: Maria electa est singulariter inter omnes homines, & Angelos ad generandum naturaliter filium Dei, ut vera mater, & ad regenerandum spiritualiter omnes sanctos, Apostolos, martyres, & confessores, quorum omnium est spiritualis mater, in quo ministerio sola unica est Maria. Guillelmus apud Delrium, & ait: *Est enim Maria unicè electa genitrici suæ, singulariter electa ad mysterium Redemptionis, & regenerationis gratiæ. Insigne quippe, & singulare ministerium gratiæ redemptrici exhibuit in eo, quod ipsum redemptorem sibi, nobisque genuit, sibi, nobisque pio lacte aluit, atque ad annos maturitatis perduxit. Quia ergo sola erat, ad hoc divinitus præordinata, & præparata, meritò dicitur: Una matri suæ, & electa genitrici suæ*; expende illud: *Singulariter electa ad ministerium redemptionis, & regenerationis gratiæ*; vide multa de hac re, tam in hoc, quàm in aliis nostris Tomis, verbo, *Maria*.

Maria electa est ut cœlestia bona nobis impetret.

Divus Matthias illustrissimus sapientia cùm humilitate.

590 D. Matthias valde præclarus erat sapientia, & doctrina, ut de eo scribit Abdias in ejus vita, & ait: *Matthias licèt eruditissimus erat, nullatenus extollebatur, sed juxta sui nominis etymologiam, verè se parvulum & humilem exhibet.* Valde mirum, est quod Matthias cùm esset sapientissimus eligatur in Apostolum: Magnum testimonium dedit Christus D. de Nathanaele: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est*, Joannis 1. n. 47. ex hoc ergo tam præclaro pronuntiato facilè colligi poterat, quòd ipse esset eligendus in Apostolum, & tamen ipsum non eligit Dominus, quia ipse erat vir doctissimus, ac sapientissimus, ut dixi tom. 1. l. 3. c. 6. n. 77. nam sanctitas cum sapientia facilè naufragatur in elatione superbiæ, sicut insciti amica humilitatis magnos producit sanctos; sic respondet D. Aug. tract. 7. in Joan. & ait: *Nathanael eruditus, & peritus legis fuit, propterea noluit Dominus illum inter discipulos ponere, qui idiotas elegit.* Forsitan Nathanael per sapientiam perdidit, quod alias per suam sinceritatem lucrari poterat.

In D. Matthia resplendet sapientia cū humilitate

Et tamen cùm Matthias esset doctissimus eligitur in Apostolum ob suam profundissimam humilitatem, ut ejus nomen indicat, ut jam dixi supra ex Beda: *Matthias Dei parvus interpretatur*; ut canit Arator Poeta lib. 1. in Acta. 591

D. Matthias humilis profundè.

Constituere duos, Joseph cognomine Justum,
Matthiamque Dei parvum, quod nomen ut ajunt,
Hebræo sermone sonat, humilemque vocando
Comprobant.

Matthias ergo ex hebræo, idem est, ac parvus Dei, seu parvulus, quod denotat quandam profundam humilitatem, nam quando nomine substantivo adjungitur casus genitivi Dei, dicit quandam supremam in illo genere; hinc David indicans magnam sublimitatem filiorum Ecclesiæ, eos dicit cedros Dei Psal. 79. n. 11. *Arbusta ejus cedros Dei*; dumque de infinita Dei sanctitate loquitur, symbolicè altissimos montes Dei montes appellat; Psal. 35. n. 7. *Justitia tua sicut montes Dei*; cùm ergo dicitur Matthias parvulus Dei, hoc est inter humilis humillimus infimo, ac profundissimo humilitatis gradu; ob tantam ergo humilitatem ad apicem apostolicum vehitur D. Matthias.

592 Nec obstat id, quod dicitur in Evangelio à Christo Domino: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, Matth. 11. n. 25. hìc sermo est de sapientibus, ac prudentibus superbis, & elatis, non vero humilibus, ac dimissis corde; ita explicat Divus Agustinus sermone 8. de verbis Domini, & ait: *Nomine sapientum, & prudentum superbos intelligi posse ipse exposuit, cùm ait: Revelasti ea parvulis; ergo abscondisti eos parvulis. Quid est non parvulis? Non humilibus. Quid est non humilibus, nisi superbis?* Eodem etiam modo explicat Franconius Abbas tom. 10. de gratia, & ait: *Pro abjectione superborum, atque electione humilium, gratias agens dixit: Confiteor tibi Pater.*

Christus loquitur de superbis superbis.

593 Sapientia cùm profunda humilitate multa, & alta promeretur; & cùm his præfulgeret D. Matthias ad apicem apostolicum evehitur. Apparet Deus Moysi in rubo, & ait ei: *Veni mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israel de Ægypto*; nempe tanquam eorum dux, & princeps; cui respondit Moyses: *Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Exod. 3. n. 11. id est, ut explicant Divus Hieronymus epistola 1. ad Damas. Lyranus, Abulensis, & alii: Ego sum insufficiens, & ineptus ad tantum officium; & cùm multis instaret Moyses de sua incapacitate ad illud munus, ait illi Deus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, Exod. 7. n. 1. si Moyses primò eligebatur ut dux, & gubernator populi, cur modo sic sublimatur, ut Deus Pharaonis constituatur? Moyses erat valde doctus, ut ait D. Stephanus Actor. 7. n. 22. *Eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum*; cùm ergo Moyses in omni doctrina esset peritissimus, & tamen se humiliter existimabat indignum, ac ineptum ad quodcunque negotium ad confines divinitatis sublimatur, & ex homine Deus constituitur. Divus August. in Psal. 91. ait: *Humiles quasi se in terram deprimunt, & in eum ascendunt. Ecce Moyses ita se prosternit, ut se longè inferiorem Pharaone arbitretur, & Dominus Deum ipsum Pharaonis eum constituit.* Ad hoc etiam tendit Rupert. lib. in Exod. cap. 26. & ait: *Quoniam tu mansuetus virorum, pro tuo glorioſissimo negotio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus*

Sapientia cum humilitate ad alta, & superna volat.

confligere te indignum ducis, atque hoc modo usque ad novissima terræ te deprimis, ecce ego sustollam te super altitudinem nubium, faciamque te Deum, non quem ille fideliter adorat, sed quem serviliter formidet.

594 Sapiens humilis omnia devincit.

Dicitur in catalogo virorum fortium 2. Reg. 23. n. 8. *David sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno*: Ecce princeps iste ostenditur in cathedra, sedens ut sapientissimus, tamen humilis, & abjectus, ut vermiculus; quid tunc in eo admirabilis, & rara fortitudo apparet? *Octingentos interfecit impetu uno*. Ubi est sapientia simul cum humilitate, excelsa, & mirabilia prodeunt, & operantur. Abulensis quæst. 8. *Hunc principem fortium hebræi suspicantur esse David, de quo dicitur sedens in cathedra; & sic sapientia ostenditur in sedente, & humilitas, qui vermis dicitur, qui & octingentos occidit impetu uno.*

D. Matthias multos peccatores ad Christum reconciliat, ac attrahit.

595 D. Mathias peccatores trahit ad reconciliationem Dei.

Duodecimum fundamentum Amethistus; cujus proprietas est attrahere sibi vicina, ut dixi in exordio quæstionis. Hanc virtutem habuit D. Matthias, qui, sua virtute, doctrina, ac exemplo, non solùm vicinos, sed etiam quoscunque alios reconciliabat, & attrahebat ad Deum. Hanc veritatem confirmat magnum proloquium, quod solebat dicere D. Matthias, ut testatur Clem. Alex. lib. 7. Stromat. *Dicunt*, inquit, *Matthiam Apostolum dixisse, si electi vicinus peccavit electus; nam si ita se gessisset, ut jubet verbum ejus, vitam ita esset veritus vicinus, ut non peccaret.* Optimè noverat D. Matthias Christi doctrinam: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Hoc habet pellucida vita sanctorum, quæ suo exemplo peccatores avertit à malis, eosque ad viam salutis adducit, sobrietas, ac puritas justi alios ad pietatem, ac sobrietatem excitat, & ideo dicebat noster Apostolus, quod si vicinus electi peccat, peccat ipse electus, quia sui non dat exemplum, ut dicebat.

596 Justus suo exemplo excitat ad virtutem.

Cùm Joannes Baptista mira pœnitentia, & abstinentia degeret in deserto, *exibat ad eum Jerosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem*, Matth. 3. n. 5. quod considerans S. Nilus in Ascetico sic ait: *In solitudine versabatur, & civitates ipse cum hominibus ad eum confluebant, qui fericis vestibus induebantur, ad zonæ pellicæ spectaculum concurrebant.* Sub dio incommodè manere non recusabant, qui domos auratas incolebant, super arenam cubare non gravabantur, qui in lectis gemmis distinctis quiescere consueverant, *nam videndi viri cupiditas omnem sensum molestiæ abstergebat, virtutisque spectaculum, labores, & incommoda leniebat.* Ecce unius justi spectaculum totum regnum, illiusque civitates ad pœnitentiam convocabat, ut spretis delitiis ad aspera, & dura concurrerent; sic & docebat Divus Matthias, quod talis sit vita electi, ut & similes effectus in aspicientibus producat.

Sanctus Matthias præclara martyrii victoria illustrissimus.

597 Matthias antea dictus Zachæus.

Judæi Joan. 8. Christum D. voluerunt lapidare, quod declinans ad mortem Crucis properabat, quam elegerat N. D. Matthias, antea Zachæus dictus, ut tenet Clem. Alex. lib. 4. Strom. *Zacheus autem quærebat videre Jesum, & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat, & præcurrens, ascendit in arborem sycomorum, ut videret eum, quia inde erat transiturus; & suscipiens Jesus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende*, Lucæ 19. n. 4. Voleus Zachæus videre Jesum, imò, ut ait Haymon, halitu Christi factus ejus discipulus in arborem sycomorum ascendit, quæ ob rubrum colorem Crucis mortem indicat, imò, ut multi referunt, ut suo loco dixi, si aperiatur fructus ejus Crucis imaginem ostendit, inde Dominus præcipit Zachæo, ut descendat. D. Petr. Chrysol. ser. 54. ait: *Si bene ascendit, cur ei dicitur descende?* Respondet S. Pater: *Superius dixit Evangelista, præcurrens ascendit in arborem. Præcurrit servus Dominus, & ante Zacheus ascendit in arborem, quàm Crucem Dominator ascenderat.* Præcipit ei Dominus, ut descendat, seu de arbore seu cruce; mortem Crucis sibi Dominus elegerat ex ordinatione Patris, id non patitur Christus, ut servus priùs sibi velit gloriam Crucis, quàm suus Dominus, inde ei ait: Descende: *Præcucurrit servus Dominum, & antea Zacheus ascendit in arborem, quàm Crucem Dominator ascenderet.* Judæi mortem Domini machinati sunt lapidibus, & Cruce, rem cum Matthia Apostolo Christus dividit, Crucem sibi eligit Dominus, lapides concedit suo dilecto Matthiæ.

Christus filii, cujus exemplo Matthias est lapidatus.

Moritur noster Apostolus simul lapidatus, ac gladio decollatus, cur non uno mortis genere, sed duplici? Moritur Stephanus jactatis in eum lapidibus, Paul. vero gladio decoratur, & valde notum est apud theologos, quod electi corona, seu aureola ex ejus martyrio, seu illius vulneribus, ac cicatricibus fulget, & resplendet, de quo latè Salas 1. 2. q. 4. a. 2. tract. 2. pag. 655., & 657. §. *Ex quibus constat*, Ægyd. Lusitan. tom. 3. de beatit. lib. 5. q. 9. art. 2. n. 9. Aureola Stephani ex lapidibus consurgit, sicut & Pauli ex gladio. Illustrior vincendi sors in Matthia agnoscitur, cujus in martyrio non una, sed multiplex victoria adscribatur, ac si ad tantam Apostoli gloriam parum esset unum instrumentum, sed maximè duplicatum exigebatur.

598 D. Matthias multiplici aureola illustris.

Ad pugnam cum Philistæo exiit David, qui tulit unum lapidem, & funda jecit, & circumducens percussit Philisthæum in fronte: *Et infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram*, 1. Reg. 17. n. 49. Deinde evaginato gladio ipsum percutit, & amputat caput ejus; ad quid iste gladius? maximè cùm existimet Abul. quod ex jacto lapide cerebrum Philistæi confractum est, & ipse mortuus cecidit; ad quid ergo gladius, & ad quid amputat caput ejus? Respondet ipse Abul. qu. 35. *Ad augmentum gloriæ illius victoriæ*; ad tam magnificam, & gloriosam victoriam, parum erat unum instrumentum, sed multiplex exigebatur, lapis nempe, & gladius; tam magnificus triumphus uno instrumento non poterat coarctari sed per multa debebat versari, & extendi, sicque ad magnificum trophæum Divi Matthiæ, non tantùm sint lapides, sed etiam adsit gladius *ad augmentum gloriæ illius victoriæ*.

599 Ex lapide & gladio magnificatur victoria Davidis.

Pactum de salute, ac redemptione generis humani inter æternum Parentem & Christum, ut hominem constitutum est in morte ipsius, juxta illud Isaiæ 53. n. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur*; ad quid ergo Dominus voluit tot dolores, passiones, ac tormenta sustinere, tot injurias, irrisiones, alapas, colaphos, sputa, flagella, spinas, clavos, Crucem, lanceam, & alia innumera? *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. n. 25. Intraturus erat Christus in sublimem, & altam gloriam super omnem creaturam angelicam, & humanam, magno & admirabili triumpho, ut exinde ad tantam celsitudinem ascenderet, & ideo tot dolores, ac tormenta præparata, ac ordinata sunt. D. Matthias Apost. non solùm flagellatur, & lapidatur, sed etiam decapitatur, ut ex tot, tantisque ejus tormentis, ac doloribus magnus illius triumphus exurgat.

600 Christus D per multa tormenta ingreditur in gloriam suam.

Lapidatur noster Apostolus, & ipsos lapides mandat reponi in ejus monumento, ut refert Abdias in ejus vita. Tantum abest, quod ab ipsis lapidibus se offensum recogitet, quin potiùs eos in tanta æstimatione habet, ut tanquam pretiosas gemmas, eos secum velit habere. Resurgens Christus in suo corpore glorioso secum fert fixuras clavorum, & lateris vulnus, Joan. 20. n. 27. dicit Thomæ: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum*; ad quid hujusmodi signa secum portat in corpore glorioso, ac tanta majestate resplendenti? Utpote ei summe charissima, ut signa nostræ redemptionis, ut monumenta suę obedientiæ erga Patrem, ut instrumenta sui magnifici triumphi. Beda: *Ut quale genus mortis pro mortalium vita pertulerit, semper ostendat.* Haymon ait: *Ut ascendens in cœlum quale genus mortis pro nobis sustinuit ostenderet, veluti si aliquis miles, jubente imperatore suo, inierit singulare certamen contra hostem regni sui, qui scilicet ubi multa vulnera excipiat*

601 D. Matthias maximè æstimat lapides quibus est vulneratus

in

in capite, in dorso, in manibus, tamen cum victoria exultans revertitur ad Imperatorem suum, refert illi Imperator multas gratias. D. Matthias vult habere secum lapides, qui eum percusserunt, ut signa suæ obedientiæ ad Christum D. ut monumenta charitatis erga homines, pro quibus orare deprecabatur, & ut istrumenta suæ gloriæ, ac victoriæ.

Apoc. 21. n. 21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas, singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum.

Num. 22. Et templum non vidi in ea, Dominus enim omnipotens templum illius est, & Agnus.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Et illæ duodecim margaritæ singulæ omnium sunt, singulæ portæ, una porta ex una margarita, & vicus latus urbis aurum purum, tanquam vitrum splendidum.

Arabicus. Duodecim erant gemmæ, singulis iis portæ, è singulis erat gemmis, & plateæ civitatis erant ex auro puro.

D. Augustinus. Duodecim margaritæ sigillatim, & unaquæque porta erat ex margarita, &c. Vitrum mundum & perspicuum.

Æthiop. Splendens sicut vitrum.

Primas. Platea ejus ex auro limpido, sicut vitrum limpidum.

Arabic. n. 22. Ille enim Dominus, ille omnipotens, &c. ille Agnus.

Æthiopic. Deus omnium Dominator in templo sancto suo est.

EXPOSITIO.

602 *Et duodecim portæ.* Duo hìc videntur dici contraria, & singulas scilicet portas constare ex singulis margaritis, & singulas quoque portas habere duodecim margaritas; in sacra autem, & prophetica visione nulla potest esse contradictio, proindeque sic est exponendum: *Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas*; nempe portas distributæ, ut statim explicatur: *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis*; itaut unaquaque porta esset ex una integra margarita, sic exsecta, cavata, & polita, ut proportionaretur tam magnificæ, ac excellentissimæ civitati: ita Alcazar, cum quo consentit Cornel. citans Ticonium, Aretam, Bedam, & Viegam; in qua etiam sententia sunt Menochius, Tirinus.

Prima expositio.

603 At verò Ansbertus, Rib. Ferrar. dicunt, quòd in prophetica visione maximè attendendus est sensus symbolicus, ac allegoricus: in sacra ergo revelatione dicitur, quòd singulæ portæ sunt ex singulis margaritis, & unaquæque porta duodecim habet margaritas, quia duodecim portæ significant duodecim Apostolos, & gratiæ dona cœlestia, & doctrinam, quam habebant omnes Apostoli, & singuli his omnibus in fide, & charitate, erant inter se maximè uniti, & ideo hujusmodi portæ dicuntur ex margaritis, quæ apud latinos uniones dicuntur; & quod nullæ duæ reperiantur in conchis, indiscretæ, vel solæ, sed singulæ sunt aliis unitæ, & quasi adpactæ. Deinde, quia ut ait Plin. l. 9 c. 33. *Principium, & cumen omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Et quia margaritæ sunt pretiosæ, & splendidæ, inde Apostolos significant, ut ait Petr. Damian. serm. 2. de S. Bartholom.

Alia expositio

Apostoli uniti, virtute, & doctrina.

604 Ex quo collige in quantum sublimarit Christus D. suos Apostolos; Christus enim D. est illa pretiosa margarita, quam inventa negotiator sapiens emit venditis omnibus suis bonis, Matth. 13. Cùm Christus D. sit margarita, etiam civitatis sanctæ portæ, seu Apostoli dicuntur margaritæ: Tanti æstimat Christus suos Apostolos, ut quæ sua sunt etiam ipsis communicet, ut etiam sint, & dicantur suæ dilectissimæ sponsæ pretiosissimæ margaritæ. Rup. hìc ait: *Christus pretiosa margarita, ipse conformes Apostolis faciens sibi, hoc dedit illis, ut in portis margaritæ sint decoris; sicut enim fœmina nobilis pretiosis preculta margaritis solet ad oculos hominum gloriari viro suo subornata, sic civitas illa, quæ est Ecclesia, talibus principibus, tantis Patribus, tam gloriosis Apostolis gloriari potest sponso suo sic ornata ut sponsa; undè sibi conscius Paulus, una profectò ex istis portis semper patentibus Corinthiis loquitur 2. Cor. 1. Nam gloria vestra nos sumus, sicut & vos nostra in die Domini Nostri Jesu Christi.*

Christus in se unitum Apostolos facit, & illis communicat.

605 *Et platea civitatis aurum mundum.* Civitas amplissima duodecim millium stadiorum, necesse est, ut multas habeat plateas: ita Corn. quæ bene se habent in civitate humana, non verò in cœlesti, de qua est sermo; & considera, quòd in text. non dicuntur plateæ in plurali, sed platea in singulari, quia in illa superna civitate electi ita sunt uniti charitate, quæ per aurum significatur, ut videantur esse in uno consortio, in uno tabernaculo, ac loco, proindeque in illa civitate non sunt multæ plateæ, sed una, in qua omnes se vident, & agnoscunt, & cùm supra dicatur, quod tota civitas sit ex auro mundo, v. 18. quia non solùm ædificia, sed etiam, quæ inferiora sunt, ut plateæ pavimentum, totum ex auro pellucido est: per quod denotatur non solùm justos majoris meriti, sed etiam eos, qui inferioris sunt, omnes in illa cœlesti patria lucere, pellucido auro gratiæ, & donorum, ut notarunt Ansbertus, & Richardus Victorin.

Vera Expositio, summa unitas in beatis.

606 *Templum non vidi in ea*; scilicet materiale, in templo enim sumus tanquam in loco sacro, ac domo Dei, & ibi cum eo unanimes habitamus, ac cum eo loquimur, at in beatitudine habitare cum Deo, est esse in ipsomet Deo, illum videndo, & fruendo, & facie ad facie contemplando, undè sup. dicitur v. 3. *Et habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Et ponitur illa causalis, *Dominus enim Deus omnipotens templum illius est*; ad ostendendum per divinam omnipotentiam elevari Beatos, ut cum Deo, & Agno sint in loco tam sublimi, & excelso, super omnem terrenum, tanquam in templo, ad quem per solam divinam omnipotentiam potuerant elevari, & ideo de ea hìc fit mentio. *Et Agnus* subjungitur, ut ostendatur Christi divinitas, ut notarunt Ansbertus, & Richardus Victorinus contra aliquos hæreticos Christi divinitatem negantes.

Divina omnipotentia nos elevat ad beatitudinem.

QUÆSTIO XXXVI.

Quare in cœlesti Jerusalem, Deus dicitur templum sanctorum, cùm ipsimet sancti templa Dei nominentur.

607 At noster Joannes in præsenti: *Templum non vidi in ea*; scilicet in illa cœlesti civitate; sed quomodo c. 16. dicuntur: *Audivi vocem magnam de templo*; & iterum ibid. n. 17. *Et exivit vox magna de templo à throno?* Sed in suis locis templum vocatur ipsum cœlum, prout est habitatio Dei, ac sanctorum, ut in suo loco dixi: in præsenti ait noster Evangelista quòd in illa cœlesti civitate non viderit templum, nempe materiale, prout est apud nos in terris.

Difficultas quæstionis.

608 Dominus Deus omnipotens dicitur templum justorum, ut dixi in expos. quia in illa Ecclesia triumphanti, ipse omnium electorum est perpetua, & perfecta commoratio, fruitio, & requies, ac contemplatio, quia ut ait Joachimus Abbas: *Dominus omnipotens cum filio suo omnia est in omnibus*; omnemque satians appetitum, ac desiderium.

Deus justorum templum.

609 Vicissim electi in hac via dicuntur Dei templum, juxta illud Paul. 1. Cor. 3. n. 13. *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis*; & iterum: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*; quod etiam habet c. 6. n. 19. nihil sanctis ipsis augustius est Deo; magisque Deus colitur, veneratur, & delectatur in cordibus, ac mentibus sanctorum, quàm in ipsis materialibus templis; sic ait Paul. ad Ephes. 3. n. 17. *Ut det nobis Christum habitare per fidem in cordibus nostris*, de quo latè disserit Petr. Damian. lib. 2. Epist. 5. & ait: *Templum Dei sit homo; hoc hominis templum spiritualis est Paradisus, mens scilicet sancta, mens perfecta, mens munda, quam fons sapientiæ ad proferendos honorum operum fructus cœlestis gratiæ madore fœcundat; hæc proculdubio paradisus, hæc est hortus delitiarum, hanc animam Deus omnipotens sanctificat, & benedicit, & in ea delectabiliter requiescit.*

De templum Justus in quo Deus maximè delectatur.

610 Delectabiliùs, ac perjucundiùs Deus habitat in templo cordis, ac animi justorum, quàm in quocunque templo magnifico materiali. Ingeniosè quærit Rup. cur Deus ab igne babyloniço tres pueros illæsos seruaverit? *Nil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum*, Dan. 3. n. 94. & tamen templum Domini Jerusalem ab eodem Nabuchodonosore flammis consumptum est: *Et succendit domum Domini*, 4. Reg. 25. n. 9. si tres pueros ad confundendum Regem barbarum à læsione ignis integros custodivit, cur etiam ad ejusdem Regis confusionem suum magnificum templum à voraci igne non defendit? sit tres pueros custodivit, quia sancti erant, sanctum etiam erit templum; si tres pueros servavit, quia noluerunt adorare statuam, sed tantùm verum Deum, etiam in illo templo verus Deus colebatur; cur ergo templum igne consumitur, non verò tres illi pueri? Utrunque templum erat, sed valde diversa ratione, ait Rup. unum templum erat ex lapidibus mortuis, alterum ex lapidibus vivis; unum erat ex parietibus, alterum verò ex cordibus, & quando incendium in utrunque imminet, lapides mortui igni traduntur, & vivi incolumes servantur, ut inde deprehendatur quantum in majori æstimatione, ac veneratione est apud illum, templum ex cordibus, quàm ex lapidibus, ac parietibus: *Ut scias quod Deus excelsus non pulchris lapidibus templi manufacti delectatur, sed fide, charitate, & mundis cordibus*; *& ille est ei optabilis locus*.

Magis Deus delectatur in templo ex cordibus nostris quàm ex lapidibus.

Apoc. 21. *n.* 23. Et civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.

Num. 24. Et ambulabunt gentes in lumine ejus, & Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in illam.

VERSIONES.

Syriacus n. 23. Ipsa Urbs non habet indigentiam Solis, &c. ut illuminent eam: ipsa enim gloria Dei illuminabit eam, & lucerna ejus est Agnus.

Æthiopicus. Ut illustrent eam, quia lux Dei illustrat eam; & lucerna Agni ejus.

Arietas. Non habebit opus lumine, &c. quæ illustravit eam.

Æthiopicus 24. Incedent gentes per lucem ejus.

Pagninus. Gentes, quæ servatæ fuerunt.

Syriacus. Per lucem ejus illam, & honorem gentium in eam.

Arabic. Honorem suum in illam intulere.

D. Augustin. In lumine ejus usque in finem.

EXPOSITIO

611 Quatuor proprietates hujus divinæ claritatis.

SIcut sup. dictum est, quòd cœlestis civitas non habet templum materiale, nec corporale, non enim eget Sole, & Luna. *Claritas Dei illuminat eam*; Deus enim lumen splendidissimum, qui est ipsamet lux, tum per suam lucem, ac lumen gloriæ, tum etiam per lucem datam, ac communicatam corporibus beatis, mirificè illuminat illam sanctam civitatem. Et hæc splendidissima lux, quam excelsa sit, satis ostenditur primò cum dicitur claritas Dei; quæ enim Dei dicuntur valde excelsa sunt, ut montes Dei, cedri Dei, civitas Dei; secundò talis est hæc claritas, qualis decet Dei palatium; tertiò dicitur claritas Dei, quia immediatè fit à divina omnipotentia, tum prout exiit ab ipso Deo per lumen gloriæ, tum etiam prout communicatur corporibus beatis. In hac claritate Dei, quatuor considero proprietates; prima est suavissima, & non exasperans, ut ignea, vel solaris; secunda & puriſſima, omnia ut sunt manifestat, nec alterans, nec minuens à suo statu; tertia & splendidissima, ac fulgentissima cum multa pulchritudine, ac elegantia; quarta illuminat non solùm potentias externas corporis, sed etiam internas, ut phantasiæ, intellectus.

612 *Lucerna ejus est Agnus*; nempe fulgentissima Christi humanitas. Et his significatur lumen Agni, esse à divinitate, & Deo illi communicatum, quia lucernæ à se lumen non habent, sed aliunde accipiunt: & quamvis omnes beati multa luce fulgeant, tamen per excellentiam hoc primo convenit Agno. Et dicitur Agnus lucerna per respectum ad Beatos, quia illis communicat revelationem aliquorum, quam illis de tempore in tempora facit Agnus. Secundò manifestat Beatis mirabilia, quæ facit Pater, & Verbum in ipso ut homine, & thesauros divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei in se ipso absconditos; ad penetrabile illud, ac admirabile secretum, nullus potest ingredi, nisi ipso introducente, ac illuminante; undè ipse dicebat: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*, Joan. 16. n. 19. Tertiò, eos ducit Agnus, ut lucerna illis existens veluti choragus, & primarius præit ostendens Beatis, quid de tempore in tempus facere debeant erga cultum, venerationem, ac laudem divinæ majestatis, quam omnes sequuntur, & ideo hìc habet locum illud Psal. 118. n. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Ordinatissima illa Respublica habet Agnum tanquam ducem, qui ostendit illis, quid facere debeant in veneratione divinæ majestatis, illiusque laudibus decantandis.

613 *Et ambulabunt gentes*. Alcazar, Corn. la Haye volunt hoc ambulare esse viatorum, & non comprehensorum, qui lumine cœlestis Jerusalem per bona opera ad eam properant; at hìc sermo est de cœlesti Jerusalem, postquam Deus omnia fecit nova, ut dicitur sup. in hoc cap. 5. scilicet post judicium, quo tempore nulli jam erunt viatores. Dico cum Ferrario, quòd de beatis, ac comprehensoribus hìc est sermo, ac si dicat noster Joannes: Video te, ò cœlestis Jerusalem, in te completum, quod de te in statu militanti prædictum fuit ab Isaia 60. n. 3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*; ibi enim erit maxima felicitas ex frequentia tot gentium, quæ salvatæ sunt. Et dicuntur ambulare per allegoriam ad civitatem magnam, & amplam, ac amœnissimam; vel ambulant non gressu corporis, sed mente, ac consideratione.

614 *Et Reges terræ*. Aliqui hìc per Reges terræ intelligunt eos, qui temporali diademate coronantur, sed Regum divitiæ nullius æstimationis sunt ad cœlestem Jerusalem. Alii verò intelligunt eos Reges, qui in cœlum opes suas dirigunt, dum eas pro Christo, in pauperes erogant, aut etiam in divini cultus obsequium impendunt; quasi hac ratione Mundi opes in cœlum transferunt. Tamen simpliciter dico cum Primasio, Ruperto, Richardo Victorino, quòd nomine Regum intelliguntur justi; omnes in illa cœlesti patria erunt magni, omnesque eminentissimi, & præclari, qui ad instar Regum erunt, non propter opes, & imperia caduca, sed ob virtutes, & eximias animi dotes, fortitudinem, scientiam, sapientiam, &c. frequenter in Scriptura nomine Regum intelliguntur justi, & beati: *Aser panis pinguis, & præbebit delicias Regibus*; Genes. 49. n. 20. *Afferunt gloriam suam & honorem in illam*; ut exponit Gagnæus omnia sua merita, & bona opera, per quæ honorantur, ac glorificantur.

Justi dicuntur Reges.

Apoc. 21. *n.* 25. Et portæ ejus non claudentur per diem; nox enim non erit illic.

Num. 26. Et afferent gloriam, & honorem gentium in illam.

Num. 27. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium, nisi qui sunt scripti in libro vitæ Agni.

VERSIONES.

Syriacus n. 25. Non claudentur interdiu; nox enim non est ibi.

Arabic. n. 26. Et afferent ad eam gentes gloriam.

Primas. Ponent honorem, & majestatem gentium in eam.

Aretas. In illam ut ingrediantur.

Syriacus n. 27. Quicquam pollutum, & qui facit immunditiem.

Arabic. Quicquam immundum, nec operantes abominationes; at verò intrabunt in eam in libro vitæ ad agnum pertinentes.

Arias. Et faciens abominationem vitæ.

EXPO-

EXPOSITIO.

615 Summa pax, & libertas sanctæ civitatis.

ET portæ ejus. Hìc describitur alia quædam mira excellentia sanctæ civitatis à pace, securitate, ac eximia libertate, omnino oppositæ damnatorum infelicitati, qui in suo loco, ut teterrimo carcere clauduntur, at verò beati in illa felicissima civitate spatiabuntur, cujus portæ nunquam *die* clauduntur. Dicitur, die, quia ibi est perpetuus dies, & nulla nox unquam erit, ut latè discurrit Strabus hìc. Nec cum his obstat, quod supra n. 23. Agnus dicitur lucerna, lucerna enim dicitur per respectum ad noctem; at Agnus dicitur lucerna non propter noctem, sed propter alias causas, quas ibi dedi in expositione. De luce, ac splendore illius cœlestis civitatis egregiè ait D. August. in sentent. num. 37. *Æterna sunt gaudia, & sanctorum dierum perpetuitas infinita, nec variabitur, nec labetur, quia incommunicabili pace potientur, quorum erit omnium donorum, etiam quæ fiunt singulorum.*

Splendor, & lux civitatis.

616 Magna multitudo in civitate.

Afferent gloriam, & honorem gentium. Supra de Regibus, nunc de gentibus ingerit sermonem, ne quis existimet, ad paucos hanc sanctam civitatem coarctari; subdit: *Afferent gloriam, & honorem gentium;* & non exprimit, quinam sunt isti. Intelligo omnes gentes in hanc civitatem sanctam venientes afferent quidquid gloriæ, & honoris est, scilicet secundùm merita, & bona opera in ordine ad vitam æternam, nam in hujusmodi meritis stat eorum gloria, & honor.

617 *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum.* Dixerat supra Evangelista, quod sanctæ civitatis portæ sint semper apertæ, & non clausæ, quod omnes gentes venientes afferent illi gloriam, & honorem, nunc verò explicat quinam ab hac sancta civitate excludantur; non intrabit in ea aliquid coinquinatum, etiam culpa levi, ac leviissima, proindè civitas ex se omni die, seu tempore habet portas patentes, & apertas; unusquisque ex suo coinquinamento, ac nequitia excluditur, ac proinde *non intrabit in eam aliquid coinquinatum*; etiam per consensum in cogitatione: *Vel faciens abominationem*; in actione & operatione, & *mendacium* in locutione.

618 Mundi per Agnum.

Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. De hoc libro multa jam dixi c. 3. v. 5. & c. 20. n. 12. Et hæc dicuntur à Joanne, ut ostendatur omnia consultissimè fieri circa sanctam civitatem, illiusque cives; sed jam ab ipso principio, alta ordinatione omnes cives ejus esse scriptos in libro vitæ Agni, meritòque scriptos, cùm nullus rejectus sit, qui scribi meretur, & habet gloriam, & honorem meritorum. Et non tantùm dicitur *liber vitæ*, sed additur *Agni*, ut sciamus, quia per agnum, & sanguinem ejus mundati sunt, ut invenirentur scripti in illo libro vitæ, ad hoc ut ingrederentur civitatem sanctam.

QUÆSTIO XXXVII.

Quare afferentes gloriam, & honorem, non exprimuntur; & quinam sint isti.

619 DIcitur in text. *Afferent gloriam, & honorem gentium in illam.* Cum portæ civitatis sint apertæ, in illam ingredientur omnes, qui se benè præparaverint ad ejus ingressum, nam in illam non ingreditur quidquam inquinatum. Hìc tamen non exprimit text. quinam sint isti afferentes; legit Arab. *Et afferent gloriam, & honorem gentes ad eam*; ac proinde gentes ingredientes in civitatem cœlestem secum afferent omnem gloriam, & honorem gentium, tam secundùm facultates naturales intellectus, voluntatis, ac boni ingenii, quàm secundùm facultates supernaturales meritorum, ac bonorum operum.

620 Bona [illegible] Deo [illegible]

Secundò non dicitur Afferent gloriam, & honorem suum, sed absolutè *gloriam & honorem*; non enim nobis gloria tribuenda est, sed Deo reddenda, cum benè operati sumus. Aretas: *Qui terrenos devicerunt affectus, ferent gloriam auxiliatori Deo, nullum enim egregium facinus hominibus contigit absque divino auxilio:* vide supra q. 7. n. 6.

Tertiò: *Afferent gloriam, & honorem*; hi nempe sunt Apostoli, doctores, ac magistri, & ministri Sacramentorum, qui afferent in cœlestem civitatem, gloriam, & honorem gentium conversarum, quas Christo, ac Ecclesiæ pepererunt, juxta illud, quod Dominus dicebat Joann. 15. num. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Rupertus ait: *Isti afferent in illam civitatem gloriam, & honorem gentium, id est glorioſum, & honorificum fructum, quem in gentibus fructificaverunt Regi, & Domino illius civitatis Deo, & Agno æterna præsentatione præsentabunt.* 621 *Justi afferunt fructum animarum Deo.*

O quàm magnum, & præclarum Deo obsequium præstant, qui de aliorum salute agunt, eosque ad Christum adducunt! hinc David decantat Psalm. 28. num. 1. *Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.* Qui ad Christum alios trahunt, præclarissimo titulo nobilitantur, ut filii Dei dicantur, quos autem adduci exoptat, *Filios arietum*; non arietes, sed eorum filios, teneros nempe, ac parvos, ut cum ipsa ætate, ac pueritia Christi doctrinam ebibant. Div. Chrysolog. sermon. 10. *Afferte filii Dei, afferte filios arietum, quos sponte venire, aut necessitas vetat, aut ætas impedit, aut tenent vitia, aut delicta morantur; adducite volentes, trahite nolentes, facite vobis de aliena necessitate mercedem.* Servum Dominus adducat, filium Pater offerat, non retardet: vide supra, quæst. 33. num. 533. & seqq. 622 *Valde magnum afferre Deo fructi animarum*

Quartò: *Afferent gloriam, & honorem*; nempe Reges terræ, de quibus dixerat vers. 23. *Afferent gloriam suam, & honorem in eam.* Eorum honor & gloria sunt eorum bona opera, ac merita, ac si præcipuus eorum honor, ac gloria, non consisteret tantùm in eo, quod essent beati, sed & maximè, quod habuissent merita ad ipsam vitam æternam promerendam, & hic est summus honor, & gloria in homine. Duas confessiones, duoque magna obsequia præstitit Petrus erga Christum Dominum, ob quæ magna præmia accepit; primò quando confessus est Christi divinitatem: *Tu es Christus filius Dei vivi*; secundò quando Petrus de suo amore requisitus, ac examinatus: *Simon Joannis diligis me plus his*; tunc respondit: *Tu scis Domine, quia amo te*, Joann. 21. num. 17. pro prima sua confessione fidei accepit Pontificatum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matt. 16. num. 18. at verò pro manifestatione sui amoris, ac pro protestatione suæ charitatis in præmium ei datur mors pro Christo; ait ei Dominus: *Cum senueris extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis: hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum*, Joann. 21. num. 18. Charitas major omnium virtutum teste Paulo, 1. Corinth. 13. *Nunc manent fides, spes, charitas, major autem eorum est charitas*; pro fide accepit Petrus Pontificatum, pro charitate, illiusque protestatione, mortem & Crucem. Optimè sanè, nam pati, & mori pro Christo, summus honor, majorque dignitas, quàm Pontificatus, ac quàm quæcunque alia eminens potestas, & superexcellentia. D. August. in catena D. Thomæ sic ait: *Qui non solùm mortem, sed & mortem Crucis, sicut Christus expertus est*; & hoc pro magno præmio, pro magno honore, ac dignitate ei conceditur: vide supra, cap. 16. quæst. 46. num. 383. 623 *Pro Deo mereri maximus honor & gloria.* *Pati pro Christo summus honor & dignitas.*

QUÆSTIO XXXVIII.

Quare in sancta civitate non introibit aliquid coinquinatum; & agitur de defunctorum animis.

DIcitur in text. de cœlesti civitate: *Non introibit in ea aliquid coinquinatum*; quo ostenditur excellentia, puritas, ac sanctitas illius civitatis, quæ nihil in se admittit nisi omnino purum, ac mundum ab omni defectu, & macula etiam minutissima; nam sicut ipsa civitas tota est ex auro mundo, & pellucido tanquam vitro, sic quidquid in illa est, totum est mundum, & pellucidum, sine ulla macula, & defectu. 624 *Eximia puritas sanctæ civitatis.*

A supremo ergo Rege discant Principes, & terreni Dominatores christiani suas civitates, ac regna cu- 625

curias, ne permittant omni turpitudine repleri, ac perverti, sed quidquid fœdum, ac nomini christiano indignum reperitur, omnibus viribus intendant alienare, ut bona crescant, & fructificent; quod D. Chrysostom. rectè expendit componens principes, cum agrorum cultoribus, & ait: *Agricultura imitatur principatum; est enim quidam plantarum cultor, alia quidem amputans, & prohibens, alia verò fovens, & excrescere faciens: itidem optimi principes malos, ac nociuos punient, bonos verò ad meliora promovebunt; propter quod & Scriptura principes vinitoribus comparat; & sicut legibus profligatur malitia, ita etiam & in hac arte terræ vitium, & plantæ degeneratio, & feritas emendatur.*

Bonus Princeps nil fadum permittit in sua ditione.

626 Comprobatur ex textu dari purgatorium

Ex præsenti nostro text. D. Augustin. epist. ad Aureolum, rectè hunc locum: *Non introibit in ea aliquid coinquinatum*; adducit ad comprobandum dari purgatorium: multa enim sunt etiam hominum justorum peccata, illaque exigua, propter quæ eos damnari nequaqam censendum est, proindeque medium constituendum est, in quo animæ mortuorum in levibus peccatis purgentur, alioquin quicunque, vel in minimo peccato mortuus sit, in æternum esset damnandus, quia nihil coinquinatum in illam civitatem intrabit, quod dicere omnino alienum est à divina clementia, & etiam ab omni humano conceptu: datur ergo Purgatorium, in quo vel pro venialibus, vel pro pœnis debitis, mortalibus dimissis, planè satisfaciendum sit. Hæc veritas definita est ab Ecclesia in Concilio Florentino in literis Unionis, & in Tridentino sess. 6. can. 3. & decreto de Purgatorio & sess. 22. cap. 2. & canon. 3. ubi dicitur esse apostolicam traditionem offerendi sacrificium pro defunctis in Christo nondum purgatis. Hanc veritatem catholicam affirmant sancti Patres, quos addunt noster Walden. Bellar. Suar. tom. 4. ad 3. p. disp. 46. sect. 1.

627 Pœna Purgatorii acerbissima.

Quàm verò acerba sit pœna Purgatorii patet tum ex carentia summi boni, quia cum anima sit libera à corpore, maximè cognoscit quantum malum sit illa carentia visionis Dei super omne malum temporale, quod in hac vita præsenti accidere potest, ut docet D. Thomas 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. quæst. 3. Soto, q. 13. art. 3. concl. 2. Secundò ex pœna sensus, quæ pœna est acerbior omni pœna hujus vitæ. D. Anselm. in Elucidario loquens de pœnis Purgatorii ait: *De quibus minimum majus est, quàm maximum, quod in hac vita excogitari potest*, & D. Cæsar. homil. 8. post citata verba Psalm. 118. *Concupivit anima mea desiderare, &c.* sic ait: *Ille purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo, aut accidere, aut sentiri, aut cogitari.*

628 Animæ defunctorum adjuvandæ, ut liberentur à pœnis.

Ab hac tam rigida pœna liberantur animæ in Purgatorio existentes oblationibus, sacrificiis, orationibus, ac bonis operibus, dum à viventibus, mediatori Deo pro eis offeruntur, ut D. August. in Enchiridio, cap. 14. quod multis historiis firmat Ludovicus Blosius in Monte spirituali, cap. 13. & pro his animabus orare Christus nos docuit oratione sua in horto, ut dixi tom. 5. in Evangel. lib. 8. cap. 2. q. 5. num. 4. nunc verò ad alia Scripturæ loca veniamus. Secundo Reg. 21. n. 10. refertur quod cum septem filii Saul à Gabaonitis acti essent in cruces, tunc *tollens Respha filia Aja cilicium substravit sibi supra petram ab initio messis, donec stillaret aqua super eos*: notanter dicitur, *donec stillaret aqua super eos*; cur bona mulier per tot tempus defunctis cum cilicio astitit, donec cœlesti aqua perfunderentur? Forsitan ibi denotatur pro defunctis officium præstandum à nobis quoad usque ipsi cœlesti rore pertusi salutis refrigerium capiant. Sic habet Bacharius, epist. ad Januarium & ait: *Melior fuit concubina Saulis, quæ corpora defunctorum, quos David pro Gabaonitarum ultione percusserat, eo usque accincta sacco, hoc est, cilicio..... id est donec pro venia eorum, misericordia cœlestis defluceret.*

629 Christus Dominus suscitaturus Lazarum circumstantibus mandavit: *Tollite lapidem*, Joan. 11. num. 36. & ipsi tulerunt lapidem; benè poterat Christi virtus, & simul Lazarum è sepulchro suscitare, & lapidem tollere; ad quid mandavit astantibus, ut ipsi opus exhiberent, & manibus appositis lapidem tollere? Ad hoc id mandavit, ut innueret, quod defunctorum levamen, & adjutorium suis operibus homines vivi debent impendere. Pro quo considera, quod Christus Dominus multa, & magna miracula solo verbo est operatus; Paralyticum in lectulo jacentem sanavit dicens: *Surge tolle grabatum tuum, & ambula*, Joan. 5. num. 8. sic & alterum Matth. 6. num. 6. sic & cæcum in via Jericho, uno verbo: *Respice, fides tua te salvum fecit*, Luc. 18. num. 14. sic & manum aridam uno verbo restituit Luc. 6. n. 10. sic & in multis aliis; at verò cum ad suscitandos mortuos venit, aliter se habet; cum ad Lazarum, orat: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*, Joan. 11. num. 41. ad filium viduæ: *Accessit, & tetigit loculum*, Luc. 7. num. 14. & cum principis Synagogæ filiam sanat: *Tenuit manum ejus*, Matth. 6. num. 25. cur ergo Dominus ad mortuos suscitandos, oratione, & manu se habet? Ut nobis inde significaretur, quod ut mortui suscitentur ad vitam debeant subveniri, & adjuvari oratione, vel nostris bonis operibus. D. Damasc. orat. de defunctis... sic loquitur: *Nunc verò operæ ferendæ tempus est, & tempus negotiationis, nam hoc misericors ille vult, gratumque habet, ut nos omnes tum post confectum vitæ curriculum mutuò alii ab aliis juvemur.*

Oratione, ac bonis operibus adjuvandi sunt defuncti.

Quantum verò gratum sit Domino defunctos bonis nostris operibus adjuvari, multis explicatur. In ultima Judici die suis electis dicet Dominus: *Amen dico vobis, quamdiu fecisti uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecisti*, Math. 25. num. 40. modò quæro: Cur Dominus de eleemosynis factis pauperibus minimis tantùm loquitur? nunquid opera misericordiæ exhibita majoribus pauperibus Dominus non remunerabitur? Absque dubio remunerabitur; quinam ergo sunt isti fratres minimi, de quibus tam insigniter Dominus loquitur? Isti fratres sunt innocentes, infantes, ac parvuli pueri, qui nesciunt, nec valent petere, & opera charitatis impendere his, qui nec petunt, nec valent petere opus super modum gratissimum, ac perjucundum Deo, ita ut Christus totum sibi datum affirmet, ut notat D. Chrysolog. serm. 14. & ait: *Sibi datum clamat, quod pauper acceperat, quod bibit pauper sibi testatur infusum.* Ex quo conjice qualis est eleemosyna coram Deo facta pro animabus purgatorii, cum ipsæ sint in gravissima necessitate, ac acerba, & rigida pœna, & tamen non valeant petere cum ad nos non possint venire, ideo adjuvamen illis impensum summè gratum, ac perjucundum erit Deo.

630

Opus charitatis gratissimum Deo pro defunctis.

Profundè considerandum est, quod quamdiu Christus degebat in hoc Mundo, non inveniuntur magnæ pecuniarum expensæ cum eo ab aliquo exhibitæ, nec in ejus cibo, nec in ejus habitaculo, ita ut ipse de se testaretur: *Filius hominis non habet ubi reclinet caput suum*, Matth. 8. num. 20. & in Bethleem non est inventus, qui minutam pecuniam pro ejus hospitio solveret, & ideo ejus sanctissima Mater ad præsepe declinavit; at verò postquam ipse mortuus est Joseph ab Arimathia *mercatus est sindonem novam*, Marc. 15. n. 46. Nicodemus copiosissimè fert *mixturam myrrhæ, & alœs, quasi libras centum*, Joann. 19. num. 39. tres illustrissimæ fœminæ Mariæ emerunt aromata, *ut ungerent Jesum*, Marc. 16. num. 1. quid est quod dum Christus viveret nullus est, qui cum eo faciat expensas, post mortem verò, tam largæ, ac copiosæ fiunt? Christus Dominus cum in vivis esset, viventium necessitatibus subveniebat, dans oculos cæcis, pedes claudis, sanitatem infirmis, at verò mortuus statim evolavit, ut animas sanctorum Patrum è Limbo liberaret, aliasque ab igne purgatorii eximeret, & divina providentia ordinante Christus plus attraxit, & devinxit defunctorum animabus subveniens, quàm viventium necessitatibus opem ferens, ac succurrens.

631

Majus videtur subvenire animabus purgatorii, quàm viventibus.

Mortua Sara, cum Abrahamus ei vellet dare sepulturam, agrum vult emere ab Ephron, qui cum intendisset agrum gratis dare, recusat Abrahamus, *& appendit pecuniam*, Gen. 23. num. 16. gratis datur campus, cur liberalitati filiorum Heth non acquiescit

632

Magnum lucrum ex opere exhibito defunctis.

scit Abrahamus, sed pecunia persoluta sepulturam sui mortui tantùm exoptat. Erat campus ad sepulturam unius defuncti, & pro certo apud se statuerat Abrahamus, quod quanto magis expendisset in mortuorum obsequium, tantum magis sibi lucrari videbatur, & ideo non gratis, sed data pecunia locum comparare apud se statuit. D. Hieronym. epistol. ad Gerundi filias de contemnenda hæreditate sic ait inter alia: *O veritas, ò Altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei! quid est sepulchrum? locus quietis, ubi juxta modi rationem defunctorum corpora collocantur; vera ergo intelligentia locum sibi requietionis Pater Abraham fide sua, & contemptu pecuniæ comparavit.* Fide plenus Abrahamus agnoscens quàm utile esset inservire mortuis contempta pecunia locum comparat; multum animæ rogant pro suis adjutoribus, quorum ope translatæ sunt in gloriam.

633 Cum meus Jesus penderet in Cruce, primo omnium pro suis crucifixoribus rogat ad Patrem: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, Luc. 23. num. 34. deinde discipulum commendat matri: *Mulier ecce filius tuus*; & matrem discipulo: *Dicit discipulo; ecce mater tua*; Paradisum latroni concedit: *Hodie mecum eris in Paradiso*; postea in sua siti levamen postulat dicens: *Sitio*; postea amoris querelas ex parte corporis producit: *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me*; tandem spiritum suum in manibus æterni Parentis committens ait: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; in tanta rerum dispositione prima omnium memoria, ac recogitatio est pro crucifixoribus, deinde pro matre, pro discipulo, pro latrone, pro siti, pro spiritu; attende: Christus Dominus suam gloriam habuit præ amore constitutam in Cruce, juxta illud Isaiæ 42. num. 8. *Gloriam meam alteri non dabo;* Setuaginta legunt: *Crucem meam alteri non dabo*; & in gloria prima memoria, ac recordatio debita est his, quorum interventu ipsa gloria assequitur; cum ergo crudelitas inimicorum in causa extitisset, per quam Dominus suam Crucis gloriam obtinuisset, inde consequens videbatur, moraliter dicam, ut pro eis esset prima exoratio, primaque recogitatio; quanto magis hæc erit in sanctis animabus in gloria pro his, quorum orationibus, ac piis operibus translatæ sunt in gloriam?

Animabus in gloria prima recordatio suorum benefactorum.

634 Considera obsecro, omnes quatuor Evangelistas diligentissimè adnotasse Joseph ab Arimathia curam ad Christi sepulturam; Matth. 27. num. 57. *Venit quidam homo dives ab Arimathia nomine Joseph, qui & ipse discipulus erat Jesu*; Marc. 15. num. 42. *Venit Joseph ab Arimathia nobilis decurio, qui & ipse erat expectans Regnum Dei, & audacter introivit ad Pilatum*; Luc. 23. num. 50. *Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus, & justus, qui expectabat, & ipse Regnum Dei*; Joan. 19. num. 38. *Rogavit Pilatum Joseph ab Arimathia, eo quod esset discipulus Jesu occultus*; ubi Matth. Marc. & Lucas notant ejus nobilitatem, quia erat dives, & nobilis decurio; Marcus, Lucas, Joannes ejus commemorant virtutem, quia erat vir bonus, Christi discipulus expectans regnum Dei. De mortuis curam habere, nobilitatis, & virtutis signum. De hoc Joseph sic scribit D. Laurentius Justinianus, cap. 11. de Christi agone, & ait: *Illud sibi donari popposcit, sperans locupletem meritorum cumulum, se in sublimioribus cœlorum mansionibus posse mereri.* Joseph vir Justus, bonus Christi discipulus, expectans regnum Dei, tamen magnum cumulum meritorum in cœlo præparabat ex cura corporis mortui, ac si plus promereatur ex opere pio erga defunctorum, quàm ex quocunque alio virtutum facinore: *Sperans locupletem meritorum cumulum.*

Nobilitatis & virtutis est de mortuis agere.

635 Postquam David obtinuisset gloriosam victoriam de Idumæis, ait text. 2. Reg. 8. num. 13. *Fecit quoque David sibi nomen;* quod multi graves expositores apud Lyram ibi interpretantur de arca triumphali, quam in monumentum tantæ victoriæ sibi erexit. Sed quomodo hoc audet sanctus Rex David cum maximè exprobratum fuerit Regi Sauli destructo Amalech, quod arcum triumphalem sibi constituisset, 1. Reg. 15. num. 12. & ob hanc suam vanitatem *rigidè* increpatus, est; cur ergo hoc non timet pius Rex David? Rabbi Salomon, hoc grande nomen Davidis exponit non de triumphali machina, sed de ejus pietate, ac clementia erga defunctos, dum de eis agit, eorumque corpora honestè sepelit, & sic ait: *In hoc acquisivit sibi nomen bonum, quia exercuit circa mortuos opus misericordiæ.* Finito bello, assecuta victoria, habuit David curam mortuorum, jussitque eos sepeliri: ecce præclata Davidis stigmata, ecce illius trophæa inclyta, ecce glorioſa monumenta nominis sui; nil enim magis glorioſum nomen reddit, nilque magis illius famam amplificat, quàm mortuorum cura, immò & hæc magnificum regnum comparat, & assequitur.

Pietas in defunctum glorioſum nominis monumentum.

Postquam iniqui, ac dolosi ficarii Isboseth interfecerunt, tulerunt caput ejus ad David, qui magno planctu, non minorique apparatu illud sepelivit in sepulchro Abner. 2. Reg. 4. num. 12. quid tunc Immediatè sequitur cap. 5. num. 1. *Venerunt universæ Tribus ad David in Hebron*, & eum constituerunt regem; cur modò & non antea eum universus populus sibi assumit, & eligit in regem? Nota & manifesta fuit omnibus ejus pietas in defunctum, inde ipse præclarissimus factus, regali corona dignissimus habitus est, sic enim cura in demortuos hominem sublevat, ac extollit, ut super cæteros regali fastigio sublimetur. 636

Pietas in defunctū, regium dignitatem impetrat.

CAPUT XXII.

Complet noster Joannes suam prophetiam; & postquam superiori capite descripsit cœlestem civitatem, ilius ambitum, murum, plateas, fundamenta, portas, nunc de illius fluvio instituit sermonem, & ex utraque parte ipsius fluvii, vitæ arbores sunt dispositæ; & cum Joannes gratulabundus vellet dare gratias Angelo tot revelanti, ab ipso prohibetur; mortalesque omnes adhortatur ad desiderium cœlestis civitatis, ut fuga peccatorum, & studio virtutum, ad illam subire contendant. Deinde magnas pœnas comminatur falsariis, qui huic prophetiæ audeant aliquid addere, vel decerpere; deinde ipsam cœlestem civitatem suspirans ad illam citissimè vult transferri.

Apoc. 22. *n.* 1. Et ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam chrystallum, procedentem de Sede Dei, & Agni.

Num. 2. In medio plateæ ejus, ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Fluvium aquarum vivarum, exeuntem de throno Dei illius, & Agni.

Arabicus. Fluvium purum &c. rutilantem, ut adamantem defluentem.

Æthyopicus. Tanquam chrystallum, & procedebat &c. è potestate Agni ejus.

D. August. Exiens à throno Dei.

Rupertus. Procedens de ore Dei, & Agni.

Arabic. n. 2. In medio foro ejus, ex omni parte fluvii erat arbor vitæ.

Æthyopicus. Fluebat in medium plateæ, & è latere hujus fluvii illic &c. & ligni folia ad vitam gentium.

Primas. Per mediam plateam ejus, &c. in curationem gentium.

Aretas. Ad medelam gentium.

EXPOSITIO.

Stendit *mihi*. Angelus qui Joanni ostendebat civitatem sanctam *ostendit* ei sedem Dei, & Agni in medio ipsius civitatis, ex qua etiam manifestavit procedentem *fluvium aquæ vitæ*; de cujus intelligentia multæ, & variæ sunt sententiæ, ut dicam quæstionem sequenti.

Pro-

Fluvius beata visio cum fruitione.

Probabiliùs hic fluvius denotat visionem beatam, quod intelligo non præcisè tantùm, prout est mera cognitio, sed prout est fruitio, & ex intellectu extenditur ad voluntatem cum gaudiis ineffabilibus, & per hæc Deus in suos electos infundit omnia cœlestia dona, ac bona, juxta illud Psal. 35. num. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Non dicitur fons, sed fluvius, ob sui magnam abundantiam, & copiam; & quamvis in Paradiso terrestri esset fons, tamen in cœlo dicitur fluvius ob illius multam exuberantiam; & non dicitur torrens, qui cum strepitu decurrit, sed fluvius leniter, & suaviter ab intellectu in voluntatem, ex cognitione ad amorem, ex amore ad delectationem, & fruitionem.

2 *Aquæ vitæ;* Syriacus: *Aquarum vivarum*; seu, ut alii legunt; *Aquæ vivæ*; sensus idem est. Aqua vitæ, more hebræorum, dicitur aqua viva, idest, perenniter manans, & currens; vocatur ergo hic fluvius, *aquæ vitæ*, idest, vitalis, vivas, & perennes habens scaturigines; semper fluit, & non cessat. Cœlestis beatitudo perpetuas communicat influentias divinorum donorum, & inde dicitur fluvius, quia præstat refrigerium post laborem. *Splendidum*, propter corporum claritatem, *tanquam crystallum*, propter immortalitatis firmitatem, vel etiam propter cordium, ac corporum transparentiam; *splendidum*, rutilantem, *tanquam chrystallum*; Arabic. *ut adamantem;* & idem significatum cum chrystallo. Rupert. *In chrystallo nempe est claritas, & firmitas quæ sunt pulchræ illius vitæ beatæ signa.* Alii legunt: *Purum candidum*; ob puritatem, & candorem cœlestis patriæ, quia nihil coinquinatum admittit. Hic autem fluvius, non solùm exit à sede Dei, cujus aspectus æternam vitam præbet beatis, sed etiam à sede agni, quoniam meritis Christi hominis cœlestis illa patria concessa, & data est illis, ejusque aspectu humanitatis sanctissimæ, mirificè recreantur beati.

Firmitas cœlestis beatitudinis.

3 *In medio plateæ ejus.* Ribeir. Alcazar, Cornelius, la Haye, sub nomine plateæ plateas, & vias intelligunt, sicut sub ligno vitæ multa ligna; sed standum in literæ proprietate. In illa sancta civitate non sunt multæ plateæ, sed una platea ob intimam unitatem, ut jam dixi superiori cap. num. 21. *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ.* Persistens Joannes in eadem allegoria illam veluti perficit & complet duas prædicto fluvio ripas, & arbores ad fœcunditatem, & amœnitatem. Citati authores per lignum vitæ, multa ligna intelligunt; sed in proprietate literæ standum est; in singulari unum lignum est, tum quia alludit ad illud Gen. 2. n. 9. *Produxit Dominus lignum vitæ in medio Paradisi*; tum quia respicit unitatem vitæ, & principii, ac societatis.

4 Quid verò hoc lignum vitæ significet, multæ, & variæ sunt sententiæ, de quibus quæst. 2 hoc autem lignum vitæ, existimo quod sit divina providentia, seu divina sapientia, quæ dicitur lignum vitæ, juxta illud Proverbior. 3. num. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam*; divina enim providentia implet, & replet beatos, qui hoc ligno vitæ potiuntur, ex utraque parte, secundùm potentias internas, & externas. In beatitudine non solùm in intellectu, & voluntate est visio, & fruitio, cum summo Dei amore, ac delectatione, sed tanquam fluvius magnus exundat in potentias externas; in aures multæ melodiæ, in oculos mirabiles rerum prospectus humanitatis Christi, Virginis Mariæ &c. de quo latiùs quæst. 2.

Lignum vitæ divina Providentia.

5 *Ferens fructus duodecim, per menses singulos*; hoc est perennes, & perpetuos fructus, & ita dulces, ac suaves tanquam novos. *Et folia ligni ad sanitatem gentium*; dotes nempe, quas communicat divina providentia corpori glorioso, ut sunt immortalitas, impassibilitas. *Ad sanitatem gentium*; ac si dicatur: Gentes illæ, quæ antea in statu vitæ mortalis, ad instar aquæ in morbos, mortemque fluxerunt, jam in isto novo statu redivivæ, ab eis excluditur languor, & perennis erit sanitas.

Dotes corporis glorioſi.

QUÆSTIO PRIMA.

Quare tam accuratè Joannes explicat fluvium cœlestis civitatis; & quisnam est iste fluvius.

SUperiori cap. 21. descripsit noster Evangelista cœlestem civitatem Jerusalem, nimirum ejus opus, splendorem, & gloriam, illiusque murum, & fundamenta duodecim, & portas illius duodecim, ejusque altitudinem, longitudinem, ac latitudinem, ejusque auream plateam, ipsiusque etiam civitatis lumen, ac lucem, & felicitatem, nunc ad ejus amœnitatem, ac utilitatem apponit fluvium, juxta illud Psalm. 45. num. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei.* Et dicitur fluvius aquæ vitæ, quia semper fluit, & nunquam siccatur. Quid verò hic fluvius significet maximè dubitatur. 6

Amœnitas sanctæ civitatis.

Primò Div. Bonavent. lib. qui inscribitur *Principium sacræ Scripturæ*, hujus fluvii nomine sacram Scripturam interpretatur, ob multas causas; quia ut cœlestis aqua fœcundat mentem, de illa interpretatur Div. Ambros. lib. 7. in Luc. illud Cantic. Moysis Deuter. 32. num. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*; undè dicebat Div. Ambros. cit. *Utinam Domine Iesu, mens mea pluviæ tuæ humore virideſcat; utinam terram meam nivis istius candore respergas.* Tum etiam, quia sicut chrystallus oculis, ita Scriptura animis pulcherrimam, & elegantem speciem proponit, imò splendidam, ac formem lucem confert, juxta illum mysticum sensum Esth. 10. num. 6. *Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, Solemque conversus est.* 7

Scriptura tanquam fluvius, ac imber fœcundat.

Secundò Haym. Ansbert. dicunt hunc fluvium esse prædicationem evangelicam, qua Paradisus S. Ecclesiæ irrigatur, prædicatio enim fluminis nomine denotatur, dicente Salomone Prov. 18. n. 4. *Aqua profunda, verba ex ore viri, & torrens redundans fons Sapientiæ.* Ad hoc respexit David Psal. 106. num. 33. *Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.* Per desertum, & terram sine aqua intelligit gentiles, & peccatores sine humore fidei, & gratiæ; tamen per prædicatores, ac prædicationem evangelicam, posuit Deus in stagnum, ac exitus aquarum, & prædicatio sancta, unum est flumen, & multa flumina; unum unitate fidei, & multa, quia per multorum ora diffunditur. Et hic fluvius aquæ vitæ splendido chrystallo, seu adamanti comparatur: *Quia*, ut ait Asbert. *quos irrigat, vivificat, & quos irrigando vivificat ad aquam Baptismatis perducens, mox & puritate splendidos, & robore fortissimos reddit.* 8

Prædicatio Evangelica irrigat, & vivificat.

Tertio D. Ambros. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 21. & Rupertus per hunc fluvium, qui à sede Dei, & agni procedit, intelligunt Spiritum Sanctum qui à Patre, & Filio procedit. Et quod Spiritus S. intelligatur per fluvium, probatur ex illo Christi Domini Joan. 7. num. 38. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat; qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Hic autem fluvius dicitur splendidus instar chrystalli, quia, ut ait Joach. *Ubi spiritus Domini, ibi splendor; ubi ipse non est, ibi cæcitas animi, & obcæcatio mentis.* Quartò Joachim. & Richardus contendunt hunc fluvium esse gratiam Spiritus S. de hacque intelligunt cit. loc. Joan. 7. 9

Divinus spiritus procedens à Patre & Filio.

Quintò Pannonius, & Viegas alii unt fluvium hunc esse delectationem, & jucunditatem, quæ e- visione beatifica nascitur, juxta illud Psalm. 35. n. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*; & Psalm. 45. num. 5. *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; & Isai. 66. num. 12. *Declinabo super eam, quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam.* De hoc fluvio, ac torrente scribit Divus Bernardus sermon. 1. de diverſ. & ait: *Guttatim pœna lubitur, lugubriter sumitur, per minutias transit, non in remuneratione torrens est voluptа-*

Jucunditas & dilectio.

voluptatis, & fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, & flumen pacis. Flumen planè est, sed quod effluat, non quod fluat, vel effluat; flumen vocatur, non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet; ubi præclarè explicat sanct. quare dicatur fluvius, non quod fluat, & transeat, sed quòd abundet; & addendum, quòd ita fluit, ut originem habeat à sede Dei & Agni.

Cur beatitudo fluvius dicatur.

11 Sextò Alcaz. Cornel. Menoch. Estius, la Haye dicunt hunc fluvium esse visionem beatificantem, non solùm prout est exuberantia donorum, ac voluptatum à Deo, & à Christo effusa in beatos, sed prout est visio Dei beatifica, per quam Deus se, suaque omnia sanctis communicat. At in visione beatifica lumen quod præcedit, spectat ad claritatem Dei, qua sancta illuminatur civitas, de quo supra dictum est, & ideo hoc propriè non est flumen, proindeque non videtur hìc repetendum in tam brevi prophetia sub alia, & alia metaphora, ut dicunt Alcazar, & Cornelius.

Fluvius visio beatifica.

12 Proindeque mihi videtur dicendum, quòd ipsa visio Dei etiam spectat ad hunc fluvium, non præcisè prout est pura cognitio Dei, sed quatenus est fruitio, quæ, ut explicat Suar. 1. 2. tract. 2. disp. 7. de fruitione, sect. 1. n. 4. tria includit, scilicet amare, possidere, & gaudere, ac proinde in his optimè fundatur allegoria fluvii, seu fluentis, fitque transitus ab objecto in potentiam intellectus; ab intellectu in voluntatem fluit ex cognitione ad amorem, ex amore ad suavissimam possessionem summi boni, ex hac possessione ad delectationem, & gaudium de tanta felicitate obtenta, indeque pereleganter, hoc beatissimum flumen dicitur aquæ vitæ splendidum, tanquam chrystallum, nam ut aqua, sedat omnem sitim, expletque omnia desideria sanctorum, nec restat quid amplius desiderent, habent enim quidquid desiderari potest, secundatque animam jucunditate, ac superna vita, ideo non solùm dicitur aqua, sed aqua vitæ; & quia hæc vita purissima est, ideo splendidum tanquam crystallum.

Fluvius visio beatifica cum fruitione.

13 Suprema hominis beatitudo, ac felicitas consistit in ipsa Dei visione, ac ejus fruitione; quæ dum cogito, statim mihi in mentem venit Petrus, qui cum post resurrectionem sui magistri Iesu dedisset operam piscationi, ut agnovit *Jesum in maris littore, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit se in mare*, Ioan. 21. n. 7. cur se mittit in mare, & volantis navigii moras non sustinet, sed maris pericula contemnens, fluctibus se tradens, festinavit Iesum videre? cur tam vehementer curat Christum videre? nonne antea viderat? Verum est quod antea viderat, & sæpè viderat, nunquam tamen visu satiatur, imò quò magis videt, eo magis desiderat videre, & nec laboribus, nec periculis parcit, dum tamen Iesum videat, ejusque præsentia fruatur. D. Ambros. in Luc. lib. 1. c. 24. & ait: *Non contentus Petrus vidisse, quæ viderat, repetit intuenda, & quærendi Domini amore succensus, non satiatur videndo. Vidit solus, vidit cum undecim, vidit cum septuaginta, vidit, & quando Thomas credidit, vidit cum piscaretur, sed non vidisse contentus, impatiens desiderii, negligens captionis, immemor periculi, ubi Dominum vidit in litore, serum æstimat, si cum cæteris navigio perveniret.*

A Christi visione omnia bona, & inde à Dei visione cessatur Petrus.

14 Zachæus avidissimus erat videndi Iesum, & cùm præ multitudine turbarum, non posset, invenit arborem, *& præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum*, Luc. 19. nu. .... Multa & innumera bona audierat à Iesu; quomodo salutem ipse omnibus dabat, quomodo cœlestia dona in omnes effundebat, & tamen solum ipsum vult videre, pro certo habens quod si ipsum videret, inde omnia bona assequeretur, indeque salus cum omnibus donis ei esset, ut factum est; non solùm ipse, sed tota ejus domus salutem obtinuit. D. Laurent. Novar. hom. 1. de Pœn. ait: *Ascendit festinus, & vidit; quid vidit? Salvatorem seculi. Bene festinavit, optimè ascendit, qui dum avidus cupit videre Salvatorem, salutem ipsam invenit*: vide c. 21. q. 28. n. 383. 389.

A Dei visione omnia bona.

QUÆSTIO II.

Quare in cœlesti civitate est lignum vitæ ex utraque parte; & quodnam sit hoc lignum vitæ.

PErsistit noster Ioannes in eadem allegoria, describens cœlestem civitatem, illius celsitudinem, magnitudinem, & amœnitatem, & ideo supra posuit fluvium, nunc verò lignum vitæ. Sunt multi, qui credant in Paradiso dari, & accipi hunc fluvium, & lignum vitæ, prout litera sonat; sicut ait Cornel: *Quocirca fluvius hic arbores, & poma ad literam uti sonant accipi possunt; quid enim obstat?* Et confirmari potest: Ut multi graves auctores tenent, in cœlo dantur verus fluvius vitæ, veræque arbores, flores, ac poma, resque odoriferæ, ac amœnæ, quibus beatorum sensus mira voluptate perfunduntur: ita D. Anselm. de similitudinibus, c. 57. D. Laurent. Iustin. de disciplina monastica convers. c. 13. quod multis revelationibus est comprobatum apud D. Greg. lib. 4. Dialog. cap. 36. & in vita S. Doroth. 6. Februarii. Et confirmatur, quia ut docent D. Thom. in 2. dist. 2. q. 2. art. 2. Richard. in 4. distinct. 49. q. 3. art. 4. Barrad. tom. 3. lib. 10. c. 3. ex D. Ambros. D. Basil. D. Damasc. & alii in cœlo empyreo datur aer suavis, & lenis, instar nostri, quo sensus corporei sanctorum corporaliter oblectantur; quid obstat quòd ad eundem effectum dentur arbores, & flores odoriferi? Confirmatur, quia in damnatis omnes sensus pœna afficiuntur: ergo in Beatis omnes sensus mira voluptate perfunduntur, ut cum Suar. & aliis docet Salas, 1. 2. q. 5. art. 3. tr. 2. disp. 14. sect. 14. de his latiùs la Haye in expositione vers. 2.

15 An in cœlo dentur arbores, & flores.

16 Cum his tamen videntur pugnare ea, quæ ab Isaia dicuntur 64. n. 4. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te*; & id quod ait Paulus: *Videmus nunc* (cœlestia) *per speculum in ænigmate*; ergo ea, quæ ibi habentur, multò excellentiora sunt, quàm ea, quæ intelligimus, & quàm ea, quæ habuit Adamus in Paradiso, & quàm ea, quæ litera materialiter sonat; & si in cœlo sunt talia poma, & flumina, tam longo sæculorum decursu, ea fastidirent Beati, & alia desiderarent, proindeque ea, quæ hìc habet Ioannes, aliud sibi volunt quàm id, quod sonat litera, præcipuè in prophetica, & ænigmatica visione.

Quæ superiorem sententiam inæmodatæ.

17 Ad quæstionem: Richardus à sancto Laurentio Ticonius hom. 18. D. Hilarius in 1. Psalm. existimant lignum vitæ esse sanctissimam Crucem, quæ per totum Mundum, non solùm omnibus mensibus, sed etiam omnibus diebus reddit omnes fructus perpetuos omni tempore his, qui Baptismatis aqua rigantur; sic habet Richardus à S. Laurentio lib. 12. Verbum Christi non defluat, & sic ait: *Lignum vitæ ipsa est Crux, quæ nobis fructificat omnia bona Paradisi, quia duodenarius numerus est universitatis, cujus partes ternarius, & quaternarius*; & specialiter D. Bonaventura tract. Dietæ salutis tit. 10. c. 3. duodecim fructus assignat Cruci, ac passioni Christi; primus est dæmonum expugnatio; secundus carceris infernalis confractio; tertius mortuorum, ac peccatorum suscitatio; quartus captivorum redemptio; quintus iniquorum mundatio; sextus cæcorum illuminatio; septimus tepidorum, & frigidorum calefactio; octavus deformium, & turpium reformatio; nonus sitibundorum, vel sitientium potatio; decimus Patris æterni propitiatio; undecimus januæ Paradisi apertio; duodecimus cœli hæreditatis acquisitio, & confirmatio.

Crux lignum vitæ.

Duodecim fructus crucis.

18 Secundò Primas. Beda, Rupert. Ioachim. Rich. Vict. D. Bernard. citand. dicunt hoc lignum vitæ esse Christum D. qui omnibus beatis, justis, ac electis dat vitam; & dicitur: *In medio plateæ*; quia Christus D. omnibus beatis est commune bonum & nulli denegatur: *Qui habitant in Jerusalem montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui*, Psal. 124. n. 2. *Deus glorificatur in concilio sanctorum, magnus, & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt*. Primasius: *In medio plateæ, quia est tanquam individuum patrimonium cunctis videntibus Deum*. Et dicitur, in text. *Ex utraque parte fluminis*; quia Christus se communicat tam contempla-

Christus omnibus electis dat vitam.

Christus se cõmunicat cõtemplativis & activis.

plativis, quos habet ad dexteram, quàm activis, qui sunt ad sinistram. Joachimus ait: *Hi qui secundùm plus, & minus per vitam activam placent Deo, manent ad sinistram, qui autem per contemplativam ad dexteram, & tamen in utrisque vivit, & manet homo, quo induti sunt; in utrisque Christus vita habitat, & regnat in eis.* Vel potest hìc intelligi Christus per respectum ad suos justos, & electos, quos pascit in cœlo ad dexteram, & in terra

In Christo omnia bona.

ad sinistram. Rich. Vict. ait: *Lignum vitæ fructus reddit, quia Christus electos suos continuè, & sine omni intermissione in Mundo, & in cœlo pascit.* Addit Text. *Ferens fructus duodecim;* hoc est omnes fructus, nam duodenarius numerus universitatem significat, ut infra in hac quæstione dican: *Et folia ejus*; quæ sunt Christi præcepta; sicut enim folia defendunt, & protegunt fructus ab æstu, & frigore, sic lex Domini nos custodit, & tuetur. Rich. de S. Victor ait: *Quia si auxiliante gratia impleantur, justificationem operantur animarum, qui enim justificantur ipsi sanantur.* Et dicitur in text. *Ferens fructus duodecim.* Ab spiritu Christi in nos sunt duodecim fructus quos enumerat Paulus ad Galatas 5. num. 22. *Fructus autem spiritus est;* primus charitas; secundus gaudium; tertius pax; quartus patientia; quintus benignitas; sextus bonitas; septimus longanimitas; octavus mansuetudo; nonus fides; decimus modestia; undecimus continentia; duodecimus castitas; quos fructus latè explicat D. Bernard. serm. in die Pentecostes. Et bene dicitur: *Folia ligni ad sanitatem gentium.* Rich. à S. Laurentio: *Quia Christus est salus, & vita gentium.*

A Christi spiritu duodecim fructus.

19 Visio beatifica.

Tertiò Alcaz. Cornelius contendunt hìc representari visionem beatam, per duo symbola, scilicet per fluvium aquæ vitæ, ac per lignum vitæ; per fluvium aquæ vitæ, quia sanctorum sitim, & vota omnia satiat, eosque summa voluptate inebriat; per lignum verò vitæ, quia instar ejus, quod fuit in Paradiso terrestri confert beatis immortalitatem; & in hac sententia sunt etiam Ansbertus, Alb. Magn. & alii. Et folia ligni dicuntur ad sanitatem gentium, quæ aliqui referunt ad gloriam accidentalem, alii vero ad perpetuam laudis harmoniam, quæ ex ipsa visione conditoris in electorum cordibus exoriens in sanitatem, ac felicitatem gentium cedit, dum pro eis intercedunt, ac loquuntur ad Deum. Ansbertus ait: *Quasi quoddam cataplasmum ex foliis ligni gentibus ad sanitatem imponitur, cum in earum corda perpetua creatoris laus obtinet.* Et dicitur in text. *Ferens fructus duodecim per menses singulos*; ideſt per omnem durationem; *ut nullum transitum habeat, sed sine fine maneat*, ait citatus Ansbert. Deinde æternæ beatitudinis duodecim fructus numerat Alb.

Duodecim fructus à visione beatifica.

Magn. primus sanitas sine corruptione; secundus plenitudo sine defectu; tertius refectio sine fastidio; quartus scientia sine ignorantia; quintus gaudium sine tristitia; sextus securitas sine timore; septimus pax sine turbatione; octavus libertas sine servitute; nonus gaudium de justitia Dei; decimus laus sine intermissione; undecimus de sanctorum multitudine; duodecimus jucunditas de Dei visione.

20 Beati lignum vitæ.

Quartò Andreas Cæsarien. Viegas volunt hoc lignum vitæ esse ipsosmet beatos: ad hanc sententiam accedit Ferrarius, prout per hoc lignum vitæ intelligit animam beati, secundùm suas potentias internas, & externas. Justus autem frequenter in Scriptura arbori comparatur, juxta illud Psalm. 1. nu. 4. *Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* Unio justorum inter.

quod fructum dabit in tempore suo; sed si sancti hoc ligno significantur, cur dicitur lignum vitæ? cum innumeri sint sancti, & ideo apud Ezechielem. c. 47. n. 12. *In ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum;* ad quem locum, ut multi volunt, hìc fit allusio; quomodo ergo hìc in numero singulari dicitur lignum? Ut summa justorum unitas denotetur. Andr. Cæs. ait: *Quòd autem lignum singulariter, pro lignis scriptum sit, hoc sanctorum unionem, & concordiam significat.*

21 Superiores sententiæ multa connectit.

Omnes hæ sententiæ suas patiuntur difficultates. Prima de Cruce per respectum ad beatos non bene intelliguntur fructus, & folia illius; secunda de Christo etiam difficilis, quia fluvius iste procedit à sede Dei, & Agni scilicet Christi: ergo ipsemet non est lignum vitæ; tertia de visione beata contra se habet, quia in fluvio, ut diximus, significatur ipsa visio: ergo non debet significari iterum in ligno; quarta de beatis, cum ea pugnat quia Beati potiuntur hoc ligno vitæ, non verò sunt lignum vitæ, quia lignum vitæ dicitur ex eo, quòd communicat, & dat vitam, beati autem in patria non dant vitam, sed eam participant à Deo.

Vera ergo sententia est, quod hic fluvius, & lignum vitæ ferens fructus duodecim hìc introducuntur tanquam ad perfectum convivium beatorum per analogiam ad cibum, & potum; fluvius est beatifica visio, lignum vitæ divina providentia, quæ dicitur lignum vitæ; Proverb. 3. n. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam;* & ad hanc sententiam accedunt Alcaz. & Cornel. prout etiam astruunt, quod hoc lignum vitæ est etiam divina sapientia, nam perfectissimus actus divinæ sapientiæ, ac providentiæ est circa visionem beatificam, quam altissima Dei providentia dat, communicat, dispensat, & distribuit juxta uniuscujusque merita, & ideo dicitur: *In medio plateæ ejus;* scilicet sanctæ civitatis, quia perfectissimè divina providentia dividit, ac communicat aquam cœlestis beatitudinis ad merita cujusque, ut ait Paulus 1. Corinth. 15. n. 41. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas stellarum; stella enim ab stella differt in claritate.* Et hoc lignum vitæ cùm sit in medio plateæ dicitur *ex utraque parte fluminis*, quia beatus bibens de flumine visionis beatificæ, divina providentia ei communicat sua dona cœlestia. *Ex utraque parte* potentiarum tam internarum, quàm externarum; internarum, scilicet intellectus, communicat visione, voluntati amorem beatificum, cum fruitione; externarum etiam, nam sensus externi in beatis suas sensationes exercebunt omni illicito, & inhonesto amoto, ait D. August. lib. de vita, & spiritu; D. Anselmus lib. de similitudine cap. 57. D. Laurentius Justinianus lib. de disciplina, & perfect. monastica conversi. c. 23. S. Prosper. lib. 1. de vita contemplativa, c. 4. nam oculus delectabitur in admirabili Redemptoris, ac Virginis Mariæ, & aliorum beatorum aspectu; etiamque in oculis erunt visiones multorum cœlorum, ac varietatum; in aures redundabunt omnes melodiæ, & consonantiæ, ac harmoniæ, odoratumque resperget fragrans suavitas odoramentorum; indicibilis quædam cœlestis omnium delectabilium melliflua jucundabit oris palatum; ipse tactus congruis abundabit delitiis, in Dei gloriam, & venerationem, quas experti narrant, ut ait D. Laurentius Justin. citatus.

Divina providentia dividit cœlestia bona juxta merita.

In Beatis sensus externi exercent sua sensationes.

Ferens fructus duodecim per singulos menses; per quæ ut communiter dicitur significatur perennitas, multitudo, ac perfectio omnium fructuum. Duodenario numero annus clauditur, & ideo dicit universitatem perfectionis, ut notat D. Basilius in catena, Div. Thom. Luc. 2. ad illa verba: *Cùm factus esset Jesus annorum duodecim.* Insuper addo quòd lignum vitæ dicitur ferre fructus per singulos anni menses; & denotatur etiam quòd sint perpetui, & ita perjucundi, ac grati tanquam quolibet momento, & instanti novi, sicut dicitur: *Et cantabant, tanquam canticum novum: Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Per folium intelligo dotes corporis glorioſi, quæ sunt impassibilitas, immortalitas, claritas, agilitas, & subtilitas, quæ tanquam folia exornant beatorum corpora, sunt que in salutem gentium, dum ei sua agilitate, ac subtilitate, ac aliis in multis subveniunt, ac auxiliantur.

In visione beata gratissimi fructus tanquam novi.

Ecce lignum vitæ est divina providentia, dividens, & distribuens aquas divinæ beatitudinis, juxta uniuscujusque merita. Latroni in cruce converso dicit Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23. n. [illegible] Petro verò confitenti divinitatem dicitur: *Tibi dabo claves regni cœlorum*, Matth. 16. n. 19. ecce utrique datur cœlum, non tamen utrique idem nobilitatis insigne; uni offertur ut Paradisi requies, alteri verò promittitur, ut regia cœli potestas ad aperiendum, & claudendum; & undè tanta diversitas in præmio? Agnoscenti inter labores Crucis requies; alteri verò confitenti, ac publicanti divinitatem Christi potestas regia in illius thesauros. D. Ambros. Epistol. 19. ait:

22 Vera sententia.

24

ait: *Is qui ictu mortis convertitur, & confitetur Dominum Jesum meretur incolatum Paradisi, qui verò multò ante se exercuit, & Christo militavit, acquisivit populorum animas, pro Christo se obtulit, habet paratum stipendiis suis Dei Regnum, cujus se remuneratione donatum gaudeat, ideoque Petro dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum; ex latrocinio conversus requiem habet, in Apostolatu probatus accepit potestatem.* Apud cœlestes cives variantur nobilitatum insignia pro varietate meritorum; *Alia est claritas Solis, alia claritas Lunæ alia claritas stellarum*, &c.

Omnibus Sanctis nō datur eadem præmium.

25 Præcepit Deus Exod. 12. num. 3. *Tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas;* ab integra familia tolli, ac manducari agnus præcipitur, at verò pro uno revertenti filio, jubetur à Patre integer vitulus saginatus mactari cum multa festivitate, ac gaudio; ait Luc. 15. n. 23. *Adducite vitulum saginatum, & manducemus & epulemur, quia filius meus mortuus erat & revixit;* illis pro integra familia agnus conceditur, huic uni tantùm vitulus saginatus datur; & cur hujus convivium opulentius, ac majus? ambo filii nomine nobilitabantur: *Filius meus es tu Israel;* ambo in servitute fuerant, ambo captivi, ambo à misera servitute liberantur; cur ergo in tam pari obsequio tam dispar illis apponitur convivium, ut unus agno, alter vitulo saginato pascatur? Vide utriusque disparem proficiscendi modum; de Israelitis habetur Deut. 32. n. 11. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum atque portavit in humeris suis*; de filio autem prodigo sic scribit Lucas citatus: *Surgam, ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus; & surgens venit ad Patrem suum*; Israelitæ pergebant, ingenti tamen mercedis spe tracti, & veluti in humeris Patris portabantur, at verò prodigus non portatus vadit, sed discalceatis pedibus totum iter conficit, indeque ubi tam dispar est meritum, valde dispar est præmium, & convivium utrisque appositum; illi accipiunt agnum, hic vitulum saginatum à Patre promeretur; sic ait Buricus Episcopus lib. 1. Epistol. 1. *Datur etiam ipsi juniori vitulus reverso, qui seniori agnus datus fuerat ex Ægypto profecturo, quia ipse educit ex Ægypto Pater.*

Pro diversitate meritorum, diversum præmium.

QUÆSTIO III.

Quare hoc lignum vitæ juxta multos Patres significat Christum Dominum in Eucharistia.

26 AIt text. in præsenti: *In medio plateæ ejus ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per menses singulos, reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium;* de quorum verborum intelligentia egimus secundùm sensum literalem, nunc verò mysticè. Hoc lignum Christum D. in eucharistico Sacramento interpretantur D. Chrysost. D. Thomas, D. Bernard. Richardus, Albertus Magn. & alii locis statim citandis, hancque significationem per singulas partes illius explicemus.

27 *In medio plateæ ejus.* Hoc signum vitæ, Christus D. in sacramento Altaris, ipse enim omnibus dat vitam: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum;* & cur hoc lignum in medio plateæ sanctæ civitatis Jerusalem proponitur? Ut innuatur quòd omnibus ad illud accedere volentibus se offert. In hujus rei figuram æqualiter manna de cœlo descendebat omnibus, qui illud colligere, & recipere volebant, Exod 16. n. 21. hinc gratulanter D. Bernardus, serm. 26. in Cant. divinam clementiam commendat, quod sibi sumendum corpus Christi offeratur, sicut omnibus aliis, qui ad illud accedere volunt, & sic ait: *Præ his ergo ita sum amans te, quantum possum, sed est, quod me plus movet, plus urget, plus accendit; super omnia inquam reddit te amabilem mihi, Jesu bone, calix quem bibisti opus nostræ redemptionis; hoc omnino amorem nostrum facilè vindicat totum sibi; hoc inquam, est, quod nostram devotionem, & blandiùs allicit, & jucundiùs exigit, & arctiùs stringit, & afficit vehementiùs.*

Sacra Eucharistia omnibus offertur.

28 *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ;* si lignum est unum, quomodo fieri potest, quod sit ex una, & altera parte? una arbor non potest esse ex utraque parte fluminis. Hoc lignum est Christus D. qui simul est in cœlo, & in terra in Sacramento Altaris. D. Vincentius Ferreira serm. 3. de corpore Christi ait: *Lignum vitæ est Christus, qui est in utraque parte, quia in parte est in Paradiso, & in hostia consecrata in hoc Mundo.* Dicam etiam: Hoc lignum cum sit unum tantùm dicitur ex utraque parte fluminis, ob unionem, quam producit, unit enim fideles cum Christo, & inter se, & cum sint diversa tanquam unum facit. Ait Paulus 1. Corinth. 10. n. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio* (sive communio) *corporis Christi est?* non ait participatio, sed communicatio corporis Christi, ut denotaret intimam fidelium unionem cum Christo per eucharisticam sumptionem, quæ enim communicantur, maximè inter se uniuntur. Theophyl. ait: *Non dixit participatio, sed communicatio, ut aliquid excellentius indicet, puta summam unionem. Hoc, quod in calice est, illud est quod effluxit de latere Christi, & ex eo accipientes, communicamus, id est unimur Christo*; & in hoc sensu ait idem Paulus Ephes. 5. nu. 30. *Membra sumus corporis ejus, & de ossibus ejus;* per eucharisticam nempe sumptionem ut explicant D. Irenæus lib. 5. c. 2. D Cyril. lib. 10. in cap. 13. Joan. D. Chrysost. Theoph. D. Nyssenus, nam per hoc sacramentum Christi carni, & ossibus ita re ipsa conjungimur, ac veluti incorporamur, ac convisceramur, ut simus de corpore, & ossibus ejus membra. D. Nyssenus tract. ad illa verba: *Exivit sanguis, & aqua;* sic ait: *Paucæ guttæ sanguinis Christi totum Mundum restaurantes, fiunt hominibus quasi coagulum lactis illos cogentes, & jungentes in unum.* Coagulum cogens lac, quamvis in se distinctum sit à lacte, virtute sua tamen unum cum ipso fit; sicque Christi corpore conjungimur in unam Ecclesiam, eique virtute ejus inhæremus: vide supra. c. 19. q. 13. n. 96. & seqq. & q. 16. n. 116. & seqq.

Per Eucharistiam nos unitur homo Christo

29 *Ferens fructus duodecim per menses singulos;* idest fructus reddit per omnes menses, & nunquam fructibus destituitur, sed semper novos maturos, ac suavissimos profert; & quænam arbor tam fœcunda? Illa nempe, quæ eucharistico fluvio irrigatur. Eleganter D. Chrysost. hom. 61. ad Populum, ait: *Ex hac mensa fons ascendit, spirituales emittens fluvios, apud hunc fontem plantatæ non infructuosæ salices, sed arbores ad ipsum cœlum pervenientes fructum habentes semper maturum.* A sede ac mensa Dei, & Agni gratiarum fluvii proveniunt, quibus viridia justorum ligna irrigantur ut semper maturos habeant fructus, & in multa ac continua abundantia: *Ferens fructus duodecim per menses singulos;* idest omnes fructus per omne tempus.

Ab Eucharistia fructus Gratiarum.

30 Ait sancta Anima Cantic. 2. nu. 3. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Introduxit me Rex in cellam vinariam*, &c. modò divini pabuli, ac vivifici fructus dulcedine pascebatur, sub umbra vitæ arboris sedens, illius fructus colligens quibus reficiebatur, & subitò ad totam cellam vinariam fertur; & cur non magis ad vitem, seu ad botrum, seu ad poculum? Hæc præclara cœlestis mensæ amplitudo, ex quo vivificum fructum gustavit, ex quo succum pretiosi calicis hausit, nescit tantùm in uno fructu quiescere, sed ad totam plenitudinem, ac amplitudinem transit. D Nyssenus hom. 4. in Cantic. ait: *Usque adeo augetur sitis, ut è sapientiæ cratere non hauriat, neque ad sedandam sitim satis esse putet, si totum craterem in os infundat, sed rogat ut deducatur ad ipsam cellam vinariam, & ipsis torcularibus os subjiciat, & dulce vinum spatens aspiciat, botrumque qui exprimitur in torcularibus, & vitem illam, quæ hunc botrum alit, & verè illius vitis agricolam, qui adeo optimum, & suavem efficit botrum.* Sic anima sancta non contenta est uno pomo accepto, sed ad altiora & præstantiora transit, undè inde de ipsa plenitudine divinitatis bibat: vide supra c. 19. q. 24. num 170. & seqq.

Ab Eucharistia omnium fructuum dulcedo.

31 D. Thomas opusculo 58. cap. 21. circà hunc locum de ligno vitæ de Sacramento eucharistico explicat, duodecimque fructus hujus divini Sacramenti exponit, & ait: *Notandum nostras miserias tres esse genera-*

ler-

les, scilicet vinçula culpæ, defectus gratiæ, mortis plagas; & ait sanctus doctor: Contra primum malum quatuor sunt dominici corporis effectus, qui nos liberant à vinculis culpæ; primus dæmonem fugat; secundus fomitem refrigerat; tertius maculam cordis mundat; quartus iram Dei placat contra defectum gratiæ; (quatuor sunt fructus Dominici corporis, qui nos in gratia perficiunt;) quintus intellectum ad veram Dei cognitionem illuminat; sextus voluntatem, sive affectum in dilectione Dei inflammat; septimus memoriam spirituali dulcedine delectat; octavus totum hominem in bono confirmat: (contra etiam plagas mortis, quatuor sunt fructus dominici corporis;) nonus ab æterna morte liberat; decimus merita bonæ vitæ multiplicat; undecimus ad patriam vitæ deducit; duodecimus ad æternam vitam corpus resuscitat; quos omnes fructus eucharisticos Angelicus doctor multis probat, & comprobat.

Duodecim fructus Eucharistiæ.

32 *Et folia ejus ad sanitatem gentium.* Per folia intelliguntur Christi præcepta, & rectè quidem, quia sicut folia prius quàm fructus erumpunt, sic observatio divinorum mandatorum fructus Eucharistiæ debet præcedere; sic explicat D. Hieron. lib. 14. ad cap. 47. Ezechielis de ligno pomifero super torrentem, & sic ait sanctus doctor: *Sicut scientia Scripturarum præbet nobis panem, qui de cœlo descendit, sic folia ejus tribuunt sanitatem, ut peccatorum curent vulnera, per observationem divinæ legis;* sed cum folia priora sint fructibus, cur ultimo loco ponuntur in hoc ligno vitæ? Respondet Richard. à S. Laurent. lib. 13. §. *Maria cypressus*, & ait: *Bene post fructum addidit de foliis, quia nihil prodest, imò multum nocet per occasionem Christi sacramentum recipere, nisi recipiens præcepta illius studeat adimplere.* Parum prodest, ut quisque recipiat Christum in Sacramento, nisi illius præcepta adimpleat.

Ante Eucharistiam præcedat observatio mandatorum Dei.

33 *Ad sanitatem gentium* dicuntur folia hujus ligni vitæ; & cuinam sunt fructus vitæ? Non desidi, sed viriliter operanti. Munificentissimus divinus largitor ait Apocalyps. 2. n. 7. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei;* vivificum lignum Christus, fructus Eucharistia: promittitur ergo Eucharistia vincenti spirituales nequitias, hoc est rectè operanti. Nihil Deus facit frustra; Deus creavit in Paradiso lignum vitæ, cur non permittitur Adamo de illius fructibus comedere, immo potiùs à Paradiso deturbatur? *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat*, Gen. 3. n. 22. Cum Adamus violasset divina mandata, ad insignem Eucharistiæ typum non poterat admitti, exequentibus quippe divinam voluntatem vitalis tantùm cibus præparatur. Ingeniosè Paschasius lib. de Eucharistia cap. 7. ait: *Arbor ligni vitæ nunc Christus in Ecclesia est, cujus imago in Paradiso arbor illa fuit, nam si homini ex illa semper Dei servatis mandatis, edere licuisset, nunquam mori potuisset; sic ita ex hoc ligno corporis quicunque spiritualiter comedunt, si mandata observaverint, nunquam in spiritu mortales erunt;* quod confirmatur ex his, quæ dicuntur Proverb. 3. n. 18. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam;* explicat idem Pasch. Lignum eucharisticum vita est his, qui apprehenderint divinam voluntatem seu illius legem: vide c. 19. q. 34. n. 250. & seqq.

Eucharistia dat vitam servantibus divinam legem.

34 *Folia ligni.* Per hæc folia intelligo species sacramentales, quibus corpus Christi tegitur, velatur, ac signatur. Ait Christus Joan. 6. n. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, hunc enim Pater signavit Deus;* signavit, seu sigillavit, ut ita dicam, seu abscondit sub speciebus panis, & vini. Hic est *fons signatus*, Cantic. 4. n. 14. gratiæ, sanitatis ac salutis, ad quem, qui puro corde accedunt, gratiam, salutem, & vitam hauriunt singularem, nam, ut ait Algerus lib. de panibus: *Totum, quod est in hoc Sacramento salutiferum, ac vivificum est;* si Christi vestimenta salutem dabant, undè dicebat illa mulier: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus salva ero*, Matth. 9. nu. 21. quanto magis species sacramentales diffundent salutem, quæ magis intimè continent in se Christum? In hoc Sacramento, non solùm caro, & sanguis Christi producunt gratiam, sed etiam species sacramentales ut instrumenta quædam, hanc vim, & efficaciam retinent.

Species Sacramentales dant vitam & salutem.

Dubitabis tamen, quod cùm de hac magnifica arbore multæ excellentiæ dicantur, quod sit lignum vitæ ornatum fructibus, & foliis ad gentium sanitatem, nulla tamen in eo fit mentio de floribus, cum tamen Aaronis virga floribus fructibus, ac foliis esset condecorata: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt*, Num. 17. num. 8. cur ergo in sacramentali ligno nullus introspicitur flos, cum in Aaronis virga tot conspiciantur? Flos cùm ad fructum ac consummationem tendat, imperfectionem denotat juxta Pierium, at verò fructus dicit rem perfectam, & consummatam in ultimo statu; ab Aaronis virga multi flores pendebant, in illo enim statu multæ erant imperfectiones, quæ poliendæ, & auferendæ erant, at verò in sacramentali ligno nullus flos cernitur, sed undique optimus fructus conspicitur, in hoc enim Sacramento nulla est imperfectio, sed totum consummatum, & absolutum. 35

Cur in hoc ligno non sint flores?

Eucharistia perfectissimum opus Divinæ Omnipotentiæ.

Christum D. appellat Salomon 7. nu. 26. speculum sine macula; quod de Christo in Sacramento altaris interpretatur D. Vincent. Ferreir. serm. 1. de corpore Christi, & ait: *Hostia est speculum; de hostia consecrata potest dici: Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula;* sic Christus in Eucharistia resplendet omni excellentia, pulchritudine, ac perfectione, tanquam candidissimum speculum, ut in eo nulla sit excogitabilis deformitas, aut macula, nam in hoc Sacramento magis quàm in quocunque alio opere omnes divinæ perfectiones, ejusque attributa fulgent, & nitent. Ad filios Ecclesiæ loquens Isaias 33. n. 20. *Videbunt oculi tui Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nec transferri poterit, quia ibi solummodo magnificus est Dominus noster;* loquitur Propheta de Ecclesia militante prout in se continet Christum in Sacramento altaris, ut docent D. Hieronym. & Theodoret. quomodo ait: *Solummodo ibi magnificus est Dominus noster;* cum vera theologia doceat quod Deus est ubique per essentiam, potentiam & præsentiam? Explicat Hugo: *Ibi solummodo, secundùm magnificentiam;* nam in aliis operibus ostendit unum, vel alterum attributum, at in hoc Sacramento totam suam magnificentiam secundùm omnia attributa, scientiæ, potentiæ, misericordiæ, justitiæ, immensitatis &c. vide quæ dixi tom. 3. in Evang. c. 35. q. 31. n. 215. Zacharias 9. nu. 17. *Quid enim bonum ejus est, quid pulchrum ejus nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* ac si dicat: Super omnia bona ejus, super omnia pulchra ejus, frumentum electorum est bonum, & pulchrum. 36

In Eucharistia omnes perfectiones attributales.

QUÆSTIO IV.

Quare sanctissima Virgo Maria, ejusque Carmelitica Religio in hoc ligno vitæ adumbrantur.

RIchardus, à sanct. Laurentio lib. 12. §. *Maria Cypressus*, Virginem Mariam hoc ligno adumbrari existimat, cujus fructus est Christus, qui est vita; Joan. 14. n. 6. *Ego sum via, veritas, & vita;* vita nempe gratiæ in præsenti vita, & etiam gloriæ in futuro. Hunc autem fructum protulit Maria Virgo omnibus Angelis, hominibus præsentibus, futuris, & præteritis. Et dicitur: *In medio plateæ* civitatis. Christus omnibus natus, & datus. *Ex utraque parte fluminis;* quia Christus in summo, nos in infimo, ipsa verò, quæ minor est filio, & major omni homine communicat cum utroque extremo, ut mediatrix nostra ad filium. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Citat. Richard. *Quia verba, & exempla Mariæ operantur sanitatem peccatoribus, qui enim justificatur ille sanatur.* Ecce quomodo sacratissima Virgo Maria in hoc ligno vitæ adumbratur. 37

Intercessio Mariæ salus gentium.

Veniamus jam ad Carmeliticam Religionem, quam in mystico sensu in hoc ligno denotari dixi to. 4. in Evangel. c. 51. q. 12. n. 57. & seqq. Ait in præsenti Joannes: *Vidi fluvium*, gratiarum ac donorum cœlestium, 38

Lignum vitæ Religio Carmelitana.

stium, ut interpretantur Joachim. Richardus. *Procedentem à sede Dei & agni.* Sedes Dei & agni est sacratissima Virgo Maria. Irrigantem *lignum vitæ;* Carmeliticam Religionem, quæ multis attulit vitam. *In medio plateæ;* tanquam veluti Sol omnibus se communicat. *Ex utraque parte fluminis;* ex utroque testamento novo, & veteri interpretantur Ansbertus, Hugo ex utraque pagina, hæc sacra Religio stetit, & floruit. *Ferens fructus duodecim per menses singulos.* Duodenarius numerus universitatem significat, nam duodecim mensibus clauditur annus, ac proinde, ut ait Andreas Cesarienſ. denotat *perennem fructuum fœturam;* hoc est omnes fructus virtutis, sanctitatis, ac justitiæ per omnes tempu. *Et folia ligni ad sanitatem gentium.* Folia ligni vestimentum est, ideſt sacrum scapulare Religionis Carmelitanæ ad sanitatem gentium, ut ait Paul. V. Pontifex Max. in festivitate commemorationis, die 16. Julii: *Ut cœlesti hac veste, Ordo ille sacer dignosceretur, & à malis ingruentibus protegeretur:* hæc citato loco dixi, & latiùs explicavi.

39 De sacra Carmelitana Religione nobis est sermo; & à nomine ipsius sacratissimæ Deiparæ incipiamus, quæ dicitur *Virgo Maria de monte Carmeli.* Præstantissima sanè, ac illustrissima nomenclatura Virginis, utpote prima inter cæteras, sub hoc enim titulo primum totius Orbis oratorium in monte Carmeli, cum adhuc ipsa viveret ei consecrarunt, ac dedicarunt Carmelitæ in primitiva Ecclesia, de quo latè M. Lesana. tom. 2. Annarc. in Apparatu cap. 6. à n. 7. & cùm hic sit primus titulus Virginis Mariæ, beneficia, quæ ipsa nobis largitur sub quacunque alia invocatione, ad hunc primùm sunt referenda. Primum uniuscujusque generis habetur pro causa cæterorum effectuum illius generis, juxta commune proloquium: *Primum in unoquoque genere, est causa cæterorum;* cœlestis civitas Jerusalem omni lapide pretioso exornata apparet saphyro, smaragdo, topazio, hyacintho, carbunculo, & tamen noster Joannes ait: *Lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidis,* cap. 21. n. 11. valde mirum cùm ibi essent tot excellentissimæ gemmæ; tamen lumen, ac lux civitatis, dicitur *simile lapidi jaspidis;* cur ibi non videtur saphyri cæruleum, viride smaragdi, candidum topazii, ac hyacinthi, & rubrum carbunculi, sed omnes luces sunt tanquam lapidis jaspidis? Dicitur n. 16. *Fundamentum primum jaspis.* Primus lapis est jaspis, & quamvis aliæ gemmæ diversimode perlucerent, tamen earum luces à prima derivabantur, ad illamque reducebantur, ut ibi citato loco dixi, omnes tanquam jaspidis lux Joanni videbantur; sic in hac cœlesti civitate Mariana, omnia illius beneficia, ac dona, tanquam lapides pretiosi fulgent, & nitent, sub diversis titulis, quibus ornatur v. g. sub titulo pietatis, misericordiæ, mercedis, auxilii, consolationis, & aliorum similium; attamen titulus Virginis Mariæ de monte Carmelo primus fuit, & inde ad hunc tanquam primum lapidem, aliorum influentiæ, ac luces referendæ sunt.

Titulus V. Mariæ de monte Carmeli illustrissimus, sub illoque multa bona derivantur.

Altitudo Virginis Mariæ de monte Carmeli omnia bona.

40 *Ferens fructus duodecim per menses singulos.* Quid mirum quod hæc arbor proferat, ac parturiat omnes fructus, & optimos, cùm hæc tota sacra Religio Carmelitana, ejusque filii sint consecrati, ac dediti sub patrocinio Virginis Mariæ? Ædificato templo Salomon benedicens populo ait: *Sic Dominus Deus noster nobiscum, sicut fuit cum Patribus nostris,* 3. Reg. 8. n. 57. hoc maximè exoptabat, ac petebat Salomon, ut eis è cœlo veniret, quod filii non minus habeant, quàm eorum parentes habuerunt, ac proinde quòd in donis cœlestibus gratiæ, ac virtutum filii essent æquales & non minores, quàm eorum parentes. Audaciùs Elisæus dicebat ad Eliam 4. Reg. 2. n. 29. *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus;* non solùm se Patri æqualem fieri amat, sed magis illum duplo excedere; & undè in hoc Elisæus Salomone generosior? in summa terræ siccitate orabat Elias pro pluvia qui semel, & septies mittit puerum, ut videat, si aliqua ascendat nubes: *In septima autem vice, ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis ascendebat è mari,* 3. Reg. 18. n. 44. ad quæ verba Joannes Jerosol. lib. de institutione Monach. c. 34. ait: *Hæc nubecula, scilicet Beata Maria in septima generatione fuit nata, & ita etiam in eadem ætate fuit à discipulis Eliæ visa in Carmelum spiritualiter ascendens;* & inde probat ipse, & maximè c. 36. sub patrocinio Mariæ totam vixisse familiam Eliæ eidemque purissimæ Virgini se totam dedicasse, ac consecrasse; non ergo mirum, quod Elisæus Eliæ, filius, & discipulus videns se dedicatum Virgini Mariæ, ac sub illius patrocinio vivere inde audet magistrum suum, & patrem virtutibus excedere. Filius Eliæ sub patrocinio Virginis magnos, & altos spiritus ebibit, magnos, & altos progressus operatur in re virtutis.

Carmelitæ Virg. Mariæ consecrati magnos producunt fructus.

41 *Et folia ligni ad sanitatem gentium;* sacrum nempe Carmeliticum scapulare è manibus sanctissimæ Virginis Mariæ datum: *Ut sacra hac veste Ordo ille dignoscer etur, & à malis ingruentibus protegeretur;* ab omni malo protegit, vitam, & salutem concedens. Mulier illa, quæ fluxu sanguinis laborabat ad Christum *accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti ejus, dicebat enim inter se: Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero,* Matth. 9. n. 20. mulier hæc dicebat ex quadam sui animi dimissione, ac humilitate, ut suo loco multis ponderavi; cur ergo mente non cogitat calceamenta attingere? ut Baptista dicebat: *Cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti,* Joan. 1. n. 17. mulier fertur ad vestimenta, & Baptista ad calceamenta, undè hæc differentia? Baptista his confitebatur Christi celsitudinem, & majestatem, cujus ipse non erat dignus corrigiam calceamenti solvere, ut notant D. Chrysostom. homil. 11. in Matth. Noster D. Cyrill. Alexand. lib. 1. in Joan. cap. 6. at mulier maximè de sua salute in infirmitate erat sollicita, & ideo intendebat vestimentum ejus tangere, nam vestis illa non solùm erat Christi, sed etiam facta fuit manibus Beatæ Virginis Mariæ, ut est communis traditio sanct. Patrum apud Euthym. in cap. 19. Joan. & vestis data, & composita manibus sacratissimæ Virginis Mariæ; ut est Carmelitanum scapularium, magnam vim, & efficaciam in se retinet, ut valeat profligare omne malum, & perfectam vitam, & salutem impendere.

Scapularium è manibus Virginis magnam vim habet ad sanitatem.

42 Volebat Isaac benedictionem suam filio suo primogenito, Esau dare, Rebecca verò exoptans eam intendebat filio suo Jacob, inde prudenter mulier hoc medium excogitavit: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se domi habebat, induit eum;* scilicet Jacob, Gen. 27. n. 15. quorum vestimentorum fragrantiam, ut bonus senex sensit, statim largam benedictionem magnis donis cumulatam libentissimè ei impendit; quid habuerunt illæ vestes, quæ servierunt tanquam medium, ad tantam benedictionem cœlestem impetrandam? Thomas Angelicus: *Vestibus Esau valde bonis, quas apud se domi habebat, quas, & manibus suis confecerat;* vestes quas Rebecca domi habebat, manibusque suis confecerat, manibusque suis dederat, in causa sunt ad assequendam benedictionem Isaac: *Omnia in figura contingebant illis;* his designabatur, quòd modò nobis in lege gratiæ contingit; in domo veri Isaac Christi Jesu, cujus typum gerebat antiquus Isaac, ut docet D. Anguſt. lib. 1. super Gen. q. 75. sicut & Rebecca pro filio sollicita Virginem Mariam adumbrat; in domo, inquam, veri Isaac Christi Jesu, quoddam medium valde aptum, & opportunum ad illius benedictionem impetrandam, vestes, quas vera Rebecca Virgo Maria pro suorum filiorum salute sollicita, manibus suis fecit, manibus suis dedit nostro sancto Simoni Anglico, hoc nempe scapulare omnium cœlestium donorum plenum, ac fœcundatum.

Maria Virgo scapulari veste suis impetrat cœlestem benedictionem.

43 Multum sanè mirabar ego, quod de cœlestibus beatis dicat noster Joannes: *Et data sunt illis singulæ stolæ albæ,* Apocal. 7. n. 11. id est unicuique data est una stola alba, cum tamen Joseph fratri suo Beniamin in signum amoris quinque stolas optimas dedisset, Gen. 45. n. 22. & mulier fortis omnes domesticos suos duplicibus vestivit, Proverb. 31. n. 21. & tamen Deus dum suam eximiam benignitatem, ac largitatem ostendit erga suos electos, ac dilectos in patria unicuique dat unam stolam. Ansbertus: *Data sunt illis singulæ stolæ albæ cœlestis patriæ;* & cùm in una stola cœlestis supernat in prætiositate, ac excellentia gratiarum omnes

Scapularis [illegible]

alias stolas, quæ dari, ac cogitari possunt. Hæc sacra vestis Carmelitana cœlestis est, è cœlo data, è cœlo veniens manibus B. Virginis multa donorum, ac gratiarum plenitudine fœcundata, inde omnes alias vestes superat, & excedit.

44 Hac cœlesti veste, cùm sit de cœlo data, custoditur, ac defenditur fidelis tam in hoc sæculo, quàm futuro. Apocal. 15. n. 6. vidit noster Joannes *cœlum apertum, & exierunt septem Angeli de templo vestiti lino mundo, & candido*; alii legunt, *vestiti lana munda*; D. Ambros. Vatabl. *vestiti lapide candido, & mundo*; imò, ut testatur Haymon apud aliquos codices habetur, *vestiti lapidibus mundis*; si Angeli vestiebantur lino, vel lana, quomodo, & lapidibus vestiti dicuntur? nunquid Angeli poterant sibi componere vestes de lapidibus? Angeli exierunt de templo, hoc est de cœlo, ut multis doctoribus placet, & ibi dixi, & cum illa vestis esset è cœlo veniens, quamvis videretur linea, vel lanea, tamen sic robusta, ac valida consistebat, ac si esset turris, vel rupes ex multis lapidibus composita. Haymon ait: *Si legamus; vestiti lapidibus mundis, sicut in quibus dam codicibus invenitur, per hos lapides designantur virtutes, & dona, quibus ornantur fideles*. Quamvis sacrum scapulare Carmelitanum videatur intextum ex lana, tamen ad suos devotos, ac fideles custodiendos est tanquam rupes fortissima ex multis lapidibus fabricata,

Scapulare, murus fortissima.

45 Hac etiam sacra veste SS. Virgo Maria mortuis est in adjuvamen. Moritur Christus in Cruce, & statim descendit ad inferos, ad animas SS. Patrum liberandas, ut ita sanguine suo ostenderetur omnium vivorum, ac mortuorum salvator; vivorum dum efficacia suæ mortis per Sacramenta eis applicatur, mortuorum vero dum ad inferos descendit eos educens ab illo loco, & producens in cœlum; ita docet Div. Thom. 3. p. q. 52. art. 1. ad 2. ubi ita habet: *Dicendum quod passio Christi, fuit quasi quædam causa universalis humanæ salutis tam vivorum, quàm mortuorum. Causa autem universalis applicatur ad singulares effectus per aliquid speciale, undè sicut virtus passionis Christi applicatur viventibus per Sacramenta configurativa nos passioni Christi, ita etiam applicata est mortuis per descensum Christi ad inferos*. Sic, & ad imitationem sui unigeniti filii Christi Jesu SS. Virgo Maria hoc sacro scapulari ostenditur mediatrix vivorum, ac mortuorum; vivorum dum eos suis precibus illuminat, & ducit in viam salutis, ac ab innumeris malis custodit, & defendit, & etiam mortuorum dum veluti benignè descendens, *materno planè affectu, dum igne Purgatorio expiantur, solari, ac in cœlestem patriam obtentu suo quantociùs piè creditur efferre*; ut ait Paulus V. agens de filiis in scapularis societatem relatis.

Virgo Carmeli mediatrix vivorum & mortuorum.

46 Loquens David de eximio cultu divini sponsi ait Ps. 44. n. 9. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ Regum in honore tuo*; quæ nunc liceat mihi accommodare ad hoc sacrum scapulare. Ait: *Myrrha, & gutta, & casia*; per quæ juxta omnes interpretes intelliguntur omnia pretiosissima odoramenta, per quæ denotantur, ut docent Cassiod. Arnob. Remig. D. Thom. noster Incognitus, omnia dona cœlestia, omnes gratiæ, virtutes, ac dona Spiritus S. juxta illud 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus*; hæc ergo universa bona cœlestia manant *à vestimentis tuis*, ab hoc nempe sacro scapulari; & undè tot, ac tantis augmentis, augetur, ac repletur? *A domibus eburneis*; seu ut legit Cajetan. *à palatiis eburneis*; hoc est à SS. Virgine Maria, ut explicant Haym. Tirin. & alii, ipsa est enim *domus pudicitiæ*, ut de ea canit Ecclesia. Et dicitur, *eburneis*, ob candorem, ob illius nempe puritatem, justitiam, ac sanctitatem, ut docent Arnob. S. Thom. Remig. Hugo, Valentia & alii. Et non dicitur à domo eburnea, sed *à domibus*; ipsa enim Virgo non una, sed, multiplex domus est totius puritatis, justitiæ, ac sanctitatis in omnibus actionibus, ac operationibus. *In quibus*; seu, ut legit Euth. *propter quæ*. Et ait, *filiæ Regum*. Non dicitur ut notat Bruno, filii in masculino, sed *filiæ*, nam filiæ in regali domo maximo apparatu, ac pomposo cultu præ omnibus exornantur; ita dicitur Isai. 60. *Filiæ tuæ de latere surgent*; hoc sacro scapulari, ac sacra veste præ omnibus animæ fideles maximo gratiarum dono componuntur, ac condecorantur. *Delectaverunt*. Dum tali indumento tibi soli placere desiderant, ut ait D. Paschas. ad hunc Psalmum, *magnum oblectamentum dederunt*; seu ut legit cit. Pater ex græco, *dilexerunt te*: tali veste suum amorem erga te maximè testificantur. *In honore tuo*. Explicat Div. Greg. l. 35. Moral. c. 25. Dum tali veste non suum, sed Dei honorem quærunt, cujus filii, & servi profitentur.

Dona gratiæ in sacro scapulari ex Virginis intercessione.

Apoc. 22. nu. 3. Et omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei, & agni in illa erunt; & servi ejus servient illi.

Num. 4. Et videbunt faciem ejus, & nomen ejus, in frontibus eorum.

Num. 5. Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in sæcula sæculorum.

VERSIONES.

Syriacus. Et ullum dissidium non erit amplius, & thronus Dei, & illius agni, & servi ejus ministrabunt illi.

Æthiopicus. Non erit immundum quicquam, & non fuit annus super servos Dei.

Syriacus nu. 4. Et nomen ejus super domicilium oculorum eorum erit.

Arabicus. Cernent vultum ejus, & nomen ejus sciptum erit.

Syriacus nu. 5. Neque erit ipsis indigentia candelæ, pro eo quod, &c. illuminat eos.

Arabicus. Nec indigent lumine facis, &c. & lumen dierum.

Æthiopicus. Lumen Dei splendebit super eos, & regnabunt in sæculum.

Primas. Deus illucebit super eos.

EXPOSITIO.

ET *omne maledictum non erit amplius*. Aptissimè hæc connectuntur cum superiori versu, in quo dixerat: *Folia ligni ad sanitatem gentium*; nam in hac sancta civitate tanta erit sanitas, ac omnium integritas, ut nullus ibi erit peccati effectus, vel pœna, proindeque nullus ibi erit morbus, nullus dolor, nulla miseria, nullaque nequitia, quæ valeant potentias sive internas, sive externas perturbare, ac inquietare. *Non erit amplius*, Hæc particula, *amplius*, habet duplicem emphasim, & ad præteritum, & futurum; ad præteritum, ac si diceret: Quamvis hucusque aliquod maledictum fuerit, etiam in electis ad hanc civitatem, ab hoc tamen puncto exulabit ab eis omne maledictum in perpetuum; ad futurum, ostendens deinceps penitus defuturum maledictum, nec in omnem æternitatem amplius futurum. 47

In patria summa tranquillitas, & nulla perturbatio.

Sed sedes Dei & agni erunt in illa. Ista particula adversativa, *sed*, indicat universalem, ac totalem causam, quare ab illa civitate excluditur omne malum, omnique bono, ac felicitate repletur; quia *ibi sedes Dei & agni*; ibi Deus, & agnus regnant, ac proinde nulla ibi potest esse potestas contraria. Richard. Victor. *In his verbis quæ proposita sunt, à malo libera, & à bono repleta demonstratur, in hoc etenim, quod dicitur omne maledictum non erit amplius, declaratur à malo libera, in his verò, quæ sequuntur: Sedes Dei, & agni; bono referta*. Nota quod in primo versu dicitur sedes Dei & agni, in singulari: *Procedentem à sede Dei & agni*; hic verò dicitur in plurali: *Sedes Dei & agni*; quia visio beatifica in fluvio denotata procedit à Deo, ut unus est; hic verò *sedes Dei, & agni* erunt per respectum ad Beatos, Deus enim requiescit in sanctis suis, ac proinde in hoc sensu tot erunt sedes Dei quot servi, ut notavit Alensis & ait: *Omnes sancti, & electi Dei semper erunt thronus Trinitatis, & agni, ideſt, Christi hominis, tota enim Trinitas, & Christus homo requiescent in sanctis, & Dei electis*. Et additur in text. *Et servi ejus servient illi*; nil gloriosius illis potest contingere, nam servire Deo regnare est, magnumque bonum, undè ibi nullum potest esse malum. 48

Patria à malo libera, & bono repleta.

Deus requiescit in sanctis suis.

Et

49 *Et videbunt faciem ejus*; non tanquam in ænigmate, ut in via, sed clarè facie ad faciem videbunt Deum, illoque perfruentur, ut non possint non illi servire, & se totos formare ad illius voluntatem, cultum, ac latriam. *Et nomen ejus in frontibus eorum*. Sic Deum perfectè glorificant, & se ipsos tam intimè illius servos profitentur, ut tanquam hoc stigmate Dei nomine scripto in eorum frontibus volunt cognosci, & videri, & inde hoc habent in parte præcipua, & maximè patenti. Alcaz. Cornel. existimant hìc alludi ad summi sacerdotis antiquæ legis lâminam, quam in fronte gestabat, in qua sculptum erat sanctum Dei nomen, Exod.28. n.36. sicut enim hæc lamina inscripta significabat eum esse ministrum, ac Pontificem sancti Dei, ita & in cœlis omnes agnoscent è fronte, ac è vultu eos esse servos, & cultores summi Dei. Et etiam in frontibus portant Dei nomen, ut ubi est professio fidei, pro cujus confessione multa mala portaverunt, ibi sit etiam retributio, ac laudis remuneratio, quæ nulla major potest esse, quàm nomine Dei insigniri, illudque secum portare. Ansbert. *Rectè cùm acceperit, quod per fidem credidit, ipsum fidei præmium pro titulo gloriæ in suis frontibus gestare videtur, ac si ipsi frontium inscriptio loquatur dicens: Hinc præmium nunc pro titulo laudis ferre videtis, undè pridem justificari meruistis.*

Magnum præmium nomen Dei portare.

50 *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis.* Repetit hìc Joannes, quæ supra dixerat c.21. n.23. ubi hæc sunt explicata, & ideo hìc repetit, ut ostendat, quòd in illa felici patria, nullum erit maledictum, nox enim, & tenebræ multa nocumenta, ac maledicta secum asportant, undè cum mala alteri imprecantur dicitur: Pereas, & luce careas. *Quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Assignat Joannes causam, quare non egebunt lumine lucernæ, & Solis: *Quoniam Deus illuminabit illos* superna, & alta luce, ac suavissima, ut videant ipsum Deum, Christum D. ac cætera, quæ ad ipsum objectum beatificum spectant. *Et regnabunt in sæcula sæculorum*; hoc enim verè est regnare, esse cum Deo, & habere in eo quidquid velis, & quidquid desiderare potes. *Regnabunt in sæcula sæculorum.* Utique perpetuo, & sine fine; & hoc colophone claudit Joannes suam S. civitatis, & patriæ cœlestis descriptionem.

Joannes hìc claudit descriptionem cœlestis civitatis.

QUÆSTIO V.

Quare pro magno encomio beatitudinis dicitur quod Dei servi serviant illi, cum hoc etiam detur in Ecclesia militante.

51 PRo magna laude, ac felicitate æternæ beatitudinis ait noster Evangelista, quòd ibi non erit omne maledictum, sed sedes Dei, & agni in illa, & quòd *servi ejus servient illi*; nempe Deo; sed cur hoc pro magna laude æternæ patriæ dicitur, cùm hoc etiam contingat in Ecclesia militante, in qua servi Dei gratum obsequium ei præstant? Ad quòd rectè respondet Richard. de S. Vict. & ait: *Servi ejus, idest, omnes electi liberè servient ei non timore, vel formidine, sicut multoties modò, sed summa, & perfecta dilectione, & securitate ejus, laudem vocibus intimi amoris conclamando.* Ibi omnes consummato, & perfectissimo amore filiali servient ei, quod hìc non datur, sed frequenter timore servili, & si aliquando filiali, non ita perfecto, & consummato, ut in patria.

52 Secundo servient ei, omnia sua bona ei tribuendo, omniaque sua ei dedicando, ac consecrando, omnesque suum desiderium, ac affectum illi subjiciendo, & inde ad tantam dignitatem deveniunt, ut Deus vicissim eorum dicatur minister, ut notat Alensis & ait: *Dominus serviet eis fercula pretiosissima ministrando*; Luc.12. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, &c. præcinget se, & faciet eos discumbere, & transiens ministrabit eis.*

Christus minister suorum servorum.

53 Tertiò: *Et nomen ejus scriptum in frontibus eorum*; quorum servorum? Scilicet illius, de quibus dicitur: *Servi ejus servient illi*. Certum est servos quondam notatos aliquo signo in frontibus, ut à liberis discriminarentur, & ut cujus essent agnosceretur; & qualenam nomen erit scriptum in frontibus servorum Dei, quod ipsi nempe Filii Dei, sint, & dicantur? Sic respondet Rupert. *Et quod nomen, nisi Deus? dii namque nominabuntur & erunt, juxta illud Psal.117. Ego dixi dii estis, & filii excelsi omnes; & idem Joan. 1. cap.3. Videte, inquit, qualem gratiam, dedit nobis, ut Filii Dei nominemur, & simus: ergo nomen ejus in frontibus eorum, idest, Filii Dei nominabuntur & erunt.*

Magnus fervor Dei ostendi debet in frontibus illius, sine quo dicantur.

54 Quartò, ut dicitur vers. 8. *Regnabunt in sæcula sæculorum*; & quinam sunt isti, qui regnabunt? Ii, de quibus antea locutus fuerat: *Et servi ejus servient ei*; sed in quo ministrabunt, & in quo servient, non exprimitur in text. sed tantùm quòd *regnabunt*, quia servire Deo felicissimum regnum est, utpote in sæcula sæculorum sine fine duraturum. D.Ambros. Ps.118. lit.10. vers.1. ait: *Ideo hominis animæ specialis prærogativa data est, ideo tamen, quia cæteris animantibus imperat, sed ut possit imperare, debet & Deo esse subjectus*; expende ultima verba. *Subjice te Deo*, illique tantùm obsequia præsta, ut in alios habeas imperium, & tibi datum valeas conservare.

Servire Deo felicissimum regnum.

55 Quinto supra qu. 3. explicavimus lignum vitæ, de quo vers. 2. est sermo de S. Eucharistia, & inde quid sequitur? *Omne maledictum non erit amplius, sed sedes Dei, & agni erunt in illo*; in anima nempe, quæ dignè hoc divinum Sacramentum suscipit, nullum erit maledictum, vel malum, sed summum bonum, & felicitas, ibi enim constituitur sedes Dei, & agni Christi Jesu, *& servi ejus servient ei*, debito cultu, & veneratione; & quinam sunt isti servi qui *regnabunt*? Reges, nempe, & principes. Huic tanto Sacramento inservire, & ministrare Regum est, & ad Reges pertinet.

Qui servant sacræ Eucharistiæ regnant.

56 Mandavit Deus Moysi facere mensam, ut in illa ponerentur panes Propositionis, Exod. 25. n. 25. *Facies & mensam de lignis setim, faciesque illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam in terra Silem, altam quatuor digitis*; Septuag. *Facies ei coronam palmi in circuitu.* Mandat Dominus in labiis mensæ per circuitum facere coronam in terra Silem, hoc est opus in parte planum, in parte sculptum suis concavitatibus arte dispositis, tali cælatura fiebat corona per circuitum mensæ, quæ, inquit Comest. c.48. in Exod. *Erant, ut ajunt hebræi, cælaturæ illæ, quasi imagines Regum.* Valde mirum sanè, quòd sculpturæ illæ, quæ circumdabant mensam, non erant florum, vel gemmarum, vel stellarum, sed coronæ, ac Regum imagines. In mensa hac erant panes propositionis, qui ut tenet Rupert. lib.4. in Exod. c.7. præfigurabant Christum in Sacramento altaris, & inde in circuitu Regum imagines ad cultum, & obsequium, proprium est enim Regũ huic altissimo Sacramento adstare, eique per circuitum adesse, ad famulatum, & venerationem præstandam.

Regum, ac principum est Eucharistiæ inservire.

Loquens Spiritus S. cum sua sponsa Ecclesia, ait 57
Cant.7. n.2. *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis*; ac si dicat: Ubera meæ sponsæ plena sunt tanquam acervus tritici. Per hoc triticum intelligit D. Ambros. lib. de instit. Virg. cap.14. Christum D. in Sacramento Altaris, & ait: *Hoc itaque granum omnes homines perpetua cœlestium munerum esca saturavit; juxta illud Prophetici oris eloquium: Cibavit eos ex adipe frumenti*; sed cur hoc divinum Sacramentum dicitur vallatum liliis? Lilium Reges, ac Principes significat, juxta illud Christi D. *Nec Salomon in omni gloria sua*, Matth.6. n.29. & Pierius lib.55. hieroglyph. de lilio ait, quod dicitur flos regius, à regia nempe celsitudine super alios flores; hinc Virgilius canens imperiales honores Marcello ait:

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Quid est ergo: *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis*? O Ecclesia venter tuus, tua nempe ubertas, 58
ac fœcunditas est à tritico eucharistico, qui circumdatus est regibus, ac principibus, qui tanquam elegantissima lilia fragrantissimum famulatum, ac obsequium ministrant, in venerationem tanti mysterii.

Ait Isai. 21. n.5. *Pone mensam, contemplare in speculo comedentes, & bibentes; surgite Principes, arripite clypeum*; & quanquam aliqui auctores hoc intelligant de convivio Balthassarris, tamen nos cum D. Hiero. nymo, ac Glossa intelligimus de mensa divinæ Sapientiæ cum eucharistico pane, & quare solùm Principes mandantur surgere? *Surgite Principes*; & arripipes mandantur surgere? *Surgite Principes*; & ar-

ad defensionem distringite : *Arripite clypeum*. Si Princeps armatus exit in bellum, nullus ex clientibus se audet excusare, sed omnes animos assumunt. In rem nostram : *Surgite Principes*. Huic S. mensæ non solùm Principes, sed etiam servi famulatum tenentur præstare, sed cùm tanto mysterio obsequia ministrant ad ejus cultum, ac defensionem, de servis principes fiunt, & exuta servorum conditione, ad jura magnatum ascendunt.

Qui ser-viunt Eucharistiæ, fiunt principes.

60 Isaac benedicens filio suo Esau, dat ei in benedictionem : *Fratri tuo servies*, Genes. 27. nu. 40. & quæ benedictio erat fratri suo in famulatum ministrare? De Jacob benedictione dicitur ibid. n. 37. *Pane & vino stabilivi eum*; & cum ille in majoratum haberet typum eucharistici Sacramenti, quæ major benedictio impendi poterat, quæque major gloria, & felicitas, quàm ei obsequia dare, ac in servitium ministrare illi, qui secum typum eucharisticum portat?

Apoc. 22. nu. 6. Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima sunt, & vera, & Dominus Deus spiritum Prophetarum misit Angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri citò.

Num. 7. Et venio velociter. Beatus, qui custodit verba Prophetiæ libri hujus.

VERSIONES.

Syriacus nu. 6. Verba fidelia, & Deus spiritus Prophetarum ad indicandum, misit me.

Arabicus. Hic sermo fidelis, & verax est, &c. misit in spiritus Prophetarum, ut revelaret servis suis.

Æthiopicus. Hic sermo veritatis, & fidelis Dominus noster; Dominus Deus noster.

Vatablus. Dominus Deus Sanctorum.

Arias. Quæ oportet fieri in celeritate.

Æthiopicus. Ecce veniam citò repentè, sicut fur, qui custodiet.

Aretas. Ecce qui venio citò, qui servat sermones.

EXPOSITIO.

61 *Et dixit*. Non Paulus Apostolus, ut vult Alcaz. sed verus, & proprius Angelus, ut supra dixi. *Hæc verba fidelissima sunt, & vera*. Cornel. Ferrar. referunt hæc verba ad descriptionem civitatis sanctæ Jerusalem, nam Angelus super. cap. 9. loquens Joan. ait : *Veni & ostendam tibi sponsam uxorem Agni*; at Angelus ibi ostendit Joanni civitatem sanctam, & majori ex parte de illa non habet verba, sed Joanni ostendit civitatem, ut eam suis oculis videret, & ideo alii verius hæc referunt ad totam Apocalypsim, variis symbolis manifestam, & Prophetiis plenam, & ut hæc certissima, & indubitata habeantur subdit : *Dominus Deus spirituum Prophetarum*; qui suis Prophetis, ac Apostolis dedit spiritum propheticum ad futura verè prædicanda, & agnoscenda. *Misit Angelum suum ostendere servis suis*; nempe mihi Joanni, & per me Joannem aliis servis suis; & sicut in antiquis Prophetis fuit Deus fidelis, & verax, sic etiam nunc in his erit.

Commendatur veritas Apocalypseos.

62 *Ecce venio citò* ; tum per respectum ad ea, quæ dicuntur primis capitibus ad septem Episcopos Asiæ; tum quia aliqua prædicta in hac Apocalypsi, statim post Joannem acciderunt; tum etiam, quia reliqua dicta utique ad extremum die judicii, respectu æternitatis, dici possunt citò, imo & brevissimè eventura.

63 *Ecce venio velociter*; ut notat Lyran. ad implendam veritatem eorum, quæ hic dicta sunt, ut ita pateat, quanta sit veritas hujus libri. Et cùm dicitur in præsenti : *Ecce venio*; videtur, quòd sit sermo de adventu ad singulos judicandos in hora mortis, quod potest confirmari infra ex vers. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*. Vel potest esse sermo de judicio universali, & ponitur præsens pro futuro. Et cùm Dominus ait : *Ecce venio velociter*; ipsemet est, qui hic loquitur, & idem valet ut ait Alensis, ac si dicat : State fortes in fide, velociter ego ipse Dominus veniam ad judicandum, ad dandumque præmium bonis, illationemque suppliciorum malis. Nota quod superiori versu ait Angelus : *Misit Dominus Angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri citò*; & statim ipse Dominus loquens introducitur : *Ecce venio velociter*; ad quid Dominus repetit, quod dixerat Angelus, cum utrobique idem videatur sensus? Resp. Joach. Abb. *Dicit Dominus hoc per se ipsum, ut qui non credit discipulo, credat vel Domino, vel magistro*.

Beatus, qui custodit verba prophetiæ libri hujus. Ecce quanta sit utilitas hujus libri, & hoc jam est explicatum cap. 1. vers. 3. Et notandum, quod non ait : Beatus, qui cognoscit, vel audit; sed qui custodit verba prophetiæ hujus, quia non auditor legis, sed factor justificatur. Richard. Victor. ait : *Valde commendabile est quod dicit, qui custodit*; *nihil enim prodest ad cognitionem veritatis legendo, vel audiendo pertingere, nisi bene vivendo, totis viribus laborare, cognita custodire, solus quippe ad beatitudinem pervenit, qui non solùm per memoriam, sed & per vitam sacræ paginæ præcepta custodit*.

64 Ad beatitudinem nō venit, cognoscens scripturam sed adimplens.

QUÆSTIO VI.

Quare, cùm hæc verba fidelissima dicantur in exordio libri revelata Joanni, nunc dicuntur ostensa servis Dei.

65 ANgelus loquens cum Joanne, ait, quòd omnia hæc verba Apocalyps. fidelissima, ac vera sint, nunquid Joannes de veritate horum verborum Apocalyps. dubitabat? Nullo modo hoc dici potest, sed ait Angelus, hæc verba fidelissima, & vera esse, intendebat enim ille hæc Apocalyps. verba in tanta auctoritate, veneratione, ac infallibili veritate esse apud omnes, ut nullus de ejus veritate dubitaret, & ideo omnem dubietatis ansam amputans, ait, quod hæc verba sint fidelissima, & vera. Beda ait : *Non de Joannis diffidentia dubitabat Angelus, sed veram visionem omni Ecclesiæ, in qua & parvulos futuros noverat, commendabat*.

Angelus intendit ne quis dubitet de veritate Apoc.

66 Deinde perpende; eadem ferè, quæ habentur in principio hujus libri, hìc repetit Joannes, nam in exordio cap. 1. n. 1. *Apocalypsis Jesu Christi, mittens per Angelum suum, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri citò*; eadem ferè, hìc repetit : *Misit Angelum ostendere servis suis, quæ oportet fieri citò*; in exordio c. 1. n. 3. dicitur : *Beatus qui legit, & audit verba prophetiæ hujus*; hìc, & similiter : *Beatus, qui custodit verba libri hujus*; ad quid tanta repetitio? Ut maximè commendaretur veritas, & authoritas Apocalypseos, ut nullus de ea dubitaret, omnemque dubitandi occasionem amputaret. Rupert. ait : *Ut caput sive principium, ita & finem libri hujus voluit esse galeatum, quatenus munitum sit totum corpus revelationum istarum, ne quis audeat quasi contemptibile refutare, vel ejicere quippiam eorum, quæ in eo scripta sunt. Futurum quippe erat, ut à nonnullis contemneretur, maximè pro sui difficultate, quia solent homines quæcunque legerint contemnere, tantò facilius, quantò difficiliora sint intellectu*.

Amputat Deus omnem occasionem, dubitandi de veritate Apocal.

67 Vel potiùs repetuntur ea, quæ pertinent ad authoritatem, & veritatem Apocalyps. propter magnam utilitatem, ac necessitatem hujus doctrinæ Apocal. in Ecclesia. Sæpissimè Christus D. in Evangelio nos commendavit, ut semper simus præparati ad mortis horam; Matth. 25. n. 13. *Vigilate, itaque, quia nescitis diem, neque horam*; Luc. 12. n. 40. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*; & Paul. 1. Thess. 5. n. 2. *Sicut fur in nocte veniet*; & Apocal. 3. n. 3. *Sicut fur in nocte veniam*; & ad quid toties hæc repetita commendantur? D. Pasch. lib. 10. in Matth. *Hæc vigilia maximè saluti necessaria, maximè fuit commendanda*. Veritas, authoritas, ac utilitas Apocalyps. toties repetitur, utpote quæ maximè erat necessaria, maximè fuit commendanda.

Doctrina Apocalyp. ut maximè utilis, & necessaria commendatur.

68 Propiùs ad quæst. accedamus. Ait text. in præsenti : *Misit Angelum suum ostendere servis suis, quæ oportet fieri citò*; cur non ait, misit Angelum suum ostendere Joanni, sicut dictum fuerat in exordio hujus libri, c. 1. n. 1. *Mittens per Angelum suum servo suo Joanni*? cur hic dicit servis suis? Meritò quidem, quia Deus non solùm unius, sed omnium utilitati consuluit; & per Joannem ad omnium bonum, ac utilitatem attendit.

Non ut sed ob utilitat Deus, fuit per Joannem.

tendit. Ansbert. Abb. *Non ait, quia misit Deus Angelum suum ostendere servo suo, sed servis suis, ostendit utique non uni specialiter Joanni, sed omnium utilitati in Joanne generaliter perspexisse.*

69 Deus omnium utilitati consulit, ita tamen ut per majores sæpè sua dona ad minores deriventur; sic hæc illustrissima Apocalyps. revelatio per Angelum facta est Joanni, & per Joannem ad alios, quod elegantèr explicat M. Augustinus, & ait: *Voluit Deus cœlestia divinaque sua munera à certo quodam ordine ad homines pervenire, quemadmodum exoriente Sole montium cacumina illustrantur, indeque etiam ad colles, atque ad imas valles radii Solis pertingunt, non aliter à viris sanctissimis, tanquam à montibus divinæ illustrationis radii ad nos veluti colles, aut etiam valles perveniunt;* quod idem S. Doctor confirmat tr. 1. in Joann. ex verbis Davidis, Psal. 71. n. 3. *Suscipiant montes pacem, & colles justitiam*; ait: *Montes excelsæ animæ sunt, sed ideo montes suscipiunt pacem, ut colles possint excipere justitiam; quæ est ista justitia, quam colles excipiunt? Fides, quia virtus ex fide vivit, non autem acciperent minores animæ fidem, nisi majores animæ, quæ montes dictæ sunt, ab ipsa sapientia illustrarentur, ut possent parvulis trajicere, quod possent parvuli accipere*; ideo enim montes, hoc est viri excelsi, & magni accipiunt pacem divinæ illustrationis, ac sapientiæ, ut inde colles, minores nempe accipiant fidei justitiam, per eorum doctrinam, & verba.

A viris sanctissimis minores ut valles accipiunt sapientiam.

70 Ait Sapiens Prov. 5. n. 16. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide*; quod mysticè interpretantur Jansen. & alii: fontes aquarum divinæ Sapientiæ, quos è cœlo suscepisti, non in te tantùm retineantur, & intelliges quod ideo Deus eas tibi elargitus est, ut foras erumpant, ac in platei per parvos, & humiles dividantur, juxta illud quod dicitur Sapientiæ 7. n. 13. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico, & honestatem illius non abscondam.*

Qui à Deo accepit sapientiam, aliis communicet.

Apoc. 22. nu. 8. Et ego Joannes, qui audivi, & vidi hæc, & postquam audissem, & vidissem, cecidi, ut adorarem Angelum, qui mihi hæc ostendebat.

Num. 9. Et dixit mihi: Vide ne feceris, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & eorum, qui servant verba prophetiæ libri hujus; Deum adora.

VERSIONES.

Syriacus nu. 8. Et ego Joannes, etiam qui audio, & video illa, cecidi ad adorandum, &c. Qui indicabat mihi illa, hoc est quod audivi, & vidi.

Arabicus. Prostravi me.

Æthiopicus. Ego Joannes, is sum, cecidi sub pedibus ejus, & adoravi in conspectu Angeli istius, qui ostendit mihi hæc.

Arabicus nu. 9. Cave ne feceris, servus enim sum sicut tu, &c. & ii, qui serviebant.

Æthiopicus. Ne adores me.

EXPOSITIO.

71 Authoritas Joannis valde in Ecclesia nota.

ET *ego Joannes.* Hæc sunt veluti proprii nominis subscriptio, qua ad calcem supposita confirmat, veluti scriba, atque testatur quidquid in toto codice, ac tabella continetur. Hanc autem subscriptionem authenticat, nomine suo expresso: *Ego Joannes*; utpote valde notus ex nomine, & cujus magna authoritas erat apud omnes, & ita etiam ipse ad calcem sui Evangelii ait: *Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium ejus*, Joan. 21. n. 24. Et ait: *Qui vidi, & audivi hæc*; quia aliqua ei revelata sunt per auditum, & aliqua etiam per visum, subjectis scilicet menti ejus figuris rerum annuntiatarum.

72 *Postquam audissem, & vidissem, cecidi, ut adorarem eum*; gratitudinis causa, ut notant Ansbert. & Richard. ut condigno honore Angelum annuntiantem coleret & pro tanto beneficio gratias persolveret. *Vide ne feceris.* Ex modestia, ac urbanitate id permittere noluit Angelus; & hæc omnia satis explicata sunt cap. 19. vers. 10.

QUÆSTIO VI.

Quare Joannes Angelum nunc iterum voluerit adorare, cùm antea fuisset prohibitus ab Angelo.

JOannes cap. 19. n. 10. voluit Angelum adorare, & ab ipso prohibitus est: *Vide ne feceris*; nunc tamen iterum vult adorare; sed si antea Angelus talem adorationem recusavit, ab ipsoque Joannes prohibitus est, quomodo nunc iterum vult eam repetere? 73

Respondet Richardus Victorin. & ait: *Quia sanctus ad cœlestia bona contemplanda, & majorem sanctæ civitatis gloriam secundùm futurum statum ejus, speculandam, sublimiùs in hac ultima visione, quàm priùs elevatus fuerat; fortè etiam præ stupore, & admiratione tantæ, & super mundanæ pulchritudinis præmissa prohibitio à mente illius exciderat, undè & hìc aptè subditur: Et postquam audissem, & vidissem; tam mirabilem videlicet, & incomparabilem sanctæ civitatis decorem, ac jucunditatem, post admirationem stupefactus, & prioris prohibitionis oblitus, cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendebat*; ubi duas rationes assignat ille, prima, quia majora mysteria fuerunt tunc revelata, quàm antea, ideo pro illis reverentiam esse exhibendam existimavit Joannes; secunda est, quia tanta est pulchritudo, & magnitudo gloriæ, etiam in visione solùm conspectæ, ut nos etiam, quasi immemores aliorum reddat. 74

Magnitudo gloriæ nos facit immemores aliorum.

Dico tertiò, quòd Joannes præ eximia animi gratitudine, sæpè sæpiùs ob tantam revelationem acceptam, vult reverentiam, & cultum Angelo exhibere, quamvis Angelus ex modestia recusaret, ut frequenter contingit in humanis, quod maximè beneficiis astrictus, multis vult sui animi gratitudinem ostendere, quamvis prohibeatur, & ideo Joannes multis beneficium tantarum revelationum vult gratificari. Confirmatur, quia multa, & præclara dona Joannes à Christo Dom. accepit, quod ejus Apostolus esset vocatus: *Discipulus, quem diligebat Jesus*; quòd & in cœna recubuisset supra pectus Domini, quòd & Virgo Maria ei daretur in Matrem: *Ecce Mater tua*; & tamen pro tantis donis non legitur, quòd ceciderit ad pedes Christi, ut eum adoraret, ut semel, & iterum nunc facit erga Angelum, ostendens se pro beneficio tantarum revelationum insigniter gratum. 75

Joannes inter multa dona accepta insigniter gratificat, has revelationes.

Apoc. 22. n. 10. Et dicit mihi, ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; tempus prope est.

Num. 11. Qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui justus est justificetur adhuc.

Num. 12. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.

VERSIONES.

Syriacus n. 10. Ne obsigna; istud enim tempus propinquum est.

Æthiopicus. Ne obsignes sermonem, &c. quia tempus venit ejus, & præstitum ejus tempus.

Syriacus n. 11. Qui injuria afficit, injuria afficiat adhuc &c. justitiam faciat adhuc.

Arabicus. Qui opprimit, opprimat adhuc, & justus justitiam exerceat adhuc.

Æthiopicus. Et eum, qui oppressit me, opprimat adhuc; & justus justificator, & purus purificator.

Primas. Qui perseverant nocere, noceant.

Arabicus n. 12. Rependam unicuique pro ratione operum suorum.

Æthiopicus. Veniam citò repente, &c. ut judicem secundùm opera ejus.

EXPOSITIO.

ET *dicit mihi*; scilicet idem Angelus. *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus.* Librum, seu scriptum signamus, ne pateat, & ne legi possit; at hanc S. Apocalypsim, & legi, & manifestam fieri vult Angelus, qui Joanni mandat, ne eam signet; sic dicitur cap. 1. *Quam dedit illi Deus palam facere servis suis*; verba autem sancta saltem in Prophetis sæpè signantur & claudantur 76

duntur, quia pro eo tempore, quo dicuntur, non est necesse, vel utile illa scire, at verò, quæ hìc dicuntur, valde necesse, & utile erat omnibus ea scire, ac cognoscere, quia multa ex magna parte ad gloriam beatorum, justificationem sanctorum, piam mortem eorum, qui in Domino moriuntur, ac etiam ad persecutiones tyrannorum, ac hæreticorum spectabant, & ideo subditur: *Tempus prope est*; ut hæc ex magna sui parte adimpleantur.

77 *Qui nocet, noceat adhuc.* Locus est difficilis, & varias patitur expositiones; illa mihi germanior, quæ cohæret cum antecedentibus, & subsequentibus; ait Angelus: *Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, qui nocet, noceat adhuc*; ac si dicat in Dei nomine: Quod ad me attinet, ad omnium salutem abundantissimè præstiti, & ea præstabo, nam bona, vel mala futura usque ad consummationem sæculi, simulque præmium justorum, & supplicium iniquorum, quæ omnia continentur in hoc libro, nolo esse signata, & abscondita, nam omnia ostendi, & manifestavi vobis: *Qui nocet, noceat adhuc*; tamen si quis hac notitia ita obstinatus est in sua nequitia, ut noceat, & adhuc nocet; ita legit Primas. *Qui perseverant nocere, noceant*; ita persistens in sua nequitia: *Et qui justus, & sanctus est, ex tali notitia, ac cognitione, justificetur* magis, & magis justificetur: *Ecce ego venio citò, & merces mea mecum est reddere unicuique secundùm opera sua*; bonis præmium, malis supplicium.

Legitimus sensus cohærens cũ omnibus.

78 Nota, quòd cum dicitur: *Qui nocet nocent adhuc, & qui justus est justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc*; ut notat Ferrarius in unaquaque parte duo tanguntur genera, & quantum ad primum genus malorum, sunt aliqua mala, quæ nocent aliis, aliqua verò ipsi authori; prima significata sunt illis verbis: *Qui nocet, noceat adhuc*; faciat malum aliis; secunda: *Qui in sordibus est sordescat adhuc*; hoc est, iniquus in suis iniquitatibus involvetur. Ita quoque ex parte bonorum est justitia, quæ attingit proximum: *Qui justus est justificetur adhuc*; & est sanctitas, quæ condecorat, & perficit sanctum in se ipso: *Qui sanctus est sanctificetur adhuc*.

Duo genera malorũ, ac duo genera bonorum.

QUÆSTIO VII.

Quare Joanni hìc mandatur non obsignare, sed aperire librum prophetiæ, cùm tamen ipsi alibi, ac aliis Prophetis jubetur obsignare.

79 ALit Angelus in præsenti Joanni: *Ne obsignaveris verba Prophetiæ libri hujus*. Obsignatur scriptum ne aperiatur; hic autem liber Apocalyps. mandatur non obsignari, quia vult Deus cunctis esse manifestum, nam quamvis hic liber multa in se contineat valde obscura, tamen multa satis patent, quæ pertinent ad mores, ad futuras in Ecclesiam, & fideles persecutiones, ad præmium justorum, & pœnam malorum, ad adventum Domini ad judicium.

Valde necessaria Apocalyp. doctrina.

80 Tota quæstio est: Quomodo hìc Angelus dicat Joanni: *Ne signaveris verba Prophetiæ libri hujus*; cùm expressè ei mandaverit cap. 10. n. 4. *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua, & noli ea scribere*. Hæc intelligenda sunt secundùm utilitatem, ac necessitatem per respectum ad tempus, quia illa, quæ locuta sunt tonitrua, ut illic explicavi, cum fideles essent teneri in fide tantorum mysteriorum, ut postea nobis concilia explicarunt, ipsi non erant capaces, & inde si illa aperirentur, inservirent ad lites, & contentiones, & ideo illa specialiter dicta sunt de septem tonitruis: *Signa, quæ locuta sunt septem tonitrua*; at verò multa alia, quæ sunt in hoc libro, præcipuè in his ultimis capitibus de cœlesti Jerusalem, maximè utile est, ut sciantur, & agnoscantur ad majorem gloriam beatorum, ad inflammandum cœlestis patriæ desiderium justorum, ad declarandum supplicium damnatorum.

Doctrina sic accommodata auditoribus.

81 Sic Angelus dixit Danieli c. 8. n. 26. *A tergo visionem signa, quia post multos dies erit*; ibi agebatur de victoria Alexandri Magni, ac aliorum Regum, & etiam de persecutione Antiochi Epiphanis, quæ post multa tempora erant futura, & nihil ad præsentem Synagogam attendebant, nec poterat prædicta Synagoga tali doctrina proficere, ut semper profecit Ecclesia, & proficit Apocal. si autem eidem Danieli cap. 12. n. 4. dicitur: *Claude sermones, & signa librum usque ad tempus statutum*; & ferè idem habetur nu. 9. quæ optimo jure signanda fuerunt, ut jussit Angelus, quia spectabant ad Antichristi persecutionem, ac sæculi consummationem, quæ quasi nihil ad Synagogam, ad quam necdum missus fuerat Jesus noster Redemptor, nec enim decebat, ut prædicarentur extrema, cum media non essent completa.

Hæc omnia omnibus dicenda.

In idem incidit, quod respondet D. Aug. cap. 7. in Apocal. *Quod autem dixit: Signa quæ locuta sunt septem tonitrua, propter obtundendos dictum est, de quibus in Evangelio: Nolite sanctum dare canibus*; *ideò, ut non passim omnibus impiis pateat verbum Dei. Alio denique loco, propter servos suos dixit: Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus; & ostendit, quibus signari jusserit, quibus non*; si Dominus c. 10. mandavit obsignari illa, cur & modo præcipit, ne obsignentur? an contrarius est sibi ipsi? an mutavit sententiam? Nullo modo, sed loquitur respectu diversorum; impiis mandat obsignari divina, sed piis aperta esse vult, sic enim proponuntur divina verba impiis, quasi illis obsignata sint, ut videntes non videant, & audientes non audiant, sed sic se habent, quasi nihil audierint, justis autem omnia aperta, & manifesta sunt ad profectum salutis.

82 Pii percipiunt divina verba, non verò impii.

Cùm in conspectu Regis Joachim, & servorum ejus legerentur verba Jeremiæ, in quibus denunciabantur multa supplicia eventura in populum, quasi nihil audissent: *Non enim timuerunt, neque sciderunt vestimenta sua Rex, & universi servi ejus, qui audierant sermones istos*, Jer. 36. n. 24. Valde diversimode Rex Josias se habuit, cum ejus tempore inventus fuisset liber legis, & legeretur coram ipso: *Et cum audisset Rex verba libri legis, scidit vestimenta sua*, 4. Reg. 22. n. 11. & quænam ratio extitit ob quam hic, cùm audisset librum legis, scidit vestimenta sua, ille autem cum servis suis audito Jeremiæ libro nullum doloris signum præstitit, nec ostendit? nonne in utroque divinæ iræ signa fulminabantur adversùs transgressores? Verum est, quod in utroque casu furor divinæ iræ exacuebatur, sed impius non percallebat, nec intelligebat, ac si verba illi essent obsignata, & tanquam si nihil audiret, nihil patiebatur, nec in aliquo immutabatur; at pius cum omnia penetraret, & verba illi non essent obsignata, magno doloris corde tactus vestimenta sua scidit.

83 Addivina verba comprugantur justi, non verò impii.

QUÆSTIO VIII.

Quare in præsenti ita Angelus loquitur: Qui nocet, noceat adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc; *& quisnam sit sensus horum verborum.*

CIrca sensum horum verborum, variæ in hac re sunt sententiæ. Primò Ribeiræ, & Viegas, quod his significat Angelus adhuc spatium, & tempus superesse, antequam hæc omnia fiant, & ante diem judicii, ut quisque sua libertate utatur, qua à Deo permittitur, sive ad bonum, sive ad malum, ac proinde idem valet, ac si dicatur: Permitto jam nocenti, ut noceat, &c. sed suo tempore eundem puniam; sicque est tacita ironia, ut etiam similiter habetur Eccles. 11. n. 9. ubi dicitur: *Lætare ergo juvenis in adolescentia tua, & ambula in viis cordis tui*; &c. & scito, quod *pro omnibus his, adducet te Deus in judicium*.

84 Prima sententia.

In hac tamen expositione non quiescit Alcazar, ait enim; si agitur de libera potestate, cuique permissa, cur potiùs de libertate ad perseverantiam in bono, sive malo, quàm ex bono in malum, aut ex malo in bonum transeat? Alcaz. qui magis vult hæc esse comparativè dicta; cum quo consentit Cornel. idest: Sicut, qui nocet pergit nocere, & magis sordescere, qui in sordibus est, sic magis justus fiat, qui justus, & magis sanctus, qui sanctus est; q. d. Imitamini vestros persecutores; ut illi in malo subinde crescunt & proficiunt, ita vos proficite in justitia, ac sanctitate; & in hoc dicendi modo conveniunt Menochius, Estius, & la Haye.

85 Secunda sententia.

Legitimus, verusque sensus, mihi videtur confirmatorius, & optimè cohæret cum antecedentib. & subsequentibus, & maximè erga homines declaratur divina providentia, ac si dicat Angelus Dei nomine: Pro hominum salute feci, quod ad me attinet, & cum homines reliquerim in manu suæ libertatis, ideo hunc librum

86 Prout ver. sensus.

librum Apocalypseos, in quo continetur magna declaratio divinæ bonitatis, præmium justorum, pœna iniquorum, magnaque ad mores documenta, nolo esse signatum, & clausum, sed omnibus apertum, & manifestum, si tali scientia stante invenitur, qui noceat, noceat adhuc, & si invenitur justus justificetur adhuc; sciat unusquisque, quod sua res agitur; ecce venio citò, & merces mea mecum est reddere unicuique secundùm opera sua; hæc sententia est de mente D. August. exponentis hæc verba c. 7. in Apocalyps. ait: *Qui perseveravit nocere, noceat*; idest, qui vult persistere in sua malitia, & non vult desistere, noceat; & Primas. *Qui perseverat nocere, noceat.*

87 Ex his colliges primò contra aliquos hæreticos, qui impiè dixerunt justitiam, & injustitiam esse æqualem, & utranque in omnibus in indivisibili consistere, hoc apertè esse falsum; Constat manifestè ex nostro text. ubi ait Joannes, quod qui nocet potest adhuc magis nocere, & qui justus est potest adhuc magis justificari, undè D. Aug. citans hæc verba: *Qui nocet, noceat adhuc*, epist. 137. ait: *Quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis proficiunt, ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasterio ceciderunt.*

Non dantur deteriores quàm illi, qui in Religione defuerunt.

88 Secundò colligit Faustus Regiensis Episcop in Biblioth. tract. ad Monach. quod frequenter iniquus de uno peccato præcipitatur in aliud, & etiam justus de una virtute tendit in aliam, & sic ait: *Nullus finem sibi faciat proficiendi, nullus terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat: para in exitu opera tua, & iterum, non verearis usque ad mortem justificari; & item sapientia in exitu canitur*; & postea subdit: *Gratia de gratia nascitur, & profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, ut quanto plus quis acquirere cœperit, tanto plus conetur acquirere*: vide de his multa verb. Virtus.

Justus semper in virtute in virtutem proficiat.

89 Tertiò quare in una, & eadem periodo Angelus copulavit noxium, & justum, sordidum, & sanctum? Ut utriusque conditionem, ac indolem exprimeret; peccator de adhæsione justorum profundiora ebibit sordium contagia, dum ex contubernio justitiæ, soliditateque nitidæ sanctitatis, deteriore aspergitur fœditate, & de ascensionis rupibus parat sibi nobile præcipitium, at justus ex adhæsione iniquorum contrahit lucidiorem candorem, vitiorum instrumenta in virtutum materiam convertit, & de lubricæ vitæ periculis turrim solidissimam erigit.

Ubi justus proficit, ibi labitur peccator.

90 Ozias Rex temeraria licentia, pontificium munus usurpans intendit adolere incensum; thymiamatis, ac sanctuarii locum ingreditur: *Tenens in manu thuribulum, ut adoleret incensum, statimque orta est lepra in fronte ejus cor. sacerdotibus, in domo Domini super altare thymiamatis*, 2. Paral. 26. n. 19. quæ omnia altè sunt examinanda; non solùm inficitur lepra, sed etiam in fronte, ac vertice capitis apparet, & coram sacerdotibus dum thuribulum manu volvebat, ut religiosa grana suavissimum suffitum præstarent; quid deinde? Et hoc in domo Domini in sanctuario ejus, & super altare thymiamatis, à quo omnis fragrantia diffunditur, ibi tamen in Regis fronte spurcissima lepra monstratur, & intolerabilis fœtor à capite ejus prodit. Thuribulum, ignis, thus domus Domini, altare, thymiama, & sacerdos pietatis organa sunt, quibus pii misericordiam, sanitatem, & vitam sunt assecuti, & tamen stolidus Rex miserè inquinatus evasit; undè decoris claritas aliis dispensatur, inde ipse nigram, ac fœtidam rubiginem contraxit.

Ubi ostium erat salutis ibi labitur Ozias.

91 Post sanatum Naaman, in gratitudinis signum multa dona obtulit Elisæo, recusante eo, abiit Naaman, post cujus tergum cucurrit Giezi Elisæi famulus, & doloso mendacio interposito, duplex vestimentum à Syro impetravit, quod cum bene agnovisset Elisæus ait illi 4. Reg. 5. n. 27. *Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum*; *& egressus est ab eo leprosus, quasi nix*. In utroque casu refulsit Elisæi virtus, ut sanaretur Syrus, & leprosus fieret domesticus. O famuli infelicis calamitas! quo sanatur extraneus, proprius ægrotat, familiaris percutitur, quo curatur alienus; eadem vox, quæ saucio medelam ingessit, aggessit ægritudinem sano, & à domestico medico plagam sustinuit, à quo alienigena reportavit salutem; morbus imponitur Giezi, à quo absolvitur Naaman, ut inde noscat peccator ex valetudine pœnitentis sauciari, & in lavacro purificati abusu confodi. Virtute Elisæi sanatur supplex, & obediens Naaman, ab ipsaque virtute Elisæi, avara malignitas Giezi desumit occasionem ut graviter peccans, infirmitatem sibi contrahat; à virtute Elisæi sanatus Naaman humiliatus, à virtute Elisæi damnosa concupiscentia sibi perniciem satagit, ac contrahit Giezi.

Apoc. 22. n. 13. Ego sum alpha, & omega: primus, & novissimus, principium, & finis.

Num. 14. Beati qui lavant stolas suas in sanguine agni, ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatē.

Num. 15. Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.

VERSIONES.

Syriacus n. 13. Ego sum alpha, & omega, & thau ille primus, & novissimus, principium, & finis.

Arabicus. Antiquus, & novus.

Æthiopicus. Caput temporis, & consummatio.

Syriacus n. 14. Beati sunt, qui faciunt mandata ejus.

Arabicus. Beati, qui se exercent in mandatis ejus, erit quidem vis eorū in arbore vitæ.

Æthiopicus. Beati, qui purgant vestimenta sua.

Aretas. Beati facientes præcepta ejus, ut sit potestas eorum in libro vitæ.

Primas. Super lignum vitæ.

Syriacus n. 15. Extra erunt canes, & incantatores, & scortatores.

Arabicus. Extra illam ejicientur &c. qui committit mendacium.

Æthiopicus. Scortatores sicarii, & colentes Deos, & omnes qui diligunt committere mendacium.

S. Fulgentius. Foris remanebunt maledici.

EXPOSITIO.

Ego sum alpha, & omega; principium, & finis. De 92
sensu horum verborum satis à nobis est dictum cap. 1. n. 8. & tamen idem repetit hìc Joannes & satis consequenter ad proximè dicta, ubi fuerat sermo de nocentibus, & justis, ut ostendatur, quod ipse sit origo, & fons totius justitiæ, & sanctitatis, & quod quidquid extra ipsum est pertinet ad nocentes, ac iniquorum sordes, quarum ipsi sunt inventores, ac machinatores suis sectis, doctrinis, ac turpitudinibus, ac proinde quòd non sit aliud principium, ac finis nostræ salutis nisi tantùm ipse à quo est omne bonum, & extra quem nec est salus, nec sanctitas, sed tantùm sordes, ac damnabilis notitia. Cur autem hoc, quod dictum fuerat in 1. cap. iterum dicatur, hanc assignat rationem Ansbertus; quia cum à pluribus esset impugnanda Christi divinitas vel humanitas, ideo hæc veritas in his duabus literis contenta multoties fuit commemoranda.

Quòd Christi sit principium & finis multipliciter commendatur.

Beati, qui lavant stolas suas in sanguine agni; de quo 93
latè diximus cap. 7. n. 14. nunc vero in præsentiarum, antea immediatè dixerat: *Ego sum alpha, & omega*; à quo incipit hominum omnium salus, & in quem resolvitur, & ad quem tendit, proindeque principium ejus, & finis. *Beati qui lavant stolas suas in sanguine Agni*; qui nempe ad meam redemptionem confugiunt, in qua solùm homines habere salutem possunt, nam cum unusquisque ex propria nequitia sit infectus ut qui nocet, noceat adhuc, qui in sordibus est sordescat adhuc, à quibus omnibus sua industria non potest homo mundari, cum omnes ex nostra conditione simus peccatores, egemus gratia mediatoris, ut ejus sanguine mundari valeamus, hoc est virtute sanguinis ejus purificari per sacramenta ab ipso instituta, per baptismum ab originali, & per pœnitentiam ab actualibus, ac per alia Sacramenta proficere, & corroborari in gratia. Alia lectio habet: *Beati qui faciunt mandata ejus*; optima est connexio inter utranque lectionem, ut observat Ansbertus, nam qui servat

Qui fiat Christi mundatio.

Christi mandata dolentes per pœnitentiam de peccatis suis, hi lavant & purificant animas suas in virtute sanguinis Christi.

94 *Ut sit potestas eorum in ligno vitæ*; seu ut alii legunt, ut *sit vis*, sive potestas in ligno vitæ, seu *super lignum vitæ*; ut alii legunt, *per lignum vitæ*, intelligitur beatitudo, seu visio beata, ad quam qui purificantur, ac mundantur virtute sanguinis Christi, ac per ejus Sacramenta, admittuntur ad ipsam beatam visionem, ac cœlestem gloriam. Moraliter verò multi exponunt sic: Quia ut supra dixi q. 3. juxta multos Patres per lignum vitæ intelligitur corpus Christi; solùm ergo qui sunt purificati, ac mundati sanguine ejus inveniuntur digni, ut hoc cœlesti pabulo pascantur, nam qui non sunt abluti hoc sanguine non habent potestatem in ligno vitæ; quod significare videtur D. Paulus Hebræor. 13. n. 1. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*; veluti si diceret: Qui adhuc amat antiqua, veterisque legis cæremonias, & non per Christi sanguinem renovatur, potestatem non habet de hoc divino ligno vitæ comedendi.

Solum purificati Christi sanguine dignè Eucharistiam suscipiunt

95 *Et per portas intrent in civitatem*. Quamvis civitas sancta habeat murum altissimum, habet tamen duodecim portas, per quas intrant, qui per Christum Jesum intrant, undè rectè D. August. in Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ait: *Cum per ipsos intramus*, scilicet Apostolos, qui nos docuerunt legem Christi, *per Christum intramus, ipse enim est janua; & cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, & una porta Christus, & duodecim portæ Christus*: ergo per portas intrant, qui per Christum intrant.

96 *Foris canes*. Quæ ferè ad hunc text. pertinent, explicata sunt c. 21. nu. 8. *Foris*; ideſt extra civitatem sanctam sunt, & in illam non ingrediuntur. *Canes*. Hic metaphoricè sumuntur, quamvis alia, quæ sequuntur, propriè accipiantur; sub canum metaphora intelliguntur, qui christianæ religioni oblatrant, ideſt persecutores omnes, qui rabie, ac furore agitati acerrimè in Ecclesiam catholicam invehuntur. Sub veneficis sunt omnes, qui dediti sunt veneficiis, & serviunt magiæ, & incantationibus; sub impudicis, sunt omnes, qui serviunt libidinibus, & luxuriis; sub homicidis sunt omnes violenti plagarii, proximumque in sua persona, vel rebus lædentes; sub idolis servientibus, veniunt intelligendi omnes, qui alieni sunt à fide catholica; sub iis, qui amant, & faciunt mendacium, comprehenduntur omnes, qui à veritate discedunt in suis dictis, & factis, in qua veritate non stetit, qui primus auctor, ac inventor fuit peccati, scil. Lucifer, de quo Joan. 8. n. 44. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, & cum loquitur mendacium ex propriis loquitur*.

Peccatores inimici sunt foris à regno cœlestium.

QUÆSTIO IX.

Quare in serie peccatorum canes ponuntur primo loco, & quid pro eis intelligatur.

97 CUm fit recensio peccatorum, qui sunt foris extra sanctam civitatem, statim in primo limine ponuntur canes, per quos, ut dixi in expositione intelliguntur, qui oblatrant servis Dei, eosque maligno dente mordent, juxta illud 2. Reg. 16. n. 9. *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo?* sed cur in prima fronte non ponuntur tyranni, ac sanctorum carnifices, ac interfectores, sed tantùm perversi detractatores? Quia fortè pejores & nequiores sunt, qui justorum famam, & nomen corrodunt, quàm qui eos morte perimunt. Tertull. lib. 2. adv. Marc. in hunc modum exclamat: *O canes, quos foras Apostolus expellit latrantes in Deum veritatis, hæc sunt argumentationum ossa; quæ obroditis, quæ in cujuslibet ævi hæreticos pessimi interquieri*; sed cum in his Tertull. mentionem faciat de rodendis ossibus, alludere videtur ad Diogenem Cynicum, ob cujus maledicentiam canis est appellatus, cui ex hac ratione ludens Alexander, sportulam ossium plenam dono misit.

Acerbius vulnerat detractator quàm ipse tyrannus.

98 Christus D. orans ad æternum Parentem Psal. 21. dicebat: *Erue à framea Deus animam meam de manu canis unicam meam. Per unicam meam*, intelligit Christus S. Ecclesiam sponsam suam, ut exponunt D. August. noster incognitus, & alii, & postulat ut eruatur *de manu canis*, hoc est à mundana & acerba lingua durè & asperè calumniante, ac detrahente; & cur non postulat potiùs, ut eruatur de manu tyrannorum, ac carnificum, usque ad mortem persequentium? Ac si magis timenda, & cavenda sit canis venenosa lingua, quàm gladius tyranni exacutus. Favet D. Aug. ibid. & ait: *Hic nihil aptiùs quàm unica Ecclesia mihi videtur intelligi, canem verò appellavit Mundum non ratione, sed consuetudine contra insolitam veritatem latrantem*.

Potius fugienda lingua maledicens, quam tyrannus interficiens.

In eod. Psal. 21. persisto. Ait n. 17. *Circumdederunt me canes multi, & concilium malignantium obsedit me*; non conqueritur Christus de crucifixoribus suis, sed de injuriis, ac contumeliis oblatrantibus tanquam canibus in eum, & ut modò contra suam Ecclesiam faciunt hæretici, ut notat Euseb. Cæsarienſ. lib. 11. de demonstrat. Evangel. c. 8. ubi postquam ponderat quomodo judæi injurias, ac irrisiones conjiciebant in Christum, ait: *Circumdederunt me canes multi quin etiam, quicunque in hunc usque diem, itidem ut illi pergunt maledicere, ac latrare adversùs Christum Dei, ab illis diversi tutandi non sunt*. 99

Secundò in prima fronte ponitur canis, qui turpe, ac fœtidum est animal, cum iterum ad vomitum revertitur, denotat peccatorem iterantem peccata à se abjecta, & detestata; ait Salomon Prov. 26. n. 11. *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum, sic imprudens qui iterat stultitiam suam*; & 2. Petri c. 2. n. 11. *Canis reversus ad vomitum suum*. Vomitus res abominanda, & fœtida: peccator ergo qui rem abominandam & fœdam iterare reperitur non aliter, ac canis hauriens fœditatem quam ejecerat. D. Damasc. l. 4. de fide c. 10. *Cæterum in hoc omnibus esse viribus incumbendum, ut nos ab obscœnis operibus puros atque integros servemus, ne rursus canis instar ad vomitum nostrum redeuntes nos ipsos rursus peccato in servitutem addicamus*. De his multa ad citatum Prov. locum, vide Jansen. Salazarum Cornelium, & alios recentiores. 100

Peccator ad vomitū rediens, indignus cœlo.

Tertiò quinam sunt hi canes, quibus primo loco interdicitur aditus Paradisi? Per canes adulatores possumus intelligere, qui sæpè lambentes blanda cauda demulcent, & tamen nacta occasione, maligno dente acriter mordent. Ad hoc tendit D. Ignat. ep. 2. de Antioch. de talibus, & ait: *Videte malignos operarios inimicos Crucis, quorum Deus venter est, quorum gloria in confusione eorum, videte canes rabidos serpentes super pectus repentes, dracones squammosos, hi sunt thoes*; ut explicat Sanct. Pater horum canum ingenium veluti Thoes; Thoes est luporum genus, qui leniter, ac blandè demulcent, & inde opportunitatem ad mordendum vulnusque infligendum, ac venenum stillandum observant: tales sunt adulatores, qui tanquam canes lingua, lenibus caudæ motibus blandiuntur, denteſque subinde acuunt ut imprimant, & crudeli morsu dilacerent. 101

Adulator excluditur à regno cœlorum.

Ait Sapiens Prov. 27. n. 14. *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit*; expressiùs Tygurina in rem nostram: *Laudanti proximum suum magna voce mane surgenti reputabitur, ac si execratus eum fuisset*: Qui proximum suum magna voce magnisque præconiis adulatoriis extollit, idem est, ac si maledictione, ac execratione eum percutiat. 102

Adulatio idem est ac maledicere.

Ait Jerem. 11. n. 16. *Olivam uberem pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum, ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta ejus*; & quæ loquela grandis sic uberem olivam, ac fructiferam depasta est, ut in cinerem redigeret, nisi adulatorius sermo, qui omnem virtutum virorem destruit, nihilque vigere sinit? D. Gregor. Papa hom. 21. in Ezechiel. & ait: *Vox grandis loquelæ est favor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia in magnitudine favoris flamma in corde accenditur de amore laudis; sed omnia olivæ fruteta comburuntur, quia ante omnipotentis Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum jam non amore Dei, sed ab intentione transitoriæ laudis fiant*.

Adulatio omni pulchrum destruit.

Furore, ac rabie agitati adversùs Christum Dom. dixerunt Judæi: *Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es, &* 103

es, & dæmonium habes? Respondit Jesus ego dæmonium non habeo, Joan.8. nu. 48. quis mitior in respondendo ad contumelias? & tamen cum Pharisæi accedunt *dicentes: Magister volumus à te signum videre; qui respondens ait illis: Generatio mala, & adultera*, Matth.12. n.38. quid asperius, ac severius? cum dæmoniacus vocatur, leniter, & blandè respondit, cùm verò magister dicitur, ac prædicatur, tunc durus, ac severus ostenditur; & quænam hujus rei ratio? D. Chrysost. hom.44. in Matth. ait: *Cum illi asperè & contumeliosè interrogant, jucundiùs, ac humiliùs respondit, cum verò assentantur, tunc non mediocri utitur acrimonia, eodem nunc modo adulationibus non delinitur.* Acris sit, & acerbus in adulatores, quisquis vult non deliniri adulationibus.

Acerbior adulatio quam injuria.

Apoc.22. n.16. Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis. Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina.

Num.17. Et spiritus, & sponsa dicunt: Veni; & qui audit dicat: Veni; & qui sitit veniat, & qui vult accipiat aquam vitæ gratis.

VERSIONES.

Syriacus n.16. Ad testandum illa vobis coram Ecclesiis, ego sum illa radix &c. & tanquam illa stella illustris.

Æthiopicus. Testificari pro domibus Christianis, ego vera progenies, & radix David.

Arabicus. Ego sum prosapia Davidis, & stella matutina lucida, vel sicut stella, quæ oritur mane.

Primas. Vobis septem Ecclesiis.

Æthiopic.17. Dicit Spiritus Sanctus: ponsæ, & dixit, veniat, & qui sitit, veniat.

Primas. Spiritus & nova nupta.

D. Thomas. Sponsus, & sponsa dicunt.

Arabicus. Qui voluerit bibere ex aqua viva.

Syriacus. Aquas vivas gratis.

EXPOSITIO.

104 EGo *Jesus misi Angelum* hunc *meum*. Ad Apostolum meum Joannem, & per illum vobis ò christiani, in omnibus Ecclesiis, hæc testificari, & manifesta facere omnia oracula in hoc libro contenta, ut & notat Tirinus hæc est veluti Christi subscriptio, & quasi propiæ manus adnotatio, qua testatur hanc Apocalypsim, & illius oracula à se dictata, & profecta, proindeque nullo pacto esse dubitandum de his revelationibus; quibus etiam verbis maximè excitat nostrum desiderium ad hæc legenda, & intelligenda: Quis magno desiderio non legat, ut ait Ferrarius, de cœlo revelationem missam ab amantissimo Domino, ad hunc finem missam, ut ipsius sponsæ Ecclesiæ filii, illam legant, & cognoscant?

Valde indubitata est, auctoritas Apocalypseos.

105 *Ego sum radix & genus Davidis*; de quo multa diximus c.5. n.5. Ego sum genus, & radix Davidis, ideſt, ex radice Jesse, seu Davidis natus, ideſt: Ego sum Messias ille promissus, ortus ex semine David, qui hæc dico, & promitto. *Stella splendida*; quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum, cujus luce tenebræ errorum fugantur, cujus & luce potestis cognoscere ea, quæ in hac revelatione Apocalypseos mitto. *Et matutina*. Non ait vespertina, sed matutina, quæ maximè recreat, & jucundat, prænuntia Solis; sic & Christi præsentia totum lætitia adimplevit Orbem, & prænuntia fuit gloriæ, & æternæ beatitudinis, cujus janua per Christum apetta est: vide quę dixi de hac stella c.2. vers.1. Lyra aliter sic explicat: Genus & radix David secundùm humanitatem, stella verò matutina, quantum ad divinitatem, qui est lumē de lumine illuminans omnem hominem.

Cur Christus dicitur Stella splendida, & matutina.

106 *Spiritus, & sponsa dicunt, veni*. Cum Christus D. sit stella splendida, & matutina, spiritus, & sponsa, nempe Ecclesia, exardescunt desiderio, ut eum intueantur, & ideo dicunt: *Veni*. Spiritus hic non sumitur formaliter pro ipso Spiritu S. sed effectivè, pro his, qui ab Spiritu S. moventur, & excitantur, ut sunt viri justi & pii, sicut dicitur Rom. 10. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; de quo latiùs infra qu. 11. Isti ergo filii Dei, in quibus clamat Spiritus S. cum S. Ecclesia: *Veni* jam Domine ad judicium; ejus absentiam non sustinent, & volunt, ut compleantur ea omnia, quæ scripta sunt in hac sacra revelatione.

Viri spirituales, & Ecclesia clamant.

Et qui audit dicat: Veni. Quicunque ergo tantum 107
Domini adventum, tantorumque mysteriorum adimpletionem audit, etiam debet rogare, ac dicere: *Veni* Domine, scil. ad judicium. Nota quod spirituales, seu perfecti, ac sponsa ut clament, veni, non indigent admonitione, quia ad hoc eos amor impellit, qua meritò ita indigent, qui audiunt, & non sunt ita perfecti. Nota secundò, quod triplex hominum genus suspirare debent Domini adventum, spirituales, & sponsa, scilicet Ecclesia, seu cœtus fidelium, & qui audit, & jam aures suas accommodat sapientiæ mox sive spiritus, sive sponsa futurus.

Triplex genus personarum clamant.

Et qui sitit veniat. Qui ergo vehementer desiderat, 108
& suspirat Domini adventum roget, & dicat: *Veniat*. Repetita oratio valdè efficax, & qui vult meam præsentiam totoque affectu in me fertur. *Accipiat aquam vitæ gratias*. Non solùm æternam beatitudinem in futuro sæculo, sed etiam in hac vita dum peregrinamur à Domino communicat ipse Dominus se sitienti, & dat præguſtare aliquam dulcedinem æternæ felicitatis, ac proinde accipiat non solùm in futuro sæculo sed etiam in hac vita, dummodo ipse suo affectu, suisque bonis operibus velit ad Dominum accedere, ipsumque habere; sic ait Ansbert. *Qui sitit veniat, ac si diceretur, qui æternas delitias præveniente se gratia desiderare cœpit, possibus amoris ad eos tendat.*

Deus sitienti etiá in hac vita dat spirituales dulcedines.

QUÆSTIO X.

Quare Christus Dominus dicitur genus, & radix David, stella splendida matutina, dum misit Angelum suum testificari Apocalypseos verba.

MAgno sanè mysterio hìc tot Christi D. epitheta multiplicantur, ut dicatur Jesus, genus, & radix David, stella splendida, & matutina, cùm scribitur, quod ipse misit Angelum testificari has revelationes in Ecclesiis; quid enim hæc conferuntur ad Angeli sui missionem, ac testificationem? Multum quidem, nam legati propter summos principes, ac potentissimos reges, à quibus mittuntur, multa veneratione recipiuntur, eisque magna fides adhibetur, indeque tot epitheta illustrissima in Christo mittente apponuntur, ut in multa veneratione Angelus cum his verbis habeatur, ac si inde Angelus ex eo magnam auctoritatem sibi conciliaret ex eo, quod Apocalypseos verba defert, ac testificatur. Rupertus ait: *Ut firmiùs credatur verbis istis ostendit statim, & addit nobilitatem Christi mittentis, dicens: Ego sum genus & radix David, & ideo debetis talem nuntium recipere, & dicta ab eo, & revelata audire saltem propter meam nobilitatem, qui talem nuntium misi, & ei dicta, & ostensa revelare vobis mandavi.*

109

Angelus propter Apocalypsim reconciliat authoritatem.

Secundò cur ipsemet Jesus testatur se esse, qui misit 110
Angelum suum ad hæc omnia manifestanda, quæ in lib. Apocalyp. sunt contenta? Ut ea suo nomine signata, & confirmata videntes nullum esse dubitationi locum, nec ansam, sed etiam omnem superare veritatem agnosceremus. Richard. Victor. ita explicat: *Majori fide à vobis debent credi, quòd nomine meo, & auctoritate demonstrantur commendari; dum ergo quantus, & qualis sim auditis, quæ dico certa fide credere debetis.*

Summa veritas Apocalypseos

Tertiò tot pulcherrimis nominib. hìc dicitur Chri- 111
stus D. dum hanc Apocalypsim mittit per Angelum suum Joanni, & per Joannem omnibus Ecclesiis, quia in manifestatione tot mysteriorum Apocalyp. maximè suam celsitudinem demonstrat quod sit Jesus mediator, & salvator totius generis humani, quod sit *Radix & genus David. Radix*, ut ait Andr. Cæs. *secundùm naturam divinam prout omnium conditor est*; dicitur autem genus secundùm naturam humanam prout à Davide trahit originem. *Stella splendens*; quia hac doctrina Apocalyp. maximè Christus splendet, illuminatque totam Ecclesiam. Dicitur etiam stella matutina, quæ denuntiat advenientem Solem; sic & Christus hac Apocalypsi nobis manifestavit Solem, divinæ visionis, ac cœlestis pacis, supra c.21. D. Greg. Mag. lib.19. mor. c.30. ait: *Quia natus ex Virgine sanctis Lucifer inter tenebras nostræ carnis apparuit, & quia*

Christus mirabiliter Apocalyp. illuminat Ecclesiã, & sperepler.

fugata obscuritate peccati æternum nobis mane nuntiavit. Ansb. ait: *An non stella splendida, & matutina nobis factus est, qui discussis mortalitatis nostræ tenebris non vita fulgens diluculo ab inferis resurrexit?* Dum Christus D. per Angelum suæ Ecclesiæ revelat Apocal. dicitur Jesus, id-est meditator, salvator, *radix & genus*, ideſt filius Dei, & hominis. *Stella splendens*, maximè in hoc loco, quàm in alio, *& matutina* annuntians æternam beatitudinem, quia dum Christus revelat Apocalypsim tot radiis in Ecclesia sua splenduit, & tanta luce horum revelationum illustravit, & ideo ad tantum splendorem explicandum tot nominibus insignitur.

112 Et ideo ob tantam lucem, ac splendorem hujus libri tantus est noster Joannes in illius excellentia commendanda; primò ait, quod Deus Pater dedit has revelationes filio suo Christo Jesu, & ipse per Angelum suũ servo suo Joanni; c. 1. n. 1. *Apocalypsis* Jesu Christi *quàm dedit illi Deus palam facere, mittens per Angelum suum servo suo Joanni;* deinde ibidem maximè nobilitatur lector hujus libri n. 4. *Beatus qui legit verba Prophetiæ hujus*; deinde hoc c. 22. n. 6. scribit, quòd *hæc verba sunt fidelissima, & vera*; & quod Deus, qui dedit spiritum omnibus prophetis hæc mandavit per Angelum suum servis suis testificari; & deinceps in toto hoc capite multa nobis proponit ad illius auctoritatem, & tandem nu. 18. & 19. gravissimas plagas minatur in eum, qui aliquid apposuerit, vel diminuerit de hoc libro, quod neque in suo Evangelio Joannes posuit, nec similes plagarum comminationes inveniuntur in alio libro canonico, ut inter omnes auctoritas hujus libri ob magnam utilitatem, in magna æstimatione, ac veneratione habeatur, & inde homines stimulentur ad illius lectionem, ac intelligentiam, ut multum proficiant in via salutis: vide infra expositione sequenti.

Magna nobilitas Apocalypseos inter cæteros libros.

QUÆSTIO XI.

Quare, qui spiritu Dei vocantur, alios etiam vocant, ut veniant.

113 AIt text. in præsenti: *Spiritus & sponsa dicunt Veni.* Spiritus non est Spiritus S. in propria persona, quia ipse semper cum filio est, cujus est Spiritus non minùs quàm Patris: Spiritus ergo hìc sumitur effectivè, prout agit, & movet spirituales, de quo ait Paulus Rom. 8. n. 26. *Ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; & priùs dixerat n. 14. *Quicunque spiritu Dei aguntur ii sunt filii Dei*; isti ergo filii Dei, qui spiritu Dei aguntur, clamant, vel in ipsis clamat spiritus qui pro nobis postolat gemitibus inenarrabilibus: viri ergo isti instinctu Spiritus S. clamant: *Veni* Domine nempe ad judicium; quod etiam clamat sponsa Ecclesia, scilicet ipsius, cujus ipse sponsus est, & in Ecclesia, quæcunque anima, quæ ejus filii nomine insignitur.

114 *Et qui audit dicat: Veni.* Quicunque audit hanc cœlestem Domini vocem in quocunque statu, etiam clamat: *Veni* Domine; & hic est verus sensus, ut dixi in expositione. Aliter multi Patres & moraliter sic explicant; nempe viri spirituales, & Ecclesia dicunt: *Veni*; & qui audit, & obediens est cœlesti voci, etiam dicit: *Veni*; nempe ad alios utpote proximos hoc dirigitur eos convocans ad suspirandum Domini adventum, quia Dei voce vocati, vocare debent alios, & invitati, alios invitare, quia bonum, quod in se receperunt, debent, & aliis communicare, ut præclarè notavit Damianus opusc. 7. cap. 25. & ait: *Joanni Angeli admonitione præcipitur: Qui audit, dicat Veni; ut numerum, cui se vox interna insinuat illuc etiam clamando alios quò ipse rapitur trahat, ne fores clausas etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat.*

Qui Dei voce vocatus est alios debet & ipse vocare.

115 Secundò: *Qui audit dicat veni*; cur ille, qui alios vocare debet dicitur, quod debeat priùs audire? Optimus sanè ordo, nec invertendus est, priùs enim unusquisque debet audire, ac obedire, quàm valeat alios vocare. Hugo Victor. hom. 16. in Eccles. ait: *Qui audit, Scriptura dicit Veni; qui enim priùs aurem cordis per obedientiam ad verbum Dei aperit, ille postmodum rectè ad loquendum proximo linguam refovet, nam qui priùs per obedientiam in verbo ædificationis, alteri tacere non didicit, non à subjacere convincitur si alios ipse docere præsumit.*

Magister priùs in se exercetur quàm alios doceat.

116 Tertiò videtur, quod satis erat dicere: Qui audit postræ non resistat voluntati; sed libenter Domini adventum suscipiens, cur & necesse est ut alios convocet ad idem præstandum? Hoc omnibus Christi ministris valde peculiare est studium, ne solùm sibi vacent, sed quovis propriæ commoditatis dispendio, proximorum incumbant commoditati. D. Gregor. hom 14 in Ezechiel. ait: *Cui enim jam vox vocantis Dei efficitur in corde necesse est, ut proximi per prædestinationis officium erumpat in voce, & id circo alium vocet, quia ipse vocatus est.* De anima justi dicitur Cant. 6. n. 5. *Comæ capitis purpura regis vincta canalibus*; Septuaginta legunt: *Rex ligatus in transversibus*. Per comas intelliguntur cogitationes, & cùm generosæ justorum sint non decet eas sepeliri, & stagnari inter secreta penetralia, sed potiùs in transcursibus, ac patulis viis esse, ut salutis aquam, quam acceperunt, omnibus propinent.

Proprium fervorum Dei, saluti proximorũ invigilare.

Ad Dominum, qui distribuerat sua talenta, accedit bonus servus dicens: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum*, Matt. 25. n. 20. quænam sunt quinque talenta accepta, & quinque multiplicata? Dum cœlestia dona non solùm in sui, sed etiam aliorum utilitatem exercuit, ut per talia dona alios secum adduceret in gloriam. D. Paschas. lib. 11. in Matth. ait: *Hoc est de quinque talentis alia quinque lucrari, cum in eisdem temporaliter operamur, & per eosdem nos metipsos exercentes, & alios instruentes ad majorum virtutum culmina erigamur; sicque duplicata omnia reportemus tam in nobis, quàm in proximis, ut de temporalibus æterna, & de caducis semper manentia acquiramus.*

117

Si de salute proximorum agitur dona multiplicantur.

Profundè ponderandum est, quòd transacta tempestate calamitatum, ac persecutionem Iob, benignè respiciens Dominus, ait text. Job. 42. nu. 10. *Dominus quoque conversus est ad pœnitentiam Job, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerunt Job duplicia*; non dicitur quòd dedit illi Dominus duplicia respiciens ad ejus eximiam patientiam, fortitudinem, ac constantiam in tantis adversitatibus, sed ad ejus conformitatem cum voluntate divina in tantis laboribus, qua dicebat: *Sicut Domino placuit ita factum est*; sed cum *oraret pro amicis addidit illi Dominus duplicia*; ac si non tantùm dum de sua sed etiam de aliorum salute agit duplicato fructu diteſcit, & magnopere augetur, sic enim duplicantur omnia illi, qui suam, & aliorum salutem negotiatur.

118

Inter omnes virtutes maximè gratũ Deo de salute proximorũ agere.

Apoc. 22. *n.* 18. Contestor enim omni audienti verba prophetiæ libri hujus; si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.

Num. 19. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ ejus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.

VERSIONES.

Prim. n. 18. Testor ego Joannes omnes qui audiunt.

Æthiop. Ego testis sum: Omnis, qui audiet sermonem hujus libri, si quis addiderit.

S. Cypr. Apponet super illum septem plagas.

Syriac. n. 19. Dominus Deus auferet portionem ejus è ligno vitæ, & ex urbe sancta illa eorum, qui scripti sunt.

Arabic. Si quis detraxerit aliquid de verbis Prophetiæ, quæ continentur, &c. abolebit Deus nomen ejus è libro vitæ.

D. Aug. Si quis dempserit, &c. demet eum Deus.

EXPOSITIO.

COntestor *enim*. Ribeira ait, illam particulam *enim*, redundare, & in codice Complutensi non haberi. Probabilius Alcaz. ait, quod sit causalis, & faciat hunc sensum: Ita certum est, quod dixi de sitientibus, quod accipient aquam vitæ gratis, & cætera, quæ in toto hoc libro continentur, ut verissimè pronuntietur væ adversùs eum, simulque omnes plagæ mortis. *Contestor enim*. Hoc ponitur tanquam sigillum totius libri, undè cum emphasi Primas. legit: *Testor ego Joannes*; aliquando enim ad calcem alicujus operis nomen gravissimæ personæ apponitur, ut dicta majus habeant robur, majorque fides illis adhibeatur. *Si quis apposuerit ad hæc apponet Deus*, &c. Tam severè comminatur & prohibet addi, vel minui aliquid huic sanctæ prophetiæ, seu revelationi, ne quis audeat

119

Ponitur Joannis nomen tanquam sigillum libri.

audeat aliquid dictorum evertere, sive per additionem, sive per diminutionem; sciebat enim ipse futuros hæreticos, qui Scripturas corrumperent, ideo hanc Scripturam tanta hac comminatione vult esse intactam, & ex omni ejus parte à corruptione alienam.

QUÆSTIO XII.

Quare D. Joannes tam diras pœnas fulminat in apponentem vel diminuentem aliquid de libro hoc.

120 IN præsenti prohibetur additio depravans intellectum hujus prophetiæ, non autem additio declarans, aut illucidans, secundùm quod dicitur Ecclesiast. 24. n. 31. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt;* nam sacras Scripturas commentario explanare juxta verum sensum officium doctoris est, quod ab Apostolo commendatur 1. Corinth. 12. n. 10. & ad Ephes. 4. n. 11. & ponitur inter dona Spiritus S. Quod autem maximè cavetur, est hæreticorum audacia seu potiùs impudicitia, qui rectam & sanam doctrinam depravare contendunt, vel de veritate aliquid subtrahendo vel aliquid falsum addendo; & ut nostra sacra Apocalypsis ab utroque malo sit libera, magnas pœnas scilicet plagas mortis, secundò deletionem de libro vitæ minatur Joannes. Rich. Vict. ait: *Licèt ex his duobus alterum alteri per sententiam pulchrè attribuatur, tamen utroque uterque percutitur, quia & bis malis qui affligitur, bonis necesse est priùs denudetur; & quia bonis privatur à malorum illatione, liber manere non permittitur: uterque igitur, & apponens & minuens utroque malo, & bonorum privatione, & malorum illatione multatur; quamvis secundùm rationem, & pulchritudinem sententiæ hoc magis ad istum, istud ad illum in descriptione referatur.*

Illustre opus sacras Scripturas explanare.

121 Secundò ad quid tam rigidas pœnas noster Evangelista contorquet addenti vel detrahenti aliquid de hoc libro? nonne sufficiebat monere lectorem, ut à talibus abstineret, ut legimus ab Spiritu S. factum per Salomonem dum agit de Dei verbis Proverb. 30. n. 5. *Ne addas quidquam verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax;* cur ergo hìc pœnam, mulctam imponit, supplicia decernit, obiter dicam. Hìc Joannes in pœnam ponit plagas mortis, Salomon: *Ne inveniaris mendax*; quia viro nobili, æqualis pœna est plaga mortis, ac in mendacio deprehendi. In rem nostram: Non solùm Joannes admonet sed etiam rigidas pœnas imponit ut omnibus modis esset munita, ac galeata auctoritas hujus libri. Ansbert. *Intelligunt in hac sententia hoc contestari ut nec pravæ hæresis aliquid in præfata historia admisceatur, nec de ea quicquam catholicorum auferatur; & quidem Salomon sine additamento minarum hoc fieri prohibuit, Joannes verò etiam plagarum terrorem, atque amissionem æternorum bonorum adjecit, ut non solùm monendo pondere auctoritatis urgeret, verùm etiam coerceret terrorum minis temerarios.*

Viro nobili duriùs mendacii, quàm plaga mortis.

Qui non emendatur admonitione, terrere percutitur.

122 Et confirmatur: Ait noster Joannes; Deus apponet plagas mortis, & excludet eum à consortio Justorum; & cur nec in Evangeliis, nec in Epistolis Pauli vel aliorum, nec in aliquo libro canonico tales comminationes apponuntur pro his, qui aliquid eis addiderint, vel subtraxerint? cur solùm in Apocalypsi? Fortè ut inter cæteros libros valde pereminens, ac veneranda esset auctoritas hujus libri, vel etiam quia Spiritu prophetico prævidit Joannes plures hæreticos non accepturos hunc librum tanquam canonicum: ecce cur Deo monente tam dura imponitur pœna his, qui aliquid addiderint, vel detraxerint; ut nobis esset manifestum, hunc librum esse indubitatæ auctoritatis, ac fidei. Patrocinatur Rupertus, & ait: *Satis firmiter Scripturam hanc defendit divinæ, & canonicè debere esse authoritatis, cujus corruptorem, quicunque ille fuerit pari cum hæreticis damnatione percutit.*

Auctoritas Apocalypseos iures omnes veneranda.

Apoc. 22. n. 20. Dicit, qui testimonium perhibet istorum: Etiam venio citò. Amen, veni Domine Jesu.

Num. 21. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

VERSIONES.

Syr. n. 20. Dicit is, qui testatur ista. Etiam veniam citò. Amen, veni Domine Jesu.

Arabic. Noster Jesu, veni Domine Jesu, ad omnes sanctos, in sæcula sæculorum, Amen.

Alter Arab. Hæc sunt verba testis horum sermonum: Sanè citò venient, Amen, Amen veni, ò Domine.

Æthyop. Etiam citò veniam.

Syr. n. 21. Sit cùm omnibus sanctis, Amen.

Æthyop. Gratia Jesu cum omnibus.

EXPOSITIO.

123 *Dicit.* Quamvis aliqui hoc referant ad Joannem, tamen communis sententia ad Christum refert, ac proinde dicit hæc Christus Joanni, & per Ioannem Ecclesiæ. *Qui testimonium perhibet istorum*; nempe hæc omnia vera, & certissima esse. *Ecce venio citò*; ut justis dem æternam felicitatem, impiis æternam pœnam; & hoc maximè repetitur in hoc capite, ut inexcusabiles simus, si ad adventum Domini non simus præparati, ut ait Richard. Victor. *Amen*. Est sancti Joannis responsio, citò Domino occurrere volentis. *Veni Domine* Jesu: ut desiderium meum tui præsentia adimpleas, quam vehementissimè sitio.

Præparati simus ad adventum Domini.

124 *Gratia Domini nostri Jesu Christi*. Sicut literæ apostolicæ solent incipere in gratia Christi Iesu, & in illa terminari; ita Paulus Rom. 1. & 1. Cor. 1. & 1. Petri 1. sic & Ioannes Apocalyps. initiavit nomine Iesu, illoque eam terminat, ut notavit Ioachimus: *Ipse enim est finis libri, ipse fructus spei, & præmium operis nostri, qui venturus est judicare vivos & mortuos*; & subditur in text. *Amen*. Salmeron refert ex quodam viro docto Prolog. 7. quod dictio *Amen*, familiaris erat Ioanni præ cæteris Evangelistis, qua frequenter in suo Evangelio est usus, eo quòd jam senio confectus illud scripserit, nam literæ dictionis *Amen* significant 99. quod etiam notavit Gratian dist. 83. c. *Qualiter verò*; qui sunt anni, quos fertur Ioannes vixisse. Hoc tamen omisso, *Amen*, id est, ita fiat, ut deprecetur, quòd *gratia Dei sit cum omnibus vobis*. Et quamvis Syr. & Arias legant, *cum omnibus sanctis*, tamen absolutè nostra Vulgata habet: *Cum omnibus vobis*; ad omnes Dei gratiam exorat. Albert. Magn. ait quòd, *Amen*, idem valet, ac veritas, quia omnia hìc dicta vera sunt.

QUÆSTIO XIII.

Quare tremendum Dei judicium tamfervidè Ioannes exorat, atque exoptat.

125 CUm ab ore Christi Ioannes audit: *Ecce venio citò*; statim ipse magno desiderii affectu, expectans ait: *Veni Domine* Iesu; nempe ad judicium. Ubi obiter nota quòd Ioannes in exordio libri proposuit Dei judicium c. 1. n. 4. *Gratia vobis & pax, ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est*; sic est in clausula libri; cùm audit: *Venio citò*: respondet ipse: *Amen veni Domine*; itaque in prima, & ultima libri linea ponitur judicium, ut illius metu maximè monita, & custodita sit authoritas libri. Rupert. lib. 9. de Spiritu S. & lib. 1. de Timore c. 2. *Terribilem timorem ponit ad custodiendum introitum, & exitum Scripturæ, ut quisquis ad Deum cognoscendum ingreditur, & in introitu inveniat, quid timeat, & in exitu audiat, cur maximè contremiscat*. Vel quia Dei judicium in omnibus actionibus sit nobis præsens.

Timore judicii custoditur liber.

Ad nostram quæst. Cùm Ioannes audit Dei vocem: 126
Veniò citò; respondet: *Amen veni Domine*; ad judicium nempe; ad quid sanè tam vehementer illud exorat, ut Deus debitas pœnas infligat corruptori, ac prævaricatori sacrarum literarum? Tanta est majestas, ac auctoritas sanctæ Scripturæ, ut etiam sanctissimi viri summo affectu desiderent illius corruptores puniri. D. Bernard. ait: *Veni Domine*; *supplicatio est potentiæ punientis, vel corrigentis, vel præstolatio potentiæ decernentis: Veni ad puniendum illud scelus si contingat illud committi*. Isai. 35. n. 4. *Ecce Deus noster adducet*.

Corruptor sacrarum literarum rigidè puniendus.

Secundò, & ad nostram quæstionem: Dei judicium 127
maximè formidandum, ac timendum, undè dicebat regius Vates Psal. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*. David, ut ibi exponit D. Hieron. desiderat ut Deus non veniat in judicium cum eo; quomodo Ioannes obsecrat, ut veniat, dicens: *Veni Domine* Iesu? Neuter sibi adversatur, nam David exorat: *Non intres in judicium*; id est: Noli venire in judicium, secundùm id, quòd meruit servus tuus, quia nullus vivens est, qui in conspectu tuo, id est, coram tuo tribunali

Dei judicium est timendum, & adventus.

dicium possit tolerare; at D. Ioannes deprecatur Christum tanquam sponsum animæ suæ, cum quo jucundatur, cujus deliciæ sunt esse cum filio hominis, proindeque ejus adventus suavissimus, ac gratissimus ei est. Rupert. ait: *dulce nimirum, & desiderabile hoc est diligenti animæ, quæ non hoc sæculum, sed Deum diligit, & gratanter vocem hanc accipit, quod adventus Domini prope sit.*

128 Cùm Apostoli viderent Christum Jesum abeuntem in cœlos, & se adhuc derelictos in medio luporum, absque dubio magna tristitia afficiebantur; tunc Angeli illis adstant dicentes: *Hic Jesus, qui assumptus est à vobis sic veniet*, Actor. 1. n. 11, vehementer contristatis de magistri absentia obiicitur ad consolationem, judex venturus; sed cur, Angeli potiùs non abscondunt judicis adventum, ut tristitous non multiplicetur tristitia? Optimè remanentibus in valle miseriarum, manentibusque inter feroces leones judicem venturum obiiciunt; nullo aptius, ac meliùs possunt sancti levari, ac consolari, quàm dum venturum Dominum ad verum judicium recordantur, ut eis reddat mercedem, qua corpore, & anima, ejus præsentia fruantur. D. Chrysost. hom. 3. in Acta: *Cùm verò, ait, sic locuti fuissent: Hic Jesus, qui assumptus est à vobis; ne consternati eorum animi subjacerent; sic veniet. Respirarunt aliquantulum, cùm audissent, eum denuo rediturum.*

Judicii diem justi avide desiderant.

129 Ait Paulus, 1. ad Thess. c. 4. n. 15. *Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo.* Expende illud: *Rapiemur*. Valde mirum est, quod venienti judici obviam exeant, quando montes defluent ab ejus conspectu, & cœli columnæ contremiscent; at Paulus non contentus quocunque occursu, de justis affirmat, quòd velocissimo, ac rapidissimo motu ad judicium accurrant, etiam dum vivunt; & undè fieri potest, quod vivi justi tam velociter, ac rapidè ferantur ad venientem Judicem? Hoc provenit ex gratia Dei per bona opera in sanctorum cordibus diffusa, qua animati, & confirmati justi, tantum abest, quòd fugiant judicium, ut rapido, ac celeri volatu ad venientem judicem confugiant. D. Ephrem. de secundo Domini adventu ait: *Existimo quòd in illa hora contremiscet omnis spiritus, sed gratia Dei salvatoris corroborabit, & lætificabit corda justorum, rapienturque in nubibus obviam ei: Venite igitur fratres Dei; præparemus nos, expectantes Dominum nostrum: Filii lucis festinate ad lucem; exite in occursum Domini nostri cum gaudio.* Hoc invenitur in justis, quia cum gaudio festinant ad palmam.

Sancti velocissimè occurrunt ad Dei judicium.

QUÆSTIO XIV.

Quare tam sollicitè ad calcem operis, Joannes omnibus exorat gratiam.

130 HOc magnum Apocalypseos opus claudit Joannes omnibus expostulans gratiam; hanc non precatur servis Dei tantùm, sed universis; cur omnibus illam exorat? Quia omnium amantissimus, omnium salutem vehementissimè desiderat. Richard. Victor. ait: *Gratiam omnibus deprecatur, ut videlicet patenter omnibus benevolus, nemini offensus ostendatur, ut scilicet ex ipsa benevolentia provocet ad meliora.*

Joannes omnibus benevolus.

131 Secundò solùm ait noster Joannes: *Gratia vobis*; cur non etiam pacem deprecatur, ut est consuetudo Apostolica? Rom. 5. n. 7. *Gratia vobis, & pax à Deo Patre*; & 1. Cor. 1. n. 3. & sæpè aliis in locis. Tamen dum noster Joannes gratiam Iesu Christi exorat, etiam pacem exorat, nam hæc à gratia provenit, & exoritur, undè ait Apostolus Rom. 5. n. 1. *Justificati ex fide, pacem habemus ad Deum*; ex quo habet D. Leo ser. 6. de Nativ. Domini: *Cujus sententiæ brevitate, omnium ferè mandatorum continetur effectus; quia ubi fuerit veritas pacis, nihil ibi deesse potest virtutis: quid est autem pacem dilectissimi habere ad Deum, nisi velle quod jubet, & nolle, quod prohibet? Si enim humanæ amicitiæ pares animos, & similes expetunt voluntates, nec unquam diversitas morum ad firmam potest pervenire concordiam, quomodo divinæ erit pacis particeps, cui ea placent, quæ Deo displicent, & iis appetit delectari, quibus illum novit offendi?*

Vera pax à gratia nascitur.

Tertiò gratiam Salvatoris omnibus deprecatur Ioannes; cur non etiam pacem, & salutem hujus Mundi? vel etiam, cur non exoptat Nestoreos annos, vel felicitates, vel terrena bona, sed cœlestia bona desiderat? Quia præ desiderio cœlestium vilescunt terrena; & quia cum cœlestibus omnia habentur. D. Thomas ait: *In hac parte ultima hujus libri sicut, & in prima, illis omnibus, quibus scribit bonum salutis optat.* Quæ maximè consideranda sunt. *Non sæculi gloriam, non Mundi voluptates & divitias desiderat, sed quæ suæ sunt salutis, & quæ sunt cœlestia.* Cùm noster Ioannes esset maximè charitate plenus, & valde benevolus in omnes, inde solùm cœlestia dona eis desiderat.

132

Amicis solum cœlestia, & non terrena sunt desideranda.

Quartò ubi nostra Vulgata habet: *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*; Syriacus legit, *cum omnibus sanctis*. Sancti, ex eo quòd tales sint, habent gratiam, hæc est enim quæ sanctificat animam; cur ergo eam habentibus deprecatur? Quia in gratia semper debemus proficere, illamque augere, in eaque regenerari, undè præclarè dixit D. August. in Psal. 68. & Epist. 29. *Nemo fidelis dicit, sufficit; ubi dixisti, sufficit, ibi defecisti*. De anima sancta dicitur Cant. 4. n. 15. *Fons hortorum, puteus aquarum viventium*; puteus in se continet aquam, quam recipit, fons verò perpetuò est manans: sic & anima justi, semper in se continet gratiam, quam recipit, & semper novo illius profectu magnis operibus manat. Rich. Victor. p. 2. c. 30. ait: *Fons, est anima devota quæ manat, & fluit, semperque nova oritur, quia semper in Deo renovatur. Fons iste non cessat ebullire, & erumpere ad Dei amorem, non enim per torporem veterascit, sed perfectissimè, & ad plenum semper excrescit.*

133

Semper homo tendat crescere in gratia.

Ait regius Vates Ps. 101. n. 19. *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Notanter dicit in generatione altera, ut innueret quòd justus duplici debeat gaudere generatione; quod notavit D. Chrysol. ser. 126. & ait: *Scribantur hæc in generatione altera: Altera hæc est generatio quærentium Dominum*. Non simplex est, sed duplex, imo multiplex est generatio illius, qui ad Deum pertinet; generatur in gratia, & quotidie regeneratur novo illius profectu, & augmento. Eleganter Div. Zeno lib. 3. serm. 24. & ait: *Beatus esse non potest in prima nativitate persistens;* sed semper nova nativitate, novo augmento debet crescere, & augeri.

134

Semper homo regeneretur in gratia.

Ait Christus D. suis Discipulis Matt. 19. n. 28. *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos.* Maximè notandum, ubi sedes gloriæ promittuntur discipulis Christi, nimirum, in regeneratione, non in generatione, ut qui sedes habeat gloriæ cum Christo, debet multipliciter, novo augmento, novo virtutum fœtu, in gratia regenerari, nullus enim est homo, qui pluribus nativitatibus, generationibusque non indigeat, ut ad regni cœlestis palmam transferatur. Pro quo audiendus est Div. Bern. in declamatione ad hæc verba & ait: *Quid est, quod dicit in regeneratione? aut: Quæ est hæc nova generatio? Fortè, & altera regeneratione opus esse videtur, nec solùm denuo, sed & ter hominem nasci necesse est. Infelix ego homo, & miserabilis casus meus, cui non una sufficit, cui necessaria est duplex generatio.* Non contentus sit homo, quòd semel se natum videat; miser erit, *si in una tantùm nativitate sistat*. Faciat meus Iesus, ut sæpè sæpius in ejus gratia renascamur, ut omnia nostra sint ad ejus obsequium consecrata; & sic maneat impositus finis his Commentariis in solemnissima festivitate puræ, & immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ.

135

Ille regnat in gloria, qui regeneratur in gratia.

Laus Omnipotenti Deo, ejusque Sacratissimæ Matri Virgini Mariæ, nostrisque SS. Virginibus, ac doctricibus Theresiæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis.

INDEX

INDEX CAPITUM, ET QUÆSTIONUM.

CAPUT XII.

QUÆST. PRIMA.



Ua re Ecclesia dicitur signum magnum. p. 1
2 Quare hæc mulier Ecclesia, non in terra, sed tantùm in cœlo apparet. 2
3 Quare hæc mulier Ecclesiam sanctam repræsentat. ibid.
4 Quare Ecclesia sancta in hac muliere significata, apparet amicta Sole. 3
5 Quare hæc sancta mulier Ecclesia Lunam pedibus calcat. 5
6 Quare hæc sancta mulier Ecclesia duodecim stellis in capite coronatur. 6
7 Quare in hac sancta muliere Ecclesia simul resplendet Sol, Luna, & stellæ. 7
8 Quare majora luminaria ut Sol, Luna in inferiori sunt loco, minora verò ut stellæ superius eminent in capite sanctæ hujus mulieris. 8
9 Quomodo Joannes existens in terra potuit hoc signum magnum Mariæ in supremo & alto cœlo inspicere. 9
10 Quare hoc signum magnum Virginis Mariæ apparet in cœlo & non in terra. ibid.
11 Quare sanctissima Virgo dicitur signum seu miraculum magnum. 10
12 Utrum hæc mulier significet sanctissimam Virginem Mariam, non solum in sensu allegorico sed etiam literali. 11
13 Quare sanctissima Virgo apparet amicta Sole. 12
14 Ex eo quod sanctissima Virgo Maria apparet amicta Sole, inde recte ejus pura, & Immaculata Conceptio demonstratur. 14
15 Cum Virgo Maria induta Sole appareat inde ejus sublimitas, ac altitudo meritorum investigatur. 15
16 Quare sanctissima Virgo Maria Lunam sub pedibus habet. 16
17 Quare cùm Luna Ecclesiam sanctam repræsentet pedibus Virginis Mariæ subjacet. 18
18 Quare sanctissima Virgo Maria stellis coronatur. 19
19 Quare sanctissima Virgo Maria coronatur duodecim stellis nec pluribus, nec paucioribus. 20
20 Quare in manu Christi septem apparent stellæ, in capite vero Virginis duodecim. 21
21 Quare stellæ non alio ordine, sed tantum in modum coronæ apparent in capite Virginis. 22
22 Quare simul in Maria resplendent Sol, Luna, & stellæ. 23
23 Quare in corpore Virginis Mariæ fulget Sol, stellæ vero scintillant in capite ut eminentiori loco. 24
24 Quare hæc mulier in hoc signo magno [illegible] Sole, & stellis coronata virum justum, ac sanctum significat. 26
25 Quare hæc mulier virum justum & sanctum significans, Lunam pedibus calcat. ib.
26 Quare noster Evangelista describens ornamentum hujus mulieris, tacuit faciei pulchritudinem, elegantiam oculorum, colorem capillorum. 27
27 Quare manus hujus sanctæ mulieris non exprimuntur sed omnino tacentur. 28
28 Quare ad virtutem hujus mulieris indicandam duodecim stellæ radiant in capite ejus, ad Christum verò demonstrandum una tantum mittitur stella. 29
29 Quare hæc sancta mulier Ecclesia tam diros cruciatus sustinet in suo partu. 30
30 Quare à Joanne proponitur Ecclesia ut sustinens ingentes partus dolores quos omnes eam effugisse dicitur ab Isaia. 31
31 Quare dicitur quod beatissima Virgo cruciabatur ut pariat, cum in suo augustissimo Salvatoris partu nullum habuisset dolorem. ibid.
32 Quomodo hæc sancta mulier Virgo Maria ostenditur in cœlo in utero habens cum fructu nuptiarum, si in cœlo non nubent neque nubentur. 32
33 Quare hæc sancta mulier animam justi significans tantis doloribus cruciatur, ut pariat. ibid.
34 Quare in præsenti Diabolus dicitur draco magnus. 34
35 Quare draco iste rufus seu ignitus apparuit & non alio colore profulus. 35
36 Quare draco iste in præsenti septem exhibet capita. 36
37 Quare serpens antiquus in paradiso uno tantum capite apparuit; hic vero septem. 38
38 Quare draco decem cornua habebat & quid significent. ibid.
39 Quare in capitibus hujus draconis erant diademata septem. 39
40 Quare cum draco haberet septem capita & cornua decem, nec capitibus, nec cornibus, sed tantum cauda trahebat stellas in terram. 40
41 Quare stellæ devolvuntur in terram; Lucifer vero suo casu ad ima detruditur. 42
42 Quare draco traxit secum tertiam partem stellarum. ibid.
43 Quare tanta rabie, ac furore draco armatus est contra mulierem. 44
44 Quare cùm datum sit draconi esse à tergo mulieris ut insidiaretur ejus calcaneo, ipse tamen mutat stationem, & stat ante illam. 45
45 Quare draco expectat mulieris partum ut maligno dente deglutiat puerum natum. 46
46 Quare dicitur quod hæc mulier peperit filium, & non filios, & hunc masculum, & non feminam. 47
47 Quare cum verus Dei minister sit suavis, ac lenis de eo dicitur quod populum Dei reget in virga ferrea. 48
48 Quare puer iste tam vehementer rapitur ad Deum, & ad thronum ejus. 49
49 Quare mulier quæ dicitur terribilis ut acies castrorum ordinata sic fugit, & quænam sit ista mulier. 50
50 Quare mulier apparens in cœlo, fugiens tamen à dracone devorante, tendit in solitudinem ubi feræ bestiæ habitant. 52
51 Quomodo in sterili, ac infructuoso deserto, mulier alenda erat. 53
52 Quare noster Vates hic inserit sermonem de hoc prælio Angelorum. 55
53 Quare hoc prælium Angelorum factum, ac commotum est. 56
54 Quare cum hoc prælium factum sit in cœlo in quo existebat Lucifer, ipse tamen dixit, in cœlum conscendam. 58
55 In quonam ordine Michael sit constituendus, & inde multæ illius prærogativæ colliguntur. 59
56 Quare in hoc prælio Angelorum facto in cœlo, Michael Princeps, & dux est. ibid
57 Quare in prælio militantis Ecclesiæ contra Antichristum, ejusque persecutiones Princeps, & dux erit Michael. 60
58 Quare in hoc prælio Lucifer non suo nomine, sed sub draconis vocabulo exprimitur. 61
59 Quare Lucifer qui de se tantum cogitabat dicens: *In cœlum conscendam, sedebo in monte testamenti*; nunc verò ad prælium secum socios advocat. 62
60 Quare tam præcipiti casu Lucifer cum suis Angelis cadit, ut nullus eorum locus nec vestigium fuerit amplius in cœlo. 63
61 Quare draco non dicitur ut Adamus emissus de paradiso, sed projectus in terram, & sine maledictionibus ut olim percussus fuit. 64
62 Quare draco bis dicitur projectus in terram, Angeli verò ejus sequaces semel dicuntur missi. 56
63 Quare tantis & tam ignominiosis nominibus Lucifer hic significatur, ac exprimitur. 66
64 Quare *ruina* Lucifer *durior*, acrigidior describitur à nostro Joanne Evangelista quàm ab Isaia Propheta. 68
65 Quare hìc à nostro Joanne, non solum fit mentio de lapsu Luciferi, sed etiam sociorum ejus qui silentio prætereuntur à Christo D. & ab Isaia Propheta. ibid.
66 Quare pro hac victoria tanta exultantium gratulatio fit in cœlo, quam pro aliis victoriis minime reperimus factam. 70
67 Quare postquam projectus est accusator fratrum, decantatur à Beatis: Nunc facta est salus virtus & regnum Dei nostri. 71
68 Quare Satanas dicitur accusator fratrum die, ac nocte. 72
69 Quomodo tam dirus & crudelis accusator vitandus sit à nobis; deinde agitur, cur sancti Angeli dicantur *fratres nostri*. 73
70 Quare cœlites dicunt *Væ*, ac gemunt super mare, & terram. 74
71 Quare Diabolus ad homines descendit cum tam magna ira. 75
72 Quid in præsenti significent hujusmodi alæ aquilæ magnæ. 77
73 Quare huic mulieri dantur alæ tantum aquilæ magnæ. 78
74 Quare huic mulieri dantur alæ aquilæ, & non potius aliorum avium, ut concessæ sunt aliis personis. 79
75 Quare hæc mulier his duabus alis volat in desertum *omnibus sidereis luminibus* denudata. 80
76 Quare hæc mulier de filiorum salute maximè sollicita tam generosè in asperum desertum volat. 81
77 Quare hæc mulier ad evitandos serpentis morsus fugit in solitudinem, & ex solitudine non fugit, sed volat in desertum. 82
78 Quare dicitur quod hæc mulier alenda sit in deserto per tempus, & tempora à facie serpentis. 83
79 Quare serpens tanta vehementia ex ore suo misit flumen aquarum, & quid significet hoc flumen. 85
80 Quare cum maligno serpens totus esset armatus ut devoraret mulieris filium, tamen venenosum flumen non mittit post filium sed post mulierem. 86

81 Quare terra adjuvans mulierem aperuit os suum, & absorbsit totum flumen. 87
82 Quare draco tam vehementer irascitur in mulierem ut intendat facere prælium cum filiis ejus. 89
83 Quare draco furore accensus in mulierem stetit super arenam maris. 90

CAPUT XIII.

QUÆST. PRIMA.

Quænam sit hæc tremenda bestia. 91
2 Quare hæc bestia non ex abysso nec ex terra vel aere, sed ex mari ascendisse dicitur. 92
3 Quænam sint ista septem capita, & decem cornua. 93
4 Quare bestia hæc super decem cornua portat decem diademata. 94
5 Quare bestia hæc super septem capita septem portat nomina blasphemiæ. 95
6 Utrum capita, cornua, diademata hujus bestiæ sint eadem cum illis, quæ apparuerunt in dracone supra cap. 12. 96
7 Quare bestia hæc Antichristus corpore dicitur similis pardo, pedibus ursо, ore verò leoni. 97
8 Quare draco dat suam potestatem, ac virtutem bestiæ. 98
9 Altiùs expenditur quodnam sit hoc caput occisum in mortem, cujus plaga curata est. 99
10 Quare homines ratione prædicti adorant, draconem, & bestiam. 100
11 Quare universa terra admirata bestiam adorat dicens, quis poterit pugnare cum bestia. 101
12 Quare de hac truculenta bestia Antichristi dicitur aperuit os suum; quod de Christo D. scribit D. Matth. 102
13 Quare hic introducitur Antichristus non una sed multis blasphemiis plenus in Deum & Ecclesiam & sanctos cœli. 103
14 Quare Diabolus æmulator regni Christi in suo membro Antichristo de eo mendaciter non dicit potestatem æternam, ut de Christo veracicer affirmatur. 104
15 Quare dicitur quod adorantes bestiam non sunt scripti in libro vitæ, cum aliqui ex ipsis adoratoribus possint esse scripti in dicto libro. 105
16 Quare iste liber, cum sit agni occisi dicitur liber vitæ. 106
17 Quare divinus Agnus dicatur occisus ab origine Mundi? Duæ sententiæ referuntur, & maximè quia patitur in suis. 107
18 Quare Agnus dicatur occisus ab origine Mundi? ponitur tertia sententia ex æterno, ac immutabili Dei decreto. 108
19 Quare occidenti in gladio, ac captivanti minatur mors cum gladio, ac etiam captivitas. 109
20 Quare dicitur quod occidens gladio oportet eum occidi, & non explicatur à quo occidendus sit. 110
21 Quare noster Joannes post commemorationem captivitatis, & gladii adjunxit patientiam, & fidem Sanctorum. 111
22 Quænam sit hæc bestia de terra ascendens. 112
23 Quare hæc secunda bestia dicitur ascendisse de terra, cum prima ascenderit de mari. 113
24 Quare hæc bestia habet duo cornua similia Agni, cum tamen vox ejus sit draconis. 114
25 Quare de hoc Pseudopropheta, seu Antichristi præcursore dicitur quod omnem suam potestatem faciebat in conspectu ejus. 115
26 Quomodo signa, ac prodigia edenda sint ab Antichristo, ac ministris ejus. 116
27 Referuntur tria reputata miracula edenda ab Antichristo: ac peculiariter agitur de igne misso de cœlo. 117
28 Quare vox draconis valuit homines seducere, cum potius debebat eos terrere ut fugerent. 118
29 Quare non verus Christus Jesus, sed Antichristus imponit pœnam mortis contra ejus adorationem negantes. 119
30 Quare Antichristus suos asseclas faciet portare suum characterem in dextera manu, aut in frontibus suis. 120
31 Quale futurus sit character, seu signum Antichristi. 121
32 Qualenam futurum sit nomen Antichisti. 122
33 Quare Evangelista ponens numerum literarum nominis Antichristi ipsum tamen nomen subticuit. ibid.

CAPUT XIV.

QUÆST. PRIMA.

Quare Christus Dominus ut agnus videtur à Joanne Baptista, ac Evangelista. 124
2 Quare Christus D. sub specie agni hìc visitur, ac apparet. ibid.
3 Quare divinus Agnus apparet potiùs super montem Sion quàm super quemlibet montem. 125
4 Quare cum agno stant centum quadraginta quatuor millia. 126
5 Quare stantes in monte Sion habent nomen agni & Patris scriptum in frontibus suis. 127
6 Quare in frontibus virginum prius apparet scriptum nomen agni, quàm nomen Patris. 128
7 Quare una, & eadem vox de cœlo assimilatur voci aquarum multarum, tonitrui magni, ac citharædorum. 129
8 Quare hæc vox de cœlo resonabat potiùs ut vox citharæ, quàm alterius instrumenti musici. 131
9 Quare hi citharœdi citharizant non in aliis citharis, sed tantum in suis. 132
10 Quare sancti virgines non aliud Canticum cantant, nisi Canticum novum, & hoc non alibi, nisi ante sedem Dei. ibid.
11 Quare sequentes agnum non solùm dicuntur virgines, sed etiam quòd cum mulieribus non sint coinquinati. 134
12 Quare omnes isti sequentes agnum inniguiter virgines dicantur. 135
13 Quare virgines tam adhærenter sequuntur agnum, ut cum eo tendant, quocunque pergit. 136
14 Quare cum omnes homines empti sint pretio magno Sanguinis Christi, virgines hic tamen peculiariter dicuntur empti. 137
15 Quare sancti virgines ex omnibus electis dicuntur primitiæ Deo, & agno. 138
16 Quare cum nullus sine crimine vivat de sanctis virginibus dicitur, quod sint sine macula mendacio ante Dei Thronum. 139
17 Quisnam sit iste Angelus volans per totam Ecclesiam, habens Evangelium æternę vitæ. 141
18 Quare sancti Evangelistæ dum sub figura quatuor animalium apparent cum reliquis beatis stant in circuitu Throni; nunc vero cùm se tanquam Angelos exhibent per medium cœli volitant. 142
19 Expenditur sententia Victorini existimantis quod iste Angelus volans per medium cœli habens Evangelium æternum, sit magnus parens Elias. 143
20 Quare Angelus volans habens Evangelium æternum maximè nos provocat ad Dei timorem. 144
21 Quare iste Angelus tam aperte denunciat destructionem Babylonis, & quænam civitas est hæc, & quis Angelus iste. 145
22 Quare ad devastationem Babylonis tria proponuntur, vinum, ira, & fornicatio. 146
23 Altiùs hęc tria examinantur; vinum iræ Dei mistum mero, & calix irę ipsius. 148
24 Quare cruciatus dabitur in conspectu Angelorum, & agni. ibid.
25 Quare post descriptos damnatorum cruciatus illico noster Joannes addit hìc patientiam Sanctorum. 150
26 Quare non dicitur: beati, qui in Domino moriuntur, sed: *Beati mortui qui in Domino moriuntur*. 151
27 Quare laborantibus solùm promittitur requies. 152
28 Quare post requiem justis promissam adnectuntur bona opera. 153
29 Quare opera justorum eos sequuntur, & non potius præcedunt. 154
30 Quare post narratam gloriam justorum hìc introducitur Filius hominis tanquam veniens ad judicium; & quis sit iste filius hominis. 155
31 Quid in presenti significent nubes, & candida corona & falx. 156
32 Quare iste Angelus mittit falcem & quisnam sit iste. 157
33 Quare sedens super nubem mittit falcem suam super terram. 158
34 An isti tres Angeli vere, & proprie sint Angeii, vel alii sub eorum personæ intelligantur. 159
35 Quare ad significandum diem judicii duplicem falcem introducit Joannes, unam messoriam, alteram vindemiatoriam. 160
36 Quare hic ponitur præfixus numerus stadiorum mille sexcentorum. 161
37 Quàm dura, & terribilis sit inferni pœna ex præsenti litera multipliciter colligitur. 162
38 Quare dicitur quod sanguis exiverit usque ad frenos equorum. 163

CAPUT XV.

QUÆST. PRIMA.

Quare hoc signum hìc ostensum Joanni, dicitur magnum, & mirabile. 164
2 Quare Angeli tenentes septem plagas sunt tantùm septem, nec plures, nec pauciores, & quinam sint isti septem Angeli. 165
3 Quare ultimæ punitiones immissæ in peccatores dicuntur plagæ novissimæ, in quibus consummata est ira Dei. 166
4 Quare apud Salomonem legitur mare æneum, nunc apud Joannem mare vitreum, in quo pœnitentia adumbratur. 167
5 Quare per hoc mare vitreum igne mistum, Sacramentum Baptismi significatur. 168
6 Quare relatis variis opinionibus secundùm veriorem sententiam in hoc mari vitreo misto igne, denotatur Mundus vel præsens sæculum. 169
7 Quare hoc mare non solùm erat aquaticum sed etiam mistum igne. 170
8 Quare Discipuli Christi in lege gratiæ stant super mare, antiquus verò populus ut illud tranbiret, ad ejus ingressum dividitur mare, ut per terram siccam pertranseat. 171
9 Quare sancti Victores stantes super mare habent in manibus citharas, non qualescunque, sed tantùm Dei. 172
10 Quare Israelitæ cum Moyse canunt post transitum maris; sancti verò in lege gratiæ, stantes, & ambulantes super mare. 174
11 Quare simul noster Joannes conjunxit Canticum Moysi, & Canticum agni, quod canunt citharis suis. 175
12 Quare isti victores Deum hic celebrant

tot, & tantis nominibus, quæ sigillatim expenduntur. 176
13 Quare cum Apostolus dicat judicia Dei esse incomprehensibilia, hic tamen à nostro Joanne dicuntur manifesta. 177
14 Quare isti septem Angeli dicuntur exire de templo, & an vere sint Angeli. 178
15 Quare Angeli habentes decem plagas, exeunt vestitit lino mundo, & candido. ibid.
16 Quare Angeli exeunt juxta aliam lectionem vestiti lapide candido, & mundo. 179
17 Quare septem Angeli exeunt præcincti zonis aureis circa pectora. 180
18 Quare unum è quatuor animalibus dat septem phialas; & quidnam est hoc animal. 182
19 Quare hujusmodi phialæ non solum sunt aureæ, sed etiam plenæ iracundia Dei. ibid.
20 Quare cum hujusmodi phialæ superius dicantur plenæ orationibus Sanctorum, nunc verò proponuntur plenæ iracundia Dei. 183
21 Quare templum tanto repletur fumo à majestate, ac virtute Dei, ut nemo posset in illud introire. 184

CAPUT XVI.

QUÆST. PRIMA.

QUare vox mandans Angelis effundere phialas iræ Dei, dicitur audiri de templo, seu de Throno Dei. 185
2 Quare cum mandatum sit Angelis effundere phialas iræ Dei in terram, ipsi non solum eas effundunt super terram, sed etiam super mare, flumina, Solem; & aerem, &c. ibid.
3 Quare hæc prima plaga desævit in hujusmodi homines terrenos, & maximè gulosos. 187
4 Quare ex prima phiala effusa in terram, fit in hominibus vulnus sævum, & pessimum, & quodnam sit hoc vulnus. ibid.
5 Quare effusa secunda phiala, mare non solum vertitur in sanguinem, sed etiam, sanguinem mortui. 188
6 Quare hujusmodi plagæ non fuerunt effusæ simul, sed successive, & quanto tempore duraverint. 190
7 Quare Deus tam rigida pœna, aquâ scilicet conversa in sanguinem, punit peccatores. 191
8 Quare Angelus præses aquarum, dum eas vidit in sanguinem conversas, Deum justum, & sanctum proclamat, ac gratificatur ibid.
9 Quare effundentibus sanguinem Sanctorum datur eis in pœnam ut bibant sanguinem. 192
10 Quare iniqui, ac proterui non puniuntur effuso sanguine, sed ebibito, ac potato. 193
11 Quare ex phiala missa in Solem affliguntur homines æstu, & igni; & quisnam sit iste Sol. 194
12 Quare ex ardore Solis homines tam vehementer exarserunt æstu magno, & vehementi. 195
13 Quare homines promoti ardore Solis tam rabido ore blasphemant contra Dominum. 196
14 Quare iste Angelus, tam severam plagam effudit super sedem bestiæ, & altius inquiritur, quænam sit ista bestia. 197
15 Quare super sedem bestiæ tam horribiles, & densæ tenebræ diffunduntur. 198
16 Quare impii præ rabie non solùm manducant linguas suas, sed etiam inter se mutuo commanducant. ibid.
17 Quomodo impii præcisis linguis poterant blasphemare. 199
18 Quare Angelus bonus exsiccavit aquas Euphratis, ut via præparata, & expedita fiat iniquis Regibus. 200
19 Quare exsiccato Euphrate via præparatur istis Regibus, & quinam sint isti Reges; an boni, vel mali. 201
20 Quare ex triplici infausto ore prodeunt tres spiritus immundi, & quinam sint. 203
21 Quare hujusmodi tres spiritus exeunt potius ut ranæ, quam quæcumque alia animalia. 204
22 Quare potentes Reges cum inter se maximè dissideant, in unum locum conveniunt. 205
23 Quare Dominus comparat adventum suum cum furis adventu, non de futuro dicens, veniam, sed de præsenti. Ecce venio. 206
24 Quare Dominus qui suis discipulis præcipiebat de vestimentis nil sollicitos esse modo mandat vigilare, ut vestimenta custodiantur ne si nudus quis, ejus turpitudo appareat. ibid.
25 Quare Reges universæ terræ congregantur in Armagedon, & quis locus, & quid significet. 207
26 Quare ex hac ultima phiala missa in aerem fit terræmotus magnus, qualis nunquam fuit ab initio. 208
27 Quare civitas facta est in tres partes, & quænam sit ista civitas. 209
28 Quare cum emittitur à Deo grando magna, sicut talentum, homines non compunguntur sed blasphemant. 210

CAPUT XVII.

QUÆST. PRIMA.

QUænam sit hæc meretrix quæ postea Babylon appellatur, mater fornicationum, & abominationum terræ. 212
2 Quare hæc mulier Babylonica dicitur meretrix magna, cum habitaret in deserto. 213
3 Quare hæc mulier cum purpura, & veste inaurata damnatur, cum vile, & triste sagum ad mortem damnatis detur. 214
4 Quare purpurata meretrix non alio in loco constituit suam sedem, nisi tantum super aquas multas. ibid.
5 Quare primi omnium dicuntur fornicare cum hac meretrice Reges terræ. 216
6 Quare potantes de vino hujus meretricis dicuntur ebrii. 217
7 Quare hæc mulier tanto apparatu adornata habitat in deserto, ad quod ducitur Joannes ad eam contemplandam. 218
8 Quare delicati Reges currunt ad aspera deserta veneno meretricis plena, cum illa fastidierint Hebræi cœlesti pane redundantia. 219
9 Quid sit hæc bestia coccinea: & quid significet. ibid.
10 Quare hæc meretrix nunc sedet super bestiam coccineam, cum infra dicatur sedere super montes, Reges, ac populos. 220
11 Quare hæc mulier placidè, ac quietè sedet super hanc bestiam à qua vehementissimè mulier amicta sole impugnatur, ac persequitur. ibid.
12 Quare eximius ornatus, ac apparatus hujus mulieris ex tantis circumstantiis describitur ab Evangelista. 222
13 Quare hæc mulier non solùm induitur purpura, sed etiam sibi ad ornamentum adjungit coccinum. 223
14 Quare mulier fortis purpura induta ridebit gaudens, in novissimo die; hæc verò Babylonia, purpura, lugens ardebit. 224
15 Quare hæc mulier offert manu poculum, Deus verò escas & dapes. 225
16 Quare poculum in manu meretricis est aureum & non ligneum vel ex alia materia. 226
17 Quare poculum aureum mulieris non est plenum aliquo suavi liquore, sed abominatione, ac immunditia fornicationis. 227
18 Quare meretrix nomen portat scriptum in fronte, & non potius alio in loco. 229
19 Quare meretrix scriptum gestat in fronte mysterium, seu Sacramentum. 230
20 Quare hæc mulier dicitur ebria, non vino, sed sanguine Sanctorum, de quo maximè noster Evangelista admiratur. 231
21 Quare cum Joannes, ac terreni homines admirentur de magnificentia mulieris, & bestiæ, solus Joannes reprehenditur ab Angelo de sua admiratione. 233
22 Quare de bestia affirmatur ab Angelo, quod fuit, & non est, & ascensura sit de abysso. ibid.
23 Quare mulier nunc dicitur sedere super montes, & Reges, cum supra dictum sit sedere super aquas. 235
24 Quare Reges montes appellantur. 236
25 Quinam sint isti septem Reges, de quibus noster Joannes agit in præsenti. 237
26 Quare Reges dicuntur cornua. 238
27 Quinam sint isti decem Reges, & an tali nomine venient ad devastationem Babylonis ante publicatum Antichristum. 239
28 Quare cùm isti sint veri Reges, dicitur de eis, quod regnum nondum acceperunt. 240
29 Quare de istis decem regibus dicitur, quod una hora post bestiam accipient regnum. ibid.
30 Quare cùm Reges frequenter inter se sint divisi, hi tamen decem Reges, in eandem sententiam, & voluntatem conveniunt. 242
31 Quare decem Reges uniuntur, ut pugnent contra mansuetissimum Agnum. 243
32 Quare cum dicatur, quod agnus vincet decem Reges, tamen non exprimitur pugna, nec arma, nec numerus militum tantæ victoriæ. 244
33 Quare in hac præclarissima victoria noster princeps, non dicitur Christus, sed Agnus. ibid.
34 Quare populi, ac gentes per aquas significantur, ac denotantur. 246
35 Quare cum isti decem Reges summo amore dilexissent hanc fornicariam, nunc tam vehementi odio in eam insurgunt. 247
36 Quare dicitur quod isti reges dederunt regnum suum bestiæ, cujus civitas habet imperium, & Dominium super reges terræ. 249

CAPUT XVIII.

QUÆST. PRIMA.

QUare iste Angelus cum tanta potestate, ac claritate venit, & quis sit iste Angelus. 250
2 Quare dum de casu Babylonis facit mentionem Angelus, non semel dixit, sed bis repetit, cecidit. 252
3 Quare miserrima cadens Babylon fit dæmoniorum habitatio, ac custodia omnis Spiritus immundi, custodiaque omnis volucris immundæ. 252
4 Quare cum in præsenti Angelus in medium adducat omnes gentes, reges terræ, ac mercatores, soli tamen reges criminis rei notantur. 253
5 Quare mercatores non dicuntur divites ex suis mercibus, sed de virtute illius perversæ civitatis. 254

6 Quare populus Dei mandatur exire de Babylonia, ne in delictis, ac plagis ejus involvatur. 255
7 Quare ante devastationem Babylonis Deus mandat populum suum exire de illa, cum eum mirabiliter in medio devastationis servare possit. 256
8 Quare dicuntur peccata in tantum excrescere ut ad cœlum pervenerint, & Deum ad eorum vindictam excitaverint. 257
9 Quare Dominus qui ob suam pietatem punit citra condignum, mandat sanctis suis duplicare duplicia. 258
10 Quare Babyloniæ mandatur dari tantum tormentum, quantum fuit glorificatio ejus in deliciis. 259
11 Quare meretrix Babylon tam rigidè damnatur ut dicatur in poculo, quo miscuit: miscete duplum; quantum se glorificavit, tantum date illi tormentum. 261
12 Quare hæc meretrix tam vane promittit stabilitatem in suo fastu, ut dicat regina sedeo, vidua non sum, luctum non videbo. ibid.
13 Quare Ninive dantur quadraginta dierum induciæ, Babyloniæ verò una tantum dies assignatur: & obiter agitur de pœna divitis in nocte. 262
14 Quare plagæ Babylonis dicitur mors, luctus, & fames, quæ magis explicantur cum mortua non sit fames, & luctus. 264
15 Quare in destructione Babylonis plorant reges, & non fratres, nec amici, nec pastores; & qui sint isti reges. 265
16 Quare tantus fletus procedit ex viso fumo ruinarum Babyloniæ. 266
17 Quare reges à longe stantes timebant tormenta Babylonis. ibid.
18 Quare omnia damnationis tormenta in una hora veniunt super miseram Babyloniam. 267
19 Quare mercatores terræ tam amore flent, ac lugent super ruinas Babyloniæ. 268
20 Quare merces mercatorum quæ Babyloniæ vendebantur ad quinque classes reducuntur in quibus aliqua notantur. 269
21 Quare cum in Babylonia multa essent magni pretii, ut aurum, & argentum, tamen de solis pomorum fructibus dicitur desiderium animæ ejus. 271
23 Quare in extrema miseria Babyloniæ deploratur, ut legit Aretas: temporis opportunitas recessit à te. 272
23 Quare cum in ruina Babyloniæ universorum fere sit planctus, tamen ut vanus, ac irrationalis contemnitur. 273
24 Quare destructa Babylonia destruitur ejus imperium, cum tamen destructo Ægyptiorum exercitu, non destruitur, eorum Regnum. 274
25 Quare negotiatores omni genere tristitiæ, ac luctus lamentanter super ruinas Babyloniæ. 275
26 Quare negotiatores, non solùm lugent, & flent super ruinas Babyloniæ, sed etiam pulverem spargunt super capita. 276
27 Quare amatores Babyloniæ super ruinas ejus sex ingeminant væ, quod maximè distinguitur à gemitu Prophetarum. 277
28 Quare proeversa, ac destructa Babylonia invitantur ad exultationem cœlum, Apostoli, ac Prophetæ. 278
29 Quare sancti ad gaudium, ac exultationem invitantur, ex eo quod Deus judicium eorum judicaverit. 279
Quare ad significandam Babylonis destructionem venit unus Angelus, & quis sit iste Angelus. 280
31 Quare casus, ac ruina Babyloniæ comparatur ejecto lapidi molari in mare. ibid.
32 Quare ad explicandam extremam devastationem Babyloniæ, seu Romæ dicitur, quod vox malæ, citharædorum, ac musicorum amplius non sit in ea audienda. 281
33 Quare pro magno crimine obiicitur Babyloniæ, quod illius Principes essent mercatores. 283

CAPUT XVIII.

QUÆST. PRIMA.

QUare post dicta superiori capite, multæ turbæ voce decantant Deo laudes. 284
2 Quare retenta voce hebraica decantatur hìc Alleluia, & hìc potiùs quam antea in toto libro Apocalypseos. 285
3 Quare cum Babylonia sit una tantùm meretrix, prostitutione sua corrupit terram. 286
4 Quare inter gratias agentes, primi numerantur viginti quatuor seniores, & quatuor animalia, & non solum ore laudant, sed etiam se prosternunt. 287
5 Quare viginti quatuor seniores hìc proponuntur absque aureis coronis ut habentur cap. 4. 288
6 Quare cœlestis turba quater decantat Alleluia, nec plus, nec minus. ibid.
7 Quare non ex alio loco, sed tantum à throno Dei exivit vox clamans: laudem dicite Deo nostro. 290
8 Quare solùm servi Dei convocantur ad ejus laudes decantandas, in quo simul ut timentes à Deo laudantur. 291
9 Quare magnitudo hujus vocis tripliciter explicatur; quod sit nempe turbæ magnæ, ac sicut vox aquarum multarum, & sicut tonitruorum magnorum. 292
10 Quare cum juxta sanctorum Patrum placita, Ecclesia multipliciter dicatur Christo desponsata, hìc tamen non appellatur sponsa sed uxor. 293
11 Quare summa lætitia Beatorum in nuptiis agni triplici verbo explicatur gaudio, exultatione, ac gloria. 294
12 Quare ad nuptias agni, uxor ejus tam sollicite se præparat. 295

Pro sacra Eucharistia.

13 Quare in sacra Eucharistia celebrantur nuptiæ inter Deum, & hominem. ibid.
14 Quare sacra Eucharistia, sit gaudium Trinitatis, ac ipsius Christi. 296
15 Quare sacra Eucharistia dicitur, gaudium, ac lætitia Angelorum, & hominum. 297
16 Quare Christus D. in eucharistico Sacramento agnus dicitur. 298
17 Quare ad has nuptias Agni tam exactè se præparavit uxor ejus. 299
18 Quare beatissima Virgo Maria vera sponsa agni tam sedulò se præparavit ad communicandas delicias eucharistici convivii. 300
19 Quare ad nuptias agni ejus uxor non exornatur auro, & lapide pretioso, vel purpura, sed tantùm byssino. 302
20 Quare uxor agni non se exornat quolibet byssino, sed illo maximè splendenti, ac candido. ibid.

Pro sacra Eucharistia.

20 Quare ad epulas eucharisticas uxor Agni byssino candido se præparat. 303
21 Quare ad epulas eucharisticas sponsa agni se præparavit, non solùm byssino candido, sed etiam splendenti velut radiis gloriæ. ibid.
22 Quare ad cœnam agni invitantur tantùm homines, ad cœnam verò hominis compelluntur intrare. 305

Pro sacra Eucharistia.

23 Quare qui conveniunt ad cœnam divini agni eucharisticam Beati vocantur. 306
24 Quare in cœna agni non explicantur fercula, nec dapes, maximè verò in cœna Dei declarantur, ac exprimuntur. ibid
25 Quare mensa eucharistica, non dicitur prandium, sed cœna. 307
26 Quare dum Angelus agit de mysterio eucharistico addit. *Hæc verba Dei vera sunt.* 308
27 Quare Joannes nunc hìc vult Angelum adorare cadens ad pedes ejus. 309
28 Quare Angelus tam sollicitè prohibet sibi à Joanne adorationem impendi. 310

Pro sacra Eucharistia.

29 Quare modò cum sermo esset de Eucharistia, & non antea Joannes Angelum adorare vult. 312
30 Quare Angelus in venerationem sacræ Eucharistiæ, recusat à Joanne adorari. ibid.
31 Quare sedens apparet in equo albo, & quis sit iste inclytus Dominus. 313
32 Quare dum Christus exiit in pugnam contra Antichristum dicitur fidelis, & verax. 314

Pro sacra Eucharistia.

33 Quare Christus D. dum se manifestat in Eucharistia, in equo albo sese ostentat. 315
34 Quare Christus D. prout est in Eucharistia dicitur fidelis. 316
35 Quare dum de eucharistico Sacramento agitur, Christus D. dicitur verax. 317
36 Quare oculi Christi Domini apparebant tanquam flamma ignis. 320
37 Quare Christus D. in capite portat multa diademata. 321
38 Quare de Christo dicitur, quod nemo novit nomen ejus, nisi ipse, cùm statim dicatur, vocabatur nomen ejus verbum Dei. 322
39 Quare hoc nomen verbum Dei dicitur & nomen ejus, quod nemo novit nisi ipse, scribitur. 323
40 Quare Christi vestis sanguine erat aspersa. 324

Pro sacra Eucharistia.

41 Quare Christus in sacra Eucharistia ostentat in capite suo multa diademata. 325
42 Quare Christus in Eucharistia ostentat vestimenta sua aspersa sanguine. 326
43 Quare nullo convocante, exercitus, qui sunt in cœlo, Christum sequuntur. 327
44 Quare exercitus cœlestes sequuntur Christum vestiti byssino albo, & mundo in equis albis. 328
45 Quare torcular passionis, ac mortis Christus Dominus solus calcavit, cùm verò modo descendit in torcular iræ, ac furoris adversus gentes, exercitus cœlestes secum vocat. 330

Pro sacra Eucharistia.

46 Quare Christum D. in Eucharistia sequuntur exercitus cœlestes. ibid.
47 Quare ex ore Christi in Eucharistia proceedit gladius ex utraque parte acutus. 331
48 Quare Christus in Eucharistia calcat torcular furoris, ac iræ. 332
49 Quare titulus regis regum, ac Domini Dominantium scriptus est in vestimento

mento, ac semore Christi, & non alio in loco. 333
50 Quare in præsenti Christus Dominus dicitur Rex regum, & Dominus dominantium. 334

Pro sacra Eucharistia.

51 Quare Christus in sacra Eucharistia dicitur Rex regum, & Dominus dominantium. 335
52 Quare iste Angelus clamans ad cœli aves apparet stans in Sole, & non in alio loco. 337
53 Quare Angelus non quoscunque, sed tantùm aves per medium cœlum volantes vocat ad cœnam magnam Dei. ibid.
54 Quare aves cœli invitantur ad comedendas carnes omnium indifferenter. 338

Pro sacra Eucharistia.

55 Quare Angelus vocans ad eucharisticam mensam apparet in Sole. 339
56 Quare ad magnam cœnam eucharistiam non alii vocantur, nisi tantum aves per medium cœlum volantes. 340
57 Quare aves invitantur ad cœnam magnam agni: juxta aliquorum lectionem. ib.
58 Quare qui congregantur ad cœnam magnam Dei, invitantur ad comedendas carnes regum. 341
59 Quare qui vocantur ad cœnam magnam Dei, eis apponuntur carnes fortium. ibid.
60 De horribili, ac tremendo Antichristi interitu, ac perditione. 342
61 Quare infernus dicitur stagnum ignis ardentis sulphure. 3

Pro sacra Eucharistia.

62 Quare magnifica victoria de Antichristo obtinetur representatione Eucharistici Sacramenti. 344

CAPUT XX.

QUÆST. PRIMA.

1 Quis sit iste Angelus. 345
2 Quomodo hi mille anni computandi sunt. 346
3 Quare Angelus apprehendens Satanam ipsum ligaverit. 347
4 Quare Angelus mittens Satanam in Abyssum, non solum clausit, sed etiam signavit super illum. 349
5 Quare Satanas pro modico tempore ex Dei permissione solvendus sit. 350
6 Quare animæ decollatorum, quæ non acceperunt characterem bestiæ in fronte, ac manibus, videntur vivere, & regnare. 351
7 Quid sit resurrectio prima, & resurrectio secunda: Quid mors prima, & secunda. 353
8 Quare de sanctis non solum dicitur, quod regnabunt cum Christo, sed etiam quod erunt illi sacerdotes, & Dei. ib.
9 Quænam gentes sint Gog, & Magog. 354
10 Quare impii circuierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam, & minimè viderunt intrare. 355
11 Quare tam citò pœna ignis descendit super antichristianos, ac Diabolum, qui seducebat eos. 357
12 Quare prius commemoratur ignita sententia in impios, deinde in Diabolum, qui omnium criminum est seductor, & auctor. ibid.
13 Quare Antichristus, ejusque exercitus patenter puniuntur, quæ pœna maximè explicatur ex Propheta Ezech. 358
14 Utrum post stragem Antichristi, ac sequacium, statim futurus sit Mundi finis, ac dies Judicii. 359
15 Quare manifestatur sedens super thronum magnum, & candidum, ejusque nomen, ac species, nec declaratur, nec exprimitur. ibid.
16 Quare à conspectu Dei judicantis fugit cœlum, & terra. 360
17 Quare de mortuis dicuntur libri, de vita vero unus liber in singulari. 362
18 Quare non dicitur de terra, quod dedit mortuos, ut de mari exprimitur, & cur non dicitur de cœlo quod dedit mortuos, ut de inferno scribitur. 363
19 Quare dicitur quod mors, & infernus mittentur in stagnum ignis, cum stagnum ignis sit infernus. 364

CAPUT XXI.

QUÆST. PRIMA.

Quare adveniente finali judicio cœlum, & terra innovabuntur, & qualis futura sit hæc innovatio. 366
2 Quare Evangelista ait simpliciter, quod mare non erit cum sit innovandum sicut cœlum & terra. 367
3 Quænam sit hæc sancta civitas Jerusalem. 368
4 Quare cœlestis Jerusalem cum sit valde perantiqua dicitur tamen in præsenti nova. 369
5 Quare cœlestis civitas quæ est cœlum empireum immobile, sic dicitur descendens. 370
6 Quare cœlestis *civitas* apparet descendens in occursum Deiparæ in die suæ Assumptionis. 371
7 Quare cœlestis civitas Jerusalem insigniter dicitur parata, & ornata ut sponsa viro suo. 372
8 Quare cœlestis beatitudo quæ antea appellatur civitas, nunc dicitur tabernaculum Dei cum hominibus. 374
9 Quare laudes sanctæ civitatis non exeunt ab ipsa sed à throno Dei. 375
10 Quare dicitur, quod Deus abstergat justorum lachrymas non in hac vita, sed in æterna patria. ibid.
11 Quare ea quæ hic Ioanni revelantur non solum ei dicuntur, sed etiam mandantur scribi. 377
12 Quare non omnibus indifferenter, sed tantùm sitientibus promittitur fons aquæ vitæ æternæ. 378
13 Quare inter octo genera peccatorum quæ hic apponuntur à nostro Evangelista timidi habent primum locum; & quinam sint isti timidi. 379
14 Quare post tot peccatores ponuntur venefici, & quinam sint. 380
15 Quare cœlestis Jerusalem quæ antea dicitur sponsa; vel uxor tantùm, nunc utrunque dicitur, & in civitate ostenditur. 281
16 Quare Joannes qui jam antea viderat civitatem cœlestem, nunc vocatur ab Angelo, ut ipso monstrante iterum eam videat. 382
17 Quare claritas cœlestis civitatis comparatur cum triplici lapide. 383
18 Quare de cœlesti Jerusalem dicitur quod habeat murum magnum, & altum, & quisnam sit iste murus. 384
19 Quare in sancta civitate Jerusalem duodecim describuntur Portæ. 385
20 Quare in sancta civitate ad singulas Mundi plagas ternæ portæ obversæ erant. 387
21 Quare tam accuratè Angelus mensuratur civitatem, murum, & portas ejus. 388
22 Quare hæc sancta civitas in quadro posita est. 389
23 Quare sancta civitas dicitur aurum mundum simile vitro mundo. 391
24 Quare cum lapide jaspidis comparatur Magnus Petrus; indeque ejus apponuntur elogia. 393
25 Quare sanctissimus Apostolus Andreas sapphiro lapide significatur. 397
26 Quare sanctus Jacobus Zebedæi Apostolorum Protomartyr in lapide Chalcedonico adumbratur. 401
27 Quare Joannes Apostolus repræsentatur in smaragdo lapide. 407
28 Quare Sardonix gemma adumbrat B. Philippum Apostolum. 411
29 Quare S. Bartholomæus Apostolus in Sardio lapide effigiatur. 414
30 Quare D. Matthæus Apostolus in Chrysolito lapide significatur. 418
31 Quare Beryllus gemma pretiosa denotat S. Thomam Apostolum. 422
32 Quare Topazius lapis pretiosus significat B. Jacobum fratrem Domini, sive Minorem. 426
33 Quare Chrysoprasus repræsentat S. Judam Thaddæum Apostolum. 429
34 Quare sanctus Simon Chananæus, seu Zelotes adumbratur in Hyacintho lapide. 432
35 Quare Amethystus S. Matthiam Apostolum significat. 435
36 Quare in Cœlesti Jerusalem Deus dicitur Templum Sanctorum, cum ipsimet sancti templa Dei nominentur. 439
37 Quare afferentes gloriam, & honorem, non exprimuntur, & quinam sint isti. 441
38 Quare in sancta civitate non introibit aliquid coinquinatum, & agitur de defunctorum animis. ibid.

CAPUT XXII.

QUÆST. PRIMA.

Quare tam accuratè Joannes explicat fluvium Cœlestis civitatis, & quisnam sit iste fluvius. 542
2 Quare in Cœlesti civitate est lignum vitæ ex utraque parte; & quodnam sit hoc lignum vitæ. 445
3 Quare hoc lignum vitæ juxta multos Patres significat Christum D. in Eucharistia. 447
4 Quare sanctissima Virgo Maria, ejusque Carmelitana Religio in hoc ligno vitæ adumbrantur. 448
5 Quare pro magno encomio Beatitudinis dicitur quod Dei servi serviant illi, cum hoc etiam detur in Ecclesia militante. 451
6 Quare cum hæc verba *fidelissima dicantur* in exordio *libri revelata Joanni*, nunc dicuntur *ostensa servis Dei*. 452
7 Quare Joannes Angelum nunc iterum voluerit adorare, cum antea fuisset prohibitus ab Angelo. 453
7 Quare Joanni hic mandatur non obsignare sed aperire librum Prophetiæ, cum tamen ipsi alibi, ac aliis Prophetis jubetur obsignare. 454
8 Quare in præsenti ita Angelus loquitur qui nocet, noceat adhuc, & qui sanctus est sanctificetur adhuc, & quisnam sit sensus horum verborum. ibid.
9 Quare in *serie* peccatorum canes ponuntur primo loco, & quid pro eis intelligatur. 456
10 Quare Christus D. dicitur genus, & radix David, stella splendida matutina, dum misit Angelum suum testificari Apocalypseos verba. 457
11 Quare qui spiritu Dei vocantur, alios etiam vocant, ut veniant. 458
12 Quare D. Joannes tam diras pœnas fulminat in apponentem vel diminuentem, aliquid de libro hoc. 459
13 Quare tremendum Dei judicium tam sæpe videJoannes exorat, atque exoptat. ibid.
14 Quare tam sollicitè ad calcem operis Joannes omnibus exorat gratiam. 460

INDEX

Rerum Memorabilium, quæ in hoc secundo Volumine Apocalypseos continentur.

Litera C, indicat Cap. N, Numerum marginalem.

A

Abjectus.



Abjecti, & humiles majora sibi volunt occupare loca. cap. 12 n. 70 & seqq.
Si quos amaveras, ac honoraveras, videas dejectos, adversùs eos consurgis. 17.288 & seqq.

Abundantia.

Grande peccatum, quod ex abundantia committitur. 17.74 & seqq.

Accommodare.

Tempori, ac loco accommodandum. 12.630 & seq.

Acceptio personarum.

Deus non est acceptor personarum. 19.434 & seq.

Accusare, seu Accusator.

Conscientia, & peccatum nos accusant. 12. 563
Justus est accusator sui, injustus aliorum. ibid. n.564
Valde durum cum accusatoribus, ac delatoribus vivere. ibid. 566 & seqq.
Ille, qui se priùs accusat, non accusatur à Diabolo. ibid. 575

Adversitas.

Divini animi est, quòd solus sit in adversis, & quod in prosperis quærat socios. 19.359 & seqq.
In adversitate justi manifestantur. 20.46

Adulatio, vel Adulator.

Verba adulantium efficaciter trahunt. 12. 309 & seq.
Plus persequitur adulator, quàm tyrannus. 12.310
Adulantium, ac iniquorum magistrorum voces sollicitant Dei iram. 16.132
Adulantibus dantur obsequia, quæ veracibus denegantur. 17.82 & seq.
Adulatio omne pulchrum, ac elegans virtutis destruit. 22.101 & seqq
Adulari idem est, ac maledicere. 102
Acerbior adulatio, quàm quælibet injuria. 104

Affectus.

Affectus terrenorum bonorum, etiam voce belluæ trahit homines ad facinora. 13.221 & seqq.
Mundani affectus quantam miseriam pariant. 14.197
Voluptas terrenorum nos submergit. 17.35
Minima ex immoderato affectu damnantur. 18.168

Agnus.

Ingens gaudium beatorum in nuptiis Agni. 19.26
Agnus Eucharisticus sine macula convivas puros exigit. ibid. 113
Christus, ut Agnus immolari voluit pro sua Ecclesia. ibid. 115
Agnus multipliciter dicitur lucerna cœlestis civitatis. 21.611

Albus.

Color albus signum gaudii, & victoriæ. 29. 347

Alleluja.

Quid significet. 19.12
Cur vox Hebraica retineatur.
Cur tam frequenter in Ecclesia; & tempore Quadragesimæ non dicitur. 14
Hoc nomen, *Alleluja* erat apud Christianos primitivæ Ecclesiæ. 15
Prima vox, quam docebantur filii dicere, erat *Alleluja*.
Cum multo jubilo, ac lætitia decantanda. 16
Vox, *Alleluja*, miracula est operata. ib. 15
Quare cœlites in Apocalypsi quatuor dicunt Alleluja. ibid. 40 & seq.

Ambitio, Ambitiosus.

Ambitio valde celeriter ponitur. 12.443
Ambitiosus nullos socios secum vult habere. 446
Ambitio omnes seditiosos motus excitat. 447
Qui excelsa ambit, prælia, & seditiones sustinebit. 449
Ambitio nescit esse sola, sed velut pestis plures inficit. 12.492 & seqq.
Ambitionis affectus ut pestilentia totum orbem inficit. 12.499 & seq.
Non contentus sua sede, qui omnia vult perire. 12 501 & seqq.
Ambitio in una dignitate non quiescit. 13 18

Amethystus.

Gemma pretiosa, veluti quasdam flammas fundit. 21.578
Nominis Etymologia.
In Rationalis Sacerdotis.
Ejus virtutes, ac proprietates. 579
Significat. D. Mathiam Apostolum. 580

Amicus, Amicitia.

Amicus hujus Mundi, gratia sui plorat in aliorum ruina. 18.121
Amici hujus sæculi in felicitate adhærent tibi, in adversitate deserunt. 18.138

Amor.

Verus amor in otio torquetur, in laboribus jucundatur. 13.128
Amor fœmineam imbecillitatem excludit, & virilem comparat. 14.96
Impii fomenta amoris vertunt in odium. 17. 284
Amor omnia facit communia. 21.344

Amor Dei erga nos.

Ob amorem vita veluti mors erat Christo dum non patiebatur, & mors illi erat tanquam vita dum patiebatur. 13.126 & seqq.
Amor Christi erga nos semper novus, nunquam veterascit. 19.83 & seqq.
Christus sic morte delitiatur, ut cum sua Divinitate conjungat. 19.319 & seqq.
Christus sic gloriatur de morte, ut ante splendorem Divinitatis ostendat. 320
Verbum Divinum, mortis desiderio, delectatur sanguine. 321
Tota Christi voluntas in sanguine effuso. 322
Christus apparet Rex mortis signo, & non splendore Divinitatis. 19 390 & seqq.

Amor nostri in Deum.

Amore Dei, & proximi celeriter ascenditur in Cœlum. 12.601
Amore, & timore volat anima in Cœlum. 603
Amor Dei elevat, amor sæculi submergit. 17 38 & seq.
Deus ardentissimè amandus est. 21 99

Andreas.

Andreas Deo amabilis. 21.263
Andreas idem est ac virilis, & fortis ibid. 264
Andreas de labore transit ad laborem.
Merces gloriæ Andreæ non potest verbis explicari. ibid. 265
Andreas exterius homo apparebat, interius quid divinum erat. 21.266 & seqq.
D Andreas adjuvat suos devotos in bello.
Primum Christi verbum in exordio prædicationis cum Andrea. ibid 269
Andreas unus & singularis est, & non habet secundum. ibid.
Primus intuitus oculorum Christi in Andream. ibid. 270
D. Andreas in eodem habitaculo cum Christo. 274
Quot & quanta mysteria Andreas acceperit à Christo non possunt verbis explicari.
Andreas primus Christum appellavit Messiam. ibid 272
Andreas ex omnibus primus est, qui Christum sequitur. 21.273 & seqq.
D. Andreas ardentissimè Christum quærebat. 276
Andreas ardentissimus de salute hominum. ibid. 276 & seq.
Andreas quotidie missam celebrabat orans pro vivis & mortuis. 278
Petrus claviger Regni cœlorum, Andreas claviger Regis Regum. 277
D. Andreas præclarus prudentia, considerans rerum naturam, & non requirens miracula. 21.280 & seq.
D. Andreas præ humilitate non audebat apparere coram Dmino. 279
D. Andreas plusquam triginta mortuos una die suscitavit. ibid. 282 & seq.
Andreas veluti habet claves mortis.
Crux dulcissima B Andreæ. 21.284 & seqq.
Andreas Divina fortitudine resplendet. ibid. 287
Andreas gaudet in cruce, ac passione. ibid. 288
Honoratur B. Andreas à Christo, Martyrio crucis. ibid. 289

Angelus.

Magnus numerus Angelorum, & boni plures, quàm mali. 12.325 & seq.
Qualenam fuit peccatum Angelorum. 12. 439 & seq.
Angelus, nomen est officii, non naturæ. 12. 467
Angeli maximè gaudent de hominum salute. 12.548
Magna hominum dignitas quod ab Angelis fratres dicantur. 12.572
Maximè oblectantur Angeli dum hominum saluti consulunt. 12.573
Angeli divinæ justitiæ administri. 14. 3 1[1] & seqq.
Angelorum decus iniquos punire. 14. 321 & seq.
Angeli præsentes adsunt, cum peccator est castigandus. 15.118 & seq.
Angeli promptissimi ad sua ministeria. 15. 137
Angeli nobis demonstrant viam ad cœlum. 19.422
Angelus tutelaris maximè sollicitus de nostra salute 21.49
Angeli descendunt ad terram, cùm in ea Christus degebat. 21.50

Animositas.
In prosperis, ac adversitatibus eadem sit hominis animositas. 19.428
Antichristus.
Antichristus valde crudelis futurus. 13.8
In Antichristo omnium peccatorum malitia recapitulata. 13.9
Crudelitas Antichristi, ac ipsius ministrorum inexplicabilis. 13.30
Antichristus omnibus vitiis maculatus. 13.58
Antichristus maximè crudelis. 13.61 & 63
Antichristus maximè luxuriosus. 62
Antichristus terrore, ac metu vult Deus haberi. 13.93
Antichristus blasphemiis plenus. 13.106
Prodigia quæ faciet Antichristus, mendacia, & falsa erunt. 13.209
Quo idiomate loquetur Antichristus. 13.261
In nomine Antichristi includitur omnis labor, & miseria. 13.264
Tam dura erit persecutio Antichristi, ut ad suorum adjuvamen descendat Christus. 19 223
Victoria de Antichristo multiplex. 19.290
Antichristi arrogantia confunditur. 19.394
Horribilis mors, & interitus Christi. 19.466 & seqq.
Tempus Regni Antichristi. 469
Locus mortis Antichristi. 470
Tempore Antichristi illustrissimi futuri sunt Sancti. 20.49 & seq.
Antiquitas, seu *Antiqui*.
Zelus antiquitatis rabidissimus in juniorum felicitates. 21.529 & seqq.
Antiqui juniorum glorias non possunt sustinere.
Audire.
Qui Dei lege illuminatur, ejus verbum audire contemnit, rigide punitur. 18.119
Apocalypsis.
Valde indubitata est auctoritas Apocalypseos. 22.104
Angelus annuntians Apocalypsim, inde sibi auctoritatem conciliat. 22.109
Apocalypsis summa veritas. 110
Christus Apocalypsi maximè illustrat, ac illuminat suam Ecclesiam. ibid. 111
Inter cæteros libros magna est utilitas Apocalypseos. ibid. 112
Inter cæteros libros Apocalypseos auctoritas maximè veneranda. ibid. 121 & seq.
Veritas Apocalypseos maximè commendatur. ibid. 124
Doctrina Apocalypseos, adeo sublimis, ut à solo Christo possit manifestari. 19.198
Apocalypseos veritas maximè commendatur. 22. 61 & 63
Maximè intendit Deus ne quis dubitet de veritate Apocalypseos. ibid. 65 & seq.
Doctrina Apocalypseos maximè utilis, & necessaria. ibid 67
Joannes inter multa sua dona accepta insigniter gratificatur, ut quid maximum revelationes Apocalypseos. ibid. 75
Apocalypseos doctrina valde necessaria. ib. 79
Apostoli.
Apostoli virtute, ac doctrina uniti. 21.602
Christus in tantum æstimat Apostolos ut sua illis communicet. 603
Apostoli Ecclesiæ corona & præ cæteris gratiores. 12.52 & seqq.
Apostoli Ecclesiæ gloria & honor. ibid.
Per doctrinam Apostolorum ingreditur in cœlum. 21.163
Apostoli alii sanctis excellentiores.
Apostoli Ecclesiæ fundamenta. 21.168
Apostoli unanimes charitate & doctrina.
Vir Apostolicus, etsi exterius appareat homo, interius est quid divinum. 21.267
Appetitus.
Vide *Affectus*, vel *desiderium*.
Appetitus terrenus maximè obcæcat. 12.329
Justi maximè exultant, cum deficiunt appetitus carnales. 19.433
Avaritia seu *Avarus.*
Hominum insatiabilis avaritia. 13 16
Avarus aurum tanquam Deum adorat. 13 228
Avarus dolo, ac fallitate plenus. 18.266
Ubi est avaritia, nulla est veritas. ibid.
Principes dediti avaritiæ ut subditorum bona rapiant. 18.268
Aulicus.
Aulicus exterius pulchram apparentiam, interius horrorem cohibet. 13.58
Intimus familiaris Regis venerandus. 19.206
Aurum.
Qui lucrum quærit, id adorat in quo est aurum. 13.87 & seqq.
Homines aurum tanquam Deum adorant. 13.228
Auri splendor obcæcat, ne bona cœlestia videamus. 17.121 & seq.
Aurum libidinis fomentum. 17.125 & seq.
Ex auro seu pecunia mors, & laqueus. 18.45 & seq.
Aurum ligat ministrorum manus ne justitiam exequantur. 18.238 & seq.
Non contemnitur aurum ab eo qui per illud tenuit honorem. 18.272
Auxilium.
Dei auxilium adest in magno periculo ac tentatione. 12.383
In omni persecutione ac labore adest Dei auxilium. ibid. 420

B

Baptismus.
PEr Baptismum purificamur, ac mundamur. 15.33
Per Baptismum recuperantur mala illata per peccatum originale. ibid. 34
Per baptismum recuperamus gratiam amissam. ibid. 35 & seq.
Per baptismum omnia fiunt lucida ac clara. 37
Baptismus replet nos donis Spiritus sancti. 15. 38
Per baptismum datur victoria, & ab inimicis protegimur. 15.39 & seqq.
Bartholomæus.
Bartholomæus ex regali sanguine. 21.398
Virtus Bartholomæi multum Deo placet. 400 & seqq.
Quid significet Bartholomæus. ibid. 403
Bartholomæus suspendit omnes labores, & persecutiones. 404 & seqq.
An Bartholomæus sit Nathanael? 409
Sincerus ac purus affectus nostri Apostoli.
Bartholomæus primum prædicat Christum filium Dei. 21.410 & seq.
Bartholomæus admirabilis in frequentatione orationis. ibid. 412 & seq.
Bartholomæus multùm participavit de Christi affectu in oratione. ibid. 413
Bartholomæus in perpetua vigilia. ibid. 414
Bartholomæus singularis in suo martyrio. 21. 415 & seqq.
Excoriatio singulare Martyrium uni Bartholomæo reservata. ibid. 418
Bartholomæus excedit perfectiones aliorum Sanctorum. ibid. 419
Excoriatio in Bartholomæo summa Martyrii exaggeratio. ibid. 420 & seqq.
Extrahitur pellis Bartholomæo in signum ejus puritatis.
Bartholomæus, dum ligat Diabolum, Angelus est. ibid. 423
Bartholomæus ad Christi imitationem ligat Diabolum, & spolia ejus detrahit. ib. 425
Beryllus.
Gemma pretiosa magnæ æstimationis apud antiquos. ibid. 460
Cujusnam sit coloris. ibid. 461 & seq.
Ejus proprietates. ibid. 463
Beatitudo, seu *Beatus.*
Requies beatitudinis operibus comparatur. 14.254
In beatis summa unitas, ac concordia. 19. 7 & 21.604
Beatitudo non verbis, sed operibus habetur. 19.93 & seqq.
Beati habent intimam similiaritatem cum Deo, & inter se. ibid. 72
Multi volunt beatitudinem, sed nolunt operari ad illam. ibid. 103 & seqq.
Etsi de beatitudine multa sciamus, adhuc majora cognoscenda restant. ib. 135 & seqq.
Quidquid pertinet ad cœlestem gloriam, ineffabile est. ibid. 136
Cœlestis gloriæ magnitudo, nullis verbis potest explicari. ibid. 137 & seq.
In beatitudine summa pax, & quies. ib. 150
In beatitudine, ac gloria Electorum ostenditur divina bonitas. ibid. 192
Beatitudo maximè firma, & stabilis. ibid. 206
In beatitudine nec in civitate, nec in corporibus beatis erit aliquid indecens, vel incompositum. ibid. 218
In cœlesti Curia nihil est absconditum, nec occultum. ibid. 220
Beatitudo cœlestis perpetua, & firma. ib. 223
Per labores, ac pressuras ad cœlum ascenditur. ibid. 225 & seqq.
Beatitudo germen crucis, & passionis. ib 306
Mira jucunditas, ac suavitas cœlestis beatitudinis. 22.10
Sensus externi in beatis exercent suas sensationes. 22.22
Omnibus beatis non datur idem Præmium. ibid. 22.24 & seq.
Magnitudo beatitudinis non facit aliorum immemores. ibid. 74
Blasphemia.
Homo excelsus alienus à fide in blasphemias prorumpit. 13.40
Quid sit blasphemia. ibid. 42
Iniquus septem blasphemias dicit in Deum. ibid. 41 & seq.
Blasphemus omni dignitate, ac decore indignus. ibid. 42 & seqq.
Blasphemia inter omnia scelera gravissimum peccatum. ibid. 108
Blasphemus non se, sed Deum arguit iniquitatis. 16 92
Bellum.
Bonum bellum, per quod rumpitur pax mala. 12.344
Vir magnus ad bella currit, honores fugit. 12.387 & seq.
Bellum Angelorum, quomodo factum est. ibid. 432
Pro vera religione bellum gerendum. ibid. 470
Princeps nonnisi lacessitus bella moveat, & hoc justa de causa. ibid. 471
Bellum cum Diabolo à nobis gerendum. ibid. 540
Reges bella movent pro suo imperio dilatando. 17. 224 & seq.
Bella ac dissidia maximè in aulis principum versantur. ibid. 247
In bello majus auxilium à viris justis, quàm à ducibus 18.20
Bellum cum justitia agendum. 19 222
Qui fortiter pro Deo pugnat cum magna gloria evehitur in cœlum. ibid. 347
Benedictio.
Qui à magna benedictione ruit in altum præcipitium vadit. 12.323
Beneficium.
Beneficium, quod brevi tempore durat, idem est ac si non fuisset. ibid. 262 & seqq.
Beneficentia propria regalis virtutis. ibid. 622 & seqq.
Qui umbram beneficii à Deo habet, totum habebit. 13 134 & seqq.
Dei voluntas est benefacere homini. ibid. 233 & seqq.
Beneficia quæ à Deo veniunt, firma & stabilia ibid. 208 & seqq.
Beneficia tum maximè venerantur, cùm sunt completa & perfecta. 15.83
Justus eò magis humiliatur quò majora beneficia recipit. 19.19
Pro beneficiis populi Princeps, & Sacerdos gratias agat. ibid. 31
Quo majora beneficia homo accipit à Deo, eum magis timere, ac revereri debet. ibid. 32 & seqq
Beneficium maximè gratificandum. ibid. 19.
Dei beneficia luce clariora. ibid.
Valde regium dare beneficia absconder & occultare. 21.449 & seqq.

Benignitas, seu Benevolentia.
Benignitas, & severitas conjungenda. 15. 142
Magna benignitas est malum, ac iniquum à republica expellere. 16. 56
Benignitas, & severitas in principe. 19. 396
Dei benignitas justis est ad firmitatem, iniquis ad livorem. 20. 108
Bona.
Omnia nostra bona Deo referenda. Vide *Gratus*.
Bona divina, seu spiritualia.
Si aliquid boni, vel doni à Deo venit, tibi totum habebis. 13. 134. & seqq.
Quæ sunt Christi firma, quæ mundi debilia 14. 15
Homines Dei dona suaviter data contemnunt, & labores mundi quærunt. 17. 68
Ex malis juxta positis bona habent majorem decorem. 17. 296
Bona temporalia.
Cæcitas impiorum in mundanis bonis stabilitatem promittit. 18. 97
Bona temporalia dimittenda, ut ad Christum venias. 19. 425. 426
In bonis temporalibus nil solidum, sed omne vanum. 21. 23. 24
Temporalia bona involvunt lachrymas, non sic cœlestia, 21. 85
In temporalibus ante omnia consideranda illorum obscuritas. 21. 439
Amentia in temporalibus velle requiem. 17. 36. 37
Bona temporalia parva, & angusta. 17. 11
Bona temporalia, etsi videantur dulcia, sunt valde amara. 17. 116. & seqq.
Bona temporalia obcœcant oculos ne bona cœlestia videamus. 17. 122
Temporalia bona libidinis, ac perditionis fomentum. ibid. 125. 126
Miseria à temporibus aliquid boni sperare. 17. 175. 176
Sub temporalibus multa mala latent, quæ justus agnoscit. 17. 277. 178
Bona temporalia multo labore acquisita citissimè volant, & transeunt. 17. 239
Citissime temporalia bona à suis amatoribus concutiuntur. 17. 286. 287
Qui diligit bona temporalia ab eis devoratur, qui contemnit ab illis sustentatur. 12. 44. & seqq.
Temporalia maximè impediunt affectum æternorum bonorum. 12. 251. & seqq.
Bona creata in possessione vilescunt, & despiciuntur. 12. 460. & seqq.
Bona temporalia dolorem, ac inquietudinem pariunt. 18. 154
Evacuetur anima temporalibus rebus, ut impleatur cœlestibus. 12. 628. 629
Anima deserta à temporalibus Christi dolcrima pascitur. 12. 632
Temporalia corpus, & animum affligunt, non sic verò spiritualia. 12. 636. 637
Tunc cœlestia intuentur, quando terrena abeunt in oblivionem. 12. 642
Iniqui in bonis temporalibus respiciunt externum splendorem, justi autem internum horrorem. 13. 91
Qui contemnunt temporalia bona, æterna requie fruuntur. 14. 157
Bonis temporalibus non confidendum. 14. 192. & seqq.
Bona temporalia quantò magis florent, eo citiùs evanescunt. ibid.
Mundi flores in labores, & afflictiones desinunt. 14. 200. & seqq.
Bona, quæ pro Deo dantur, locupletiùs habentur. 14. 303. 304
Omnia mundialia bona vitrea. 15. 49
Bona temporalia gravant, & mergunt possessores suos. 15. 62. & seqq.
Bona temporalia citò evanescunt. 16. 130
Cadere, seu Casus.
Qui ab alto culmine labitur in majorem ruinam cadit. 17. 323. & seqq.
Cælum, seu Cælestia.
Patria cœlestis à malo libera, & omni bono repleta. 22. 47
Cœli post diem Judicii secundum substantiam mutandi. 12. 10. 11
Cœlum Empireum non innovandum. ibid.
An in cœlo dentur arbores, flores, & poma. 22. 15
Cœlum tripliciter sumitur. 12. 89
Mens fidelis relinquit terrena, & ad cœlestia elevatur. 12. 12. & seqq.
Quo pauciores creaturæ fulgent, eo certius tendimus in cœlum. 12. 219
Dona cœlestia multò majora, quàm ea quæ dantur in terris. 12. 221
Ut anima cœlestibus donis repleatur, cor evacuetur à mundanis rebus. 12. 628. 629
Tunc cœlestia contemplantur, quando terrena abeunt in oblivionem. 12. 642
Terreno amore obcæcatur homo, ne terrena aspiciat. 18. 208. 209
Cœlestia non possunt percipi nisi tantùm per similitudinem. 19. 67
De visibilibus ad invisibilia ascendimus. 21 5
Ut ad cœlum transeamus laborandum in hac vita. 21. 73
Calamitas.
Gravissima calamitas irruens in medio gaudii. 18. 114
Canticum.
Varia sanctorum cantica secundum suas prærogativas. 14. 84
Quilibet sanctorum cantat quasi canticum novum. 85. ibid.
Cantus.
Canentibus divinas laudes adjunguntur Angeli. 19. 52. 55
Caro seu Carnalia.
Carnalia desideria maximè attrahunt. 12. 663
Immunditia carnis obstaculum ponit ad videnda cœlestia. 14. 6
Carbunculus.
Carbunculus omnium gemmarum pretiosissimus. 21. 290
Cur carbunculus dicitur Chalcedonius. 291. ibid.
Carbunculus mirificè resplendet, & lucet. ib.
Carmelita.
Carmelitana Religio adumbratur in ligno vitæ ex utraque parte fluminis. 22. 38
Titulus Virginis Mariæ de Monte Carmeli illustrissimus, sub illoque multa bona derivantur. 39. ibid.
Carmelitæ Virgini Mariæ consecrati magnos producunt fructus. 40. ibid.
Scapulare è manibus Virginis magnam vim habet ad dandam salutem. 41. ibid.
Maria Scapularis veste suis impetrat cœlestem benedictionem. 42
Magna est excellentia Scapularis super alias vestes. ibid. 41
Scapulare ut turris fortissima custodit, ac tuetur. ibid. 44
Virgo Carmeli mediatrix vivorum, ac mortuorum. ibid. 45
Castigare.
Castigatio facit ad meliorem frugem venire. 12. 441
Vide *Pœna supplicium*.
Castitas.
Castitas, ac puritas acuit mentem ad Deum videndum, ac contemplanda divina. 14. 4. & seqq.
Christus delectatur adesse cum castis. 14. 11. & seqq.
Castitas virtus principalis, ac principum. 14. 40. 41
Castitas, ac virginitas corporis castigatione comparatur. 14. 58
Castitas virtus celeberrima, & totum Mundum implet. 14. 60.
Luxuriosæ rei contactu perit castitas. 14 98. & seqq.
Callus, incorruptus, & sine morte reputatus. 14. 143
Vide *Virginitas*.
Charitas.
Justus ex charitate vult dona sua aliis communicare. 12. 240. & seqq.
Charitas in proximos maximè terrificat dæmones. 12. 616. & 617
Christiana charitas sibi eligit labores aliis verò dat levamen, & salutem. 14. 76. & seqq.
Quæ pro Deo dantur, feliciter adaucta recipiuntur. 14. 302. & seqq.
Charitas Christi procellas tyrannorum tranquillas reddit. 15. 57
Omnes virtutes charitate uniuntur, ac conservantur. 15. 141
Apostolica charitas sibi vult maledictionem, aliis benedictionem. 19. 261. & seqq.
Charitas multa facit unum. 21. 344
Charitas maximè sollicita de aliorum salute. 21. 534. & seqq.
Christus.
Christus liberalior nobis, quàm sibi. 12. 220
Christi præsentia destruit dæmones. 12. 283. & seqq.
Christus nec prosperitate, nec adversitate est emollitus. 12. 370
Christus quasi viquadam à suis separatur, ut in cœlum ascendat. 12. 391. & seqq.
Christus via ducens nos in solitudinem contemplationis. 12. 408
Ex morte, ac passione Christi, destructio peccati. 12. 556
Ex Christo ascendente in cœlum gloria nostra. ibid.
Christus D. liber divina quadam sublimitate. 13. 123
Christus crucifixus liber est, in quo intuemur quæ sunt imitanda. ibid. 124
Vita veluti mors, erat Christo, dum non patiebatur, & mors illi vita est, dum patitur. 13. 126. & seqq.
Christus patitur in suis. 13. 133
Christus gaudet associari puris, & castis. 14. 8. 11. & seqq.
Christus nobis similis efficitur, ut nos reducat. 14. 9
Christus fortis in Passione pugnans contra omne peccatum. ibid. 10
In Christo lux, in Diabolo tenebræ. 14. 19
Christus sibi præoccupavit opprobria, nobis verò dat gloriam. 14. 74. 75
Ille ad Christum venit, qui cum ipso crucifigitur. ibid. 119. 120
Christus, quæ pro nobis egit, in pauca reputat 14. 123
Christus D. demonstratur æqualis patri. 14. 278
Christus Sacerdos, & Rex. 14. 282
Christus nil scit perdere. ibid. 302
Christus per se ipsum dat præmia, supplicia per ministros. ibid. 320. & seqq.
Christus sic humilis, ut cum aliis numerari velit. 15. 155
In solo Jesu vera lux, & splendor. 16. 107. 108
Quod imbecillius videtur in Christo, fortius est mundana potestate. 17. 266
Curistus justi animam ut sponsam, & sororem diligit. 19. 81
Christi amor erga nos tempore non veterascit, sed semper novus. 19. 82. & seqq.
Christus ut suis subveniat velocissimus. 19. 225
Christus judex benignus justis, severus peccatoribus. 19. 281
Christus nostris virtutibus, & operibus coronatur. 19. 290. 2 f
Tota vita Christi plena certamine, inde multiplex corona ei debetur. 19. 292
Christus habet coronas non sibi, sed nobis. 294
Christus potius agit de nostro commodo quam de sua gloria. ibid. 295
Magna corona Jesu suos coronare. ibid. 296
Christus valde formosus, & decorus in Passione sua. 19. 314
Christus in se suscepit nostra peccata ut pro eis satisfaceret. ibid. 315
Christus pro nobis multoties sanguinem fudit. 19. 317
Christus sic de morte delectatur, ut cum sua divinitate conjungat. 19. 319. & seqq.

Christus ad salvandum solus venit, ad puniendum cum multis. 19. 357
Christus rex natura, & merito. ibid. 380
Christus Rex reges suos facit. ibid. 381
Christus manifestatur Deus suis operibus, ac servorum suorum. ibid. 382
Christus magis voluit ici, ac cognosci Rex ex merito, quam ex natura. ibid. 383
Christus se Regem ostentat mortis signo, & non splendore divinitatis. ibid. 390. & seqq.
Christus Rex suos facit Reges. ibid. 397
Christus nos ducit ad gloriam, Diabolus deiicit in Infernum. 20. 6
Christi morte cœlum est apertum, & infernus clausus. ibid. 7
A Christi imperio Diabolus fugit, & recedit magno impetu. ibid. 8. & seqq.
Christus confregit vires Diaboli. ibid. 23 24. 25
Christus ut pugnans stat pro suis, Judex sedet. ibid. 133
Ad Christum in terra descendunt Angeli. 21. 50
Christus nostrum luminare, ac splendor. 21. 145
Christus muros suos custodiens, ac defendens. ibid. 151. & seqq.
Sub Christo omnia nostra sunt tuta, & secura. ibid. 152. 153
Qui Christum secum habet nil timeat. ibid. 154
Christus principalis lux cœlestis civitatis. ibid. 155
Christus omnibus Electis dat vitam. 22. 18
In Christo omnia bona. ibid.

Christianus.

Christianus Christo munitur, ac corroboratur. 12. 613
Hebræi olim signabantur ut pecora, Christiani ut filii. 13. 2
Pudicitia, & modestia ostendit Christianos. 14. 2

Chrysopræsus.

Gemma pretiosa, & cujus coloris sit. 21. 518
Nominis Etymologia. ibid.
Ejus virtutes, ac proprietates. ibid 519

Chrysolitus:

Gemma pretiosa, cujus sit coloris. 21. 429
Juxta Abulensem igneam habet lucem. ibid. 430
Proprietates ad multa medicamenta. ibid. 431
D. Matthæum significat. ibid. 432

Civitas.

Civitas unione firmata ab adversariis non irrumpitur. 20. 98
Civitas cœlestis durabilis, & permanens; mundana verò instabilis & corruens. 21. 223. & 224
Sanctæ civitatis amœnitas eximia. 22. 6

Clementia.

Vide *Benignitas.*

Cogitatio.

Non solum opus malum, sed etiam illius cogitatio reprimenda. 17. 139

Cognitio.

Cognitio proprii principii, ac vilitatis efficax remedium ad salutem. 12. 684. & seqq.

Commune seu *Communitas.*

Communitas magis veneranda quam quælibet persona illustris. ibid. 66. 67

Communicare.

Justus vult bona sua aliis communicare. ibid. 241. & seqq.
Justus sua bona vult ut aliis communicentur. 21. 534. & seqq.

Vide *Charitas.*

Concordia.

Ex concordia iniquorum mala in Justos oriuntur. 7. 29. & seqq.

Vide multa, *Unio.*

Confessio.

Peccata abscondita gravant, manifesta in Confessione levant. 15. 27. 28

Conformitas.

Summa perfectio conformitas cum voluntate divina. 21. 194. & seqq.
Conformitas cum voluntate divina producit magnum fructum. ibid. 195. 196
Qui conformatur cum voluntate divina in hoc sæculo jam degustat Dei delectationem. ibid. 297
Conformari cum divina voluntate possessio est regni cœlestis. ibid. 297

Conscientia.

Conscientia nostra accusat nos. 12. 563
Stimulus conscientiæ maximè torquet. 16. 29
Bona conscientia manifestanda superiori. 19. 354. 355

Consolatio.

Sola Dei manus valet miseros consolari. 21. 87

Constantia.

Cæcitas impiorum in mundanis stabilitatem promittit. 18. 95

Contemptus seu *contemnere.*

Contemptu terrenorum præparatur via ad cœlum. 16. 135
Contemnenda terrena, ut ad Christum venias. 19. 425
Qui magna contemnit non adhæreat parvis. 21. 542. & seqq.
Quò quis magis Deo unitur eo magis temporalia despicit. 12. 44. & seqq.
Qui temporalia contemnit, ab eis sustentatur, qui diligit, ab eis devoratur. ibid.
Qui terrena contemnunt, requie æterna fruuntur. 14. 157

Contemplatio.

Vita activa conjungenda cum contemplativa. 12. 606. 607
Tunc cœlestia contemplantur, quando terrena dimittuntur. ibid. 642

Conversio.

Labor ex conversione gentium vertitur in gaudium. ibid. 233. & seqq.
Conversio peccatoris magnum miraculum divinæ omnipotentiæ. 21. 442. & seqq.

Cor.

A corde puro omnia bona profluunt. ib. 538
Cordis puritas Deo placet super omnia sacrificia. ibid.
Puritas cordis super aurum æstimabilis. ibid. 540
Cordis munditia maximè placatur Deus. ibid. 541

Corona.

Diadema unde dictum. 19. 287
Christus nostris operibus, & virtutibus coronatur. ibid. 290
Deus in nostro certamine coronat, & coronatur. ibid. 291
Magna corona principi, suos coronare. 19. 296

Crudelis crudelitas.

Impii reges crudeles pro conservando, ac dilatando suum Imperium. 17. 102
Humana potestas crudelis. ibid. 103. 104. 105
Potestas sæpe tendit ad crudelitatem. ibid. 225 & seqq.
Crudelitas a lascivia generatur. 13. 64. 65
Ecclesiasticus deficiens à via Dei multum crudelis. 13. 176. & seqq.
Crudelis quanto magis sanguinem fundit tanto magis sanguinem sitit. 16. 72. & seqq.

Crux.

Crux lignum vitæ. 22. 17
Crux fortis, & validissima ad superandas contrarias potestates. 12. 378. & seqq.
Qui à se repellit crucis virtutem in multa peccata incidit. ibid. 381
Sub Crucis umbra, victoria certa. ibidem 608. & seqq.
Crux salutaris inimicos destruit, & ab ea omne nostrum bonum. 13. 240. 241
Ille ad Christum venit qui ejus Crucem amat, & non refugit. 14. 119. 120
Crucis signo Diabolus expellitur. 20. 39. 40
Crux triumphalis currus Christi. ibid. 40
Per Crucem victoria, ac lux totius Mundi. ibid. 41
Crux nobis pro omni armatura. ibid. 43
Christi majestas, Cruce super omnia resplendet. ibid. 44
Crux cœli firmitas, ac nobilitas. 21. 208. & seqq.
Christi divitiæ per Crucem explicantur. ibid
Christus à Cruce sublimatur, ac exaltatur. ibid. 211
Crucis intuitu lætitia percipitur. 21. 286

Culpa.

Qui particeps in culpa, erit in pœna. 18. 52
Quod inservit ad culpam inservit ad pœnam. ibid. 106

Cupiditas.

Homo terrena cupiditate detentus, voce belluarum movetur ad peccatum. 13. 222. & seqq.
Cupiditas omnes sensus absorbet, & omnes usuras exercet. 17. 14
Cupiditas inordinata avertit à Deo, & ad crimina trahit. ibid. 131
Cupiditas excæcat mentem, ne cœlestia aspiciat. 18. 208. & seqq.
Cupiditas fascinat mentem. ibid.

D

Damnatus.

Cruciatus damnatorum à se ipsis originantur. 14. 207
Pœna damnatorum sine ulla miseratione. ibid. 208
Multa in damnatis confusio. ibid. 217
Damnati versantur in gyrum. ibid. 329
Damnatorum pœna completa, & sine indulgentia. ibid. 332
Quilibet damnatus exactè cruciatur. ib. 333.
Damnati sub aliorum pedibus conculcantur. ibid. 339
Damnati puniuntur corpore & anima. 18. 16
Damnati dæmonibus replentur. 18. 23
Damnati torquentur amore suorum peccatorum. ibid. 207
Damnatus malis afficitur, & omnibus bonis spoliatur. ibid. 250
An in damnatis maneant artes quas habuerunt in hoc sæculo. ibid. 251. 252

Desiderium.

Desiderium pro pretio est Christo. 21. 100
Multi desiderant beatitudinem sed nolunt operari ad illam assequendam 21. 101, & seqq.

Decretum.

Dei decreta valde abscondita. 15. 149

Delitiæ.

Delitiæ Mundi, non sunt delitiæ, sed afflictio & miseria. 17. 136. & seqq.
Delitiosi frigidi, ac inconstantes. ibid. 277
Ubi sunt carnales delitiæ ibi ruina. ibidem 279 280
Impii peccata putant delitias. 18. 42
Divitiæ ad delitias trahunt. ibid. 43
Delitiæ lachrymas pariunt. 18. 91
Stipendium delitiarum, ruina regnorum, ac venenum reipublicæ ibid. 189. & seqq.
Quilibet laborum quærit consortes non verò delitiarum. 12. 490. 491
Delitiæ veluti compedes ad virtutem retardant properantem. ibid. 641
Delitiæ ad desideria carnalia maximè attrahunt. ibid. 663
Delitiæ hujus sæculi breviter transeunt. 17. 115

Delator.

Diaboli est *delatoris* officium. ibid. 525
Delatoris servile ingenium. ibid.
Valde durum cum delatoribus, ac accusatoribus vivere. 12. 566. & seqq.

Desertum.

Solitudo deserti suavis & dulcis meditantibus. ibid. 404
Frequentia populi virtutum noverca, solitudo deserti mater. ibid. 405
Desertum significat cœlum. ibid. 626
Discrimen inter desertum, & solitudinem. ibid. 640

Desiderium.

Vehemens desiderium alicujus rei maximè torquet. ibid 227. & seqq.
Si habetur vestigium illius, quod desideratur, jam teneri videtur. ibid.
Mundus cum suis vanitatibus viro spirituali desertum.

Deiicere.
Vide *Humiliare.*
Deus.
A nullo nobis potest parari Deus nisi ab ipsomet Deo. 12. 430
Deus sic beneficus, ut totus noster sit. ibid. 558
Deus nostrum commodum reputat suum. ibid. 560. 561
Dei gloria in nostris operibus quærenda. 13. 218. & seqq.
Divinitas non vult invitum obsequium. 13. 229. & seqq.
Non ex Deo, sed ex Diabolo est, inferre malum proximo. 13. 232. & seqq.
Deus intuetur cor hominis, & omnia penetrat ac videt. 15. 50. & seqq.
Homo non potest effugere à Dei nutu. ibid.
Deum auctorem recognoscere in beneficiis, valde gratum Deo. 15. 71
Deus ex malis præparat bona. 15. 104. & seqq.
Deus manifestatur in præmiandis justis, & in puniendis peccatoribus, 15 110. & seqq.
Deus per se solum sufficiens est homini. 17. 127. & seqq.
Recusatio divinitatis meritum ad illam probatur, 17. 203
Deus suorum habet curam, ne pœnis peccatorum involvantur. 18. 51
Inter impiorum perditiones Deus suos justos servat incolumes. 18. 55. & seqq.
Summa omnium calamitas quod Deus perdatur Deusque non habeatur. 18. 81. & seqq.
Deus punit cum mensura & pondere.
Vide multa, *Supplicium.*
Deus punit citra condignum. 18. 86
Deo omnia sunt nota, ac manifesta. 19. 283
Deus nostro certamine coronat, & coronatur. 19. 290. 291
Dei natura à nobis inexplicabilis. ibid. 300
Deus non est acceptor personarum. 19. 434. 435
Omnis humana potestas exigua, sola divina potentissima ad perdendum. 19. 475. & seqq.
Deus custodit suos justos. 20. 47
Omnia bona non nobis sed Deo referamus. 21. 60
Deus sua dona gratissimè confert. 21. 100
Desiderium pro pretio est Deo. ibid.
Deus omnia disponit in numero, & mensura. 21. 197. & seqq.
Deus requiescit in sanctis suis. 22. 47
Dei judicium.
Vide *Judicium.*
Dei Misericordia.
Vide *Misericordia.*
Defunctus.
Defuncti acerbam pœnam patiuntur in Purgatorio. 21. 627
Christus in hac vita etiam docuit suo exemplo orare pro animabus Purgatorii. ibid.
Animæ defunctorum adjuvandæ, ut à pœnis liberentur. ibid. 628
Orationibus, ac bonis operibus adjuvandæ animæ defunctorum. ibid. 629
Opus exhibitum pro defunctis gratissimum Deo. ibid. 630
Majus opus subvenire defunctis, quàm viventibus. ibid. 631
Magnum lucrum ex opere exhibito pro defuncto. ibid. 632
Animæ defunctorum orant pro suis benefactoribus. ibid. 633
De defunctis agere proprium est virtutis, ac nobilitatis. ibid. 634
De defunctis agere illustrissimum virtutis opus quocunque alio majus. ibid.
Diabolus.
Diabolus per impios impugnat Ecclesiam. 17. 223
Dæmones frequentant loca deserta. 18. 22
Diaboli non possunt sævire, nisi à Deo permittantur. 19. 430
Christus vires Diaboli confregit, ac in nihilum redegit. 20. 23. & seqq.
Diabolus valde infirmus. 20. 242
Tota Diaboli malignitas non excedit vires unius hominis. 20. 50. & seqq.
Diabolus velocissimus ad tentandum. 18. 6
Diaboli manus super omnia hominis acerba. 12. 582. & seq.
Diabolus dum justos vult opprimere, ipse opprimitur. ibid. 696
Diabolus justos, & sanctos maximè persequitur. ibid. 697. & seqq.
Diabolus non quiescit in justo, sed in peccatore. ibid. 703
Diabolus videtur aliquando à tentatione cessare ut majora moveat tentamenta. ibid. 704
Diaboli potestas debilis, & non potest prævalere contra justum. ibid. 705. & seqq.
Homo malus pejor Diabolo. 13. 50
Homo pessimus, & Diabolus idem reputatur. ibid. 118
Diversa Diaboli membra unum sunt in ratione nocendi. ibid. 171
Sancti de Diabolo triumphant, dum corpora sua citharas Deo exhibent. 14. 68
Diabolus, & reprobi omni turpitudine uniuntur. 16. 10
In Diabolo tenebræ, & obscuritas. 16. 108 & seqq.
Diabolus suos inducit ad immunda. ibid. 167
Diabolus quid significet. ibid. 505
Dæmones multi torquentur in aere videntes homines ascendere in cœlum à quo ceciderunt. ibid. 507
Diabolus multos decipit. ibid. 523
Diabolus ita insanus ut velit Deo crimen inferre. ibid. 525
Diabolus ex invidia nos tentat. ibid.
Satanæ nomen execrabile. ibid. 526
Lucifer constituit duces vitiorum. ibid. 539
Perpetuum bellum gerunt homines cum Diabolo. ibid. 540
Diabolus adversarius noster ex omnibus quærit occasiones nos arguendi. ibid. 562
Diabolus accusat postulans vindictam, ibid. 563
Multa Dæmonum unio, ut hominibus noceant. ibid. 565
Diabolus quod in aliquibus perdit in aliis vult recuperare. ibid. 586
Diabolus, etsi ab aliis impugnatur, à Virgine Maria destruitur, ac deperditur. ibid. 134
Diabolus invidia, ac superbia draco. ibid. 556
Diabolus stimulat adolescentes ad lasciviam. ibid. 257
In omnibus confusionem generat. ibid.
Diabolus verecundatur, cum omnes dignitates ambit. ibid. 259
Diabolus Christum aggrediens ab eo superatur & opprimitur. ibid. 260
Diabolus ad nocendum promptissimus, ac velocissimus. ibid. 264
Diaboli habent maximam aviditatem ad homines perdendos. ibid. 269
Ubi semina sunt peccati, ibi residet Diabolus. ibid. 280
Qui dat ingressum Diabolo in multa degenerat vitia. ibid. 281
Ex Christi præsentia, ac halitu Diaboli vires franguntur. ibid. 282. & seqq.
Per vitia Diabolus regnat in Mundo. ibid. 298
Omnia mala Diaboli corona. ibid. 302
Diabolus id quod non potest apertè, occultè perficit. ibid. 313
Diabolus maximè tentat in fine vitæ. ibid. 316
Diabolus contemnendus. 17. 186
Diabolus intendit devorare Ecclesiæ filios. 12. 335
Diabolus nec victus aufugit sed denuo aggreditur. ibid. 336
Eximia Dæmonis vigilantia ad devorandum. ibid. 337
Diaboli ars unum solitarium appetere, ut perdat. ibid. 338
Cum Christus laudatur, ac prædicatur à suis, ardet Diabolus invidia. ib. 341. & seqq.
Ex invidia Diabolus movet bellum contra Ecclesiam. ibid. 343
Diabolus multa invidia movetur contra Christum. ibid. 350
Diabolus intendebat delere nomen Christi à memoria hominum. ibid. 355
Diabolus maximè persequitur virum justum. ibid. 368
Diabolus per easdem causas quibus ingreditur expellitur. ibid. 472 473
Diabolus cum idolis deiicitur de templis. ibid. 496
Diabolus maximè desiderat nos persequi, & affligere. ibid. 579
Dignitas.
Dignitas in indigno non est ad honorem, sed ad interitum. 17. 236. 237
In dejectos à dignitate insurgunt, qui eos amaverant, ac honoraverant. 17. 288. & seqq.
Dignitas indebita non est ad honorem, sed ad ignominiam. 18. 255. & seqq.
Mundiales dignitates, ac honores pecunia emuntur. 18. 269. & seqq.
Quærere, & affectare loca, & dignitates aliis assignatas ignorantiæ est. 21. & seqq.
Abjecti, & humiles majores dignitates sibi volunt comparare. ibid. 70. & seqq.
Dignitas data, & citò ablata idem est, ac si non fuisset. ibid. 262. & seqq.
Qui ab alto culmine dignitatis labitur in majorem ruinam cadit. ibid. 323. & seqq.
Sæpè qui dignitate à te sublimati sunt contra te insurgunt. ibid. 328
Tunc... fuit respubliea, cùm debitus ordo non servatur sed abjecti, & inferiores majora dignitatum loca tenent. ibid. 339. & seq.
Vir magnus ad pugnam velox ad dignitates morosus. ibid. 387. 388
In sublimitate dignitatis pericula, à quibus custoditur, qui est in humili. ibid. 417. & seqq.
Eligere aliquem ad dignitatem suis viribus imparem est eum deiicere. ibid. 488. 489
Sua dignitate non contentus, & omnia volens ambire, universa perdit. ibid. 501.
Honores, ac dignitates dantur indignis. 13. 37. & seqq.
Per errorem principes dant dignitates indignis. ibid.
Dignitas temporalis sæpè mortifera suis possessoribus. 17. 101
Dignitas ex meritis perseverat, secus sine illis. 47. 106
Dignitas firmatur meritis, sine illis corruit. ibid. 107
Recusatio dignitatis meritum ad illam probatur. 17. 203
Dignitas non est conferenda indigno. 17. 228
Indignus etsi videatur in dignitate illam tamen non obtinet, nec possidet. 17. 233. & seqq.
Diligentia.
Multiplex diligentia necessaria ad expellendum peccatum. 18. 108. 109
Discipuli.
Reverentiam exhibeant magistris. 19. 192
Quæ discipuli docent, magistro tribuuntur. 21. 314
Discordia, seu divisio.
Amor lucri facit lites & discordias. 12. 451. & seqq.
Si iniquus adest turbatio, & discordia est si abest pax. 12. 557
Divisio, & discordia multa mala parit. ibid. 219. & seqq.
Divinatio.
Septem divinationis genera septem draconis capita. ibid. 279
Divitiæ vel Divites.
Vitia consumunt divitias. 17. 155
Nemo suis opibus contentus. ibid 274
Divitiæ ut virtus censentur apud mundanos. 18 41
Divitiæ ad delicias trahunt. ibid. 43
Divitiæ mortem, ac venenum generant. 18. 44. & seqq.

Divitiæ non sunt levamen sed onus. 18.160
Justi divitiis dominantur, & eorum amore non tenentur. 12.200
Divites superbi. ibid. 292
Augmentum divitum fomentum odii, & invidiæ. ibid.296
Cupiditas divitiarum sanctos viros deiicit. ibid.315
Divitiarum abundantia noverca virtutum, illarum paupertas mater. ibid.415. & seqq.
Divitiæ fugaces, & tanquam aqua labuntur. ibid. 666. & seqq.
Dives temporalis, si virtute caret, pauper est. 13.216
Divitiæ gravant, & submergunt. 15. 62. & seqq.

Doctor, seu *Docere*.

Aureola Doctorum in cœlis excellentior aureolis aliorum sanctorum. 12. 199
Justi constantes alios docent in via Dei. 12 375
Doctrina falsa extinguenda, ut ad cœlum transeas. 16.133
Doctor vitiosus maximè fugiendus. 18. 54
Qui alios docet, & in via veritatis dirigit gratior Deo, quam ille qui mirabilia operatur. 19 54.55
Doctor ex sua scientia non tumescat. 19.303
Valde difficilè errantem Doctorem emendare. 21.510
Vide infra *Doctrina*.
Doctor priùs in se exequatur, quæ alios docet. 12.115

Doctrina.

Doctrina nova fugienda. 15. 94
Sapientissimè persuadetur doctrina ore & opere. 15.05
Anima deserta à temporalibus, Christi doctrina pascitur. 12. 632
Doctrina falsa dementantur homines. 18.261
A majoribus minores discunt doctrinam. 22.68. & seqq.

Dolor.

Dolorum consequentia gaudium, exultatio. 12.150
Præ dolore vox comprimitur. 14. 185
Magnus dolor dum videt homo perire ea quæ vehementer amaverat. 18.131.132
Magnus dolor videre destrui illud ob cujus amorem damnatus est. 18. 198
Dolor augetur ex eo quod solus sit. 19.358

Donum.

Dona cœlestia majora, quam ea, quæ dantur in terris. 12.221
Evacuetur anima à terrenis ut repleatur cœlestibus donis. 12.628.629
Dona, quæ è Dei manibus veniunt, firma & stabilia. 13. 268. & seqq.
Quos Deus diligit, magnis donis reficit. 14.19
Dei dona permanentia, Mundi fragilia. 17. 120
Dona ex Deo dant vitam, ex mundo mortem. 17.152
Deus dona negata majoribus sæpe dat minoribus. 19 434 & seq.
Vide *Beneficium*.

E

Ebrietas.

Ebrietas mater omnium vitiorum. 17.167 & seqq.
Ebrietate homo fit dæmon. 168
Ebrietas omne damnum, ac bonum frangit. 169
Ebrietas iram Dei maximè provocat. 170
Ebrietas mulieris maximè abominabilis. 17. 171

Ecclesia, seu *Ecclesiasticus*.

Ecclesia invicta in persecutionibus. 12. 5
Ecclesia persecutionibus nunquam potuit impugnari, sed illis clarescit. 12. 6 & seq. 13.109 & seq.
Ecclesia genere & moribus descendit de cœlo. 12. 11
Ecclesia Christi valde fœcunda ampla, at dilatata est. ibid. 22 & seqq.
Ecclesia custoditur, ac defenditur à Christo. ibid.29
In perpetuum erit Ecclesia refulgens Christo unita. ibid. 30
Non est accessus ad Ecclesiam, nisi per Christum. 31
Veritas Ecclesiæ in luce manifesta. 32
Ecclesia fulcitur, ac sustentatur à Christo. ibid. 39 & seq.
Virgo Maria Ecclesiam munit, ac fulcit. ibid. 41
Ecclesia Christi crescente Synagoga decrevit. 43
Ecclesia triumphans duodecim gaudiis coronatur. ibid. 48
Ecclesia omnibus virtutibus coronatur. 49
Deus omnes benedictiones dedit Ecclesiæ suæ. ibid. 56 & seq.
In Ecclesia quilibet suo officio fungatur. 58
In Ecclesia quilibet sit in suo debito ordine. ibid. 65
Cur Ecclesia Lunæ comparatur. ibid. 141
Ecclesia humiliter Mariam exorat. ibid.142
Præsentia, ac auxilio Mariæ Ecclesia de hostibus triumphat. ibid. 144
Maria in utraque Ecclesia velut Sol. 146. & seq.
Ecclesia hæreticos persequitur, ac interficit. ibid. 225 & seq.
Ecclesia cum multis laboribus parit filios Christo. ibid.226
Ecclesia etsi laborat in partu sobolis, multitudine tamen gaudet. ibid.233 & seqq.
Ecclesia oratione se defendit, ac triumphat. ibid. 612
Ecclesia veluti Aquila filios suos examinat. ibid. 614
Ecclesia hæreticorum impugnatione non obruitur, sed magis fulget & splendet. ibid. 655 & seq.
Ecclesia per hæreticos non potest submergi. ibid.665 & 20.99
Graviter puniuntur, qui contra Prælatos Ecclesiæ insurgunt. 12.683
Qui ex gentilitate veniunt ad Ecclesiam, ejus decor adaugetur. 13.120 & seq.
Ecclesiasticus deficiens à Deo, & vitiis serviens multum crudelis. ibid. 176 & seqq. & 186 & seq.
Ecclesia pura sine macula. 14.280
Ecclesiæ porta semper aperta. 15 116
In viro Ecclesiastico multa constantia necessaria. 18 11 & seqq.
Ecclesia multipliciter dicitur sponsa Christi. 19.7879
Deus revelat sua secreta Ecclesiæ, quæ impiis sunt abscondita. 12. 302
Persecutores Ecclesiæ infausta morte perierunt. 19.467
Ecclesia gloriosè regnat in Martyribus. 20. 53
Summus amor inter Christum, & Ecclesiam. 21.127

Electio.

Magna gloria inter magnos & præclaros eligi. 21.373 & 495
Vide *Dignitas*.

Eloquentia.

Semimo blandus & eloquens pronus ad decipiendum. 12.516
Vide *lingua*, vel *loqui*.

Elias.

Elias, & Enoch duæ Ecclesiæ alæ. 12. 596
Elias scripsit regulam Monachorum. 14.168
Elias Angelus volans per Ecclesiam habens Evangelium æternum. 14.168
Opera Eliæ maximè superant humanam mentem. 169
In eo visitur spiritus Eliæ quem Spiritus Sanctus suis donis replet. ibid. 170

Evangelium, seu *Evangelista*.

Evangelistæ pleni scientia, & charitate. 14.165
Vide *Scriptores Sacri*.

Eucharistia.

Per sumptionem Eucharistiæ Christus transformatur in nos. 12.35 & seqq.
Per Eucharistiam induimus Christum.
Anima à terrenis separata pie, ac fructuosè recipit Eucharistiam. ibid. 425 & seqq.
In Sacramento altaris uniuntur fideles Christo. 17.274
Ad Deum recipiendum magna dispositio necessaria ex ipso Deo. 13.132
In Eucharistia dantur nuptiæ inter Deum, & hominem. 19.96
In Eucharistia datur summa unio inter Deum & homines. ibid. 96 & seqq. & 116 & seqq. & 22. 38
Deus Sacra Eucharistia oblectatur, ac jucundatur. 19.101 & seqq.
Eucharistia gaudium, ac lætitia totius Trinitatis, ac ipsius Christi.
Dum Christus in Eucharistia nos pascit & seipsum pascit. 105
Ob Eucharistiam magnum gaudium hominum & Angelorum. 19.107 & seqq.
Solemnitas, ac festivitas Eucharistiæ pertinet ad Angelos beatos, ac homines. 19 108
Insensibilia exultant ad intuitum Sacræ Eucharistiæ. 19.110
Agnus Eucharisticus sine macula puros convivas exigit. 19.113
Virilis fortitudo requiritur ad Eucharistiam percipiendam. ibid. 114
In Eucharistia fit homo unum cum Christo. 19.116 & seqq.
Sic Christus in Eucharistia unitur cum homine, ut ex parte sui nunquam ab eo discedat. 117. & seqq.
Qui ad Sacram Eucharistiam accedit exuat vetustatem vitæ & novitatem induat. 19. 121 & seqq.
Quotidie innovandus est homo ad Eucharistiam. 123
Accipiens Eucharistiam debet innovari non solum re, sed etiam nomine. ibid. 125
Virgo Maria abundantissimè nobis præbet Christi panem. ibid. 127 & seqq.
Christus quod ex *Virgine Maria* accepit maximè ostentat in hoc sacramento. 129
Maximè se debet homo probare, ac examinare antequam ad Christi mensam accedat. ibid. 144 & seqq.
Solus ille, qui Deum valet videre dignus est ut ad Eucharistiam accedat. ibid. 148 & seqq.
Eucharistiæ delicie Angelorum. 149
Angeli, etsi puri & sancti ut ad Ecclesiam accedant se debent mundare. 149
Qui digne communicat in se jam habet quodammodo æternam felicitatem, ac beatitudinem. ibid. 163 & seqq.
Deus cum homine in Eucharistia suis delitiis perfruitur. ibid. 165
Cum Eucharistia inchoatur beatitudo in hac vita. 167
Dona gloriæ, non verò Eucharistiæ possunt explicari. ibid. 169
In mensa Eucharistica sunt omnia quę desiderari possunt. ibid. 170 & seqq.
Solo pane Eucharistico anima nostra satiatur.
Una mica Eucharistię plus satiat, quàm omne Regnum. 172
Sacra Eucharistia nostra quies & requies. ibid. 175 & seqq.
Eucharistia intrinsecus, ac extrinsecus munimur contra omnes adversitates. ibid. 77
Tot sunt magnalia Eucharistię, ut de ea tractent Angeli quod [illegible] ib. 179 & seq.
Per Eucharistiam [illegible] homo in sortem filii Dei, & [illegible] Dei adoptivus, ibid. 180 & seqq.
Per Eucharistiam Domini fratres appellamur. 183

Mensa Eucharistica humiles recipit . 19.221
Eucharistia maximè conducit ad gratiarum actionem, ac ad Dei laudem . ibid. 212 & seq.
Per Eucharistiam homines participant cum Angelis . ibid. 214
Homo ratione Eucharistiæ dicitur Angelus. ibid. 215 & seqq.
Per Eucharistiam nostra Ecclesia Angelorum socia . ibid. 218
In Eucharistia resplendet, & triumphat divinitas . ibid. 242
In Eucharistia ostenditur divina potestas . 243
Sacra Eucharistia expellit omnem morbum & malum . ibid. 244
Eucharistia Sacramentum pacis . ibid. 246 & seqq.
Ab Eucharistia fœdus & pax æterna .
Per Eucharistiam ad vitam æternam ascendit homo . ibid. 250 & seqq.
Quare accepta Eucharistia non statim expetimur vitam æternam . ibid. 252
Sacra Eucharistia corona Regum . ibid. 323
Eucharistia corona omnium donorum . 324. & seqq.
In Eucharistia omnes divitiæ cœlestes . 325
Omnis elevatio, magnificentia, ac desiderabile in Eucharistia . ibid. 326 & seqq.
Sacræ Eucharistiæ suavitas nobis maximè abscondita . ibid. 329
Eucharistia sumenda cum memoria passionis Christi . ibid. 330 & seqq.
Eucharistico Sacramento totam gratiam Passionis Christi præsentem habemus . 331
In Eucharistica mensa mysteria Passionis Christi contemplanda . 333
Christus in Eucharistia ad se omnes trahit . ibid. 362 & seqq.
Eucharistia excipit servos, & Dominos .
Eucharistia omnes capiuntur, ac subjiciuntur . 15.365
Eucharistia metu, ac veneratione sumenda . 19. 368 & seqq.
Omnia insurgunt contra indigne communicantes . 369
Pœna illius, qui indigne communicat, nullis verbis potest explicari . 370
Ab Eucharistia omnis pietas, & misericordia dimanat . ibid. 372 & seqq.
Christus pro excellentia dicitur Rex in Eucharistia . ibid. 403
Christus in Eucharistia maximè elevatus, ac sublimis . ibid. 404 & seqq.
Christus in Eucharistia formosus, & pulcher.
Christus in Eucharistia, illuminat totum mundum, & nostrum intellectum ibid. 436 & seqq.
Christus in Eucharistia illuminat insipientes, & facit sapientes . 439
Terrena dimittenda, ut digne ad Eucharistiam accedas . ibid. 440 & seqq.
Ut de fructu Eucharistico implearis, terrena relinque .
Cœna Eucharistica magna, & omnes excipit . ibid. 445 & seq.
Tam magna est Eucharistica mensa, ut Christus nomen magni, non sibi, sed suæ mensæ tribuat . ibid. 447 & seqq.
Christus per testamentum digne communicantes constituit Reges . ibid.
A mensa Eucharistiæ magnam fortitudinem participat homo . ibid. 454 & seqq.
A Christo in Eucharistia omnia habemus arma . ibid. 457
Sine cœlesti pane pereunt vires . 458
Eucharistia nobis est præsidium adversùs omnem nequitiam . ibid. 478
Eucharistia nobis est robur adversùs dæmones, ac omnium inimicorum exercitus . ib. 479 & seqq.
Sacra Eucharistia omnibus offertur . 22. 27
Ante Eucharistiam præcedat observatio mandatorum Dei . ibid. 32
Eucharistia dat vitam servantibus divinam legem . ibid. 33
Species sacramentales dant vitam, & salutem . 34
Eucharistia perfectissimum opus divinæ Omnipotentiæ . 35 & seqq.
In Eucharistia omnes perfectiones attributales .
Servire sacræ Eucharistiæ Regum ac principum . ibid. 56 & seqq.

Exemplum.

Mali principis exemplum tanquam pestis totam civitatem corrumpit . 18. 35 & seqq.
Justus in se sit candidus, resplendeat exemplo quoad alios . 19.140
Justus suo exemplo excitat ad virtutem . 21 596

Experientia.

Ad negotium magnum medium expertum eligendum . 12.620

Exterius.

Pulchritudo iniquorum ab exteriori; Justorum ab interiori . 17.109 & seqq.
Sapientia, ac virtus interius, & exteriùs resplendeat . 19.141 & seqq.

F

Facere.

Vide *Opus*.

Fama.

Fama, ac nominis celebritas maximè timenda . 19.387

Favor.

Dei Favores .
Vide *Benignitas*.

Felicitas, seu Felix.

Nimia Felicitas ruinam parit . 12. 418 & seq.
Intuitu præsentis felicitatis antiquæ peccatorum clades absconduntur . 13. 92
Divini animi est quòd solus sit in adversis, in prosperis quærit socios . 19.359 & seqq.

Fictio, seu Fictus.

Fictio, seu simulatio potens ad dejiciendos fortissimos . 12.311
Sub Agni specie fel draconum infunditur . 13. 196 & seqq.

Fides.

Fides firmata Ecclesiæ fulcimentum . 12.42
Fides cum patientia necessaria in omni persecutione . 13. 160
Vera fides liberos, ac spontaneos adoratores vult . ibid. 230 & seq.
Fides cum operibus in adultis . 14.258
Fides operibus manifestatur . 20.54

Fidelis.

Fidelis renovandus in Christo . 12.615

Filius.

Qui natus est ex gloriosa familia parentum, seu majorum laudibus tenetur aliquid addere . ibid. 198
Felicissima familia in qua unus filius malus alios secum non trahit . ibid. 325
A malo patre malus filius prodit . 18. 172 & seqq.
Filius ebibit iniquitatem patris sui .

Fortitudo.

Non solum sufficit Innocentia, sed etiam requiritur fortitudo ab bene operandum . 12. 371 & seqq.
Fortitudo sine sapientia ad nihilum valet . 15. 144 & seqq.
Multa fortitudo, ac constantia in viro Ecclesiastico . 18. 11 & seqq.

Fuga, seu Fugere.

Fuga sæpe illustris, & decora . 12. 400.
Tempore Antichristi Prælati fugient in desertum ut secure sum munus adimpleant . ibid. 401
Fortitudo est aliquando fugere . ibid. 402
Deus fugientem à mundo recipit, & sua nutrit gratia . ibid. 422

Furor.

Eximius furor, ac rabies linguam, & labia mordere . 16.118

G

Gaudium.

Dolorum consequentia gaudium, & exultatio . 12.150
Dura calamitas, quæ venit in medio gaudii . 18.114
Ingens gaudium beatorum in nuptiis Agni . 19.86
Ingens gaudium non clauditur corde, & foras erumpit . ibid. 87
Gaudium Beatorum non clauditur corde, sed extra superfunditur . 88.89

Gentilitas.

Felix qui ex gentilitate venit ad Ecclesiam, & hic maximè ejus decorem auget . 12. 120 & seq.

Genus.

Impii è terreno genere gloriantur . ibid. 182

Gloria vana.

Non nostra gloria, sed Dei quærenda . ibid. 108 & seqq.
Gloria vana in laudibus Dei fugienda . 14. 82
Vide *Jactantiam*.

Gloria cœlestis.

Vide *Beatitudo*.

Gratia.

Ubi Dei gratia, ibi flores . 17.197

Gratus, seu Gratiarum actio.

Gratus animus solum Dei gloriam quærit, & non hominum . 13.208 & seqq.
Gratias dant Sancti quia immunes sunt à pœnis impiorum . 15.69
Beneficium gratificandum . 19.191
Omnia bona nostra Deo referamus . 21. 60 & 21.620

Gula.

Gula radix omnium vitiorum . 16. 21 & seqq.
Gula ut pestis nociva .
Gula omnia bona deperduntur . ibid. 25
Gulosus plus diligit cibum, quàm aurum & argentum . 18.170

H

Hæreticus.

Hæreticus maximè nocivus, & conculcandus . 12.312
Hæreticorum impugnatione non obruitur, sed magis fulget, & splendet Ecclesia . 12. 655 & seq.
Valde oblongus hæreticorum tractus . ibid. 657
Hæretici semetipsos oppugnant, & destruunt. ibid. 658 & 676
Hæretici parum constantes . ibid. 659
Diabolus conatur per hæreticos à fide in perfidiam trahere . ibid. 664
Per hæreticos non potest Ecclesia submergi . ibid. 665
Hæretici sub noctis tenebris suos errores spargunt . 16.164
Lux veritatis hæreticos facit elingues . 165
Doctrina hæreticorum plena abominationibus . 17.134

Homicidium.

Sanguis effusus effundentem insequitur . 14. 349 & seqq.
Homicidia non effugiet supplicium sibi debitum .

Homo.
Homines alios opprimunt laboribus, sed non sublevant. c. 12 319 & seqq.
Vera virtus in homine diligit bonum, & detestatur malum. ibid. 376
Qualis ho[illegible] venit creaturas. ibid. 679
Homo cum unus sit dolis multiplex fit. c. 13 n. 31 & seqq.
Homo malus pejor Diabolo. ibid. 50
Homo pessimus, & Diabolus idem reputatur. ibid. 118
Homo terrenis affectus, etiam voce belluarum movetur ad turpia. ibid. 221. & seqq.
Non ex Deo, sed ex Diabolo venit, quod inferat malum homini. ibid. 232 & seqq.
Impii non homines, sed deserta quædam. c. 17 61
Homines mundani solùm attendunt ad suum lucrum. ibid. 81
Homo urbanus verè est homo, & Christianæ militiæ aptus. 19 158 & seq.
Homines pigri, & inertes ad negotium suæ salutis. 21 43

Honor.
Gravius est honorem denigrare, quam vitam abscindere. ibid. 510 & seqq.
Ob pravitatem privantur iniqui suo honore. 13 34
Honor reverentiæ signum. 14 150
Honor indebitus est ad ignominiam. cap. 18 224 & seqq.
Verus Dei servus quærit honorem Dei, iniquus proprium. 19 297 & seqq.

Humilitas.
In sublimi dignitatum pericula, in humili securitas. 12 417 & seqq.
Ficta humilitas crudelis persecutio. ibid. num. 585
Cognitio propriæ vilitatis, ac humilitatis efficax ad salutem. ibid. 684 & seqq.
Humilis dum descendit, ascendit. 13 11
Justus quo majora beneficia accipit, eo magis humiliatur. 19 29
Justus viso aliorum supplicio humiliatur. ibid. 30
Plus attrahit Christi humilitas, quam majestas. ibid. 160 & seqq.
Humilitas comes castitatis. ibid. 193
Qui se ad pedes demittit, maximè exaltatur, & triumphat. ibid. 194. & seq.
Qui se humiliat, exaltatur. 21 491
Quanto quis proficit, tanto magis se humiliat. ibid. 46
Humilitas germen producens omnes virtutes. c. 21 59
Descensus humilitatis firmitas magnitudinis. ibid. 124
Quanto quis magis se humiliat, tanto magis exaltatur. ibid. 146 & seq.

Hyacinthus.
Nominis derivatio. ibid. 548
Ubi nascitur. ibid.
Color cæruleus. ibib. 549
Proprietates ejus multæ. ibid. 550

Hypocrita.
Major persecutio ab hypocritis, quam à tyrannis. 17 163
Hypocritæ exterius ostendunt splendorem virtutis, interius habent venenum draconum. 12 259
Hypocrita non potest diu suam simulationem fingere. 13 107
Agni apparentia sel draconum infunditur, quod maximè fugiendum. ibid. 194. 195
Hypocrita sub ovina pelle decipit. ibid. 196 & seqq.
Hypocrita ardet intus affectu inordinato, exterius igne inferni. 16 82

I

S. Jacobus Zebedæi, seu Major.
Jacobus pretiosissimus inter Apostolos. cap. 21 292
Jacobus pro Christo insigniter omnia sua reliquit. ibid. 293
Jacobus magna unione, ac conformitate cum Christi voluntate secutus est eum. ib. 294 & seqq.
Jacobus, & Ioannes eximiè dilecti à Christo. ibid. 300.
Iacobo suum decretum communicat Christus. ibid. 301
Iacobus & Ioannes ad grandia generosi, & inde maximè laudandi. ibid.
Iacobus, & Ioannes adhuc impoliti martyrum constantiam ostendebant. ibid. 302
Amor Christi in Iacobum, & Ioannem non patitur aliquid eis denegare. ibid. 303
Christus suum Regnum, mors, & Crux, concedit Iacobo, & Ioanni. ibid. 305
Jacobus, & Joannes magni Theologi. ib. 307
Jacobus & Joannes charitate, ac signis resplenduerunt. ibid. 308
Jacobus nitet, & fulget prædicatione, ac gladio. ibid. 309
Iacobus acerrimus prædicator Evangelii, ac Zelator Christi honoris. ibid. 310. & seq.
Div. Jacobus totum mundum illustravit, ac illuminavit sua doctrina. ibid. 312. & seq.
D. Jacobus lux usque ad fines terræ. ibid. n. 313
D. Iacobus per se, ac suos Discipulos Hispaniam, & totum Mundum illuminavit. ibid. 314
D. Iacobus Virgo. 21 316
D. Iacobus ædificat templum Beatæ Virgini. ibid.
Jacobus multa dona sibi, ac Hispanis promeruit. ibid. 317
D. Jacobus festum conceptionis Virginis Mariæ celebrat. ibid. 318
Jacobus orationem Angelicam componit eaque Virginem salutat. ibid. 319 & seq.
Christus, & Jacobus magistri orationum. ibid. 320
Iacobus primus martyr ex Apostolis. ibid. n. 321
Iacobus moritur eadem die, & hora, qua Christus. ibid. & seqq.
Maximè honoratur D. Iacobus die, & hora mortis Christi. ibid.
Gladius, quo occiditur Jacobus, vertitur in ejus hostes. ibid. 325
Patrocinio D. Jacobi multiplex victoria. ibid. 326
Reliquiæ corporis D. Jacobi. ibid.
Commenda D. Iacobi vincit periculum, & custodit à malo. ibid. 328

Iacobus Alphæi, seu Minor.
Jacobus Alphæi totus aureus. 21 292
Cur dicatur minor, cum sit magnus virtute. ibid. 495
Per antonomasiam dicebatur justus, & sanctus. ibid. 496 & seqq.
Iacobus fit particeps supremi nominis Dei. ibidem.
Iacobus dicitur sanctus inter præclarissima Ecclesiæ lumina. ibid. 497
D. Iacobus valde simillimus Christo. ibid. 498 & seq.
Magna charitas Christi in Iacobum. ibid. 501
Admirabili abstinentia cœlestem vitam agebat. ibid. 502
A sua pueritia cum Christo educatus est. ibid.
Iacobus admirabili sapientia resplenduit. ibid. 503
Iacobus admirabili auctoritate floruit. ibid. 504
Christus ascendens in cœlum suos fideles commendat Jacobo. ibid.
Iacobus creatur Episcopus Ierosolymæ, ut Iudæos converteret, ac leniret à suo furore. ibid. 508
Iacobus unus Apostolus pro multis. ibid 509
Iacobus primus Missam celebrat. ibid. 511
Iacobus Eucharistiam ministrat Apostolis. ibid. 512
D. Iacobus prælatorum, ac Episcoporum Protomartyr. ibid. 513
Multiplici corona fulget. ibid.
Inclitum ejus Martyrium. ibid. 514 & seq.
Diabolus, quæ in Christum machinavetat, in Iacobum exequitur. ibid. 515
Præcipitatus moritur Iacobus, ne Christus credatur. ibid. 516
Ut Christi similitudo patitur Iacobus. ibid. n. 517
Iacobus primus scriptor Novi Testamenti. 14 166 & seq.

Iactantia.
Summa peccatoris iniquitas de peccatis gloriari. 13 35
Impii non solùm mala faciunt, sed de eis se jactant. ibid. 239.
Qui vanè se jactant, corruunt. 18 98
Vide *Gloria vana.*

Idololatra.
Ex timore, ac metu nata idololatria. 13 94
Idololatra suis factis ostendit se ipsum veræ religioni esse contrarium. ibid. 229
Idolis servientes veluti ebrii. 17 53

JESUS.
Dei nomen scutum destruens omnem lasciviam. 14 46 & seq.
Nomen Domini terribile adversariis. ibid. 48 & seqq.
Omnia Dei magnalia continentur in nomine Iesu. ibid. 304 & seqq.
In nomine Iesu denotantur omnia Dei magnalia. ibid.
Iesu nomen fons vitæ & gratiæ. 19 307 & seqq
Ab umbra nominis Iesu omne malum fugit. ibidem.
Nomen Iesu honorabile super omne nomen. ibid. 385

Ignorantia, seu Ignorans.
Ignorans stultus contra sapientem armatur, ut eum corrodat. 12 203 & seqq.

Impius. Vide *Peccator.*
Impii inconstantes, & varii. ibid. 702
Impii sine charitate, & unione. ibid.
Impii è terreno genere gloriantur. 13 182
Impii, ac mali omnia convertunt in malum. ibid. 237
Impii quanto magis turbulenti, tantò magis sedes Diaboli. 16 100
Impii tendunt laqueos, quibus capiuntur. ibid. 202
Impii uniuntur in malum. ibid. 217
Impii quantò potentiores, tantò pejores. 17 47
Maximè homines fiunt impii ex politica ratione. ibid. 58
Impii sunt quædam deserta, & non homines. ibid. 61
Impii, quod per potentiam non possunt facere, per simulationem, ac apparentem virtutem valent adimplere. ibid. 100
Impius non solùm malitiam sectatur, sed etiam alios perdere intendit. ibid. 113
Impii aliorum sanguine fuso lætantur. ibid. 155
Impii inter se contrarii, contra justum concordes. ibid. 246
Impii etsi inimici, contra justum uniuntur. ibid. 249 & seqq.
Impii sibi ipsis pœna sunt. ibid. 281
Impii odio persequuntur suam impietatem. ibid 282
Impii fomenta amoris vertunt in odium. ibid. 284
Inter impios non est pax, sed dissensio. ibid. 285
Impii quæ à Deo accipiunt, creaturis tribuunt. 18 40
Impii peccata delitias putant. ibid. 42
Impius in hac vita cruciatur anima, & corpore. ibid. 115
Impii vendunt animas suas peccatis. ibid. 102
Impii elevantur, ut profundius [illegible]. ibid. 243

Incarnatio.
Post Incarnationem Divini Verbi maxime natura humana est sublimata, & exaltata. 19 199

Incipere, seu Incipiens.
Facile bonum incipere, difficile illud perficere. 21 248

Gg

Incipientes in via virtutis magna tentamenta patiuntur. 12. 358. & seqq.

Indignus.

Tunc respublica firmatur, cum indignus dejicitur, benemeritus sublimatur. ibid. 68 69 & 385 386.

Indigni majora sibi volunt occupare loca. ibid. 70. & seq.

Indigni honoribus, ac dignitatibus abundant. 13. 37. & seq.

Indignus, etsi videatur habere dignitatem, illam non habet, sed est ei ad mortem. 17 233. & seqq.

Infernus.

Miseri decem pœnis afficiuntur in inferno. 13 36

Infernus ex peccatoribus receptis se ipso deterior. 14. 324

Infernus valde capax, & latus ad peccatores recipiendos. 14. 329. & 337

Inferni memoria valde utilis ad salutem. ibid. 333. & seqq.

Infernus locus horribilis. ibid. 340

Pœna damni in inferno gravissima omnium. ibid. 341. & seqq.

Dæmones, & homines puniuntur in inferno. ibid. 346

Prælati durius puniuntur in inferno. ibid. 347

Labores hujus sæculi sunt tanquam fumus inferni. 18. 133. & seq.

Timor in inferno auget pœnam. ibid. 141

Horrenda inferni clausura, & nunquam aperienda. ibid. 241

Tormentum inferni stabile, & immobile. 19. 474

Inimicus.

Inimicus domesticus crudelior, quam extraneus. 12. 553. & seqq.

Inimicitiæ occasio fugienda. 18. 14

Statutum est tempus orandi pro inimicis. ibid. 76

Innocentia, vel *Innocens.*

Non sufficit innocentia, sed requiritur fortitudo ad bene operandum. 12. 371. & seqq.

Intentio.

Non solùm opus malum, sed etiam illius intentio. 15. 139

Intelligere, vel *Intellectus.*

Homines quæ non intelligunt, contemnunt. 22. 66

Pii intelligunt divina verba, non verò impii. ibid. 82. 83

Intercessio.

Sancti pro nobis intercedunt coram Deo. 20. 75

Sanctorum patrocinium nobis valde necessarium. 76. & seqq.

Sanctorum patrocinium munimen civitatis. ibidem.

Interius.

Pulchritudo justorum ab interiori, iniquorum verò ab exteriori. 17. 109. & seqq.

Christus non requirit externam pulchritudinem, sed internam. 21 61 493. 494

Invidia.

Augmentum amplioris fortunæ in regibus, & divitibus fomentum odii & invidiæ. 12 294. & seqq.

Invidia parturit crudelem persecutionem, ac odium. ibid. 588. & seqq.

Invidi seipsos ut rabidi mordent. 16. 116

Invidia aliena impetit. 17. 225

Invidia viros magnos, & excelsos impugnat. 21. 65. & seqq.

Joannes Baptista.

Joannes baptista ob suam puritatem vidit Jesum ut agnum. 14. 4

S. Judas Thaddæus Apostolus.

S. Judas multiplici nomine præclarus. 21. 521. & seq.

Dum Judas dicit Dei confessionem, & laudem nil majus. ibid. 523

Explicantur variæ significationes nominis hujus Apostoli. ibid. 524. & seq.

Alta divina providentia tot nominibus insignitur. ibid. 526

Div. Thaddæus omni virtute conspicuus. ibid. 528

Thaddæus, & Simon tanquam quid cœleste. ibid. 529

Thaddæus maximè resplendet zelo honoris Dei. ibid. 530. & seqq.

Zelat Thaddæus ut Deus suum verbum promissum adimpleat. ibid.

Thaddæus valde sollicitus de aliorum salute. ibid. 534. & seq.

Thaddæus cordis ac illius puritatis cultor. ibid. 537. & seqq.

Thaddæus temporalia contemnit. ib. 542. & seqq.

Thaddæus resplendet facie, & multa differentia ab Stephano. ibid. 546

Thaddæus gestu, ac præsentia sanctitatem exhalat. ibid. 547

S. Judas Thaddæus falsa testimonia dissolvit ut veritas manifestetur. 21. 564. & seq.

Judas magna potestate fulget contra Dæmones. ibid. 568

Pro singulari honore genus martyris Thaddæi silentio veneratur. ibid. 575. ibid.

Joannes Evangelista.

Joannes Evangelista ob suam virginitatem vidit Christum ut agnum. 14. 4

Joannes Evangelista, quo sublimior, eo humilior. ibid. 154

Joannes Evangelista altissime penetrat divina secreta. 15. 171

Joannes valde lenis, & mitis. 17. 161

Joannes, quia veluti ejusdem naturæ cum Angelis. 19. 200

Joannis virginitas valde eminens, & adumbrat Mariæ Virginis vestigia. ibid. 202

Joannes in multis Angelos instruxit, & docuit. ibid. 202

Joannes omnibus gratus, ac præjucundior. 21. 331

Joannes puritate Angelus. ibid. 336

Joannis nomen magnum, & mirabile. ib 337

Joannes secreta divinitatis manifestat. ibid. 339

Joannis Evangelium supra omnem captum humanum. ibid. 338

Joannes vocatur, ut scribat, & prædicet. ibid. 340

Joannes super omnes diligebat Jesum, c. 21. n. 341

Joannes, non ad Angelos, sed tantum ad Jesum se convertit. ibid. 342

Joannes suum amorem erga Jesum ut nihilum reputabat. ibid. 343

Amor Christi in Joannem non patitur peculiariter habere matrem absque Joanne. ibid. 345

Ob virginitatem Joannis, datur ei Virgo in matrem. ibid. 346

Ob constantiam meretur Joannes, ut filius sit Virginis. ibid. 347

Joannes singulariter præ omnibus Apostolis repletur donis. ibid. 349

Joannes in dolio videbatur simulachrum divinitatis. ibid. 350

Radiabat divinitas in Joanne in dolio. ibid. 351

Calix passionis Joannis plenus omni excellentia. ibid. 352

Charitas Joannis diffunditur pro totum orbem. ibid. 353

Joannes stabat in dolio ut igne superior. ibid. 355

Joannis ut victima, ab illius odore extinguitur ignis. ibid. 356

Joannes ut Phœnix renascitur ab igne. ibid. n. 357

Joannes tanquam à cœlo exiit ab oleo ferventi. ibid. 358

Joannes juxta crucem vi dolorum mortem sustinuit. ibid. 359

Joannes à præsentia Virginis roboratur. ibi.

Joannis mors mysterium quoddam. ibi. 363

Joannes in morte splendores dabat resurrectionis. ibid. 344

Per Joannem Deum omnium utilitati consulit. 22. 68

Magna auctoritas Joannis in Ecclesia. ib. 71

Ira, vel *Iratus.*

Irati hominis furor uno verbo commovetur. c. 13 n. 19

Nulla vi, ac industria potest homo fugere ab ira, ac pœna Dei. ibid. 148

Ira indignati suo furore sumit nutrimentum ad majorem crudelitatem. 16. 73. & seq.

Qui se justos arbitrantur, dum increpantur, ira commoventur. ibid. 82

Ira excæcat hominem, & sapientiam radit. ibid. 93. & seqq.

Summa ira Dei quod omnia supplicia simul veniant. 18. 145. & seqq.

Judex, vel *Judicare.*

Judex timore condemnans graviter punitur. 21. 111

Judex sit tanquam Angelus expers carnis & sanguinis. 14. 272 & 20 132

Judex præmiat bonos, & punit malos. ibid. n. 283

Ad Judicandum, ac arguendum multa scientia necessaria. 15. 5 6

Judex, qui punit, debet esse immunis ab omni delicto. ibid. 125. & seqq. & 16. 59

Judex sit fortis sine affectu carnis, & sanguinis. 15. 130 131

Officio abutitur Judex, ut malè agat. 17 n. 226 & seq.

Judex sine affectu agat, maximè ad vindicandam Dei injuriam. 18 77

Dura pœna Judicari, ac condemnari ab eo, quem tu judicasti, ac condemnasti. ib. 78

Qui Deum ut creatorem non agnoscunt, ut judicem experientur. ibid. 206

Supremo Judici omnia sunt manifesta. c. 19 n. 283

Judicium Dei.

Investigabilis via Dei in ejus Judiciis. cap. 15 n. 174

Dei Judicia valde abscondita. ibid. 149 & 175

De Judicium severum. 14. 209

Valde mirabile arcanum Divini judicii. c. 15. 3. 4. 5

Dei Judicium cum summa sapientia. ibid.

Judicia Dei imperscrutabilia à nobis ut justa veneranda. ibid. 107 108

Judicia Dei pura, & irreprehensibilia. ibid. n. 124

Judicium finale.

Dei misericordia nos admonet semper de judicio. 14. 171

Quanta severitas in finali judicio. ibid. 227

Observatione mandatorum Dei evitantur supplicia æterna. ibid. 228

Memoria judicii finalis via ascendendi in cœlum, ac ad coronam gloriæ. ibid. 275

Quò Christus longanimis judicium differt, durius exercebit. ibid. 301

In die judicii misericordia converterur in rigorem justitiæ. 15. 156. & seqq.

Judicium Dei valde terribile magnatibus. 16. 174

De judicio finali semper cogitandum. ibid. 184. & seqq.

Reges super omnia timeant Dei judicium. 19. 399. & seqq.

Peccator in judicio finali pro sua extrema miseria erit destitutus omni patrocinio, ac defensore. 20. 70. & seqq.

De tempore judicii post Antichristum. ibid. 123. & seqq.

Magna indignatio Christi in die judicii. ibid. 131

In die judicii omnia nostra erunt aperta, & manifesta. 20. 135. & seq.

Omnis pulchritudo à conspectu Dei judicantis fugit. ibid. 139

Præsentia Dei judicantis valde terribilis. ibid. 141

Justitia.

Deus omnia disponit, & ordinat cum summa justitia, & æquitate. 15 100

In Deo justitia cum misericordia. 16. 57 & seq.

Id quod à justitia venit nulli est contrarium, nec molestum. 17. 61. & seqq.

Justitia divina sublimatur, dum punit. 18. n. 222

Justus.

Justus fastidit terrena, & quærit spiritualia. 12. 12 & seqq.

Summa juſtorum unitas. 12. 374
Unus juſtus ad inſtar plurimorum. ib 365
Juſtus ſæpe celerius tollitur Dei Beneficio. ibid. 384
Juſtus ſui ipſius eſt accuſator, injuſtus aliorum. ibid. 564
Juſtus volat in cœlum, peccator vero in infernum. ibid. 618
Juſtus habet alas ut parvulos cuſtodiat, iniquus, ut perdat. ibid. 619
Dum Diabolus juſtos vult opprimere ipſe opprimitur. ibid 696
Diabolus maximè perſequitur, ac impugnat juſtos, & ſanctos. ibid. 697. & ſeq.
Qui ſervos Dei perſequitur, recta via eſt ei in infernum. 13. 147
De pœnis peccatorum lætatur juſtus, cum non ſit particeps in eorum vitiis. ibid. 149
Juſti dicuntur numerati à Deo. c. 14. n. 29 & ſeqq.
Juſti pudicitia, & charitate ſe oſtendunt ſervos Dei. ibid. 37
Juſti delectantur de gloria Sanctorum, & conremiſcunt de conſecutione. ibid. 59
Juſti de Diabolo triumphant dum corpora ſua ut cytharas Deo exibent. ibid. 68
Juſti extenuant corpora ſua per vices jejuniorum. ibid. 69
Sancti & juſti ſibi eligunt labores, ut aliis dent levamen & ſalutem. ib. 73. & ſeqq.
Juſtis poſt mortem datur præmium. ib. 248
Juſti in laboribus, ac perſecutionibus placide conſiſtunt. 15. 47
Juſti expediti à bonis temporalibus currunt, impii illis impediti ambulant. ibid. 72. & ſeqq.
Omnia elementa juſtis obediunt. ibid. 67
Juſtus qui vincit in magnis caveat ne deſolet in parvis. ibid.
Lætantur juſti quia immunes ſunt à pœna impiorum. ibid. 69
Deus iniquis dat pœnam, juſtis præmia. ibid. 168. & ſeqq.
Qui juſtis detrahit, in Deum eſt blaſphemus. 16. 123. & ſeqq.
Viro juſto, ac ſpirituali Mundus cum ſuis vanitatibus deſertum. 17. 62
Mundus perſequitur juſtos, extollit iniquos. ibid. 80
Juſtus agnoſcit mala, quæ latent ſub bonis temporalibus. ibid. 177
Maximè levantur juſti in ſuis tormentis, dum vident fines ſuorum tyrannorum. 17. 187. & ſeqq.
Juſtorum tormenta citò deficiunt. ibid. 213. & ſeq.
Qui Dei ſervos lædunt contra Dominum inſurgunt. ibid. 257. & ſeqq.
Juſti præſentia munit, ac defendit civitatem, ſicut illius abſentia civitas perit. cap. 18. n. 18. & ſeqq.
Juſtorum præmium inæquale pro ratione meritorum. 21. 193
Juſtorum labores mutantur in gaudia. c. 18. n. 25. & ſeqq.
Inter omnes preſſuras Deus ſuos juſtos ſervat incolumes. ibid. 55. & ſeqq.
Pœna peccatorum profuit ad bonum juſtorum. ibid. 222. & ſeq.
Juſtorum triſtitia mutatur in gaudium impiorum in triſtitiam. 19 5
Chriſtus juſti animam diligit, ut ſponſam. ibid. 81
Juſtus ſit candidus quo ad ſe, reſplendens exemplo quo ad alios. ibid. 140
Juſtus quærit gloriam Dei & non ſuam. ibid. 207 & ſeqq.
Juſti pro ſe ipſis plures habent defenſores, quam oppugnatores. ibid. 339
Juſti ſuis meritis adornantur. ibid. 351
Juſti in adverſitate manifeſtantur. 20. 46
Deus cuſtodit ſuos juſtos. ibid 47
Juſti pauci, peccatores multi. ibid. 158. & ſeqq.
Juſti ita adhærent Deo ut nunquam ab eo recedant. ibid. 167. & ſeq.
Quot juſti in Mundo, tot ſoles. c. 21. num. 16
Juſtus vult ut bona ſua aliis communicentur. ibid. 534. & ſeqq.
Ubi juſtus proficit ibi labitur peccator. 22. 89. & ſeqq.

Iuvenis.

Iuniorum glorias non poſſunt antiqui ſuſtinere. 12. 63. & ſeqq.

L

Labor.

Labores ſic ſanctis contingunt ut eis proficiant in augmentum. ibid. 202
Apoſtolicus labor converſione gentium vertitur in gaudium. ibid 233 & ſeqq.
Qui multis laboribus tentatur, ac vexatur Deum habet ſuum protectorem. ibid. 249
Homines laboribus opprimunt alios, ſed non ſublevant. ibid. 318. & ſeqq.
Quilibet laborum quærit conſortes, non verò deliciarum. ibid 490 & ſeq.
Via peccatorum laboriosa non ſic juſtorum. ibid. 636 & ſeqq.
Tempeſtas laborum juſtis parit lætitiam. 14. 62. & ſeq
Pati labores pro Deo ſumma requies, & felicitas. ibid. 253
Sancti in laboribus placide conſiſtunt. c. 15 n 47
Character, ac nota juſtorum paſſio laborum. ibid. 56
Miſeris peccatoribus datur ignis laborum ſine pietatis aqua. ibid. 58 & ſeqq.
Homines Dei ſuavia contemnunt, & labores Mundi quærunt. 17. 68 & ſeqq.
Actio ruina, è labore victoria. ibid. 84
Labores nos ducunt ad ſalutem. ibid. 255. & ſeq.
Pugna & labor Chriſtianorum brevis. ibid. 260
Iniquorum labores perpetui, juſtorumm verò mutantur in gaudia. 18. 25. & ſeqq.
Summum malum, quod omnes labores ſimul veniant. ibid. 146. & ſeqq.
Labor impiorum ſine fine, ac requie. c. 20. 100. & ſeqq.
Per labores aſcenditur in cœlum. 21. 190
Deus juxta noſtras vires permittit labores. ibid. 196
Deus in pondere, ac libra dat nobis labores. ibid. 197 & ſeqq.

Lachrymæ.

Lachrymæ acuunt oculos ad videnda divina. 15 29 & ſeqq.
Lachrymæ ſequuntur peccatum. cap. 18 100 & ſeqq.
Valde irrationale, flere ut magnum, quod in cineres redigitur. 19 184
Lachrymæ effundendæ non pro re temporali, ſed ſpirituali. 18. 185 & ſeqq.
Bona temporalia involvunt Lachrymas, non ſic cœleſtia. 21. 85
Indulgentia divina ſiccantur ſuorum lachrymæ. ibid 86
Sola Dei manus valet miſerorum lachrymas ſiccare. ibid. 87
Dum vivimus, ſemper flendum. cap. 21. n. 89 & ſeq.

Laus.

Vera Dei laus ſecum habet adjuncta opera. 19. 70 & ſeqq.
Qui ſe non laudat dignus ut à Deo laudetur. 21. 80
Iniqui, & depravati ſemetipſos laudant ib.
Valde ſuſpecta laus in ore proprio. ibidem 82 & ſeq.
Qui primus intonat divinas laudes, princeps militiæ cœleſtis. ibid. 411
Deus ob ſua opera laudandus. 19. 41
Deus in omni vita noſtra laudandus. ib. 42
Communi conſortio Angeli, & homines dicunt Dei laudes. ibid. 52
Laus Dei non eſt ab ore peccatoris. ibid. 61 & ſeq.
Vera laus Dei eſt in ſapientia. ibid. 62
Servi Dei ipſum laudant, ibid. 63
Ille vere Deum laudat, qui ſervat ejus mandata. ibid. 64
In Dei laudibus vana gloria fugienda. c. 14 n. 82
Non ſolum ore, ſed etiam opere Deus laudandus. 15. 95 & ſeqq.
Dei laudibus aptamur ad ejus viſionem. 19 8 & 9
Valde grata eſt Deo concors multorum laudatio. ibid. 10 11
Amor nos impellit ad majores Dei laudes. ibid. 28
Qui laudem Deo decantat, ſibi coronam comparat. ibid. 37 & ſeq.

Lex Gratiæ.

Lex gratiæ, & antiqua inter ſe conveniunt. 15 94

Liber.

Chriſtus divina quadam ſublimitate dicitur liber. 13 123
Chriſtus crucifixus liber in quo intuemur, quæ ſunt imitanda. ibid. 124
Liber prædeſtinationis tribuitur filio Dei. ibid. 125
Qui libri aperiendi in die judicii. c. 20 150 & ſeqq.
Quare hujuſmodi libri dicuntur aperti. ib.

Liberalitas.

Chriſtus liberalior nobis, quam ſibi. c. 12 n. 220

Lingua, ſeu loqui.

Loquutio, ſeu tranſgreſſio ſilentii extremam ruinam parit. ibid. 442
Lingua, ſeu loquutio indicat unumquemque qualis ipſe ſit, 13. 101 & ſeqq.
Lingua inhabitantis divinitatis indicium. ibid. 104
Quæ impii contra juſtos loquuntur contra ſe ipſos dicunt. 16 118 & ſeqq.
Potius fugienda eſt lingua maledicens, quam durus tyrannus. 22 97 & ſeqq.
Chriſtus D. non conqueritur de crucifixoribus, ſed irriſoribus. ibid. 99
Loquendum conſideratè, & non incautè. 18 249

Locus.

Homo in ſuo loco ſecurus, in alieno periclitatur. 12 414
Loca peccatorum cum ipſis pereunt. ib. 498
Non locus, ſed virtus dat victoriam. idid. 506

Lucifer.

Lucifer ſua malitia depravatus eſt. ibid. 522
Multis denotatur Lucifer. ibid. 522
Luciferi ſuperbia profunditate punitur. ibid. 528
Lucifer ſuos vitiorum duces conſtituit. ibid. 539

Lucrum.

Amor proprii lucri facit diviſiones, & diſcordias. ibid. 451 & ſeqq.
Ob lucrum omne jus violatur, ac contemnitur. 18 269 & ſeqq.
Qui lucrum quærit, id adorat, in quo aurum reſplendet. 13 87 & ſeqq.
Homines mundani ſolùm attendunt ad ſuum lucrum. 1 81
Mundialis homo potiùs quærit ſuum lucrum, quam Deum. 18 156 & ſeqq.
Ob lucrum falſitas, & mendacitas abundat. ibid. 266 & ſeq.

Luxuria.

Diabolus adoleſcentes ſtimulat ad luxuriam. 12 257
Luxuria magnos præcipitat à culmine. ibid. 314
Verus fidelis contra carnis illecebras. ibid. n. 366
Luxuria generat crudelitatem. 14 84 & ſeq. & 17 166
Luxurioſæ rei tactu perit caſtitas. c. 14 n 98 & ſeqq.
Luxuria filiali primogenita ebrietatis. n. 199
Luxuriæ deditus moritur, & difficiliter reſurgit. 16 19
Luxuria principibus mortis index. cap. 17. num. 26

A luxuria inexcusabilis homo. 17 146
Luxuria super cætera vitia maculat. ibid. n. 34
Vinum libidinem generat. ibid. 52
Luxuria homines transmutat in bestias. ib. 74 & seqq.
Luxuriosus ita impudicus, ut etiam in aliorum oculis suas libidines exequatur. ibid. 75 & seqq. & 18 145
Aurum luxuriæ fomentum. 17 125 & seq.
Luxuria idololatriæ, ac erroris comes. ibid. n. 135
Luxuriosus difficiliter corrigitur. ibid. 277
Carnalis voluptas ruinam parturit. ibid. n. 279
Luxuriosi patent hostium incursibus. ibid. n. 283
Luxuriantes contra suam amasiam dejectam insurgunt. ibid. 289
Principes mundiales mulierculârum sunt servi. ibid. 299 & seqq.
Luxuria maximè dominatur in principibus, ac magnis. 18 33 34
Luxuria, & superbia confœderantur. ib. 90
Luxuria pietatis nomen absumit. ibid. 177 & seq.

M

Magister.

Vide *Doctor.*

Magna, vel *Magni.*

In Mundo magni devorant parvos. c. 13 num. 13

Malum.

Malum per easdem causas, quibus ingreditur, dissolvitur. 12. 472 & seq.
Facere malum, & nocumentum homini non ex Deo, sed ex Diabolo est. 13 232 & seqq.
Deus ex malis educit bona. cap. 15. n. 104 & seqq.

D. Marcus.

D. Marcus per excellentiam Angelus. 14. n. 155
Divus Marcus eximius Evangelii Zelator. 15. 154

Mansuetudo, seu *Mitis.*

Mites, ac lenes vix aliorum ferinos mores credunt. 17. 161
Magnus triumphus, à mansuetudine, quæ omnia devincit, ac debellat. ibid. 268. & seqq.

Maria Deipara.

Maria munit, ac sustentat Ecclesiam. 12 41
Mariæ Virgini data est in sua Conceptione, ac nativitate gratia super omnes sanctos. 12 74
Maria Virgo aperit studentibus portas intellectus. ibid. 75
Maria est Baculus prædicationis, ac veræ doctrinæ. ibid. 76
Maria Baculus prædicationis ad veram doctrinam, & palma victoriæ contra omnes errores. ibid. & seq.
Maria magistra magistrorum scilicet Joannis Baptistæ, omnium sanctorum scilicet Apostolorum. ibid. 78
Egressio Mariæ à summo cœlo. ibid. 81 82
Quomodo gratia Mariæ dicatur cœlestis. ibid. 83
Maria in gratia superior Angelis, & ipsismet Angelis prior. ibid. 84 & seq.
Deipara miraculum omnium miraculorum maximum. ibid. 87 88
Maria Virgo signum magnum Deum demonstrans. ibid. 89
Deipara solùm Deum generare poterat. ibid. 90
Maria fons gratiarum irrigans universam terram. ibid. 91
Quod B. Virgo sibi possidet possessio est multorum. ibid. 92
Joannes ob reverentiam nunquam sanctissimum Mariæ nomen pronuntiat. ibid. 102
Maria Sacramentum nominis prolatum ex thesauro divinitatis. 12 102 & seq.
Maria maximè proxima divinitati. ibid. 104
Sapientia Mariæ valde excelsa. ibid 105
Maria deputata est magisterio Spiritus S. ibid. 105
Maria ita sublimis ut quodammodo Christus videatur. ibid. 106
Maria veluti Deum repræsentat. ibid. 106
Christus in utero Mariæ eam undique protegit. ibid. 107
Sole vestitur Maria in signum pacis datæ. ibid. 108
Maximè Christus æstimavit carnem, & sanguinem ex Virgine Maria. ibid. 109. & ibid. 533 & seqq.
Virgo Maria undique plena est misericordia. 12 110 & seqq.
Si Maria infecta esset peccato originali, Christi mater non esset. 12 671 & seq.
Christus è Virgine Maria habet coronam pietatis. ibid.
Virgo Maria immunis ab omni peccato originali. 12. 113 & seqq. & deinceps. 135 & 266 & latè. 670 & seqq.
Celsitudinem meritorum Mariæ non valet investigare intellectus creatus, sed solùm à divino intellectu cognoscitur. cap. 12 n. 123 & 127
Plus gratiæ, & sanctitatis in sola Virgine Maria, quàm in omnibus sanctis simul sumptis. ibid. 126 & seq.
Plura beneficia pluraque miracula per solam Virginem est Deus operatus, quam per omnes sanctos simul. ibid. 129
Virgo Maria thesaurus amoris Dei. ibid. n. 125
Maria Virgo ex maternitate Dei habet quandam infinitatem juxta D. Thomam. ibid. 126
Gratia, & gloria Mariæ ex Div. Anselmo habet quandam immensitatem. ibid. 127
Maria Virgo constans, ac firma. ibid. 131
Totus Mundus subditur pedibus Virginis Mariæ. ibid. 132
Maria bona temporalia contemnebat. ibid. 133
Diabolus etsi ab aliis impugnetur, à Virgine Maria destruitur, ac deperditur. ibid. 134
Ibi virtus Mariæ inchoatur, ubi aliorum sanctorum est consummatio, ac perfectio ibid. 137
Luce, ac splendore Mariæ omnia pericula superantur. ibid. 138
Ecclesia humiliter Mariam exorat. ibid. 142
Maria mediatoris mediatrix. ibid.
Maria exemplar Ecclesiæ Evangelicæ. ibid. 143
Præsentia, ac patrocinio Mariæ Ecclesia de hostibus triumphat. ibid. 144
Maria in utraque Ecclesia veluti Sol. ibid. 146 & seq.
In Mariæ composito cœlum & terra conveniunt. ibid. 149
Gentium conversio intercessioni Mariæ debetur. ibid. 150
Peccatores ferè intercessione B. Virginis mutantur in stellas. ibid. 152
Justorum coronæ Virgini Matri adscribuntur. ibid. 154
Ex Maria flos, & fructus honoris quo omnes coronantur. ibid. 155 & seq.
Omnes Sancti à Virgine Maria acceperunt robur, & virtutem. ibid. 160
Maria omnes sanctos superat in gratia, & prærogativis. ibid. 158 & 164 & 166
Mariæ tanta gratia data est quanta possibilis est dari puræ creaturæ. ibid. 161
Ex Mariana sanctitate spiritus Domini sanctus publicatur. ibid. 163
Virgo Maria sic dilecta à Christo, ut anima sua, & super totam Ecclesiam. ibid. 164
Devoti, ac fervientes Mariæ magnam excellentiam, ac perfectionem comparant. ibid. 167
Plures Deus per Mariam adduxit quàm per se solum. c. 12 168
Gentium vocatio interventu Mariæ facta est. ibid. 169 & seq.
Ex Mariæ patrocinio victoria, ac triumphus de hostibus. ibid. 144. & n. 171. & seqq.
Virginitas, ac virtutes Mariæ perseverantes in æternum. ibid. 175
In Maria totum est lux, & splendor. ibid. 176
Influxus misericordiæ, ac gratiæ per Mariam in nos descendit. ibid. 177
Spirituale, ac temporale donum ex Mariæ patrocinio. ibid. 178
Ex absentia Mariæ defuit spirituale & temporale donum. ibid. 177
Gloria Mariæ nostrum est incrementum. De gloria Mariæ omnes cœlites participant. ibidem.
Magna celsitudo gloriæ Virginis Mariæ super gloriam aliorum beatorum. cap. 12 n. 180. & seqq.
Deus pater alteri præter Virginem Mariam non communicat gloriam suam. ibid. 183
Virgo Maria non ex favore, sed ex justitia coronatur in cœlis. ibid. 185
Maria maximè æstimat subvenire miseris. ibid. 186
Mariæ nomen veluti quoddam Sacramentum. ibid. 187
Maria ex vi sui nominis significat, Deus ex genere meo. ibid. 188
Mariæ nomen maximè conjunctum cum sanctitate, ac puritate. ibid. 189
Ad intelligendum Mariæ nomen gratia præmittitur. ibid. 190
Mariæ nomen gratiam, ac salutem cunctis præbet. ibid. 191 & seq.
Angeli dissimulant scire nomen Mariæ, ut dulcius audiant. ibid. 193
Maria desiderabat parere, & videre salvatorem natum. ibid. 237
Maria Virgo magno affectu nos parit Deo, & cœlo. ibid. 238
Ingens virginis dolor in morte filii. ibid. n. 239
Mariæ Virginis Lachrymæ meruerunt habere filium redivivum. ibid. 239
Maria Virgo semper in omni consideratione mater. ibid. 244 & seqq.
Maria terribilior dæmonibus, quàm universa collectio sanctorum. ibid. 271
Maria liberata à peccato originali de Diabolo triumphat. ibid. 347. & seq.
Qui agit sub patrocinio Virginis Mariæ securus à morsu. ibid. 357
Jesus veluti cum quadam vi, ac violentia separatur à Maria. ibid. 389 & seq.
Virgo Maria cum Ecclesia est unum corpus morale. ibid. 398
Ubi præsentia Mariæ deest, statim bella insurgunt. ibid. 436
Mariæ vox, ac præsentia pacem exhalat & tota pax per Mariam. ibid. 436 & seq.
Christus maximè gloriatur de matre sua. ibid. 333. & seqq.
Maria in altissimo perfectionis apice. c. 12 num. 626
Maria Virgo Thesaurus amoris divini. ibid 676
Maria Virgo adjuvat Ecclesiam. ibid. 682
Alii sancti sequuntur Christum, at Christus sequitur Virginem Mariam. 24 116
Maria Virgo velocissima in nostrum auxilium. 12 137
Per Mariam magni, & parvi habent ingressum ad Deum. ibid. 66 & seqq.
Abjecti peccatores per Mariam convertuntur ad Deum. ibid. 67
Patrocinio Mariæ anima virtutum deserta secundatur. ibid. 68
Maria Virgo mensa, & altare panis vitæ cap. 19 127
Per Mariam Virginem pascimur abundanter Eucharistico pane. cap. 19 num. 127 & seqq.

Christus in Eucharistia maximè ostentat quod ex Virgine Maria accepit. ibid. 127
Eucharistiæ abundantia ex pinguedine Mariæ. ibid. 131
Maria ita eminens, ut sit Regina Regis Regum. 19 398
Virgo Maria civitas animata ad nos veniens cum magno gratiarum imbre. 21 32 33
Multitudo gratiarum Mariæ ad omnes populos inexhausta. ibid. 32 & seqq.
Valde festivè Maria excepta est in cœlo in die Assumptionis. ibid. 51 & seqq.
Gloria Mariæ per gloriam filii explicatur. ib.
Gloria Mariæ dicitur complementum cœlitum gloriæ. ibid. 56
Maria ex eo quod mater Christi mater omnium electorum. ibid. 74 & seqq.
Maria Virgo omnium protectio, & tutela. ibid. 76
Laus Virginis Mariæ Laus Christi. ib. 318
Ex oratione Virginis omnia bona in nos. ibid. 587 & seq.
Virgo Maria lignum vitæ dans salutem gentibus. 22 37

Martyr, seu *Martyrium*.

Maximè levantur justi, dum vident, ac considerant fines suorum tyrannorum. 17 187 & seqq.
Summus honor, ac gloria pati, ac mori pro Christo. 21 622
Tormenta justorum citò deficiunt. 17 214
Omnes justi, ac electi tanquam martyres. 19 338
Ecclesia gloriosissime Regnat in martyribus. 20 53
Martyrum mors dat odorem gloriæ, & triumphos parit. ibid. 58

D. Matthæus.

D. Matthæus magnus nomine suo. 21 434 & seq.
Maximè resplendet humilitas D. Matthæi. ibid. 437 & seqq.
Maximè resplendet divina bonitas in conversione Matthæi. ibid. 435 & seqq.
Quilibet peccator in sua conversione multum debitor est D. Matthæo. ibid. 444
D. Matthæus primus peccator in Evangelio conversus ad pœnitentiam. ibid.
D. Matthæus duplici doctoris lauro insignitur. ibid. 445
Convivium ut Regis præparat Matthæus Christo. ibid. 446
D. Matthæus, tanquam speculum in se recipit, & repræsentat imaginem Christi. ibid. 447
Sibi invicem Christus, & Matthæus præparant convivia. ibid. 447 & seq.
Ecclesia maximè debitrix Divo Matthæo. 21 451
D. Matthæus fortis, & lenis. ibid. 452
Div. Matthæus dat exordium novo testamento ibid. 453
D. Matthæus Evangelista, Evangelistarum, currus, & auriga eorum. ibid. 453
Proceres Apostolorum D. Matthæi discipuli. ibid. 454
Matthæus nobilissimo martyrio inter altaris sacrificium moritur. ibid. 456 & seq.
Ad imitationem Christi Matthæus inter sacrificia moritur. ibid. 458

D. Matthias.

D. Matthias eligitur in locum Judæ, & totius Ecclesiæ est gaudium. 21 580 & seqq.
Christus D. orat pro electione D. Matthiæ. ibid. 584. & seq.
Christus de B. Matthia tanquam de se loquitur. ibid.
Spiritus Sanctus descendit super D. Matthiam ad eum designandum, ac honorandum. ibid. 585
D. Matthias divini Spiritus gaudet nomine. ibid. 586
Precibus Virginis Mariæ eligitur Matthias in Apostolum. 21 586 & seqq.
In D. Matthia resplendet scientia cum humilitate. ibid. 590
D. Matthias profundissimè humilis. ib. 591
D. Matthias multos peccatores trahit, & adducit ad Christum. ibid. 595
Matthias antea dictus Zachæus. ibid. 597
Christus sibi elegit crucem, D. Matthiæ concedit lapides. ibid.
Div. Matthias multiplici aureola illustris. ibid. 597 & seq.
D. Matthias maximè æstimat lapides quibus est mortuus. ibid. 601

Medium.

Iustus ab omni vitio declinat medium tenens. 19 422
Virtus servat mediocritatem. ibid. 427 & seq.

Mendacium, vel *Mendax*.

Mendacium Diaboli regnum, & sedes. 16 103 & seq.
Veritas propria Dei, mendacium Diaboli. ibidem.
Qui ad mendacia exhortantur, linguas suas mordent. ibid. 113 & seq.
Falsitas quærit ornamenta, at veritas sinceritatem. 17 124
Melior est mors, quàm vita cum mendacii nota. 18 221
Ad destruendum mendacium divina potentia exigitur. 21 566 & seq.
Semel mendax, semper præsumitur mendax. ibid. 570 & seq.

Meritum.

Respublica fulget, & firmatur, si indignus dejicitur, & benemeritus sublimatur. 12 68 & seq.
Non in terra, sed in cœlo benemeriti sublevantur, & potentes deprimuntur. 12 196
Decus reipublicæ, quod benemeritus sine voce elevetur; indignus verò clamans dejiciatur. ibid. 385 & seq.
Qui supra meritum intendit, cadit. ibid. 445
Meritum licet minimum non marcescit apud Deum. 14 262 & seq.
Sola nostra merita nos comitantur post mortem. ibid. 265 & seqq.
Nostra merita nos sublevant in cœlum. ibid. 264
Deus dat suis servis occasiones merendi. 18 60
Verus Rex magis vult cognosci Rex ex merito quàm ex natura. 19 383
Ubi meritum, ibi præmium. ibid. 386
Magnus attendit merita, & non locorum dignitatem. 21. 368
Vide *Præmium*.

Mercatura.

Mercaturam exercebant olim Reges, & Imperatores. 18 264
Mercatura iniquis modis damnatur. ibid. 265 & seq.

Michael.

Michael seraphim. 12 465
Magnæ prærogativæ S. Michaelis. ibid. 468
Michael inter Angelos eminentissimus. ibid. 469
Michael silentio, ac nomine suo vincit Garrulitatem Luciferi. idid. 472
Michael princeps Ecclesiæ militantis nos adjuvans. ibid. 475 & seqq.
Michael tempore Antichristi pro Ecclesia pugnabit. ibid.
Antichristus interficietur virtute Christi per Michaelem. ibid. 447
Michael maximè intendit adesse cum hominibus laborantibus. ibid. 478 & seq.
Oratio Michaelis valde efficax. ibid. 480
Ex facti diversitate nomen Michaelis exprimitur, Luciferi nomen tacetur. ibid. num. 482
Michael per excellentiam Dei Angelus. 14 297
Michael princeps, ac protector Ecclesiæ, in quo ostenditur eximius Dei amor erga illam. ibid. 298
Michael unus abundans, & sufficiens pro omni multitudine Angelorum. cap. 12. num. 476

Misterium.

Solum qui contemnit temporalia, valet cognoscere alta mysteria. ibid. num. 251 & seqq.
Divina mysteria nobis abscondita. c. 15. num. 173

Minister.

Minister bonus sit alienus à carne & sanguine. 15 122
Minister sit fortis, ac sine affectu carnis & sanguinis. 15 130 & seq.
Ministri proportionentur, ac conformentur cum suo Domino. ibid. 134 & seqq.
Dei ministri non timore, sed amore ducuntur. ibid. 140
Minister Evangelicus non cogitet, nec consideret terrena, ut de aliorum salute agat. 12 633 & seq.
Ad evitandam injustitiam ministris merces largienda. 13 15
Ministri semper addunt aliquid de suo. ibid. 199
Ille est bonus minister, qui non sua, sed Reipublicæ bona quærit. ibid. 202 & seq.
Si minister paucis contentus est, respublica floret. ibid. 204
Deus per eosdem ministros benefacit justis, & punit iniquos. 15 9
Bonus minister lineamenta supremi gubernatoris sequitur. ibid. 11 & seqq.
Minister si non habet dentes ad comedendum, nec ungues etiam ad furandum. 18 172
Aurum ligat ministros ne justitiam exequantur. ibid. 238 & seq.
Rex suorum ministrorum videat, & consideret facta, ac vestigia. cap. 19 n. 284 & seqq.
Rex constituat in suo regno multos aditus, & multos ministros ad expedienda negotia. 21 164 & seqq.

Miraculum.

Diabolus non facit verum miraculum, sed tantùm apparens, & illusorium. 13 209 & seq.
Quid sit verum miraculum, & cur solùm Dei virtute fieri potest. cap. 13. num. 213
Quomodo agnoscendum verum miraculum ut quid diversum ab illusione Dæmonum. ibid. 214
Si homo via communi se potest à periculis liberare, non est recurrendum ad miracula. 18 61 & seqq.

Miser, vel *Miseria*.

Justus habet alas ut miseros custodiat, iniquus ut perdat. 12 619
Regiæ virtutis est miseris subvenire. ibid. 621 & seqq.
Sola Dei manus valet miseros consolari. cap. 21 num. 87
Vide *Necessitas*.

Misericordia.

Misericordiæ confidentia peccare grande peccatum. 12 587
Christus sua misericordia destruit omnia mala contra Ecclesiam. ibid. 681
Deus in opere misericordiæ se declarat auctorem, non sic vero in opere justitiæ. c. 13 154
Summus rigor in manibus pietatis, ac misericordiæ puniri. cap. 14 num. 219 & seqq.
Deus in misericordia vult manifestari, in rigore justitiæ occultari. c. 15 n. 17 & seq.
Deus dum punit, dat misericordiæ locum. 16 52
In Deo est misericordia cum justitia. 16 57 & seq.
Valde superabundans est ex misericordia. 21 161
Potius errandum est per misericordiam, quam per justitiam. ibid.

Minima.

Minima ex nimoderato affectu damnantur. 18 188

Mi...

Mortificatio.
Mortificatio sit cum jubilo, ac lætitia spirituali. 14.61
Magna & multiplex sit mortificatio. 15.70
Non datur mortificatio sine gratia Dei. 72

Mors, vel *Mortui.*
Post mortem bona tua opera te concomitantur. 14.265 & seqq.
Mors nec juvenibus, nec senibus parcit. ibid. 315
Semper simus parati ad horam mortis. 16. 182
De morte ac judicio semper cogitandum. ibid. 185 & seqq.
Mors velocissima. 17.185
Impii memoriam mortis abiiciunt, ut liberius peccent. 18.95 & seq.
Rari salvantur, qui tarde, ac in turbatione mortis veniunt ad Deum. ibid. 176 & seqq.
Etiam in extremo tempore potest homo consequi salutem. 19. 93
Mors pro Christo parit triumphum, & gloriam. 20.58 & seqq.
Justorum mors dat odorem gloriæ.
Vide *Defunctus*.

Mille.
Millenarius numerus ponitur pro indefinito, ac magno numero in scriptura. ibid. 22

Mulier.
In muliere requirenda est probitas, & non pulchritudo. 21.62
Pulchritudo mulieris mendacium, & vanitas.
Mulier honesta frequentias agrorum fugit. ibid. 128 & seqq.
Mulier in domo invenit Deum, foras Diabolum. ibid. 130
Mulier se domi continens fœcunda. 131
Pietatis prætextu mulier ne foras exeat. 132
Mulier sæpe sumitur pro Virgine. 12.21
Miraculum est quod mulier bene ornata faciem abscondat. ibid. 208
Mulier pudica non exit foras nec in aliorum oculis apparet. ibid. 208 & seqq.
Pudica Virgo nec ab Angelis vult videri. 210
Mulier cùm fugit aliorum oculos, tunc vincit, ac triumphat. ibid. 635
Impuræ mulieres dant venenum ad bibendum. 17.112
Mulieris obsequium quanto officiosius, tanto *insidiosius*. ibid. 123
Mulier inhonesta ex veste, ac gestu cognoscitur. ibid. 147 & seqq.
Castæ decora facies adornata, indecoram dat suspicionem. 148
Mulier pulchra vult videre, & videri. ibid. 154
Mulier suas delicias sic abscondunt, ut videantur mysteria. ibid. 156
Mulier, cùm sit turpis pictura, vult videri pulchra. ibid. 157 & seqq.
Mulier quæ Virgo apparet, Virgo interius sit. ibid. 159
Mulier honesta abiicit nimium corporis ornatum. 18.155
Una mulier mala tanquam plures ad nocendum. 19. 19 & seq.
Mulier valde potens ad omne robur destruendum. ibid. 21 & seqq.

Mundus.
Mundus multos delicit, nec unum valet erigere. 12.317
In mundo cupiditatum tempestas. 13.12
Mundus maximè varius, ac falsò blandiens. 13
In mundo magni devorant parvos. 13
Mundus plenus pyratis. 14
Mundus periculis plenus. 15.48 & seq.
Mundus mundi vitrea.
Mundana vanitas non stat, sed semper cadit. 18.13

Mundanus.
Mundanus sine verecundia, ac timore præcipitatur in omne nefas. 14.198
Mundani dum magni florent, pereunt. 14. 200 & seqq.

Murmuratio.
Murmurator in fulgentissimas stellas intendit diffundere venenum. 12.258
Septem detractionis, seu murmurationis genera. ibid. 278
Murmurator adversus decem præcepta Decalogi militat. ibid. 290
Detractor de sua detractione gloriatur. ib. 300
Bonum opus proximi à detrahente ut malum reputatur. ibid. 17
Qui contra justos murmurat, in Deum blasphemat. 16.123 & seqq.
Acerbius vulnerat murmurator, quàm durus tyrannus. 22.97 & seqq.
Vide *Lingua*.

Musica.
Musica lasciva maximè damnatur. 18. 253 & seqq.
Musica amantium reconciliatrix. 254
Diaboli techna puellarum cantilena.
Ad evitandum peccatum fuge lascivam cantilenam. 257

N

Necessitas.
IN magna necessitate adest Dei auxilium. 12.383
Vide *miser*.

Negotium.
Ad negotium feliciter agendum, medium proportionatum, ac expertum eligendum. ibid. 620
In negotio non tua, sed quæ Dei sunt, quære. ibid. 156 & seqq.

Nobilitas.
Nobilis allicitur præmio, ignobilis pœna. 19. 341 & seq.
Virtus in nobili multum placet. 21. 400 & seqq.

Nomen.
Nullus honor ex nomine, si opera ei non correspondent. 13.266 & seq.
Nomen à Deo datum perdurabile. ibid. 269
Magni viri divinis nominibus nobilitantur. 14.32
Nominis fama, ac celebritas maximè timenda. 19.387
Proprium nomen est à natura. ibid. 388 & seq.
Nomen præsagium futurorum. 21. 526 & seq.

Nova.
Novi cœli & nova terra secundum substantiam post diem judicii. ibid. 6 & seq.
Justus semper quærit vitæ novitatem, ut magis proficiat. ibid. 38 & seqq.

Numerus.
Qui uniuntur cum Deo habentur in numero apud Deum. 14. 29 & seqq.

O

Obedientia, vel *Obediens.*
OBediens castitate, ac paupertate volat in cœlum. 12. 600
Qui denudatur à terrenis, tacens Deo obedit. ibid. 557
Obediens non quærit, nec disputat de mandato. ibid. 559

Obsequium.
Deus majora dat in præmium quàm ea, quæ ei offerimus in obsequium. 12. 222
Obsequium voluntarium vult Deus. 13. 230 & seq.
Obsequium fœminarum, quantò officiosius, tanto insidiosius. 17.123
Vide Servire.

Oculus.
Oculus ardens ut flamma signum iræ ac furoris. 19.279
Oculus Dei resolvit duritiem peccatorum. 282

Odium.
Tunc odium cumulatissimè completur, cùm tui adversarii aliquid non valent aspicere. 12.483 & seq.

Officium.
Quilibet officio suo fungatur in Ecclesia. ibid. 58
Tunc Respublica perit, cùm debitus ordo in officiis distribuendis non servatur. ibid. 339 & seq.
Vide *Minister*.

Opinio.
Magna pertinacia, propriæ sententiæ insistere, dum magni viri aliud tenent. 11. 485 & seq.

Opus.
Opera nostra bona abscondenda. 12.213
Vera virtus soli Deo ostendit opera sua. ibid. 214
Justus abscondit opera sua. ibid. 215 & seqq.
Opera bona salutem indicant, ac demonstrant. 14.256 & seqq.
Præstantia internæ virtutis operibus demonstratur. ibid.
Merces debita in Sanctorum operibus eos concomitatur. ibid. 259 & 265 & seqq.
Licèt opus transeat, bonitas illius manet in acceptatione divina. ibid. 261
Bona opera in cœlum sublevant operantem. ibid. 264
Vera virtus ostenditur verbis, ac operibus. 15 94 & seqq.
Beatitudo non verbis, sed operibus habetur. 19.93 & seqq.
Qui male operatur, ut incredulus habetur. 21.106

Oratio.
Ecclesia oratione se defendit, ac triumphat. 12.612
Oratio munimen, ac tutela. 13.159
Maxime placet Deo oratio facta in recessu, ac separata à tumultu. 15.85 & seqq.
Statutum est tempus orandi pro inimicis. 18.76 & seqq.

Opprimere.
Qui servos Dei opprimit, etiam opprimitur. ibid. 244

Otium.
Ab otio ruina, à labore victoria. 17. 84 & seq.

P

PArdus maculosus, quales habeat proprietates. 13.57

Passio, seu *Pati.*
Summa felicitas, ac requies pati pro Deo. 14.251 & seqq.
Pati, seu mori pro Christo maxime gloriosum, ac honorificum. 21.622

Passio Christi.
Ut cœlestibus bonis fruamur, debemus conformari Christo passo. 15.73 & seqq.
Ex irrigatione sanguinis Christi, exurgunt novi justi in Ecclesia. 75
Passio Christi maximè nos movet ad dolores patiendos. 19. 313 & 43. 340
Christus valde decorus, & formosus in passione sua. ibid 314
Christus pro nobis multoties sanguinem fudit. ibid. 317

pater, seu *Parens.*
Ex gloriosa familia natus, parentum laudibus tenetur aliquid addere. 12.198

Inepte

Inepte peccantes filios carpit pater errati reus. 15.126 & seqq.
A patre malo, filius iniquus. 18.173 & seqq.

Patientia.

Patientia, ac prudentia devincitur hostis. 12.605
Patientia, & fides in omni persecutione necessaria. 13.160 & seq.
In persecutione probatur patientia. ibid. 162 & seqq.
Patientia firmam generat perseverantiam.
Quantò quis sapiens, tantò magis patiens. 14.226
Vera patientia mala sustinet pro confessione fidei. 229
Patientia de omnibus malis triumphat. 14. 230 & seqq.
Ad patientiam, sequitur requies æterna. 14. 247
Patientia breviat labores. 17.260

Paupertas, seu Pauper.

Abundantia, ac felicitas virtutis noverca paupertas illius mater. 12.415 & seq.
In mundo, magni devorant parvos. 13.13
In mundo paupertas ut vitium, opulentia ut virtus censetur. 18.41

Pax.

Inter impios non est Pax, sed dissensio, ac discordia. 17.285
Bonum bellum, per quod rumpitur pax mala. 12.344
Ubi est amor proprii lucri, non potest esse pax, & unitas. 12.451 & seqq.
Si iniquus adest turbatio est; si abest pax. ibid. 559
Vide *Concordia*.

Peccatum.

Quod est ad munimen, ac tutelam, per peccatum fit ad ruinam, & casum. 17. 195 & seqq.
Sæpè unum peccatum permittitur in pœnam alterius. ibid. 297
Peccatum secum adducit temporalium jacturam. 18.17
Qui inverecunde, ac publice peccat, statim punitur. ibid. 92
Comes peccati dolor, & tristitia. ibid. 100 & seqq.
Multiplex diligentia necessaria ut depellatur peccatum. ibid. 102 & seq.
Peccatum excæcat, pœnitentia facit videre. ibid. 135 & seqq.
Justus deplorat peccatorum causam, iniquus effectus. ibid. 214 & seqq.
Peccatum gravissimum onus, & mergit in profundum. ibid. 242
Qui aliorum peccatum est causa, graviter punitur. 19.4
Valde miserabile vincere majora, & cadere in minimis. ibid. 91
Unum peccatum aliud parturit, & generat. 12.291
Unum peccatum multa trahit secum. ibid. 301 & seqq. & 16.32 & seqq.
Cùm peccatis renuntiamus, gravius à dæmone impugnamur. ibid. 434
In aliorum lapsu sola divina virtus stat secura. ibid. 516
Peccati auctor, & qui alios ad peccandum induxit gravissimè punitur. ibid. 517 & seqq.
Peccata potentum, etsi videantur occulta, maximè sunt manifesta. ibid. 541 & seqq.
Cum radix peccatorum extinguitur, tunc victoria reputatur perfecta. ibid. 550 & seq.
Ægrè adultum peccatum expellitur, facile in exortu refecatur. ibid. 552
Peccatum nostrum accusat nos. ibid. 563
Unum peccatum pœna alterius. 13.85
Grande peccatum confidentia misericordiæ peccare. 12.387
Peccatum ac vitia peccantium conditionem induunt, ac per eos coronantur. 13. 51 & seqq.
Intuitu præsentis felicitatis antiquæ peccatorum clades absconduntur. ibid. 92
Cave à peccato, quod in altero vindicasti. ibid. 108
Per quæ quis peccat, per hæc torquetur. ibid. 150 & seqq. & 16.54 & seqq.
Peccatum contra se advocat malum & supplicium, quod ipsius peccati est consequentia. 13.136 & seqq. & 14 286 & seqq.
Verecundiam peccandi abiicere summum malum. 13.242 & seqq.
Peccare in oculis Dei summum malum. ibid.
Peccatum Sodomæ maxime contra se provocat divinam justitiam. 16.20
Peccati fructus ab ipso peccato destruitur. ibid. 63 & seqq
Peccatum mortem generat ipsimet peccatori.
Publicati peccati verecundia magnum supplicium. ibid. 191 & seqq.
Superiorum peccatum gravius, & maximè notum. 17.48 & seqq.
Peccatum maximè tenebrosum, & obcæcat mentem. ibid. 54 & seqq.
Grande peccatum, quod ex abundantia committitur. ibid. 94 & seqq.
Grande peccatum, quod ex donis acceptis fit.
Peccatum ex circumstantiis minuitur. ibid. 96
Peccatorum duces, ac capita rigide puniuntur à Deo. 20.178 & seqq.

Peccator.

Peccatoris voluntas nihil aliud intendit, nisi sui ruinam. 12.448
Peccatorum loca etiam cum ipsis pereunt, & consumuntur. ibid. 498
Justus volat in cœlum, peccator in infernum. ibid. 618
In via peccatorum labor, justorum verò dulcedo. ibid. 636 & seqq.
Peccator etiam nolens justos adjuvat. ibid. 680
Peccatore nil vilius. ibid. 702
Peccatores vitiis belluæ. 13.9
Peccator per vitia se multiplicat in multas, ac varias personas. ibid. 31 & seqq.
Peccator sic obdurescit, ut nec stimulo Dei, vel conscientiæ respondeat. ibid. 60
Qualia arma peccator sumit adversus Deum, talia illi Deus opponet. ibid. 150 & seqq.
Peccatores nomen Christi abiiciunt pro nomine pessimo. ibid. 238
Peccatores non solum mala faciunt, sed etiam de eis gloriantur. ibid. 239
Peccatores dum puniuntur, sunt inexcusabiles. 15.19 & seqq.
Peccator & Diabolus omni turpitudine uniuntur. 16.10
Peccator ab ira Dei non potest effugere. ibid. 11 & seqq.
Peccator jam de præsenti est mortuus. ibid. 40
Peccatores bibunt omnia tormenta. ibid. 67
Omnes creaturæ pro suo creatore armantur contra peccatorem. ibid. 87 & seqq.
Deus potius irascitur in vias peccatorum, quam in ipsos peccatores. ibid. 99
In peccatores cito advolat supplicium divinum. ibid. 137 & seqq.
Peccatores, ac impii maximè uniuntur ad malefaciendum. ibid. 175 & seqq.
Peccatores suis consiliis trahuntur in pœnas, ac supplicia. ibid. 201 & seq.
Peccatores inter ipsa supplicia, quanto magis arguuntur, tantò pejores fiunt. ibid. 234 & seqq
Anima peccans abjectissima. 27.20
A contagio peccatorum fugiendum. 18.52
Eisdem armis perit peccator, quæ contra Deum sumit. ibid. 93 & seq.
Per quæ quis peccat, & torquetur.
Impius deliciis incantatur ad licentiosius peccandum. ibid. 96
Sententia in unum peccatorem prolata similes ferit. ibid. 142 & seqq.
Peccatores frequenter repetunt eadem peccata. ibid. 245 & seqq.
Miseria peccatoris in hoc mundo accipit suam consolationem, & in futuro nullam habebit. 20.70 & seqq.
Peccantium multitudo maximè accelerat supplicium. ibid. 110 & seq.
Ubi justus proficit, ibi labitur peccator. 22. 89 & seqq.
Peccator ad vomitum rediens indignus cœlo. ibid. 101

Periculum.

Sublimia excitant pericula à quibus custodita sunt humilia. 12.417 & seqq.

Persecutio.

Crudelis persecutio ficta humilitas. 12.585
Persequentis servos Dei recta via est in infernum. 13.147
Major persecutio à malo affectu, quàm à tyrannis. 17.163

Perseverantia.

Ad virtutem requiritur perseverantia. 12. 373
Patientia firma generat perseverantiam. 13. 165

Petrus Apostolus.

Petrus super cæteros Christum amabat. 21. 255 & seq.
Petrus vicarius amoris Christi in homines. 257
Officia charitatis inter Christum, & Petrum. ibid. 258
Dolor Petri æmulatur aliqualiter Christi dolorem. ibid. 259
Prævisis Lachrymis Petri demulcetur sudor sanguineus Christi. 260
D. Petrus honoratur à Christo singulariter martyrio crucis. ibid. 289
Petrus, & Paulus duæ Ecclesiæ alæ. 12.598
Petrus Apostolus supremum fastigium ac vertex Apostolorum. 21.232
Petrus quandam similitudinem Christi refert. 234
Petrus unum fundamentum Ecclesiæ cum Christo.
Petrus munit, ac custodit Ecclesiam sua auctoritate. 235 & seq.
In D. Petro omnes virtutes fulgent, ac nitent. ibid. 237 & seq.
A virtute Petri derivantur omnes virtutes in alios.
Fortitudo, ac dona cœlestia per Petrum conferuntur ad alios. ibid. 239 & 242
Petrus ut summus pastor omnium personas gerit, omnesque portat in corde. ibid. 240
Petrus virtute miraculorum eminebat super alios Apostolos. ibid. 241
Nihilum Petri mirabilia operatur.
Petrus ita excelsus, ut non habeat secundum. 243
Ut Christi magnalia credantur, ab ore Petri proferenda sunt. ibid. 244
Deprimitur Petrus, ut Christus credatur Deus. ibid. 245
Petrus agnovit, & docuit quæ Angeli non agnoverunt. ibid. 246
Petrus Magister Apostolorum. 247
Petrus communiter reputabatur magister Apostolorum. 248
Quod Petrus ligat Christus ligat, & [illegible] ab Angelis veneratur. ibid. 249
Petrus ab ore Christi dicitur [illegible] Spiritus Sancti. 250
Petrus de firma fide maxime commendatur ibid. 251
Ecclesia ut firma, super fidem Petri fundatur. ibid. 252
Declarata fide Petri, Christus agit de sua morte. Petri

Petrus Justitiæ, & pietatis plenitudo . 254

Pœnitentia, vel *Pœnitens*.

Pœnitentia interna externis signis declaranda. 12.630 & seq.
Pœnitentia, ac mortificatio sit secundum diversa peccata. 14.71
Pœnitentia nos extollit ad chorum, ac gaudium Angelorum. ibid. 72
Peccatum per pœnitentiam sic deletur, ac si nunquam fuisset. ibid. 137
Deus congaudet innocentibus, ac pœnitentibus. ibid. 281
Pro delendis peccatis magna pœnitentia exquiritur. 15.26
Lachrymæ pœnitentiæ acuunt oculos ad videnda divina. ibid. 29 & seqq.
Deus supplicia paulatim immittit, ut det locum pœnitentiæ. 16.51 & seq.
Nil gravius, quàm non agere pœnitentiam. ibid. 77
Si peccatum delet nomen Regis, pœnitentia revivisicit. 18.123
Pœnitentia facit videre, peccatum excæcat. ibid. 135 & seqq.
Castigatio aliorum impios ad pœnitentiam adducit, ibid. 199 & seqq.

Pœna.

Nulla vi, ac industria potest homo effugere ab ira Dei. 13.148
In pœnis peccatorum lætatur justus, cum non sit particeps in eorum vitiis. ibid. 149
Pœna damni omnium gravissima. 14.341 & seqq.
Deus punit citra condignum. 18.86
Pœna peccati æterna justissima est. 87
Pœna in inferno correspondet culpæ. 19.473
Vide *Supplicium*.

Plaga.

Quanto tempore plagæ Ægypti durarunt. 16.49

Philippus Apostolus.

Philippus primus Apostolus vocatus est. 21. 368
Philippus in Christo sequendo valde admirabilis. ibid. 369
Magnis cœlestibus donis ditatus est Philippus. 370
Magna sublimitas Philippi quod sit primus in collegio Apostolico. 371
Magna gloria Philippi, quod ipse inter magnos & excellentes sit electus. 373
Philippus juxta suum nomen fulget & resplendet. ibid. 374
In Philippi nomine officium Apostolicum est effigiatum. ibid.
Philippus à Christo participavit ut fulgeat, & luceat.
Philippus bonum quod invenit vult omnibus communicare. 377
Philippus ardet charitate in proximos. 378
Philippus multa prudentia nitet. 379
Philippus primus inter homines prædicat Jesu nomen, quod est magna sublimitas illius. ibid. 380 & seqq.
Generoso animo Philippus petit visionem patris. ibid. 383 & seq.
Philippus attendebat merita non locorum dignitatem. 385
Philippus inclytus, & excelsus suo martyrio. ibid. 389 & seq.
Mors crucis, & lapidum reservata est Philippo. 390
Philippus tanquam lapis per crucem erigitur. ibid. 391
Cur Philippus cruce, & lapidibus moritur. ibid. 392
Philippus maxime totus transformatus in Christi mortem & passionem. 393
Philippus pro inimicis rogat.

Pietas.

Dei pietas ex mali seducit bona. 15.104 & seqq.
Vide *Clementia*.

Poeta.

Poetarum figmenta homines impuros ut Deos decantant. 16.160
Plaga poetarum valde exitialis. 161
Cum vanis poetarum versibus gentium mores bibuntur. 162
Vani poetæ exitialis plaga in regnis. ibid. 170 & seqq.
Lingua poetarum valde nociva. 17.133

Populus.

Multitudo populorum multa facinora parit. 13.20 & seq.
Cur populus aqua significatur. 17. 274 & seqq.

Potentia, vel *potens*.

Potentia clarus maxime veneratur. 13.84
Potentia inservit ad sevitiam. 17. 225 & seqq.

Præceptum.

Observatione præceptorum Dei evitantur supplicia æterna. 14.228

Prædicator, seu *Prædicare*.

Primi fidei prædicatores Ecclesiæ, gloria & honor. 12.53 & seq.
Cum Christus laudatur, ac prædicatur, ardet Diabolus invidia. e..., n. 344 & seqq.
Prædicator Evangelicus sic dicat veritatem ac salutem proximorum ut nil terrenum nec terrenas dignitates consideret. 12.633 & seq.
Prædicatio præstantissima cum patientia in laboribus. 13.164
Prædicatores non erubescant. 14.149
Prædicator sit eminens virtutibus. ibid. 157
Prædicator Scripturæ testimoniis suam confirmet doctrinam. ibid. 158 & seqq.
Prædicatores, ac scholares sint dediti vigiliæ, ac studio. 161
Prædicator sit ardentissimus in Concionando. ibid. 162
Verbi Dei prædicatio ad horrea cœlestia transfert. ibid. 284
Prædicatores mortificatione accinguntur. 15. 123
Prædicator cùm alios arguat, immunis sit à delicto. ibid 125 & seqq.
Prædicatores ut debite suo officio fungantur cœlesti sapientia illustrentur. ibid. 163
Summa Dei ira, quod verbum Dei ab auditoribus contemnatur. 164 & seq.
Prædicatores justis præbent suavia, impiis terribilia. ibid. 167
Prædicator sua doctrina illuminat Mundum. 18.10
Magna sit constantia ac fortitudo in prædicatore. ibid. 11 & seqq.
Prædicatores licet multi, in unius fidei unitate conveniunt. 19.6
Auditores reverentiam exhibeant prædicatoribus. ibid. 192
Prædicator ex sua scientia non tumescat. ibid. 203
Prædicator laboribus non fatigetur, sed semper firmus & constans stet. ibid. 412
Prædicator resplendeat scientia, & ferveat charitate. 413
Bonus prædicator illustret doctrina, & vita ædificet. 414
Sermo prædicatoris sit clarus, & non obscurus; reprobantur prædicatores critici. ibid. 416 & seqq.
Prædicator non sit acceptor personarum. ibid. 423
Prædicator ut proficiat, totus sit cœlestis.
Prædicator distribuat doctrinam juxta capacitatem auditorum. 21.195
Prædicator Evangelicus irrigat, ac fœcundat corda audientium. 22. 8

Prælatus.

Bonus Prælatus, dat præmia & supplicia juxta subditorum conditionem, ac opera. 12. 34
Graviter puniuntur, qui contra prælatos Ecclesiæ insurgunt. ibid. 683
Principes ac prælati injusti aliquando recti volunt videri. 13.59
Prælati viles maxime super alios se extollunt. Contumelia in prælatos in Deum redundat. 16.91
Superiorum peccatum gravius, & maxime notum. 17.48 & seqq.
Sinceritas cordis Superioris sit manifesta. 19.355
Prælatio inter æquales multa mala infert. 20.27 & seqq.
Divinum documentum ut fugias à prælatione. ibid. 29
Bonus prælatus dat suavia, & aspera pro tempore. 21.121

Præmium.

Deus præmio nos allicit ad opera. 12.215
Deus majora dat in præmium, quàm ea, quæ ei damus in obsequium. ibid. 222
Viso præmio animus stimulatur ad laborem, ac victoriam. ibid. 644 & seqq.
Præmia dulcia justis supplicia terribilia peccatoribus. 14. 58
Solus Deus præmiat bonos, & punit peccatores. 15.110 & seqq.
Deus justis dat præmium, iniquis pœnam. ibid. 168 & seqq.
Diversa merces pro diversitate meritorum 21.172
Præmium visum maxime convocat milites ad bellum. 19.297 & seq.
Nobilis allicitur præmio, ignobilis supplicio. ibid. 341 & seq.
Præmium propositum militibus stimulus ad bellum. ibid. 343 & seqq.
Juxta merita uniuscujusque datur præmium in beatis. 22.22
Omnibus sanctis non datur idem præmium. 24

Præsentia.

Dei præsentia nos custodit. 14.33

Princeps.

Principes mundiales muliercularum sunt servi. 17.299 & seqq.
Ad puniendos principes de cœlo est justitia, & non de terra. 18. 4
Principes multoties Deo rebelles. 18.126
Vide *Rex*.

Primus.

Principia virtutum maxime æstimanda, & coronanda. 12. 54
Primus in aliqua virtute maxime nobilitandus, ac condecorandus. 21.273 & seqq. & 322 & seq.

Propositum.

Pro facto habetur, quod animus efficaciter determinat absolvere. 13. 139

Promissio, seu *Promittere*.

Angelus plus exhibet, quam promittit. 19. 152

Prophetæ.

Prophetiæ sæpe implentur antequam reputantur. 21.361

Providentia.

Divina providentia dividit cœlestia dona juxta merita uniuscujusque. 22. 22 & seqq.

Proximus.

Vide *Salus*.

Pueri.

Quinam locus puerorum post diem Judicii qui sine baptismo decesserunt. 20.177

Prudens, vel *prudentia*.

Prudentia, ac sapientia devincitur hostis. 12.605

Pugna.

Qui pro Christo fortiter pugnat, cum magna gloria evehitur in cœlum. 19.367
Qui pugnat cum Christo, & pro Christo, mundus est. ibid. 149

Pulchritudo.

Pulchritudo corporis contemnenda. 12.201
Pulchritudo mulieris mendacium, & vanitas. 21.62

Pur-

Purgatorium.
Probatur ex Apocalypsi dari purgatorium. ibid 625
Pœna purgatorii acerbissima. ibid. 627
Et quænam sit hæc pœna.
Animæ à purgatorii pœna liberantur bonis operibus, ac orationibus vivorum. ib. 628 & seq.
Gratissimus Deo, qui pro adjuvandis animabus purgatorii agit. ibid. 630 & seqq.
Puritas.
Vera puritas, seu pudicitia aliorum oculis patet. 12.197
Puritas animi & corporis necessaria. 15.138

Q

Quærere.
JUsti nil aliud quærunt, nisi totum Christum. 20.169 & seq.
Ardentissime Deus amandus, ac quærendus est. 21 99
Justus sic desiderat Christum ut ipsum quærat. ibid. 101 & seqq.

R

Radix.
CUm radix vitiorum ac malorum extinguitur, tunc victoria reputatur perfecta. 12 550 & seq.
Religio, vel *Religiosus.*
Ex inobedienti, & malo religioso, religionis cœlum perturbatur. ibid. 459
Ex uno filio Deo consecrato multiplicantur filii. 14.136
Typus veri religiosorum Ordinis. ibid. 273
Filii ac bona, quæ pro Deo dantur felicius habentur. ibid. 303 & seq.
Vita monachorum sit contemplatione manifesta. 15 95
Malos religiosos odium & ambitio obcæcat. 16.101
Religiosus dimittat terrena, ut accedat ad cœlestia. 19.92
In tenera ætate adducendi ad Christum. 21. 621
Non dantur meliores homines, quam illi, qui proficiunt in religione; non dantur deteriores, quam illi qui in religione non proficiunt. 22.87
Reminiscentia.
Peccatores frequenter redeunt ad eadem peccata. 18.245 & seqq.
Reprehendere.
Qui alios reprehendit, immunis sit ab omni delicto. 15.125 & seqq.
Reprehendentibus negantur obsequia, quæ dantur adulantibus. 17 82 & seq.
Suavè reprehenduntur homines objecta aliorum castigatione. 18.202
Reprobus.
Reproborum maxima pars Orbis. 12. 52 & 13.226
Respublica.
Respublica fulget & firmatur si indignus dejicitur, benemeritus exaltatur. ibid. 68 & seq.
Tunc respublica perit, cum debitus ordo in dignitatibus distribuendis non servatur. ibid. 342 & seq.
Resurrectio.
Ita electi resurgent speciosi, ut alii videantur à se ipsis. 20.142
Rex, vel *Regnum.*
Bonus Rex & princeps omnes excipiat, ac amplectatur. 12.33
Unus Rex alteri invidet suam amplam fortunam. ibid 291 & seqq.
Regalis curia morbis, ac laboribus deprimit, sed non sublevat. ibid 319 & seqq.
Regiæ dignitatis appendix miseris subvenire. ibid. 621 & seqq.
Rex iniquus ob peccata populi. ibid 702
Idem est Rex creari, ac pro suis morti se exponere. 13.140 & seqq.
Optimi Regis ac gubernatoris est supremi artificis lineamenta sequi. 15.11 & seqq.
Regibus, ac magnatibus durissimum judicari. 16.174
Impii reges crudeles pro suo regno conservando & dilatando. 17.102
Impii reges quamvis se jactent pios, crudeles sunt. ibid. 103 & seqq.
Regna temporalia velocissime transeunt de uno ad alium. ibid. 194
Regia dignitas valde sublimis, & excelsa. ibid. 198
Rex aliquando sic super alios se vult erigere, ac si esset alterius naturæ. ibid. 200 & seqq.
Rex resplendeat majestate, potentia, ac fortitudine. ibid. 222
Reges bella movent pro suo imperio dilatando. ibid. 224 & seq.
Potestate utitur Rex ad sævitiam, & ut male agat. ibid. 25 & seqq.
Mali regis mores, ac exemplum pestis, & corruptio totius civitatis. 18.35 & seqq.
Peccatum delet nomen Regis, *quod* pœnitentia revivisit. ibid 125
Ille verus Rex, *qui* virtutibus præeminet. ibid. 230 & seqq.
Multi reges studeant avaritiæ ut subditorum bona rapiant. ibid. 268
Bonus Rex suis ministris etiam bonis adest eorumque facta, ac vestigia videt & considerat. 19.284 & seqq.
Rex in causis suorum sit simul judex & notator.
Magna corona Regis suos coronare. ibid. 296
Severitas ac benignitas *in* rege. ibid. 396
Christus Rex suos facit Reges. 397
Reges sciant esse alium excelliorem, cui de universis reddituri sunt rationem. ib. 399 & seqq.
Super reges est alius excelsus vigilans super eos.
Qui sua auctoritate possunt resistere Regum prævaricationibus, & non faciunt, graviter puniuntur. 21.112 & seqq.
Rex constituat in sua republica multos aditus, & multos ministros. ibid. 164 & seqq.
Bonus Rex nil fœdum permittat in sua civitate. ibid. 625
Requies.
In hac vita non datur requies 14.250
Pati pro Deo requies & vita. ibid. 251 & seqq.
Rigor.
Summus rigor manibus pietatis puniri. ib. 219 & seqq.

S

Sacerdos.
MAli sacerdotes solliciti pro divitiis. 18.39
Sacerdotes pares Angelis, vel supra. 19.205
Vide *Ecclesiasticus.*

Salus.
Salus proximorum procuranda cum multo nostro labore. 12.230 & 247
Apostolicus labor ex salute gentium convertitur in gaudium. ibid. 232 & seq.
Salus nostra Dei salus reputatur. ibid. 559 & seqq
Nostra salus labori alieno non est credenda. 14.79 & seqq.
Unusquisque negotium suæ salutis per se agat.
Præstantissima salus habita sine periculi umbra. 15.84
Rari salvantur ii, qui tarde, ac mortis perturbatione veniunt. 18 176 & seqq.
In negotio salutis non est morandum. ibid. 178 & seq.
Christus ad salvandum *solus* venit, ad puniendum cum multis. 19.357
Valde pigri sunt homines ad negotium suæ salutis. 21.43
Pro salute laborandum in hac vita. ibid. 73
Deus omnibus dat viam ad salutem. ibid. 160
Valde gratum Deo, qui de aliorum salute agit, eosque adducit ad Christum. ibid. 622
Proprium servorum Dei de salute proximorum agere. 22.116 & seqq.
Sanctitas, vel *Sanctus.*
Vita Sanctorum aliud corporis oculis, aliud menti objicit. 12.195
Sancti immaculati, & irreprehensibiles. 14-138
Sancti per gradus tribulationum crescunt in gloria. 20.48
Tempore Antichristi illustrissimi futuri sunt sancti. 49 & seq.
Sancti custodiunt muniunt, ac tuentur civitatem. 20.75 & seqq.
Sanguis.
Qui alterius sanguinem fudit, sanguis ejus effundetur. 16.37
Sardonix.
Gemma pretiosa, apud antiquos in multo usu. 21.366
Cujus coloris.
Visum acuit.
Philippum Apostolum adumbrat. 367
Sapientia, vel *Sapiens.*
Stultus contra sapientem armatur, ut eum corrodat, ejusque sapientiam obscuret. 12. 203 & seqq.
Non sapientes, sed qui vix aliquid sciunt arroganter alios despiciunt. ibid. 330
Magnum miraculum, quod sapiens velit ab alio doceri. 332
Ille sapiens qui præcavet supplicia æterna. 14 2 5
Tanto quis magis patiens quanto magis sapiens. ibid. 226
Sapientia conjuncta sit cum fortitudine, ut effectum producat. 15.143 & seqq.
Sapientia fulgeat in interiori, ac exteriori. 19.141 & seqq.
Sapientia cum humilitate alta, & magna promeretur. 21 592 & seq.
Sardius.
Sardius quinam lapis sit. ibid. 395
Sardi color. 396
Sardi proprietates. 397
Scientia.
Scientia pauca inflat, & facit ut alii despiciantur. 12.331
Valde lethale, quod homo nunquam se velit victum agnoscere. 16.30 & seq.

Scribere, seu *Scriptor.*
Scriptores canonici laborant studio, lectores vero delectant. 14.77
Scripta proficiunt præsentibus, & absentibus. 21.95 & seqq.
Scriptura.
Idem locus *Scripturæ* potest habere plures sensus. 12.95
Lectio Sacræ Scripturæ cibus animæ. ibid. 423
In expositione Sacræ Scripturæ multa jucunditas. 14.158
Scriptura tanquam fluvius, ac imber fœcundat. 22.7
Scriptura Sol illuminans.
Scriptores.
Scriptores sacri longe *aliis* eminent. 14. 164 & seqq.
Scriptores Sacri fulcimenta Ecclesiæ, & maxime prope ad Deum accedunt.
Scriptores honorantur à Christo. 21.315

Secretum.
Deus justis communicat sua secreta. 19. 302
Secretum solum cum amicis communicandum. 21.100
Sensus.
Quæ quinque sensibus famulantur pariunt rumam. 18.159
Sensus externi in beatis exercebunt suas sensationes. 22.31
Sententia.
Qui in propria sententia persistit, dum virtutem magni aliud sentit, in brutum degenerat. 18.485 & seq.
Sententiæ expectatio maxime torquet. 113 & seqq.

Sequi.
Aliquem sequi societatis nota. 14.112
Ille Christum sequitur, & ad eum venit qui cum ipso crucifigitur. ibid.119 & seq.
Qui sequitur Christum, ab ipso habet vitam, & salutem. ibid.122
Sermo.
Eloquens sermo maxime pronus ad præcipitium, ac decipiendum. 12.517
Servus, seu *Servire.*
Qui servit Deo vivit, qui Mundo, perit. 12.421
Gloriantur, quòd servi Dei habeantur. 14 36
Nil sublimius, quàm nomen servi Dei. 15. 89
Qui Dei servos offendunt, Dominum offendunt. 17.257 & seqq
Qui servos Dei opprimit, etiam opprimitur. 18.244
Bonus servus non quærit gloriam suam, sed tantùm Domini sui. 19.207 & seqq.
Christus minister suorum servorum, 22 52
Magna dignitas servorum Dei, quod ejus filii dicantur. 53
Servire Deo præclarissimum regnum. ibid.54
Vide *Obsequium.*
Signum.
Multipliciter sumitur in scriptura. 12. 4 & seq.
Silentium.
Magna silentio venerantur. 21.575 & seqq.
Garrulitas, ac transgressio silentii extremam ruinam parit. 12.442
Ars Divina garrulitatem silentio vincere. ibid.472 & seq.
Cum silentio audienda Dei mandata, & verba. 21.557 & seqq.

S. Simon Chananæus Apostolus.
S. Simon in lapide pretioso Hyacintho adumbratur. 21.551
Simon totus cœlestis. 551 & seqq.
Christi opera & Simonis eadem figura repræsentantur. 553
S. Simon prompta obedientia dum tacens audit Dei mandata. 555 & seqq.
Simon dicitur zelotes, peculiariter zelus honoris Dei commissus est ei, quo nihil ei gloriosius. 21.560 & seqq.
Deus dicitur zelotes, & hoc nomine Simon nobilitatur. 562
Sanctus Simon falsa testimonia dissolvit, ut veritas manifestetur. 21.564 & seqq.
Admirabilis potestas sancti Simonis in dæmones. 568
S. Simon Apost. distinctus ab alio Simone Episcopo Jerosolymitano. ibid.573
Martyrium S. Simonis Apostol. ignoratur pro sui magnitudine, ut silentio veneretur. 574 & seqq.
Simulatio.
Vide *Hypocrita.*
Singularitas.
Singularis in virtute & valde mirabilis. 21. 415. & seqq.

Smaragdus.
Descriptio elegantiæ, ac pulchritudinis Smaragdi. ibid.330
Magnitudo Smaragdi.
Smaragdo familiaris virginitas. ibid.333
Smaragdus visum acuit. 332

Similitudo.
Dei similitudo appetenda non secundùm potentiam, sed secundùm virtutem. 12. 450
Qui Christo in virtute assimilatur, miles ejus censetur. 19.350
Similitudo amoris causa. 21.500
Societas
Felicissima familia, in qua unus filius malus, alios secum non trahit. 12.325
Societatis nota aliquem sequi. 14.112
A societate impiorum mente fugiendum. 16.53
Societate impiorum impeditur splendor justorum. 21.17 & seqq.
Solitudo.
Justus in solitudine secum habet Deum. 12. 411
Nil prodest eremus corporis si defecerit eremus cordis. 12.412
Non morosè, sed celerrime ad solitudinem mentis fugiendum. 12.403
Solitudo suavis, & dulcis meditantibus. 404
Frequentia populi virtutum noverca, solitudo mater. 405
Pium animum turbat hominum turba, à qua fugiendum. 406
Solitudo optima lectio virtutum. 407

Spes, seu *Sperare.*
A temporalibus aliquid boni sperare magna miseria. 17.175 & seq.
Ab homine, à quo multa spectas, destrueris. 17.287

Spiritus Sanctus.
Qui in hoc Mundo navigant, ut securè portum teneant, sydus Spiritus Sancti spectent. 15.55
Studium.
Qui student, vigilent, & non dormiant. 14.161
Subditus.
Subditi facile moventur ad facinora suorum principum. 12.327
Subditus veritatem sui cordis manifestam faciat suo superiori. 19.352 & seqq.
Superbia, vel *Superbus.*
Superbus maxime conterendus, & conculcandus. 12.508
Superbia coercenda, ac reprimenda. 12. 515
Christus maxime nos avertit ab elationis fastu. 516
Homo per superbiam vilis, & abjecta bellua fit. 13.10
Superbus semper ascendit, & inde deiicitur. 13.11
Superbus tunc cadit, cum intumescit. 14. 186
Superbus peculiariter inferno dignus. 14. 338
Superbus etiam contra Deum, se audet erigere. 17.199
Superbus de sua superbia verecundatur. 18. 74
Superbia, & lascivia confœderantur. 18. 90
Superbia cito, & inopinate ad se advocat omnes plagas. 18.111 & seqq.
Superfluus.
A magna ruina liberantur, qui à superfluitatibus abstinent. 18.129 & seq.
Dimitte superflua, ut Christo placeas.
Ex superfluitate certa ruina & casus. 18. 162 & seqq.
Supplicium.
Supplicium, ac gladius alienus ab spiritu Christi. 13 153
In opere misericordiæ Deus se declarat auctorem, non sic in supplicio inferendo. 13.154
Supplicia terribilia peccatoribus. 14.57
Quos non allicit præmium compellit pœna. 14 172
Ad supplicium & iram Deus compellitur. 14. 206
Supplicium datum à Deo commensuratur culpæ. 14.210 & seqq. & 15.161 & 18 85 & seqq.
Summus rigor supplicii manibus pietatis puniri. 14.219 & seqq.
Qui sine pœnis peccarunt, pœnis omnium pœnarum colligentur. 14.348
Supplicia quæ à Deo veniunt sunt ad emendationem. 15.19 & seqq.
Punire impios quoddam sanctitatis genus est. 15.117 & seqq.
Deus justis dat præmia, iniquis supplicia. 15.168 & seqq.
Valde sanctum, ac sacrum punire impios. 16.4 & seqq.
Impii in præsenti supplicio aliquid jam gustant de æterno. 16.42 & & seqq.
Supplicium Regi datum formidabile est inferioribus. 16.83 & seqq.
Supplicium Dei cito, & velociter in peccatores. 16.137 & seqq.
Differtur supplicium, ut rigidius inferatur. 16.145 & seqq.
Durissime punitur, qui post visa aliorum supplicia non emendatur. 16. 209 & seqq.
Maxime deploratus, qui sub flagello supplicii non emendatur. 16.234 & seqq.
Supplicium, ac tormentum, quod aliis intulisti durum. 18.79 & seq.
Majora peccata majoribus suppliciis puniuntur à Deo, minora minoribus. 18. 88 & seq.
Quod infervit ad culpam, infervit ad supplicium. 18.106
Supplicium datum uni peccatori timeant qui in simili sunt culpa. 18.142 & seqq.
Qui sunt similes in culpa, erunt similes in pœna. ibid.
Magnum supplicium impiorum, quod in pœnis nullum habeant effugium. 18. 139 & seq.
Summum malum, quod omnia supplicia simul veniant. 18.145 & seqq.
Supplicium aliorum impios ad pœnitentiam adducit. 18.199 & seqq.
Supplicium impiorum proficit ad bonum justorum. 18.222 & seq.
Nobilis allicitur præmio, ignobilis supplicio. 19.341 & seq.
Peccantium multitudo accelerat supplicium. 20.110 & seq.
Pro magno supplicio sententia, ac pœna differtur. 20.113 & seqq.
Expectatio pœnæ maxime torquet.
Supplicium datum uni peccatori eruditio est aliis. 20.119 & seqq.
Qui sua auctoritate possunt resistere majorum prævaricationibus, & non faciunt, graviter puniuntur. 20.112 & seqq.
Vide *Castigare*, vel *pœna.*

T

Temporalia.
Temporalia submergunt, cœlestia elevant. 17.38 & seq.
Ut anima ad Deum veniat, dimittat temporalia. 19.92
Vide *Bona temporalia.*

Templum.
Deus justorum templum. 21.607
Dei templum justus in quo summe Deus delectatur. 608 & seq.
Magis Deus delectatur in templo ex cordibus nostris, quam ex lapidibus. 610
Vide *Ecclesiæ.*

Tempus.
Quod exiguo tempore durat, idem est, ac si non fuisset. 12.262 & seqq.
Tempori, ac loco accommodandum 12.630. & seq.
Terrena.
Terrena relinquenda ut ad cœlestia elevetur mens fidelis. 12.12 & seqq. & 19.426
Vide *Temporalia.*
Tentatio.
Septem sunt tentationum genera, quibus Diabolus aggreditur. 12.278
Incipientes in via virtutis multa tentamenta patiuntur. 12.358 & seqq.
Verus fidelis fortis contra tentationes carnis. 12.366
In tentationibus ad pœnitentiam confugiendum. 12.413
Diabolus aliquando à tentatione cessare videtur, ut majora moveat tentamenta. 12.705
Deus permittit tentationes cum mensura ad hominis vires. 20.52
Diabolus tentando à minoribus inducit majora. 21

Deus-

Deus juxta noſtras vires permittit tentationes. 21.196

Teſtimonium.

Teſtimonium in re propria periclitatur. 21. 82 & ſeq.
Teſtimonium falſum diſſolvere ut appareat veritas, ſummum. 21.565 & ſeqq.
Ad diſſolvendum falſum teſtimonium virtus Spiritus Sancti exigitur. 565
Falſum teſtimonium generat acerbiſſimum dolorem. 566

D. Thomas Apoſtolus.

Chriſtus pignoratus amore Thomæ ei concedit omnia quæ vult. 21.464 & ſeq.
Cur D. Thomas petit manus, & latus, non vero pedes. ibid. 466
Prudentiſſime D. Thomas petit loca vacua, & nemini conceſſa. ibid. 470 & ſeq.
Multum confidit Chriſtus D. de obedientia, ac promptitudine D. Thomæ. 472 & ſeq.
D. Thomas ſanctus ex corde Chriſti, in favoribus prælatus aliis. 21.472
Quod in aliis ſanctis eſt metaphorica exaggeratio, in Thoma eſt vera realitas. 474
Thomas primus confeſſus eſt Chriſtum verum Deum & hominem. ibid. 475 & ſeq.
Thomas illuſtriſſimus inter credentes. ibid. 477
Illuſtrior converſio D. Thomæ quam ſancti Pauli. 479
D. Thomas corpore extenuato veluti Angelus apparuit. 21.480
Apoſtolus Thomas in ſui hæreditatem habuit fines terræ. 481
Thomas animo generoſus. ibid. 482
Admirabilis mors D. Thomæ. ibid. 483
Chriſtus Thomam Apoſtolum facit participem dolorum ſuæ paſſionis. 484
Mors D. Thomæ reſpondet vitæ ejus. 485
Ad ſimilitudinem Chriſti lancea latus Thomæ aperitur. 486
Lampas ardens ſine nutrimento ad ſepulchrum D. Thomæ. 487

Timor.

Timore ac amore volat anima in cœlum. 12. 603
Timor in aliquibus adorare facit Diabolum. 13.86
Ex timore, ac metu, nata idololatria. 13.94 & ſeq.
Timor Dei omnia bona ſecum involvit. 14. 173
Qui Deum timet Deum honorat, & glorificat. 174
Dei timor provocat ad pœnitentiam.
Perfectus timor includit Dei amorem, & eſt via ad illum. 175
Qui Deum timet, nec principes nec magnates mundi timet. 17.176 & ſeqq.
Timor tanquam tributum Deo ſolvendum. 15.102
Timor in inferno auget dolorem. 18.141
Timor Dei ex amore naſcitur. 19.48
Timor Dei omnes virtutes in ſe claudit. 19. 65 & ſeq.
Sola Dei manus timenda, quæ valet inferre magnam pœnam. 19.475 & ſeqq.

Tribulatio.

Sæpe, qui à te ſublimati ſunt, contra te inſurgunt. 12.328
Tribulatio, ac labor juſtis ſuave convivium. 12.424
Tribulationibus præparatur anima ad Deum. 19.134
Sancti per gradus tribulationum creſcunt in gloria. 20.48
Vide *Labor*, vel *Perſecutio*.

Topazius.

Gemma pretioſa olim in magna æſtimatione. 21.488 & ſeq.
Nominis Ethymologia.
Ejus magnitudo.
Ejus color. 490
Ejus proprietates. 491

Templum.

Deus juſtorum templum 21.608
Dei templum juſtus, in quo ſummè Deus delectatur. 609
Magis Deus delectatur in templo ex cordibus noſtris, quàm ex lapidibus. 610
Vide *Eccleſia*.

Trinitas.

Prædicatio Evangelica ordinatur ad prædicandum myſterium Trinitatis. 14.156
Maximè Deus veneratur, ac honoratur cognitione Sanctiſſimæ Trinitatis. 19. 44 & ſeqq.
Sub ſigno Trinitatis magna felicitas & gaudium. ibid. 47
Sancta Trinitas illuminat Eccleſiam. 21. 144
Fides Trinitatis aperit cœlum, & dat omnia bona. 21.173 & ſeqq.
Umbra Trinitatis omne *malum* expellitur, & omne bonum *habetur*. ibid.

Triſtitia.

Triſtitia *comes* peccati. 18.100 & ſeqq.
Triſtitia omnium acerbiſſimum malum. 18. 117 & ſeqq.
Triſtitia æqualis morti, imo deterior.
Triſtitia juſtorum vertitur in gaudium, gaudium impiorum in triſtitiam. 19.5

V

Vanitas.

MUndana vanitas nunquam ſtat, ſed ſemper cadit. 18.15
Vide *Gloria Vana*, vel *Jactantia*.

Verbum noſtrum.

Verba examinanda, & non inconſideratè loquendum. 18.249
Vide *Sermo*, ſeu *loqui*.

Veritas, ſeu *Verum*.

Qui veritatem ſincerè dicunt apud Regem malè audiunt. 13.201
Veritas, & Virginitas connectuntur. 14.141 & ſeq.
Qui abſque dependentia vivit, veritatem dicit. 144
Veritas odium parit, & qui verum dicit contra ſe aliorum odium excitat. 14. 145 & ſeqq.
Veritas ſinceritatem; & falſitas venenoſa quærit. 17.124
Veritas de omnibus triumphat. 19. 229 & ſeqq.
Veritas prævalet falſitati.
Veritas difficiliter invenitur in terris. 19.234
Veritas ſuperari non poteſt. 235
Qui vera dicit, tranſcendit humanæ naturæ terminos. 29.238 & ſeqq.
Veritas cordis manifeſta fiat ſuperiori. 19. 352 & ſeqq.

Verecundia.

Qui verecundiam peccandi abiicit, non homo ſed beſtia eſt. 13.242 & ſeq.
Mundanus ſine verecundia præcipitatur in omne nefas. 14.198
Verecundia, ac confuſio peccati, magnum eſt ſupplicium. 16.191 & ſeqq.

Veſtis.

Veſtis pompatica, & elegans luxuriam animi indicat. 17.21 & ſeqq.
Externa veſtis caſtitatem mentis indicat. ibid. 23 & ſeq.
Nimius veſtium ornatus ad damnationem pertinet. 17.27 & ſeqq.
Multus veſtium ornatus facit habitationem cum dæmone. ibid.
Homines, ac mulieres magis ſolliciti de corporis ornatu, quam de cibo ventris. 17.64 & ſeqq.
Veſtium decus honorem, & reverentiam conciliat. 17.90
Nimius ornatus damnationis auſpicium. ib. 91 & ſeq.
Non ex propriis, ſed ex alienis vult homo fulgere. 93
Veſtium nimius ornatus impudicitiam vaporat. 17.149 & ſeq.
Non veſtis ſed virtus verum mulieris ornamentum. 19.187 & ſeqq.

Via.

Chriſtus, via ducens in ſolitudinem contemplationis. 11.408
Deus potius irraſcitur in vias peccatorum, quam in ipſos peccatores. 99

Victoria, ſeu *Victor*.

Victoria Chriſto non nobis tribuenda. 17. 262 & ſeqq. & 19.16 & ſeqq. & 11.85
Tenui medio victoria glorioſa. ibid. 267 & 19.227
Glorioſa victoria adepta inſtrumento inimici. 12.251 & ſeq.
Victoria Angelorum non ipſis, ſed Chriſto D. ac B. Virgini tribuenda. ibid. 433 & 435
Non locus ſed virtus dat victoriam. ibid. 506
Victoria de hoſtibus per Mariam. ibid. 144 & 21.171 & ſeqq.
Tunc victoria reputatur perfecta, cum radix malorum extincta. 12.550 & ſeq.
Ad victoriam medium expertum eligendum. ibid. 620
Locus infectus victoriæ fugiendus, fauſtus, & felix quærendus. ibid. 641
Viſo præmio animus ſtimulatur ad victoriam. ibid. 644 & ſeqq.
Qui vincit in magnis, caveat ne delinquat in parvis. 15.67
De victoria adepta gratiæ referendæ. 68
Lethalis affectus quod homo ſemper velit vincere, & nunquam ſe victum agnoſcere. 16.30 & ſeqq.
Devicti contra victorem *uniuntur* ad eum impugnandum. 17.248

Videre, ſeu *Viſio*.

Vita animæ, Dei viſio. 20.55
Puritas acuit mentem ad Deum videndum. 14.4 & ſeqq.
Immunditia carnis ponit obſtaculum ad contemplanda cœleſtia. 6
Summum malum carentia viſionis Dei. 18. 116
Magnus dolor, dum vides perire quæ diligebas. ibid. 131 & ſeq.
Magna confuſio oculis videre deſtrui illud, ob cujus cauſam damnatus es. ibid. 198
Dei viſio ſuper omnia bona appetenda. 21. 384
Fluvius viſio beatifica. 22.12
Chriſti viſione non ſatiatur Petrus. 13
Viſio beatifica omnia *bona* ſecum involvit. 13 & ſeq.
In viſione beata gratiſſimi fructus tanquam novi. 22.23

Virginitas, ſeu *Virgines*.

Viagines ſunt tanquam duces, ac principes beatorum. 14.117
Virginitas ſicut Sol aliis virtutibus dat ſplendorem. ibid. 127
Virginitas promptiſſima ad Dei obſequium, ac ſequelam. 118
Virgines conſortes agni ipſum ſequuntur. ib. 121
Virginitas ob ſui excellentiam peculiariter dicitur empta. 14.125
Deus maxime complacet in Virginitate. 125 & ſeqq.
Virginitas inter Angelos habet inſigniſſimum locum. 14.126
Virginitas magnis donis cumulatur. 127 & ſeqq.
Virginitas habet quandam beatitudinem *in* terra. ibid.
Virgo Deo dicata, ſolum cum *ipſo* converſetur & agit. 14.138
Ingens virginitatis donum ſolo Deo. 134
Virginitas honoratur in [illegible]
Virginitas & caſtitas [illegible] donum naturæ humanæ. ibid. 133
Durè puniuntur qui Virgines aut violant aut ſollicitant.

000087
·478006
484 14 DIC. 1982

Index Rerum Memorabilium.

Virgo ſit maximè cuſtodita, & clauſa. 14. 21 & ſeqq.
Virgo multo munimine vigilet.
Virginitas cuſtodit à malo, & ad magnum honorem exaltat. ibid. 33
Virginitas ſic ſublimatur, ut quid divinum videatur. ibid. 38 & ſeq.
Virginitas ut præſtantiſſima omnium habetur ad magna. ibid. 40 & ſeqq.
Virgines Virginitatem diſcunt à Chriſto. ib. 44
Virginitas dæmonibus, ac impuris hominibus terribilis, ac formidabilis. ibid. 64 & ſeqq.
Angeli aſſiſtunt virginibus, ut eos cuſtodiant. ibid. 82
Virgines intimius, ac ſuavius Deum laudant. ibid. 88 & ſeqq.
Chriſtus gaudet aſſociari puris, & *virginibus*. ibid. 8 & 11 & ſeqq.
Virginitas dat magnam vim, ac efficaciam orationi. ibid. 89 & ſeq.
Virginitas maſculinos, ac viriles animos indit. ibid. 96
Parum prodeſt Virginitas corporis, & animi niſi Chriſtum ſequaris. 97
Flos Virginitatis flatu luxuriæ, vel illius tactu marceſcit, ac perit ibid. 98 & ſeqq.
Virginitas plus æſtimatur, quam omnes aliæ virtutes. ibid. 202 & ſeq.
Chriſtus maxime afficitur ad virgines. ibid. 107
Virgines fortiter pugnant, contra Diabolum & vitia. 14.105
Virginibus maximè congruit regnare, ac dominari. 14.107 & ſeqq.
Veritas virginitati maximè annexa. ibid. 141

Virtus.

Vera virtus in ſerenitate latet, in tribulatione manifeſtatur. 12.50
Sola virtus æſtimanda, cætera aſpernanda. ibid. 206
Vera virtus ſoli Deo patet. ibid. 214
Vera virtus abſcondit opera ſua. ibid. 213 & 215 & ſeqq.
Virtus abſcondita ſecura, ſi manifeſtatur, perit.
Facile bonum virtutis inchoare, illud perficere difficile. ibid 248
Incipientes in via virtutis multa tentamenta patiuntur. ibid. 358 & ſeqq.
Non ſexus ſed virtus valet apud Deum. 12. 369
Vera virtus in homine diligit bonum, & deteſtatur malum. ibid. 376
Virtus non lingua clamat. ibid. 385 & ſeq.
Mundialis felicitas virtutem excludit, quam generat inopia, ac paupertas. ibid. 415 & ſeq.
Deliciæ tanquam compedes retardant properantem ad virtutem. ibid. 643
Maxime execrabile prætextu virtutis colorare peccata. 13.184 & ſeqq.
Virtutis labor juſtus parit lætitiam. 14.62 & ſeq.
Virtutes ſint firmæ ac ſolidæ, ut lapidibus conferantur. ibid. 134 & ſeqq.
Virtutes cooperiunt peccata. 16.188 & ſeqq.
Virtutes cuſtodiantur, ne deperdantur inani gloria. 189
Impii quod per potentiam non poſſunt facere, per ſimulatam virtutem volunt adimplere. 17.100
Vera virtus eſt ab interiori & non ab exteriori apparatu. ibid. 109 & ſeqq.
Ubi virtus, ibi flores. ibid. 197
Virtus abſcondita inimicos devincit. ibid. 261
Ex punitis delinquentibus virtus creſcit. 18 222 & ſeq.
Virtutibus præclarus Rex dicendus. ibid. 229 & ſeqq
Non veſtis, ſed virtus verum mulieris ornamentum. 19.137 & ſeqq.
Ubi eſt virtus, veſtium ornatus non requiritur.
Virtus reſplendeat interius, & exterius. ibid. 141 & ſeqq.
Virtus in mediocritate conſiſtit. ibid. 427
In virtute non quieſcendum, ſed ultra progrediendum. 21.40 & ſeqq.
Vir præclarus virtutibus inimicos excitat, & ad ſui cuſtodiam armis indiget ibid. 63 & ſeqq.
Singularis in virtute valde mirabilis. ibid. 416 & ſeq.

Vita, ſeu Vivere.

Vita activa conjungenda cum contemplativa. 12.606 & ſeq.
Vita præſens ita brevis & mutabilis, ut ne falsò, ac mendaciter audeat Diabolus dicere permanentiam, & perſeverantiam. 13. 114 & ſeqq.
Quamvis quis male vixerit, felix eſt ſi in fine vitæ ſe ad Eccleſiam, ac virtutem receperit. ibid. 122
In hac vita non datur requies. 14.250
Hominum vita fluxa & brevis. 17.185

Vitium.

Vitiorum nequitia juſtis eſt aperta, iniquis occulta. ibid. 153
Vitia divitias conſumunt, & depopulantur. 155
Vitia ac turpitudines præcipuè vigent in principibus, ac magnatibus. ibid. 298 & ſeqq.
Numerantur ſeptem vitia capitalia. 12.274
Unum vitium aliud parturit, & generat. 12. 291
Vitia per ſuos delinquentes coronantur. 13. 51 & ſeqq.
Vitioſi facile in quælibet peccata ruunt. 17. 51

Unio, ſeu Unitas.

Unionis vinculum ad bellum feliciter agendum ac ad hoſtes debellandos. 12. 59 & ſeqq.
Qui ſolus eſt ſine aliorum unione, ruit. ib. 62
Summa juſtorum unitas. 12.364 & 22.20
Præclara virtus reſplendet verbis, & operibus. 15.95 & ſeqq.
Virtus deperditur tam ob exceſſum, quam ob defectum. ibid. 70
Maxime peccatores, ac impii uniuntur ad mala faciendum. 16.175 & ſeqq.
Sunt homines, qui multa vi dividuntur hac ablata ſtatim uniuntur. 17.278
In beatis ſumma unitas, ac concordia. 19 7 & 21.605
Civitas unione firmata ab adverſariis non irrumpitur. 20 98

Vinum.

Vini uſus libidinem generat. 17.52
Vino deditus, ut veneficus habetur. 21.117
Ebrietas inſanabile venenum. ibid. 118 & ſeqq.
Vinoſus ut bellua. 120

Unum.

Unus ſæpe pro primo ponitur. 15.151
Vanus difficile corrigitur. 17.276

Vocatio, ſeu Vocare.

Deus fortiter & ſuaviter nos vocat. 19.157
Qui Dei voce vocatus eſt, debet & alios vocare. 22.114

Voluntas, ſeu Voluntarium.

Voluntas depravata nihil aliud petit niſi ſui ruinam. 12.448
Voluntarios homines quærit ſchola Chriſti. 13.96
Voluntarium obſequium vult Deus. ibid. 230 & ſeq.
Non agendum propria voluntate ſed Dei nutu. 19.228

Voluptas.

Vide *Affectus*, vel *Delitiæ*.

Urbanitas.

Homo urbanus Chriſtianæ diſciplinæ aptus. ibid. 158 & ſeq.
Qui urbanus eſt ſolus eſt homo.

Votum.

Votum caſtitatis maximè elevat, & extollit. 14.6

Uxor.

Præ dolore vox comprimitur. 14.185
Antiqua conſuetudo dum uxor ducebatur. 19.120
In uxore requirenda eſt probitas & non pulchritudo, ut in meretrice. 21.62
Vide *Mulier*.

Z

Zelus.

DEus dicitur Zelotes ob multum affectum erga animas noſtras. 21.362
Zelus honoris divini ſuprema virtus inter omnes. 563
Zelus fictus Vide *Hypocrita*.

FINIS.

